Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Defensio doctrinæ ueteris & apostolicæ de Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, D. Petri Martyris Vermilij, Florentini ... : in quatuor distincta partes, aduersus Stephani Gardineri, quondam Vuintonen(sis) Episcopi, librum, quem ille primum quidem sub huiusmodi titulo edidit, Confutatio cauillationum, quibus Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum ab impijs Capernaitis impeti solet, authore M. Anton. Constantio, &c. deinde uero co(m])entitio hoc nomine expuncto, proprioq(ue) suo ipsius nomine apposito ac expresso, euualgauit. Accesserunt operi indices duo, rerum inquam uariarum ...

https://hdl.handle.net/1874/400364

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. fo.
20

7.

o.

N°. 36. f.



Fidelia omã precepta eius· firma
ta in sempiternum iugiter·
facta in ueritate & equitate·
Redemptionem misit populo suo·
mandauit in aeternum
pactum suum·
Scũm et terribile nomen eius·
principiũ sapientię timor dñi·
Doctrina bona cunctis qui
faciunt ea· laus eius
perseverans iugiter·

CXI. ALLELVIA

BEATVS VIR QVI TIMET
dñm· in mandatis eius uolet nimis·
Potens in terra erit semen eius·
generatio iustoꝝ benedicetur·
Substantia & diuitię in domo ei·
& iustitia eius perseverans semper·
Ortum est in tenebris lumen
iustis· clemens et miseri
cors et iustus·
Bonus uir clemens et foene
rans· dispensabit uerba
sua in iudicio· quia IN
ęternũ non commouebitur·
In memoria sempiterna
erit iustus· ab auditu
malo non timebit·

Fidelia omã mandata ei⁹ con:
firmata in sęlm sęli· facta
in ueritate et equitate·
Redemptionem misit populo
suo· mandauit in ęternum
testamentum suum·
Scũm & terribile nomen eius·
inicium sapientię timor dñi·
Intellectus bonus omnib⁹ facien
tibus eum· laudatio eius
manet in sęlm sęculi·

CXI. ALLELVIA

BEATVS VIR QVI TIMET
dñm· in mandatis ei⁹ uolet nimis·
Potens in terra erit semen eius·
generatio rectoꝝ benedicet⁹·
Gla & diuitię in domo ei⁹· & iusti
cia eius manet in sęlm sęli·
Exortum est in tenebris lumen
rectis· misericors et misera
tor et iustus·
Iocundus homo q̃ miseret⁹ et
commodat· disponet sermones
suos in iudicio· quia in ęter
num non commouebitur·
In memoria aeterna erit
iustus· ab auditione
mala non timebit·

Theologia
Folio nº. 20.

Fidelia omã mandata eius· con
firmata in sęlm sęli· facta
in ueritate et equitate·
Redemptionem misit populo
suo· mandauit in ęternum
testamentum suum·
Scũm et terribile nomen eius·
inicium sapientię timor dñi·
Intellectus bonus omnib⁹ facien
tibus ea· laudatio eius
manet in sęlm sęculi·

CXI. ALLELVIA.

BEATVS VIR QVI TIMET
dñm· in mandatis ei⁹ cupiet nimis·
Potens in terra erit semen eius·
generatio rectoꝝ benedicetur·
Gla & diuitię in domo ei⁹· & iusti
cia eius manet in sęlm sęli·
Exortum est in tenebris lumen
rectis corde· misericors et
miserator et iustus dñs·
Iocundus homo q̃ miseret⁹ et
commodat· disponet sermones
suos in iudicio· quia IN
sęlm non commouebit⁹·
In memoria aeterna erit
iustus· ab auditu
malo non timebit·

N. 7. A.

DEFENSIO

Doctrinæ ueteris & Apostolicæ

de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, D. PETRI MARTYRIS Vermilij, Florentini, diuinarum literarum in schola Tigurina professoris, in quatuor distincta partes, aduersus Stephani Gardineri, quondam Vuintonien. Episcopi, librum, quem ille primum quidem sub huiusmodi titulo edidit, Confutatio cauillationum, quibus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum ab impijs Capernaitis impeti solet, authore M. Anton. Constantio, &c. deinde uero cõmentitio hoc nomine expuncto, proprioq; suo ipsius nomine apposito ac expresso, euulgauit.

HABES *in hoc opere, Lector, ferè quicquid cum in literis sacris, tum in antiquorum Patrum Conciliorumq; monumentis, de tota Eucharistiæ causa, usquam proditum est. Quæ sanè copiosa & accurata hac disputatione, utrinq;, quàm diligentissimè pensitata & excussa esse, si paulò attentius legeris, attestaberis. Verte autem folium, ac lege partium huius operis argumenta.*



Ex dono Buchelii

ACCESSERVNT operi Indices duo, Rerum inquam uariarum, & Locorum cum scripturæ sanctæ, tum antiquorum Patrum, qui hoc in libro syncerissimè explicantur.

anno 1559

GALAT. VI.

ABSIT *mihi gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*



TOTIVS OPERIS QVADRI-
PARTITA DISTINCTIO.

PRIMA

Pars Defensionem Rationum nostrarum aduersus Gardineri Confutationes complectitur.

II.

Quasdam Regulas tuetur, quas author in sua Tractatione De Eucharistia olim ediderat.

III.

Eas Responsiones propugnat, quib. nos aduersariorum argumenta in hac disputatione diluere consueuimus.

IIII.

Iustas uerasq; interpretationes certorum locorum asserit, quos ex Patribus, Gardinerus cum suis pro se attulit.

Obijt maria hispana 1558 [illegible] 1553
Nata Elizabeth 1533 7 septembris [illegible] obijt martyr 1562

SERENISSIMÆ ELIZABETAE, DEI GRATIA REGINAE ANGLIAE, FRANCIAE ATQVE HYBERniæ, à Deo patre, per Iesum Christum seruatorem nostrum, Gratiã & æternam fœlicitatem.

SCRIPSIT ante complures annos, Illustrißima Regina, Stephanus Gardinerus, Episcopus Vintoniensis, librum virulentum & pestiferũ de Eucharistia, quo veram & orthodoxam doctrinam, quã nos à Christo ipso, & Apostolis, & antiquißimis Ecclesiæ patribus Græcis Latinisq́ acceptam hodie sequimur & profitemur, non sacrarum scripturarum authoritate, aut sanctorum patrum certis & euidentibus testimonijs, sed meris sophismatis, & contortißimis fallacijs conatus est, quantũ potuit, labefactare. Id autem ille non alio consilio fecit, quàm vt superstitio, & fœdißima illa ἀρτολατρεία, quæ summo Dei beneficio, Illustrißimi illius, & sanctißimi Regis, & dulcißimi fratris tui Eduardi tempore sublata fuerat, aliquando postliminiò in integrum restitueretur. Eius libri cõtagionem cum multi pij, & veræ Religionis amantes viri, quorum est hodiè Anglia tua feracißima, animaduerterent ad multos dimanare, cœperunt mecum sæpè & coràm, & per literas agere, vt obrepenti malo quàm primùm occurrerem. Quibus ego & honesta, & iusta petentibus, etsi alijs negotijs & grauißimis, & maximis distinebar, tamen deesse nullo modo potui. Teneor enim multos iam annos huius asserendæ veritatis mirifico studio: vel quod causa ipsa per se inter Religionis nostræ capita maximi sit momenti: vel quòd in ea hallucinari, ad omnem superstitionem, & idololatriam sit fenestram latißimam patefacere. Verùm huic meo studio, & amicorum precibus, & rei ipsius æquitate, & præsertim fratrum nostrorum, pro quibus Christus Iesus vitam suam & sanguinem profudit, periculis satis alioqui incitato, cum varia & multiplicia impedimenta, quæ nunc referre non libet, diu multumq́ obstitissent, ea Deus Opt. Max. pro sua bonitate tandem aliquando omnia remouit: & animo meo ad hunc laborẽ, vt anteà dixi, sua sponte satis propenso, adiecit vires, non immensas quidem illas, sed quantas iudicauit fore satis ad hoc malum ab Ecclesia sua, & piorum hominum pectoribus depellendum. Itaq́ hyeme superiori cũ opus absoluissem, idq́ iam typographis excudendum commisissem, repente ad nos optatißimus nuntius allatus est, Maiestatem tuam secundißimis omnium tuorum animis declaratã esse Reginam Angliæ. Quo nuntio non tantùm Angli tui, qui tum religionis causa pulsi domo, & euersi fortunis omnibus, paßim per Germaniam exules habitabant, ita sibi gratulati sunt, quasi qui viderentur sibi vnà cum initijs Regni tui excitati à mortuis: sed etiam Ecclesia, & Respublica tota Tigurina, atque adeò omnes, quicunque sanæ Religionis studio

tangebantur, & deo publicè, priuatimq; gratias agebant, & vbiq; mirificè triumphabant. In illa tanta gratulatione ego sic mecum cœpi cogitare: Maiestati tuæ, postquam optimo iure in patrium, auitumq; Regnum successeris, ueram pietatem, quam à pueritia ad hanc usque ætatem semper studiosissimè colueris, præter cætera fore curæ. Nihil enim tibi antiquius esse posse, quàm vt unà cum Christo regnes, eiusq; nomen in tua Republica ad amussim & præscriptum sacrarum literarum quàm purissimè & sanctissimè celebretur. Id cum tua Maiestas semper aliàs cupidissimè optarit, & Fratris tui Eduardi tempore aliquo modo factum lætata sit, nunc postquam à Deo Opt. Max. summã adepta sit potestatem, vt omnibus numeris & partibus perficiatur, & quàm primùm, & quàm diligentissimè curaturam. Etsi enim & excellenti doctrina polleas, & omnium virtutum genere exculta sis, tamen in Regio illo tuo pectore præcipuas esse partes pietatis. Hæc ego dum mecum in animo cogitarem, & alia res ex alia, ut fit, mihi sese offerret, non alienum nec ab officio meo, nec ab vsu Ecclesiæ fore arbitrabar, si Librum illum meum, quem iam habebam sub prælo, tuo sacro nomini dedicarem: partim quòd Maiestatem tuam ab eo tempore, quo primùm veni in Angliam, propter insignes, & verè Regias animi tui dotes, quibus eras illustrissima, perpetuò coluerim: partim quòd ad sanctissimum illud tuum institutum de instauranda Ecclesia dei, vt de hoc dogmate, de quo in hoc toto Libro conflictor cum Gardinero, aliquando bene constituatur, permagni referre iudicarem. Id autem ego in hac disputatione mihi in primis proposui, vt ne quid defenderem, quod non in diuinis literis perspicuè traderetur, aut non esset vetustissimorum patrum scriptis consentaneum, aut postremò in Anglia tua bonis temporibus non fuerit publica Ecclesiæ professione comprobatum. Contrà vero peregrina, & à scripturis patribusq; aliena ita refutaui, vt sperem, Lectori modesto & pio, nullum amplius fore ambigendi locum. Nunc id restat, Illustrissima Regina, vt quod à me animo sincero & fideli offertur tuo nomini, id Maiestas tua, ea, qua mirabiliter ornata est, quaq; longè cæteris mortalibus antecellit, benignitate, clementiaq; suscipiat. Cumq; pro tuo politissimo iudicio, quo te instruxit spiritus Christi, intellexeris, doctrinam eam, quam nos tuemur, & profitemur, puram esse & sanam, & sacris scripturis conuenientem, id etiam, atq; etiam à Maiestate tua peto, ut eam omni tuo fauore, authoritate, pietate propugnes: nec in Anglicana Ecclesia, quæ tuæ fidei unà cum Regno concredita, & commendata est, aliam ullam publicã professionem sonare ac uigere patiaris. Quod si à tua Maiestate diligẽter, uti spero, prouisum fuerit, præstabis Christo Regnũ tuũ ab omni superstitione & idololatria repurgatum. Deus Opt. Max. per Iesum Christum filium suum Maiestatem tuã & Ecclesiæ, & Regno Angliæ, quàm diutissimè conseruet incolumem. Tiguri Calendis Martij. 1559.

Tuæ Maiestati obsequentis.

Petrus Martyr.

PRAEFATIO AD LECTOREM.



VM permulta ſint, pie Lector, quæ tibi iſtos meos labores conſideranti poſsint eſſe admirationi, operæpretium facturū me arbitrabar, ſi cogitationes tuas anteuerterem, & tibi ad omnia, quàm poſſem breuiſſimè, reſponderem. Primùm ergo, ſi fortè miraris me ad hoc opus ita tardè aggreſſum eſſe, illudq; nunc tandem ita ſerò edere, ſcire debes, eius tam diuturnæ dilationis iuſtas mihi fuiſſe, & uehementes cauſas. Nam cum doctiſsimus iuxtà ac ſanctiſsimus uir, D. Thomas Crammerus, Archiepiſcopus nuper Cantuarienſis, eam in ſe prouinciam ſuſcepiſſet, quem ſcirem iſto Papiſtarum Achille in omni genere literarum longè eſſe ſuperiorem, quod ego non adulationis cauſa dico, (quis enim aduletur homini mortuo?) ſed quòd illum ſciam ex multis, & uariis diſputationibus, quas habuit aliquando cum Vintonienſi, & cum uictoria, & ſumma cum laude diſceſſiſſe, non putaui eſſe pudoris mei, ut illi tam ſanctum, tamq; pium inſtitutum præriperem. At ille, cum in carcere arctiſſima cuſtodia obſeruaretur, ubi uix charta adſcribendum, nedum librorum copia ſuppeteret, & poſtremò cum duriſſima morte, quam in ueræ fidei confeſſione denique conſtanter tulit, ſublatus eſſet, opus, quod iam habebat præ manibus, coactus eſt relinquere inchoatum. Huc etiam hoc mihi præterea acceſſit incommodi, quòd ab eo uſque tempore, quo diſceſſi ex Anglia, labores mihi quotidiani ſubeundi, & penſum perpetuum ſcholaſticarum occupationum aſſiduè perſoluendum fuerit, ut ad iſtas cogitationes nihil fermè ſepoſiti temporis relinqueretur. Neque uerò ea mihi eſt conditio & firmitas uel ualetudinis, uel corporis, ut labores infinitos ferre poſſim. Taceo enim non ita me inſtructum fuiſſe ab opibus, ut tot operas, & amanuenſes alere potuerim, quibus Gardinerus, etiam cum in carcere eſſet, ita abundauit, ut quemadmodum olim ad exædificandum Tabernaculum, ita hic ad ornandum iſtum librum, ceu Tabernaculum quoddam Papiſtarum, omnes, quicunq; tum eſſent in illorum caſtris, etiam ruſtici, & tumultuarij milites, uideantur aliquid contuliſſe. Eſt enim hęc, ne neſcias Lector, Pandorę pyxis, in quā omnes etiam Minorum gentium dij ſua munuſcula congeſſerunt. Nam, ut olim, quemadmodum eſt in fabulis, Vlyſſi nauigaturo Aeolus uentos omnes in utrem contruſos in manum dedit, ut ille cum ſoluiſſet in altum, eis pro ſuo arbitrio uteretur: ita iſti Gardinero, cum neſcio quid contra nos moliretur, omnia ſua argumenta, ſatis ea quidem uentoſa & leuia tradiderūt, ut ille ex aceruo deligeret, quicquid uellet, & ſibi alieno uento uela faceret. His ego cauſis impeditus ad ſcribendum acceſſi tardius. Qua in re ſi quid à me peccatum eſt, oro te, pie Lector, ut id mihi

uel, quod maximè cupio, in uniuersum, uel saltem aliqua ex parte condones. Hoc certè mea ista qualicunq; opera effectum spero, ut ne Papistæ amplius triumphent, & clament, neminem inueniri posse, qui cum isto suo Goliatho ausit congredi.

Alij fortasse, ut sumus omnes ad reprehendendum nimium faciles, hoc mihi uitio dabunt, quòd uoluerim in mortuũ scribere, & cum laruis luctari. Sed illi, quicunq; sunt, scire debent, quod tamen mirum fortasse uideatur, interdum etiam mortuos mordere. Nam & Arrij, & Martionis, & Manichæi insani furores, etiã cũ iam authores essent mortui, Ecclesiã grauissimè lacerarunt. Neq; enim uenenum & contagio Hæreticorum unà cum illorum morte extinguitur. Itaq; Hilarius in Constantium Imperatorem mortuum: & Cyrillus, & ante eum Gregorius Nazianzenus in Iulianum Apostatã, cum ille iam in bello Persico obiisset, acerrimè inuecti sunt. Nec mihi hic difficile esset alios complures, qui scripserint in mortuos, commemorare. Quod autem piorum hominum exemplo fit, id negari non potest rectè fieri.

Alius forsan molestè feret, in hoc opere eadem à me toties inculcari. Verùm id ego non ex animo, neque meo ingenio obsequens, sed magno cum fastidio & perinuitus feci. Sum enim alioqui plus æquo studiosus breuitatis. Sed aduersarij importunitas huc me pertraxit, quem nihil puduit subinde eadem, atq; eadem & obij cere, & respondere. Cæterum dices, oportuisse me illa omnia, cum essent eadẽ, in unum potiùs fasciculũ collegisse, & una opera ad omnia respondisse. Honesta quidem oratio, & prudens consilium, & mihi ad sequendum non difficile. Vidi equidem id iam inde ab initio, & fortasse etiam decreueram ita facere. Sic enim & labori meo, & libri magnitudini, & lectoris non tantùm pecuniæ, sed etiam tempori parci utcunque potuisset. Verùm aduersarios habeo ita propitios, ut si id feci ssem, statim clamaturi fuerint, me multa callidè præterijsse, multa de industria dissimulasse: breuiter, non esse satisfactum ad omnia. Adhæc ratio mihi habenda erat non tantùm doctorum uirorum, sed etiam tyronum, & rudium: qui quamuis maximè perspicuè, & clarissimè dicas, tamen non statim, quid dicas, possint assequi, nisi res eadem alijs, alijsq;, & nonnunquam propemodum ijsdem uerbis repetatur, & quodammodò ante oculos constituatur. Id autem homini pio ibi demum maximè curandum est, ubi illud, quo de disputatur, quemadmodum credendum sit, ad æternam salutem permagni referat: qualem esse hanc controuersiam de Cœna Domini, certum est. Non enim hic aut de Ideis Platonis, aut de Atomis Democriti, aut de Intermundijs Epicuri, aut de Aristotelis Entelechia, sed de Corpore ac Sanguine filij dei, quibus nostra redemptio persoluta est æterno patri, quemadmodum ea cum symbolis Eucharistiæ coniuncta

sint,

sint, disputamus. Homines, qui sint elegantioris palati, nõ solent cibo inusitato uesci, nisi prius diligenter interrogent, quidnam illud sit, & quibus rebus constet: neque facilè pharmacum recipiunt à medico, nisi prius intelligant, quid sit, & quibus ex medicamentis cõficiatur. Quamobrem nos, qui Christum profitemur, nisi & esse, & haberi uelimus stultiores, quàm filij huius sæculi, piam & salutarem notitiam eius Sacramẽti, quo subinde pascimur ad memoriam domini, & ex quo uel prorsus ignorato, uel malè cognito multa in Ecclesia peruersè fiunt, non debemus ullo modo contemnere. Noli ergo, pie Lector, meas istas repetitiones, quas mihi extorsit improbitas aduersarij, reprehendere, quasi superuacaneas. Nam etiam in sacris literis, si modò fas sit mea scripta cum oraculis spiritus sancti modestè et timidè cõparare, ea, quę ad æternam uitam sint necessaria, iterum, atque iterum repetuntur. Huc adde rationes, & confutationes aduersariorum sæpè obscuras esse, sæpè ita ueri similes, ut lectori minus attento, & oscitanti propemodum ueræ uideri possint. Hic imperitiores interdum nonnihil impediuntur, & hærẽt: & quamuis multa anteà audiuerint, quæ ad istas nubes, & prestigias disijciẽdas ualere possint, tamen non statim sua sponte intelligũt, quidnam ex illis omnibus debeat ad quidq; potissimùm applicari. Quare mihi, cum illis quoque cuperem consulere, necessariò aliqua scribenda erant, quæ doctioribus, & probè instructis uideri possint otiosa. In primis autẽ permouit me, ut ita facerem, quemadmodum ab initio dixi, iniquitas, atque importunitas aduersarij. Is enim numerum nostrorum argumentorum auxit in immensum, sine ratione, aut modo: eaq; partim se fingit à nostris hominibus accepisse: partim, quæ acceperat, comminuit, & lacerauit in partes. Id autẽ quò faceret impunius, religio illi semper magna fuit, uel authorem certum, uel locum aliquem proprium, unde ea accepisset, indicare. Quęcunq; uerò ego ex nostrorum scriptis potui utcunque diu quęrendo inuenire, ea ita discrepta, ita lacera, ita mutilata, ita fœdè corrupta, ita barbarè relata, ita confusa, distracta, concisa, luxata, delumbata, & miserè habita reperi, ut nisi à me fuissent aliquo modo restituta, non disputantium rationes, sed ebriorum, aut furẽtium somnia uideri potuissent. Quid quòd in illis referendis ne ordinem quidem uoluit aliquem retinere. Alius enim quiuis ea omnia, quæ ad eandem sententiam pertinebant, in eandem classem cõiecisset. Quod si iste facere uoluisset, mihi non fuisset difficile, eadem opera sine ulla repetitione ad omnia respondere. Verùm ille de industria methodum inuersam, & perturbatam, & quiduis potius aliud quàm methodum affectauit: quam si ego emendare, & in ordinem redigere uoluissem, deum immortalem, quibus me calumnijs, & clamoribus Inconstantiani satellites excepissent: Me, ne singula argumenta seorsim refellerem, multa in

aceruum de industria conglobare, & callidè obscurare uoluisse: in una quaq; ratione certas esse & proprias uires, quæ in cumulo facilè hebescant, &, ceu uinũ in aqua, extinguantur. Sed Sophista noster cum nõ ita hebes esset, quin ut facilè intelligeret, illud sibi uitio dari posse, quòd tantùm numerum rationum & cõfutationum, & subinde repetitarum, & sæpè inanium, congessisset, uel potius quòd huiusmodi ludos & ineptias ipse sibi animi, credo, causa malitiosè confinxisset, pulchrè se facturum sperabat, si eam culpam, & inuidiam in nos ueteratorie transtulisset. Itaque homo bellus & facetus in ipso limine atque aditu libri sui proponit Lectori lepidam narratiunculam de Hospite Chalcidensi, qui ex una suilla carne, satis alioqui, inquit, sua natura insipida, & fatua, splẽdidum conuiuium incredibili epularum & ferculorum uarietate instruxerit: ita nos ait ex una sacramentaria fatuitate omnia ista argumenta concinnasse, & rationes alioqui insipidas magna arte & industria, ut ad palatum facerent, condiuisse. Hæc ille, ut sibi quidem uisus est, pulchrè ac suauiter. Sed quicquid est, nostra ista suilla caro, nescio quo infortunio, incidit in fatuum, & imperitum coquum, qui omnia non condiret, sed conspueret: nec artificiosè incideret, sed inclementer, & turpiter laceraret. Neque id sanè mirum: quamuis enim unus esset Archimagirus, tamen tot erant operq;, tot manus, tot lixæ, tot calones, tantum fumi, tantum fuliginis, tantum confusionis in culina, ut nihil potuerit rectè atque ordine administrari. Gardinerus autem ipse, si fortè quæras quid de illo sentiam, idem mihi in isto suo libro uidetur facere, quod Gyges ille, qui describitur à Platone in libro de Iusto. Eũ enim Plato ait habuisse annulum admirandarum uirium: cuius palam cum in uolam conuertisset, statim illũ, cum esset in turba, ita latuisse, ut à nemine uideri posset: eandem ubi auertisset ad lucẽ, repente fuisse conspicuum: cumq; ista annuli opportunitate abuteretur, et, quoties uellet, posset esse ἀόρατος; multa illum & grauia scelera perpetrasse. Eadem omninò audacia Gardinerus quiduis mentitur, & comminiscitur: cumq; uidet, se à nobis & solidis rationibus, & diuinarum scripturarum testimonijs, & patrum sententijs oppugnari, statim conuertit palam, abdit se in nubem inanissimarum fictionũ, utq; ipse putat, ambulat ἀόρατος. Quicquid enim à nobis uerissimè obijcitur de ueritate humanæ naturæ in Christo, id omne sperat uno uerbulo refelli posse, si dicat, deum esse omnipotentem, & corpus non nisi ἀόρατον esse in Eucharistia. Deinde hoc commento armatus & tectus, nihil est quod uereatur ementiri. Cum enim Gordios istos nodos non possit arte dissoluere, tamẽ non dubitat se posse illos ista securi saltem rusticè incidere. Verùm, ut redeamus ad hospitem Chalcidensem, iste noster quantumuis ornet, fingat, pingat, poliat, uariè proponat, & multipliciter coloret argumenta sua, omnia tamen ad extremũ

ad

ad ſylueſtrẽ illam, & inſulſam, & fatuã ſuem redeunt, Tranſubſtantiationem. Ex illa enim inſipida & putri carne, elegãtes coqui nobis Adorationes, Oblationes, Reſeruationes, Concomitantias, Diſtractiones corporis Chriſti, Nundinationes Miſſarum, Indiuidua uaga, Accidentia ſine ſubiecto, & alia infinita portenta, & inſuauiſſima fercula peperunt. Gardinerus ergo iſtam facetiam ſine ulla magna iactura potuiſſet ſibi retinere. Adhęc non dubito eſſe complures, & eoſdem pios, & à Regno dei non alienos uiros, qui longè cõſultius arbitrentur, ut operam noſtram ad rectum uſum Euchariſtiæ, quàm ad iſtas de eius natura & conſtitutione altercationes & rixas conferamus. Ibi enim poſſe eſſe uberrimum fructum: hic multa eſſe incommoda. Illis ego libentiſsimè ſuffragarer: ſemper enim fui, ſi quis alius, ab ineunte ætate ſtudioſiſſimus pacis: niſi uiderem rerum ignotarum nullum eſſe poſſe rectum uſum: & dogma iſtud de Euchariſtia perperam intellectum, fontem & caput eſſe turpiſsimorum errorum, & innumerabilium ſuperſtitionum. Itaq; ea maximè cauſa ad hanc diſputationem me pertraxit, quòd ſperarem, omni hoc negotio uerè & commodè intellecto, fructum deinceps ex Euchariſtia uberrimum eſſe ad pios homines rediturum.

Sed obijcent, oportere probos uiros in huiuſmodi controuerſijs, nõ aſpere, acerbè, truculenter, ſed placidè, benignè, humaniter, inter ſe diſputare: me autem in hoc libro aduerſarium meum non ſemel liberius, & acrius pupugiſſe. Sed iſti meminiſſe debent, non ſemper eodem modo agendum eſſe cum omnibus. Nam ſi qui ſunt, qui mero tantùm, & ſimplici errore abducantur, & quãuis ueræ doctrinæ non ſtatim aſſentiantur, tamen rectè monentes nõ contemnant, nec ueritatẽ dei petulanter conculcent, aut cõtumelioſè inſectentur, ut uideãtur lenitate uerborum, quaſi oleo quodã poſſe ſanari, illi mollius & humanius tractandi ſunt. Ita enim Chriſtus ipſe & cum Apoſtolis errantibus, & cũ ſimplici turba ſeſe geſsit: & in prophetis ſæpè ſpiritus ſanctus multitudinẽ ſimpliciter errantẽ ad hunc modũ caſtigauit. Contrà autem, qui ſanam doctrinam, ut Petrus ait, audire non ſuſtinent, & nõ tantum maledicta atrociſsima iaciunt in ueritatem dei, uerùm etiam eius profeſſores ferro & flamma crudeliſsimè perſequuntur, & Euangeliũ Ieſu Chriſti mendacijs ſuis, quæ ipſi ſciant & uideant eſſe mendacia ad fraudem & nequitiam comparata, adulterant & opprimunt, & omnibus modis curſum ueritatis impediũt, idq; perſpicuum ſit illos opum tantùm ſuarum, & malè conciliatæ dignitatis cauſa facere, quas ad lucem Euangelij uideant uenire in periculum, & ſemel, iterum, tertio amicè & fraternè admonitos, pijs adhortationibus & conſilijs ſpiritus ſancti ſemper impudenti & meretricea fronte reſtitiſſe: de huiuſmodi, inquam, hominibus etſi quàm diu manent in hac uita, non debemus facilè deſperare, ta-

men è diuerso sperare uix possumus, animos ita duros & saxeos molli aliquo & usitato reprehensionis genere domari posse. Itaque deus ipse, quo nihil alioqui esse potest benignius, aut mitius, tamẽ interdum cum Israelitis suis agit seuerius, illosq; duram ceruicem, & ferream frontem habere dicit: & aliquando etiam, quò magis illorum scelera exaggeret, ne ab obscœnis quidem uocibus & descriptionibus abstinet. Ita Iohannes Pharisæos, & Scribas, illos etiam, qui ultrò accesserãt ad Baptismũ, appellauit stirpem, & progeniem uiperarum: ita eosdem illos Christus: ita Paulus pseudoapostolos grauissimè exagitauit: eosq; modò homines amantes sui, modò malas operas, modò cultores uẽtris, modò Concisionem, modò Canes, modò inimicos crucis Christi appellauit. Veniat tibi, quæso, in mẽtem, pie Lector, quemadmodum Gardinerus iste per omnem uitam sese gesserit. Primùm Henricho Regi, eius nominis octauo, in optima causa, nimirùm in eiicienda ex ea insula Paparum tyrannide ab initio, quantũ ausus est, restitit: posteà tamen retinendi honoris causa pertinaciam illam suam molliter inflexit, & succubuit, & Papam suum omnibus machinis oppugnauit. Posteà sub sanctissimo Rege Eduardo instaurandæ Religioni incredibili audacia, & contumacia sese opposuit: & quamuis uarijs conflictationibus, & scriptis à Reuerendissimo uiro D. Thoma Crammero, Archiepiscopo Cantuariensi uictus & confutatus, nunquam tamen cedere uoluit: imò in sanctum & mitissimũ illum uirum semper implacabili odio ferebatur. At iam uterque uita functus est: de Gardineri morte nihil dicam, sed hoc de Crammero possum affirmare, quòd in uera fide, & sancta confessione occubuerit, & constantissimè inter medios ignes testimonium Christo suo dixerit: quiq; calamitate sua grauissimum dolorem attulerat pijs omnibus, eosdem patientia & constantia sua incredibiliter confirmauit. Nihil ergo à me præter decorum, aut alienum factum arbitror, si istum hominem ita uirulentũ, & ad omnem ueritatem, etiam reclamante conscientia, obfirmatum, interdum liberius acceperim. Qua tamen in re si mea scripta ad eius maledicta cõferas, non dubito, quin iudicaturus sis, me nimis parcè ac molliter me gessisse. Adde etiam, me non illum primùm prouocasse, sed tantum maledicenti respondisse: &, si qua fortè aspersa sunt paulò acerbiora conuitia, ea non tam ferre, quàm referre uoluisse. Neq; sanè id egi, ut animo meo in ea re morem gererem, sed ut omnes intelligerent, à quali patrono, & quibus artibus nostræ causæ ueritas oppugnetur. Vides ergo, spero, pie Lector, non tantùm licuisse mihi, sed etiam oportuisse me cum petulanti & præfracto aduersario aliquanto seuerius & liberius agere. Quoniam tamen homo sum, & id hominum scriptis tribui nefas est, quod solis conuenit diuinis literis, ut prorsus omni errore uacent, si quando mihi Gardineri importunitas plus æquo bilem commouerit, aut sicubi ego fortè uidear ardentius, &

uehe-

uehementius respondisse, id oro te, ut mihi pro tua pietate clementer ignoscas. Quòd autem illum perpetuò ferè appello Inconstantium, id equidem non conuiciandi causa, aut studio maledicendi feci. Sed cum ille in eo libro, quem edidit, nomen suum dissimulasset, & sese falsò, atq; arroganter appellasset Constantium, putaui, ut olim asino Cumano Leoninam pellem, ita huic glorioso militi istam laruam detrahẽdam esse, & illam tantam ferociam atque insolentiam aliqua esse ratione minuendam. Nam in illo, deum immortalem, quod unquam fuit uestigium constantiæ? An enim ista cuiquam sano constantis hominis facta uideri possunt, modò Papam publicè, priuatimq;, & cõcionibus, & scriptis abiurare, modò ad eũdem accedere supplicem, & ab illo pacem, & ueniam precari: modò in illis uerbis Christi, Hoc est corpus meum, panem ostendi dicere, modò aliud nescio quod uagum, & inauditũ, & inuisum Indiuiduum quærere: modò Missam priuatã, & alia multa superstitiosa scripto suo, quod ille sub Eduardo Rege fecit, condẽnare, modò eadem omnia repetere, & comprobare: easdem nuptias modò irritas & iniustas, modò mutatis tantum uentis, legitimas & iustas pronuntiare? Quare id ego pro meo iure mihi feciſſe uideor, ut illum, non quẽadmodum ipse se sine ulla iusta causa appellauit, sed ex perpetua eius uitæ consuetudine & ratione appellarem Inconstantium. Postremò si qua sunt in illis, quæ ego ex Gardineri libro recitaui, ita perplexa, & obscura, ut aut nullus ex eis, aut non satis congruus sensus possit elici, id mihi uitio uertere nemo debet, quasi eius orationẽ de industria, & malitiosè corruperim, deus meliora. Non ego unquã didici audere tantũ in scriptis alienis. Quicquid est uitium, aut scriptoris fuit, aut typographi. Ego enim nunquã discessi ab exemplari. Verba autem omnia Gardineri interdum nõ adscripsi, ne nimis prolixus essem: interdũ scripsi, ne quis ea me finxisse arbitraretur: ita sunt sæpè obscura, sæpè sibi ipsis contraria. Si qua sunt alia, quæ me oportuerit excusare, ea ego, pie Lector, prudẽtiæ, & æquitati tuæ permitto. Hoc tantũ præterea à te peto, ut librum istũ attentè legas: ita enim non dubito, te totã istã controuersiã facilè, et perspicuè esse intellecturũ, & ita intellecturum, ut nullis sophismatis, aut tenebris aduersariorũ possis posteà perturbari. Deinde hac re tota bene explorata, & cognita, hortor te, atq; obtestor per Iesum Christum, cuius hic passionis, & mortis, quã tua causa subire uoluit, memoria renouatur, ut hoc Sacramento bene, & piè utaris. Parui enim refert rem istã omnem intellexisse, si uel eam recipere nolis, & negligas, uel ea indignè accipiendo abutaris. Ita enim nobis expetẽda est notitia rerum diuinarum, ut ea, quæ nouimus, possimus uita, & moribus explicare. Vale piè Lector, & Religionẽ Iesu Christi, qua una salus tua uniuersa nititur, non ex inuentis hominum, sed ex uno Verbo dei metire, & retine.

Tiguri. Calend. Martij. Anno 1559.

INDEX RERVM ET VERBORVM INSIGNIORVM, QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

ABbas Tritemius 594
Abrahamus iustificatus est ante sacramenti perceptionem 210
Abstenti 318
Absurda quæ sequuntur ex Papistica sententia de Cœna 653
Absurditatem de multis Christis proferunt Patres 15
Accidens necessario inhæret 352
Accidentis definitio 351
Accidentia non magis sunt capacia Christi & totius diuinitatis quàm cæteræ creaturæ totius trinitatis 187
Accidentia non sunt partes substantiæ 146. 420
Accidentia separabilia & inseperabilia 39
Accidentia sine subiecto 240
Admiratio Patrum non facit ut Christus corporaliter præsens sit 685
Adoratio 670
Adorationem Christus cum sacramento nõ coniunxit 283
Adorationem an in sacramentis percipiendis adhibere liceat 6. 171. 172. 174. 671
Adoratio imaginum improbanda 177
Aduentus Christi duo tantum sunt 24
Agni paschalis caro non erat communis caro 430
Allœosis 598. 599
Alimentum cuipiam legatum, quid significet Iureconsultis 52
Alimentum non est melius re quæ alitur 286
Allegoriæ de Christo & de mysterijs eius diuersam rationem habent 55
Allegoriæ dogma non constituunt 144
Altare 173
Altare quid Patribus significet 522
Altaria in ecclesia Christi non habentur 710
Ambrosij commentaria in epistol. ad Heb, non agnoscit Erasmus 12
Amphoras cur Iudæi in cõuiuijs habuerint 144
Ananias & Saphira morte puniti 664
Anaxagoræ opinio 144
Angeli induerunt corpora humana 250
Angeli non ubiq; 571
Angeli qui à Patribus conspecti sunt 369
Angeli spiritu & mente comedunt non ore 294
Anima humana non potest simul in multis locis agere 571
Annihilatio 368
ἀντίδωρον quid 450
Antiquitas non debet erroribus patrocinari 67
ἀντίτυπον 481
ἀντίτυπα corporis & sanguinis domini sunt panis & uinum 99
ἀντίτυπα uocat Basilius Eucharistiæ partes 5
Apostolatus Christi quid sit 517
Apostoli non sunt ordinati sacerdotes in Cœna domini 207
Apostoli Septuaginta uersionem sæpe sequuntur 425
Apparentia apud Scotum quid 382
Aqua in uinum à Christo uersa 114.
Aquarij 144. 406
Araneus præfocatus in calice 253
Arbitrium non est liberum 732
Arca gloria dei dicitur 723
Argumentũ à negatione sæpe firmum 537
Argumentum uitiosum est ab uniuersali ad singulare affirmando 231
Argumentorum distinctio 385
Arriani 743
Arrianorum dogma 359
Ascensiones nouas quotidie Papistæ faciũt 124.
ἀναξία in ecclesia non est probanda 206
Augustinus Tichonius 597
Augustini ætate Christiana religio erat uulgata 223
Augustini ordinatio 208
Augustini tempore populus non erat rarus in ecclesia 183
Augustino falsò ascriptus liber in Apocalypsim 329
Augustini lib. de Doct. Christiana 597
Augustini enchiridion ad Petrum 74.
Augustini liber de fide ad Petrum 537
Augustini liber de quæst. ueteris & noui Testamenti, suppositicius est 699
Augustini libri retractationum 543
Augustini liber de utilitate pœnitentiæ 701
Augustini non est Sermo de quarta feria 93
Augustini Sermones ad Heremitas spurij 329
ab Authoritate argumentum negatiuũ sæpè ualdè est probabile 537

B

Baptismus Christi spiritum sanctum præsentem habuit 614.
Baptismus & Eucharistia quid differant 545
Baptismus flaminis & sanguinis 210
Baptismus idem habet quod Cœna 606
Baptismus quibus uerbis à Græcis fiat 397
Baptismus 493
Baptismi cæremoniæ 811
Baptismo non mundamur à peccatis quia aqua tingimur 651
Baptismi consecratio 277
Baptismi significatio 220
Baptismi aqua non transubstantiatur 375. 686
Baptismi miracula 687

Baptiſmi aqua non eſt communis aqua 430
Baptiſmo parum tribuunt Papiſtæ 207
in Baptiſmi aqua non eſt condonatio peccatorum 627
in Baptiſmo quare naturæ humanæ Chriſti iungamur 763
in Baptiſmo miracula dicit eſſe Chryſoſtomus 225
in Baptiſmo communionem recipimus carnis Chriſti 149
Baptizatus qui non eſt & credit an ſaluetur 656
Baſilius contra Eunomium 543
Baſilij liturgia 345
Benedicendi aut gratias agendi uerbo nulla ſignificatur mutatio 123
Benedicti exemplum 171
Berengarius dicit in confeſsione ſua panem & uinum eſſe corpus Chriſti 226
Berengarius quid confiteri ſit adactus 226
Berengarij palinodia 103
Bernhardus non eſt puræ doctrinæ 246.348 335.591
Bernhardo falsò aſcribitur ſermo de Cœna domini 15.16.307.592
Berthramus 594
Biblia ſacra humana ratione propriè cognoſci non poſſunt 2
Bonifacius martyr in Concilio Triburienſi 217
Bucerus 623.634
Bulgari quando euangelium receperint 102

C

Canonicorum librorum authoritas 68
Cantuarienſis epiſcopus 142
Capernaitæ qui 48.159.620
Capernaitis conſentiunt aduerſarij 620
Carnem et ſanguinem domini ſuſcipimus corde & ore 118
Carnem Chriſti comedere quid 545
Carnem Chriſti in ſacra Cœna quomodo conſideremus 21
Carnem domini in ſpecie accipere quid 606
Carnem domini inuiſibiliter dandam in ſcripturis non continetur 164
Carnem domini quæ comeditur non eandē eſſe quæ cruci fuit affixa 267
Carnem ſuam nemo edit aut bibit 88
Caro Chriſti à natura diuina ſeiungi non poteſt 61
Caro Chriſti deificata non abiecit naturam carnis 347
Caro Chriſti etiam extra ſacramentum comeditur 157
Caro Chriſti non eſſet ſatis omnibus Chriſtianis ſi corporaliter manducetur 161
Caro Chriſti non unitur ſubſtantialiter cum carne noſtra 287
Caro Chriſti ore corporis non māducatur 160
Caro Chriſti per fidē comeſa quid profit 745
Caro Chriſti quomodo à ſacra Cœna non abſit 222
Caro Chriſti quomodo non profit 587
Caro Chriſti ſi realiter manducetur, neceſſe eſt ut uel cruda uel cocta edatur 161
Caro domini præſens eſt in Cœna per gratiam 175
Caro & ſanguis Chriſti etiam extra communionem eduntur & bibuntur 291
Caro non uiuificat ſimpliciter 477
Caro noſtra quomodo corpus Chriſti dicatur recipere 298
Catechumeni non communicabant 223
Cereos accendere interdiu 170
Chriſma 612
Chriſma admirati ſunt Patres 684
Chriſtus an corruptibilem uel incorruptibilem carnem habuerit cum inſtituit ſacramentū 532
Chriſtus an fores tranſiuerit 42.109
Chriſtus an ſe in Cœna ſacrificarit 460
Chriſtus an ſeipſum comederit 657
Chriſtus bibit fructum uitis 657
Chriſtus bis dedit panem 94
Chriſtus corpus fuit, umbrarum ueteris Teſtamenti 65
Chriſtus cum exiret de monumento an lapidem penetrarit 37
Chriſtus cum tropica utebatur oratione, nō ſem per dicebat figuram in ſuis uerbis eſſe 100
Chriſtus corpus ſuū nō uiſibili ſpecie dedit 107
Chriſtus dicendo hoc eſt corpus meum, non eſt mentitus 59
Chriſtus etiam indignos ſanauit quoad corpus 526
Chriſtus in Cœna docuit modum ſuæ carnis manducandæ 91
Chriſtus in Cœna docuit modum edendæ ſuæ carnis & bibendi ſui ſanguinis 157
Chriſtus in Cœna non immolauit ſeipſum 80
an Chriſtus in Euchariſtiam ueniat, in ea gignatur aut creetur 193
Chriſtus in Cœna teſtamentum non obſignauit ſuo ſanguine 66
Chriſtus neceſſaria creditu explicuit 231
Chriſtus non dixit de ſeipſo quod ſit corpus ſuum 55
Chriſtus non dixit, Ex hoc fit corpus meum 114
Chriſtus non quauis fide comeditur 518
Chriſtus non ſolum in Euchariſtia dat ſuam carnem manducandam 63
Chriſtus nō uenit ut ſeruaret omnes citra diſtinctionem 342
Chriſtus petra dictus 488
Chriſtus poſt aſcenſionem non uerſatur in humilitate diſpenſationis 167
Chriſtus quare adoretur cum reliqui homines non adorentur 187
Chriſtus quoad naturam humanam in mētibus noſtris uerſatur ſpiritualiter non per hypoſtaſin 632
Chriſtus quomodo in nobis habitet corporaliter 752
Chriſtus quomodo nobiſcum ſit uſq; ad conſum-

ſummationem ſæculi 19
Chriſtus reſurrectionem ſuam teſtimonio certiſſimo confirmare uoluit 373
Chriſtus ſi nobiſcum ipſe futurus erat, cur miſit ſpiritum ſanctum? 25
Chriſtus ſi non habuiſſet ueram carnem ex uirgine ſumptam, nemo illam per ſacramentum poſſet comedere 70
Chriſtus ſuæ eccleſiæ præſens eſt 134
Chriſtus tribus modis nobiſcum iungitur 750
Chriſtus ubiq; eſt adorandus 176
Chriſtus uerum corpus habuit 80
Chriſtus uinum nouum quomodo biberit cum Apoſtolis in regno dei 145
Chriſti aduentus duo ſunt 24
Chriſti caro ore corporeo nõ manducatur 160
ad Chriſti corpus dentes non pertingunt 458
Chriſti corpus diuina uoluntate fuit patibile 230
Chriſti corpus non eſt ubiq; 416.571
Chriſti corpus percipiendi duplex uia, per ſacramentum, & citra ſacramentum 190
Chriſti corpus ſi eſt realiter ſub accidentibus panis, Heb. potuiſſent illum edere. 269
Chriſti corpus uerum fide manducamus 63
Chriſti humanitas carnalis eſt, per quem à deo in nos gratia deſcendit 607
Chriſti humanitas eſt medium per quod ſanctificatio ad nos transfunditur 609
Chriſti membra quomodo efficiamur 749
Chriſti multi quare eſſe non poſsint 13
Chriſti ſanguis non eſt cogitandus ut puri hominis ſanguis 76
Chriſti uerbis poteſt nimium tribui 206
Chriſtũ comedere ſpiritualiter, maius eſt quàm ſpiritualiter 57
Chriſtum & diabolum in ſe habere ratione communionis non conuenit 338
Chriſtum non diſſoluimus 209
Chriſtum pauperem quomodo mãducemus in communione 168
Chriſtum ſecũdum carnem quomodo dicamur non noſſe 19
Chriſtianorum Cœna ſacra 428
Chryſoſtomus frequentiam Cœnę dominicæ requiſiuit 325
Chryſoſtomus interdum phraſes uiolentiores habet 241
Chryſoſt. uitæ monaſticæ nimis ſtudioſus 325
Cibus & hoſpes multum differunt 160
Cibi & potus nomine ea deſcribimus quæ ſunt ad uſum uitæ iucundiſsima 563
Circunciſio 713
Clandeſtini Chriſtianorum conuentus ſunt excuſandi 32
Clemens quis fuerit 718
Clementis primi epiſtolæ nothæ 528. 717. 718
Clithoneus aliquot libros Cyrillo adiecit 691
Cœnam non dicimus ſuperuacaneam 733
Cœnæ uerba oſtendunt Chriſtum uerum corpus habuiſſe 76.80
in Cœna ea dicimus & facimus quæ Chriſtus fecit 209
in Cœna eſt figura, qualis 96.598
in Cœna dantur creaturę atq; unà quidpiã quod eis maius eſt 73
in Cœna datur res & figura, ſed diuerſimodè 63
Cœna domini quando dicitur fractio panis 153
κοινωνία 604. 605
Colere an idem ſit quod adorare 174
Collatio ſcripturarum 650
Columnas rudes ueteres erigebant loco ſtatuarum 129
Comedere carnẽ Chriſti per myſteriũ quid 163
Comeſtio corporis Chriſti 533
Cõmunicatio & cõmunio quid interſint 604
Cõmunicatio impiorum cum diabolo 335
Communicatio proprietatum inter ſigna & res ſignificatas 317
Communicantibus & timor & charitas Chriſti debet adeſſe 83
Cõmunicantiũ frequentiã Paulus requirit 190
Communio inter nos & Chriſtum 413
Communionem noſtram cum Chriſto non negamus 60
Concilia interdum errare 384
Concilium Epheſinum 516
Concilium Latronenſe 818
Concilium Florentinum 819
Concilium Nicenum ſub Irene 176
Concilij Epheſini quæſtio 608. epiſtola 609
Concomitantia 165
per Concomitantiã in ſacramentis non ſunt confundenda quæ deus diſtincta uoluit 166
Conficiendi uerbum 356
Coniunctio noſtra cum Chriſto duplex ſecundum carnem 749. 750
Conſecrare quid apud Patres 69. 610
Conſecratio 270
Conſecratio aquæ Baptiſmi 277
Conſecratio & tranſubſtantiatio differunt 112
Conſecrationis uerba 51. 785
Conſecrationis uerba tempore Cypriani non tantum quinq; fuiſſe 273
Conſecrationis uis unde pendeat 378
Conſecratur aqua Baptiſmi 112
Conſenſus Papiſtarum 278
Conſtantinus Epiſcopus conſtantiæ 176
Contractus ſacramenti 119
Continere & exhibere quid 546
Contineri & comprehendi non differunt quoad negotium Euchariſt. 226
Contradictoria de eodem ac eodẽ reſpectu non ſunt uera 22
Controuerſiæ inter nos & Papiſtas ſtatus 85
Conſuetudo non patrocinatur erroribus 67
Conuerſio 109. 611
Corpora duo eſſe in eodem loco, & unum corpus in pluribus locis eſſe, æquè abſurdum eſt 37. 393
Corporaliter 748. 752
Corpora noſtra cum ſint ſolida, non nutriuntur accidentibus 252

Corpora tolluntur, si locus eorum tollatur 260
Corpus in uerbis domini non dicimus significare figuram 80
Corpus non potest adesse præsens absq; loco 30
Corpus quod creditur & quod sumitur de altari non est idem 479
Corporis Christi aditus ad animum non est per os & dentes corporis 566
Corporis Christi descensus ad sacra mysteria 5
Corporis Christi promissio & exhibitio quæ 647
Corpori Christi locum assignant Patres 23
Creari non dicuntur quæ existunt 467
Creator noster fide ubiq; uideri potest 185
Creaturæ deus non communicauit omnes suas proprietates 478
Credendis in rebus an deus uelit falli sensum 248
Corpus domini illis non est inutile, qui realiter non percipiunt 214
Corpus & sanguis Christi gratia quædam Symbolorum dicuntur 97
Corpus & sanguis Christi naturalis non potest nostra corpora propriè nutrire 426
Corpus extra locum constitui non potest 552
Corpus humanum absq; cibo sustẽtari potest diuina potentia 39
Corpus humanum eodem tempore non est in multis locis 2
Corpus humanum simul non potest in multis locis esse 29
Corpus idem non potest simul esse in pluribus locis 393
Corpus Christi quomodo è cœlo dicatur descẽdisse 155
Corpus Christi quomodo detur in sacramẽto 81
Corpus Christi quomodo dici possit creari, sanctificari & benedici 274
Corpus Christi quomodo sanctificatum dicatur 277
Corpus Christi quo sensu aliquo modo ubiq; esse dicatur 13
Corpus Christi sensus nullo modo attingit 92
Corpus Christi ut non potest esse ubiq;, ita non potest simul esse in multis locis 28
Corpus Christi in sacramento comedi quid 562
Corpus Christi non digeritur in corpore manducantium 470
Corpus Christi non est ubiq; 416
Corpus Christi non in omni parte scripturæ licet spiritualiter edere 304
Corpus Christi non potest esse materia sacramenti si cũ pane uel accidentibus conferatur 418
Corpus Christi non potest in sacramento incipere adesse, nisi eò ueniat 23
Corpus Christi nostrum corpus sanctificare dicitur 287
Corpus Christi prædicari de pane 654
Corpus Christi qua necessitate in cœlo continea tur 552
Corp. Christi quomodo corruptibile fuerit 242
Corpus Christi an auolet ubi os peccatoris attigerit 337
Corpus Christi an sit in cœlo spiritualiter an corporaliter 634
Corpus Christi à nobis per fidem & spiritu sumitur 60. 51
Corpus Christi à sacrificulo sacrificari non potest 274
Corpus Christi de ipso pane prædicatur 465
Corpus Christi de pane prædicatur, sed nõ identicè 130
Corpus Christi frangi in mysterio quid 155
Credendum nihil obtrudatur, quod non est in sacris literis 224
Cyprianus non est author expositionis Orationis Dominicæ 455
Cypriani non est liber de duplici martyrio 302

D

Damascenus non puræ doctrinæ 245. 347. 482
Danielis postrema pars 40
Decretales epistolæ quædam quo loco habendæ 446
Deus multa potest facere contra consuetum naturæ ordinem 29
Deus non circumscribitur loco, tamen est in omni loco 477
Dei maiestas omnia implet 319
Descensus Christi ad mysteria sacra 5
Diabolus impiorum cibus quomodo 336
Diaconi 207
Dialecticæ iustũ usum nõ damnarũt Patres 377
Dignè manducare 305
Dijudicare corpus Christi quid 152
Discrimen utriusq; Testamenti 221
Distinctio iusta quæ requirat 361
Disparata quæ sint apud dialecticos 45
Disputando falsa colligere non licet 544
Disputando falsa non sunt dicenda, ut ueritas cõ firmetur 132
Diuidi, bibi, mãducari & frangi corpori Christi non propriè conueniunt 142
Diuina natura rebus omnibus adest, quocunq; in statu uersentur 187
Diuinitas Christi probatur 743
Diuinitas ipsa si corpus esset, non esset tota simul in locis pluribus 17
Diuinis literis quàm maximè uacandum 382
Dogmatum certitudo non dependet ab authoritate hominum etiam uetustissimorum 67

E

Ecclesia non est quæ è scripturis sua dogmata nõ potest probare 407
Ecclesia nostra sacerdote non est destituta 710
ab Ecclesia qui discedant 671
Ecclesiæ corruptio 708
Ecclesię ministri quomodo dicãtur corpus Christi conficere 357
Ecclesiæ sensus è scripturis eliciendus, non è diuerso 652
Ecclesiam an errare sinat deus 707
ἐπαναφόρικα 182

Ele-

Elementa in corpus & sanguinem Christi conuerti quid sit 97
Emissenus 174
Enoch an mortuus 38
Ephesinum Concilium 516
Ephesina Synodus 608
Epicurus Solem bipedalem esse dixit 370
Episcopus & presbyter distinguuntur 208
Erasmus 12
Esca quæ neq; dẽtibus cõmolitur, nec deglutitur faucibus, nõ dicitur propriè maducari 160
Est 658
Ethnici putarunt Christianos in Cœna domini reipsa carnes humanas comedere 71
Euangelij Ioannis de collo suspensio 206
Eutyches 779
Eutyches quid senserit 575
Eutyches coniuratus & frater aduersariorum 584
Eutychiani qui 607
Euangelium pœnas à maleficis non aufert 664
Eucharistia dici potest sanctum sanctorum 796
Eucharistia quomodo sit medicamentum & holocaustum 78.273
Eucharistia quomodo Chrysostomo sacrificiũ dicatur 13
Eucharistia quomodo duabus rebus constet 222 386.436
Eucharistia quæ significet 2
Eucharistia fidem confirmat 749
Eucharistia antiquitus magna simplicitate tractabatur 197
Eucharistia olim data infantibus 171
Eucharistia priuata 711
Eucharistia nutrit corpora nostra ad resurrectionem 426
Eucharistia moribundis data 220
Eucharistia facit ad totius hominis uitam & salutem 78
Eucharistia diuinitatis Christi testis 670
Eucharistia & uerbum dei æquantur dignitate 549
Eucharistia sacramentum est non tantum corporis Christi 430
Eucharistia sæpè signum appellatur à Patribus 445
in Eucharistia quid edamus 469
in Eucharistia quomodo cibum incorruptibilẽ habeamus 606
in Eucharistia quæ animalis homo non percipiat 236
ab Eucharistia probatur ueritas corporis carnis & sanguinis Christi 88
Eucharistia dicitur redemptionis oblatio 175
in Eucharistia mutatur natura panis 739
in Eucharistia siccũ & humidum alimentũ 428
Eucharistiæ usus 459.610.747
Eucharistiæ alimoniam aduersarius non sentit spiritualem 601
Eucharistiæ ex uerbo dei aqua non additur 431
Eucharistiæ reliquias ueteres comburebant 254
Eucharistiæ alimonia quomodo spiritualis 602
Eucharistiæ differentia unde petenda ab alijs sacramentis 614
Eucharistiæ simplex tractatio apud ueteres 119
Eucharistiæ reliquiæ combustæ 524. 722
Eucharistiæ usus est etiam in memoriã Christi, non tantum mortis eius 148
Eucharistiæ Scholasticorum definitio 593
Eucharistiam quomodo ueteres tractarint 51
Eucharistiam esse in cœlo Papistis 203
Eucharistiam domi in arculis seruarunt 171
Eucharistiam percipere non est fœlicitas summa 229
Eucharistiam manibus pertractare prohibent pontificij contra Chrysostomi sententiam 8
Exhibendi uerbum 359

F

Farina est nobilior accidentibus 465
in Ferro candenti est binarium naturarum 108
Fides dicitur substantia 520
Fides est in animo, non in corpore, non in ore 164
Fides & corpus Christi non exhibentur propriè à sacramentis, sed à spiritu Christi 548
Fides non est credulitas absq; uerbo dei 292
Fides omnem notitiam superat 633
Fides quid in Eucharistia spectet 238
Fides uera non est simplex notitia 339
Fidei efficacia 619
Fidei uis tam fertur in absentia, quàm in præsentia 9
Fidem ab operibus non diuidimus 210
Fide destituti obicem ponunt gratiæ 703
Fide præditus licet baptizatus non sit, iustificatus est 645
Fieri quid Papistis 357
Figura est ex relatiuorum genere 237
Figura propriè non opponitur ueritati, aut præsentiæ rei 805
de Figura sæpè dicitur quod propriè rei conuenit 758
Figura similitudinem habet cum re figurata 488
Figuræ multæ & significatum unum 15
Figuræ quomodo testamentum confirment 66
Figuræ sunt nostra sacramenta 347
Figuram agnoscunt Patres in Eucharistia 82.95
Figuram esse in sacramento Cœnæ 96
Figuram oportet notiorem esse quàm rem significatam 148
Figuram qualem Gardinerus admittat 445
Figuram qualem ponamus 809
Figuram qui negant ex Patribus quò tendant 97
Figuras ueterum uappas dicere est blasphemia 57
à Figuris nondum liberati sumus 66
Figuratores 3.14.95.50.77
Forma non perdit materiam 351
Formæ in materia & absq; materia inter se plurimum distant 421

Formæ munus 418
Fractus quomodo sit Christus in passione 94

G

Gardinerus adiutus est ab alijs in scripto suo 105 326
Gardinerus ad tempus hostis Papæ 382
Gardinerus aliorum uersiones suggillat 69
Gardinerus apostata, transfuga, periurus 645
Gardinerus argumenta aut lacerat, aut ineptè recitat, aut eadem sæpius repetit 133
Gardinerus cupidus precioſæ suppellectilis 217
Gardinerus fit episcopus 208
Gardinerus hostis fidei 330
Gardinerus ineptus dialecticus 370
Gardinerus inscripsit libro suo nomen alienum 105
Gardinerus inuehitur in Petrum Martyrem 595
Gardinerus Missam celebrauit nondum reconciliatus Papæ 318
Gardinerus obscurus 26
Gardinerus qualem se Romæ gesserit 298. 998
Gardinerus reliquit prædicationem uerbi 718
Gardinerus Romanã ecclesiam impugnauit 818
Gardinerus sanctos occidit 254
Gardinerus se Constantium nominat 44
Gardineri crudelitas 625
Gardineri inconstantia 105. 359. 600
Gardineri libellus de uera obedientia 105. 622
Gardineri liber contra diabolicam sophisticen 44
Gardineri obitus 143
Gardineri uita 210
Gelenius 426
Glossa Decretorum 549
Gorgonia an adorarit sacramentũ 172. 173
Gregorius Ro. qualis fuerit 333
Gula 601

H

Hæretici cur Hieronymo dicantur nõ comedere carnem Christi 513
Hæretici habent sacramenta, si faciant quæ dominus dixit & instituit 512
Hæretici si scripturis agatur consisterere non possunt 1
Helias 9
Helias an uiuat 37
Hieronymi commentaria in Psalmos notha sunt 326
Hilarij plures fuerunt 478
Hippocrates de experientia 258
Hoc panem demonstrare 112. 119
Holocaustum dicitur Eucharistia 78
Homeri catalogus nauium 102
Homo interior & exterior 315
Homousion 384
Hostiæ quæ à Christo patri offerantur 484
Hypostasis nõ pertinet ad naturæ perfectionem 503

I

Ideæ Platonicæ 40. 353
Idiomatum communicatio 637
Imaginatio non facit rem præsentem 442
Imaginum adoratio detestanda 177
Immolationis faciunt Patres mentionem in Eucharistia 677
Impanatio 368. 401
Impij non totum sacramentum percipiunt 535
Impij an uerum corpus Christi accipiant 314. 315. 317. 450. 452. 455. 539
Impij carent interiore homine 315
Impij non possunt corpus Christi spiritualiter comedere 540
Incantatoria uerba 380
Incarnationis & Eucharistiæ mysteria inter se cõferuntur 746
Indiuiduum uagum 44. 84
Indiuiduum uagum cõcipi mente potest, sed manu teneri non potest 107
Indiuidui uagi author Scotus 2106
Infantibus cur data Eucharistia 94
Innocentius 378. 384.
ad Inuocationem Christi in spiritu non est opus reali præsentia 189
Interpretandi nouum genus & portentosum 125
Interpretari locum, non est eum uiolare 201
Inuisibile in Cœna esse corpus omnes Scholastici tradunt 779
Ioannes Cœnæ non meminit 308
Ioci qui rebus non conueniant 359
Irenæus testatur panem & uinũ offerri deo 234.
Iudas conuiua domini 798
Iudas dicitur diabolus 799
Iudas interfuit Cœnæ 535
Iudas symbola sacra comedit 340
Iudæi antiquitus spiritum nonnisi per carnem Christi habuerunt 706
Iustinus martyr 36

L

Labeones 653
Lapis dicitur Christus 715
Lateranense Concilium 384. 818
Latina lingua cur Papistæ utantur 121
Lingua non est magis digna quæ tangat Eucharistiam quàm manus 119
Lingua peregrina in Cœna 79
Liturgia Basilij & Chrysostomi 3
Locus corporis Christi 23. 552
Lotiones in ueteri Testamento 399
Luminum usus in Ecclesia unde 171
Lutherani 412. 642. 667. 675
Lutherani crassi 668
Lutherus 401

M

Mali non manducant Christi corpus, secundum Origenem 450
Manducare corpus Christi, & in eo manere conuertuntur 118
Mãducatio carnis Christi nequit exitiosa esse 342
Manducatio duplex 302

Manducatio uera corporis Christi nõ potest esse nisi metaphorica 300
Manducationem fide constare ex Christi uerbis probatur 518
Manducationes corporis Christi duæ tantum sunt apud Augustinum 118
Manducationes tres 307
Marcionitarum hæresis fundamentum 370
Marcus Antonius 649
Martion 438
Martyris studium in scribendo 105
Materia 426
Materia superatur dignitate à forma 350
Matrimonij & cibi usus in futura uita auferetur 289
Maximinus Arrianus author operis imperfecti in Matthæum 500
Melanchthon 768
Melchisedech an deo panem & uinum obtulerit 75. 273. 682.
Melchisedech typus Christi 78
Memoria excitatur ex sensibilibus 655
Memoria opponitur præsentiæ à Bernhard. 17
Mendacia non pertinent ad fidem 339
Mendacia non sunt dicenda ut ueritas confirmetur 132
Mensa sancta 722
Mentes eleuandæ ad cœlos 463
Mente non licet simul in cœlis & in tetris agere 508
Ministrorũ Christi est Euangeliũ prædicare 209
Miraculum quid apud patres interdum 344
Miraculum quid interdum dicatur, sed impropriè 225
Miracula Christi non negamus 371
Miracula circa Eucharistiam 687
Miracula contra doctrinæ ueritatem nihil ualent 688
Miracula debent esse manifesta 232
Miracula non eduntur à Deo ut obscura iaceant 224
Miracula prophetarum non sunt humana benedictione facta 276
Miracula quæ in Eucharistia cõcedi possint 225
Miracula quæ in Eucharistia apparuerunt 439
Miraculis Papistarum diluuntur omnes demonstrationes 256
in Missa Papistica non est cœna Domini 195
Missa Papistica non potest dici cœna 402
Missæ abusus 195
Missæ uocabulum unde 195
Mixtio siccorum & liquidorum 124
Modistæ sunt nostri aduersarij 3. 204
Modus mysterij est significatio 163
de Modo contenditur non de re 81
Musitatio in Missa 79
Mutamur non minus in Christum, quàm externa symbola 764
Mutantur magis pij in Christum, quàm panis in corpus Christi 410
Mutari sacramentaliter quid 612
Mutatio in sacramento 61. 109. 613. 614. 615. 616
Mutatio nostra spiritualis quæ 763
Mutatio sacramentalis 101. 103. 104. 271. 273. 613
Mutationem duplicem symbola patiuntur, physicam & sacramentalem 70. 391. 464
Mysterij apud patres duplex significatio 243
Mysterij conditio est ut significet 31

N.

Natura diuina non comeditur 639
Natura diuina salutis nostræ fons 609
Natura humana in Christo est perfecta 503
Natura interdum significat conditionem 235
Natura quid significet 343
Naturalium legum distinctio 43
Naturaliter 746
Necessarium quid 39
Nestorius non posuit confusionem duarum naturarum in Christo, sed eas potius nimium distraxit 514
Nestorij dogma 514. 515. 516. 518
Noua non est nostra doctrina 33
Nuda signa non ponimus 569

O.

Oblatio Christi sacra cœna appellatur 345
Oblatio corporis Christi qd patrib. significet 10
Oblatio ecclesiæ quibus ex rebus antiquitus constiterit 345
Oblatio in pane & uino 73
Oblatio nostra quomodo noua sit 73
Oblatio nostra in Eucharistia quæ sit 428
Oculis fidei corpus Christi cõtemplamur in cœna 175
Odium dei non fertur in naturam sed uitiũ 343
Oecolampadius 105. 514. 519. 600. 668. 807. 808. 816
Oecolamp. defensus contra Gardinerum 469
Oleum sanctum 612
Omnipotentia dei 680
Omnipotentia dei requiritur in sacramentis 235
Omnipotentiæ dei nihil detrahit quod multa fieri ab ipso non possunt 29
Omnipotentiam dei non negamus 420
Operatorius sermo 50
Opus operatum 311
Origenis comment. in Psal. 483
Os nostrum corporis non potest habere actionem spiritualem 160

P.

Palæstini percussi ob typum male tractatũ 663
Pandora Gardineri 102
Paneitas 279
Panis cum corpore Christi in cœna nobis datur 122
Panis Eucharistiæ suo modo corpus Christi dicitur 565
Panis & uinum etiam apud ueteres erant symbola Christi 58
Panis & uinum aliter apud ueteres, aliter nunc figuræ Christi fuerunt 58
Panis & uinum ante consecrationem dicuntur sacrificium in liturgijs 5

Panis & uinũ in uim corporis & sanguinis Christi conuertuntur 103
Panis Eucharistiæ antiquitus fuit cõmunis 345
Panis ἐπιούσιος 159
Panis est corpus Christi quodam modo 90
Panis in oratione dominica quid significet 681
Panis in ecclesia olim catechumenis datus 450
Panis in transubstantiatione annihilatur 368
Panis non potest esse forma sacramenti 418
Panis non est capax sanctitatis corporis Christi 272
Panis natura non dicitur inuisibilis 616
Panis omne genus cibi Heb. significat 151
Panis oportet ut dicatur in transubstantiatione annihilari 111
Panis quid 659
Panis quando sacramentum esse incipiat 126
Panis quandoque corpus Christi, quandoque ipsum panem significat 557
Panis quando panis esse desinat 108
Panis species quomodo in Eucharistia mutentur 346
Panis substantia recedente num pereat 111
Pani quæ acciderint in sacra cœna 122
Panẽ cõmunẽ non ponimus in Eucharistia 100
inter Panem & corpus Christi similitudo & analogia iusta intercedit 130
Panem in Eucharistia patres agnouerunt 773
à Pane Eucharistico non omnis aufertur sanctitas 277
Panes propositionis 682. 787
Panes propositionis typi Eucharistiæ 399
Panes propositionis non ad id facti erant ut per se ederentur 536
In panibus propositionis Dauid Christi corpus comedit 926
Papistæ abstulerunt quæ Apostoli in Eucharistia constituerant 33
Papistæ ab Eutychianis parum aut nihil uidentur distare 234
Papistæ Christum sua gloria spoliant 169
Papistæ cur definiunt si res est ineffabilis 193
Papistæ discedunt à sensu horũ uerborum, Hoc est corpus meum, dum ibi per concomitantiam corpus affigunt 166
Papistæ duo sacrificia Christi constituunt 81
Papistæ faciunt de Eucharistia quod Deus non instituit 182
Papistæ multa fingunt in cœna 409
Papistarum abusus in cœna 209
Papistarum commenta in cœna 366. 367
Papistarum mos in die parasceues 176
Papistarum omnia sunt occulta in Eucharistiæ mysterio 649
Participatio quam habemus ex corpore Christi 747
Passionis prędicatores 176
Patres qui comederunt manna in fide non moriebantur 495
Patres deuiant sæpe à iusto sensu literæ 577
Patres eandem escam nobiscum carnaliter comederunt 85
Patres figuram agnoscunt in Eucharistia 95
Patres multa hyperbolice loquuntur 685
Patres non recipiendi desertis scripturis 1
Patres posteriores minus prudẽter loquuti sunt 97
Patres qui negant in sacramento figuram quid uelint 97
Patres quis afficiat contumelia 624
Patres quid obseruent in collatione sacramentorum ueterum & nouorum 697
Patres quomodo legendi 543
Patres sua scripta non æquiparant ad sacras scripturas 225
Patres sæpe occasionem dederunt erroribus improprijs loquendi formis quibus usi sunt 356
Patres ubi de aliqua ueritate consulendi 541
Patrum consensus 67
Patrum hyperbolicæ formæ loquendi 97
Patrum loca uiolentiora de sacramentis 591
De patrũ sententia quomodo sit iudicandũ 101
Patribus non statim in omnibus credendũ 171
Peccata non ita pendent à diabolo ut à Christo bona nostra opera 336
Peccata uenialia 312
Peccatorũ condonatio statim sequitur fidem 312
Peccatorum stipendium est mors, siue fuerint uenialia siue mortalia 312
Peregrinæ uoces in rebus diuinis sunt repudiandæ 167
Pernicies unde dicatur 665
Pertinacia iudicium aufert 385
Petra Christus dicitur 715
Petra percussa in deserto Christum adumbrabat 488
Petrus quomodo super aquas ambulauerit 42
Phantasma seu fictio nullam sui figuram admittit 70
Philippus Montanus 808
Potentia dei reddimur digni perceptione corporis Christi 15
Potentia dei ad ea non extenditur quæ contradictionem implicant 34
Deus ubique 34
Potentia dei 35
Potentia dei patrona absurdorum 99. 583
Portenta multa fingunt Papistæ in cœna 441
Potentiæ diuinæ scuto Papistæ sua mendacia tegunt 167
Præceptũ de cibis mundis & immundis 352
Preces etiam incredulis prosunt 714
Presbyter 215
Presbyterum Papistæ fieri nolunt qui antea diaconus non fuerit 108
Prædestinatio caput nostræ salutis 208
Præsentia Christi quæ concedatur in cœna 738
20. 553 8.
Præsentia carnis Christus non est hic 21
Præsentia Christi in ecclesia 134
Præsentia Christi in cœlis qualis 497
Præsentia Christi duplex 529

Præsentia corporis ad perceptionem mentis & fidei non requiritur 89
Præsentia etiã non realiter, offerri possunt 618
Præsentia non colligitur ex memoria 22
Præsentia real. carnis domini non est necessaria ut nos nutriat 149
Præsentia spiritualis & corporalis 213
Præsentiæ Christi quatuor finguntur 556
Præsentiæ Christi modum definiunt Papistæ 191
Præsenitę mysteriũ est inexplicabile, hoc est non potest ostendi & explicari scripturis 193
Præsentiam realem cur negemus 712
Præsens aliquid dici potest quod substantialiter non adest 633
Præsens & uerum non sunt idem 497
Præstigiatores Gardinerus cum suis dici potest 14
Primogenitis duplex hęreditatis portio cessit 218
Prius an absque posteriore consistat 39
Priuata interpretatio quæ 381
Probatio sui non debet impedire communionem 189
Promissiones quæ ad Eucharistiam pertineant 711
Prophetæ multa falsa dixerunt in idola 362
πρόσκαιροι 141
Puero data in manus Eucharistia 119
Pueri etsi non sacramentum accipiant non damnandi 699
Pyxides sacramentales 553. 556

Q.

Quærere an liceat, Quomodo 43
Quomodo, interrogarunt etiam patres cum hæreticis disputando 160

R.

Regula quid 595
Regula iuris quid 596
Relatio constat fundamento & termino 627
Relatiua absque mutua notitia non intelliguntur 2
Relatiuorum natura 386
Reliquiæ Eucharistiæ non sunt sacramenta Eucharistiæ 396
Reliquiæ non tenent naturam rei, cuius reliquiæ sunt 396
Reliquię sacramentorũ pueris olim cõmissę 396
Repręsentare quid 442
Res quę significat, solet eius rei quę significatur nomine appellari 715.716
Res quomodo à se inuicem separentur 40
Resurrectio Christi probata est sensibus 374
Ritus ueterũ Sacramẽta nostra adumbrasse 399.

S.

Sacerdotem non agnoscunt Papistę, nisi qui conficere possit Eucharistiam 207
Sacerdotes nõ appellam⁹ nostros ministros 710
Sacerdotes plures non sunt in Euangelio, si proprie loquamur 208
Sacerdotij functio propria, non est administratio sacramenti 209
Sacrę literæ continent quę sunt credenda 256
Sacræ literæ continent uitam æternam 625
Sacris literis quantum honorem Augustinus deferat 68
Sacramentalis mutatio mysteriorum 602
Sacramentalis panis potest appellari panis cœlestis 486
Sacramentaria pugna 668
Sacramentarij 222.406
Sacramenta Apostoli non adorarunt 284
Sacramentalis mutatio est supra naturam 101
ad Sacramentum conficiendum tria requirunt Papistæ 207
Sacramentum cuius generis relatio sit 387
Sacramentum dicitur Oblatio 175
Sacramentum est tantum in usu 491
Sacramentum Eucharistiæ ac uerbum dei comparantur 447
Sacramentum Eucharistiæ corpus Christi esse concedimus 418
Sacramentum Eucharistiæ imago Christi 586
Sacramentum est typus, symbolum, figura, signum 204.205
Sacramentum integrum duabus partibus constans fidelibus datur 106.316
Sacramentum ne dici possit symbolum externum 741
Sacramentum nobis porrigi manu Christi non simpliciter uerum 776
Sacramentum non est adorandum 794
Sacramentum non est Chrisma 684
Sacramentum ostendit Christum ueram habuisse carnem 670
Sacramentum passionis Christi 297
Sacramentum potest etiam dici precium nostrum 327
Sacramentum prodest tantum accipienti 215
Sacramentum propriè non fit ui uerborum 785
Sacramentum quomodo efficiant uerba dei 379
Sacramentum tractatur manibus 509
Sacramentum unumquodq; propriã habet materiam 397
Sacramenti cuiusq; ueritas quæ 562
Sacramenti dignitas 236
Sacramenti effecta 733
Sacramenti partes, res terrena & cœlestis 222
Sacramenti rationem ab Eucharistia tollunt aduersarij 622
Sacramenti rationem sensus non attingit 241
Sacramenti ratio res est inuisibilis, spiritualis & intelligibilis 485
Sacramẽti res à nemine accipitur ad exitium 331
Sacramenti substantiam malis dari 797
Sacramẽti symbola analogiã & uim significãdi num maiorem habeant antequã consecrãtur, quàm postquã facta sunt mysteria 404.405
Sacramenti ueritatem non negamus 551
Sacramenti uox 537 (bamus 738
Sacramenti usu augetur gratia, quam prius habe
in Sacramento etiam mysticum corpus continetur, non tamen significatur 624
Sacramento non tribuimus uim seruandi 213

Sacramento quæ accedant 615
Sacramento qui contumeliam faciunt puniuntur 323
Sacramenta ad coniunctionẽ noſtram cum Chriſto ſpectant 686
Sacramenta diuinitus inſtituta ueritatem habent 547
Sacramenta etiam ueterum non fuerunt nudæ figuræ 400
Sacramenta fuerunt in Eccleſia notiſsima 120
Sacramenta frugalius adminiſtrata ſunt melioribus temporibus 217
Sacramẽta homines inſtituere non poſſunt 670
Sacramenta inutilia ſine doctrina 209
Sacramenta non habent momentum maximum ad ſalutem conſequendam 229
Sacramenta non niſi iis danda quos ad Chriſtũ pertinere credimus 738
Sacramenta non ponimus nuda ſigna 252
Sacramenta non recipimus quæ non habent conIuncta uerba dei 618
Sacramenta nomen accipiunt rerum ſignificatarum 121
Sacramenta noſtra dicuntur imagines 497
Sacramenta noſtra præſtantiora ueteribus 497
Sacramenta pro alijs percipere non licet 215
Sacramẽta quõdo noſtra dicãtur munitio 731
Sacramenta quomodo ſanctificent 453
Sacramenta quomodo uim uitæ habere dicantur 522
Sacramenta rationem habent cauſæ inſtrumentalis 548
Sacramenta ſuis limitibus diſtinguuntur 375
Sacramenta ſunt figuræ 791
Sacramenta ſunt ſimilitudines & ſignacula rerum diuinarum 569
Sacramenta uerba uiſibilia 196.386
Sacramenta ueterum cur non appellata ſint corpus & ſanguis Chriſti 331
Sacramenta ueterum eadem cum noſtris 699
Sacramenta ueterum inferiora noſtris 400
Sacramenta ueterum quid à noſtris differant 74. 547
Sacramenta ueterum umbrę fuerunt noſtrorum ſacramentorum 428
Sacramenta ueteris Teſtamenti non fuerunt rebus ipſis prorſus uacua 482
Sacramentorum figura ratione non poteſt comprehendi 2
Sacramentorum fruſtula circumferre non debemus 172.173
Sacramentorum figura 567. 651
Sacramenta non ſunt latibula rerum ſignificatarum 200
Sacramentorum notitia quæ requirat. 2
Sacramẽtorum nouorum abuſus grauior quàm ueterum 331
Sacramentorum proprietates aſcribuntur rebus ipſis 274
Sacramentorum omnium norma una eſt in genere, diuerſa in ſpecie 547
Sacramentorũ ratio cur explicari nequeat 499
Sacramentorum ueterũ cũ noſtris collatio 399
Sacramentorũ ueterum & nouorũ diſcrimẽ 221
Sacramentum res fuit nota uetuſtis 367
Sacramẽtorũ ſignificatio cur efficax dicatur 682
Sacramentorũ ueteris & noui Teſtamenti diſcrimen 309. 694
Sacramentorum uſu fidem augeri 817
Sacramentis dei non alligata gratia 699
Sacramentis gratia prius habita cõfirmatur 638
In ſacramentis mandatum dei requiritur 206
Sacramentis non eſt alligata gratia 656
abſq; Sacramentis quiſpiam ſeruari poteſt 210
in Sacramentis quomodo Chriſtus contemnatur 324
Sacramentis quomodo interdum magna effecta tribuantur 723
an Sacrificarit ſeipſum Chriſtus in cœna 652
Sacrificia Chriſti duo conſtituunt Papiſtæ 81
Sacrificia multa ponũt Papiſtæ in euchariſtia 14
Sacrificio iuſto non deſtituitur eccleſia 194
Sacrificiorum tria genera 194
Sacrificiorum ſignificatio 221
Sacrificijs condonatio peccatorũ tribuitur 765
per Sacrificium corporis Chriſti quid patres intelligant 10
Sacrificium dicitur ſacra communio 677
Sacrificium Miſſæ 75
Sacrificium non ſanctificat offerentẽ, ſed è diuerſo fit 75
Sacrificarit ne ſe Chriſtus in cœna 460
Sacrificium quodnam corporis domini in cœna habeamus 817
Sacrificium quodnam in cœna dari poſsit 402
Sacrificium ſymbola dici poſſunt 760
Sanctificamur carne Chriſti 722
Sanctificatio panis & uini quæ ſit 240
Sanctificatio unde 417
Sanctificatum quomodo dicatur corpus Chriſti 277
Sanctitas à mente ad corpus tranſmittitur 191
Sanguinẽ Chriſti exhauriri non poſſe, quomodo intelligendum 461
Sanguinem illum ipſum qui pro nobis in carne fuſus eſt in cœna bibimus ſed ſpiritualiter 87
Sanguinem Chriſti quomodo bibamus 97
Sanguis domini quomodo ſit in calice 98
Sanguis Chriſti quõmodo fuerit in pateris Moſaicis 98
Satyri exemplum 170
Satyri factum non laudandum 291
Scholaſtici Papæ adulati ſunt poſt Berengarium 113
Scientia & ignorantia demonſtrantis, naturam demonſtratæ rei non mutat 119
Scortationem ethnici non putabant peccatum eſſe 183
Scotus 350
Scotus Papis adulatus eſt 383
Scotus an primum locum habeat inter ſcholaſticos 381

Scotus induidui uagi pater 106
Scripturæ cur de laicorum manibus excutiantur 121
Scripturas interpretandi ſpiritus non alligatur cathedris 680
Scripturis deſertis non eſt recurrendum ad patres 1
Scripturis ſi agatur hæretici non poſſunt conſiſtere 1
Secta à quibuſdam dicebatur religio Chriſtiana 665
Sedere in gloria quid 168
Senſibiliter 299
Senſibiliter nihil fit quod non ſentiatur 299
Senſus ad intelligentiam ſacramenti non pertingit 87
Senſus mutuo ſeſe iuuant & corrigunt 250
Senſus propoſitionis, Hoc eſt corpus meum 48
Senſus ſcripturæ uarij 112
Senſuum fides ſi tollatur, nihil certi erit in rebus humanis 250
Septuaginta uerſionem uſurpant Apoſtoli 425
Sermo dei aut indicans eſt aut operatorius 50
Signum appellatur Euchariſtia 445
Signa appellantur nomine rerum ſignatarum 59
Signa dicuntur continere ſignificata 243
Signa eſſe panem & uinum in cœna 95
Signa & ſignata coniunguntur inter ſe relatione 642
Signa inania non facimus 100
Signa pro rebus accipere eſt peruerſiſſimum 189
Signa Sacramentalia ſignis uulgaribus præſtant 89
Signa unde habeant ſuam ſpeciem 615
Significandi uerbo cur Chriſtus in cœna non ſit uſus 706
Signis illata iniuria redundat in rem ſignificatam 761
Similitudo rei abſentis 86
Simon Iudas nunquam credidit 341
Smythçus rabula Oxonienſis 64
Smythæi recantatio 81
Socratis preces 681
Sol & cœlum dicuntur nobis interdiu præſentia etſi longiſsimè diſtent 632
Sophiſtarum artificium 213
Species ſeu forma non tantum ſignificat compoſiti alteram partem ſed totum 616
Speciem utranque accipientes, ſecundum papiſticam doctrinam bis accipiunt corpus Chriſti 205
Speculum refert abſentia 630
Spiritus dei iuxta Papiſtas cum ſacris literis pugnat 33
Spiritus noſter quomodo diuinæ naturæ particeps efficiatur 305
Spiritus ſanctus cur bis datus fuerit 25
Spiritus S. quomodo contriſtetur 316
Spiritus ſancti inſtinctus natura prior fide, tempore autem ſimul 315
Spiritus ſancti miſsio non excludit ſpiritualem præſentiam corporis Chriſti 27
Spiritus ſancti uis non cohæret ſacramentis, ut naturales qualitates ſuis ſubſtantijs 614
Spiritu quomodo multa nobis ſint præſentia 626
Spiritualis & corporalis manducatio multum inter ſe diſtant 161
Spiritualis eſt manducatio corporis Chriſti 608
Spiritualis manducationis ratio 730
Spiritualis præſentia Chriſti in cœna 222
Spiritualiter 629
Spiritualiter Chriſtũ comedere maius eſt, quàm carnaliter 57
Statuarum adoratio 177
Stoici 420
Subdiaconi 207
Subſtantia Chriſti quomodo nobis detur 737
Subſtantia corporea non poteſt non eſſe quanta 39
Subſtantia omnis non poteſt à quouis accidentis genere ſeparari 39
Subſtantia quomodo prior accidentibus 39
Subſtantiæ ſunt ſenſibiles 107
Superſtitio eſt credulitas uerbo dei deſtituta 292
Superſtitiones in Miſſa 170
Surſum corda 195. 406. 463. 777
Symbola noſtra non ſunt muta 649
Symbolo nomen rei attribuitur 216
Symbola cur ſint addita 94. 683
Symbola in nouo Teſtamento cur uariata ſint 65
Symbola idẽ ſunt quò ad ſubſtantiam poſt conſecrationem quod fuerunt antea 594
Symbola non magis quàm uerba Chriſtũ præſentem faciunt 446
Symbola non ſunt dicenda inutilia 451
Symbola non tantum ſigna ſunt ſed etiam inſtrumenta ſpiritus ſancti 82
Symbola quatenus attendenda, & quatenus relinquenda 197
Symbola quomodo in diuinam ſubſtantiã tranſeant 390
Symbola quomodo ſint corpus Chriſti 485
Symbola uerbo dei adiecta magis mouent 649
Symbola ut inſtituta ſunt à Chriſto dulciſsimus cibus 326
Symbolorum mutationem qualem patres intelligant 391
Symbolorum proprium ſignificare 623
Symbolis adeſt ſpiritus ſanctus 614
Symbolis non eſt alligatũ dei beneficium 648

T

τροπὸν & 384
Tertullianus ex traduce ſenſit animas produci 192

Tharasius 176
Theophilus Alexandrinus qualis fuerit 86
Theophylactus cum Ambrosio pugnat 217
Theophylactus non antiquus scriptor 102
Theophylactus non pure docet 348
Theodoreti cum Cyrilli dissidium 579
Theodoreti dialogi 575
Theodoreti laus 102
Thomas Crammerus 601
Tonstallus 279
Transeundi uerbo ut abutantur 111
Transelementatio 109
Transelementamur in Christum 104
Transmutatio nostra in Christum 100
Transubstantiatio 109
Transubstantiatio aperit fenestrã Marcioni, Valentino & Eutycheti 110
Transubstantiatio accedit ad dogma Arrianorum 359
Transubstantiationis utilitas 419
Transubstantiationis uox recens 819
Transubstantiationem Græci non admiserunt, 279.
Transubstantiationem patres non tradunt 344
Transubstantiationem qui credit, illum Papistæ dignum censent sacramento 395
Transubstantiatores imitantur Marcionitas 250
Transubstantiatores iustificant Aquarios 457
Transubstantiatorum inconstantia 126
Tropum agnoscere cogũtur etiam Papistæ 354. 569.
Tropos etiam habent aduersarij 121
Tropos non tollit consuetudo dicendi 135

V.

Vadianus 105. 600. 599
Vagum in diuiduum 44. 128. 239. 654
Valentinus 438
Vasa cœnæ 217
Vbiquitistæ 583
Vbiquitas 296
Venia peccatorum antecedit externam manducationem 312
Verbum accedit ad sacramentum 615
Verbum dei est esibile 294
Verbum dei sequendum non consuetudo 67
Verbum ubicunque est coniunctum, habet secum humanitatem, licet ipsa non sit ubiq; 295
Veritas in sacramento 589
Veritas propter hæreticos non reticenda 369
Veterum sacramenta promittebant, nostra præstant 66
Veterum umbræ & nostræ imagines 484
Veteres in cœna ligneis & uitreis uasis usi sunt, 216.
Viaticum datur moribundis 509
Vicarij cur mittantur 27
Victimæ antiquorum interius cogitatæ, corpus Christi erant 480
Visibile & inuisibile 660
Voluntas non pugnat cum necessitate, sed cum uiolentia 552
Vmbra, imago & ueritas 10. 484
Vnctio an ad sacrum ministeriũ requiratur 274
Vnio naturarum 388
Vnio sacramentalis 588
Vnio nostra cum Christo 745
ex Vnione carnis Christi reali cum nostra, multa sequuntur absurda 605
Vnionis nostræ cum Christo tres modos ponit Cyrillus 750
Vuiclephus 105

Y.

ὑπόστασις Christi nullum habet initium 520

Z.

Zizania quomodo à bono semine discernãtur 50
Zuinglius 105. 600. 668

INDEX LOCORVM QVI EX ECCLESIASTICIS SCRIPTORIBVS IN HOC OPERE CITANTVR ET EXPLICANTVR.

LOCI EX AMBROSIO.

Ambrosij locus 240
In Psalm. 301
In Psalm. 38. 10. 11
In Psalm. 74. 319
In Psalm. 118. Sermo 5. 303
Ex priore ad Corin. 490
2. Cor. 11. cap. 86. 321
Ad Heb. 10. 22. 321
De benedict. Patriarch. cap. 9. 495
De ijs qui initiantur mysterijs 276. 493
De ijs qui initiantur cap. 9. 8. 346. 697
De ijs qui initiantur mysterijs cap. ultimo 769
2. de offic. cap. 28. 216
De officijs lib. 4. cap. 48. 496
Ex oratione funebri in obitu Satyri fratris habita 291
De sacramẽtis lib. 4. cap. 4. 86. 110. 346. 435. 491. 766. 769
De sacramen. lib. 4. cap. 5. 404. 767
De sacramentis lib. 6. cap. 1. 770
De spiritu S. lib. 3. cap. 2. 176. 672. 794

EX ATHANASIO.

Athanas. locus 79. 80. 234. 468

EX AVGVSTINO.

Augustinus in Psal. 200
In Psal. 3. 550. 798
In Psal. 21. 177
In Psal. 33. 93. 262. 787
In Psal. 77. 269

In

In Psal. 89. 532
In Psal. 98. 176. 230. 354. 620. 791
Tractatu in Ioan. 25. 119. 330. 571
Ex lib. super tract. Ioan. 26. 58. 118. 270. 330. 405. 540. 701
Tractatu 27. in Ioan. 305
In Ioan. cap. 30. 551
Tract. 45. in Ioan. 703
Tract. 59. in Ioan. 559
Tract. 50. 21
Tract. 62. in Ioan. 333
Tract. super Ioan. 95. 20
In epist. Ioannis ad finem 554
Homil. 2. in Apoc. 329
Contra aduersarium legis, lib. 2. cap. 9. 290
Contra Adimantum Manichæum cap. 12. 541
Contra Adimantum lib. 6. cap. 4. 82
Contra Cresconium lib. 1. cap. 25. 320. 794
Contra Donatist. lib. 5. cap. 8. 329
Post collat. cum Donatistis, cap. 7. 328
Contra Faustum lib. 19. cap. 12. 74
Contra Faustum lib. 20. cap. 21. 74. 538
Contra Maximinum lib. 3. cap. 22. 566
Contra literas Petiliani lib. 2. cap. 37. 74
Contra literas Petil. lib. 2. cap. 47. 327
Contra literas Petil. lib. 2. cap. 37. 694
De baptis. lib. 5. cap. 8. 796
De Cathechisandis rudibus 568
De ciuitate dei, lib. 10. cap. 5. 570
De ciuitate lib. 21. cap. 25. 306. 330. 539
De doctrina Christ. 3, cap. 9. 58. 74. 177
De doct. Christ. lib. 3. cap. 16. 544
Ex Enchiridio de fide ad Petrum cap. 19. 74. 536
Ad Dardanum 296. 570. 557
Ex epist. ad Hiero. 8. 68
Ad Bonifac. epist. 23 201
In epist. ad Bonifac. 546
In epist. 49. ad Deo gratias, quæstio 3. 693
Epistola 118. ad Ianuarium 296
Epist. 120. ad Honoratum 177
Ex epist. 162. 327
Ex epist. 163. 798
Ex sermone ad infantes 248. 629. 564
Ex sermone de quarta feria, cap. 6. 93
Ex ser. 2. de uerbis Apostoli 290
De uerbis Apostoli sermone 2. 119
De uerbis Apostoli sermo. 1. & 2. 561. 563
Serm. 11. de uerbis domini 329
Hom. 26. 548
De peccatorum meritis & remis. cap. 26. 277
Lib. 2. cap. 13. de prædest. 199
Ex lib. sententiarum Prosperi 277. 485
In sentent. 338. 306
Ex lib. quæst. ueteris & noui Testam. quæst. 95. 699
Ex lib. quæst. ueteris & noui Testa. quæst. 20. 705
Ex lib. 83. quæst. 61. 484
In quæst. super Leuit. quæst. 57. 59
De trinitate lib. 3. cap. 4. 567. 613. 789
Ex lib. de utilitate pœnit. cap. 1. 699. 700

EX BASILIO.

Basilij Liturgia 3
Locus ex epist. 141. 307. 447. 480
Vltimo cap. de baptis. 320
De baptis. sermo. 2. cap. 3. 756
Ex regul. interrog. 172. 320
In quæstionibus interrogatione 22. 82. 83

EX BERNHARDO.

Bernh. cantica sermo. 33. 15. 589. 246
De cœna domini 15. 246. 307. 349. 592
Alius locus 334
In sermone de diuo Martino 592. 593
In serm. de uigilia natalis domini 298

EX CASSIODORO.

Cassiodori locus 277

EX CHRYSOSTOMO.

Chrysostomi liturgia 3
In Psal. 22. 501
Ex homi. 38. in Psal. 366
Ex homi. 11. in Matth. 499
Ex homil. 51. 89. 216
In Matth. hom. 82. 779
Ex homil. 83. in Matth. 87. 88. 373. 508. 506. 543. 695. 780
Ex homilia de proditione Iudæ 323. 784
Ex hom. 17. operis imperfecti 272
Hom. 44. cap. 6. in Ioan. 613
In 45. hom. in Ioan. 304. 322
Chrysost. ex homilia in 1. Cor. 10. 699. 702. 705
1. Cor. homil. 4. 168
Hom. 7. in priorem ad Corinth. 628
Ex 1. ad Cor. 10. cap. homelia 24. 24. 323. 405. 507
Hom. 27. in prio. ad Cor. 293. 402
In 1. Cor. 11. 504
In 11. ad Cor. hom. 27. 501
In 2. ad Corinth. 695
2. Cor. homil. 29. 293
In 2. ad Cor. hom. 20. 498
Hom. 3. in epist. ad Ephes. 324
2. Thes. cap. 3. homilia 5. 22
17. homil. ad Heb. 324. 402. 677
Ad Cæsarium monachum 390. 502
In serm. de encœnijs 628. 308. 285. 345. 771. 777.
Ex homilia 2. ad populum Antioch. 8
Ad Neophytos 784
Ex libro de sacrdotio 7
Ex lib. 3. de sacerdotio 684
Alius locus 153
Alius locus 240. 241
Hom. 53. in Matth. 321
Alius locus 290

EX CYPRIANO.

Cyprian. ex epist. 1. epist. 6. ad Magnum 405. 454
Ex lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium 405. 411. 456. 462. 466.
Ex lib. 3. epist. 3. 465
Ex lib. 3. epist. 10. 729
Ex lib. 3. epist. 15. 317
In epist. aduersus Aquarios 67
Ad Cæcilium 640
Ex Sermone de Cœna 77. 119. 235. 318. 457 464. 466. 696. 733. 757
De lapsis 318. 761
De Orat. dominica 455
Ex Sermone de chrismate 64. 434. 459. 548
De duplici martyrio 301
ALII loci Cypriani 114. 272. 273. 288. 289. 290. 343. 411. 678

EX CYRILLO.

Cyrilli locus 514
In cap. 6. Ioan. 241. 242
Super Ioan. 14. 22
In Ioan. lib. 2. cap. 3. 724
In Ioan. lib. 3. cap. 24. 404. 725
In Ioan. 4. cap. 10. 519. 548
Super Ioan. lib. 4. cap. 14. 91. 265. 293. 527. & sequentibus aliquot
Lib. 4. cap. 16. in Ioan. 698
In Ioan. lib. 6. cap. 14. 529
Lib. 8. in Ioan. cap. 7. 531
In Ioan. lib. 9. cap. 21. 530
In Ioan. 10. cap. 13. 582. 748
Ex 11. lib. in Ioan. cap. 22. 530
Ex lib. 11. cap. 27. in Ioan. 305. 607. 749. 754
Ex lib. 12. cap. 32. 294
12. cap. 58. 92
De trinit. lib. 2. tomi 1. 531
In dialogo de trinit. lib. 2. 295
De recta fide ad reginas 294
Ad Calosyrium 397. 521
ALII loci 212. 162. 531

EX DAMASCENO.

Ex Damasceno lib. 4. cap. 14. 98. 347. 809. 810. 816. 818
ALIA loca 245

EX DYDIMO.

Dydimus de spiritu sancto 476

EX DIONYSIO.

Ex Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 3. 423
In Eccles. hierarchia 763

EX EMISSENO.

Ex Emisseno de consecr. dist. 2. 471
Ex sermone de corpore & sanguine domini 174. 344
ALIA eius loca 82. 238. 761

EX EPIPHANIO.

Ex Epiph. in Ancorato 128. 487
ALIA eius loca 83. 239

EX EVCHERIO.

Ex Eucherio lib. 2. Regum cap. 6. 331

EX EVTHYMIO.

Ex Euthymio in Matthæum cap. 64. 346
Aliud eius testimonium 95
Alius locus 243

EX FVLGENTIO.

Ex Fulgentio lib. 2. ad Monimum 277. 800
Lib. 2. ad regem Thrasymundum 582. 801
Ex lib. 3. 583

EX GELASIO.

Ex Gelasio contra Eutychetem 387. 389. 396. 506. 641

EX GREGOR. ROM.

Ex Greg. lib. 2. cap. 1. in 1. Regum 332
Ex homil. Paschali 22. 297
Ex registro 582

EX HESYCHIO.

Ex Hesychio in Leuit. 1. cap. 4. 80
Lib 2. cap. 9. in Leuit. 275. 490
In Leuit. 2. cap. 9. 344
Lib. 6. in Leuit. cap. 22. 240. 467. 694.
6. Leuit. cap. 26 321
In Leuit. lib. 7. cap. 37. 764.
Hesychius dicit Christi corpus tanquam in sarta gine fuisse assum. 353

EX HIERONYMO.

Ex Hiero. in Psalm. 54. 326
Ex Psal. 105. 697
In Esa. cap. 66. lib. 18 510
In Hiere. cap. 22. lib. 4. 511
In prologum super Danielem 41
In Oseam lib. 2. cap. 8. 512
In 3. cap. Zephoniæ 279
In 1. lib. Malach. 326
In 3. cap. Ecclesiastæ 303. 447
In Matth. 26. cap. 513
In 1. ad Cor. 11. 327
In epist. ad Gal. 4. cap. 61
In epist. ad Ephes. lib. 1. cap. 1. 267

In

In epist. ad Titum 400.786
In epist. ad Titum 1. cap. 697
Lib. 2. contra Iouin. 325
Ad Hedibiam 509
Ad Hedibiam quæst. 2. 90
Ex epist. ad Heliod. 277

EX HILARIO.

Hilarij episcopi Romani dictum 445
In Psal. 127. 302.319
Ex 8. de trin. 290
Ex libro 9. de trinitate 742
Alius locus 478

EX IGNATIO.

Ex Ignatij epistola ad Ephes. 723
Ex epist. ad Philadelph. 422

EX IRENAEO.

Ex Irenæi lib. 1. 438
Ex lib. 4. cap. 32. 436
Ex lib. 4. cap. 34. & 57. 49. 370. 405. 437
Aduersus Valent. lib. 4. cap. 34. 429.432
Ex lib. 4. cap. 57. 434
Ex 5. lib. 405. 426. 435.613
ALIA eius loca 75.73.232

EX IVSTINO MARTYRE.

Ex Iustino in colloquio cum Tryphone 427 428
Ex apologia secunda ad Antoninum 68.69.72. 424. 425. 426
In expositione fidei 377
Ex libro responsionum ad Orthodoxos 36
Alius locus 437

EX IVVENCO.

Ex Iuuenco Christiano poeta 81

EX LEONE EPISCOPO Romano.

Ex Leone episcopo Romano locus in epistola ad episcopos Palæstinos 37
Ex epistola ad clerum & plebem Constantinop. 573
Ex Sermone 14. de passione 296
Ex 4. Sermone quadragesimæ 296
Ex Sermone 6. de ieiunio 296
Ex Sermone de ieiunio Septimi mensis 799
Alius eius locus 141

EX NAZIANZENO.

Naz. ex oratione in Basil. magnum 760
Ex oratione de Paschate 482. 759
ALII loci 146. 172. 415. 545

EX OECVMENIO.

Ex Oecum. in 1. Cor. 11. cap. 97.297.332
In 10. ad Heb. 484

EX OPTATO.

Ex Optato aduersus Parmenianum lib. 6. 216

EX ORIGENE.

Ex Origene in Leuit. cap. 10. hom. 7. 95.446
Ex homil. 9. 449
Ex homilia 19. in Leuit. 76.77
In Num. hom. 7. 696.727
Ex homil. 16. in lib. Numer. 300
In Numeros 446
In Psal. 37. 317
In Psal. 38. 483
In Matth. 15. cap. 450. 451. 454
In Matth. 26. cap. 445
Ad Celsum lib. 8. 452
Ex homil. 5. in diuersos 317

EX TERTVLLIANO.

Ex Tertull. de resurr. carnis 286. 443.725
Lib. 1. aduersus Martionem 438.441
Ex lib. 3. cap. 4. contra Martionem 49
Aduersus Mart. lib. 4. 70.80.82.442.444
Contra Martio. 250
Ex lib. 2. ad uxorem 444
Aduersus Iudæos 440
Ex lib. de baptismo 614
Ex lib. de idolol. 443
Alius locus 192

EX THEODORETO.

Ex Theodoreto in primo dialogo 389.574. 575.576.577. & aliquot sequentibus.

EX THEOPHYLACTO.

Theophylacti authoritas 803
In Matth. 26. cap. 805
In Matth. 28. 101
In Marcum 14. 802
In 6. cap. Ioan. 306.348.803.807
In 1. ad Cor. 10. 702.712
Ex 1. Cor. 11. 333
Ex 10. ad Heb. 297

EX THEOPHYLO ALEXAND.

Ex Theoph. Alexand. lib. 2. Paschalis 86

EX VIGILIO.

Ex Vigilio libr. 1. contra Eutychen 586. libr. 4. 588

INDEX ALIQVOT LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVI IN HOC OPERE citantur & explicantur.

EX EXODO.

EXod. 12. Pascha est transitus domini 58

EX DEVTER.

Deuteronom. 8. Non in solo pane uiuit homo 151

EX ESAIA.

Esa. 6. Vidi dominum sedentem super solium excelsum 772

EX HIEREMIA.

Hieremiæ 11. Mittamus lignum 440. 614. 682. 727

EX MALACHIA.

Ex Malachia de oblatione munda per uniuersum orbem offerenda 194

EX ECCLESIASTICO.

Ecclesiastici 44. cap. de translatione Heliæ 38

EX LIB. SAPIENTIAE.

Sapientiæ cap. 4. cur translatus Elias 38

EX MATTHAEO.

Matth. 6. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie 152
7. Cauete uobis à pseudopro. 714
12. Ecce mater tua, &c. 375
28. Ero uobiscum usque ad consummationem sæculi 689. 134

EX MARCO.

Marci 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit 656

EX LVCA.

Lucæ 8. Semen est uerbum dei 688
18. Putas ne cum filius hominis uenerit, fidem inueniet super terram? 797

EX IOANNE.

Ioan. 6. uerba an ad Cœnam pertineant 53. 94. 97. 156
6. cap. Ioan. uerbum edendi & bibendi significat credere 140
Ioan. 6. cur Christus suæ carnis manducandæ mentionem fecerit 59. 60
Cur Christus in 6. Ioannis ascensionis mentionem fecerit 242
Ioan. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis, &c. 161
Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est 78. 152
Ioan. 6. Caro non prodest quicquam 659
Ioan. 6. 238. 308. 563. 572. 577. 795. 647. 656
8. Abraham uidit diem meum 635
14. Ego rogabo patrem ut alium Paracletum mittat 25
20. Beati qui non uiderunt & crediderunt 374

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Acto. 13. Vobis uerba salutis missa sunt 625

EX EPISTOLA D. PAVLI ad Romanos.

Roma. 2. Qui prædicas non furandum, furaris 133. 134
4. cap. Imputata fuit Abrahamo fides ad iustitiam 738

EX PRIMA EPIST. ad Corinthios.

1. Cor. 10. Sacramenta nostra & ueterum 211. 699. 702
1. Cor. 10. Petra erat Christus 269. 688. 715
1. Corinth. 10. Vnus panis multi sumus 624
1. Corinth. 11. de Eucharistia 120

EX EPISTOLA AD Galatas.

ad Gal. 3. Christus crucifixus ante oculos uestros 316. 634

EX EPISTOLA AD Ephesios.

ad Ephes. 2. Sumus natura filij iræ 343

5. Nos

5. Nos ſumus caro de carne eius 61. 62. 149
5. Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum 316

EX EPISTOLA AD Coloſs.

Coloſ. 1. omnis plenitudo diuinitatis habitat in Chriſto corporaliter 260. 752

EX I. EPISTOLA AD Philippenſes.

Ad Philip. 3. Dedit illi nomen ſuper omne nomen 417

EX I. EPISTOLA AD Theſſalonicen.

1. Theſ. 5. Omnia probate, quod bonum eſt tenete 171

EX EPISTOLA AD Hebræos.

Heb. 10. de defectione à fide 297
Heb. 11. Fides eſt ſubſtantia, &c. 521. 629
Heb. 11. Elias translatus ne uideret mortem 38
13. Habemus altare, &c. 269

EX PRIORE EPISTOLA Petri.

1. Pet. 3. Baptiſmus uocatur ἀντίτυπον ſalutis 6

EX POSTERIORE EPIſtola Petri.

2. Pet. 1. Scriptura non eſt priuatæ interpretationis 381

EX APOCALYPSI.

Ex Apocalypſi 11. cap. de reditu Eliæ 38
11. Agnus occiſus ab origine mundi 634.
13. Sancti ſequuntur perpetuo agnum 168

FINIS.

PETRI MARTYRIS DEFENSIONIS AD GARDINERVM DE EVCHARISTIA PARS PRIMA.

OBIECTVM I.

CHRISTVS ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos: ergo secundum humanam naturam, qua ascendit, iam non est in terris, nec erit, ante secundum eius aduentum.

GARDINERVS.



ATETVR *Christum euicta morte naturam humanam in cœlum euexisse, ubi Deus & homo ad dextram patris sedeat, unde sit uenturus ad iudicandum uiuos & mortuos. Quod sanè cum eius uoluntate sit factum, eadem contendit effici, ut illa sede maiestatis non relicta, corpore ac sanguine suo Eucharistiæ sacramento adsit, re ipsa, uerè, ac inuisibiliter: non significatiuè, aut figura, quod ratione comprehendatur, sed substantia, quod sola fides intelligat. Quæ singula, quia consentiunt cum eius uoluntate scripturis testata, non debent uideri cum eius potentia infinita pugnare. Quia esse in cœlo, & esse in sacramento, mutua contradictione haud seperimunt, cum solo existendi modo distinguantur.*

MARTYR.

QVod maximè dubium est, & confirmãdum fuit, ut certum & probatum sumit. Sed cum sophista sit, non debuit à sophistarum more discedere. Si hęc uolũtas Christi cõsignata est, ut accipis tibi, diuinis literis, cur uerba ipsa è codice sacro in primis non profers, quæ species panis & uini aspectabiles commemorent, quæ accidentia, ut dicitis, absque subiecto narrent, quæ sub illis inuisibilem corporis & sanguinis Christi præsentiam ipsa re, atque secũdum substantiam testentur? Hoc sanè, priusquam progredereris ulterius, præstãdum fuit. Cumq; à uerborum Dei testimoniis res tota pendeat, & ipse dixeris diuinis literis hanc uoluntatem Christi esse proditam, non rectè neque ordine facis, qui amotis testibus abs te citatis, ad patres, quorum nondum feceras mentionem, deflectas. Quorsum statim Basilij, & Chrysostomi liturgias depromis? Quorsum Chrysostomi complures sententias producis? Cur ad Ambrosium & Bernhardum te confers? Scripturis potius certãdum fuit, præsertim cum scias, nos illis unicè niti, solis illis authoritatem summam tribuere, illis tãtùm nostram fidem obstrictam habere.

Non est scripturis desertis ad patres cõcedendum.

Sed hæreticis ignoscendum est, qui, ut ait Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, ex conscientia infirmitatis nũquam ordinariè tractant. Et mox in eodem libro: Hæretici, si de scripturis solis suas quæstiones sistant, stare non poterunt. Hoc illud est, cur à uobis adeò statim declinentur sacræ literæ. Ad patres itur, & ad Ecclesiæ, ut ipsi appellatis, canones, & decreta: quasi dogmatum uestrorum ueritas magis ibi, quàm in uerbo Dei contineatur.

Tertullianus.

Hæretici, si scripturis tãtũ agãtur, nõ possunt consistere.

Quòd autem inquis, figuram ac significationem sacramẽti ratione ipsa comprehendi, ut falsum, non dabimus. Nam cum figura sit ex illis rebus, quæ ad

aliud referũtur, eam profectò nemo cognoscet, nisi qui rem significatam norit.

Sacramẽtorum figura nõ potest ratione cõprehendi.

Quis uerò est mortalium, qui naturali ratione assequatur, Christi corpus ad nostra eluenda scelera in crucem fuisse actum, & sanguine ipsius Dei electos expiari: atque illo sacrificio lectissimo credentes, à Deo in gratiã recipi: deinde nos corporis Christi membra, uictimam illam fide perceptam pro spirituali cibo et potu habere, quibus ad cœlestem & æternã uitam fœliciter uegetemur? Et denique ipsam Ecclesiam, quæ corpus Christi est, ita ex diuersis mortalium generibus conflari, dum spiritus à capite Christo per diuersas iunctiuras & compagines minìstratur, ut panis ex innumeris granis, & uinum ex multis acinis & botris constat? Hæc autem omnia Eucharistiæ sacramento exprimuntur. Quæ omnia de te libenter audierim, utrum humana ratione an fide percipiantur. Ista, inquam, si fide noscuntur, ut non ambigo te fassurum, quî potest eorum figura uel signum ratione humana cognosci? Relatiuum, ut ita dixerim, nullum est, quod, eius termino ignorato, queat intelligi. Dicas eadem opera sacra Biblia quia diuinarum rerum sunt signa, humana ratione posse cognosci. At non ita Christus docuit: qui, cum uerba hæc cœlestia proferret, Qui habet, inquit, aures audiendi, audiat. Et Paulus instruebat Corinthios, animalem hominem ea, quæ Dei sunt, non percipere: imò ne posse quidem. Nam ut qui huiusmodi sunt, uerba Dei audiant, & sacros libros inspectent, quos diuinarum rerum signa esse, negari non potest, nihil tamen assequentur. Nam quoad spiritu non adducuntur, ut credant, uidentes non uident, & audientes non audiunt, ut Esaiæ uaticinio demonstratum est, quod omnes Euangelistæ non grauati sunt in suis literis citare.

Mira quæ ab Eucharistia significantur.

Relatiua nõ intelliguntur absque mutua notitia.

Sacra Biblia humana ratiõe cognosci propriè non possunt.

Ad hæc tibi compertum credidi, quoniam te adulatores tui iactitant omnia nosse, in sacramentis non satis esse, collationem signorum ad ipsas res comprehendere significatas, uerùm ad hæc requiri, ut constituentis authoritas nõ ignoretur, & significationis efficacia. Multa sanè reperiuntur, quæ hominum uoluntate quippiam referunt: at nos hic sentimus, Christi Dei & hominis consilio panem & uinum ad tanta mysteria edocenda esse destinata: quod profectò à Dei spiritu, non ab humana ratione hausimus.

Quæ requirantur ad sacramẽtorum notitiã.

Credimus præterea sic à seruatore nostro significationem sacramentorũ institutam, ut spiritus sanctus illis ad salutem credentium efficaciter utatur. Et quemadmodum credimus, Euãgelium, sicut Paulus ait, esse Dei potentiã, quia illi credendo per potentiam Dei renouamur, & efficacissimè reficimur, quod utiq; de literis ethnicorum nullus pius opinatur: ita sacramentis tribuimus, ut sanctissima organa sint, quibus spiritus fidem in nobis excitet, atq; ad hunc modum salutem & gratiam augeat. Quis hæc dixerit, ab humana ratione suggeri? Certè nemo, qui sapiat.

Quæ præter humanã rationem in sacramentis reperiantur.

At iste nobis conatur semper inuidiam facere, quasi prophana signa, & è trìuio sumpta inducamus in Ecclesiam, & sacramenta Christi, non nisi frigida signa esse doceamus. Quod quàm à nostra sententia sit alienum, non iste quidem non intelligit, sed non uult confiteri.

Sacramenta nõ ponimus frigida & nuda signa.

Scribit præterea, Corpus Christi esse quoad substãtiam & uerè in sacramento, & simul eodem tempore in cœlo esse, contradictione mutua se non perimere. Sed hoc tantùm dicit: confirmatio nulla subijcitur, quæ id efficiat. Nos uerò pronuntiamus, Aliquid esse humanum corpus, atque idem non esse humanum corpus eodem tempore, contradictione quàm euidentissima inter se pugnare. Nisi enim humani corporis natura & definitio funditùs euertatur, fieri non potest, quin suis propriis certisq; terminis claudatur: ut quod ὀργανικὸν esse oporteat, & habere partes ac membra, quæ iustis & aptis finibus terminentur.

Corpus humanum eodem tẽpore non est in multis locis.

Quam-

Quamobrem cum illius natura omninò pugnat, ut per innumera loca fundatur & distrahatur. Cæterum hac de re infrà latius agetur: nunc id solum ideo retuli, ut omnes norint, inficiandum, inter hæc, ut iste fingit, nullam interuenire contradictionem.

Tantùm, inquit, hæc à se inuicem distinguũtur existendi modo. Quasi nos hic de modis certemus, non autem de ipsa re atque substantia. Ridemur perpetuò ab hoc sophista, quod simus, ut comminiscitur, figuratores: quum ipse multò iustius dici queat Modista, qui per suos existendi uarios modos omnem cantradictionem amouere se putet à sentẽtia, quã tuetur. At sub manus opus illi non ita commodè procedit: quia humanum corpus, quibuscunq; modis & formis existat, seu uisibili, seu inuisibili ratione, dum uerè humanum corpus maneat, non est possibile, ut simul & totum in diuersis locis ponatur, uel, ceu natura diuina omnia impleat. *Aduersarij nõstri sunt Modistæ.*

Præterea quod sibi sumit, corpus Christi licet inuisibile, adesse mysteriis realiter, id quia uidet literis diuinis confirmari non posse, liturgias Basilij & Chrysostomi producit, in quibus dicitur: Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad eos sanctificandos, qui suprà cũ patre sedes, & hic inuisibiliter uersaris: & dignare potenti manu tua impertiri nobis impollutum corpus tuũ & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. Ecce, inquit, duo simul fatentur sanctissimi patres: Christum suprà cum patre sedere, et hic inuisibiliter nobiscũ uersari. Vrget præterea, quod sequitur in Chrysostomo: Deinde sacerdos adorat & diaconus in eo, in quo est loco, ter secreto dicens: Deus propitius esto mihi peccatori: & populus similiter uniuersus cum pietate adorant: quia maximè contra nos putat facere adorationem, ut quæ Christum exigat præsentem. Sed ne tam leuiter debellatum existimet, primùm secum putet quàm leuibus armis pugnet: deinde intelligat illis eisdem causam nostram ne tantillum quidem lædi. Vtrunque horum, operam dabo, ut explicetur. *Locus ex liturgijs Basilij & Chrysostomi.*

Primũ, quónam, obsecro, argumento euincet has liturgias firmã solidamq; authoritatẽ obtinuisse, ut nõ dubitemus, an à Basilio aut Chrysostomo editæ fuerint? Quis nam eorum qui post utrunque horum, Basilium, inquam, & Chrysostomum uixerunt, harum liturgiarum testimonio est usus? Certè nullus, quem legerim. Imò dum quæ Gregorgius Nazianzenus de Basilio prolixè narrat, quæq; in uita Chrysostomi leguntur, excutio, nil sanè reperio de liturgiæ ordine ab illis uel composito, uel restituto. Quod certè si fecissent, non erat tacendum, cum non fuerit uulgare opus liturgias nouas inducere, aut iam receptas immutare. Quis credat, eos, qui uitas eorum diligentissimè sunt persecuti, & gesta illorum longè minoris momenti literis consignarunt, hoc tam præclarum & illustre ipsorum factum prætermisse? Præterea huc accedit, non eadem esse harum liturgiarum, quæ circumferuntur, exemplaria. Quæ cum uaria sint, quibus credemus? Erasmus ante complures annos illam, quæ Chrysostomo ascribitur, uertit in gratiam episcopi Roffensis: quæ à Græco exemplari, quod nunc habemus, frequentissimè discrepat. Quod ut magis liqueat, non discedendum à loco, qui adducitur, existimaui. Quod hic noster uertit, Et ueni ad eos sanctificãdos: Erasmus uertit, Et ueni ad sanctificandos nos: & quidem rectè, cum Græcè legatur: καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς. Habent deinde Græca: καὶ καταξίωσον τῆ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. id est, ut reddidit etiã Pseudoconstantius, Et dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutũ corpus tuũ, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. Hæc Erasmus ita reddidit: Et dignos *Dubiũ est an liturgiæ illæ ueræ sint Basilij & Chrysostomi.* *Variant exemplaria istas liturgias.*

nos redde potenti manu tua, ut participes simus immaculati tui corporis, & pretiosi tui sanguinis, & per nos omnis populus. Porrò longè aliud est nos potenti manu sua dignos reddere, ut simus participes: atq; est, Dignare impartiri nobis, &c. cum ibi supplicetur, ut nos dignos faciat participatione: hic uero, ut dignetur nobis impartiri. Neq; prætexendum est, Erasmum uim orationis Græcæ non tenuisse, cum eius linguæ fuerit peritissimus. Restat igitur ipsum non idem nobiscum Græcum exemplar habuisse: quod luculenter, quæ sequuntur, demonstrant.

Nam de adoratione, quam M. Antonius ilico subijcit ibi haberi, & eius argumento se putat nos conficere, si Erasmo credamus, prorsus fallitur. Nõ enim ille subdit in liturgia, quam uertit: Deinde sacerdos adorat, & diaconus in eo in quo est, loco, ter secretò dicens: Deus propitius esto mihi peccatori: & populus similiter uniuersus cum pietate adorant. Sed ad perfectas absolutas q; sacerdotis preces hæc adiungit: Sacerdos autem spargit fumum incẽsi sacris. Exclamatio: Attendamus. Sacerdos eleuat sanctum panem dicens: Sancta sanctis. Chorus dicit: Vnus sanctus, unus dominus Iesus Christus in gloria dei patris. Et mox sacerdos eleuat panem dicens: Super omnes cœlos deus, & super omnem terram gloria eius effusa est. Sic habet Erasmi uersio: cum Græcus liber, qui modo circumfertur, quemq; sophista noster nunc obijcit, post illas preces, quæ noster hic nobis opponit, habeat: Εἶτα προσκυνεῖ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος, ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ, λέγοντες μυστικῶς τρίς, ὁ θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτολῷ: καὶ ὁ λαὸς ὁμοίως πάντες μετὰ εὐλαβείας προσκυνοῦσιν. Ὅταν δὲ ἴδῃ ὁ διάκονος τὸν ἱερέα ἐκτείνοντα τὰς χεῖρας, καὶ ἁπτόμενον τοῦ ἁγίου ἄρτου πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ, πρόσχωμεν: καὶ ὁ ἱερεὺς ἅγια τοῖς ἁγίοις. Ὁ χορός, εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς χριστός, εἰς δόξαν θεοῦ πατρός, Ἀμήν. Εἶτα ψάλλει ὁ χορὸς τὸ κοινωνικὸν τῆς ἡμέρας, ἢ τοῦ ἁγίου, καὶ ὁ διάκονος ζώννυται τὸ ὡράριον αὐτοῦ σωφρονισθῶς, καὶ σὰς ἐκ δεξιῶν τοῦ ἱερέως κρατοῦντος τὸν ἄρτον, λέγει: μέλισον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον.

Quæ iam commemorauí, & quæ mox sequuntur, satis, ut arbitror, indicant prudenti lectori, ut exemplar Erasmi & Græcum, quod nũc in manibus uulgò habetur, discrepent: utq; hæ liturgiæ seu missæ uarient: easq; his patribus potius esse ascriptas, quàm ab illis conscriptas, id liquidò testatur, quòd ad finem liturgiæ Chrysostomi habetur: ἡ τὸ σόματός σου καθάπερ πυρσὸς, &c. usq; ad finem. Ista manifestissimè ostendũt, Chrysostomum de seipso talia noluisse scribere. Quare illarum liturgiarum sententijs aut uerbis me non teneri, iure testor.

Atq; ut maximè tenerer, demonstrabo apertissimè ea, quæ in his habentur mysticis libellis, nil causam adiuuare papisticam: sed nostræ, licet non careant superstitionibus, multum fauere. Atque ne temere confundam aut misceam ea quæ uertit Erasmus, cum his Græcis, quæ habemus, à Græcis auspicabor. In illis statim ab initio legimus, sacerdotem, dum ingreditur templum, preces huiusmodi fundere: Κύριε ἐξαπόστειλον τὴν χεῖρά σου ἐξ ὕψους κατοικητηρίου σου, καὶ ἐνίσχυσόν με. Manũ domini uerbis his implorat, quæ de excelso habitaculo ad se corroborandum emittatur, circa ministerium, quod iamiam est aggressurus. Neq; per manum domini aliud intelligi potest, quàm uis & potentia spiritus. Quod idcirco dico, ne arbitremur ipsius corporis Christi manum quoad substantiam posci, cũ sacramentum nondum certis uerbis confectum habeatur. Quare id, quod inferius ab hoc nostro adducitur, Et dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, &c. non sic est accipiendum, quasi manu ipsa Christi corporis præsenti quoad substantiã Eucharistia nobis tradatur. Sed hic est sensus precum, ut ui atq; potentia diuini spiritus habiles reddamur ad corpus Christi percipiendum. Quod sanè fieri potest, quamuis Christi corpus realiter non adsit; ut reuera etiam iuxta nostros aduersarios nondum adest, quando sacer-

dos

dos templum ingreditur, neque adhuc liturgiam est auspicatus.

Deinde cum uinum aqua mixtum in poculo traditur sacerdoti à diacono, is deum orat ad hunc modum: προσδέξαι κύριε τὴν θυσίαν ταύτην εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον: quibus uerbis deum orat, ut, quæ offert, assumat ad supercœleste suũ altare. Credemúsne ob ista, panem & uinum, quod tunc offertur, in cœlum realiter auehi? Nullum equidem arbitror ita desipere, ut sic existimet. Vt itaq; ista dicuntur in cœlum recipi, quòd illa deus in conspectu suo habeat grata: ita corpus Christi concedetur ad nos uenire, quòd illius, quamuis in cœlo existentis, nos, dum manemus in terra, efficimur per fidem participes. Et quod dicimus de panis ac uini subleuatione ad cœlum, idem credimus de corporis Christi descensu ad sacra mysteria. Nec alia ratione censendum est, in Actis apostolicis dici: non tantum preces, sed etiam eleemosynas Cornelij ascendisse ad conspectum & ad memoriam dei: nempe quòd illas deus acceptas & gratas habuerit: haud sanè quòd pecunię, panes aut facultates, quas pauperibus dabat, quoad substantiam in cœlum auolarent. Quid igitur mirum si etiam corpus Christi patres dicant ad sacramenta è cœlo descendere, cum fide ac spiritu in accipiendis eius sacramentis corpore ac sanguine eius uescamur & instauremur?

De corporis Christi descẽsu ad sacra mysteria.

Ad hæc aliquanto inferius inducitur sacerdos ad eundem modum orans, uno duntaxat uerbo immutato: Ἄνωθεν εὐλόγησον τὴν προθεσιν, καὶ πρόσδεξαι αὐτὴν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον. Quod superius dixerat θυσίαν, hic πρόθεσιν appellat. De his quippe loquitur, quæ tum apponuntur donis, pane, inquã, & uino. Vbi prudẽs lector obiter annotabit, panem illum & uinum sacrificia nominari, cum nondum uerba consecrationis adhibita fuerint: quod eorũ causa dico, qui tantum ob id Missam dicũt esse sacrificium, quòd ibi corpus Christi offeratur: cum tamen in his liturgijs multò antea panis & uinum appellẽtur sacrificium, quàm per uerba consecrationis corpus Christi, ut isti putant, accesserit.

Panis & uinũ ante consecrationem dicuntur sacrificiũ.

Scribitur præterea in eadem liturgia non nihil post recitationem illorũ uerborum, Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, in remissionem peccatorum, diaconum dicere: Benedic domine sanctum panem: quem sacerdos subsequitur dicens: ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου. Et rursus diaconus: Benedic domine sanctum poculum. Et sacerdos benedicens dicit: τὸ δὲ ἐν ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ χριστοῦ σου. Quid precatur deum, ut illa faciat corpus & sanguinem Christi, si iam, ut isti sentiunt, ita corpus Christi & sanguis realiter adsunt, ut substãtiam cum panis, tum uini per transubstantiationem excluserint? Quæ, obsecro, sunt illa quæ uult fieri corpus Christi, si non sunt amplius, uerum, ut isti prædicant, recesserunt? Profecto quando ita res habet, inanes funduntur preces. Sin uerò panis adhuc est, quod fieri petatur corpus Christi, non per illa quinq; uerba prolata, ut isti fingũt, realiter corpus Christi accessit, & sic accessit, ut rerum illarum substantia illi cesserit.

Post consecrationem oratur ut proposita fiant corpus et sanguis Christi

Lædunt hæc uerba Inconstantij causam non parum: sed nobis mirificè suffragantur, qui statuimus ex prolatione uerborum Christi in sacris mysterijs astantium fidem excitari. Vnde appositè sacerdos precatur, cum illa dixerit, & quidem aliquanto post, ut cum panis, tum uinum fiant, nimirum cõmunicantibus, corpus & sanguis Christi. Nam cum natura sint panis & uinum, quasi corpus & sanguis Christi essent, nobis inseruiunt, quando communicantes per illa deducimur ad corporis & sanguinis Christi participationem.

Sed iam liturgiam audiamus, quæ Basilij nomine iactatur. Is post uerba, quæ uocant, consecrationis, appellat sacramenti Eucharistiæ utrãq; partem ἀντίτυπα, ceu diceres, exemplaria, & figuras, quæ rei similitudinem habeant. Quamobrem, cum iste nobis insultat, & uocitat subinde figuratores, non animaduertit,

Basilius partes eucharistiæ ἀντίτυπα uocat.

quanta patres, qui ita loquuti sunt, contumelia insectetur. Verum solet, quo minus phrasim eorum infestam habeat, prædicare, illos, dum ita loquuntur, sic esse intelligendos, ut figuram dicant externam speciem sacramenti, non corporis & sanguinis, quæ absint, uerum quæ adsint re ipsa, quamuis non cernantur: ita ut figura cũ re significata propriè atq; re ipsa coniungatur. At ego ἀντίτυπον sic arbitror à Basilio usurpari, ut etiam usurpatur in sacris literis, à quibus eam uocem est mutuatus.

ἀντίτυπον non dicitur de re præsenti.

Petrus epist. priori capite 3. baptisma uocat ἀντίτυπον salutis, quam per arcam octo homines tempore Noha quoad corporis uitam sunt consequuti. Quis autem non uideat nostrum baptisma ita seiunctum esse à re, quæ tempore Nohæ contigit, ut simul actu cum ea coniungi nequeat. In epistola quoq; ad Hebr. cap. 9. legimus, Christum non esse ingressum in manu facta sancta, exemplaria uerorum: quod Græcè est, ἀντίτυπα ἀληθινῶν. Iudicet autem quisq;, an tabernaculum antiquum, quod exemplar erat cœlorum, ubi est dei sedes, ita fuerit exemplar cœlestis corporis, ut ipsum realiter in se habuerit. Quare, cum Basilius ita loquatur ut scriptura, cõmentitium illud genus τῶν ἀντιτύπων, quo fucus modo struitur, haudquaquam putandus est respexisse. Verum hac de re, fauente deo, prolixè agetur inferius.

Subdit præterea in eodem loco Basilij liturgia: καὶ σὲ παρακαλοῦμεν ἅγιε ἁγίων εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος ἐλθεῖν τὸ πνεῦμα σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι. Cum hæc quoq; scribantur & recitentur post uerba consecrationis, quomodo nõ iniuria fit corpori Christi iam præsenti, quemadmodum fingitis, & ita præsenti, ut nulla substantia præter ipsum in pane & uino remanserit, si spiritus sanctus petatur, quo sanctificetur & benedicatur? Christi corpus quis non credat, iam benedictum satis, sanctificatum satis, & denique satis spiritu sancto repletum? Aduersatur igitur liturgia uestræ præsentiæ reali, uestræq; transsubstantiationi: nostræq; sententiæ uicissim fauet. Vbi enim retinetur integra symbolorum natura, & corpus Christi relinquitur in cœlis, ibi spiritu sanctificante opus est, atq; benedicente, ut sacramenta suam erga communicantes efficaciam & uim habeant.

Blasphemia est ipsi corpori Christi precari benedictionẽ & sanctificationem.

Huius farinæ haud pauca possem alia proferre: sed lectorem monuisse satis est. Is enim liturgias illas percurrens, multas quidem superstitiones deprehendet: sed agnoscet item aduersariorum causam non parũ lædi. Nos uero, quæ ipse adducit, facile damus: nimirum peti, ut Christus de cœlo ueniat suo spiritu. Neq; manus, ut dictum est, aliud, quàm uim eius cœlestem significat: neq; inuisibiliter dominus inter communicantes uersatur, nisi quoad naturam diuinam: quæ sua gratia & ineffabili bonitate illis per fidem adest.

De adoratione autem quomodo in sacramẽtis percipiendis adhiberi queat, in præsentia parum dicam, nempe in re aperta. Quoniam si mens non ad symbola, sed ad significata referatur, potest adoratio licitè interponi: quemadmodum, cum auditur illud in symbolo, Et uerbum caro factum est, aut oratio aliqua consimilis, permulti Christum adorant, cum tamen corpus eius præsens non habeant. Quare cum percipiuntur sacramenta, audiunturq; promissiones ad ea spectantes, si Dominum adoremus, non propterea illius realem corporalemq; præsentiam testamur.

An adorationẽ in sacramentis percipiendis adhiberi liceat

Atque hoc cur tam absurdum uideri debeat, non intelligo, præsertim uobis, qui adoratis imagines sanctorum, cereos illis accenditis, atque suffi um facitis, inuocatisq; bonis lateribus, quos tamen præsentes non creditis adesse: quo quid stultius fingi potest? Et tamẽ ad eam stultitiam etiam impietatem additis: ut qui contra præceptum Dei, inuenta hominum, operaq; manuum uestrarum adoretis.

tis. Quod nobis obijcere non poteſtis, ſi quando in percipiendis ſacramentis Deum & Chriſtum adoramus: cum ibi non hominum figmenta, ſed inſtituta Dei, atq; illius uerba communicantibus proponantur. Quamuis, ut quod mihi uidetur dicam, ad euitanda ſuperſtitionum pericula, nolim hoc tempore adorationis externæ ſigna in euchariſtiæ perceptione adhiberi, utut non ad ſymbola panis & uini, ſed ad ipſum Chriſtum in cœlis regnantem dirigerentur.

Verùm non ſatis mirari poſſum, Hortenſium iſtum noſtrum, acrem, & indu ſtrium (ut ipſe uidetur ſibi, utq; ſui eum prædicant) rhetorem, ac theologorum culmen, in primo cauſæ huius conflictu non adhibuiſſe firmiora teſtimonia, quàm ea ſint, quæ iſtæ confictæ liturgiæ pro eo dixerunt. At de illis, ut arbitror, iam ſatis multa.

Pergit uerò iſte, neque ſui ſimilis eſſe deſinit: & pro ſcripturis, quas unicè flagitamus, patres obtrudit, eosq; nõ puros ac ſimplices, utq; intelligi deberẽt: ſed quemadmodum ſui erroris patroni, ac ſuffragatores uideri poſsint. Ante alios Chryſoſtomum producit de ſacerdotio libro. 3. ubi ſic ſcribit: O miraculum, ô Dei benignitatem: qui cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo tẽporis articulo omnium manibus pertractatur: ac ſeipſum tradit uolẽtibus ipſum accipere, ac complecti: ſit autem id nullis præſtigijs, ſed apertis ac circumſpicientibus circumſtentium oculis. Num tibi iſta contemptu ac deſpectu digna eſſe uidẽtur? Addit ſophiſta, Ex ijs uerbis Chryſoſtomi uides, Chriſtum eſſe in cœlis, nõ aliquid afferre probationis, ne ſit in terris: cum hæ ueritates non collidantur. Quæ ab hoc tam malè ſano capite ſic depromuntur ex Chryſoſtomo, ſi expoſuerimus, ut quæ præcedunt, exponenda ea eſſe oſtendunt, quis non affirmet, ſcriptoris mentem nos tenere: iſtumq; uerborum ſuperſtitioſum captatorem è diuerſo miſerè falli, ac alios pernicioſè decipere, cum patrum ſermones tam uiolenter in ſuum errorem, ſimulato ſtudio ſimplicitatis, traducit? Certè ſanctorum orationes, ut prima fronte ſignificare uidentur, non oportet accipere: ſed potius ad ea, quæ priora, poſteriora q; dicta ſunt, accommodare. *Chryſoſtomus de ſacerdotio.*

Audiamus itaq; pauliſper, quæ Chryſoſtomus ante illa, quæ iſte adducit, ſcripſerit, ut ex ipſis cognoſcamus, quid etiam de his ſit credendũ. Nam dum conſpicis, inquit, dominum immolatum, ſacerdotem ſacrificio incumbentẽ, ac preces fundentem, tum uero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi ac rubefieri, etiámne te inter mortales uerſari, atq; in terra conſiſtere cenſes? An potius è ueſtigio in cœlos transferris? An non carnis cogitationem omnem abijciens nudo animo, mente pura circumſpicis quæ in cœlo ſunt? &c. Dicat nobis is, qui ſe patrum exiſtimat conſultiſſimum, quomodo in myſterijs conſpicia mus dominum immolatum? Nos immolationis eius memoriam celebrari ſcimus: at ipſius immolationem repeti uerè ac re ipſa quis dixerit? Neq; miniſter in ſacrificium mortis Chriſti aliter, quàm commemoratione incumbit. Qua ratione præterea conſpicimus turbam circumſtantem ſanguine pretioſo domini rubefieri? Porrò nullius circumſtantium os aut uultus nouo colore inficitur. Neq; deſinunt ſacramenta percipientes in terris uerſari: niſi quoad curam, ſolicitudinem, atq; mores, qui magis cœleſtes conditiones, quàm terrenas referunt. Nam fide ſolum, cogitatione, menteq; in cœlos communicando transferimur. *In euchariſtia immolatio Chriſti non repetitur.*

Quare ſi hæc omnia dici à Chryſoſtomo uel translatione, uel hyperbole, uel ſynecdoche negari non poteſt, quid ea, quę ſequuntur è ueſtigio, ita perſequenda ſunt ad unguem, ut nil ibi, niſi propriè dictũ putemus? Profectò qua ratione priora lenimus, neq; moroſè interpretamur, ita, quæ proximè adſcribuntur, nemo poteſt nos cogere, ne eodem modo accipiamus. *Oratio figurata eſt Chryſoſtomi loquutio.*

Neque quiſquam noſtrum inficiabitur, admirandum eſſe diuinæ bonitatis

opus, ut corpus Christi, quod cœlo usque ad extremum iudicij diem clauditur, dum mysteria celebrantur, omnium manibus, non quidem in seipso, uerùm in illius sacramento pertractetur: quemadmodum Christum fatemur, non per seipsum corporaliter præsentem esse: sed per suas literas, & uerba, & audiri à nobis uerè, & uerè nos alloqui. Nec dubitamus Dominũ se omnibus tradere, quotquot illum fide, animoq; dum communicãt, suscipere atq; complecti uoluerint. Sed quomodò id intelligemus fieri apertis ac circunspicientibus circunsistentium omnium oculis? Certè ea locutio, nisi uel ad oculos fidei, uel ad sacramenti externi distributionem referatur, uera esse nulla ratione poterit. Quos duos intellectus quis non uideat esse figuratos? Damus igitur Chrysostomũ agnoscere Christum in mysterijs præsentem: quod & nos fatemur, quo ad naturam Dei: atque de carne corpore ac sanguine identidem concedemus, si præsentia fidem respiciat.

Quæ præsentia Christi cõcedatur in Eucharistia.

Sed his ita expositis, duo libet interrogare, quánam fronte isti legãt hæc uerba Chrysostomi: quibus dicit, Christum, qui sursum sedet, illo temporis articulo omnium manibus pertractari, cum ipsi prohibeant Eucharistiam manibus accipi? Si Chrysostomi orationem piam ueramq; credunt, cur illi usq; adeò resistunt? Sin uerò pro recta piaq; non habent, desinant illam nobis obijcere, cum ipsi eam contemnant. Percontor deinde, cùm paulò superius dicatur, sicut produxi: Tum uerò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, cur, si res ita se habeat, altera sacramẽti parte plebẽ fraudare audetis? Vester Chrysostomus nónne illam quoque circumfusæ turbæ dari scribit? Vos uerò non datis, uerùm impiè aufertis, populumq; altera specie iubetis esse contentum, ne sanguine Christi, quemadmodum uos, intingatur, & rubefiat. Ad hæc Missæ priuatæ, quas tanti facitis, ubi circumfusam habent illam turbam communicantium? Desinite, obsecro, desinite aliquando, patres nobis obijcere, cum ipsi eos tam fortiter, tamq; strenuè contemnatis.

Ter peccãt Papistæ in istam Chrysostomi sententiam.

Verùm ex eadem Chrysostomi pharetra nouam sagittam, atque ut arbitratur, ualidissimam eiaculatur. Scribit enim ille ad populum Antiochenum homelia 2. Quid igitur si uobis demõstrauero quid aliud, quod illo multò maius omnes sacris mysterijs imbuti recipimus? Helias nempè melotem quidem discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus: Christus autẽ & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Subijcit Inconstantius: Quid ijs uerbis luculentius, ut ostendatur nobiscum eandem esse carnem in terris, quæ cœlum petijt: quam tamen Christus, ut daret non exuit? Vtut Chrysostomi sermones uerses, nil amplius ex eo uales extorquere, quàm elegãtem allegoriam, ubi Helias cum seruatore nostro cõfertur. Nam quemadmodum ille suam melotem demisit ascendens in cœlum, ita Dominus, cum eodem ferretur, suam carnem nobis reliquit in terris. Quod si accipias de sacramento carnis Christi, uel quòd eam nostræ fidei præsentem perpetuò in mysterijs esse uelit, quid obsecro, habet incommodi? Vel quid statuitur, quod à nobis liberalissimè non concedatur? Non'ne sententiæ huius ueritas manet salua, si Christum damus carnem suam aliquo modo fidelibus reliquisse? Certè si quis hinc inferre uelit, eam simpliciter absoluteq; dimissam in terris, paralogismum incurrit, quem sophistæ, à secundum quid ad simpliciter, appellant.

Chrysostomi alter locus.

Paralogismus aduersarij.

Verùm quia isti tropos ac figuras admittere nolunt, cum aliquid ex patribus eruerint, quod utcunq; à se stare suspicantur, dicant illi uicissim, quomodo in hac eadem homilia explicent, quod paulo antè de ipso Helia scribitur: Et erat posthac duplex Helias ille: & erat sursum Helias, & deorsum Helias. Hic dicãt nobis: an propterea Helias ille reipsa & corporaliter erat deorsum in terris, quia melotem

melotem demiſerat Eliſæo? Cum ſurſum fuiſſet raptus, certè non dicent, illum quoad ſubſtantiam in duobus locis ſimul fuiſſe: cum tamẽ Chryſoſtomus ibi ſcribere audeat, eundem Heliam ſurſum & deorſum fuiſſe: quæ profectò ſic accipi debent, ut corpore præſentiaq; reali ſurſum fuerit, deorſum uerò ſpiritu atq; uirtute: quæ pallio ſeu melote ipſius aptiſſimo ſymbolo demonſtrabantur: ut pane ac uino, carnis atque ſanguinis Chriſti uis poteſtasq; oſtenditur: atq; ita pulchrè fit, ut ſit uerum quod ſcribit Chryſoſtomus, ut Chriſtus & carnem ſuam nobis reliquerit, & ipſam habens in cœlum aſcenderit. *Allegoria de Helia.*

Et quia hunc patrem ſibi non leuiter patrocinari arbitratur, eius adhuc teſtimonio alio in epiſtolam priorẽ ad Corinthios cap. 10. utitur. Nam homelia 24. ſic ſcribit: Quod ſummo honore dignum eſt, id tibi in terris oſtendam. Nam quemadmodum in regijs non parietes, non tectum aureum, ſed regium corpus in throno ſedens omnium præſtantiſſimum eſt, ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc in terra tibi uidendum proponitur: neque angelos, neq; archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, ſed ipſum horum omnium tibi Dominum oſtendo. Animaduertis, quónam pacto quod omnium maximum eſt atq; præcipuum in terra non conſpicaris modò, ſed tangis: neque ſolùm tangis, ſed comedis & eo accepto domum redis. Quaſi citra controuerſiam ullam quæ attulit ſententiam ſuam confirment, ſubiungit: Hæc Chryſoſtomus, qui regiũ corpus, quod agnoſcit in cœlis, fatetur proponi uidendũ in terris, & comedendum adeò, nimirum in ſacramento. At ſi percontemur, quomodò corpus Chriſti nobis exiſtimet uidendum in terris proponi, quid reſpondebit? An oculis corporis dicet nos illud conſpicari? Quòd ſi carnis oculis & tactu corporis hoc fieri contenderit, non ſolùm ſenſibus repugnabit, ſed etiã ſibi ipſi maxime aduerſabitur: ipſe enim ubiq; clamitat, corpus Chriſti ſub ſpeciebus illis panis & uini, ut loquitur, inuiſibiliter adeſſe: neq; cum Auguſtino cõſentiet, qui ait uiſum, guſtum, tactum, atq; olfactum nil aliud, quàm panem & uinũ renuntiare. At, ut arbitror, dicet, oculis & tactu fidei præberi nobis uidendum atque tangendum. Quod ſi reſponderit, eum etiã reſpondere oportebit, cur opus eſſe ſtatuat corporali præſentia. Nam ad id, ut fide uideatur, tangatur, & comedatur, ea nõ eſt opus præſentiæ ratione, cũ ueteres in deſerto nobiſcum eundem ſpiritualem cibũ ederint, & ſpiritualem eundem potum biberint: & Abraham ſit dictus uidiſſe diem Domini, qui tamen eum præſentem re ipſa nõ habuit. Nam fidei uis eſt, ut non minus in abſentia, quàm in præſentia feratur. *Chryſoſtomi locus.* *Vis fidei tã fertur in abſentia quã in præſentia.*

Accedit huc præterea, illa Chryſoſtomi uerba (in terra non conſpicaris ſolùm, ſed tangis, &c.) non poſſe niſi ad ſacramentũ referri. Senſus quippe corporis in myſterijs tantum panem & uinum tangunt atq; uident: niſi adeò quis uelit deſipere, ut rotundam illam figuram corporis Chriſti accidens eſſe, non panis exiſtimet, & ſaporem, odorem, coloremq;, ac cæteras proprietates, quæ à ſenſibus communicantium percipiuntur, non panis & uini, ſed carnis & cruoris Domini eſſe. Atq; ut rem apertius explanem, cum ait (quod ſummo honore dignum eſt, id tibi in terra oſtendam) ſi de oſtenſione loquamur, quæ ſub ſenſus externos cadat, ſolùm de ſacris ſymbolis intelligi poteſt: quæ in terra tractantur & diſtribuũtur: quibus nos docemur, qui ſumus identidem in terra: cum tamen id quod docetur atq; ſignificatur, nempe corpus ipſum Chriſti, ſit in cœlis. In terra itaq; ſunt, &, qui docentur, homines, & ſacramenta quibus docẽtur: ſed res ipſa, quæ docetur, præſentia reali cœlo continetur: in terra uerò eſſe per ſignificationem, fidei apprehenſionem, & ui ſpiritus ac gratiæ, dici poteſt.

Neq; debemus adeò ijs, quæ iſte adducit, Chryſoſtomi uerbis aures accommodare, quin eundem audiamus paulò antè in eodem loco quàm iſta ſcriberet,

ita díſſerentem: Nam dũ in hac uita ſumus, ut terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium. Aſcende igitur ad cœli portas, & diligenter attende: imò non cœli, ſed cœli cœlorum: & tunc quod dicimus, intueberis. Verba hæc Inconſtantius de induſtria præteríit, cum tamen íjs, quæ affert, coniuncta legãtur, quía uidit ea ſui teſtimonij omnem uim retundere. Oſtendere uult Chryſoſtomus regium corpus in throno ſedẽs íjs, qui ſunt in terra fidelibus. At qua ratione? Si ſic in terra ſint, ut animo uerſentur in cœlo. Ideò illos aſcendere, nimirum fide, ad portas cœli, nec tantum cœli, ſed etiam cœli cœlorum iubet.

Idem Chryſoſtomus.

Verum, ne ab hac homilía diſcedamus, operæpretiũ eſt uidere, quomodo ille pater eã partẽ eius, quã moralem inſcribit, auſpicetur. Hęc ergo, inquit, cũ intelligamus, dilectiſſimi, uelímus inuicem unitatẽ ſeruare: ad hoc enim nos inducit ſacrificiũ illud formidandum & admirabile, quod iubet nobis, ut cõcordia & charitate maxima ad ſe accedamus, & aquilæ in hac uita facti ad ipſum cœlũ euolemus, aut etiã ſupra cœlum. Vbi enim eſt cadauer, inquit, illic & aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortẽ. Niſi enim ille cecidiſſet, nos nõ reſurrexiſſemus. Aquilas aũt appellat, ut oſtendat, ad alta eũ oportere cõtendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cũ terra debere ei eſſe cõmune: neq; ad inferiora trahi & repere, ſed ad ſuperiora ſemper uolare, & in ſolem iuſtitiæ intueri, mentisq; oculum acutiſſimũ habere. Hæc, ni fallor, ſatis declarant, quid in hac ſua concione Chryſoſtomus docere uoluerit. Poſſem facilè multa huius generis ex eodẽ authore proferre. Sed alibi, ut ſpero, erunt opportuniora. Idcircò nunc prætermittent: nã quæ modò ſunt allata, ſatis docẽt, cõmunicantibus in Eccleſia fidelibus exhiberi quidem corporis Chriſti ſacramentũ in terris: at rem in cœlis prorſus eſſe quærendam, quò illos adhortatur ut inſtar aquilarũ mente ac ſpiritu uolent.

Nobis inſtar aquilarũ uolandum eſt ad cœlum.

Quòd uerò noſter iſte poſthęc eos reprehendit ut infideles, qui corpus Chriſti, cũ ſit finitæ naturæ, in multis locis uirtute diuina ſimul eſſe non poſſe ſtatuãt, hanc ſuam calumniam ſi aliquo argumento confirmaſſet, ego quoq; illam niterer confutare. At cum dicat tantùm, non probet, ego etiam eos, qui hoc ſentiũt, infideles eſſe, ſatis habebo ſolùm negare: neque meam negationem illius affirmatione minoris ponderis futuram apud lectores uerebor.

Ambroſium prætereà, & aliquot patres facere ſecum exiſtimat: quod ut ſit uerum diligenter excutiemus. Ambroſius, inquit, in Pſalmũ 38. ſic habet. Vidimus príncipem ſacerdotum ad nos uenientem: uidimus & audiuimus pro nobis offerentem ſanguinem ſuum. Sequamur, ut poſſumus, ſacerdotes, ut offeramus pro populo ſacrificium, etſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio. Quía etſi nunc Chriſtus non uidetur offerri, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur, imò ipſe offerri manifeſtat in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur. Audis, inquit Pſeudoconſtantius, hic Chriſti corpus offerri in terris, idq; ab ipſo Chriſto, ea ratione, quòd ſermone eius ſanctificatur ſacrificiũ, quod offertur. Quando Ambroſius cæteriq; patres aiunt, Chriſtum, corpus ue illius ac ſanguinẽ in terris offerri, nihil aliud uolunt, quàm hic inter nos in Eccleſia memoriam celebrari, gratiasq; agi Deo, de illo uero perfectoq; ſacrificio in cruce olim ſemel oblato: ſentiuntq; noſtra myſteria ſigna & imagines eſſe rerum, ſanguinis, inquam, carnis, & corporis Chriſti iam longè antè immolati, & nunc in cœlo regnantis.

Ambroſius.

Quid intelligant patres per oblationẽ & ſacrificium corporis Chriſti.

Atq; hoc ita eſſe, quicquid iſte blateret, ipſe Ambroſius in hoc eodem loco teſtatur. Nam illa uerba 38. Pſalmi, Siquidem in imagine pertranſit homo, &c. exponit. Facit autem rerum tres gradus, umbram, imaginem, & ueritatem: atq; ueteres, qui ſub lege uixerunt, umbras habuiſſe memorat: in eccleſia uerò nunc eſſe imagines: in futura denicq; uita, ſeu in cœlo, eſſe res ipſas & rerum ueritatẽ.

Vmbra, imago, & ueritas.

Quæ

Quæ ne ignoremus, exemplis demonstrat, & inter cætera illud ponit: ueteres umbram habuisse, quando petra illis concessa est, unde aquam haberent ad sitim extinguendam. Ibi enim Christus demonstrabatur obscurius, & quodammodo per umbram, ut potus hominum salutaris: Eiusdem rei, corporis inquam & sanguinis Christi, nos hoc tẽpore in mysterijs imaginem tractamus: rerum ueritas est in cœlis: quam si uelimus intueri eò ascendamus oportet. Atq; adeò se continet Ambrosius ijs gradibus, ut etiam quoad offerentes rem ita se habere testetur. Nam ueterem umbram Christi suum corpus offerentis sub lege inquit, principem sacerdotum fuisse, Christus autem re uera tempore mortis seipsum obtulit: & in cœlo nunc est pro nobis intercedens. At in Ecclesia sunt ministri, uel, ut loquitur, sacerdotes eius imagines, in quibus, uel per quos ipse Christus, ceu in imagine, offerri dicitur, quando eius mortis in synaxi memoria celebratur. Affirmatq; ideò nos habere hic Christum offerentem, quia Petrum, Paulum, Thomam, Iohannemq; habemus eius imagines. Neminem autem dubitare arbitror, ita Petrum, Paulum, Iohannem reliquosq; ministros Ecclesiæ Christũ referre, atq; illius imagines esse, ut tamẽ Christus non sint re uera nec esse possint.

Ipsius Ambrõ uerba.

Atq; ne ista fingi à me credantur, haud grauabor eiusdem Ambrosij uerba fusius adscribere, quæ sic habent: Primùm igitur umbra præcessit, secuta est imago, erit ueritas. Vmbra in lege: imago in Euangelio: ueritas in cœlestibus. Vmbra euangelij, & Ecclesiæ cõgregationis in lege: imago futuræ ueritatis in Euangelio: ueritas in iudicio dei. Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum: umbra in diluuio: umbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube & in mari. Vmbra in petra, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nónne illud in umbra erat sacrosancti huius mysterij sacramentum? Nónne umbra erat aqua è petra, quasi sanguis è Christi latere, quæ fugientes se populos sequebatur, ut biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit umbra noctis & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Post hæc Ambrosij uerba quæ modo adduximus, illa statim subijciuntur, quæ Inconstantius citauit: quem tamen oportuisset illa, quę sequuntur, non omisisse, quia non parùm ad rem præsentem faciunt. Sic enim habent: Et ipse quidem nobis apud patrem aduocatus assistit: sed nunc eum non uidemus, tunc uidebimus, cum imago transierit, ueritas uenerit. Tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem ea, quæ sunt perfecta, uidebuntur. Ascende ergo homo in cœlum, & uidebis illa, quorum umbra hic erat uel imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione: non in uelamine, sed in luce: uidebis illum uerum & æternum atq; perpetuum sacerdotem, cuius hic imagines uidebas, Petrum, Paulum, Iohannem, Iacobum, Matthæum, Thomã: uidebis perfectum hominem iam non imagine, sed ueritate.

Imago in uerbis Ambrosij ab re ipsa distat.

Postrema hæc dicta idcircò adieci, ut hunc patrem intelligamus, imaginem accipere, quæ à re ipsa distet. Scio enim impostorum uafriciem, qui dicunt in sacramento quidem imaginem esse, propter panis & uini accidentia: sed nihilominus rem ipsam præsentem sub illis esse. Cur non credunt exẽplo Ambrosij, ut Petrus, Paulus, & Iohannes imagines erant Christi, sic Eucharistiæ symbola corporis & sanguinis Christi esse imagines? Quarum rerum naturam solidam & ipsam ueritatem manifestam & patefactam si qui uolunt percipere, in cœlum iubet Ambrosius ut ascendant: quod nunc fide tantum contingit pijs, & post mortem pleniſſimè concederetur? Nec plus præsentiæ rei concedẽdum est, Petri, Iohannis, & Thomæ imagini, quàm imagini panis & uini in eucharistia, siquidem tam hîc quàm ibi, Christus ut ab imagine secundum Ambrosium refertur.

„ Colligit præterea & obiter uult annotari Inconstantius, sacrificium Eccleſię
„ non esse gratiarum actionem, ut quidam ex figuratoribus uolunt, sed ipsum
„ Christi corpus. Vnde dicitur sacrificium incruentum & uiuificū. Ista refellendi non est in præsentia idoneus locus. Id tantum hunc rogabo, qui omnia quasi per nebulam iactat, & scribit, ut nos doceat, etiamsi daremus corpus Christi, ut uult, re ipsa prędens, quænam esse possit eius oblatio, si memoriam & gratiarum actionem de morte, quam in cruce nostra causa obijt, subtraxerit? Dicat obsecro, quid illud sit, quod ita plenis buccis clamat corpus Christi & sanguinē offerre? Hoc, inquam, semel expediat. An ista patri ita sistunt, quasi eis careat? An ita offerunt, quasi præsentia illa coram se non habeat? Hæc, opinor, minimè dicēt. Quid uerò aliud respondere possint, iam tandem aliquando inueniant. Quod cum fecerint, inde materiam confutandi eos nanciscar: nunc uerò dum tantum dicunt, nihil autem probant aut explicant, eos licet absq; metu, sed non sine iusta indignatione præterire, qui tam audacter loquantur, quæ nesciant; & dum loquuntur, se ipsos non intelligant.

Ambrosij supposititi locus. Additur alius ceu ex Ambrosio locus, nimirum in cap. ad Hebræos 10. quo sua iste probari suspicatur: ideò illum censeo cominus intuendum. Proinde
„ unum, inquit, est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam in multis locis
„ offertur, multi Christi sunt: nequaquam, sed unus ubiq; est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubiq; offert unum cor
„ pus est, & non multa corpora: ita etiam & unum sacrificium, &c. Non possum huius hominis non mirari plumbeum iudicium: qui ut ipse, qui sint testes, quos adducit, nil pensi habeat, ita illos arbitratur à nobis absq; ulla exploratione statim admittendos. At dei gratia nos non ita caremus naso, ut ille religione ac pietate destituitur.

Primùm Ambrosij antiquiora uolumina cōmentarium istum ad Hebræos non habent. Deinde quid Erasmus, in recognoscendis authoribus acerrimi uir iudicij, senserit hac de re in sua censura, non grauabor subijcere. Ex Anglia quidam docti miserunt ad me speciminis loco paginā descriptam ex commen-

Erasmi iudiciū de commentarijs Ambrosij in epistolā ad Hebræos. tarijs in epistolam ad Hebræos, quibus præfixum erat Ambrosij nomen. Sed tota phrasis magis referebat Remigium, aut Anselmum, aut alium eius notæ scriptorem, quàm Ambrosium. Erasmi ergo fretus censura, testem hunc ut adulterinum & commentitium possem reijcere: atq; me ad hoc faciendum nō parum iuuaret, quod non solum Primasius, Remigius, & Haymo hæc eadem propemodum uerba extulerunt, uerùm etiam Chrysostomus ante eos omnes ea scripsit. Et certè ab illo commentitius iste Ambrosius, & alij posteriores ea decerpserunt. Atque hinc est ille consensus, quem iste ut admirandum iactat. Et certè res leuis non fuisset, si omnes eodem tempore, in diuersis locis degentes, totidem uerbis eadem scripsissent. At cum omnes, ut dixi, ab uno acceperint, quid hic obsecro, uel nouum, uel inusitatum accidit? Gardinerum uerò non puduit, eundem testem mutatis nominibus, loco plurium supponere: ac ne miremur, eundem obtrudi sermonem, hoc ob scriptorum admirabilem consensum euenire affirmat.

Nec tamen hunc personatum Ambrosium ita pertimescimus, quasi contra nos testetur. Excutiatur, quæso, totus: & plus audiemus illū fauere nobis, quàm
„ Inconstantio. Sic enim loquitur: Proinde commemoratio fuit, non absolutio:
„ quia quotidiè ijsdem purgabantur hostijs, & ipsi sacerdotes, & populus pariter.
„ In Christo è contrario, semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam.
„ Quid ergo nos? Nónne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed re
„ cordationem facientes mortis eius. Et una est hæc hostia, non multæ; quia semel

oblata

oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est: idipsum semper offerimus: nec nũc quidem aliũ agnũ cras, alium hodie: sed semper idipsum. Post hęc statim illa subdunt, quę iste citauit: atq; ijs hæc alia cõnectuntur, quæ de industria præterit, quòd apprimè declarent, si quid ambigui, aut obscuri haberent ea, quæ sunt interposita. Pontifex enim noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tũc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factũ est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationẽ. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed idipsum semper offerimus: magis autem sacrificij recordationem operamur. Potuit νεφεληγερέτης ex ijs omnibus, quæ recensui, si uoluisset, facile intelligere, quid esset Ambrosio Christum, uel eius corpus sacrificari, quid'ue in multis locis simul idem offerri: præsertim cũ dicat, Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Atq; cum addat, Hoc aũt sacrificium exemplar illius est: deinde, Hoc aũt, quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est: & ad extremũ, Sed ipsum semper offerimus: magis aũt sacrificij recordationem operamur. Sed quia ornando mendacio tantùm studebat, ideò scribentis mentem ac sensum uolens præterijt.

Nota ex Chrysostomo quomodo Eucharistia sacrificium aut oblatio dicatur.

Statuit ergo Ambrosius, ut hic adducitur, Offerre Christum, uel corpus eius, esse recordationem mortis eius facere, ac eiusdem exemplar exhibere: & commemorationem quandã repetere, eius, quod antè gestum est: ita ut magis dicencendi simus, recordationem sacrificij operari, quàm offerre. Hæc tam conspicua sunt & adeò clara, ut patefaciant liquidò quomodò sit accipiendum, quod dicitur, In multis locis eundem Christum offerri. Nempe, quòd idem sit Christus, non utique alius aut diuersus, cuius mortis commemoratio, exemplar, recordatio fit simul ab Ecclesia in multis locis. Ministri sanè diuersi, alij communicãtes, alius panis, aliud uinum est in diuersis locis, ubicunque cœna Domini peragitur. At quis dubitet eundem Christum celebrari, ac referri, ubicunque mysteria hæc tractantur?

Damus itaq; Ambrosio, licet commentitio, corpus Christi esse, ut dicit, ubiq; hac intelligentia, quòd fidelibus liceat in quouis loco illud idem fide agnoscere, ac de ipso eodem pro nobis in crucem acto gratias communicando agere. Neque aliud iste Ambrosius potuit sentire, cum diceret: Sed unus ubique est Christus. Id enim quoad corpus eius propriũ dari nullo modo potest, cum sit finitũ, neq; possit esse ubiq;, quod ut singulare propriũq; naturæ diuinę cõceditur. Plenus igitur Christus est ubique: quoniam ubicunq; sacra mysteria peragunt, eius integri ac perfecti, non autem mutilati aut diuisi exemplar, memoria, & recordatio, cum precibus, & gratiarum actionibus, & summis laudibus peragitur.

Quo sensu corpus Christi dici possit aliquo modo ubique.

Est iam huic loco perspicuè satisfactum. Id tantum superest, ut dilucidum faciam, quid Remigius & Haymo sibi uoluerint, cum adijciunt, ut iste refert, Animaduertendum est, quia diuinitas uerbi dei, quæ una est, & omnia replet, & tota ubique est, ipsa facit, ut non sint plura sacrificia, sed unum, licet à multis offeratur. Horum uerborum porrò hic est sensus: Si multa sacrificia essent, multi adeò Christi essent: at id prohibet diuinitas uerbi, quæ unam duntaxat habet hypostasin, qua domini etiam nostri natura humana subsistit. Proinde quia dari non possunt multi Christi absque multis hypostasibus, & persona uerbi una est hypostasis, ideò propter illam multi Christi esse nequeunt. Cumq; unus tantũ sit Christus, illius eiusdẽ memoria fit, ubicunq; cœna Domini habet.

Quare non possint esse multi Christi.

Damus igitur unum corpus Christi ex uirgine sumptũ in multis locis simul offerri: modò accipiatur oblatio ut Ambrosius, uel potius Chrysostomus est interpretatus; & natura Christi diuina fieri, ut non multa sint sacrificia, quando

propter illam non multi possint esse Christi. Mirorq; unde Inconsiãtius, cum illi tantùm habeant (diuinitas uerbi Dei) reddat(diuinitatis Christi potẽtia) quasi illi uoluerint opus esse potentia Christi, ut eius corpus sit simul in multis locis. Cum illi solum dicant, diuinitatem Christi efficere, ut non sint multa sacrificia: quandoquidem, ut dixi, propter unam hypostasin personæ uerbi, non possint esse multi Christi. Et sensum hunc esse proprium, declarat ipsa conclusio. Sic enim inferunt: Nam si aliter esset, quoniam in multis locis offertur, multi essent Christi: quod absit.

Sed intereà percontari non omittam: Si, ut isti consentiunt, nõ sunt multa sacrificia, sed unum, qua licentia permittitis uos in Canone ut dicatur: Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata? Quare uel Canonem uestrum, quò meretur, abijcite: uel desinite aliquando hæc loca patrum nobis obijcere.

Papistæ in Eucharistia multa ponunt sacrificia.

Nunc autem superfluum sit, ut de uerbis Chrysostomi quicquam dicã. Nam cum ea laruato Ambrosio fuerint assuta, qui unum norit, utrunq; norit. Sed id non prætereundum, uanissimum hominem, cum ob prauum corruptumq; sensum affixum his patribus, putarit se hostes postrauisse, insultare nobis petulãtia plusquam satyrica: sed quàm uerè, obsecro, audiamus. Verba enim mendacissimi Thrasonis libet ascribere. Audi figurator, tam certò credebant ij patres, uerum Christi corpus offerri, non figuram, ut in potentia diuinitatis Christi fidem sisterent, quẽ non dubitabant id posse efficere, ne necesse haberent multos Christos cõfiteri. Cum alioqui, si nihil aliud quàm figuram offerri credidissent, facile est, unius Christi innumeras habere & cogitare in pane & uino figuras: quomodò unius hominis mortalis, cum picturas plures pictas aut sculptas uideamus, non eò magis hominem ipsum multiplicatum imaginamur. Sed ut ad Christum redeam, unum & eundem Christum tot figuris, & tam uarijs in ueteri lege præfiguratum, à figurarum numero multiplicari nõ dicebant: nec ij patres, si solam Christi figurã credidissent offerri, hæc ita tractassent, ut ubi nihil subesset causę, absurditatem colligerent de multis Christis, quæ à figurarum multitudine non sequitur, sed à ueritate corporis oblati omninò sequitur, nisi quatenus mira Dei omnipotentia id efficiatur, ut unũ & idem Christi corpus in multis locis offerri possit, ita tamen, ut unus ubique sit Christus, &c. Mirum quàm sibi placeat, ut epitheti noui repertor, quo nos flagellet, dum ore tumido figuratores despectè appellat: neq; uidet hunc præclarum titulum filio Dei, non autem nobis conuenire. Nam ille ipse uoluit se in lege, atque ante legem multis figuris adumbrari. Atq; idem in nouo Testamẽto sacramẽta instituit: quę uniuersa Ecclesia semper typos, exẽplaria, signa, & imagines consueuit nominare. Quare ille in primis dici debuit figurator, qui, dũ uiuimus hic, pro sua lenitate figuris infirmitati nostræ cõsuluit, res ipsas, & quidẽ apertas ac reuelatas, in cœlesti patria cõcessurus.

Filius Dei est præcipuus figurator.

Quod si & nos, ceu participes proprietatis filij Dei, & fratris nostri primogeniti, figuratores appellemur, quòd figuras ab illo institutas defendamus figuras esse, id nobis laudi non uitio ducimus. Gardinerum uerò monebimus, ipsum & similes eius, pręstigiatores iure appellari: quòd Christi corpus magna temeritate atq; impostura conẽtur terminis, figura, mẽbris, & denicq; omni propemodũ humana proprietate spoliare. Nusquàm, q̃ ego sciam, præstigiatores bene audierunt, cũ fallant, imponant, mentiant, & decipiãt. Porrò qui præstigiatur in re tanta, is profectò ut pernicioſissimus est explodendus ab omni hominum societate.

Gardinerus cũ suis appellari debent præstigiatores.

Verùm intempestiua & insulsa Inconstantij epinicia expendamus. Nõ collegissent, inquit, patres absurditatẽ de multis Christis, quæ à figurarũ multitudine non sequitur, si nihil aliud, nisi figurã offerri credidissent. Vnde nam accipis, aut nos, aut patres putasse, nil aliud quàm figuram offerri? Certè neq; ipsi hoc sentimus,

mus,neq; patres hoc credidisse docemus. Contẽdimus enim in sacris mysteriis gratiarum actionem,cõmemorationem,& memoriam fieri corporis & sanguinis domini pro nobis traditi,atq; hoc esse,quod patres appellarint offerre. Quare iuxta huiusmodi significationem Corpus & sanguis Christi dicitur offerri: nã ista sunt ea quæ commemorantur,& de quibus gratiæ aguntur. Commemoramúsne hic figuras? aut de figuris gratias agimus? Nemo unquam audiuit nos hæc dicere. Panem quidem & uinum docemus figuras esse, & eas quidem non qualescunq;,corporis & sanguinis domini:at pro illorum significatis gratias agimus:nec non eorundem memoriam facimus. Ideò præstigiator haud nostram sententiam reprehendit,sed alienam:nisi fortasse credat,se præstigijs suis effectu rum,ut alienam opinionem credamus nostram. Sunto figurę quam uelit multę: unum semper est,quod commemoratur,quod fide percipitur,& de quo gratias agimus.

Non de figuris gratias agimus in cœna, sed de rebus quæ Christus pro nobis posuit.

Figuræ sunt multæ,at significatũ est unũ.

Cur ergò,inquit,patres absurditatem de multis Christis proferebãt, quæ tantum uidetur potuisse oriri ex ueritate corporis oblati? Causa propter quam patres absurditatem propulsare uoluerint,& ita loquuti sint, duplex afferri potest. Prior,quoniam panis est,qui proponitur in mensa domini: & à scripturis, & ab Ecclesia nihilominus uocatur corpus Christi,quia illud significat,& refert. Vnde,ne putemus ipsum panem ac uinum offerri,curarunt patres huius generis loquutionibus transferre animos auditorũ ad rem ipsam,quæ offertur, & ad Christum illos euehere:ne si credant,panem re uera corpus Christi esse,tot cogantur Christos ponere,quot proponuntur panes. Videbãt enim si symbola res essent, multos Christos fore: id uerò naturam diuinam uerbi non pati. Vt subleuent igitur animos communicantium ad rem quę offertur,& ne symbola putent uel corpus uel sanguinem Christi esse,ita loquuntur. Propterea uos transubstantiatores atq; præstigiatores,qui corpus Christi sub illis accidentibus panis & uini claudi tis,euitare non potestis,quin tot ponatis per orbem Christos, quot frusta panis ad mysteria adhibetis. Altera uerò causa cur sic rem tractarint,est,quoniam offerendi aut sacrificandi uerbis uti uoluerunt:quæ uerba si propriè acciperentur, quemadmodum uictimæ adsunt & sacrificãtur præsentes, ita eos corpus Christi oporteret in cœna domini præsens habere,quod offerrent atq; sacrificarẽt:quod profectò si fieret, Christi multiplicarentur,nisi multa corpora uni Christo uellemus attribuere. Ideò patres hoc sermonis genere ceu monitione quadam,ostendunt se,uerbis offerendi & sacrificandi non propriè uti,cum eis gratiarum actionem,commemorationem,atq; fidei perceptionem intelligant: atque ita fit,ut ex multis oblationibus huius generis Christorum multiplicatio non sequatur. Hæ sanè causæ sunt,cur tam cautè atq; accuratè patres ij demõstrarint,ex multis oblationibus non oriri Christorum multitudinem. Voluerunt enim ostendere,symbola ipsa non offerri: & uocem oblationem non esse accipiendam usitato more. Neq; ut præstigiator fingit,ullam hic diuinæ potentiæ mentionem fecerunt: sed tantum diuinitatis uerbi:cuius nihilominus Ambrosius,& Chrysostomus,ut puriores,non meminerunt. Liturgia quidem Chrysostomo adscripta,ut superius attigimus,iuxta Erasmi uersionem eius meminit,cũ inquit:Et dignos nos redde potenti manu tua,ut participes immaculati corporis tui simus. Quorum uerborum sensus est,ut potentia dei euadamus digni corporis Christi participatione. Vnde apparet, illum diuinam potentiam exigere ad nostram ipsorum immutationem.

Potẽtia dei redimur digni perceptione corporis Christi.

Sed non patitur præstigiator uerba patrum sic explicatè, ac dilucidè intelligi: sed quendam Bernhardum adhuc producit,quo suam hanc diffusionem corporis Christi per multa loca se probare posse confidit. Is in sermone de Cœna do-

Bernhardi locus.

„ mini ſic inquit: Sed unde hoc nobis pijſſime domine, ut nos uermiculi reptantes
„ ſuper faciem terræ, nos inquam, qui puluis & cinis ſumus, te præſentem habere
„ mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer ſedes ad dextram pa-
„ tris: qui etiam unius horæ momẽto ab ortu Solis uſq; ad Occaſum, ab Aquilone
„ uſq; ad Auſtrum præſto es omnibus, unus in multis, idẽ in diuerſis locis? Vnde
„ hoc? inquam. Certè non ex debito, nec ex merito noſtro: ſed ex uoluntate tua, &
„ dulcedinis tuæ beneplacito. Paraſti enim in dulcedine tua pauperibus deus. Et
„ mox: Gratulare ſponſa, gaude incomparabiliter: præſidẽtem habes, & rectorem
„ ſponſum in præſentis exilij militia: pignus habes, arram tenes, quibus fœliciter
„ ſponſo uniaris in patria glorioſa et amabilis ſponſa: in terra ſpõſum habes in ſacra
„ mento: in cœlis habitura es ſine uelamento: & hic, & ibi Veritas: ſed hic palliata,
„ ibi manifeſtata. Bernhardum quendam hic adduci ſum præfatus, non iniuria: quia hic ſermo non eſt inter legitimas Bernhardi lucubrationes annumeratus, ut in meo libro pagina 321. diſertis uerbis eſt annotatum. Neq; tamen, quiſquis is fuerit, qui hæc dixit, ſuis uerbis noſtram aſſertionem confutat. Chriſtum enim præſentem quoad eius diuinitatem, nunquam negauimus. Et quod ad corpus etiam attinet, poteſt dici præſens, cum ſacramentum corporis eius nobis paſſim præparetur, quod corpus Chriſti & dicitur & ſuo modo eſſe perhibetur. Chriſtũ item nemo neſcit præſto eſſe omnibus credentibus: quandoquidem nemo credit, niſi Chriſtum in corde habitantem per fidem habeat. Cumq; teſtatur Eccleſiam habere in terra ſponſum, quid uelit, explicat, dum adijcit, In ſacramento, uelamine inquam, & ſignificatione: habitura illum deniq; in cœlo abſq; uelamẽto: quia tum coràm eo fruemur, illum uidendo ſicuti eſt: quem nunc ſignis, & inuolucris tantùm fide cernimus. Nec debet quenquam turbare quòd ſubdit: Et hîc, & ibi ueritas: quia ſicut in cœlo uerum Chriſti corpus in conſpectu habebimus, ita modò ſacramento admoniti per fidem contemplamur non fictum, ſed uerum ipſius corpus. Non enim fides de falſis aut fictis credentes erudit. Vnde pulchrè concludit: Sed hic palliata, ibi manifeſtata: ceu diceretur, Veritas illa corporis Chriſti, quam modò apprehendimus fide, nobis per ſacramenta demonſtrata, quæ illum non planè aperiunt, ſed tectè atq; inuolutè teſtantur: in patria, ubi uidebimus facie ad faciem, manifeſta erit, & clara. Iam, ut arbitror, ſatis apparet, quid nam de uerbis huius Bernhardi ſuppoſititij iudicem.

Bernhardi ueri alter locus. Nunc ex ipſo uero Bernhardo teſtimonia producam: quibus non obſcurè patebit, quid hac de re ſenſerit. In Cantica Canticorum ſerm. 33. ita ſcripſit: Habeo
„ & ego uerbum, ſed in carne: & mihi apponitur ueritas, ſed in ſacramento. Ange-
„ lus ex adipe frumenti ſaginatur, & nudo ſatiatur grano: me oportet interim quo
„ dam ſacramenti cortice eſſe contentum: carnis furfure: literæ palea: uelamine fi-
„ dei. Et hæc talia ſunt, quæ guſtata afferant mortem, ſi non de primitijs ſpiritus
„ quantulumcunq; acceperint condimentum: prorſus mors mihi in olla, niſi de
„ prophetæ farinula dulcoretur.. Confert hoc loco notitiam Chriſti, quam angeli habẽt, cum illa, quam nos, dum hic uiuitur, accipimus. Illi nudum eum contemplantur: at nos cognoſcimus ſacramento indicatum, uelatum humanitate, atque fide perceptum. Quæ omnia, quoniam à noſtra ratione aſſenſum minimè impetrarent, neq; illis crederemus, niſi ſpiritus nobis ea perſuaderet, contempta, & repudiata, mortem & quidem æternam afferrent.

„ Deinde quam ſubijciat huius collationis explicationem audiamus. Et quan-
„ talibet ſanè abundantia pingueſcant iſta, non pari omninò iucunditate ſumitur
„ cortex ſacramenti, & adeps frumenti. Fides & ſpes, memoria & præſentia, æter-
„ na & tempus, uultus & ſpeculum, imago dei & forma ſerui. Nempe in omnibus
„ his fides mihi locuples, intellectus pauper. Nunquid uerò pars par intellectui
fideiq;

fideíq; cum ſit in meritum iſta, ille in præmium: Vides diſtare tantùm inter pabula, quantum inter loca: & ſicut exaltantur cœli à terra, ita inhabitantes in eis. Docet hiſce uerbis Bernhardus & homines & angelos paſci Chriſto, & pabuli diuerſam eſſe rationem. Atq; inter cæteras differentias hic aſſignatas ponit memoriam & præſentiam: nos memoriam habemus, angeli præſentiam poſſident. Seruetur quæſo uerborum ἀντίθεσις. Memoria opponitur præſentiæ: fides aperta contemplationi: ſpeculum claro aſpectui: forma ſerui diuinæ imagini. Proinde ſi antitheſεως ratio ſpectetur, nobis memoria eſt relicta: angelis uerò atque ſanctis in patria degentibus præſentia cedit. Rem amplificare non ſtatui, quia per ſeſe dilucida eſt: & ſpero lectores Bernhardi longè fore diligentiores, quàm ut nudo Inconſtantiſ teſtimonio uelint eſſe contẽti: qui nos audet ψευδομάρτυρας uocare, cum ipſe mendacij, doli mali, perfidiæ, atq; proditionis nuſquam non poſſit iure optimo accuſari.

Memoria opponitur præſentiæ à Bernhardo.

Argumenta noſtra ſuauiter, ut ſibi uidetur, ridet. Corpus Chriſti, quod uerè humanum eſt, ſedet in cœlis: ergò non eſt in terris. Ibi eſt: ergo non eſt hic. Reliquit mundũ: ergò non eſt in ſacramento. Eſt naturæ finitæ: igitur loco circumſcribitur. Hæc inter cætera, quæ ſanè multa præterit, argumenta noſtra ſunt. At ea recitando, & ridendo, atq; addendo conuicia, non ſoluuntur. Quoniam humanum corpus ſuas quaſdam habet proprietates & differẽtias, ut dialectici loquuntur, eſſentiales, quas ubi ſuſtuleris, humanum corpus eſſe deſinet.

At diſſimulant, inquit, cuius ſit corpus, nempe dei, cui parent omnia. Viciſſe ſibi uidentur, cum Chriſti corpus dei omnipotentis corpus eſſe reſpondẽt: quaſi concedendum ilico ſit: Corpus eſt dei, ergo non eſt corpus: &, Quia dei eſt corpus, eſt infinitum: Et caro Chriſti, quæ molem habet ſuis finibus, & ſua figura circumſcriptam, in cœlo, & in infinitis locis orbis eodem tempore præſens habebitur. Quis iſta bene ſanus largiatur? Audacter dico, ſed unà cum patribus hoc affirmo, Si diuinitas ipſa corpus eſſet, non poſſet in infinitis, & innumerabilibus locis tota eſſe.

Si diuinitas ipſa corpus eſſet, non eſſet tota ſimul in locis pluribus.

Adducta ſunt, fateor, multa patrum loca: ſed nullibi adhuc reperire potuit, quamuis id magnificè iactet, ipſum Chriſti corpus re ipſa, & corporaliter, ut loquuntur, in diuerſis locis ſimul eſſe. Aliquo modo adeſſe, nos etiam credimus, & damus. At carnalem illam & realem præſentiam conſtanter negamus.

Deinde quæ, malùm, inſania eſt, in tanta re, quamq; diuinis literis teſtatam propoſuerit, nullum oraculum ex diuina ſcriptura protuliſſe? An patres adducendi ſunt, cum uerbum dei poſcitur? Certè ſic agi non oportuit. Imò, quia dixit ab initio, hanc dei uoluntatem ut corpus Chriſti realiter in ſacramento adſit ſcripturis eſſe teſtatam, ipſa diuinarum literarum oracula debuit afferre. Sed hoc hypocritarum eſt, longè alia facere, atq; ab initio ſe facturos præ ſe tulerint.

OBIECTVM II.

PAVPERES ſemper habebitis uobiſcum, me autem non ſemper habebitis.

GARDINERVS.

CHRISTVS *in pauperibus notauit euentum, non impoſuit neceſſitatem: imò ne pauperes omnino eſſent, edita charitatis lege uidetur à ſuis exegiſſe.*

MARTYR.

PVtat noſter ſophiſta locum hunc ita intelligendum, quòd Chriſtum non ſimus inſtar pauperum in terris habituri: quem intueri, alloqui, tractare ad

terrenæ conuersationis modum possimus, illi, ut pauperibus, humanitatis officia exhibituri. Primùm, si fateamur, quod isti uolunt nos credere, corpus Christi re ipsa in Eucharistia esse, Domini sententia in cõtrarium uertetur, & dicemus: Christum semper habebimus nobiscum, nõ autem pauperes. Quia post beatam resurrectionem, quãdo beati erimus in cœlis, paupertas ibi non erit: Dominum uerò illic habebimus coràm: & dum hic uiuimus, in Eucharistia, ut isti uolunt, semper habemus præsentem. Nam in omnibus eorum templis seruatur clausus, aut suspensus.

At, inquit, habemus quidem, sed non ceu pauperem. Quasi Christus ibi sese pauperibus annumerauerit, cum potius eis per antithesin se opponeret. Neque apostoli cum pauperibus illum contulerunt: imò iudicarunt eum non opus habuisse illa pretiosi unguenti effusione. Potuit, inquit Iudas, cum quo & alij murmurarunt, istud unguentum uenundari magno, & dari pauperibus. Neq; hoc scribo, quasi negem Christum fuisse pauperem: sed ut demõstrem, illum hoc sermone se non coniunxisse cum pauperibus, ac si diceret, Me quidem habebitis, at non ea ratione, qua sunt uobis præsentes cæteri pauperes. Nihil ille de modo tradidit: solùm inquit, Me non semper habebitis. At præstigiatores per uisibiles & inuisibiles modos, omnem controuersiam putant rectè esse compositam.

„ Aderit, inquiunt, at non ita, ut illi officia humanitatis exhiberi possint. Miror eos audere ita dicere, cum Eucharistiam in pixide sic habeant, ut aurum, argentumq; circumponant, & serica uela, suffitum & lucernas adhibeant. Inter hæc, & illam unguenti effusionem, quid, obsecro, intereſt? Certè ut ista, quæ Deo suo paraceo faciunt, pauperibus non conueniunt, ita ijsdem non attribuenda est pretiosissimi unguenti perfusio. Si dixit Christus, Me non habebitis ulterius, eo modo, quo mihi possitis nobilia hæc officia exhibere, quæ supra sortem pauperum existimantur, manifestè idololatras istos arguit, qui præbent ipsi, ut arbitrantur, præsenti eximios honores, quos memorauimus. Vertant igitur se quo uolũt, Christum non amplius quoad corpus habituri sunt. Non enim ut pauperem habebunt, quemadmodum & ipsi fatentur: nõ etiam eo modo, ut sic honorificè tractari possit, sicut Papistæ in sua idololatria hodie faciunt, & discipuli murmurabant piam mulierem tum temporis feciſſe. Nam Dominus ipse negauit, id posteà futurum.

„ Et ne sophista Dialecticas argutias credatur ignorare, inquit, potius ex illis „ uerbis ita fuisse concludendum: Me non semper habebitis, ergo aliquando habe „ bitis, interdum habebitis: quia negatio ita collocata non præsentiam, sed frequen „ tiam præsentiæ aufert. Quis unquam à Leguleio tãtum acuminis Dialectici expectasset? Sed quis non uideat, hoc genus conclusionis minimè nos lædere, sed causam Inconstantij maximè labefactare? Cur non fateamur Christum fuisse aliquando postquam ea uerba enuntiauit, cum Apostolis futurum? Cũ illis profectò uersatus est ab illo die usq; ad mortẽ: ac post Resurrectionem per 40. dies: & deniq; nobiscum erit, cum ad iudicandum uenerit. Damus itaq; sine cunctatione, Me non semper habebitis uobiscum: ergo, aliquando habebitis.

At isti quomodò fatebũtur, aliquando & interdum eum futurum nobiscum, non aũt frequenter, quando illum semper nobiscum esse, licet modo inuisibili, statuant? Omnes certè, quotquot sunt ex Papistica colluuie, corpus Christi contendunt esse sub accidentibus panis consecrati, uel potius excantati, quandiu accidentia illa manserint. Et idcircò panem illum adorant, & circũgestant, & omni honoris genere prosequuntur. Quod uerò dabunt tempus, quod ue propemodum sacellum uel templum, in quo idolum huiusmodi non conseruetur? atq; perpetuò, noctu inquam & diu, non habeatur? Quare uelint, nolint, cogun-

tur di-

tur dicere, iuxta superstitionem suam, semper Christum etiam quoad corpus no biscum uersari. Proinde sequendo argutias Dialecticas dicent: Non semper me habebitis, igitur, me semper habebitis. Non enim possunt dicere uel Aliquãdo, uel Interdum, nisi uelint idoli sui conseruationem intermittere. Quod quia facere nolunt, desinant Dialecticè argutari.

At mox dicit: Sed ijs formulis non subijcitur scriptura diuina. Cur illas formulas, & spinas Dialecticas mouebas, si eas uidisti ad sacras literas non esse accõmodandas? Quid ita nugaris? Timuisti fortasse, ne ista ignorare uidereris. Te isto metu libero, quandoquidem ab omnibus pro sophista & quidem non uulgari haberis. Vtinam ita calleres diuinas literas, ut in his captiunculis es iam inde à pueritia uersatus: quibus & Ecclesiam & Rempub. maximo utriusq; damno, astutissimè fallis.

Ne tamen uideatur omnibus modis uerba Dei abijcere, locum inducit ex posteriori ad Corin. ca. 5. ubi scribitur: Et si Christum nouimus secundum carnem, at iam non nouimus. Istam negatiuam ita intelligimus, inquit, non ut omnẽ extinguat cognitionem, sed ut distinguat cognitionis modum. Nam & nunc cognoscimus Christum secundum carnem, confitentes Deum & hominem in cœlis regnantem, & eundem nobis in sacramento uerè præsentem. Qui noster cognoscendi modus alius est, atque illorum fuit, qui Christi uisibilem in carne conuersationem familiari consuetudine experti essent. Locum Pauli iam adductum satis agnosco: quid uerò isti prosit, non facilè uideo. Si Paulus inquit, nos Christum non nosse, nec tamen extinguere uult omnem Christi cognitionem: illud exprimit certis uerbis, quod exceptum uoluit, cum addit, Secundũ carnem. Quæ uerba non debemus accipere, ut iste sibi singit, de carne in uniuersum, ac simpliciter. Quis enim nostrum Christo ueram carnem adimere ausit? Carnem itaque intelligimus, ut Chrysostomus & Ambrosius exposuerunt, infirmitatis, mortis, & humanarum calamitatum affectus, quibus ante Resurrectionem Dominus uolens factus est obnoxius. Paulus itaque, si non extinguit omnem Christi cognitionem, quid excipiat, explicuit: & quod excepit, ostendimus quemadmodum accipiatur. At Christus dum inquit, Me autem non semper habebitis, nihil excipit, simpliciter dictum suum enũtiat. Vnde quicquid de uisibili aut inuisibili modo affingitur, merum est Gardineri & similium eius figmentum.

Quomodo dicamur Christũ nõ nosse secundum carnem.

Chrysostomus, Ambrosius.

De carne Christi, quòd salua quoad substantiam illi adhuc maneat, nos multis diuinæ scripturæ locis probare possumus. Quòd uerò sub pane inuisibilis delitescat, ille diuinis oraculis confirmet, ac tum de interpretatione eius non multum rixabimur.

Ad hæc, ita sibi responsum habeat, Si Paulus illa negatione minimè omnem Christi cognitionem extinxit, ita ne nos quidem omnem Christi præsentiam ob illa uerba (Me autem non semper habebitis) tollimus. Est nobiscum Christus per diuinitatem, est per gratiam & fidem, est per spiritum & multiplicia dona. Sic enim, ut ait Apostolus, in cordibus nostris habitat. Cum itaq; multæ præsentiæ species relinqui possint, cur iste ad corporalem hanc nos adigit?

Sed fortasse inquiet, Vos cur illam negatis? Quia Christi corpori, si uerè humanum corpus sit, concedi non potest, nimirum ut simul eodemq; tempore in in cœlis & in terris uersetur.

Ambigit præterea, quomodò illud intelligamus, Ero uobiscum usq; ad consummationem sæculi: quasi uerba illa sint nebulis circũfusa, & magnam obscuritatẽ habeant. Est nobiscũ Christus, ut promisit, spiritu suo, quo cœtus fideliũ perpetuò regitur & conseruat. Vnde quãuis graues diuexationes, tyrannorũq; crudelitates excitentur, adest ille, dum cœlesti ui suos corroborat, & admirabili

Quomodo Christus est nobiscum usq; ad cõsummationẽ sæculi.

uirtute confirmat,neq; suos relinquit orphanos. Ista tam expedita sunt & aperta,ut ab omnibus palpari,nedum uideri queant.

Sed nos uicissim & dubitamus, & percontamur,quid ille sibi uelit, cum inquit: Nec quia in sacramento est præsens Christi humanitas, est igitur dicenda præsens semper & absolutè,sed tum demum cum conficitur sacramentũ, quandiu conseruatur suo usui idoneum:quod licet assidua frequentia possit continuari,non est tamen uerum semper adesse actu,quod semper,ut adsit,eget interpellatione. Sunt hæc uerba meræ tenebræ: quas ut nos uno flatu depellimus, ita eas Papæ tota cohors non recipiet. Quomodo enim dicet,humanitatem Christi perpetuò semperq; non esse in terris,cum in infinitis locis panis excãtatus nunquam desinat asseruari? An inficiabimur homines in mundo semper esse, quia opus est ut subinde nascantur? Eadem est utrinq; ratio. Si corpus Christi est in sacramento,cum à presbyteris conficitur,& quandiu cõseruatur,ut iste fatetur, & quotidiè millies conficitur,& perpetuò asseruatur, quo pacto non semper in terris erit? Adducant,oportet,nouum Chrysippum, qui nodum hunc expediat. Sed quid hæc dico? Satis ijs est, ut impediant & inuoluant: expedire atq; euoluere,& in lucem producere,parum,imò nihil curant.

Arbitratur postremò sententiam suam,qua inquit, Christum nobiscum futu-
August.locus. rum,sed non instar pauperum, ab Augustino manifestè confirmari: qui super Iohan. Tractatu 95.sic scribit:Postremò secundum hanc iustitiam,nunquid dicemus Paulum apostolum non fuisse iustum,confitentem se Christum uidisse post Ascensionem eius in cœlum,de quo utiq; iam tempore dixerat,Iam non uidebitis me? Nunquid secundum hanc iustitiam iustus nõ erat glorioßissimus Stephanus,qui cum lapidaretur ait,Ecce uideo cœlum apertum,& filium hominis stantem ad dextram dei? Quid ergo est,Ad patrem uado:&, Iam non uidebitis me, nisi quomodo sum,cum uobiscum sum? Tum enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati,qui esurire poterat,atq; sitire,fatigari,atq; dormire. Nũc ergo Christum,id est,talem Christum,cum transisset ex hoc mundo ad patrem, non erant iam uisuri,& ipsa est iustitia fidei,de qua dicit Apostolus:Etsi nouera mus Christum secundum carnem,sed nunc iam non nouimus. Hæc Augustinus,ait Gardinerus,qui præsentiam Christi, & absentiam,distinguit,præsentiæ & absentię modis:secundum quos rectè accommodatos non est absurdum,eundem & præsentem fateri & absentem. Quid, obsecro, Augustini testimonium ad nostram facit controuersiam? Duos ille domini status ponit: alterum mortalem,alterum immortalem:unum fami,siti,labori, & somno obnoxium: alterum ab ijs defectibus prorsus absolutum. Geminum statum Christi, qui sic describitur,quando,uel ubi,nos unquam negauimus? De præsentia nunc agitur: iste de aspectu & uisu rixam mouet:quasi nos dicamus,Paulum ac Stephanum uidisse Christum,in statu & conditione mortali. Scimus porrò, illum se iustis ijs uidendum præbuisse immortalem,atq; unà cum patre regnantem: non tamen illis in terris præsentẽ se exhibuisse. Nam in cœlis erat cum uidebatur. Si Augustinus diceret, Christum simul fuisse in cœlis & in terra, cum à Paulo & Stephano uideretur,aliquid Gardinero sophistæ patrocinaretur. Sed hoc nõ dicit. Si de præsentia sermo esset,argueremur. At neutrum istorum asserit. Quia non de præsentia loquitur,sed de aspectu,& qualis in cœlo uisus sit Christus,ostendit. Accipiat ex ijs,quantum licet:plura non colliget. Facilè dabimus corpus Christi non amplius uel fide uel oculis apprehendi passibili forma, sed immortali. At simul in multis locis esse non dabimus. Quæ,malùm,proteruia est, quæ de uisu traduntur,ea ad corporis præsentiam transferre? Videri posse Christum, quando uoluerit,existentem in cœlo,non negabimus:at & in cœlis, & in terris esse quoad

corpus

corpus eodem tempore negamus. Qua fronte infert Pseudoconstantius: Hæc Augustinus, qui præsentiam Christi & absentiam distinguit præsentiæ & absentiæ modis? cum Augustinus uerbum nullum uel de præsentia, uel de absentia fecerit. Sed sophistis uideri & adesse idem significat. Cum uerò Grammatica Latina non ita doceat, illos ad eius prima rudimenta discenda remittemus.

Neq; si quis rectè consideret, statuum corporis Christi distinctio ad synaxin quicquam facit. Quia licet modò caro Christi sit immortalis, illam tamen ibi ad fidem nostram reuocamus, ut pro nobis facta est mortalis, & in crucem tradita. Dum enim communicamus, memoriam mortis domini celebramus: & uerba repetimus, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: & hic est sanguis meus, qui pro uobis funditur. Sunt quidem modò ista impassibilia: sed in nostrã fidem ut passibilia fuerunt & mortalia, incurrunt: licet postea mentem quoq; nostram proferamus, ad beatam illius Resurrectionem, & regnum credendum. *Quomodo carnẽ Christi consyderemus in sacra cœna.*

At si uelimus, quid Augustinus crediderit de ista domini responsione (Me autem non semper habebitis) intelligere, illum audiamus, dũ ex professo locũ interpretatur, super Ioan. tract. 50. Accipiant, inquit, & hoc boni, sed nõ sint solliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. Secundum carnem uerò, quam uerbum assumpsit: secundum id, quòd de uirgine natus est: secundum id, quòd à Iudæis prehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in Resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum. Quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus uidendo, sed nõ sequendo, ascendit in cœlum & non est hic. Ibi est enim & sedet ad dextram patris: & hic est: non enim recessit præsentia maiestatis. Et aliter, secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non uidet. Quid his apertius dici potuit? Audis Augustinum affirmantem, Christum præsentia corporis & carnis non esse hic: sed nobiscum esse, secundum maiestatem, secundum prouidentiam, & secundum gratiam inuisibilem? *August. locus.* *Christus præsentia carnis non est hic.*

Neq; ab hac sententia dissidet Cyrillus: imò super eundem locum ita scribit: Deniq; autem cum de se dixit, Me autem non semper habebitis, loquebatur dominus de præsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem, & inuisibilem diuinitatis gratiam, impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Possem quoq; huc in eandem sententiam Fulgentium & Vigilium citare, sed ea testimonia in aptiorem locum reijcio. Hæc iusta est distinctio: & inter humanitatem & diuinitatem rectè distinguit. Horum uerò modi Visibilis & Inuisibilis, res confundunt, præstigijsq; tantum inseruiunt. Proferant ex diuinis literis Christum sui corporis præsentiam nobis inuisibilem promisisse, ac uicerint. Quid opus est uerbis tam diu rixari? Hoc ostendatur: & composita est controuersia. *Cyrillus.*

OBIECTVM III.

IOANNIS XVI. Relinquo mundum, & uado ad patrem. At mundum non reliquisset, si per Transubstantiationem esset perpetuò nobiscum.

GARDINERVS.

CHRISTVS *absoluta in terris legatione, ita mundum reliquit, ut nec destitueret orphanos, nec ullis promissis unquam deesset.*

MARTYR.

„ CHristum respondetur finiuisse conuersationem uisibilem: sed tamen iuxta
„ promissa nobiscum esse usque ad consummationem sæculi. At oportuisset promissionem, qua Christus recepit se quoad corpus fore nobiscum realiter (ut ita dixerim) demonstrare, quod isti non faciunt. Christum cum fidelibus esse gratia, spiritu & quoad diuinitatem, semper fatemur: quin & eius carnem presentia fidei adesse, non negamus. Vnde, quod ait Dominus, Vobiscum ero usque ad consummationem sæculi, piè ac fideliter amplectimur. Quodq; in illis uerbis, Ero uobiscum usq; ad consummationem sæculi, præsentiam per gratiam intelli-

Chrysostomus. gimus, ex Chrysostomo habetur: qui in epistolam ad Thessalonicen. posterio-
„ rem cap. 3. homelia 5. sic scribit: Gratia uobis, inquit, & pax: & rursus, Gratia
„ Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen. Hoc & Dominus polli-
„ citus est discipulis dicens: Ecce ego uobiscum sum, omnibus diebus usq; ad con-
„ summationem sæculi. Nónne luce clarius hæc demonstrant, Christum promisisse se nobiscum fore per gratiã? Atq; id identidem exposuit Cyrillus, ut paulò antè ostendi. Quinetiam Cyrillus, quod aiebat Dominus in Iohanne, capite 14. Non relinquam uos orphanos, quæ Domini sententia modò ab Inconstan-

Cyrillus. tio producitur ad præsentiam carnis & corporis confirmandam, sic exponit, ut
„ libro 9. super Ioannem habet cap. 46. Quamuis ergo in cœlos postquam ex mor-
„ tuis resurrexit, Dominus ascenderit, ut Deo pro nobis iuxta Paulum appareat,
„ adesse tamen semper per spiritum suum fidelibus pollicetur. Rideat igitur, ut uult, Demipho nostras expositiones, quas adducimus, præsentiam interpretando Christi per gratiam, per spiritum, & diuinitatem. Patres, quibus ille omnibus modis iuratus est, sic exponunt: illis insultet, illos tropicos, illos figuratores iam appellet: nos tuti erimus.

„ Cum posteà subjicit, Ecclesiam tradere, in sacra cœna usq; ad diem sui aduen-
„ tus, eundem sacerdotem nostrum inuisibilem nobis adesse, Respondemus, de natura diuina, gratia, & spiritu ista facilè posse concedi: quæ si ad corpus & carnem referantur, nescimus ubi Ecclesia tradat, re ipsa & corporaliter hæc adesse. Nam ea, cum uerba sponsi sui tãtum doceat, & suos filios è scripturis sanctis tantum erudiat, nusquam talia docuit, nisi fortasse M. Antonius alia Biblia cuderit. Quod enim allegat, Hoc facite, ad rem eius nihil facit. Iubemur enim illis uerbis cœnam sacram in memoriam Christi celebrare: neque quisquam est adeò mi-

Præsentia non colligitur ex memoria. ser dialecticus, qui præsentiam ex memoria colligat. Dicere potest, ut uult, Chri-
stum cum in prima cœna uisibilis adesset, seipsum inuisibem præbuisse Apostolis comedendum. Nos ei non credimus, nisi quod loquitur probet. Quia de eo-

Contradictoria de eodem ac eo dẽ respectu non dicuntur. dem corpore, ac eodem tempore, quoad easdem partes, eosdem homines, & in eodem loco contradictoria dici nequeunt: Nempè ut uideret, & non uideretur, quis impostoribus hæc præstigia unquam concesserit?

Quis

Quis præterea ijs helleboro non dixerit opus esse, Christi corporis substantiam dicentibus sub accidentibus panis & uini delitescere, ac rursus mundum non repetijsse, quem reliquerit, sed tantum succurrere nobis in mundo laborantibus? Quid ista obsecro sibi uolunt, nisi ut affirment, simul in terris corpus Christi quoad substantiam & adesse, & non adesse? Si carne sua præsenti subuenit, & ascendendo in cœlum abijt, nec redit, aut uenit ad nos, utiq; carne sua præsens erit, & præsens non erit. Cogunturq; isti dicere, nondum perfectam esse illam œconomiam, quam Christus exercendam per corpus suscepit, si quotidiè corporaliter ad nos pascendos redit in mundũ. In quem uicissim eum si redire negant, corpore abesse, incunctanter concedant, necesse est.

Oeconomia, quam Christus per corpus perficiendã susceperit, consummata est.

OBIECTVM IIII.

NON sunt nisi duo aduentus domini, & unica est Ascensio eius in cœlum, quantum scripturæ meminerunt, ergo non transubstantiatur panis in corpus Christi.

GARDINERVS.

QVONIAM *illud esse Christi in mysterio nobis præsens, nullam loci mutationem efficit, nec terrenæ nobiscum, & uisibilis conuersationis speciem, nihil habet in sacramento præsentia commune cum primo Christi aduentu.*

MARTYR.

PRimùm respondetur, ex eo, quòd corpus Christi nobis in sacramento præsens habetur, nullam in eo effici loci mutationem. Et quia huic mysticæ præsentiæ deest species uisibilis conuersationis, quæ in primo domini aduentu præstita fuit, deest etiam uisibilis gloria maiestatis, quæ in postremo domini aduentu cernetur, ideò ista præsentia in sacramento nihil cum primo, nihilq; cum secundo habet commune. Quare ad finem concludit, nos per ignorantiam in eandem rationem cogere, quæ sunt diuersa.

Quod sibi accipit Christi corpus per nouam præsentiam in sacramento nullam facere mutationem loci, absurdissimum est. Quis enim dicat, corpus nõ mutare locum, quando aliquò uenit, ubi prius non erat? Certè non possumus aliter hoc genus mutationis definire, quàm statuendo, per eam corpus aduenire, & locum occupare, quem prius non implebat. Quid hic sophistæ negabunt? Dicent, corpus Christi sub accidentibus panis ante suam consecrationem adfuisse? Hoc si dixerint, non erit uis uerborum, quæ transubstantiet panem. Quòd si prius non aderat, & in proferendis uerbis adest, eò uenit. Corpus autem ueniens aliquò, ubi prius non erat, quomodò locum nõ mutat? Aufer locum à corporibus, inquit Augustinus, ad Dardanum, & non erunt.

Corpus Christi non potest in sacramento incipere adesse nisi eò ueniat. Augustinus.

Necq; patiuntur patres, quos in Obiecto primo Pseudoconstantius citauit, ut inficientur, corpus Christi dum est in sacramento, esse in loco. Nam ita Bernhardum in sermone de Cœna domini adduxit: Qui totus & integer sedens ad dextram patris, qui etiam unius horæ momento ab ortu solis, usq; ad occasum, ab Aquilone usq; ad Austrum præsto es omnibus, unus in multis, idem in diuersis locis. Iam audimus in loco esse, uel in locis, corpus Christi, quod est in sacramento. Quid isti locum ei negant, cum eorum patres locum ei tribuant? Nos ista testimonia non lædunt: quia locum, seu loca referimus ad symbola, quæ sunt in diuersis locis, & idem corpus referunt: uel ad fideles communicantes, qui in diuersis locis idem corpus Christi fide apprehendunt.

Patres corpori Christi locum tribuunt.

At nostri præstigiatores, qui omnia simpliciter & absque tropis accipiunt, iuxta naturam ipsam, & iuxta suorum patrum dicta, corpori Christi, dum est in sacramento, locum negare non possunt. Coget etiam illos hoc dare Ambrosius & Chrysostomus: quorum eadem uerba ibidem Gardinerus ad hunc modum protulit: Sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. Negent, si possunt, hic, & illic, differentias esse locorum. Quod si nequeūt inficiari, dent, præsens corpus in sacramento esse localiter.

Ambrosius. Chrysost.

Hic et illic, differētiæ sunt locorum.

Ad hæc, quomodò negabunt, Christum uenire ad panem per suam consecrationem, cum ipsorum Basilius, cuius liturgiam in primo Obiecto adduxerūt, ita ,, scribat: Attēde Domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto tabernaculo tuo, & ,, de throno gloriæ regni tui, & ueni ad eos sanctificandos. Hic iam audis orari ,, Dominum ut ueniat.

Basilius.

Sed Chrysostomus quoque in homelia 24. super epistolam priorem ad Co- ,, rinthios ca. 10. idem dicit, scribens: Aquilas autem appellat, ut ostendat ad alta ,, eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ,, ei esse commune, neque ad inferiora trahi ac repere: sed ad superiora semper uo ,, lare, & in solem iustitię intueri, mentisq́ oculum acutissimum habere. Aquila- ,, rum enim non graculorum hæc mensa est: & tunc occurrent ex cœlis descen- ,, denti, qui nunc meritò fruuntur, quemadmodum qui indignè ultima patientur. Basilius dixit Christum Venire: Chrysostomus uerò è cœlo Descendere. Quid hic facies Gardinere? Tu dicis hanc tuam præsentiam nullam facere loci mutationem. Tui uerò patres & in loco ibi esse corpus Christi scribunt, & uenire, & de cœlo descendere. Certè si tropos relinquas nobis, quibus tibi fas non est uti, medius teneris.

Chrysostomus.

Quid etiam illud sibi uult, quòd iactas nos per ignorantiam in eandem rationem cogere diuersa? Facile tibi est alijs ignorantiam obijcere, cū ipse non queas euadere. Nos dicimus duorum tantum aduentuum Christi diuinas literas meminisse. Vos tertium ponitis: per diuinas literas illum demōstrate, si uobis credi uelitis: alioqui uestrū commentū esse dicemus. Negare conaris uos tertiū aduentum ponere: at patres non sinunt ut inficiemini. Atq́ etiā ratione ipsa cogimini uestram præsentiam tertio quodam aduentu fateri fieri. Nos autem illum, ut peregrinum, & scripturis ignotum repudiamus. Esto, quod scribis, uestrū hunc fictitium, quem aduentum negare non potestis, non esse prorsus eiusdem rationis cum priori & postremo. In eo tamen cum illis conuenit, quod est aduentus. Proinde argumentum non ita potes obscurare, ut sub tuis distinctionibus latenter fugias.

Duo tantū sunt aduentus Christi.

At de aduentu satis: nunc de ascensione frequenti quid blateret, audiamus. ,, Quod attinet ad ascensionē, non repetit cœlum Christus uidentibus nobis, quo- ,, modo eleuatus est semel intuentibus discipulis. Hic de more, uerborū atramentum effundis, ut sub oratione infuscata quid sentias lectores lateat. Sed non sic abibit: liquidò agi uolumus. Speciebus corruptis panis & uini, quid fit de corpore ac sanguine Christi, quæ ibi credi uultis delituisse? Aut esse desinunt, quod est corrumpi, cum substantijs non accidentibus hæc annumerentur, aut aliò abeunt. Corruptioni subijcere Christum, nimis esset blasphemum. Nam ad Roma. 6. scribitur: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Si aliò discedit, quò? Vel ad alios panes, qui consecrantur, uel ad cœlum. Mirum est si peregrinationem eius corporis per panes infinitam uel continuam uelitis instituere. Non puto, quamuis toti estis τοῤῥατώδεις, tantum ausuros. Cœlum ergo repetit. Cur igitur non erunt quotidiè nouæ quædam ascensiones?

Papistæ faciūt quotidie nouas ascensiones & nouos Christi aduentus.

Verùm, inquies, non id inficior: sed tantum dico, non id fieri nobis uidentibus, quem-

bus, quemadmodum accidit, cum discipuli eum intuebantur in cœlum eũtem. Quid mea refert, siue hoc cernatur, siue latenter & occultè fiat. Vt uos contenditis ueram esse præsentiam, licet inuisibilem: ita ego ex uestra fictione colligo ueram quandam ascensionem, et innumerabiles quotidiè, tametsi non cernãtur. Sed illam uestram nos dicimus fictam, neque à scripturis usquam indicatã. Hoc sibi uoluit allatum argumentum: neq; uos, quamuis argutos Modistas, forma uisibilis & inuisibilis quicquam adiuuat.

OBIECTVM V.

CHRISTVS daturum se promisit spiritum sanctum ut suum uicarium: quod fieri non oportuit, si quoad humanitatem & diuinitatem ipse nobis erat perpetuò adfuturus, ut Transubstantiatores mentiuntur.

GARDINERVS.

ISTVD est *diuinorum consiliorum rationem petere, potius quàm argumentari.*

MARTYR.

CAuillatur sophista primùm, nos hoc loco diuinorum cõsiliorum rationem petere: atque ipse uicissim à nobis quærit duas quæstiones, ne parùm acutus uideatur: unam, cum Christus diceret: Ecce uobiscum sum usque ad consummationem sæculi, cur alium mitteret monitorem, aut consolatorem: alteram, Si dedit spiritum cum insufflaret in discipulos, quomodò posteà mittit eundem spiritum? Hic nos inquit implicari, atque caligantibus oculis carnis, non posse nos ex ijs angustijs expedire. Sed ut percontator intelligat, quàm sit facilis ad quæstiones eius responsio, ita paucis accipiat. Quòd promisit Dominus, se futurũ nobiscum usque ad consummationem sæculi, quoniam poterat ab auditoribus, aut non intelligi, aut non rectè accipi, ob id uoluit modum explicare, quo credentibus adfuturus esset: nimirum per suum spiritum, quem erãt accepturi. Vnde in Ioanne cap. 14. cũ de hoc ageret, scriptum est: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum: uos autem cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit. Non relinquam uos orphanos: ueniam ad uos. Nihil est in his, quod redundet. Pollicetur, se futurum cum fidelibus, & modum explicat, nempè adfore se in suo spiritu. Atq; hanc expositionẽ facilè possem uerbis patrũ cõfirmare: sed modus prolixitati adhibẽdus est.

Si Christus ipse nobiscum futurus erat, cur misit spiritum sanctum?

De altera uerò quæstione interrogator ita sibi responsum habeat: dedisse quidem Christum insufflando spiritum sanctum Apostolis: quem rursus ideò dedit, ut miraculo externo suũ donũ testaretur: utq; non solùm diuini spiritus interiorem suggestionem haberent, sed etiam cæteris charismatis, & præsertim linguarum ad totius orbis ædificationem ornarentur. Quod illis non contigit, quando prima uice unà cum Domini flatu spiritum sanctum acceperunt. Atq; hoc est, quod Lucæ postremo capite scribitur, Dominum, cum adhuc loqueretur Apostolis, ui sui spiritus aperuisse illis intelligentiam scripturarum: & nihilominus præcepisse, ut expectarent, sederentq; in ciuitate, donec uirtute induerentur ex alto. Nos itaque propositas quæstiones tam facilè dissoluendo, facilè docuimus an oculis utamur in mysterijs caligantibus.

Spiritus sanctus cur bis datus fuerit.

Nunc ſupereſt, ut ſophiſta ſuos oſtendat ita perſpicaces, ut ſeſe à quæſtione propoſita uiciſſim expediat. Hoc de illo quæſitum eſt: Si Chriſtus totus, et integer, & quoad humanam, & quoad diuinam naturam ſemper adeſt, ſaltem ut ipſi uolunt, in Euchariſtia: non inquam, præſentia ſignificationis & fidei, quemadmodum nos dicimus: cur fuit opus uicario ſpiritu ſancto? Reſpondere conatur: at ſuo more loquitur: tenebras offundit, & ita nullibi pedem figit, ut eum
,, per ſpinas ambulare dixeris. Operatio Trinitatis eſt una, inquit: & ideò, cum
,, Chriſtus in terris docuit, adfuerunt illi tam pater, quàm ſpiritus. Quaſi nos Chriſtum abſque patre, & ſpiritu aliquando fuiſſe dixerimus. Quorſum iſta?
,, cum id nobis nunquam in mentem uenerit. Subdit mox: hoc myſterij ſpi-
,, ritus ſancti miſſionem habuiſſe, ut in Chriſto mortui carni prorſus per baptiſmum ſola cœleſtia & ſpiritualia ſectemur. Sed quid audio? Chriſtus præſens nónne ad idem incitabat, hortabatur, & impellebat? Certè ſtudium eius dum uixit in terris, ad id maximè ſpectabat, adhibita ſui ſpiritus interiori ſuggeſtione. Non enim ſolùm exteriori uerborum ſono agebat, ſed corda ſuorum Apoſtolorum ui ſui ſpiritus interius flectebat & perſuadebat.

Quid uero ſibi uelit hęc, quæ poſtea ſubijcitur à noſtra Sphinge, oratio, cum Oedipus non ſim, non poſſum intelligere. Ac uereor ne ipſum quidē præſtigia-
,, torem ſatis ſcire, quid loquatur. Sic enim inquit: Cuius etiam ipſius magiſterij
,, conditio nos admoneret, ſubrogato in Chriſti abſentis uices ſancto ſpiritu, qui
,, nos induceret in omnem ueritatem. Quæ eſt ipſius magiſterij conditio? Quid demonſtratur? quid refertur? Filius an ſpiritus ſanctus? Non utiq; filius: quandoquidem agebat de myſterio miſſionis ſpiritus. At ſi de ſpiritu ſancto hæc intelligenda ſunt, quomodo ſpiritus ſanctus monet ſurrogato ſpiritu ſancto? Hoc ſi eſt Gardinero quæſtiones expedire, quando ab eo quicquam diſcemus? Diſpeream, niſi plus laboris mihi ſæpe impendendum ſit in eius tricis euoluendis, ac tenebris depellendis, quàm in confutandis eius nugacibus & portentoſis argumentis. Laudes eloquentię multos audiui ei adſcribere: ſed cū ad eloquētiam maximè pertineat dilucidè atq; perſpicuè dicere, ſuum iſtis admiratoribus eius relinquam iudicium. Scio me nonnullos, & quidem prudentes ac doctos uiros de locis huiuſmodi conſuluiſſe: ut quod ipſe præ hebetudine fortaſſis non conſequerer, ab illis intelligerem. Verùm neq; ipſi, quid iſte σκοτεινὸς uellet ſibi, potuerunt iudicare: niſi quòd aliqui ſuſpicati ſunt, eum uafricie quadam ueteratoria uti, ut cum nequeat nodum diſſoluere, ſaltem obſcuritate uerborum atq; ſententiarum admirationem, ſtuporemq; lectoribus incutiat.

Argumentatio noſtra perſpicua eſt, & aperta: Si Chriſtus totus nobiſcū perpetuò adeſt quoad humanam & diuinam naturam, opus non fuit uicarium ſpiritum ſanctum ſurrogare. Nam ſi adeſt ipſe totus atq; integer, ut uultis, ſpiritū ſanctum adhibere ſecum poteſt, ut cooperarium, quemadmodum cum in terris degeret, fecit. Non tamen id eſſet uicariū ſui loco ſurrogare, ſed ad idem opus efficiendum adiutorem ſecū habere. Quando loco ſui alterum ponit, id uel quoad hominem intelligis, uel quoad Deum. At Deus uicario non indiget, cum ſit ubique: proinde reliquum eſt, eum id feciſſe ut hominē: quandoquidem ſic à nobis abijt, ideoq; ſpiritū ſanctum uice ſua congruè dedit. Non tamen, quantū iudico, latuit Inconſtantium, hoc ſuo perplexo & obliquo reſponſo quæſtionem potius implicari, quàm expediri. Vnde operam dedit, ut alia quadam ſtropha utere-
,, tur, qua rationem allatam conuelleret. Si efficax, inquit, hoc argumentum
,, eſſet, non minus realem corporis Chriſti præſentiam, quàm ſpiritualem im-
,, peteret: quæ propter miſſum ſpiritum ſanctum uideretur neganda: ſiquí-
,, dem Chriſtus dixit, ſe nobiſcum futurum uſque ad conſummationem ſæculi.

Verum

Verum fortasse esset, quod sophista comminiscitur, si præsentia realis & spiritualis corporis Christi rationem eandem haberent. Quam cum re uera non habeant, fictio euanescit. Præsentia corporali docebat dominus, consolabatur, & instituebat suos efficacissimis uerbis, & prædicandi Euangelium potentissimo ministerio. Vnde cum è mundo, quatenus homo erat, abiisset, spiritum sanctum emisit, qui suas in ea functione docendi, consolandi, & instituendi per Apostolos & eorum successores partes obiret.

Corporis uerò & sanguinis domini præsentia spiritualis alia de causa requiritur, non, inquam, ut istud munus exerceat, prædicandi & instituēdi: sed ut corpus illius in mortem traditum, sanguinem fusum, uitamq; carnis datam nostra causa credamus. Quî enim ista utiliter & efficaciter credere possemus, nisi ea in conspectu mentis per fidei apprehensionem haberemus præsentia? Tantum ergo abest, ut spiritus sancti missio, spiritualem corporis Christi præsentiam impetat, aut labefactet, ut illam necessariò exigat, ceu fidei, quam credētibus de illorum salute suggerit, præcipuum & præstantissimum obiectum. Ad hoc uerò credendi opus, quod piis est comedere ac bibere, realis illa uestra præsentia nihil facit.

Missio spiritus sancti, non excludit spiritualem præsentiã corporis Christi.

Et præterea ridiculum est in suo negotio presentem quenquam uicario uelle uti, nisi fortasis laborem & curam, quæ in deo locum non habent, uelit subterfugere. Reges utiq; ac monarchæ in aliquas regnorum suorum prouincias uicarios mittunt, ubi non possunt ipsi quoad corpus adesse: licet authoritate, potentia, & imperio, quæ ad spiritualem quandam præsentiam attinent, suis uicarijs adsint. Quod rursus intelligo nisi eos laborū & curarum tędeat. Vt itaq; in rebus politicis præsentia corporalis principis uicarium non adhibet, imò si positus esset, impedit: ita Christus in Ecclesia si corpore adesset præsens, uicario opus non haberet. Atque ut princeps, dum abest corpore, uicarium mittit, & authoritate, potentia & imperio adest: ita Christus absens corpore, uicarium spiritum suum emisit in Apostolos, cum quibus ipse uirtute, gratia, & cœlesti uigore spiritualiter aderat. Iam, ut arbitror, conspicuum fecimus, quoad corpus Christi diuersam præsentiæ spiritualis & corporalis esse rationem: ideoq; surrogationem uicarij, nimirum spiritus sancti, sic unam auferre, ut alteram præsentiam non impediat. Nam si totus Christus corporaliter præsens, ut uultis, in Ecclesia habeatur, substituere illi alium uicarium non erat opus.

OBIECTVM VI.

ANGELVS dixit mulieribus: Iesum quæritis crucifixum: surrexit, non est hic.

GARDINERVS.

NIHIL *hoc angeli responsum ad Eucharistiam.*

MARTYR.

HOc nil ad institutū negotium de Eucharistia pertinere, uanus sophista existimat: quia Iesus, quamuis in sepulchro nō erat, tamen in sacramento esse potest. Nisi fortasse, inquit, uelint inferre: Non est hic, ergo non est ubiq;. Ad ultimum suspicatur nos esse tam ineptos, ut dicere uelimus: Non est hic: ergo non potest esse hic. Mirum porrò est, Lynceos oculos cum se habere credant, quomodò ne id quidem cernant, quod uel talpæ oculis capti cernerent. Si, ut fatentur, ex uerbis angeli sequitur, Christi corpus non esse ubiq; (id enim ille negauit,

dicendo: Surrexit, non est hic) quomodò non sentiunt, inde etiam concludi, corpus Christi non esse simul in pluribus locis? Nam utrunq; horum naturæ corporis humani aduersatur, eodẽ tempore simul in pluribus locis esse, atq; ubiq; esse: quia tam in uno istorum quàm in altero, termini, fines, & figura humani corporis non seruatur. Quare is, qui dederit, Christi corpus in diuersis multisq; locis simul esse, pariter cogetur dare illud ubiq; esse. Non enim refert, ad quot loca fundatur humanum corpus. Statim quippe ut suis terminis ac limitibus nõ clauditur, hominis corpus esse desinit, siue ad pauciora loca, siue ad multa, siue ad omnia diffundatur. Concedam quidem, minus fieri corpus, cum ad omnia loca dilatatur, quàm cum ad pauciora: sed tam hinc, quàm inde conficitur, nõ esse ulterius humanum corpus.

Corpus Christi ut non potest esse ubique, ita nõ potest simul esse in multis locis.

Atq; de istis omninò scire uelim, cur non statuant corpus Christi ubiq; esse? Certè nil aliud eos mouet, quàm ne dicant illud immensum esse, ac terminos humani corporis egredi. At ista etiam cõcluduntur, cum illud simul in pluribus locis ponunt. Non itaq; dicimus, Eucharistiam esse ubiq: neq; si corpus Christi haberetur præsens in Eucharistia, ob id esse ubiq. Sed affirmamus, cum dicitur simul esse in multis locis, idem incommodum sequi, ac si diceretur, esse ubiq: nec nõ concedendũ, illud esse posse ubiq, si detur esse posse in multis locis. Proinde non sunt hæc argumenta sic arundinea & flaccida tela, ut Gardinero, quamuis fallacijs præclarè instructo, nihil noceant. Neq; nos, ut ipse blaterat, hoc argumentorum genere fidem Catholicam de Eucharistia quatimus, uerum ineptias & deliria fatui transubstantiatoris detegimus, atq; ad lucem, ut apertius cognoscantur, traducimus.

OBIECTVM VII.

DE Lazaro dixit Christus: Mortuus est: et gaudeo propter uos, ut credatis: quoniã non eram ibi. Ergo Christus quoad corpus non est simul in multis locis.

GARDINERVS.

CHRISTVS *uerum corpus humanum assumpsit: & quoniam, ut inquit Paulus, carne & sanguine pueri communicarunt, & ille similiter illis participauit, ut corpus Christi finitæ naturæ quemadmodum nostrum omnino fuerit, secundũ quam naturam ibi tantum esset, ubi illud stiterat.*

MARTYR.

„ PRimùm sophista fatetur, corpus Christi quemadmodum nostrum omninò
„ fuisse, naturæ, inquam, finitæ, secundum quam ibi tantùm esset, ubi illud sti-
„ terit. Itaq; cum alibi esset Christus, non erat ibi, quia noluit ibi esse. Verùm illud
„ quærit, si uoluisset ibi esse, dum alibi erat, an potuisset? Ac neminem putat adeò
„ insanum, ut id negare ausit, qui quod per corporis naturam fieri non posset, di-
„ uina tamen uirtute, salua etiam natura fieri posset. Nam deus naturæ author est,
„ cuius nutui & imperio parent omnia. Splendidè ac dilucidè, nec non probabi-
„ liter hæc dici à se Inconstãtius opinatur. Sed quàm turpiter fallatur, singulis excutiendis lector intelliget. Si corpus Christi erat naturæ ac molis finitę, ibi ut solùm ibi esset, ubi ab ipso domino sistebatur, qua ratione illud in multis locis simul esse ponitis? Quî potuit conuenire, ut in extrema cœna, qua Eucharistiam Christus instituit, corpus haberet, quod uidebatur sedens, aut iacens, & itẽ idem

corpus

corpus in manibus suis & discipulorum, & in ore suo & discipulorũ? Hoc enim naturæ non est finiti corporis, ut non unius loci, sed multorum, & à se inuicẽ distantium finibus concludatur. Quid hoc aliud est dicere, quàm corpus finitũ esse simul & non finitum? Si dum hoc loco finitur, dicatur se ad alium locum extendere, priori nõ erat finitũ. Quod enim aliquo loco finitur, alibi esse nõ potest.

Dicis præterea Christũ cũ esset alibi, non fuisse ibi, quia noluit. Equidẽ concedo illum, si uoluisset ibi esse, facilè potuisse: at non ita, ut simul quoad corpus alibi esset. Ideo noluit Dominus corpus simul in diuersis locis habere, nõ tãtùm quia non placuit, sed etiam quia corporis naturę aduersabatur. Quòd uerò arbitraris nemínem adeò insanum esse, qui uirtute Dei hoc fieri posse inficietur, salua etiam corporis natura, ego sic accipio, ut ipse uicissim mirer, usque adeò te desipere, ut id corporis humani definitioni congruere minimè posse non intelligas. Quid stultè conaris id corpori humano attribuere, quod illius naturam omninò euertat? An quia Deus & est, & prædicatur omnipotens, efficere unquam potuit, ut tria sint quatuor? ut ignis sit aqua? & ut præterita nõ sint præterita? Est author naturæ, inquis: fatemur. At quemadmodum non potest efficere perfectum & integrũ hominem absq; intellectu & ratione: ita corpus humanum absque suis finibus & terminis facere non potest. Quod tamen sic est accipiendum: Deum quidem posse ab humano corpore suos terminos ac fines detrahere, sed ita ut hominis corpus esse desinat.

Corpus humanum simul non potest in multis locis esse.

Multa fieri nõ possunt à Deo, citra eius omnipotẽtiæ immutationem.

At subdit: Christus dixit se potestatem habere ponendi animam suam, & iterum sumendi eam: quod & præstitit: cum tamen sit à naturæ lege alieníssimum. Quis in acutíssimi sophistæ oculis tantas tenebras non miretur? Dic, obsecro, nobis: etiamsi Christus potestatem habuit, ut re uera habuit, ponendi animã suam, & assumendi, an id facere potuit, ut simul eodemq; tempore illam & poneret & sumeret? Id profecto nemo dixerit, cum id euidentíssimè pugnet, eundem hominem, eodem tempore uitam corporis habere & non habere. Quòd si Christus non potuit simul uiuere quoad corpus, & non uiuere: ita corpus eius non potest simul finitum esse certis terminis, & non esse finitum. Non pugnamus, quin Deus multa queat contra naturæ ordinarium institutum facere. Quãdoquidem constanter credimus per Mosen apertum mare: ad preces Iosuah cohibitum solis cursum: & ferrum enatasse ut Elizæus uoluit. Sed nihil istorum naturas rerum euertit. Mare quippe diuisum adhuc est mare: sol quoque non minus est sol dum quiescit, quàm dum suum zodiacum percurrit: neque ferrum in superficie aquæ de sua definitione, aut natura quicquam amittit. Potest enim ad arbitrium Dei, salua natura sua, tam deorsum, quàm sursum trahi. At humanum corpus, quod organicum est, & uarijs lineamentis & figuris constat, si fundatur extra suos terminos, neque suis finibus teneatur, propria natura statim exuetur.

Deus multa pòtest facere contra naturæ ordinarium institutum.

Postremò dicit, declarasse Christum, se uelle in sacramento esse. De potestate hactenus diximus. Nunc de uoluntate uerba facit: Ergo nihil est, inquit, contra Eucharistiam argumenti, ut, quia ibi, ubi esse nolebat, non fuit, igitur in sacramento non sit, ubi se esse uelle declarauit. Vbi Christus unquam declarauerit, se præsentem corporaliter in Eucharistia esse uelle, neque modò à Gardinero demonstratur, neque poterit usquam demonstrari. Perpetuò istud iactat: sed cum ad proferendum locum uenitur, ibi opus, ibi labor. Si naturæ corporis Domini repugnat, ut in cœlo & in terra simul realiter sit, quî potuit hoc uelle, cum sapientis nullo modo sit, ea uelle, quæ fieri nullo modo possint. Plura de hac uoluntate Domini, quam isti semper obijciunt, in præsentia dicerem, nisi posteà locus & proprius de illa tractandi futurus esset.

Non est sapientis uelle facere quæ nullo modo fieri possũt.

OBIECTVM VIII.

DEVS non habitat in templis manu factis, ergo neq; Christus habitat uel continetur in pyxide super altari: quandoquidem Christus est Deus: & apud Esaiam Deus inquit, cœlum est mihi sedes, non pyxis: & Dauid inquit, Deus noster in cœlo, non in pyxide: & Christus docuit nos orare, Pater noster qui es in cœlis.

GARDINERVS.

NEMO *pius dicit, Christum Deum habitare in pyxide: sed adesse nobis in sacramento, non secundum sedem habitationis quæ in cœlo est, id est, in gloria Dei patris: sed secundum dispensationem sub illis elementorum speciebus.*

MARTYR.

PRiusquam in ista responsione quippiam reprehendam, quæ sit argumẽti adducti sententia & uis, paucis exponam. Nam rationẽ istam, ut ab hac Harpyia referatur, quæ quicquid tangit, contaminat, à nemine unquam audiui proferri.

Quod nostri dicũt, hoc pacto se habet. Sicuti Deus, quandoquidem immensus est, templis arte humana extructis, atque idcircò finitis, claudi totus & contineri non potest: ita corpus humanum iustæ ac integræ staturæ, cuiusmodi corpus Christus habet, uel sub accidentibus panis & uini, uel in pyxide admodum parua includi nequit. Neque releuat quicquam istorum causam distinctio, secundum sedem habitationis, & secundum dispensationem. Quia de præsentia reali iam disputamus, & eã, quocunq; modo illam acceperis, molem corporis, figuram, extensionẽ ac lineamenta membrorũ non posse retinere dicimus, quando in pane, uino, aut sub eorum accidentibus, aut pyxide haberi aut cõtineri statuitur. Deinde sub elementorum speciebus adesse, loquutionem animaduertimus ab hominibus esse confictam, cuius nec uox, nec significatio, in diuinis literis inueniatur. Quod enim accidentia subsistant absq; subiecto, nusquam eloquia Dei perhibent.

Huc accedit, modo Christũ, quatenus homo est, sedere in cœlis ad dextram patris, ut symbolum fidei, ac sacri libri testantur. Quare ut pater in manu factis templis non habitat: ita Domini humana natura in ijs non est quærenda, quando eandem cum patre sedem habet: nisi quis dextram Dei & cœlum in accidentibus panis & uini, atque in pyxide collocet.

» » Contendit etiã prodigiosus disputator, corpus Christi adesse realiter Eucha» » ristiæ, nõ ut in loco, sed ut in sacramento, iuxta mysterij conditionem. Quis non uideat, ab istis mera monstra confingi? neq; eos portentorum modum ullum facere, quando corpus alicubi adesse re ipsa statuunt, cui tamen locũ subtrahant? Quod tamen contra patres suos imaginantur, quos adduxerunt paulò antè dicentes, in multis locis corpus Christi esse. Quomodò uos illi negatis locũ, quando uestri egregij testes illi attribuant locum? Vestra porrò mendacia eò uos adducunt, ut cum à uestris testibus dissentiatis, neque uobis, neque illis fidem habeamus. Atq; corpus re uera dici præsens absq; loco, nullus est qui non intelligat fatuum esse figmentum.

Corpus non potest adesse præsens absq; loco.

Mysterij conditionem semper opponunt: sed quæ illa sit, nunquam ostendunt; quod tamen facere omnino deberent. Alioqui uoces iactare, quarũ sensus

nesciatur

neſciatur, non eſt utiq; docere, ſed tenebras auditoribus offundere. Nobis uerò myſterij conditionem explicare, non eſt difficile aut operoſum. Siquidem myſterij hanc dicimus eſſe conditionem, ut ſignificet: atq; hãc uocis notionem Paulus nos ad Romanos docuit, quando inquit de Abrahamo: Et accepit circunciſionem ſignaculum iuſtitiæ fidei. *Myſterij conditio eſt, ut ſignificet.*

Præterea cauillatur, nos patrem à filio non diſtinguere. Licet quippe nobis, quamuis hæ duæ perſonæ inter ſe diſtinguuntur, argumentari: Pater in cœlis habitat, ut oratio Dominica teſtatur: ergo filius etiam quoad naturam humanam ibidem habitat; quandoquidem in cœlis eſt ad dextram patris. At cum ſit in cœlis, neq; in accidentibus, neq; in pyxide clauditur, cum ſalua corporis unitate, in tam diuerſis locis eſſe nequeat. Atq; inuocando patrem ut ad cœlum eleuamus animum: ita quærendo Chriſtum, neq; à pyxide, neque à pane debemus pendere, ſed ſurſum, ut dicit apoſtolus, eum quærere.

OBIECTVM IX.

SI quis uobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Ecce prædixi. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Ita Chriſtus nos præmonuit, ut caueamus, neq; ſinamus perſuaderi nobis, Chriſtum quatenus homo eſt eſſe in pyxide.

GARDINERVS.



OCI *huius contextus oſtendit, de ſecundo aduentu ſenſiſſe Chriſtum, de quo ita uoluit præmonere ſuos.*

MARTYR.

EX contextu hæc ad ſecundum aduentum pertinere, inquit Gardinerus, demonſtratur. Voluit enim dominus præmonere ſuos, falſos prophetas exorituros, à quorum mendacijs cauerent, ne à uero, quod palàm audiuerant à ſuo doctore, abſtraherentur. Ad hæc quiſpiam fortaſſis diceret, Si de ſecundo Chriſti aduentu hæc accipi debent, ad ueſtram fictam tranſubſtantiationem omninò pertinent. Vos enim ob ueſtra mendacia tres aduentus cogimini ſtatuere: Primum incarnationis, alterum tranſubſtantiationis, tertium uerò extremi iudicij. Quare ſi dominus adducta uerba de ſecundo, ut dicitis, aduentu intellexit, nos ea meritò ad Euchariſtiam applicamus.

Verùm quia Chriſti corpus uenire ad panem, dum tranſubſtantiatur, negatis, quod tamen uobis eſſe affirmandum, niſi uelitis nobiſcum pugnare, ſuperius luculenter oſtenſum eſt, ne arbitremini nos defenſione deſtitui, aliter occurrere ſtatui. Sic ergo dico: Si dominus ea dixit, quæ ſunt allata, de ſuo poſtremo aduentu ad iudicandum, ergo uſq; ad illud tempus, quo iudicatum ueniet, Chriſtũ neq; hic, neq; illic aut credere, aut quærere debemus: quemadmodum Iudam & Theodam Chriſtos eſſe, non oportuit illos Iudæos credere, qui ſeditionem, ut legimus in Actis Apoſtolorum, mouerunt. Quare neq; in poſtremo tempore, neque modò credendum eſt illis, qui nobis, Ecce hic Chriſtus, aut illic dixerint. Et à diſceſſu Chriſti per aſcenſionem ad cœlos uſq; ad finem ſæculi hæc ſentẽtia obſeruanda eſt, cum illucuſq; perpetuò ualeat.

Sed noſter ſophiſta ſe uelle argutari ſubtilius dicet: nempè, Chriſtum hoc tantum uoluiſſe monere, ſi uiſibili forma, qua eſt ad iudicandum uenturus, dicatur,

„ hic aut illic esse, ne id credatur, néue ob id huc, aut illuc, in deserta, uel in pene-
„ tralia nos trahi patiamur. Audio aranearum subtilem texturam. Sed hoc uicis-
sim de illis quæram, cur dominus ea de re tam diligenter cauerit. Nónne ut Chri
stiani temerè credendo non decipiantur? & pro Christo alicui seruiant impostori? atq; per fraudem ad seditiones & tumultus alliciantur? Hæc profectò est admonitionis huius certissima causa. Sed non minus periculum imminet, si Christum præsentem adesse in pane & uino crediderimus. Creaturam enim pro creatore adorabimus, elementis huius mundi affigemur, neq; sursum, ut nobis præcipitur, dominum quæremus. Quamobrē tam hic, quàm ibi decipiemur. Neq; accusari possumus aut reprehendi, si ad tollendum præsentissimum idololatriæ periculum sententia domini utimur, admonendo, ne Christi præsentia uel hic, uel ibi quæratur.

Neq; uos potestis exceptionem Eucharistiæ afferre: cum Christus non dixerit, Neq; in deserto, neq; in penetralibus adesse me credatis, sed tantum in pane & uino, seu in accidentibus me quærite. Si hoc aliquando suos docuisset, idq; prestigiatores nostri possent ostendere, non utiq; illis pertinaciter obsisteremus. Verùm dum ista tantum fingunt & pingunt, se apud pios & prudentes nil promouere sciant.

„ Neq; hic pedem sistit Inconstantius: sed ne parùm strenuè uideatur causam
„ agere, ex loco iam adducto nobis insultat, quasi à Christo notemur, ut pseudo-
„ prophetæ atque sectarij, qui nostra tantùm in angulis, & clanculum doceamus,
„ ostendamusq; Christum non palàm, sed in deserto, & in penetralibus. Nec uidet iste nugator, per Germaniam, Heluetios, Daniam, & Angliam publicè in ecclesijs ubiq; aduersus Transubstantiationem doceri & disputari? libros & scripta passim edi? colloquia ijs de rebus in publicis & Imperialibus Comitijs instituí? sanctos uiros pro hoc ueritatis genere mortem quamuis atrocissimam non formidare? Dicito Gardinere, si quam frontem habes: an hoc est lucem fugere, atq; in angulis insusurrare? Iam ita dei gratia clamatum est, & uociferatum, ut iam in Europa nullus propemodum sit locus, ubi hæc doctrina purior non insonuerit. Quòd si tam in Gallia, quàm in Italia Christi fideles clam conueniant, id non est illis uitio uertendum, quasi ueritas, quam profitentur, mendacij uel impietatis possit argui: sed in uobis culpa hæret, qui per summam tyrannidem, & inauditam crudelitatem, non rationibus aut uerbo dei, sed ignibus & ferro Veritatis cursum impedire conamini. Cuius tamen longè maior, quàm Hydræ uis est. Illi enim pro uno capite dempto septem renascebantur: sed pio & Euangelico uiro extincto, centum & mille bonitas diuina substituit. Cohibete insanos & furiosos uestros impetus: atq; tum uidebitis, an strophas & nodos uestrarum frigidissimarum disputationum pij timeant. Vos illos cogitis ad angulos, & clancularios conuentus, ut olim fiebat in primitiua Ecclesia, quando Imperatorum, qui adhuc erant à Christo alieni, gladius atrociter sæuiebat. Eo, inquam, tempore Christiani extra urbem in monte Soracte conueniebant, & Romæ in cryptis, & subterraneis locis, qui adhuc tempestate nostra extant, & uisuntur, sacros cœtus habebant: neq; interdiu sæpè, sed horis antelucanis, ut Plinius testatur ad Traianum, Christo simul coacti hymnos canebant. Cum itaq; nostri haud leuiora, imò longè acerbiora patiantur à uobis, quàm à Neronibus, Domitianis, Commodis, & Galienis olim perpessa sit Ecclesia, non est illis uitio dandum, quod sanctissimorum patrum ac martyrum ætate gestum est.

Christiani qui uel in Italia, uel in Gallia clam conueniũt, sunt excusandi.

„ Quid uerò istis addat Inconstantius, iam audiamus. Illi post tot annorum
„ centenarios, inquit, à Christo nato, passo, & prædicato, quasi hactenus ueritas
„ eius omnes latuerit, eam tanquam à se repertam modò, & inuentam, tenui auræ

sibilo

ſibilo inſpirant ſuis cum demonſtratione, Ecce hic eſt Chriſtus. Quis nos, obſe-
cro te prudens lector, alicuius nouitatis poteſt arguere, cum potius ueterem do
ctrinam, quæ in ſacris literis habetur, mores & ritus Apoſtolorum tempore uſi-
tatos, & Eccleſiæ primitiuæ ſanctas conſuetudines reuocemus, quàm noua do-
gmata, ſacramenta, aut ceremonias fabricemus? Vos arguendi eſtis: uos, in-
quam, ſine fine accuſandi, qui auſi eſtis ex ueſtro capite cuncta innouare in Chri
ſti Eccleſia, ita, ut nihil integrum, nihilq; ſuo loco reliqueritis. Cõfutate prius
ex diuinis literis ea, quæ à nobis docentur, & aguntur in Eccleſia: deinde, ut
uultis, nouitatis nos arguite, ſi poteſtis. Relinquite nobis uetera: noua, quæ indu
xiſtis, hinc auferte, nec tria uerba ſimul commutabimus.

Noſtra doctrina nõ eſt noua.

Calumniatur ad hæc, nos clanculum deliberare, quomodò factionẽ noſtram
promoueamus: & in pios bonosq; ſæuire, qui aduerſantur. Quo tandem ore,
quáue fronte ab Inconſtantio hæc ſcribuntur? cum ipſe, ac ſimiles eius, quantum
in illis eſt, nullum mactandi, occidendi, comburendiq; finem faciant: & nos ui-
ciſſim ubi magiſtratus noſtri gladium habent, ne unum quidem Papiſtam un-
quam occiderimus? An itaq; nos de ijs rebus deliberamus? An huc tendimus?
An potius ipſe mendax eſt, & ex patre mendacij diabolo ad iſta comminiſcen-
da & fingenda natus?

Quod uerò poſteà dicit, nos alium Chriſtum prædicare, atq; aliam Euange-
lij ueritatem orbi proponere, legant cãdidi iudices noſtros libros, noſtras ingre-
diantur Eccleſias: & nullo, ſpero, negotio cognoſcere poterunt, utri noſtrũ Chri
ſti doctrinam & Apoſtolorum, mendacijs & traditionibus humanis diluerint,
aut ſacramẽtorum ritus lacerarint, corruperint, ac turpiſſimè fœdarint. Audian-
tur utrorũq; conciones: & miniſteria eccleſiæ ultrò citroq; componantur: com-
parationes huiuſmodi non formidamus. Rationem inſtituti noſtri parati ſumus
reddere. At uos quando unquam, obſecro, ueſtros fœdos abuſus, ac turpiſſimos
errores probabitis?

Dicũt & iactãt ore diducto, ſe facere, quæ ſpiritus ſuggeſſit Eccleſiæ. Ego ue
rò percontor, an ſpiritus Chriſti ſecus Eccleſiæ ſuggerat faciundũ, atq; in diuinis
literis ab eo præſcriptum fuerit? Quis dixerit, ſpiritũ Dei ſecũ pugnare? Chri
ſtus & ſpiritus eius docuit per ſcripturas, Euchariſtiam ſub utraq; parte ſumen-
dam eſſe, nunc aiunt, ſpiritum ſecus decreuiſſe. Spiritus in epiſtola Pauli prio-
ri ad Corinth. docuit, ut lingua cognita in ſacro cœtu fideles uterentur: iſti uerò
modo ſe iactant, afflatu diuini ſpiritus debere ſecus agere. An Domini ſpiritus
quæ per Apoſtolos mandauit, ea nunc deſtruit? Paulus ad Galatas cap. 2. ſcribit:
Si quæ deſtruxi, ea rurſus ædifico, tranſgreſſorem legis me ipſum cõſtituo. Cur
iſti magnifici profeſſores Apoſtolici ordinis, non alloquuntur ſeipſos eodẽ mo-
do? Si quæ ſcriptis Apoſtolorũ ex Eccleſia ſublata ſunt, nos reſtituimus, & con-
traria placitis diuinarum literarum facimus, trãſgreſſores ac uiolatores Chriſtia-
næ religionis nos conſtituimus. Ablatus eſt ab Eccleſijs per Apoſtolos uſus
ignotæ linguæ: uos illum reſtituiſtis. Per eoſdem ablatus eſt cultus imaginum:
uos illum reſtituiſtis. Ablatum eſt diſſidium, ne alij Pauli, alij Cephæ, alij Apol-
lo dicerent: uos dum alios uultis Benedictinos, alios Dominicanos, alios Fran-
ciſcanos dici, illud reſtituiſtis. Ablatæ ſunt traditiones humanæ, quæ cum uerbo
dei pugnarent: uos illas reſtituiſtis. Ablata eſt doctrina, quæ matrimonia prohi-
beat, & delectum ciborum inducat: uos eam reſtituiſtis. Et denique, ut aliquan-
do finiam, nec in hunc locum innumeras trangreſſiones ueſtras congeram, nil
eſt propemodum in diuinis literis aſtrictum, quod uos non laxaueritis: nihil eſt
laxatum, quod non aſtrinxeritis. Nos uerò omnia, ut in diuinis literis poſita
ſunt, ita ſuo loco relinquimus. Vtri ergo noſtrum nouum Chriſtum prædi-

Spiritus dei, iuxta Papiſtas, cũ ſacris literis pugnat.

Papiſtæ abſtulerunt quæ Apoſtoli in Euchariſtia conſtituerant.

cant? aut nouum Euangelium orbi propinant? Quiuis iudicare pòteſt.

» Sequitur: Nec de Chriſto loquuntur, ut hic argutator calumniatur, clauſum » eſſe in pyxide: etiãſi in pyxide ſint ſpecies, ſub quibus in myſterio adeſt. Si corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis & uini, ut ſemper obſtrepitis, adeſt, & ſpecies in pyxide claudi non poteſtis negare, quî fit, ut & corpus Chriſti non claudatur in pyxide? Niſi fortaſſe per illud uerbum, Adeſſe in myſterio, quod ſubinde inculcatur, aliquam chineram intelligatis.

Tenebras uocum ſemper offunditis: cur aliquãdo explicationis flatu aliquo eas non depellitis, ne ſemper cogamur per nebulas & caliginem abſq; ullo fructu intelligentiæ audire quæ dicitis? Alioqui nos etiam corpus Chriſti pani ac uino adeſſe in myſterio fatemur: ſed ita, ut myſterium ſignificationẽ exprimat. Adeſt enim corpus Chriſti, quatenus per illa ſignificatur. Vbi præterea myſterium ſuum legunt iſti in ſacris literis? Ibi certè nuſquam traditur, corpus Chriſti ſub accidentibus panis & uini realiter eſſe ac latere. Si myſterium ergo eſt, humanum dici debet, non diuinum: quandoquidem myſteria diuina ſolum in diuinis literis ſunt quærenda.

OBIECTVM X.

NEGANT corpus Chriſti eſſe ubiq;, cum tantum ſit ubi ſacramentum habetur. At ſi eodem tempore ac ſimul poſſit in uiginti locis eſſe, non repugnabit, quin poſſit in centum, aut mille, & demum in omnibus locis eſſe. Vnde corpus Chriſti conſtituunt infinitum, atque inſtar diuinitatis effuſum per omnia.

GARDINERVS.

ILLVD *certum eſt, cum de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia catholici loquuntur, intelligere eos præſentiam ſecundum arcanum myſterij modum, non ſecundum rationem ambientis loci.*

MARTYR.

» PRæſentiam, inquit, corporis Chriſti ſecundũ arcanũ modum myſterij intelli» gimus, non ſecundũ rationem ambientis loci. Et tamen ubicũq; ſunt uiſibilia » ſigna myſterij incorrupta, uerum corpus Chriſti adeſſe fatemur. Quod non eſt » naturam corporis conſtituere infinitam, ſed potentiã dei agnoſcere immenſam. Hic rurſus in ſermonum Labyrinthos abdit ſe Inconſtantius, myſterij arcanum modum interpretando. At non ita cornicibus oculi configuntur: nihil planè â nobis per ambages auferetis, niſi tãdem aliquando uos ab iſtis nodis liquidò explicaueritis. Et mirum eſt, quàm ſibi audacter iſte ſumat, corpus Chriſti adeſſe, uerùm non ſecũdum rationem loci ambientis: quaſi nos daturi ſtatim illi ſimus, adeſſe corpus alicubi, & locũ non occupare: cũ id fieri nequeat, & corpori organico ſummopere aduerſeẽ. Probare iſtud oportuit, nõ audacia ſophiſtica ut conceſſum accipere. Nos utiq;, ne hoc poſthac ignores, talẽ propoſitionẽ uobis ne per ſomniũ quidẽ unquã dabimus: quãdoquidem id ſacræ literæ nõ docẽt, repugnat natura, & nulla certa ratio cõfirmat. Negat naturã corporis à ſe infinitam conſtituí: cũ tamen eam neget, ut uerba eius demonſtrant, certo loco terminari. Potentiã dei iactant immenſam: quaſi nos eam uelimus imminutã, licet dicamus illam ad ea, quæ (ut uulgo dicitur) contradictionẽ implicant, non extendendam.

Potẽtia Dei ad ea non extenditur quæ cõtradictionẽ implicant.

Quid

Quid uerò magis pugnat, & magis inter contraria censeri debet, quàm aliquid esse corpus humanum, & non esse corpus humanum: esse creaturam, & non esse creaturam?

Ponit ad hæc, uirtute immensa dei fieri, ut ita corpus Christi adsit, ubicunq; signa uisibilia incorrupta seruantur. Vbi nam in diuinis oraculis hoc suum dogma consignatum nobis ostendet? Non est cuiquam difficile comminisci: quilibet potest mendacijs abundare: atq; fictionum copiosus est ubiq; prouentus. Veritas certè istis tectorijs non indiget: neq; uerbi dei syncerítas huiusmodi prodigijs est incrustanda.

Addit: Si est insanum cogitare, panis & uini species per omnia diffundi. Quę est hęc sine mente collectio, futurum tandem ut corpus Christi sit infinitum, illis probationibus à centum in mille: quę infinitatis eò usq; non progrediantur, quin aliquid saltem uacui ipsis relinquatur hominibus, illis profectò, qui sacrificant, ut non sit ubiq; corpus Christi. Dum hanc Gardineri sursum ac deorsum rationem uerso, tota uidetur culmea & arundinea: nec satis queo tarditatem hominis admirari, qui non uiderit gradationem huius argumenti sic fuisse contextam: Cum uos magna pertinacia dei potentiam semper obijciatis, eaq; dicatis corpus Christi, ut ut humanum sit, in multis locis esse posse, tum ita nos colligimus: Si ui diuina corpus Christi simul eodemq; tempore in uiginti locis potest adesse, poterit non minus in cẽtum, & in mille, & in omnibus locis esse. Quia ratio nulla potest afferri, cur in pluribus, & non in omnibus esse possit. Neq; soli nos gradatione huiusmodi utimur, cum de potẽtia dei agitur, ut si per eam quod minus est datum fuerit, maius item dandum sit, uel si ad infinitum quodammodo extendatur. Sed Hieronymi contra Iouinianum habemus eandem argumentandi formulam, is quippe libro 2. ita scribit: Moyses & Elias quadraginta diebus ieiunauerunt, ac noctibus. Hoc hominũ natura nõ patitur, sed q̃d homini impossibile est, deo impossibile non est. Et mox: Qui quadraginta diebus potest ieiunare & uiuere, imò non potest ieiunare, sed uiuit uirtute dei: & æterno tempore poterit absq; esca & potu uiuere. Audis Gardinere Hieronymum argumentari, à quadraginta diebus ad æternum tempus? Non ergo mireris quòd nos à 20. uel centum locis, in quibus corpus Christi simul, dei potentia dicitis esse posse, concludamus, uos oportere illud cõfiteri, eadem potẽtia dei esse in infinitis locis posse. Neq; obstabit quicquam, quin corpus illud ponatur infinitum, hoc est, nullis alicuius certi loci limitibus terminatum.

Quod autem obijcitur de sacrificantibus et communicantibus hominibus, friuolum est, & extra causam obijcitur. Quandoquidem nos non agimus in præsentia, quid in re ipsa fiat, sed quid per dei potentiam, quam nobis magno supercilio semper opponitis, effici possit. Nam si per illam queat caro Christi per multa loca effundi, ad omnia quoq; poterit amplificari. Cumq; figura, lineamenta, membra, & certa corporis moles non impediãt, iuxta uestram sententiam, quin corpus Christi per multa loca spargatur, eadẽ ualebit ad omnia ipsum dilatare.

Fatetur postea naturam diuinã ubiq; diffusam: sed ita, ut diffusionis modum non assequamur. Nunquam audiui quenquam lites mouentem de ratione, qua natura diuina sit per omnia diffusa. Tam certè hoc notum fuit hominibus, uel ethnicis, ut poëtæ dixerint, Iouis omnia plena: nosq; in eo moueri ac esse. Vnde cum dicatur, sua præsentia omnia implere, ita ut rebus motum, uitam, & essentiam tribuat, satis declaratur, qua ratione sit ubiq;. Quod etiam à patribus & scholasticis doctoribus conclusum est: qui dixerunt, ubiq; deum esse, per præsentiã, essentiam & potentiam: quæ illorũ dicta, quòd sciam lectoribus & huic importuno sophistæ notissima esse, non laborabo explicare. *Deus ubiq;.*

„ Nos inquit uereri, ne tandem, quod agit deus, exeat in absurdum. Quibus uerbis bis insanit: Primùm quòd arbitratur deum agere, quæ ipsi fingunt eum facere, cũ neq; sint, neq; ullo modo fieri possint: deinde quod ita nostros putat esse fungos, ut in operibus dei absurda captent. At nos absurdum esse, quod deus faciat, ne cogitare quidem possumus. Illud tamen quod ipse clamitat deum facere, ut absurdissimum, magna cum ratione confutamus.

„ Panis deniq;, ait, urgente fame, summa interdum laboratur inopia: tantum „ abest ut infinitæ sint eiusmodi species, & corpus Christi queat in immensum mul„ tiplicari. Quare infert nostrum argumentum sua se ipsum iugulare ineptia. Hic si liberet certare conuicijs, aperiret se campus ad id ualde idoneus. [Sed quia hoc studium Pseudoepiscopo libẽs remitto, istud tantùm dicam: nos haud affirmare panem & uinum re ipsa omnia mundi loca occupare. Sed quid potentia dei facere ualeat spectamus. Quod si uim illam diuinam sibi à nobis opponi tam ægrè patiuntur, cur ipsi eam in medium producendi, & ex ipsa nectẽdi nobis nodos, ut putant, indissolubiles, nullum finem aut modum faciunt? Proinde non de nobis, sed de se ipsis conquerantur. Nam turdorum instar, ex illorum uentre hic uiscus egeritur, quo ipsi & impediuntur, & capiuntur. Vos dei potentiam infinitam semper opponitis. Nos per eandem respondemus posse fieri, ut omnia loca speciebus panis & uini repleantur iam consecratis. Ergo corpus Christi ad omnia loca diffundetur. Quare uel negate dei potentia omnia loca posse huiusmodi speciebus impleri: aut desinite affirmare corpus Christi realiter sub illis speciebus contineri: aut date absurdum, ad quod adducimus: posse tandem fieri, ut corpus Christi sit ubiq;.

OBIECTVM XI.

FIDES Ecclesiæ est, idem corpus non posse simul esse in diuersis locis: ergo corpus Christi, quod unum est atq; uerè humanum corpus, nõ potest in cœlis & in Eucharistia, quæ in terris administratur, esse in eodem tempore.

GARDINERVS.

Iustinus Martyr.

FIDES *Ecclesiæ profitetur deum omnipotentem, nouitq; uim naturæ finitæ ab infinita uirtute distinguere. Vnde Iustinus Martyr, cuius sanctimoniam doctrina æquauit, in libro* ἀποκρίσεων πρὸς ὀρθοδόξους, *ijs qui putabant corpus Christi post resurrectionem in spiritum uersum, quòd ingressus sit ad discipulos ianuis clausis, respondet, quod per naturam esset impossibile, id per uirtutem diuinam supra naturam fuisse effectum.*

MARTYR.

PRimùm, si tuam uelim cauillandi ac uitilitigandi aliquãtisper usurpare libidinem, falsæ uersionis & imperitæ iustè possem te arguere. Tu Iustinum inquis respondere: Quod per naturam esset impossibile, id per uirtutem diuinam supra naturam fuisse effectum. At uerba eius hoc pacto habent: τὰ ὑπὲρ φύσιν ἐν τῇ φύσει γινόμενα, κατὰ τὴν θείαν δύναμιν, ἀδύνατον κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως ποιήσασθαι τὴν πρᾶσιν. Vbi tu in hac oratione reperisti, Quod per naturam esset impossibile? aut, Per uirtutem supra naturam fuisse effectum?

Non multum, inquies, ad rem nostram facit. Attamen tu bis peccas: tum quia sententiam fideliter non reddis: tum quia, cum putas nos interdum aliquid non ad uerbum reddidisse, uociferaris, fidem dei & hominum imploras, cœlum terræ

terræ miſces, fraudem fieri clamitas, neq; lectorem pateris abſq; aculeo & ſuſpicione diſcedere. Cur tu eandem fidē non præſtas? Certè tota ſententia ita debuit reddi: Quæ ſupra naturam in natura diuina potentia efficiuntur, fieri nō poteſt, ut iuxta rationē naturæ probatione confirmentur. Hæc Iuſtini ſententia quid, quæſo te, contra nos continet? An putas nos id ſudare, ut omnia miracula tollamus? Non impij ſumus, omnia illa credimus, quæ facta diuinæ literæ atteſtātur: & ea credimus, prælucente nobis Chriſti ſpiritu, non autem naturali ratione ulla confirmante. Expoſtulauimus ne uobiſcum unquam, quod Chriſti natiuitatem ex uirgine, reſurrectionem ex mortuis, aſcenſionem in cœlum, et alia eius prodigioſa facta, quæ à ſcripturis ſanctis referūtur, argumentis ex natura ductis non confirmaueritis? Hoc unum querimur, uos dicere, corpus Chriſti eſſe in multis locis: quod non ex oraculis librorum diuinorum, ſed ex ueſtro capite fingitis: &, niſi quis uobis credat, ferro & igne in eum crudeliſſime animaduertitis. Querimur præterea, quòd ſemper dei potentiam obijciatis, cum hoc ex illarum ſit rerum genere, ad quas dei potētia ſe non extendat: nempè ut multis in locis eodem tempore corpus humanū ſalua natura ſua diffundat. Hoc genus miraculorū ſcriptura ſacra nō commemorat. Tu perpetuò potentiā dei urges, quaſi nos eam in miraculis, quæ teſtimonio uerbi dei conſtant, non agnoſcamus: aut quaſi ad probāda miracula, diuinis literis teſtata, naturales rationes poſtulemus.

Duo à uobis quærimus: ut huius ueſtri prodigioſi figmenti ex diuinis oraculis teſtimonium producatis: utq; oſtendatis, naturā humani corporis abſque ſui diſpendio in multis locis poſſe ſimul adeſſe. Hæc uobis demonſtranda præſcribuntur. Quid per tam multa uagaris? In iſta Iuſtini reſponſione traditur Chriſtum ambulaſſe ſuper aquas. Atq; eum Petro idem conceſſiſſe, & ad diſcipulos ianuis clauſis penetraſſe, credimus: nam & ſcripturæ iſta tradunt.

An Chriſtus cū exiret de monumento lapidem penetrarit. Leo Epiſcopus Romanus.

Addidit ille, corpus etiam Chriſti, dum à mortuis excitaretur, egreſſum monumento, quod lapide tegebatur. Id etiam admittere non recuſamus, quāuis ad articulum fidei non pertineat. Quid enim erraret, qui crederet reuoluto per angelum monumēti lapide, Chriſtum rediuiuū exiſſe? Certè hoc ſenſit Leo primus eius nominis Rom. epiſc. in epiſtola, quam dedit ad Epiſcopos Paleſtinos, ubi ſic ait: Dicant igit iſti phantaſmatici Chriſtiani, quæ ſubſtātia Saluatoris affixa ſit ligno, quæ iacuerit in ſepulchro, & reuoluto monumenti lapide quę tertio die reſurrexerit, uel quale corpus Ieſus diſcipulorū uiſui clauſis ad eos oſtijs ingreſſus intulerit. At, ſiue hoc modo fuerit, ſiue illo, non contendo. Quia mihi dubiū non eſt, ui diuinæ, partes oſtij ac lapides cedere potuiſſe, donec tranſiret domini corpus, atq; poſt illud obſequiū rurſus fuiſſe cōiunctas. Quid hic eſt incommodi? Certè lapides & ligna ut cæteræ creaturæ deo parent: abeunt, & redeunt, cū iuſſerit. Sed uos fingitis, manſiſſe lapidis & ligni ſolidiatem, atq; ea ſalua, neq; cedente, corpus Chriſti tranſijſſe. Cur ſuam potius non relinquitis corpori Chriſti ſoliditatē, cui lapis & lignum ad momentū ceſſerit? Profecto quod à me dicit, & facilius eſt, & longe ueriſimilius. Si cui tamē uideretur ueſtræ imaginationi aſſentiri, quod mihi non uidetur, poſſet adhuc rixam mouere, an ἰσοδύναμα ſint, ac tantundem abſurdi habeant, Duo corpora ſimul in eodem loco eſſe, & unum idemq; corpus, præſertim humanum, per multa loca diffundi.

Duo corpora eſſe in eodē loco, & unū corpus in pluribus locis, an ſint, æquè abſurda.

Vos, ſcio, dicetis paria hæc eſſe. Quid ſi ille negarit? dixeritq; hic tolli atq; aboleri naturā humani corporis, ibi uerò ſeruari? Quibus, obſecro, rationibus illum à ſua ſententia dimouebitis? Proinde, cū Iuſtinus de eo, quod modo agimus, nominatim non fecerit mentionem, quia corpus domini eſſe in multis locis nō tradit, miracula, quæ commemorat, recipimus: & quæ à ui Dei ſupra naturā fiunt, naturalibus argumentis confirmari non petimus.

„ Addit: Nos autem Enoch & Eliam natura mortales, uiuere etiam nũc in cor-
„ pore diuina uirtute, idq; supra naturam. Qui multa uerba soles incassum funde-
re, necessariũ uerbũ hoc loco intermittis. Nos uerò, inquis, Enoch & Eliam uí-
uere, &c. Puto desiderari, Credimus, aut Asserimus. Hoc est sophisticari, abuti
obscuritate, atq; mutilata oratione ad fallendum. Si credis, Enoch & Eliã adhuc
uiuere, id absq; scriptura credis. Admirabili ratione subleuatus est Elias, & ab
An Elias uiuat. Elizæo in igneo curru abstractus. At quòd spiritus eius corpore non sit exutus,
quo testimonio scripturæ confirmabis? De Enoch haberi scio ad Hebræos ca.
11. illum fuisse translatum ne uideret mortem. In quem uerò finem trãslatus fue-
Locus Eccle-siastici. rit, liber Sapientiæ ca. 4. declarat. Quia deo placuit, & charus ei est habitus, ideò
cum inter peccatores uiueret, de medio sublatus est: abreptus ne malatia immu-
taretur sensus eius, néue anima eius fraude circumueniret. Et in Ecclesiastico
ca. 44. scribitur: Enoch deo placuit, & sublatus est, exemplum emendandæ uitæ
nationibus. Vbi notandũ, in Latina uersione haberi: Et translatus est in para-
disum, cum in Græco nõ habeatur paradisi mentio. Ex isto uersionis errore pro-
cul dubio est orta uulgi opinio, istos adhuc duos uiuos in paradiso terrestri asser-
uari, & extremo tempore mittendos, atq; ab Antichristo mactandos, ut 11. capite
Apocalypseos scribitur, iuxta Græcorum scholiorũ interpretationẽ: quãuis Au-
Augustinus. gustinus locum illum interpretando reclamet, & de uiris huiusmodi testetur, id
non posse intelligi. Qui tamen alibi, nempe super Genesin ad literã lib. 9. ca.
6. & in lib. 83. quæstionũ, quæstione 58. dicit Eliam sperari præcursorem secundi
aduentus Christi. Atq; id conatur ex Matthæo ca. 17. elicere; sed conatu frustrat.
Quia ibi Christus de Iohanne Baptista se profitetur loqui. Et idem propemo-
dum dicit super Iohannem Tractatu 4. Nec iuuat locum adducere ultimi capí-
Locus Malach. tis Malachiæ: nam quæ ibi dicuntur, ad Iohannem Baptistam referri debent: ut
finis librorum ueteris Testamenti cum initijs Euangelistarum copuletur.

Sed ad epistolã ad Hebræos redeamus. Translatus est Enoch, & ut demon-
straui ex libro Sapientiç, ne malitia sensus eius immutaret: &, quia deus illũ ama
uit, suã hanc uoluntatem erga illum testatã omnibus esse uoluit. Ideò communi
An Enoch sit mortuus. uulgariq; morte illum non oppressit. Nam id ui naturæ, aliáue de causa homines
opinati essent contigisse. Ideò uoluit Deus eadem opera illũ à periculo eximere,
atq; efficere, ne homines, quanti eum faceret, ignorarent. Abstulit itaq; illum,
& saluti eius cauens, & hominibus exemplum proponens, quo ad rapti uiri iu-
stitiam ac probitatem imitandam incitarentur. Viuum itaque rapuit, & Enoch,
priusquam gustasset mortem, ad se asciuit.

Sed quid tu nosti eum posteà non esse mortuum, cum iam in tuto esset, neq; il
li amplius periculũ esset à peccatis? Dices epistolam ad Hebræos habere, Ne ui-
deret mortẽ. Id intelliget quispiã, ne mortem experiretur, dum in mũdo agebat:
ne morte communi atq; ordinaria extingueretur. Sed quin post raptum sit mor-
tuus, unde tandem fidem facies? Certè Rabbi Aben Esra, & Rabbi Selomo in-
ter Hebræos interpretes non postremi, Enoch mortuũ putant, dum caput 5. Ge
neseos interpretant. Nec desunt Hebræi, qui exponentes secundũ librũ Me-
lachim, dicant, Eliæ corpus & uestes omnes, præter pallium, in ipso turbine con
sumpta fuisse: spiritum uerò prophetæ ad Deũ migrasse. Hæc ideo sum pro-
lixius exequutus, ut Gardinerus intelligat, quàm temerè de fide pronuntiet: qui
dicat, Nos, hoc est Ecclesiam, credere, Enoch & Eliam natura mortales, adhuc
diuina uirtute in corpore uiuere. Potest hæc multorum esse opinio: sed fi-
des, quæ orta sit ex uerbo dei, dilucide intellecto, & fideliter explicato, esse non
potest. At Inconstantius traditiones humanas, & uerbum dei susq; deq; habet:
& æque hinc, atque inde fidem nasci arbitratur; neq; magni, ut iudicat, interest,

siue ho-

siue hominibus, siue scripturæ credat. Ego uero de corporea uita Enoch & Eliæ me nihil scire, aperte dico: nec̃ mea referre iudico, utrumuis concedatur.

At facito illos, ut sophista credit, uiuere. Quid hoc ad rhombum? Vbi nos unquam sumus inficiati, ui diuina humanum corpus absq; cibo spectabili posse sustentari? Certè hoc substantiam nostræ carnis haud euertit, nihil contra eius naturam & definitionem affert. Absq; cibo quadraginta dies uixit Christus: Moses item, & Elias. Nec̃ propterea membris, figura, & mole, ac lineamentis humani corporis exuti fuerunt. Quis ad hæc nos certos reddet, hos duos, si uiuunt, mortalem uitam uiuere? Potuit certè illos deus gloria superinduere, & ad beatam uitam transferre. Nec dubitandum est, sanctos in patria sine corporali cibo uicturos. Quare si ad rem uis dicere, scripturę disertis uerbis confirmes, aliquod humanum corpus, siue Christi fuerit, siue alterius, nõ refert, in diuersis locis eodem tempore fuisse. Tum cedemus, tum dabimus manus, tũ uiceris. Dum uerò pergis ἀπροσδιόνυσα inducere, atq;, ut sophista, deflectere à re proposita, te nihil profecturum certò certius habeas.

Humanum corpus absq; cibo sustentari potest diuina potentia.

Audiamus iam quid adducturus sit ἀπὸ τ̃ πειπάτου. Aristoteles, inquit, sola naturę speculatione nitens, prius absq; posteriore fatetur esse posse. Qua ratione, sequetur, ut substantia, quæ est omni accidente prior, esse interim sine accidente posit. Adeò captum communem superat naturæ uis creatę. Quid iam ego hic audio? Vi naturæ creatæ posse quamlibet substantiam esse absq; omnibus accidẽtibus? Et, quod prius est, à posteriori posse semper diuelli? Certè si Gardinero uel per unum diem mediocris cum Peripateticis consuetudo interfuisset, non tam stupidè colligeret ex illorum placitis. Demus isti nouo Philosopho, substantiam priorem esse accidentibus. Annuamus, ut uult, prius à posteriori posse disiungi. Collectione Peripatetica quid sequetur? Aliquam substantiam sine accidentibus reperiri. Talem fatebimur esse Deum. At omnem substantiam à quolibet accidente distrahi posse pernegabimus.

Aristoteles.

Quomodo substantia intelligatur prior accidentibus.

Dicat nobis hic mirabilis Peripateticus, an humanum animum censeat esse substantiam? Non negabit. Vim seu facultatem intelligendi rursum dicat, ad quã κατηγορίαν attineat. Certè ad qualitatem, & ad illud eius genus, quod naturalis potentiæ & impotentiæ uulgo dicitur. Quod cum ita sit, diuellat, si potest, animum humanum à ui cognoscendi atq; ratiocinandi. Quid consequetur? Animum humanum, non esse animum humanum. Scimus etiam substantiam aliquam sine mole ac quantitate inueniri. Talis enim deus est, & tales sunt angeli. At substantiam corpoream non quantam Aristoteles nunquam concedet. Non ignoro, substantiam dei loco nullo comprehendi. Sed humani corporis substantiam præter locum esse, quando unquam daturus est tuus ille, quem adducis, & tanti facis Aristoteles? Deinde motus natura tempus antecedit. Nunquam tamen erit motus, quin statim consequatur tempus. Nemo præterea philosophus dubitabit, propositionem esse necessariam, qua propria quædã affectio seu qualitas de subiecto suo dicitur. Omnesq; scimus necessarium esse, quod aliter sese habere non potest. Quare, utut subiectum prius dicatur suo accidenti proprio, tamen ab eo separari nõ potest: alioqui ex illis propositio necessaria minimè constitueretur. Et unde, quæso, orta est illa distinctio, separabilium, & inseparabilium, ut loquuntur, accidentium: nisi quod eorum aliquod genus sit, quod à subiecto suo disiungi, eo saluo, non possit: alterum uerò facilè remoueri ac diuelli possit? Proinde quod Aristoteles dicit, Prius esse posse absq; posteriore, non id re ipsa & quoad existentiam intelligit, sed ad notitiam omninò refert. Etenim fieri potest ut mens nostra de priori cogitet, non attendẽdo uel spectando quod est posterius. Nunquam tamen, nisi falsò intelligemus in exemplis iam prius ad-

Non omnis substantia potest à quouis accidentis genere separari.

Substantia corporea non potest non esse quanta.

Quid necessarium.

Accidentia separabilia & inseparabilia.

An prius esse possit absq; posteriori.

ductis, prius existere absq; posteriore: quamuis prius contemplari facilè quis poterit, & de illo commentari absq; posteriori. Imò Aristoteles Platonem ex eo uidetur sæpius arguere: quòd, quia naturas rerũ, seu notiones uniuersales absq; singularibus ac indiuiduis possumus intelligere atq; contemplari, propterea ideas à rebus singulis auulsas existere posuit, statuendo, ut Inconstantius iactat, prius absq; posteriori existere posse.

De ideis Platonis.

Videat igitur, quàm decorè personam tueatur hoc loco Peripatetici, quam ipse sibi impositit. Detestantur planè omnes Peripatetici eam sententiam, quæ statuit uniuersalia præter singulas res & indiuiduas existere, utut concedant ea priora esse. Non tenuit ergo nouus Peripateticus noster uulgatam distinctionem sectæ, cuius nunc utitur patrocinio: separari ab alijs aliqua uel re ipsa, & quoad existentiam: uel tantum quoad intelligentiã & contemplationem. Quod si humanum corpus à loco uelimus posteriori modo auellere, id ut fiat, facilè dabo. Quis enim de corpore humano cogitare non queat, dum nihil de loco meditetur? Est utiq; hoc facile: quippe quod prius est mente abstrahere à posteriori philosophi passim consueuerunt. Nunquã tamen uerè pronunciabit quisquam, uel apud se statuet, corpus absq; loco esse: neq; seiunget re ipsa & quoad existentiam corpus à suo loco.

Res à se inuicẽ dupliciter separantur.

Corpus absq; loco intelligi potest, sed absq; eo existere non potest.

Hic iam liquet, quàm turpiter impingant, qui sui animi somnia sequuntur, palpant in meridie, & talpis efficiuntur cæciores. Nullus præterea theologus, tametsi fateatur, patrem origine priorem esse filio, patrem uel cogitatione uel existentia concedet esse posse absq; filio.

Sed ad Aristotelem redeo, qui dat substantiam quidem priorem accidentibus esse: uerùm omnem substantiam ab illis quoad existentiam diuidi, reclamat. Nam id proprium deo est ac peculiare, ut accidentibus prorsus careat. Naturalis uerò substantia propriis accidentibus nullo modo potest exui, ac suam retinere saluam naturam: quin ut absq; omnibus separabilibus accidentibus integra maneat, fieri non potest. At si tui Aristotelis iudicium tibi tantoperè probatur, cur in hac eadem materia illud non sequeris? Ille idem pronuntiauit, posteriora non posse à prioribus diuidi ac separari: neq; patitur, aut unquam dabit, accidentia sine subiecto posse consistere. Tu uerò, ac tui similes, uobis permittitis oppositum statuere: atq; si deo placet, propter uestram panis & uini transubstantiationem cœlum terræ miscetis, & ea quæ neq; picta neq; scripta ullibi sunt, impudenter ac pertinacissimè affirmatis.

Aristoteles nõ uult posteriora à prioribus posse diuidi.

Adducis mihi præterea Danielem, à quo scribatur Abacuch prophetam momento temporis in Babyloniam raptum, salua & integra illius natura, ut cibum Danieli præberet, qui leonibus deuorandus erat obiectus. Verùm, quid in hoc exemplo habes, quod nostram sententiam lædat? Cum Eliam & Enoch translatos hinc ui dei non negemus, (quamuis dubiũ est, an postea uiuant an obierint) & confiteamur, Christum quoad carnem in cœlum ascendisse, non abnuemus, potuisse fieri ui diuina, ut Abacuch ex Iudæa in Babylonẽ transferretur. Quòd uerò scribis id momento temporis factum, id historia Danielis non habet. Tamen quod est controuersum probasses, si Abacuchum eodem tempore & in Iudæa, & in Babylone fuisse demonstrasses. Quod cum non feceris, tu uideas, quò ista spectent. Deinde miror, pro Daniele te mihi fabulam opponere. Sic enim tota illa narratio Beli euersi appellatur, non à me, sed à maioribus.

De Abacuch adducto in Babylonem.

Audi quid Hieronymus dicat, cum explicatis ijs, quæ uerè Danielis erant, ad hæc postrema interpretanda ueniret. Expositis, inquit, ut potuimus, quæ in Danielis libro iuxta Hebraicum continentur, ponam breuiter, quid Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannæ & Beli fabulis dixerit. Benè habet,

Hieronymus.

Postrema pars Danielis fabula dicitur.

habet,ut cum ſolidis literarum diuinarũ teſtimoniſs cauſam non poſsis obtinere, deflectas ad fabulas. Rectè de uobis Paulus ad Timotheum eſt uaticinatus: fore, ut, cum ſanam doctrinam non ſuſtineatis, conuertatis uos ad fabulas.

Atqui non grauabor aliud eiuſdem Hieronymi teſtimoniũ hac de re adducere, in prologo ſuper Danielem, ubi ſic ſcribit: Daniel apud Hebræos nec Suſannæ habet hiſtoriam, nec Hymnum trium puerorum, nec Belis draconis fabulas: quas nos, quia in toto orbe diſperſæ ſunt, ueru antepoſito, easq; iugulante ſubiecimus: ne uideremur apud imperitos magnam partem uoluminis detruncaſſe. Quæ uerba ſic annotatione ſua illuſtrauit Eraſmus: Mirum quod Hieronymus nunc ueru iugulat, id paſſim nunc legitur & canitur in templis, ceu res in primis ſancta. Tanto plus ualet conſuetudo multitudinis imperitæ, quàm uiri eruditi iudiciũ: imò nullo delectu legimus de Bel dracone hiſtoriã, quã Hieronymus non eſt ueritus appellare fabulã: nec additurus, ni ueritus fuiſſet, ne bonã uoluminis partem detruncaſſe uideretur. Sed apud quos tandem? Apud imperitos, inquit ipſe. Sic ubi cõmodum eſt, quiduis apud nos ualet Hieronymi authoritas: ubi non eſt commodum, ne tantulum quidem ualet. *Hieronymus.* *Eraſmus.*

Sed ad Hieronymum redeo, qui de quodam ſuo Iudæo in eadem præfatione ſic ſcribit: Cum uerò ad Abacuch ueniret, & de Iudæa in Chaldæam raptum diſcophorum lectitaret, quærebat exemplum, ubi legiſſemus in toto ueteri Teſtamento, quenquam ſanctorum graui uolaſſe corpore, & in puncto horæ tanta terrarum ſpatia tranſiſſe. Cui cũ quidam è noſtris ſatis ad loquendum promptulus Ezechielem adduxiſſet in medium, & diceret eũ de Chaldæa in Iudæã fuiſſe translatũ, riſit hominem, & ex ipſo uolumine demonſtrauit, Ezechielem in ſpiritu ſe uidiſſe tranſpoſitum. Deniq; Apoſtolum noſtrum uidelicet, ut eruditum uirum, & qui legem ab Hebræis didiciſſet, nõ fuiſſe auſum affirmare, ſe raptum in corpore: ſed dixiſſe, Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit. His & talibus argumentis apocryphas in libro Eccleſiæ fabulas arguebat. Porphyrius quoque locum hiſtoriæ Suſannæ calumniatus eſt, quòd à uocibus Græcis χίνου & πρίνο etymologias peteret homo Hebræus, nempe Daniel, qui Chaldaica lingua ſcribebat. Vnde conſtat, non ipſius Danielis illud eſſe ſcriptum, ſed hominis Græci commentum. Vide igitur, Gardinere, quò te rapiat impetus cauillandi, cui nimium obſequeris. Nihil non audes in mala cauſa: & cum omnia undiq; commouiſti, nihil ſuccedit. *Porphyrius.*

OBIECTVM XII.

CONTRA naturam & rationem eſt, corpus quantum eſſe alicubi, & non occupare locum. Sed ſi ponatur corpus Chriſti in ſacramento realiter, ut dicunt, erit ibi corpus quantum ſine occupatione loci. Quod eſt deſtruere naturam corporis Chriſti.

GARDINERVS.

QVI *omnia in omnibus operatur Deus, aliter in naturæ ordine à ſe præſcripto, aliter uirtute, cum ita illi uiſum eſt, quæ fiunt, efficit.*

MARTYR.

VT multa, quæ hic reſponderi poſſent, omittam, illud attingam peccatum, quod in hoc ſophiſta perpetuò hæret. Semper id ſtatuit, ſibiq; ut datum

„ sumit, deo ita uisum, ut domini corpus re ipsa Eucharistię adsit, & unà in cœlo sit
„ præsens, atq; dum mysterio cœnæ intereſt, locũ non occupet: cũ alioqui substan
„ tialiter sit corpus, & realiter, ut loquuntur, sub accidentibus panis & uini occul-
„ tetur. Deum ita uelle demonstretur: confirmetur diuinis literis hæc eum reue
lasse: atq; fidelibus ista proposuisse credẽda ostendatur. Hoc dum ab eo quæ-
rimus, frustrà quærimus: testimonia huius diuinæ uoluntatis nusquam profe-
runtur. Potentiam dei nusquam non obijcit, & uim diuinam in quæcunq; uisum
fuerit efficacissimè distribuit. Adducit similia interdum, & exempla: sed quàm
controuersiæ nostræ congruant, nihil moratur. Satis illi est, modò aliquid com-
miniscatur, quo lectori fucum faciat.

Nunc ut probet quædam cũ usitato cursu naturæ pugnare, quæ tamen haud
„ pugnant cum primaria dei authoritate, ac ratione, Petrus, inquit, deo secũdum
„ naturam cooperante ambulauit super terras: & idem Petrus deo secundũ ipsius
„ uirtutẽ cooperante ambulauit super aquas. Non una ratione, quod Inconstan-
tius modò adducit, à re, de qua nunc agimus, est alienum. Primùm quod re-
fert de Petro, à diuinis literis narratur: quod isti dicunt, & credi uolunt ab ipsis
confingitur. Deinde quæ Petrus fecit, idem tempus non respiciunt. Nã cum
super aquas ambularet, non ambulabat in terris.

At dominus dum sacramentũ Eucharistiæ instituit, & corpus in loco habuit,
nam cum discipulis ad mensam discumbebat: & corpus identidem suũ, ut isti uo
lunt, sub accidentibus panis & uini totum & realiter habuit. Quare idem cor-
pus eodem tempore cogentur dicere in loco fuisse, ac non in loco, atq; id quoad
omnia illius membra. Sed Petrus non eodem tempore super terram, & super
aquas ambulauit.

Postremo quid absurdi habet, grauitatis aut ponderis actionem à Dei omni-
potentia fuisse in Petri corpore suspensam, ne in aquarum ima demergeretur?
Hoc certe fatemur in igne factum, à quo tres uiri sancti non fuerunt combu-
sti, cum tamen in ardentissimam fornacem coniecti fuissent. Idem contigisse
scimus cum Elias in cœlum eleuaretur, & dominus noster Iesus Christus il-
luc ascenderet. Nemo nostrum inficiatur, potentiorem esse uim dei, grauitate ac
pondere humanorum corporum. Neque tamen si ea sustineantur, ne deorsum
ruant, ideò humana corpora esse desinunt. Propterea quæ de Petro adfers, ut
nil te iuuant, ita omninò sunt extra oleas.

Quomodo Petrus ambulauerit super aquas.

„ Audiamus tamen ea, quæ addis. Christus Deus & homo secundum con
„ ditionem assumptæ naturæ passus est in corpore: & idem Christus uirtute sua
„ diuina ianuis clausis ingressus ad discipulos, effecit, ut corpus eius, quod soli-
„ dum esset, penetraret, quod in ianuis solidum erat, nec loco pelleret: quo ni-
„ hil sit magis à naturæ legibus alienum. Hic quoque idem opponam, quod
antea: Christi corpus idem non esse eodem tempore passum, & non passum: ut
uos ponitis, eodem tempore in loco fuisse, & non in loco. Deinde, quod ac-
cipis, Christi solidum corpus ianuæ solidum corpus penetrasse, ita, ut illud lo-
co non pepulerit, quando probabis è scripturis? Nobis est satis, ut Euangeli-
ca historia narrat, Christum ad Apostolos, cũ ostia essent occlusa, uenisse. Tu
dicito, quid obstiterit, quin soliditas ianuarũ intranti Christo cesserit, & post of-
ficium præstitum, ad locum pristinum redierit. Quasi dominus ui sua non potue
rit rarefacere solida, & densare, cum uoluerit: uel ea repellere, pristinoq; loco re-
ponere, cum uisum fuerit. Ista nil pugnant. At simul densum & rarum esse, ce-
dere & non cedere, quoad easdem partes, repugnaret. Et pugnat, corpus hu-
manum esse quantum, & membra distincta in se ipso habere, atque idem ad

Quomodo Christus sit ingressus clausis ianuis.

loca

loca diuersa, multa, & propemodum infinita diffundi: præsens esse, ac non in loco esse. Hi sunt nodi: hinc te impeditum explices oportet.

De ingressu uerò Christi ad discipulos ianuis clausis, non multum est laborandum: nam & superius, quãtum satis erat, dixi: & adhuc possem dicere, Ianuis clausis, dominũ ad Apostolos non per ianuas, sed aliunde ingressum esse. Quod si dicerem, à scripturis, certò scio, non possem confutari.

Dicit præterea Inconstantius: Et dicemus, deum corpus quod assumpsit, de-
struere, nisi secundum communes naturæ leges eodem semper utatur? Quod uir-
tute dei fiat, mirari debemus: excutere non possumus: quãdo in tam multis, quæ
natura fiunt, cæcutimus. Mirum est hunc sophistam nunquam audisse in scholis
usitatam distinctionem: nisi, ut ueterator est, iam se nosse dissimulet. Verùm ne
sibi persuadeat, nos quoq; illã ignorare, paucis explicabitur. Leges naturæ quæ-
dam sunt ita constitutæ, ut si uiolentur, contradictoria statim pugna oriatur. Vt,
si quis hominem dari uelit absq; animo ui prædito intelligendi: aut si quis trian-
gulum dicat figuram quadratam. Legibus ijs naturæ nulli sunt habiti unquam *Distinctio legũ*
theologi, qui dicerent deum posse obsistere: quandoquidem id non dei uitio, sed *natur alium.*
rerum ipsarum conditione ac natura fieri non possit. Aliæ uerò naturæ leges
ita se habent, ut earum transgressio nullam afferat contradictionem: talesq; dei
potentia non semel uictas & superatas, ut diuinæ literæ tradunt, nemo ambigit,
qui Christo nomen dederit. Videas nunc tu, Gardinere, an dicere, certum ali-
quod corpus simul in loco esse, ac non esse: humanum esse, ac nõ humanum: con
tradictoria pugna opponatur. Quod itaq; à uobis in ijs portentis confingitur, ad
primum allatæ distinctionis membrum pertinet: ideoq; nos haud immeritò re-
clamamus.

At ut uiuus, inquit, non est quærendus inter mortuos: ita, quæ dei uirtute su-
pra naturam fiunt, ad inferioris naturæ regulas non sunt exigenda. Imò quoad
non reuelarit dominus, aliquid secus futurum aut factum esse, quàm ordinaria
ratione agatur, licet modum quærere, atq; exigere. Ita Maria dixit ad angelum:
Quomodò fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Si licuit uirgini hoc dicere *An liceat quæ-*
angelo, qui fœlicissimum ei conceptum nuntiabat, cur nos absterretis, ne uobis *rere quomodo?*
idem occinamus, qui nobis absq; uerbo dei tanta portenta credenda obtrudi-
tis? Dicitis corpus Christi nobis passim realiter adesse, & latitare sub minimis panis
& uini speciebus: dicitis, locum non occupare: dicitis, hic simul & in cœlis esse.
Nec uultis nos quærere, quomodò ista fiant. Si deus hæc diceret (quæ non di-
cit, cum re uera, ut est ostensum, contradictionem coniunctam secum habeant)
sed si diceret, non quidem dubitando, sed tamen instructionem petendo, liceret
interrogare, Quomodo fiet? Quod non tantum à Maria, uerum etiam ab Abra-
hamo & à Gedeone factum scimus. Et uobis, qui ad ista, quæ dicitis, confirman-
da uerbum dei nunquam affertis, non licebit idem occinere?

Verùm, quid ad nostram interrogationem dicas, operæpretium est audire.
Esse autem in mysterio, nõ est loco comprehendi, sed dei uirtute sisti, quomodò
ille nouit. Atq; hoc mysterium uisibilia indicant, quæ loco illa ambiente finiun-
tur secundum naturam: cum mysterium, quod significent, sic fiat uirtute dei, &
sic nobis sistat Christum præsentẽ, ut nulla id ratio assequi, nullis in natura exem-
plis demonstrari queat. Quod iste nunc somniat, esse in mysterio, non esse com-
prehendi loco, ut prius dixi, facilè dabo. Nam id nobis adest in mysterio, quod
per mysterium, seu sacramentũ significatur: & hoc ipsum, ut refertur, per fidem
comprehenditur, & uerè credentibus præsens efficitur: non quidem, ut ita dixe-
rim, corporaliter, aut realiter, sed spirituali perceptione. At iste per mysterium,
ut uerba eius præ se ferunt, longè aliud intelligit: nempè aliquid adeò potens &

efficax, ut nobis sistat Christum quoad carnem præsentem. Paulò superius id uirtuti diuinæ tribuebat, ut Christum sisteret nobis: posiremò uerò mysterium hoc dicit efficere. Sed puto, illum se ipsum non satis intellexisse. Fingit præterea corpus uerè præsens adesse, nec locum occupare; quod figmentum ut inane sit, & prorsus mendax, probatione ulla non eget.

OBIECTVM XIII.

SENSVS huius propositionis, Hoc est corpus meum, uel est literalis, uel tropicus. Sensus literalis, quem quisq; sensu communi præditus, ex forma uerborum colligit, est huiusmodi: Panis, quem Christus accepit in manus, est corpus Christi. Quod sanè falsum est. Nam & Dialectici aiunt: Vnum disparatum non prædicatur de altero, nisi uel figuratè, uel per significationem: ut Petra est Christus. Ergo uerus sensus huius propositionis est tropicus: nimirum, Panis, quē Christus accepit in manus, est figura corporis eius, uel, corpus eius significat.

GARDINERVS.

FALSO *assumitur, hominem communi sensu præditum, secundum sensum literæ intellecturum ex uerbis Christi, dixisse eum, panem esse corpus. Quia illud (Hoc) quod est subiectum in uerbis Christi in sensu communi non æquipollet disparato: quasi istæ propositiones, Hoc est corpus meũ, & Petra erat Christus, essent similes. In hac enim Christus disparatum prædicatur de petra disparato: & ex duobus disparatis conficitur propositio, Petra erat Christus. In illa uerò, Hoc est corpus meum, non sunt duo disparata: sed uerbum (Corpus) quod est disparatum, prædicatur de (hoc) pronomine, quod certæ naturæ nomen non exprimit in sensu communi, sed solùm designat, quod est in eo, quod demõstratur unum, nec altius in eius naturam penetrat.*

MARTYR.

HOc loco sophista ita se prodit, ut nunquam magis, quàm hic, suis coloribus, suoq; penicillo se ipsum expresserit. Certè, hoc illius commentum, quod modò adducit, linea est, quæ Apellem probat: & hũc, si non prius eum noueris, quàm apertissimè indicat sophistam esse. Pronomine (hoc) fingit, Christum non demõstrasse panem, sed nescio quod, uagum indiuiduum. Atq; hoc suo glorioso inuento, quod tamen eius non est, putat se latibulum inuenisse, quo & errorem, & mendacia sua, ne deprehendantur, occultet. Se appellauit Constantium, quasi eo cognomine suum adamantinum pectus iactans. Vult haberi solidus, firmus, & stabilis, cum tamẽ eo nihil sit magis uarium aut uanius, aut inconstãtius. Chamæleonta, Vertumnum, & Proteum potius dixeris, quàm Constantium. Non itaq; mireris, Lector, si ego illum pro Constantio, Inconstantium nomino. Quòd enim dicit, pronomine (hoc) panem non demonstrari, sed indiuiduum quoddam indeterminatum, id illi non placuit, cum libellum scriberet, Contra diabolicam sophisticam. Hoc enim magnifico, & horribili titulo librum eum inscripsit. Ibi omninò uoluit, panem eo pronomine demonstrari. Quod itaq; tunc aiebat, modo negat; quodq; tum negauit, modo affirmat. Præclaram uticq; constantiam hæc indicant.

Pro Constantio se prodit Inconstantium.

Liber Gardineri Cõtra diabolicam sophisticam.

indicant. Atq; nunc, ne sit sui dissimilis hoc postremo tempore, Papæ rursus est factus abiectum uilissimumq; mancipium, quem & uerbo, & scripto, & sacramento prius abiurauerat. Stomachetur in nos, quantum uolet: appellet incõstantes, uarios, lubricos, instabiles. Patiemur: hac tamen lege, ut prius in se ipsum descendat. Quod si fecerit, nos de ingenio suo sentiet non mentiri.

At nolo in campo eius inconstantię prolixius expatiari: ad rem redeo. In ista propositione, Hoc est corpus meum, inquit, non esse duo disparata. Nam uerbum (Corpus) dat esse disparatum, & prædicari de pronomine (Hoc) quod certæ naturę notam non exprimit. O lautum Dialecticum. Si uerbum, ut concedis, corpus est disparatum, à quo, quęso, est disparatum? Non ne hic uides esse collationem, ut quicquid sit disparatum, ab aliquo sit disparatum? Si corpus, ut statuis, non prædicatur de pane, sed de pronomine (hoc) quod ab illo non abhorret, sed cum ipso coniungi potest, quomodò in ea propositione (Corpus) disparatam uocem esse concedis? A quo enim ea disparata erit? A pane? At panis nõ demonstratur, neque in propositionem ingreditur, ut tu arbitraris. An disparata erit ab (hoc) pronomine? At id tu contendis non esse: cum uelis, has duas uoces bellè inter se consentire. Proinde superest, ut illa uox in ea propositione disparata sit à se ipsa. Quare tibi consulo, ut posthac prudentius aliquantò sophisticeris.

Deinde quod nobis proposuisti, id ex loquutionibus familiaris & quotidiani sermonis probare niteris. Quis enim, inquis, non sic loquitur? Hoc est uinum, hoc est mel, hoc est lac: porrecto uidelicet digito, aut nutante capite in rem explicatam. In quibus formulis sermonis quotidiani, si, quod est in subiecto, hoc uim obtineret disparati, & quãtum in prædicato est, significaret, iam nugatoria prorsus illa forma loquendi esset. Quasi diceres: Vinum est uinum: mel est mel: lac est lac. Vt fucum istis exemplis detrahamus, uidendum est, an cũ re, de qua modò agimus, congruant. Ista, quæ iste inducit, cum demonstrant, iam actu id sunt, quod prædicata illorum exprimunt. Cum enim dicis, Hoc est uinũ, quod ostendis, re ipsa est uinum. Et cum dicis, Hoc est lac, quod indicatur, actu est lac. At id, quod minister uel Christus ostendit in cœna, quicquid illud sit, uel panis, uel indiuiduum uagum, cum monstratur, nondum est corpus Christi: quoniam, ut statuitis, non habetur, nisi completis & perfectis uerbis consecrationis, uestra transsubstantiatio. Quare frigida & inepta sunt exempla: neque allatæ formulæ cum hac nostra conferri possunt.

Deinde non parùm miror, tantum artificem sophistices ignorare, quæ in sua schola dicantur Disparata. Ea sanè apud Dialecticos ita uocantur, quæ ad diuersa genera seu species pertinent, ideoq; de se inuicem dici nequeunt: ut equus, & homo: lignum, & leo: aqua, & ignis. Quid uerò isti sint disparata, hæc eius uerba indicant: cum enim pro exemplo has loquutiones adduxisset, Hoc est uinũ, hoc est lac: hoc est mel: subdit, In quibus formulis sermonis quotidiani, si quod est in subiecto (hoc) uim obtineret disparati, & quantum in prædicato est, significaret, iam nugatoria prorsus illa loquendi forma esset: quasi diceres, Vinum, est, uinum: mel, est mel: lac, est lac. Quid obsecro iste sibi sumit? Si quod est in subiecto (hoc) uim obtineret disparati, & quantum in prædicato est, significaret, &c. Quando id unquam fieri poterit, ut subiectum sit disparatum, & quantum in prædicato est, significet? Certè si dixerim, homo est equus: hæc duo, nimirum Homo, & Equus, Dialecticorum iudicio sunt disparata: ideoq; sic iuncta propositionem faciunt, non solùm falsam, sed etiam impossibilem: tantum abest, ut subiectum significet, quantum est in prædicato. Proinde hominem hunc oporteret ad medicos ducere, qui caput eius elloboro purgarent.

Apud Dialecticos quæ sint disparata.

Deinde ita languet iudicio, ut putet istas propositiones, Hoc est uinum, hoc

eſt lac, hoc eſt mel, fore nugatorias ſi ſubiectum tantum, quantum in prædicato eſt, ſignificet. Tantum, inquit, eſſet, ac ſi diceres, mel eſt mel. Ego uerò è diuerſo ſtatuo propoſitiones illas non poſſe ueras eſſe, niſi re uera illud per ſubiectum oſtendatur, quod ſignificatur per prædicatum. Et utut abſurdè fortaſſe dicatur, mel eſt mel, uinum eſt uinum: haud tamen abſurdum, imò neceſſarium eſt, in uera propoſitione ſubiectum & prædicatum pro eadem re, ut ſophiſtæ loquuntur, ſupponere.

In uera propoſitione ſubiectũ & prædicatum pro eadẽ re ſupponunt.

Sed ijs remiſſis, quæſo, iam myſterium ſubtilitatis huius audiamus. Nunc uero, inquit, quando illud (hoc) eam modò uim habeat, ut unum quid eſſe ſignificet, quod ipſum, quale quid ſit, explicandum relinquat prædicato, apta eſt hæc loquutionis formula, nimirum ſic conſtructa, ut ab obſcuriori ſubiecto ad notius prædicatum ſit progreſſus. Quid ſi Proteus iſte ſuis ipſius laqueis uinciatur? Hoc pronomen, inquit eam uim habere, ut unum quid eſſe ſignificet, quod ipſum quale quid ſit explicandum relinquat prædicato. Ergo, cum ſacrificus dicit, Hoc eſt, aliquid eſſe ponit, quod demonſtrat explicandum à prædicato. At quando illam orationem profert, nondum corpus Chriſti adeſt, ergo illud non poteſt demonſtrare, quod per prædicatum poſtea explicetur. Nemo enim demonſtrat id, quod non adeſt. Quid igitur ſibi uult unum quid eſſe per (hoc) ſignificari, quod quale quid ſit, prædicato relinquatur explicandum? Si dixiſſet, quod quale futurum ſit, per prædicatum explicabitur, abſurde quidem loquutus eſſet, attamen aliquantò ad ſententiam ſuæ tranſubſtantiationis magis acceſſiſſet: abſurdum ex eo nõ excitaſſet, quod iam eſſe poſuiſſet, quod nondum eſſet, ſed futurum expectaretur.

Videtur ſibi præterea placere ſuo figmento, quod in ea propoſitione iuxta ſuam interpretationem, ab ignoto ad magis notum procedamus: ceu nos hoc loco quæramus, quid magis, quid ue minus ſit notum. Hoc nihil moramur; ſed id interrogamus, quæ nam ſit res, quæ demonſtratur. Eam procul dubio in rerum natura eſſe oportet, & definitam, non uagam, & mente abſtractam. Quicquid enim exiſtit, & ſingulare, & finitum eſt: niſi uelint iſti Platonis ideas fabricari. Neque ad quæſtionis noſtræ diſſolutionem quicquam refert, ſiue naturam eius, quod demonſtratur, ſciamus, ſiue ignoremus. In eo controuerſia eſt; oportere quod oſtenditur, eſſe definitæ, certæq; naturæ, in qua prædicatum, ſeu quod per illud ſignificatur, inſit.

Quærit ad hæc noſter ſpinoſus Chryſippus, inductas tenebras alterius cuiuſdam exempli luce nonnihil illuſtrare: quod eſt, agere multa, & nihil peragere. „ Veluti, ait, cum dicimus, Hoc eſt dulce: hoc rurſus eſt amarum. Quorum naturas ſi quærat quis, non dubitabimus, ſiquidem ita ſit, fateri nos ignorare: ut appareat iſtud (hoc) in ſenſu communi, non demonſtraſſe rei certæ nobis naturæ „ ſubſtantiam, ſed unum quiddam, cui ex guſtu ſentimus dulcoris ineſſe qualitatem. Eſt certè mirum, hũc ſtrophodædalum tanta cæcutire caligine, ut non ſentiat, quàm iſta ſua exempla ſint extra oleas. Cũ enim, demonſtrato aliquo fructu, liquore, aut ligno, dicitur, Hoc eſt dulce: aut, hoc eſt amarũ, facile poteſt fieri, ut is, cui hęc oſtenduntur, eorum ignoret naturam. At Chriſtus in menſa cum diceret, Hoc eſt corpus meum, id in manibus habuit, quod ſenſu communi ab Apoſtolis nõ potuit ignorari. Videbant enim omnes eſſe panem. Quamobrem hic non eſt opus, ad ignota, uel ad uaga & incerta indiuidua confugere.

Sed ut adhuc magis è ſuo latibulo monſtrum hoc in lucem proferamus, & laruæ tantum ad illudendum confictæ uanitas appareat, quid ab Euangeliſta de altera ſacramenti huius parte dicatur, attẽdamus. Hic calix, ait Chriſtus, nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Quodnam comminiſcetur hic indiuiduum

uagum

uagum Inconſtantius? Demonſtratio profectò ad calicem apertis uerbis dirigitur, ac tropo illo, quo continens contentum ſignificat, oſtenditur. Nemo autem dubitat, cum dominus poculum accepit, in eo fuiſſe uinum: niſi quis noua audacia fingere uelit, in calice fuiſſe rem incertam, & uagum indiuiduum, mente abſtractum: quod quicunq; auſit dicere, is à mente alienus, uagus, & prorſus abſtractus iudicabitur. At qui res multò adhuc fiet dilucidior, ſi quæ Matthæus ilico ſubiecit uerbis de calice prolatis attendamus. Dico autem uobis, inquit, non bibam poſthac ex hoc genimine uitis uſq; in diem illum. Dicat nobis Gardinerus an fructus uitis indiuiduum uagum dici debeat. Profectò natura uini certa & definita hoc ſermone deſignatur. Valeant igitur impoſturæ: cedant figmenta: Chimeræ poëtis relinquantur. Certam rem utiq; dominus oſtendit, & definitã, quæq; re ipſa exiſteret, atq; actu adeſſet, de qua ſuum corpus pronunciaret.

Verùm ut adhuc propius pedem conferam, de iſto araneo ſciſcitabor, utrum demonſtrata res tranſeat & deſinat eſſe, an maneat. Si non trãſeat, nulla erit tranſubſtantiatio, de qua tantopere digladiantur? Sin uerò tranſit, de illa, quod ſit, affirmari non poteſt: tantum abeſt, ut corpus Chriſti eſſe dicatur. Neq; mihi perſuadeo ullum ex Papiſtis ita deſipere, quin dum tranſubſtantiationem defendit, id tranſubſtantiari dicat, quod in ſubiecto propoſitionis demonſtrabatur. Iſte uero, qui putat indiuiduum uagum demonſtrari, nobis reſpondeat, utrum illud manere, an tranſubſtantiari uelit. Quòd ſi dixerit, non ad indiuiduum uagum, ſed ad id, quod oſtenditur, debere tranſubſtantiationem accommodari, nimirum ad panem: quomodo id perſuadebit, ſi neq; in ſubiecto, neq; in prædicato propoſitionis ulla fiat mentio panis? Nónne dicunt, & paſsim uſq; adrauim iactitant, hanc domini orationem eſſe operatoriam, quòd faciat id ipſum, quod ſignificat? At ſignificari non poteſt panis mutatio in corpus Chriſti, niſi panis in aliqua parte propoſitionis ſignificetur.

Quodq; de ſubiecto iã dixi, hoc eſt, de (hoc) pronomine, de parte altera (corpus meum) urgere poſſum. Nam cum illa dicuntur, aut corpus Chriſti eſt, aut non eſt in eo, quod per ſubiectum ſignificatur. Si nondum eſt, falsò pronuntiabitur eſſe: ſin uero, quando uerba illa proferuntur, iam eſt, ui eorum uerborum nõ fiet tranſubſtantiatio. Vnde oportebit, ut uel anteà ſit facta, uel poſtea expectetur. Si ante uerborum enuntiationem fuit, demonſtretur, per quę uerba: ſin uerò prolatis uerbis eſt acceſſura, igitur propoſitio dum proferebatur, falſa erat: quæ dixit eſſe, quod nondum erat. At ſolent iſti belli homines dicere, propoſitionem ueram eſſe, non pro tempore præſenti, ſed pro eo, quod ſtatim futurum eſt: quaſi Chriſtus non potuiſſet dicere, ſi hoc uoluiſſet, Hoc erit corpus meum: qui tamen dixit, Hoc eſt corpus meum. Cui utiq;, ſi tranſubſtantiationem credi ab Apoſtolis uoluiſſet, dicẽdum fuit, non, Hoc eſt corpus meum: ſed, Quod pani uinoq; ſuccedet, quod iſtorum loco ſubintrabit, erit corpus meum. Adeóne in re tam ad ſalutem neceſſaria delectatus eſt Chriſtus ænigmatica oratione, ut pro ijs omnibus formis, quæ propriæ fuiſſent, & ad ſententiæ ueſtræ inſtitutum accommodatæ, unam illam protulerit, Hoc eſt corpus meum: quę nihil eorum indicet, quæ uos paſsim cogitis homines, fateri ſe credere, & conſtanti atteſtatione affirmare?

Nugatur adhuc in ſuo ſimili enuntiato, Hoc eſt mel: & ait naturam, quæ ſubiecto demonſtratur, uel ab authoritate dicentis, in re quam nos patet latere, uel ex ipſis præſentis rei indicijs cum fuerit preſsius contẽplata ſubſtantia, conſtare. Equidem iſta duo, quæ hic uafrè admodum & circunſpectè ſibi delegiſſe uidetur, accipio: & eorum utrunq; in ſuum authorem retorqueo. Si authoritatem dicentis quærat, panem minimè commutabit: quandoquidem ſcripturæ & patres

Eucharistiam panem appellant: ubi si Gardinerus tropum uelit, ne nobis quidē debet indignari, si tropo usi fuerimus. Alterum quod accipimus, est: Sunt ipsa rei præsentis indicia, per quæ, ut ille uult, secundo loco substantia nobis potest constare. Quæ, obsecro te per tuam mitram & pedum, indicia sunt in Eucharistia, nisi panis & uini? Ea sanè abs te negari nullo modo possunt, nisi te sensibus etiam ita priues, ut à recta ratione iamdudum es alienatus.

Venio ad proxima: ubi, quo nos miseros iam, ut uideri uult, confutatos & protritos bis lædat, ceu Capernaitas traducit, & sophistices telo rursus impetit:
» quasi cum eo facturi simus, & affirmaturi de eo quod est consecratum, Hoc est
» panis: non quod uelimus dicere, Panis est panis: sed illud pronomen, Hoc, com-
» plicare prædicato. Quæso te respondeas paulisper, utris nostrum Capernaitarum cognomen seu titulus magis conueniat? Capernaitæ, ut ex Iohannis 6. colligitur, cum dominus de carne sua manducanda loqueretur, ita ea intellexerunt quæ dicebantur, quasi ore corporis ac dentibus humana Christi caro comedenda esset. Ideoq; ceu à facinore, atq; horrendo scelere abhorrebant. Nos quomodo facimus cum istis, qui fide, anima, ac spiritualiter carnem & sanguinē Christi percipienda credimus? Sunt sanè ab Capernaitarum parte multò potius macipia Papæ, & quibus corpus Christi crassissimè, realiter, & substantialiter mãducari, ore, dentibus, ac palato edi prædicatur. Hoc est καπερναϊζειν. At non est mirum si isti nobis uitium suum tribuunt. Quia ut panem in corpus Christi fingunt mutari, ita Capernaismum, quo ipsi laborant, in nos mendaciter deriuant. Solis ipsis concessum est, pro libidine mutare, inuertere, ac transponere quicquid occurrerit.

Qui Capernaitæ.

Sed uideamus, qua fraude nos imprudentes & nolentes conetur ostentare captos, & in sua nassa conclusos. Putat à nobis dici, ostensa Eucharistia, hoc est panis, ceu prędicato uelimus explicare incertam naturam, & uagum indiuiduũ, quod in subiecto per pronomen (hoc) demonstramus. At longè fallitur: non enim ita stolidè nostram propositionem interpretamur, ut ille suam exposuit. Dicimus enim: Ista natura certa & finita panis, quæ monstratur, & de qua sensus rectè iudicãt, neq; ratio ex illorum indicijs decipitur, est caro domini: quam eandem Christus uerissimè dicit, corpus suum esse. Neq; secum eæ significationes pugnant: quia substantia illa certa & definita, quæ monstratur, est panis, idq; natura: corpus uero Christi est, significatione. Non igitur nobis indiuiduo uago est opus. Neq; de notionibus, uerùm de ipsis rebus agimus. Quid ad causam faciũt istæ nebulæ? quid prosunt scommata? Si Capernaitæ istam propositionem tecum interpretantur, illos, ut uoluerís, à tuis partibus habeto. Nos uerò dilucidè ac explanatè, quemadmodum recensui, sermonem illum exponimus, & ab eorum sensu manifestissimè dissidemus. Habet Veritas, mihi crede, faciles exitus: Mendacia semper sunt impedita.

Sensus propositionis, Hoc est corpus meum.

» Cauillatur ad hæc, suum Capernaitam (suum idcircò dico, quia tales homi-
» nes ad nos minimè pertinent) in subiecto propositionis non positurum panem,
» ut dicat, Panis est panis: uerum utetur (hoc) pronomine. Quid ad hæc suus Capernaita respondere uelit, ipse disquirat. Nos cum aliquando sic loquimur, Hoc est panis, à congrua loquendi cõsuetudine minimè discedimus: cum alioqui per pronomen (hoc) panem demonstrari, non dubitemus. Et quia nescit modum finemq; facere σκιομαχίας, inquit, per (hoc) pronomen intelligendum esse ueluti entis quiddam singulare. Non controuersum est inter nos, quid nam quispiam intelligat: sed quæ sit natura ea, quæ demonstratur. Neque ullum est, aut reperi potest quiddam singulare in rebus, quod non propriam naturam, formam, & speciem certam habeat. Non certamus hic de ideis Platonis, neque de notionibus

bus & conceptis animi: sed de ipsis rebus disputamus. Putásne me adeò ἄμυσον, ut nesciam, mathematicos, & metaphysicos mente à rebus multa posse abstrahere, quæ tamen ita separata in rerum natura inueniri nequeant? Ista uel à puero sciebam. Sed cum de notionibus ijs iam non agamus, uerùm de ipsis rebus, quæ sunt, contendamus, precor te, desinas argutari, atque tuas aranearum telas nimis ambitiosè ostentare.

Pro conclusione & epilogo, hæc deinde adducuntur: Atq; ita me spero lucu-
lentum fecisse, propositionem istam, Hoc est corpus meum, non confici ex dis-
sparatis: quemadmodum, illa, Petra erat Christus. Et paulò post: Nec dicit, Hic
panis est corpus meum. Quia mendacibus falsisq; rationibus hucusq; usus est,
quid mirum si mendacium & uanitatem cõcludat? Certè, ut petra erat Christus,
ita panis dictus est corpus Christi. Neque duo hæc disparata sunt, nisi utrun-
que iuxta naturam suam accipiatur. Sed quando corpus Christi per mysterium,
& significationem intelligatur, pane in sua natura manente, nulla est pugna.
Neque illa duo ut disparata inter sese conferuntur. Nec iuuat quicquam Chri
stum non dixisse, Hic panis est corpus meum. Nam quod Christus non dixit,
protulit eius Apostolus, cum inquit: Panis quem frangimus, nónne communi-
catio corporis Christi est? Et quod Paulus ibi pronũtiauit, alij patres quàm aper
tissimis uerbis confirmarunt. Quid enim scripsit Irenæus libro quarto capite
32? Christus panem, qui est creatura, corpus suum: & calicem, sanguinem suum
confessus est. Et eodem libro cap. 34. Panis in quo gratiæ actæ sunt, corpus
domini est. Et capite 57. Huius conditionis, quæ est secundum nos, accipiens
panem, suum corpus confitebatur. Et libro quinto: De pane, qui est corpus
eius, augetur, &c. Tertullianus etiam contra Iudæos ait: Christus panem cor-
pus suum appellauit. Idemq; libro 3. & 4. contra Martionem sæpius repetit.
Multò plura ex patribus in hanc sententiam possem congerere. Sed quia post-
eà suis locis excutienda erunt, supersedeo. Hæc nihilominus attuli, ut omnes in-
telligant, quanto labore iste se torserit, ut nihil diceret, quãdo contendit, non esse
dandam istam propositionem, Panis est corpus Christi, quasi ex disparatis com-
ponatur: neq; similem eius uult esse, Petra erat Christus. Et quantum halluci
netur, iam est ostensum: omnesq; uidere possunt, istæ sycophantiæ, fumi, nebu-
læ, scõmata, quibus hic locus undiq; scatet, quàm parùm huius sophistæ causam
adiuuerint. Porrò cum Christus dixit, & hodie minister Ecclesiæ illius nomine
recitat, Hoc est corpus meum: per illud pronomen (hoc) oportet ut intelligat cer
tum aliquod unum, quod in re sit: non tantum in eius, qui dicit, imaginatione.
Propterea uel panis est, uel corpus Christi: quorũ utrũq; absurdum est, si horum
sensum & interpretationẽ sequamur. Corpus enim Christi non est: quandoqui-
dem consecratio nondum est perfecta, & panis adhuc non abijt. Quare corpus
demonstrari non potest. Panis item non ostenditur: quia timendum illis est,
ne propositionem ex disparatis componant. Non enim tropum significationis
uolunt admittere: quem quàm stultè, ac sine ratione inficient, alibi dicendũ erit.

Verùm conducit ea expẽdere, quæ adiecit. Hoc unũ, quod erat in manibus,
dixit esse corpus suũ: nõ sermone solũ indicatorio & enũtiatorio, quomodò nos
homines loquimur, sed operatorio, & efficaci: ut, quia ipse dicit, de quo scribit,
Ipse dixit & facta sunt, omninò facta esse, q̃ dicit, ut dicit, certo certius fide per-
suadeamur. Cum hæc dicendo sophista uaferrimus petat more suo, quod est in
principio, id se putat tam scitè atque callide facere, ut non sentiatur. Scimus
quidem sermones dei partim esse indicantes, ut fit in doctrina, in similitudini-
nibus, atque in parabolis, & diuersis colloquiorum generibus: partim uerò esse
ctores earum rerum, quæ iubentur. Quare uerba ista Christi debuit iste proba-

Paulus agnoscit panẽ in Eucharistia.

Irenæus.

Tertullianus.

Petit principium.

re, potius ad hanc, quàm ad illam formam pertinere. At dissimulata confirmatione, sumit sibi, ut per se notum, atque manifestissimum, sermonem hunc operatorium, quemadmodum loquitur, non indicatiuum esse. Quid si ego idem facerem, cum idem dominus de se ipse dicat, Ego sum uitis: & de Iohanne, Ipse est Elias: & clamarem, Sermo domini est operatorius: an ergo Christus transubstantiabitur in uitem: & Iohannes in Eliam? Si resistat Gardinerus, magno supercilio eum à me repellam, dicamq; Sermo Christi non tantùm est indicatiuus, sed etiam operatorius: facit enim ea quæ dicit: nam scriptum est, Dixit & facta sunt. Quid, obsecro, hic haberet Inconstantius, quod adSermo dei aut indicans est, aut operatorius. uersum me diceret? Imò, hoc dicet: non semper Christi sermonem esse operatorium, sed quandoque indicatorium. Hoc quoque in hac propositione, Hoc est corpus meum, sibi à me dictum putet. Quod ut confirmem, hoc adijciam: Quando sermo Dei earum rerum, quæ dicuntur, est effector, id scriptura non tacet. Inquit iam inde ab initio deus, Fiat lux. Subiecerunt diuinæ literæ, Et facta est lux. Idemq; uideas de alijs, quæ in creando mundo deus dixit. Aquam etiam in uinum: & uirgam Mosis in colubrum uersam, oracula sacra non tacuerunt. Isti quoque mihi ostendant in libris Canonicis eius modi orationes, Panis esto, uel fiat corpus meum, & hoc factum esse. Manus dabo: uicerint, nec unum ulterius uerbum commutabimus. Deinde si uelim, Christi sermonem hoc loco effectorem fuisse, cur non dixerim, panem, quem ostendebat, sacramentum effectum esse corporis Christi, quod sanè antea non erat? Vertat itaq; se iste rabula quocunque libuerit: neq; album in nigrum, neq; lucem in tenebras poterit uertere.

His non quidem explicatis, sed miro modo inuolutis, quasi re fœliciter gesta, tragica quadam exaggeratione inuehit in nos Inconstantius: malamq; segetem appellat inimici hominis opera natam, qui zizania in triticum sparserit. Figuratores idcirco nos dicit, quòd tropicam, & figuratam illam orationem esse, Hoc est corpus meum, cum Augustino, & multis alijs patribus asseramus: idq; quàm uerè, & iustè, atque ad institutum, suo loco demonstrabo. Is uero, cum sibi strophas, indiuiduum uagum, indiuiduum entis, & naturæ incertæ, ac prodigiosa sophismata passim permittat: cur adeò stomachatur in tropicas loquutiones, à quibus neque diuinæ literæ, neque patres, neque sermo hominum quotidianus abhorret? Non est hoc, mihi crede, probi uiri, permittere sibi quidquis: aduersario autem quod æquum est, uerisimile, ac usitatum, pro libidine interdicere.

Zizania & malam segetem, non potest quispiã, nisi ex fructibus, dijudicare:
Quomodo Zizania discernãtur à bono semine. ut dominus Apostolos docuit, cũ diceret, A fructibus eorũ cognoscetis eos. Nostra doctrina superstitiones aufert, idololatriam remouet, purũ usum sacramentorũ docet, lingua utitur qua populus ædificetur, studiosos reddit homines uerbi dei, ab elementis huius mundi fideles Christi liberat. Arguat iste, si potest, hos fructus: hæc si audet, reprehendat. At nos uicissim damnare possumus, & quidem iure, in his iuratis Papæ mancipijs, ueræq; Christi Ecclesiæ desertoribus, abusus innumeros, adeoq; crassos, ut plurimi eorum confœderati non ausint eos negare, superstitiones tam euidentes ut palpentur, idolomaniam atrocissimam. Ligna enim, saxa, picturas, panem & uinum sine ullo pudore adorant: sacramenta miserè truncant, lingua peregrina utuntur, uerbo dei populo interdicunt. Nam libros sacros à populo non patiuntur legi: eósque uellent, si fieri posset Cymmerijs tenebris obrui. At breui futurum est, uel ego uehementer fallor, ni deus hanc pestem procul auertat, ut sacra Biblia instar librorum Sibyllinorum, tantũ ab episcopis, & aliquibus doctoribus asseruari in

peni-

in penitissimis adytis iubeant: unde si quippiam de dogmatibus in controuersiam aliquando ueniat, illi soli pontifices consulendi sint, &, quicquid responderint, uerbum dei esse, illis incunctanter & è uestigio credatur. Hi sunt papisticæ sementis execrandi fructus. Fiat collatio inter nos ab æquo iudice: atq; tum uidebitur, utri nostrum uel cum zizaniis, uel cum tritico faciant. Nostra tempora nos, hoc est nostram doctrinam, produxisse, ait. Sed quàm iustè hoc dicat, illi cognoscere poterunt, qui nostram doctrinam, uel cum sacris literis, uel cum patrum sententijs conferre uoluerint. Nihil nos inueximus noui: quæ à maioribus accepimus, retinemus. Vestrum est, quicquid prodigiosè ac fallaciter est excogitatum.

Verba illa, Hoc est corpus meum, iam dicit per nos iudicium pati, non præstare. Quasi non ab eo iudiciũ patiantur, qui ea non putet absq; uago indiuiduo, natura incerta, & quodam indiuiduo entis posse intelligi. Cum itaq; iste cogat ea, & quidem uiolenter, ferre sensum, quem uoluerit: utrum, obsecro, per eum iudicium præstant, an patiuntur? Hæc in eum dicta sunto, qui uideri uult omne iudicium uerbo dei detulisse: cum sit alioqui erga illud uiolentissimus carnifex. Cæterum nullum dei uerbum esse puto, de quo spiritualis homo non debeat iudicare, quo sensu sit dictum. Si tu de uerbo dei non iudicas, cur illam orationem, Hoc est corpus meum, tantopere contendis iuxta tuam interpretationem, & nõ iuxta meam esse accipiendã? Aut si rixari adeò cupis, nil plus tibi arroges, quàm alijs uelis concedere.

Audet præterea iactare, uerba illa, Hoc est corpus meum, iam inde ab incu-
nabulis Ecclesiæ summum obtinuisse locum, in Eucharistico sacramento æsti-
mando. Quo nomine illam appellationem meruerunt, ut uerba consecrationis
dicerentur. Primum quare adducatur, non satis intelligo. Nemo enim nostrum
est, qui de hac oratione, aut ueritate illius quicquam detractũ uelit. Imò in nulla nostra Ecclesia Cœna domini absq; illis uerbis habetur. Sin id eum malè urit, quòd tropum adhibemus in illis exponendis, irascatur & multis ueteribus, qui figuratam illã esse loquutionem, minimè ueriti sunt affirmare: ut posteà suo loco fusius dicemus. Deinde à primis Ecclesiæ incunabulis uerba illa fuisse ita intellecta, ut ab istis accipiuntur, luculentum est mendacium. Non enim antiquitùs ij fuerũt abusus circa Eucharistiam, quos isti hodiè cum sua noua interpretatione introduxerunt. Vbi enim legimus antiquitùs tot Eucharistiæ asseruationes, & circumgestationes? Vbi circa illam audimus fuisse luminaria, cereósue interdiu accensos? Vbi ad illam dirigebantur inuocationes, adorationes, suffitus? Certè superstitiones istæ unà cum opinione transubstantiationis, & realis, corporalisq; præsentiæ natæ sunt. Veteres autem cum grauitate, ac dignitate sacramentum hoc in cœna fidelibus distribuebãt, ac posteà reliquias comburebant, ut Hesychius testatur. Iubebant alicubi clericos, id quod supererat, inter se comedere. Mulieres domi reliquias eius quandoq; apud se habebant, ut ex Tertulliano & Cypriano licet cognoscere. Dabatur aliquando uel pueris panis Eucharistiæ deferendus ad ægrotos, ut historia Ecclesiastica docet. Quæ certè non fecissent, si uobiscum Transubstantiationem, & realem corporalemq; præsentiam habuissent sibi persuasam. Postremò non est usq; adeò certum omnes ueteres, illas quatuor seu quinq; uoculas, pro uerbis consecrationis habuisse. Chrysostomus quidem tomo 3. in oratione de proditione Iudæ, hoc uidetur innuere, sed ea oratio quicquid alij sentiant, ego Chrysostomi esse uehemẽter ambigo. Cæteros autem patres docere, ijs dũtaxat uerbis consecrationem fieri, ego nõ legi, neq; Incõstantius probauit. Imò à recentioribus theologis aliquando reuocatum est in dubium, quæ præcipuè sint consecrationis uerba. Quod non licuisset in re tam com-

Quomodo ueteres erga Eucharistiam se gesserint.

perta & clara, quam eam iſte uult uideri. Nec defuerunt qui precibus, non certis uerbis conſecrationem fieri putarint. Sed prudens mitto iſta ſeuerius exagitare: quãdoquidem uideo tam impudenter omnia rapi ad calumniam, ut potius indicio, quàm confutatione opus habeant.

„ Poſt hæc quaſi de ſuperiori loco grauius quiddam intonat, & ait: Verba, de
„ quibus nunc tracto, Chriſti ſunt uerba, dei & hominis: cuius eſt magna & mira-
„ bilia tum dicere tum facere: qui nihil unquam dixit, fecitq;, aut paſſus eſt, quod
„ non aliquid habuerit admirationis adiunctũ. Quorſum hæc attinent? Certè nuſ quam nos audiuiſti negantes Chriſti uerba & admiranda eſſe, & efficacia. Hoc & nos Gardinere, fatemur, dicimus, & docemus. At id mihi tu reſpondeto. Potéſtne admirandus eſſe Chriſti ſermo, & magnificus, licet non tranſubſtantiet, nec prodigia ea, quæ uos inducitis, faciat? Profectò, idẽ dominus, qui dixit, Hoc eſt corpus meum, dixit & diſcipulis, Vos eſtis ſal terræ: & de ſe ipſo, Ego ſum oſtium: & multa id genus, quæ miræ ſunt doctrinæ, & ædificationis utiliſsimæ. Nihil tamen tranſubſtantiant, nihil mutant. Sed quemadmodum reliqua uerba eius uitam æternam ſpirant.

Enumerat permulta, quæ Chriſtus mirabiliter & magnificè geſsit, cum in
„ mundum ueniſſet. Deinde, quod eſt eius acumen, interrogat: Quàm igitur non
„ eſt conſentaneum, ut poſt expletas epulas agni typici, quæ aliquid habebant ex-
„ terioris apparatus, & commonefactionis, in nudam tandem deſineret, & frigi-
„ dam figuram: ut fruſtum panis daret in ſui memoriã, &, qui in cæteris tam eſſet
„ mirabilis, nihil hic diceret, aut faceret ſui ſimile, quod ſuorum fidem ad eius con
„ templationem excitaret? Itáne impoſtor egregiè? Húcne te rapuit calumniandi libido, ut nobis perpetuò impingas nudam frigidamq; ſacramenti huius figuram? Nunquam nos tale quippiam uel dicere, uel ſcribere audiuiſti. Nuda utiq; frigidaq; figura eſſet Euchariſtia, ſi corpus & ſanguis Chriſti ijs non propinaretur ſpiritualiter, qui de menſa domini ex fide comedunt ac bibunt. Verùm cum ij tam pretioſo epulo iuxta Chriſti promiſſum reficiantur, quid nobis fruſtum panis, quid nudam frigidamq; figuram exprobras? Hic tuam, Inconſtanti, appello conſcientiam. An, quia in aqua baptiſmi ſpiritus, gratia, & condonatio peccatorum, & Chriſtus ipſe, quem baptizando fideles induunt, non deliteſcunt, unda illa non eſt, niſi aſpergo quædam aquæ, & nuda ac frigida figura? Et quia in ſcriptis Legis, prophetarum, & noui teſtamenti realiter non concludũtur ea, quæ in illis deſignãtur, nec deliteſcit in illis ſalus, aut uita æterna, aut reſurrectio mortuorum, aut Chriſtus incarnatus, mortuus, ſepultus, excitatus, in cœlũ ſublatus, uerùm ſolummodò ſignificatur, an ea omnia habebis pro inani ludo, pro uacuo ſigno, pro futili umbra? Vide, quid agas. Iſta ſi aſſerueris, diuinæ ipſæ literæ uehementer tibi reſiſtent. De lege per ſe à deo lata Moſes inquit: Vita, & mors appoſita ſunt tibi. Paulus uerò Euãgelium dei uirtutem appellat omni credenti. Si uita & mors non latitant realiter ſub uerbis Moſis, neq; potẽtia dei realiter ſub uerbis Euangelij deliteſcit, an iſta dicas frigidas, nudas, & uacuas figuras, & ſonum, quo aër uerberetur, & atramentum chartas miſerè inficiens? Verum iſtis fortaſſe parcendum eſt: quoniam eis nil eſt magnum aut uenerabile, niſi quo portentum Tranſubſtantiationis fulciatur. Tam uanè autem quiſpiam Euchariſtiam dixerit fruſtulum panis, atq; baptiſmum uilem aquæ aſperginem. Sed bene habet: ueſtra nec contemptione abiectiſsima, nec hyperbole audaciſsima, Chriſti ſacramenta, aut augentur, aut minuuntur.

Arguit nos amarè ſatis & odioſè, qui uerba Chriſti non putemus res admirandas & incredibiles continere, neq; ſenſum accipiamus, quẽ illa præ ſe ferant. Quid auguſtius poſſumus illis uerbis tribuere, quàm ut nobis referant promiſ-

ſionem

sionem reconciliationis cum deo per Christũ, qui nostra causa suũ corpus in crucem dederit, sanguinem suum fuderit, peccata nobis condonauerit, Ecclesię, quę corpus eius est, nos inseruerit, & sui spiritus, atq; omnium bonorum suorũ participes fecerit? Neque, si naturam sacramentorum spectemus, ea domini uerba diuersum à nostra interpretatione sensum præ se ferunt: neq; nos sermonẽ Christi ulla iniuria afficimus, cũ illa ita exponimus, quemadmodum sacra scriptura, cum agit de Sacramentis, loqui solet. Vos, Inconstanti, uos illi estis, qui uiolenter, & obtorto, quod aiunt, collo uerba Christi trahitis ad prodigia & portenta, quæ ipsi finxistis.

Verbis his clamitat ad rauim usq; uerbosus orator, dominũ esse operatũ id, quod significabat. At nos regerimus literas diuinas nihil huiusmodi referre. Ostendat uel unũ iota de conuersione panis & uini, si potest: tũ demũ illum aliquid putabimus dixisse. At dum tantũ loquitur, & uerba incassum fundit, eius terrificas exaggerationes pro laruis habebimus.

Transit ad 6. caput Iohannis: ubi Christũ intonat magna uisum fuisse de carne sua in cibum danda pollicerí, & quæ hominum captum omninò superent. Qui si in cœna nisi figuram carnis dedit, suos in promissis turbauerat, quorum expectationem in cœna frustraretur (ut figuratores dicunt) frusto panis. Quis non ad illum modum dare carnem suam poterit? Quis rursus durum putet eo modo manducare? Miror tanti theologi tam obtusum acumen, qui uerborum Christi, quæ in sexto Iohannis habentur sublimitatem, & magnificentiam percipere non possit, nisi panis in cœna domini transubstantietur. Certè non magna, sed maxima loquebatur dominus, cum carnem & sanguinem suum pro pro nobis danda in cruce prædicaret: quæ uita nostra, & cibus, & potus, futura essent, modò à nobis credendo manducarentur, & biberentur. Quod qui putarunt ore ac dentibus faciendum, uehementer à scopo domini aberrarũt. Quare ne ita desiperent, néue sua uerba carnaliter intelligenda existimarent, suæ ascensionis in cœlum mentionem interposuit: ut suum corpus, licet abesset loco, fide manducandum, non ore discerent. Neque ibi Christus, ut sophista noster argutatur, de frusto panis, aut de Eucharistiæ symbolis est loquutus. Ista enim adiecit in extrema cœna, quam cum discipulis fecit. Panis autem ille de quo in Iohanne scribitur, ipsum Christi corpus, aut carnẽ significat. Neq; aliud eo uerbo metaphoricè docuit, quàm ipsam carnem suam, quando à fidelibus credendo manducaretur, fore instar panis, hoc est, uerum cibum, quo illi ad æternam uitam uegetarentur. Atque ita fit, ut, quemadmodum in Iohanne corpus uel caro dicitur panis, ita in cœna, cum postremo tempore uitæ suæ dominus hoc sacramẽtum institueret, panis dicatur corpus, mutatis eiusdem propositionis terminis, eademq; confirmata utrinque metaphora.

Christus in 6. cap. Iohannis non loquitur de symbolis.

Quod uerò Inconstantius blaterat, facilè sic esse cuique, suam dare carnem ad manducandum, ut solet, nugas agit. Quis enim hominũ potuit seipsum dare in pretium mundi, ut Christus dedit? Quis morte suæ carnis potuit mundo conferre uitam? Cum itaque nullius alterius caro possit esse pretium mundi, aut esse uiuifica, nemo sic potuit dare carnem suam manducandam, ut Christus dedit: quæ scilicet fide percepta redimeret, & mortuos in peccato uiuificaret.

Nemo potest carnem suam dare ad manducandum ut Christus.

Contendit etiam, non esse satis dignum Christo, deo, & homine, sensum, ut, qui carnem suam se daturum pollicitus esset, solam carnis figuram dedisse intelligatur. Imò fuisset sensus multò absurdissimus, & Christo ualdè indignus, si carnem suam uoluisset illis realiter & substantialiter dare manducandam, ut ipsi putarunt futurum, & ut uos falsò prædicatis. Ideoq; sicut illi malè intelligendo, nempè carnaliter, quæ spiritu dicebantur à domino, sunt auersati salu-

tem: ita uos eundem cum illis prædicando errorem, à uia ueritatis populum dei seducitis.

Mendacium etiam est, quod nobis impingitis, Christum in cœna solam dedisse carnis suæ figuram. Non enim unquam nos audiuistis id asserere. Dedit sacramentum Eucharistiæ, quod utique, ut cætera sacramenta, signo constat, & re significata. Quare utrunq; simul dedit, & signum externũ panis, & id quod eo monstrabatur. Sed non utrunq; dedit eodem modo. Panem uoluit, ut ore carnis manducarent: corpus uerò suum in crucem tradendum, & pro ipsorum salute moriturum, ut fide perciperent. Quò uerò utrunque horum perficeretur, neque transubstantiatione opus erat, neq; ut eius caro sub pane realiter delitesceret. Clara uerba pio candidoq; animo, sophistæ tam egregio, tamq; uafro uidentur abstrusa ænigmata. Sed quid hic facias? Opera dei hæc sunt: qui sapientiam sapientum infatuat: ut quiduis potius uideant, & intelligant, quàm id quod uidendum & intelligendum esset.

» Pergamus tamen, & aranei huius telam ulterius euoluamus. Christum Pau
» lus à Mose ita distinguit, ut hic minister fuerit typicus: Christus tanquam filius
» administrauerit domum à se conditam. Hæc quid ad rhombum? An tibi fingis ita Christum noui Testamenti domum administrasse, ut omnia proposuerit nuda, sine ulla parabola aut similitudine, ut nulla inter Christianos patiatur esse symbola? Hanc tu uideris antithesin inter Mosen, & Christum cõstituere, quasi Mosis administratio tota fuerit typica: œconomia uerò Christi realis absq; typis: quod nemo sapiens unquam dederit. Habet enim & nouum Testamentum sua signa, sacramenta, & ceremonias: quamuis nunc sit minor horum numerus, clarior significatio, & obseruatio facilior quàm olim in lege fuit. Dabimus tamen, si redemptionem humani generis, & pretium pro peccatis dissoluendum spectes, discrimen, quod tu adfers, esse ueriſſimum: nempe Mosen solos typos & signa attulisse: Christum uerò solum ea perfecisse.

» Sequitur: Iam uerò si illa, quæ Christũ alibi per allegoriam de se dixisse con
» stat, considerabimus, ita comperiemus, ut allegoria, quæ sensum uerborum pro
» prium pellit, quiddam substituat proprio sensu maius, & augustius. Itaq; cũ Chri
» stus diceret, Ego sum ostium, non erat quidem ostium materiale, quod sensus
» proprius præ se fert: sed maius quiddam & diuinius, uidelicet uitæ æternæ ostiũ.
» Ita, Ego sum uitis, inquit: non erat sanè communis uitis: sed uitis erat melior, &
» diuina uitis, cui pater agricola est. Adeò nihil de se aut suis mysteriis dixit unquã
» Christus hyperbolicῶs, quod aliqua allegoria extenuaretur. Et habet semper pa
» rabola, quod sit sensu proprio maius. Et nos in ijs unis Christi uerbis interpre
» tandis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, tantum detrahere audebi
» mus ex sensu uerborũ proprio, ut illo reiecto, pro uiuo corpore, & rutilante san
» guine, mortuam & aridam substituamus figuram? & Christi sensum tantò an
» gustiorem uerbis, non uerebimur profiteri, ut nouum suauissimi sanguinis mu
» stum uerbis commendatis, insipidam porrigeret ueteris figuræ uappam? Nam
» & uinum ueteris Testamenti fuit figura sanguinis. Retinet suum antiquum: inuoluit multa: quæ si per transennam spectarentur, simplicioribus uiderentur fortasse aliquid. Verùm explicata, & pressius considerata mirè frigent.

Primum quod adfert, minimè controuersum est, ea quæ Christus allegoricè de se ipso loquitur, quiddam proprio sensu maius, & augustius referre: ut cum dicit, Ego sum ostium, Ego sum uitis. Non enim ista metaphorica de Christo dici queunt, quo nil maius est, nisi ultra proprium sensum amplificentur. At non ita usu uenit, quando Christus non de se ipso uerùm de suis mysteriis agit. Videamus, cum dominus dicit: Hoc est corpus meum,

an de

an de se ipso sit loquutus. Certè non de se hoc pronuntiauit, quod esset corpus suum. Non enim uel Christus, uel quiuis homo est suum corpus. Dixit itaque id, non de se ipso, uerùm de eo quod in manus acceperat. Iam satis patet, satis, inquam, patet ista uersutia quàm sit leuis & ridicula.

Christus non dixit de se ipso quod sit corpus suum.

Primùm inquis, ubi Christus de se ipso loquitur per allegoriam, metaphoricum uerbum est amplificandum. Hoc largimur. Nam creaturæ, si cum Christo conferantur, non queunt ei æquari. Assumere statim debebas: at cum diceret dominus, Hoc est corpus meum, de se ipso loquebatur. Hic est lapsus, uel, ut rectius dicam, hæc est manifesta fraus. Quod pronuntiauit dominus de symbolo, iste adfert, quasi id de se ipso dixerit. Vides quemadmodum uacillet, uel cadat potius hoc argumẽtum. Quod enim sic assumis, negamus. Quia de se ipso Christus non loquebatur. An dixisset unquam, Ego sum corpus meum? Non utiq; dixisset: quia ueritatis os loqui non poterat nisi uera. De pane dixit, Hoc est corpus meum, iuxta sensum iam sæpius declaratum.

Verùm alterum etiam illud, quod ais, consideremus: Christum de suis mysterijs nunquam quicquam loquutum esse hyperbolicῶs, quod aliqua allegoria esset extenuandum. Profectò neq; id in uniuersum est uerum. Dixit enim Christus de sermone suo, quem certè negare non potes, esse magnum mysterium, Verba mea sunt spiritus, & uita. Figurata ista loquutione ostẽditur, uerba Christi spiritum & uitam adferre, ista significare & proponere audientibus, & instrumenta esse, per quæ deus in audientibus spiritum, & uitam producit. Cum itaq; significatio atq; instrumenta uitæ, ac spiritus, dicuntur esse spiritus ipse & uita, plus pronuntiatur, quàm sit intelligendum: & nõnihil extenuatur postea interpretando quod per figuram simpliciter prolatum erat, Verba mea sunt spiritus & uita. In Paulo etiam sic loquitur dominus de Euangelio: Potentia dei est ad salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Quis in his uerbis tropum seu figuram non agnoscat? Instrumentum est diuinæ potentiæ sanctum Euangelium: quoniam per illud uim suam ad seruandos homines deus declarat. Significatur etiam in Euãgelio uis illa dei, qua per Christum homines reparat. Multò autem augustius illud est, quod uerbis indicatur: Euãgelium nempe ipsum esse dei potentiam: idq; posteà figura nonnihil extenuatur, cum uim illam dei aut significari Euangelio interpretamur, aut illud eius instrumentum esse dicimus, quo ad salutem credentes adducantur. Ista planè declarãt Christi uerba de mysterijs amplius quiddam natiua significatione uerborum indicare, quàm iusta eorum interpretatio patiatur. De Petra quoq; ad Corinthios priore dicitur: Petra erat Christus: & figurata loquutio plus in ista propositione significat, quàm rei ueritas ferat. Nam qui rectè sentiunt, ex illis uerbis nil aliud, quàm petram Christum retulisse, aut significasse, accipiunt. Inde fit ut natiua significatio propositionis extenuetur allegorica interpretatione, quæ sola in ea sententia potest locum habere. Quis prætereà dixerit aquam ipsam remissionem esse peccatorũ, cum tamen, qui baptizantur, in remissionem peccatorum dicantur abluí? Et matrimonium, cum sit mysterium magnum inter Christum, & Ecclesiam, est multò minus, quàm Christus, & Ecclesia: quæ nihilominus duo uerissimè refert. Proinde in mysterijs exprimendis perpetuò uideas, multò plus dici in propositionibus, quàm interpretatio recta queat ferre.

In mysterijs crebro plus dicitur, quàm significetur.

Notabimus itaq; metaphoram quoad Christum, cum de ipso agitur, à rebus indignioribus transferri. Vt, Ego sum ostium, Ego sum uitis, Ego sum pastor, Ego sum panis. Atq; tum dabimus, figuram loquutionis amplificationem requirere. At si de rebus Christi, aut eius mysterijs loquatur scriptura, ut ea non contemnantur, sed in honore sint, & iusta ueneratione, amplissima uerba solent ad-

Allegoriæ de Christo, & de mysterijs eius, diuersam rationem habent.

hiberi: quorum commoda & uera expositio debet admitti, licet ea nõnullam imminutionem aut extenuationem prima fronte uideatur adferre.

Ad illud uerò, quod postremò dicit, Parabolam semper habere, quod sit proprio sensu maius, quid aliud responderi potest, quàm non ita rem in uniuersum habere? Legimus enim, Fœdus meum erit in carne uestra. Vbi similitudine quadam, seu parabola fœdus pro circuncisione ponitur: quæ reuera carni tum temporis affigebatur. Cum itaq; fœdus, quod significatur, circuncisioni multò præstet, quæ illud significat, constat figuram hoc loco per expositionem extenuari, atq; id, quod minus est, per maius referri. Hoc idem in 12. capite Exodi legitur de Pascha. Ibi enim scribitur: Et mactate pesah רשחטו הפסח: & infra פסח הוא ליהוה trãsitus domini est. Nec dubium est, pesah ibi accipi pro agno. Quî enim pesah, id est transitus, potuisset occidi? Aut quî potuit agnus esse transitus domini? Agnus itaq; mactabatur: sed quia memoria transitus domini agebatur, ideò ea uictima sic est dicta. Et longè minus intelligimus, quàm sit propria significatio uocis. Et in eodem capite aliquanto inferius: Et uictima est pesah domini. In ijs locis omnes animaduertere possunt, nomen rei significatæ attribui signo: & in hoc figuræ genere plus dici, quàm significari. Vnde generaliter non est uerum, figuram seu parabolam seu allegoriam semper habere, quod sit proprio sensu maius.

I nunc, Gardinere, atq; imperitis huiusmodi strophas, quanta potes ambitione ostenta. Porrò quemcunq; non pigebit ista legere, ille primùm te intelliget falsò affirmare, Christum de se ipso loquutum, cum diceret, Hoc est corpus meũ: deinde uerum non esse, quod ais, dominum, cum de suis mysterijs agit, nil unquam ita hyperbolicõs propuntiare, quod aliqua sit extenuandum allegoria: & denicq; mendacium esse luculentum, quod addis, Parabolam semper habere aliquid, quod sit proprio sensu maius. Atq; cum hæc falsa sint, nemo debet mirari, si falsissimam inde conclusionem Inconstantius eliciat.

At operæ pretium est audire, seu potius retexere, quanta bucca ementiatur blasphemias. Pro uiuo corpore, & rutilanti sanguine, ait nos figuram aridam substituere. Quid, oro te, aridam figuram appellas? num panem? Atqui panis à nobis in sacramento non substituitur. Christus illum accepit, illumq; suum corpus dixit: ut diuinæ literæ docent, & complures ex tuis uel potius nostris patribus testantur. Si panis Eucharisticus sit sterilis & frigida figura, cum ille à Christo sit destinatus ad hoc sacramentum, iam non in nos, uerum in Christum, qui est deus benedictus in sæcula, blasphemia tua redundat. Sterilem dicis tu, & quidem impiè, hanc figuram, cum ea sit optimorum fructuum fœcundissima. Nam unà cum illa fideles corpus Christi spiritu, ac mente credendo manducant: atque inde fiunt deo, & seruatori magis magisq; coniuncti: gratijs & donis cœlestibus ditantur; fitq; illorum salus in dies plenior & opulentior. Tibi hæc sterilia sunt: pijs uerò grauida cœlestibus & incomparabilibus diuitijs. Pari quoq; ratione dicas, mortuam & aridam sanctam scripturam, & sterile Christi Euangelium: quòd corporaliter ac realiter in se non claudant ea quæ significant. Nos interea ista scripta, libros uitæ appellabimus, uerba salutis, & spiritus sancti lectissima organa. Sed uobis nil est fœcundum, quod portentis, & transubstantiationibus non tumeat. Quis tandem mortuum dixerit, quod fungatur suo munere? Dum itaq; usui piorum in Ecclesia panis Eucharisticus inseruit, & instrumentum illis est, quo Christo salutariter iungantur, id efficit, ad quod est à Christo destinatus, neq; ullo iure mortuus dici potest. At præstigiatoribus nostris nihil est in Eucharistia uiuum, quod prodigiosa metamorphosi non sit deformatum.

Tamen cauillatur nos esse, qui de proprio sensu uerborum domini tam mul

tum

tum detraxerimus. Mera hæc est calumnia: siquidem in tanto honore sacras literas habemus, ut nihil præ illis in terris ueneremur. Quòd si τροπικῶς, hãc sententiam interpretamur, id nostro ausu minimè facimus: Christus ita nos docuit, cũ diceret, Caro non prodest quicquam: Spiritus est, qui uiuificat. Verba domini haud more Capernaitarum carnaliter intelligimus: uerùm, ut ipse uult, ea ad spiritualem manducationem traducimus: quæ tàm præstans est, quàm carnalis est abiecta. Nihil autem nostra expositio corpore Christi fingit indignum. Longè quippe magis illi conuenit per panem mystícè significari, quàm quod uos fingitis, per innumera loca diffundi: illiusq; præclarissimam uim excellẽtius, quàm uos, prædicamus: cum illud eadem præstare absens dicimus, quæ uos illud nisi præsens facere non posse opinamini. Nullus nanq; fructus recenseri potest à uobis sacræ communionis, quem spiritualis nostra manducatio non comprehendat. Quãobrem, ut hoc quoq; obiter dicam, incassum laborabas anteà, cũ uerba domini de mysterijs contenderes non sic esse hyperbolica, ut allegoria extenuanda sint. Etenim licet hoc uerissimis instantijs ostenderim non esse uerũ, attamen nego à nobis re ipsa mysterium Eucharistiæ imminui: cum potius à nobis amplificetur. Siquidem longè præstantius est ac sublimius, corpus Christi comedere spiritualiter, quàm carnaliter. Iste aũt constantissimus nugator id esse putat de uerbis domini detrahere, si illa commodo, pio, uero, ac legitimo sensu intelligantur. Sed quid hæc pluribus explico?

Nos nil indignum corpore Christi fingimus.

Maius quiddam est comedere Christum spiritualiter, quàm carnaliter.

Ad horribilem eius blasphemiam tandem ueniendum est, qua scribit ueteres figuras insipidam fuisse uappam. Siccine quæso decet sacramentis à Deo Optimo Maximo institutis insultare? Si uappa erant illa mysteria legis antiquæ, cur à sanctis uiris tanti fiebant? Cur deus illa tanta diligentia, & cautione tractari mandauit? An hominibus illusit? An populum suum decepit, iussitq;, ut pro sanctissimis, & sapientissimis ritibus ceremonijsq; diligenter obseruarent ea, quæ re uera nihil essent nisi corruptio, &, ut iste audet appellare, uappa? Quæso, Paule, nobis adsis: obsecro te, feras opem contra tam impudentem audaciam. Sacramenta ueterum collata cum ijs nostris dic, oro, quî conueniant. Respondet ille scribens ad Corinthos epistola priore capite decimo: Nolim uos ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub nube erant, & omnes mare transierunt, & omnes in Mosen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducarũt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Néue dubites, cuiusmodi ille fuerit spiritualis cibus, aut potus, fingasq; illum à nostro longe fuisse diuersum, addit: Bibebant autem de spirituali sequente eos Petra; Petra autem erat Christus. Quare si Christum bibebant, & manducabant in illis figuris, an illæ ab isto dici debuerunt uappæ? Si nos, quæ tua est arrogantia, contemnis, at Paulum audito: ille te arguat: ille tuam cohibeat audaciam.

Blasphemia est figuras ueterũ sacramentorũ dicere uappas.

Neque mihi dixeris, Paulum scribere, Iudæos habuisse spiritualem cibum, & potum eundem inter se, non autem eundem cum nostro cibo, & potu spirituali. Quia ibi Apostolus non confert Iudæos inter sese, sed nobiscum. Ideò baptismi facit mentionem, ut intelligas eos unà nobiscum baptizatos, quantum ad rem spiritualiter perceptam attinet. Deinde duorum tantum sacramentorum meminit: baptismi, & alimoniæ: cum tamen Hebræi alia innumera sacramenta in lege habuerint. Sed hoc ideò fecit, quia nos ista duo sacramenta ex tam multis à domino accepimus. Illos ergo nobiscum, non inter sese comparat. Deinde si umbram illi tantummodò habuerunt, cuius nam rei, obsecro, illa erat umbra? Quandoquidem umbra semper ad rem solidam, & corpus, cuius umbra sit, refertur. Nulla profectò alia res hic assignari potest, nisi Christus. Nam is ut finis legis erat, ita omnes ritus & ceremoniæ in illum referebantur. Atque

illos ueteres Christum non habuisse, qui affirmant, spiritui sancto, qui loquebatur in Paulo, quàm manifestissimè resistunt. Is enim ait, eos manducasse cibum spiritualem, & spiritualem potum bibisse. Deinde Christum ipsum ab illis perceptum nominatim affirmat. Impium est itaque, figuras appellare uappas, quæ tantam rem, Christum, inquam, spiritualiter propinabant. Isti tamen ita sunt obfirmitati, ut ueritatem in animum non facilè admittant, & credant, patres eandem escam nobiscum, eundemq; potum spiritualem sumpsisse.

Patres eandem escam nobiscũ spiritualiter comederunt. Augustinus.

Audiant itaque saltem Augustinum, si nos non audiunt: qui non aliter atque nos uerba Pauli exposuit. Is enim super Iohannem Tractatu 26. ait: Sacramenta illa fuerunt: in signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: Nolo uos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt, in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt: spiritualem utiq; eandem: nam corporalem alteram. Quia illi manna, nos aliud; spiritualem uerò eandem, quam nos. Hæc satis superq; indicant, quid nam patres in illis, uel sub illis signis spiritualiter perceperint. Quare uappæ non debuerunt appellari, cum pro suo tempore tam insigne, ac splendidum ministerium habuerint. Sed non est locus de ijs rebus fusius agendi.

Solùm hoc addam, non esse mirum, cum apud ueteres panis & uinum in sacris nostrum redemptorem Christum Iesum retulerint, si dominus uoluerit hęc eadem pro sacramentis Euangelij tempore retineri. Quia ille non uenit, quasi hostis patris ad omnia delenda, quæ in ueteri Testamento instituta erant, sed ad perficiendam Ecclesiam: quæ per illum cum perfectior euaserit, non tanta pædagogia, neque tam prolixo rituum apparatu opus habuit. Ideò ex tam multis ueterum sacramentis admodum pauca retinuit, eáque ubique obuia: nimirum aquam pro baptismo, panem & uinum ad Eucharistiam. Atque ita nostra mysteria pauciora esse uoluit, faciliora obseruatu, magis perspicua, & efficaciora. Non tamen ideò, quia ueteribus præstant ijs conditionibus, idcircò illa sunt blasphemanda: neque, ut Inconstantius ausus est dicere, uappæ appellari debent.

Panis & uinũ etiam apud ueteres erãt symbola Christi.

Quid igitur, dixerit Gardinerus, panis & uinum, cum in ueteri Testamento Christum referebant, à symbolis Eucharistiæ nostræ differebant? Permultum. Quod enim tum, ut expectandum significabatur, nunc ut præstitum propinatur. Tunc pretium salutis, at nondum solutum ostendebatur: nunc uerò ut datum, & effusum apprehenditur. Quod ne, tanquam à me dictum, contemnat, legat Augustinum contra Faustum libro uigesimo, capite uigesimo primo, ubi sic ait: Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per uictimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam ueritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Idemq; de Doctrina Christiana, libro tertio, capite nono, alia discrimina recensuit, quæ à me paulò antè de paucitate, facilitate, atq; alijs huiusmodi conditionibus enumerabantur. Verùm de his alibi occasio dabitur, ut pluribus agam.

Panis & uinũ aliter nunc, aliter apud ueteres figuræ Christi fuerũt. Augustinus.

Augustinus.

Nunc uerò expedit ut quæ subduntur audiamus. An fallere conuiuas in illa
" mensa uoluit, inquit Inconstantius, dum splendidioribus uerbis ornaret epu-
" las, quàm re ipsa subsisterent? quando inter homines, qui paulò modestio-
" res conuiuatores sunt, soleant urbanè suas epulas extenuare uerbis: non,
" quod isti modestiæ Christi tribuunt, supra uerum tollere, & magnificare. Po-
" nit iam hic noster seuerioris disputationis rigorem, & se recipit ad ciuilem con-
uiuantium modestiam: ut, quòd axiomatis theologicis minus processerit, saltem festiua conuiuantium modestia obtineatur. Ad id autem, quod percun-

ctatur,

ctatur, an Christus uoluerit suos conuiuas in mensa fallere, qui splendidioribus uerbis epulas ornarit, quàm re ipsa subsisterent, non est difficile respondere: hoc, in mysterijs præsertim, usitatissimũ esse, ut signa nominibus rerum significatarum ornentur. Nónne enim scriptura Circuncisionem fœdus domini appellat? & agnum Pesah? An ijs scripturarum testimonijs uoluit dominus populum suum fallere? Et Paulus, quando ait, Petram esse, uel fuisse Christum, Corinthios decipiebat? Non opinor. Non itaque nos falsi, aut deceptionis argui recte possumus, qui mysteriorum usitatam phrasim conseruauimus. Vos autem ediuerso, qui uestra transubstantiatione, quam in literis diuinis neq; pictam, neq; scriptam legitis, Ecclesiæ miserè illuditis, optimo à nobis iure condemnamini. Atq; signa nominibus rerum, quæ referuntur, insigniri, non modo scriptura docuit, ut iam ostendi, sed etiam Augustinus disertis uerbis, non solùm in epistola ad Bonifacium, uerùm etiam in quæstionibus super Leuiticum, quæst. 57. *Augustinus.*

ubi sic ait: Solet autem res, quæ significat, eius rei, quam significat, nomine nuncupari. Sicut scriptum est, Septem spicæ septem anni sunt: non ait, Septem annos significant. Et septem boues septem anni sunt. Hinc est, quod dictum est, Petra erat Christus. Non enim dixit: Petra significat Christum: sed tanquam hoc esset, quod utiq; per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic & sanguis, quoniam per uitalem quandam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est. Non itaq; falsi ulla suspicio ibi est, ubi perspicuus & usitatus loquendi modus adhibetur. Neq; Christi simplicitati, aut integritati, aut ueritati conuenit, ut, sicut homines faciunt in conuiuio, sua modestè extenuet atq; abijciat. Sed Inconstantius firmis argumentis destitutus, ad hęc friuola & inania tandem se recipit, ne dicam impia. Qui enim rem, quam dat, extenuat, mẽtitur: ut ciuiles isti conuiuatores, qualem Gardinerum in aula esse frequenter non dubito, luculenter mentiuntur, dum conuiuium, quod ipsi lautum, opiparum, ac sumptuosè structum esse non dubitant, uerbis deijciunt, ac tenuè fuisse prædicãt, excusantq; multa defuisse, & pollicentur se aliàs meliori tempore sarcturos, quod nunc sit omissum. Non est pij animi, non est, mihi crede, talia Christo affingere. Quamobrem cum diceret, Hoc est corpus meum, neq; amplificauit, neque extenuauit quicquam ad fallendum conuiuas. Verùm ut fidelissimus pietatis & æternæ uitæ doctor, mysterij, quod instituebat, declarationem attulit, expli cando quidnam panis & uinum in hoc sacramento significarẽt, quid referrent, quidue credentes illis piè utendo animo fideq; perciperent. Quemadmodum in Veteri lege deus, cum Circuncisionem appellaret fœdus, quid ea significaretur, demonstrauit. *Christus dicendo, Hoc est corpus meum, non est mentitus.*

Argutatur adhuc & ex capite 6. Iohãnis, Christum ait, de carne sua docuisse, illam esse uerè cibum, pollicitumq; illum se cibum daturum, cum diceret: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Ex ista promissione, conatur elicere, id, quod promissum erat, aliquando tandem uerè fuisse præstitũ, atq; illã impletionem promissionis refert ad Eucharistiam. Nos uerò primùm hoc statuendum affirmamus, Iohannis capite sexto ideò dominum adductum fuisse, ut de pane, unde cibus, & animæ uita deriuetur, sermonem faceret, quòd turba Iudæorum, quæ ad illum uenerat, id potissimùm expeteret, ut pane ab illo pasceretur. Ad quod faciundum prouocabant illum exemplo Mosis, qui manna in deserto Israelitis dederat. Christus propterea eos reuocare studuit sua doctrina à cibo corporis ad animæ alimoniam, ut intelligerent se panem illum uiuum esse, qui de cœlis descendisset: & ob id oportere, ut, qui uitam uellent animæ, & æternam salutem adipisci, se manducarent. Et ne uita, quam pollicebatur se manducantibus, existimaretur solius esse naturæ diuinæ, quæ hominibus abstrusa es- *Quare Christus Iohann. 6. suæ carnis manducandæ mẽtionem fecerit.*

set,& inuisibilis,declarat uitam illam æternam, quæ à fonte diuinitatis emanat, nobis posse communicari per carnem suam,quæ in mortem nostra causa tradenda erat. Sic enim diuinam naturam ipsius carni se communicasse,ut per illam ad nos transfunderetur: neque aliter nos talem uiuificum cibum posse consequi, nisi fide carnem eius manducemus. Dixerat itaque prius, Ego sum panis uiuus. Deinde qua parte,ut panis,communicet nobis uitam,ostendit,nimirum per carnem. Nam illa moriendo pretium pro nobis dissoluit: & nos sacrificio illius deo sumus reconciliati:& per uim oblationis eius peccata nobis remittuntur: & nos iustitiæ filij dei participes efficimur. Hæc itaq; iure meritoq; panis, & cibus perhibentur,quo pascamur,& alamur ad æternam uitam. Istud porrò est,quod ibi Christus nobis promisit.

Promissa in capite 6. Iohānis quando sint præstita.

Quòd si quæsieris,quando tandem præstiterit dominus hoc promissum: respondeo,quando illam in crucem dedit:& rursus quotidiè,quando illam prædicatione sancti Euangelij, & suggestione spiritus interiori offert per fidem manducandam:& expressè quādo in cœna domini symbolis accommodatis ad hoc, uino,inquam, & pane consignatur, & credenda, menteq; religiosè comedenda proponitur. Quid,obsecro,in hac doctrina salebrarum?quid scrupuli,aut nodi est quod uerè fideles absterreat?Huius carnis Christi sic datæ pro mundi uita,& nobis oblatæ ad manducandum per fidem,in ueteri testamento permulta symbola & figuras antecessisse fateor:nempe manna,& annonam panis ac uini, quam Melchisedech Abrahamo, & exercitui eius à prælio redeunti distribuit, panes propositionis,agnum paschalem & uarias legis oblationes.

„ At nunc operæpretium est,audire,quid Gardiner⁹ hinc eliciat. De effectu
„ autem cœnæ,quod est extremum ultimum,Paulus dicit,quod calix benedictio-
„ nis,cui benedicimus,communicatio sanguinis Christi est:& panis, quem frangi
„ mus,communicatio corporis Christi est. Commemorauit carnis Christi dandæ figuras ex ueteri testamento:promissum ex sexto capite Iohannis adduxit:nunc ad exhibitionem rei promissæ descendit, atq; hoc appellat extremum ultimum, ut est elegans & disertus:quasi aliquod sit ultimum, quod nō sit extremum. Sed hoc non magni referret,si de re saltem benè iudicaret. Quod caro Christi sit uitalis cibus,inter nos conuenit. Sed nos eam animo, ac fide percipi affirmamus: ille ore ac dentibus corporis assumi contendit. Nos in regeneratione credentes, quando Christo inseruntur per fidem,huius cibi fieri participes docemus:& istā communionem in cœna domini consignari symbolis,& efficaciter significari,& testatam fieri,& quia ibi fides excitatur,suum augmentum,suosq; fructus habere,asserimus. At iste uidetur istam perceptionem communionis carnis Christi in eo solùm ponere,ut transubstantiatorum elementorum species,ut ipse prodigiose fingit,à communicantibus ore ac palato sumantur.

„ At fortasse,quæ opinatur, firmamentis astruit inuictis. Nihil minus. Calix
„ benedictionis,inquit,cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est: &
„ panis,quem frangimus,communicatio corporis Christi est. Quid ista commemorare oportuit? An communionem arcanam Christi nobiscum inficiamur? Certè illam quàm maximè affirmamus. At isti,ut sunt crassi, & rerum spiritualium inopes,eam communionem solam respiciūt,qua corporaliter corpus Christi deuoretur. Nos uerò à Christianis manducari ac bibi carnem Christi atq; sanguinem,scimus:sed animo,& per fidem. Nam,teste Paulo,cibus iste, quem etiā patres nostri habuerunt nobiscum communem,est spiritualis. Quare spiritu tantùm accipitur. Experientia hoc satis docet. Vt res uisibilis uisu solo excipitur, audibilis auditu,tactilis tactu, ita, si iustam conseruemus analogiam, spiritualis cibus spiritu solo sumitur. Et hac spirituali alimonia, quamuis, dum credimus,

Nostram communionem cū Christo non negamus.

Corpus Christi à nobis per fidem,& spiritu sumitur.

per-

perpetuò ueſcimur, in cœna tamen ſacra, quia nobis non tantũ uerbis, ſed etiam ſymbolis externis proponitur manducanda, hoc eſt credenda, ibi eam edi, & bibi fatemur: & coniunctionem noſtram cum Chriſto, quia hoc modo augeri ſcimus, ideò ſacrum iſtud myſterium frequentandum prædicamus.

Quomodo uerò calix aut panis dicatur à Paulo communicatio corporis & ſanguinis domini, quiuis poteſt intelligere: nempe quòd illa communio ſymbolis ijs proponatur, ſignificetur, & quodammodo ſigillis appenſis obſignetur: neque ſolùm uerborum, uerùm etiam rerum externarum teſtimonio confirmetur. Videmus igitur Gardinerum ex tanto uerborum apparatu, non quod uolebat, ſed, ceu ex ouo ſubuentaneo, flatum ſolùm excluſiſſe.

At fortaſſe fœlicior erit in uerbis epiſtolæ ad Epheſios tractandis. Paulus ad Epheſios, inquit, huius cœnæ effectum notans, ut Irenæus ſentit, tam eſſe nos dicit de carne Chriſti, quàm fuit Eua de latere Adæ: & ad Coloſſenſes, quod Chryſtomus notat, gentes factas Chriſto concorporeas. Nam & id fieri communione carnis Chriſti dicit. Quod modò ſcribit, nos ita eſſe ex carnibus Chriſti, ut Eua fuit ex carne Adami, non ita ſimpliciter, ut dicitur, admittendum eſt. Os enim translatum eſt ex Adamo, & caro item, unde facta eſt Eua. Quis autem dixerit, ſubſtantiam carnis noſtræ translatam, ſeu detractam è corpore Chriſti? Corpulentiam quippe carnis & oſſium prius habuimus ex utero matris, quàm Chriſto eſſemus inſiti. Eua autem priuſquam ex Adamo ſumeretur, nullam ſubſtantiam per ſe ipſam carnis habuit. At fortaſſe dixerit Inconſtantius, hoc quidem uerum eſſe. Nihilominus carnem Chriſti poſtea commiſceri ſubſtantiæ carnis noſtræ, quando in menſa domini ſanctam Euchariſtiã ſumimus: atq; inde ſequi, nos nõ minus habere in carne noſtra de ſubſtãtia carnis Chriſti, quàm Eua in ſuo corpore habuerit, de oſſibus, & de carnibus Adami. Scio illos ita opinari: ſed quàm hallucinentur, ac turpiter errent, confido me palàm facturum.

An ita nos ex Chriſto ſimus ut Eua ex Adamo.

Si noſtræ carni re ipſa ſubſtantia carnis Chriſti miſceretur, noſtra utique caro cum filio Dei haberet eandem hypoſtaſin, pro ea ſaltem portione, qua ſibi admixtam haberet carnem Chriſti. Non enim caro Chriſti à natura diuina ſeiungi ullo modo poteſt, quin in eadem cum illa ſit hypoſtaſi. Proinde non iam adoptione, ſed natura eſſemus filij Dei: & cuique liceret fratrem ſuum, ut Chriſtum, adorare, ſi re ipſa carnem illius in ſe ipſo haberet. Deinde cum tota caro noſtra moriatur, cum animus à corpore ſeiungitur, corpus Chriſti, nempe quoad iſtas portiones rurſus unà nobiſcum moraretur, cum tamẽ de Chriſto dicatur ad Romanos: Quod autem mortuus eſt, mortuus eſt ſemel, mors illi ultra non dominatur. Videant hinc Hyperbolici & audaces doctores, in quos laqueos ſeſe induant. Has, obſecro, pedicas exuant, ſi poſſunt.

Caro Chriſti à natura diuina ſeiungi non poteſt.

Deinde mihi conſiderent, ſi carnem Chriſti realiter ſtatuant noſtræ admiſceri, & alere nos per communionem Euchariſtiæ, atque ita nos membra Chriſti fieri, quid reſponſuri ſint de infantibus, qui non adhuc Euchariſtiam perceperunt? An habẽt illi communionem Chriſti? An ſunt eius membra? An panem uiuum comederunt, qui eos ad uitam æternam adducat? Quid reſpondebunt de Abrahamo, Iſaaco, & antiquis prophetis? An dicent eos fuiſſe ab Eccleſia alienos? Videant quid agant. Si eos ab Eccleſia ſeparent, excludunt etiam eos à ſalute. Nemo enim extra Eccleſiam, quæ corpus Chriſti eſt, poteſt habere ſalutem. Si uerò in Eccleſia illos quoque comprehendant, erunt, ut dicit Paulus, non tãtum membra corporis eius, ſed etiam carnes ex carnibus eius, et oſſa ex oſſibus eius. Et Hieronymus in epiſtolam ad Galatas cap. 4. de ueteribus ita ſcribit: Verè in Chriſto unus panis ſumus, & duo conſenſimus ſuper terrã, & quomodo nos ſuper prophetas fundati ſumus, ita & Patriarchæ in Apoſtolorũ fundamine con-

ſtiterũt, Apoſtolus ergo etiam ueteres unũ panem dicit nobiſcum fuiſſe, quemadmodum Paulus in Euchariſtiæ cõmunione nos eſſe facit. Quî uerò id fieri potuit, ut illi re ipſa, & ſubſtantiam carnis Chriſti, quæ nondum nata erat, in ſe ipſis habuerint? Quò ſe uertent iſti? Quid ſunt dicturi? Ipſi uiderint. In iſtos nodos conijcit eos craſſum illorum, & audax commentum.

Locus Epiſtolæ ad Epheſios.

Verba autem epiſtolæ ad Epheſios longè alium habent, quàm iſti ſuſpicantur, ſenſum. Nil ſanè aliud ibi Paulus uoluit, niſi Eccleſiæ cœtus omnium fidelium, quocunque tempore illi fuerint, ſiue ſub lege, ſiue domino adhuc in terris agente, ſiue hac noſtra ætate, Chriſtum eſſe caput: quare ubicunq; demum ſint homines pij, in Italia, in Germania, in Gallia, in Anglia, in Hiſpania, modò credant in Chriſtum, ab illo pendent, ab illo mouent̃, ab illo uiuificant̃: ſuntq; illius corpus ita compactum, & coagmentatũ, ut per cõmiſſuras ſubminiſtrationis alimoniam & augmentũ iuxta menſuram congruam partiũ recipiant. Vnde poſſunt dici carnes ex carnibus Chriſti, & oſſa ex oſſibus Chriſti. Non quòd ex iſtis cõſtent, quaſi ex materia, ſed quòd donũ ſuſtentationis, & donum uitę non percipiant à natura diuina, niſi ea fluant, & deferantur ad illos per carnem Chriſti, & oſſa eius, quæ noſtra cauſa data ſunt in crucem & mortem. Sic, inquam, dicimur pendere ex carne & oſſibus Chriſti: nec ſolum quoad noſtrum animum, uerùm etiam quoad carnes, corpus, & eſſe: quoniam & iſta non capacia fiũt beatæ reſurrectionis, & æternæ uitæ, neq; inſtaurantur ad ſeruiedum ſpiritui, quandiù hic agimus, niſi per gratiã, & uim, quæ à diuinitate Chriſti, per eius carnem, ſanguinem, oſſa, & corpus ad nos deriuantur.

Fiunt autem carnes noſtræ carnes Chriſti, dum in eum credimus, & mortem illius in pretium pro nobis perſolutam fide comprehendimus. Ad id autem non exigitur phyſicus aliquis contactus, aut localis continuitas ſeu contiguitas. In corpore utique noſtro carnes & oſſa pedis dicuntur eſſe ex carnibus & oſſibus capitis: non quòd carnibus capitis, & eius oſſibus ſint commixta, aut illa phyſicè tangant, aut ſint cum illis eodem loco: ſed quòd natura communicent, & multis proprietatibus, quodq; à capite regantur, ac moueantur, indeq; influxus per neruos & alias commiſſuras recipiant. Ita noſtræ carnes, poſtquam ſumus regenerati, iam ſunt eiuſdem naturæ cum carnibus Chriſti, earundem proprietatum, & ab eo uera uita donantur, & motu, & gratia, & ſpiritu. Neq; carnes noſtræ ſunt ex carnib. Chriſti, niſi quatenus regeneratę: uim enim qua renaſcimur, à deo per Chriſti carnem habemus, ut pro nobis in pretium & mortem data fuit.

Eant iſti modò, & iactent, ad iſtam coniunctionem, ſiue arcanam communionem exigi realem corporalemq; præſentiam carnis Chriſti in Euchariſtia, quæ noſtræ ſubſtantialiter miſceatur. Hoc ſi aliquando patres dixerunt, hyperbola ſunt uſi, quam niſi ſano, dextroq; intellectu temperemus, in abſurda, & inexplicabilia permulta incidemus. Paulum uerò ſic ſenſiſſe, uel id poteſt confirmare, quoniam ibi agit de coniunctione maritorum cum uxoribus. Debent, inquit, uiri uxores ſuas diligere, ut corpora ſua. Qui enim diligit uxorem, ſe ipſum diligit. Carnem ſuam nemo odio habuit: ſed eam fouet ac nutrit. Dicat mihi unicus iſte theologus, quomodo caro mariti quoad ſubſtantiam miſceat̃ cum carne uxoris. Certè diſtinctæ ſunt numero illorum carnes: & uterq; illorum ſuas habet. Conueniunt tamen natura, proprietate, affectu, & alijs modis. Verũ quòd oſſa uninus ex oſſibus alterius, & carnes unius ex carnibus alterius tanquam ex materia conſtent, nullus ſanæ mentis dicere auſit.

In ijs explicandis fateor me aliquanto fuiſſe prolixiorem. Sed uolui rem ſemel euoluere, ut, cum poſthac huius eiuſdem rei mentio fiet, habeat lector quò ſe recipiat. Ex illis enim, quę iam dixi cognoſcet, quomodò carnes dicamur ex carnibus

nibus Christi, & concorporei dicamur illi facti. Sic etiam intelligendo, ista non modò ad nos, uerùm etiam ad patres Veteris testamenti accõmodari poterunt.

Sed iam tempus est, ut audiamus, quid concludat. Cum hæc, inquit, tam cla-
ram de Christi carne in cibum data mentionem faciant, exigunt illa profectò, ut
uerba Christi in cœna, quibus se suæ pollicitationi satisfacere ostendit, etiam de
uera carne dicta intelligantur, cum diceret, Hoc est corpus meum. Nam promit-
tere carnem, & dare figuram, nõ est promissa præstare. Non est simpliciter dan-
dum, quod iste sibi assumit, Christum in cœna tantum suæ pollicitationi satisfe-
cisse. Quia carnem suam dedit, ut promiserat, etiam quando se passus est crucifigi: eamq; manducandã offert, quoties prędicatione proponitur, aut spiritu excitamur ad illam fide apprehendendam, tanquam nostræ salutis pretium. Quod quia in cœna etiam fit, dum nobis non tantum uerbis, sed etiam symbolis externis caro eius pro nobis oblata inculcatur, ideò ibi quoq; fatemur, promissum præstari: nempe Christum carnem suam dare nobis manducãdam. Sed non ita, ut ibi solùm hoc fiat, & non etiam alibi præstetur.

Christus non solum in Eucharistia dat suam carnem mãducandam.

Verba uerò Christi de uera carne intelligenda esse, non repugnamus. Quis enim nostrum dicit, fictam aut commentitiam carnem fide apprehendi, & manducari? Certè fides uera, in falsa non potest ferri. Damus itaq;, ac libentissimè damus, nõ fictam, sed ueram carnẽ per fidẽ, hoc est, spiritualiter manducari. Quòd uerò subdit, promittere carnem, & dare figuram, non est promissa præstare: in quos dicat, ipse uiderit. Certè in nos ista minimè quadrant, qui utrunq; pijs atq; credentibus dari affirmamus in cœna, rem, inquam, & figuram. Figura quidem manu datur, & ore corporis accipitur: res autem, id est, uera Christi caro, uerbis domini offertur, & ore animi per fidem sumitur: & illam nos spiritualiter manducamus, dum uerè ipsam pro nobis datam in crucem credimus. At iste summus theologus, si deo placet, ad eundem scopulum semper impingit: quia carnem Christi manducandam non putat aliter posse dari, nisi re ipsa, & quoad substantiam sub accidentibus conclusa, in os corporis communicantium manu suorum sacrificulorum conijciatur. Istæ sunt eius tenebræ, quas à se depellere, uel non uult, uel non potest: cum tamen res adeò clara sit, ut docti omnes uehementer mirari debeant, quomodò iste se in meridie palpare non sentiat. Quia tamen in alijs rebus non est luscioſus, ideò illum potius animi peruicacia, quàm ignoratione in re tam euidenti peccare credo.

Verum corpus Christi fide manducamus, non fictitium.

In cœna utrũq; datur, & res & figura, sed non eodem modo.

Christus itaq; nihil promisit, quod non præstiterit: isq; uti iam dixi, in cœna quoq; dat ueram carnem suam manducandam communicantibus: quam etiam alibi eis offert, sed absq; symbolis. Quòd si dum habetur cœna, panis & uini signa, ut ipse instituit, adduntur, non propterea de promisso quicquam imminuitur: imò plusculum præstatur, quàm sit promissum. Nõ enim in sexto cap. Iohannis pollicitus erat dominus panis & uini symbola, sed tantum carnẽ suam manducandam, & sanguinem bibendum. Quare posteà cum cœnam sub finem uitæ instituit, non solùm quod promiserat, dedit, sed ut magis excitaremur, præter uerba, uisibilibus etiam signis rem eam, quam dabat, obsignauit.

Sed iste, quasi non satis in ijs, quæ iam attulit, desipuerit, pergit, & se magis crassum, magisq; ridendum orbi propinat. Tum autem figura, inquit, non communicat substantiam carnis: quam tamen in cœna communicatam, alterum extremorum in effectu demonstrat. Et Cyprianus dicit, ab effectu in hoc sacramento causam æstimandam. Quid hoc aliud est, quàm meras loqui tenebras, & secum pugnare? An est absurdum, panem & uinum, dum cœna celebratur, substantiam carnis Christi non communicare? Imò si communicarent eam, absurdum esset. Dei bonitas, Christi ueritas, & spiritus sancti efficacia est, quæ substan-

tiã carnis Christi animo per fidẽ ac spiritualiter manducandã cõmunicat: quãuis interim utatur ministerio & instrumento panis & uini, quæ sunt figuræ corporis & sanguinis Christi. Sed uos, quæso te, quî dicere potestis, figurã non communicare substantiam carnis, qui panis & uini accidentia, signa, typos, & figuras esse conceditis: per quæ nihilominus clamatis usq; ad rauim, substantiã ipsam realiter, & corporaliter, & naturaliter ori corporis communicari? Figura ergo uestra sententia substantiam carnis communicat. Sed is uester est mos usitatissimus, eadem affirmare, atq; ut lubet, uicissim eadem negare. Et quod maioris est peruersitatis, communionem aliam non agnoscitis, quàm carnis & sanguinis domini cum carnibus, sanguine, ac ossibus nostris realem corpulentamq; mixtionem. Valetis, fateor, numero, potentia, & opibus. Verum quia ista non perpetuò durant, & ueritas æternum manet, de uobis aliquando posteritas nasuta iudicabit, ut meremini.

Locus Cypriani.

Pro se Inconstantius Cyprianũ in sermone de Chrismate in hæc uerba citat: Ab effectu in hoc sacramento causam æstimandam esse. Locum, quæso, lector, apud authorem expendito. Non dubito, quin dicturus sis pro nostra sententia confirmanda nihil potuisse uel efficacius, uel appositius inueniri. Mutilat iste sancti Martyris uerba, & concidit, ut nihil ex ijs, quemadmodum adducuntur, ,, queat intelligi. Sic eius testimonium habet. Dedit itaq; dominus noster in men ,, sa, in qua ultimum cum Apostolis participauit conuiuium, propriis manibus pa ,, nem & uinum. Audis Gardinere, dominum dedisse Apostolis panem & ui- ,, num? Vbi uestra est apud Cyprianum transubstantiatio? In cruce uerò, inquit, ,, manibus militum corpus tradidit uulnerandum: ut in Apostolis secretius im- ,, pressa syncera ueritas, & uera syncerítas exponeret gentibus, quomodo uinum ,, & panis caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirẽt: ,, & diuersa nomina, uel species ad unam reducerentur essentiam: & significantia ,, & significata ijsdem uocabulis censerentur. O egregium oratorem, & cautum iurisperitum: qui, dum pro se dicit, id afferat, quod maximè contra se faciat. Dicit Cyprianus Christum tradidisse corpus suum manibus militum in cruce uulnerandum: Apostolis uerò in mẽsa dedisse panem & uinum. In quem, obsecro, ,, finem? Vt in Apostolis secretius impressa syncera ueritas, & uera syncerítas ex- ,, poneret gentibus, quomodò panis & uinum, esset corpus & sanguis. Quid in Apostolis comedentibus cum domino in mensa gentes uidere aut discere possunt, nisi eos re ipsa, & corporaliter non manducasse corpus domini? Integrum eum ibi cernebãt: non ille se in panem coniecerat, aut in calicem. Cum omnibus membris dominus unà discumbebat, & mystica symbola ministrabat. Discipuli cum comederent, non infigebant dentes in carnes domini, cui assidebant, sed in panem, qui porrigebatur. Erãt ergo panis & uinum, corpus & sanguis Christi, sed mystícè: quia illa significabant, & nomen idcirco significatarum rerum participabant: atq; sub hac ratione mystica, quæ alioqui panis & uinum naturaliter erant, ad essentiam carnis & sanguinis domini referebantur, analogia minimè noua, sed frequentissimè in sacramentis usitata: nimirum ut signa nominibus rerum significatarum appellentur.

Clamabit Inconstantius, nos ista fingere. Audiat suum, imò meum Cyprianum, quem ipse adduxit: Et quibus, inquit, rationibus effectibus causæ conueni ,, rent. Causa, cur panis & uinum à domino mystícè discipulis darentur, fuit carnis illius in cruce uulneratio, & mactatio, & sanguinis pro nobis effusio. Effectum nunc uideamus, quomodo isti causæ conueniat. Vt panis & uinum alimenta sunt corporis: ita caro illa & sanguis, quæ pro nobis fuerunt sanctum & acceptum sacrificium, animum, dum fide cõprehenduntur, pascunt, & uiuificãt

ad

ad æternam uitam. Ita causa cum effectu conuenit. Sed pergamus: Et diuersa, inquit, nomina, uel species ad unã reducerẽtur essentiam. Hoc agnoscimus in cœna, quam dominus Apostolis distribuit: quomodo nomina diuersa panis & uini, ac uariæ illorum naturæ, quas appellat species, ad essentiam unam, naturam nempè Christi quoad humanitatem reducãtur: id autem fit per mysticum relationem, atq; sacramenti significationem. Vnde subdit: Et significantia & significata eisdem uocabulis censerẽtur. Iam nos nõ fingimus, panem dici corpus Christi, quòd sit eius signum, & nomine rei censeat. Sed Cyprianus hoc scribit: & ita scribit, ut neq; luculentius, neq; apertius queat pro nobis testimonium dicere. Ito nũc, Gardinere, atq; industriam tuam, acumen, & subtilitatem inter tuos adulatores iacta, quantum uolueris. Cordatis lectoribus certè non impones. Omnes iam intelligent tuos fucos, quibus amplissimis patrum testimoniis abuteris falsò ad fucandam & colorandam causam tuam.

Iam uideamus, ecqua afferas meliora. Quin & illud, inquis, proprietatem sensus uerborum exigit, ut Christus qui omnium præcedentium umbrarũ corpus erat, (nam sic de se ipso loquitur: Corpus aptasti mihi,) omnes de cibo carnis suæ figuras uideretur impleſſe, & ipsam ueritatẽ ueris reuelasse: ueris, inquã, non nouis rerũ absentium figuris: ne aliquid hic post Christũ præsentius expectemus. Christum omnium præcedentium umbrarũ corpus fuisse, non dubitamus. Non tamen propterea à nostra causa ulla ex parte labefactatur. Quia ob id Christus umbrarum dicitur corpus, quod in omnibus ueterum sacrificijs oblationibus & hostijs mors eius futura significabatur, quam ille ueniens persoluit. Ideo dicitur ad Hebræos 10. & in Psalmo 40. ut ibi citatur, Quapropter cum ingressus est mundum, dicit: Sacrificium, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Cum enim Deus cogitasset in plenitudine temporum, sacrificijs ueterum finem imponere, Christum dedit, qui reipsa præstaret, quod erat ueterum umbris præfiguratum. Id autem absque humanæ naturæ assumptione præstari non potuit. Idcirco ait, corpus aptasti mihi: nempe, quo cruci affigerer, & unicum, diuq; expectatũ sacrificium tandem offerrem. Atq; illum sermonem huc spectare, nempe ad mortem Christi, testantur uerba, quæ in eodem capite 10. ad Hebræos leguntur: Tum dixi, Ecce adsum, ut faciam deus uoluntatem tuam. Et mox: Tollit prius, ut posterius statuat: per quam uoluntatem sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Proinde non erat hic sermo de uestro missario sacrificio, sed de morte domini: quæ semel, ut audis, est peracta. Voluntas autem illa dei, quam ut impleret dominus, in mundum uenit, erat ut Christus immolaretur. Et ideò Christus, qui fideliter obedire statuerat, dixit: Ecce adsum. Et per hanc immolationem, quæ postremis temporib. est peracta, sustulit dominus illa sacrificia quæ prius erant sub lege. Manducatio uerò carnis eius, quam ueteres quoque habuerunt, dum fide constanti sperabãt, aliquando futurum, quod erat promissum, ut filius dei pro mundi salute moreretur, nobis postea concessa est: nosq; ea fruimur, cũ indubitatò credimus, iam impletum esse, quod antiquitus erat promissum.

Christus fuit corpus umbrarum ueteris testamenti.

Quæ igitur, inquies, inter nostram communionem & illorum est diuersitas? Hæc sanè, quæ est inter expectata, & iam præstita. Et quia non ijsdem signis, uocibus & literis futura exprimimus, quibus præterita, ideò alio ritu, alia ceremonia, & symbolis alijs Christus uoluit apud ueteres, quàm apud nos, communionem, quam cum eo habemus, testatam & obsignatam esse. Quod uerò iste cauillatur de figuris rerũ præsentium & absentium, inane commẽtum est. Quia loco abest quidem à nobis domini caro: sed fidei & spiritui communicantiũ præsens est: ut etiam ueteribus esse potuit.

Cur uariata symbola sint in nouo Testamento.

Atque non oſcitanter eſt conſiderandum, dici quãdoque à patribus, hoc differre ſacramenta ueteris legis à noſtris, quod ea promiſerint, noſtra uero præſtẽt. Quia ueterum myſteria Chriſti mortem, atque noſtram in ea redemptionem, ut futuram oſtendebant: noſtra uerò eam, ut iam repræſentatam commemorant: quod ab Auguſtino præ alijs non ſemel explicatur: & à me paulò antè fuit commemoratum. Quamuis itaque corpore ſuo Chriſtus realiter non ſit præſens, an propterea negabitur ueniendo in mundum, moriendo, & manducationis ſuæ dando ſymbola, quæ illam iam mortem illius præteritam oſtendant, promiſſa non perfeciſſe? Quæ, malùm, ueſtra inſania, ut nos, cum nondum ſimus in patria, neque reuelata facie uideamus, peregrinemúrque ad dominum, uelitis prorſus figuris eſſe liberatos? Figuras adhuc habemus, non quidem quæ Chriſtum uenturum ſignificent; ſed quæ eum iam ueniſſe doceant; eaq; præterea bona, quæ uentura expectamus in æterna patria, uitáque cœleſti adumbrent. Tales figuræ ſunt ſacramenta, & permultæ parabolæ, ſimilitudinesq; diuinarũ literarũ. Imò ipſæ diuinæ literæ quid quæſo ſunt, niſi ſigna? Quæ tamẽ in ſe ipſis ea, quæ ſignificant, minimè realiter continent? Quando ideum, & Chriſtum ipſum coram habebimus, quãdo illum ſicuti eſt, & facie ad faciem uidebimus, tum ſigna & figuræ prorſus faceſſent. Quod ne anteà ſperemus, cũ experientia, tum diuinæ literæ nos admonent.

Veterum ſacramenta promittebant, noſtra uerò præſtant.

Adhuc non ſumus liberati à figuris & ſignis.

„ Sed uide, candide lector, quid Inconſtantius iſtis addat. Denique in cœna
„ Chriſtus nos certos reddidit uoluntatis ſuæ, & nouum Teſtamentum ſuo ſangui
„ ne obſignauit: quod figura ſanguinis minus firmum & imbecillum reddiderit.
Suæ uoluntatis, fateor, Chriſtum reddidiſſe Apoſtolos in cœna certiores. Nam teſtatus eſt apertiſſimis uerbis, iam ſe pro nobis conſtituiſſe mori: ac uelle ſuam carnem, & ſanguinem, quæ in mortem tradenda erant, nobis eſſe ſpiritualem eſcam, quæ mente, ac fide à nobis percíperetur. De quo eius dono haud fas eſt quenquam dubitare. Non tamen unà cum Apoſtolis cœnando nouum Teſtamentum, ut hic fingit, ſanguine ſuo obſignauit. Myſterio quidem, ac ſacramento, & expreſſis uerbis teſtatus eſt, quod futurũ erat. Siquidem in cruce moriendo nouum Teſtamentum ſuo ſanguine obſignauit, cum mundi redemptionem ibi perficeret. Obſignatur illud tamen quotidie ſacramentis, cum illis utimur. Sed hoc non eſt obſignare ſanguine: cum id ſolum in cruce factum fuerit. Alioqui dicendum eſſet, nos à Chriſto in menſa fuiſſe redemptos, quod nũquam ſcriptum legitur, niſi apud hunc delirum impoſtorem.

Chriſtus in cœna teſtamentũ non obſignauit ſuo ſanguine.

Non ſumus à Chriſto in ſacra menſa redempti.

Figura, inquit, ſanguinis Teſtamentum nobis minus firmum & imbecillum
„ redderet. Figura per ſe non confirmat Teſtamentũ, ſed res, quæ figura ſignifi-
„ catur, & uerbis exprimitur, uim confirmandi habet, cum fides acceſſerit. At ſi figuræ, ut dicis, nullo modo confirmant, abs te quæro, utrum baptiſmus ſit figura mortis Chriſti, & eius reſurrectionis? Id non potes inficiari. Ita tamen baptiſmus eſt harum rerum figura, ut eas non habeat in ſe concluſas, & delitescentes. Negabisne baptiſmo nouum Teſtamentum confirmari? Certè mihi, & cæteris piis in eo ſacramento non eſt infirma & imbecilla confirmatio. Tu ipſe uideris, quanti ſacramentum regenerationis facias.

Quomodo figuræ teſtamentum confirment.

Cum ſibi uiſus ſit Inconſtantius, quæ ad uerba Chriſti, Hoc eſt corpus meũ, pertinent, dilucidè atq; copioſè diſſeruiſſe, ſubdola, uerſutaq; correctione ſeipſum reprehendit: & nos amarulento conuicio aſpergit. Subiraſcitur ſibi, qui rem adeò claram tantopere laborauerit illuſtrare, quaſi ſuperuacaneum id fuerit. Nos uerò inſectatur, qui noſtra improbitate illum uel inuitum ad hoc faciendum
„ adegerimus: denique ait, Quum alioqui ad dogmatis catholici cuiuſcunq; uel
„ ſenſus uerborum ueritatem confirmandam, illud ſuffecerit, ueteres & antiqui-

tatem

tatem consulere, atq; ex uniuersitate & perpetuitate eius, quod per singulos æta
tum gradus in deposito cõseruatum reperiatur, quid uerum, quidue secus, inde
æstimare, &c. Nostrã improbitatem, quam accusat, hoc tempore nolo neq; ex-
cusare, neq; confutare, neq; deprecari: at illum omninò correctione, imò increpa
tione dignissimum arbitror, qui tot nugis, fabulis, mendacijs, & sophismatis, fal-
sum uerborum domini sensum sit conatus astruere: & ueritatẽ, quæ cæteroquin
nuda, simplex, & aperta est, puluere, nube, ac tenebris, ita offundere, ut ea ab ho-
minibus simplicibus & rudibus agnosci non queat.

Sed illud, quale tandem est, quòd ait, ad Catholici cuiusq; dogmatis, & sen-
sus uerborum ueritatem confirmandam, sufficere, ut ueteres & antiquitatẽ con-
sulamus? Facito ita esse. Quando res, quæ, ut fert hominum infirmitas & malitia,
quotidiè labefactantur, instaurari poterunt? Semper qui patrocinari uelint erro-
ribus, maiorum opiniones atq; consuetudinem prætexent. Ita certè fiet, ut nihil
unquam resarciatur. Christus, Apostoli, & illorum successores nihil ab initio
profecissent. Iudæi & ethnici perpetuò dixissent: Catholica dogmata, quibus ha-
ctenus usi sumus, quæq; à patriarchis, prophetis, & sapientissimis, ac sanctissi-
mis hominibus recepta, constituta, & decreta sunt, retinere uolumus. Mutemus *Veritas dogma-*
hic, quæso, uices: Tu te loco Christi, Apostolorũ, & primitiuæ Ecclesiæ ponito. *tum ab authori-*
Quid istis ueteranis, & qui præscriptione longi temporis errores defendebant, *tate hominũ*
respondisses? Certè, ut legis peritus es, si sapuisses, dixisses, longæ præscriptioni *uel antiquissi-*
quicquam non esse deferendum, nisi iustus titulus & bona fides ostenderetur. *morum non*
pendet.

At ego missa legum ciuilium authoritate, me ad patres conuertam, & ex illo-
rum sententia tibi respondebo. Cyprianus de consuetudine sic loquitur, in epi- *Cyprianus.*
stola, quam aduersus Aquarios conscripsit: Consuetudo, quæ apud quosdam ir-
repserat, impedire, nõ debet, quò minus præualeat Veritas, & uincat. Nam con-
suetudo sine ueritate uetustas erroris est. Propterea relicto errore, sequamur ue-
ritatem: scientes, quia apud Esdram Veritas uincit: ut scriptum est, Veritas ua-
let, & inualescit, & uiuit in æternum, & obtinet in sæcula sæculorum. Et mox: Si *Consuetudo*
Christus solus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos fa- *quanti facien-*
ciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque *da sit.*
enim homines consuetudinem sequi oportet, sed dei ueritatem: cum per Esaiam
loquatur, & dicat: Sine causa colunt me mandata & doctrinas hominum docen- *Augustinus.*
tes. Neq; aliter docuit Augustinus de Baptismo paruulorum, cum ait: Qui con-
tempta Veritate, præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est ac
malignus, quibus ueritas reuelatur, aut circa deum ingratus est, inspiratione cu-
ius Ecclesia instruitur. Nam dominus in Euangelio, Ego sum, inquit, Veritas.
Non dixit, Ego sum cõsuetudo. Itaq; Veritate manifestata, cedat cõsuetudo Ve
ritati. Reuelatione igitur facta Veritatis, cedat consuetudo: quia Petrus, qui cir
cuncidebat, cessit Paulo ueritatem prædicanti. Igitur cum Christus ueritas sit,
magis ueritatem, quàm consuetudinem sequi debemus. Quia consuetudinem
ratio & ueritas semper excludit. Idemq; libro 4. de Baptismo paruulorum: fru- *Item Augusti-*
stra quidam, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obijciunt: quasi *nus.*
consuetudo maior sit ueritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod me-
lius à spiritu sancto reuelatum est. Hoc planè uerum est, quia ratio & ueritas con- *Verbum Dei,*
suetudini præponendæ sunt. *non consuetu-*
do sequenda.

Quid itaq; iste blaterat, sufficere, ut de quoq; dogmate ueteres & antiquita-
tem consulamus? Quasi mos & consuetudo præsertim in hisce rebus, primum
indicationis locum habere debeant. Cur non ad literarum diuinarum κριτήριον
potius nos ablegauit? Cur non ad rationes è sacris oraculis deductas? Id nunquã
fecisset. Nam ibi nullum habet cuniculũ, per quem effugiat. Ad aliquos patres,

& Canones libenter prouocat; in quibus sperat se caliginem, & fumum posse of fundere. Apud senatum uerò diuinarum literarum ægrè uult causam dicere. Videturq; nescire, quid ad patres, quos adduxerit, uno uerbo liceat nobis cum Augustino. Augustino respondere, in epistola ad Hieronymum, quæ octaua est numero.

„ Ego solis eis scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorē ho-
„ noremq; deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere: aut si ali-
„ quid in eis offendero, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud existimem,
„ quàm mendosum esse codicem, uel non esse assequutum interpretem, quod dictum est: uel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios uerò ita lego, ut quan
„ talibet sanctitate quantalibetue doctrina polleant, non ideò uerum putem, quia
„ ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores canonicos, uel probabiles ra-
„ tiones, quod à uero non abhorret persuadere potuerunt. Habenturq; complura huius farinæ à sancto isto uiro scripta: quæ Gardinerus & ueterator iam in iure ciuili, & recēs papista optimè legere potuit in Decretis collecta. dis. 9. Et legisse eum illa non dubito, sed potius contempsit; quòd semper crediderit sufficere ad intelligenda & confirmanda dogmata fidei, ueteres, ut hic dicit, & antiquitatem consulere: neq; multum esse morandum, quicquid diuinæ literæ statuant. Nam

Smythæus rabula Oxoniensis. in hoc à Smythæo rabula quodam Oxoniensi non dissentit: ille enim homo fatuus ubiq; tonat, diuinas literas ad patrum amussim esse interpretandas: non patres ad gnomonem diuinarum literarum aut accommodandos, aut corrigendos. Neq; mirum est, hos duos tam pulchrè inter se colludere, cum inconstātia, & alijs uirtutibus papisticis, quibus præ cæteris ornati sunt, sibi mutuò bellè congruant.

Sed redeo ad huius non theologi, sed patrologi scripta. Rationem adducit,

„ quare ueteres consulendi sint. Nam inquit, secundum Apostolum una est fides,
„ quæ in mutatione morum, hominum, & temporum, manet tamen ipsa immota
„ & immutabilis. Fateor, unam esse fidem, per quam omnes & nūc seruentur, & seruati sint hactenus, & olim sint seruandi. At semper apud omnes homines hanc fidem incorruptam, & inuiolatam mansisse, quo tandem argumento euinces? Multi procul dubio sæpè aberrarunt, imò ab ea, ut loquitur Apostolus, naufragium fecerunt. Ideò, cum omnis homo sit mendax, non ex patribus, qui homines fuerunt, sed è scripturis fidei explicatio, uel, ut uulgò dicitur, obiectum fidei petendum est.

Sed audi, quomodò rem concludat. Ergo omissis coniecturis nostris, consu
„ lamus ueteres. Rectè sanè inquit, Omissis coniecturis. Nam cum argumenta spectata, clara, & firma è diuinis literis elicere non potuerit, per inanes coniecturas diu est uagatus: quæ illius causæ quàm nihil profuerint, arbitror me liquidò patefeciſſe.

„ Iustinum ante alios producit, qui apologia secunda ad Antoninum dicat:
„ Neq; uerò hæc pro pane potúue communi sumimus: imò quemadmodum uer-
„ bo dei Iesus Christus seruator noster incarnatus habuit pro salute nostra carnem
„ & sanguinem, ita per orationem illius uerbi consecratum hoc alimentum, quo
„ sanguis & carnes nostræ per immutationem nutriuntur, eiusdem incarnati Iesu
„ Christi carnem & sanguinem esse, sumus edocti. Siquidem ipsi Apostoli in illis
„ suis, quæ uocant Euangelia, monumentis, ita sibi Iesum imperasse docuerunt:
„ accepto nimirum pane, peractisq; gratijs, dixisse: Hoc facite in mei commemo-
„ rationem: Hoc est corpus meum. Ad eundem modum accepto poculo, postquā
„ egisset gratias, dixisse: Hic est sanguis meus, illisq; solis ea tradidisse. Hæc Iusti-
„ nus, qui cum fidem Christianorum ita aperiat, ut dicat alimentum uerbo conse-
„ cratum carnem & sanguinem Christi esse, quomodò caro & sanguis dei uerbo

in

in utero uirginis à domino Iesu assumerentur, addit ita docuisse Apostolos, ex uerbis illis, Hoc est corpus meum. Quæ uerba, nisi propria significatione intelligantur, non id docerent. Nam quomodò figuratores hodie uolunt, ut ex uerbis intelligatur sola figura, non testarentur carnem & sanguinem in cœna uerbo fieri: quemadmodum in utero uirginis uerbo sumpta est caro: nisi etiam cũ Martionitis illam Christi carnẽ in utero sumptam, non uerã, sed figuratiuam & phantasticam uelint haberi. Verba Iustini nonnihil aliter uideo ab isto esse reddita, quàm Græcè habentur. Cum inquit, Ita per orationem illius uerbi consecratum hoc alimentum. Verba Iustini, quæ his respondent, hæc sunt: οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν. Alimentum non dicit, ut Gardinerus reddidit, consecratum. Dixisset enim ἱερουργεῖσαν. At inquit, εὐχαριστηθεῖσαν, quod est, gratiarum actione adhibita: ut tota oratio sit, Ita & per preces uerbi eius, adhibita gratiarum actione, alimoniam, qua sanguis & carnes nostræ per immutationem enutriuntur, eiusdem incarnati Iesu carnem & sanguinem esse, sumus edocti. Quod non ideò annotaui, quasi nesciam apud patres præsertim Latinos, cum hac de re agitur, uoces illas, Consecratio, & Consecrare, frequenter legi: sed quòd mens Iustini eo uocabulo non exprimatur. Non enim consecratio & gratiarum actio eiusdem sunt significationis. Atque hoc mendum facilè dissimulassem, nisi animaduerterem, Inconstantium, quò habeatur omniscius, aliorum uersiones passim cauillis meris exagitare: atque suas interpretationes omnino uelle haberi pro oracuIis.

Sed ad rem iam uenio. Quid hic habet Iustinus, quod à nobis non facilè detur? Fatemur utique, panem atque potum in sacra cœna esse corpus & sanguinem Christi, quòd harum rerum sint sacramentum, & nobis offerant ea, quæ maximè ad corpus & sanguinem Christi attinent, nimirum spiritum, gratiam, & uitam æternam, atque peccatorum condonationem. Haud secus atq; uerbum dei, cum prædicatur, hæc dicitur credentibus largiri, cum instrumentum sit spiritus sancti, qui hæc in nobis efficit. Sed iste, inquit, sensus parum dextrè conuenit. Quia si, ut uos figuratores uultis, ut ex uerbis, Hoc est corpus meum, intelligatur sola figura, non testarentur ea uerba, carnem & sanguinem in cœna uerbo fieri, quemadmodũ in utero uirginis uerbo sumpta est caro. Miror porrò, ubi mens huius fuerit, cum sic intelligeret Iustinum. Quasi non aliter panis & uinum fiant caro & sanguis Christi, quàm uerbum dei sit factum caro in utero uirginis. Facito, quæso, me ita hunc Martyrem interpretari, ut ipse flagitas, ac exigis. Argumentum hic proferam & quidem pluspquam Achilleum. Si, ut uis, hæc ita fiunt caro & sanguis Christi, ut uerbum caro factum est in utero uirginis, nulla profectò erit transsubstantiato. Nam, cum uerbum factum est caro, natura & substantia eius integra mansit. Ergo & panis ita fit caro, ut natura eius & substantia non pereat. Quid ad hæc dicet noster sophista? Confingétne uerbum abijsse in incarnatione? Faciétne Christum purum & simplicem hominem? Fatebitur uerbum mansisse? Cõcedat & panem in Eucharistia quoad substantiam & naturam non abire. Negabit, similitudinem inter sacramentum hoc, & incarnationem ita exquisitè ac propriè accipiendam. Patiatur & nos, eadem uti licentia. Si panis substantiam sibi sumunt ab Eucharistia post consecrationem diffugere, solumq; uolunt relinqui proprietates & accidentia: nos quoq; dicimus, in Eucharistia corpus & sanguinem Christi non adesse realiter: sed illorum effecta, proprietates, & merita: ut, gratiam spiritus, uitam æternam, & condonationem peccatorum, quæ re ipsa piè atq; fideliter communicãtibus adesse, non negamus. Vides omnia utrinq; iam æquata: nos nihil dicimus, quod nõ uos etiam usurpetis. Inter nos hoc tantùm interest, quòd sententia, quam afferimus,

de abſentia reali, naturali, & corporali ſanguinis & corporis Chriſti, præſentib. eius effectibus & proprietatibus, uerbi dei aſtipulationem habet: cum ueſtrum impudens commentum, quo ſubſtantiam panis aboletis, eius accidentia relinquentes, non tantum abſurdum ſit, uerùm etiam cum diuinis literis pugnet: quæ in Euchariſtia panem agnoſcunt, & euidenter teſtantur.

Id etiam intereſt, effecta & proprietates corporis & ſanguinis Chriſti, quæ nos in cœna ponimus, non requirere earum rerum realem præſentiam, cum panis accidentia non queant abſq; pane ſuſtentante manere.

Sed ne locus Iuſtini maneat inuolutus & obſcurus, iam explicabo, quid uoluerit. Ideò hic uir dei ſimilitudinem Euchariſtiæ ab incarnatione domini accipit, quia niſi uerbum fuiſſet uerè factũ caro, ſed illam fictitiam, ſeu phantaſticam aſſumpſiſſet, ut Martionitæ ac Valentiniani ſtatuebant, nemo ueram Chriſti carnem per fidem in hoc ſacramento poſſet comedere. Quis enim uel ſpiritualiter poteſt ueram carnem Chimeræ comedere, cum talis caro nuſquam ſit? Ad hæc ſi Chriſtus in utero uirginis carnem Veram non aſſumpſerit, neque poſſet in cœna panis eſſe ſacramentũ ueræ carnis eius. Ob iſtam cauſam fit, ut contra Martionem ſcribentes patres argumenta ſumant frequẽtiſſimè ab Euchariſtia. Quæ, ſi ſacramentum eſt ueri, & non ficti corporis Chriſti (ut eſt, & omnes fatemur) Chriſtum non fictum, ſed ueriſſimum corpus habere oportuit.

Si Chriſtus non habuiſſet ueram carnem ex uirgine ſumptam, nemo illam per ſacramentũ poſſet comedere.

Tertullianus.

Atq; hanc meam interpretationem Tertullianus pulcherrimè, atq; euidentiſſimè confirmauit, aduerſus Martionem libro 4. dicendo: Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autẽ non fuiſſet, niſi ueritatis eſſet corpus. Cæterùm uacua res, quod eſt phantaſma, figurã capere nõ poſſet. Ad hæc Tertulliani uerba mens tua redeat quæſo domum: & intelliges quò ſpectet Iuſtini ſimilitudo, cum dicat: Quemadmodum uerbum caro factum eſt, ita ſacram hanc alimoniam edocti ſumus, eſſe carnem & ſanguinẽ Ieſu incarnati. Et deſine tandem nobis exprobrare ſolam figuram, cùm ſacramento, quà cum fide accipitur, tot præclariſſima dona, quæ ad ueriſſimũ corpus Chriſti pertinẽt, adiungamus.

Videbis etiã, ſi pauliſper aduigiles, quàm procul abſimus à Martionitis. Nos enim ne ſacramentũ quidẽ Euchariſtiæ ſaluũ eſſe poſſe prędicamus, ſi dominus, ut Martion uoluit, carnẽ phantaſticã aſſumpſiſſet. Quandoquidem phantaſma, aut fictio, quemadmodum ex Tertulliano audiuiſti, figurã ſui ullam non admittit. Hæc adeò clara ſunt, & perſpicua, ut Inconſtantius queri non poſſit, iniquis legibus extortam ſibi eſſe uictoriam.

Phantaſma ſeu fictio, nullã ſui ueram figuram admittit.

Neq; prætereundum eſt, quod Iuſtinus ait: per immutationẽ eo cibo carnes, & ſanguinem noſtrũ ali. Si ea mutatio ad noſtras carnes noſtrumq; ſanguinẽ referat, plana facilisq; interpretatio eſt. Nam cũ animus fide particeps fiat, dũ communicamus, corporis & ſanguinis Chriſti, reddatq; mundus, cœleſtis, diuinus, ac ſanctus, redundant etiã eædem proprietates ad carnem & ſanguinem noſtrũ. Nam ea, licet natura corrupta ſint, & uitioſa, & mortalia, conditionũ tamen lõgè diuerſarũ redduntur capacia: nimirũ ſanctitatis, incorruptionis, & immortalitatis. Quòd ſi mutationẽ ad ipſa referas ἀντίτυπα, nimirùm panẽ & uinum, & de illis cogites, priuſquam à communicãtibus percipiãtur, ex inſtituto Chriſti ea mutari dabo: nempè in ſacramentum corporis & ſanguinis domini: quod certè antea non fuerant. Poſtquam uerò manducando, & bibendo in ſacra cœna ſunt aſſumpta, nullam poſſunt, niſi naturalem in ore, atq; in uentriculo mutationem pati. Verùm de his, quoniam inferius offeretur occaſio, latius dicam.

Quomodo noſtræ carnes, & ſanguis alantur eo cibo.

Duas mutationes patiuntur ſymbola, phyſicam et ſacramentalem.

Quæ uerò hucuſque allata ſunt, indicant, quàm fœdè fallatur Inconſtantius, cum ſubdat: Deum noſtrum Chriſtum, quo miraculo, & qua potẽtia, & ueritate

carnem

carnem ſuſcepit ex uirgine, pari potentia, & ueritate pari, dare carnem: ad cuius rei probationem ait Iuſtinum citare hæc uerba, Hoc eſt corpus meum. Hæc uerba non ſunt Iuſtini, neq; ſenſus is eſt in adducta collatione. Nuſquam certè dicit par miraculum, parem potentiam, aut parem ueritatem eſſe utrinq;, nempè, in Euchariſtia, & in incarnatione domini. Sed Inconſtantius ex capite ſuo hanc affinxit impudentem interpretationem.

Deinde, quo euincat, Iuſtinum intellexiſſe, propriè, atq; ut ita dixerim, realiter, Euchariſtiam eſſe corpus & ſanguinem domini, ait illum talia ſcripſiſſe, ut uideant ethnici, ideò credere Chriſtianos, ſe carnem & ſanguinem Chriſti ſumere, illo alimento in cœna conſecrato: quia Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus. Quę uerba per figuram, ut dixi, interpretata nihil afferrent probationis: & Iuſtinus quos placare & lenire ſimplicis ueritatis confeſsione conaretur, ſi hæc aliter ſe haberent ac refert, temerè ac ſine cauſa exaſperaſſet. Si panis in cœna domini ſit ſacramentum carnis Chriſti, non tamen illam corporaliter & realiter in ſe comprehendat, inquit Gardinerus, ex uerbis domini, Hoc eſt corpus meum, nõ probari nos edere carnem Chriſti. Certè ſi non uidet iſte, hanc probationem, & quidem euidentem, miſerè cæcutit. Si enim interim, dum ore comedimus & bibimus panem & uinũ, mente, ſpiritu, ac fide corpus Chriſti & ſanguinẽ illius ſpiritualiter ſumimus, oportet ex inſtituto domini hoc eſſe, qui uoluerit duo illa, ſuæ carnis atq; ſanguinis eſſe ſymbola. Iſtam eius uoluntatem unde poſſemus noſſe, niſi ex eius uerbis? Ideò uerba illa, quibus dixit, Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum, fidem faciunt, & manifeſtè probant, hoc eſſe Ieſu Chriſti pactum, ut, qui fideliter credendo hæc manducant, eius corpus & ſanguinem, uerè quidem, ſed ſpiritualiter ſumant. Et ſanè mirum erat, hunc hominem, ſi tamen homo erat, & ratione utebatur, cum hæc ſcriberet, uoluiſſe mãducationem corporalem, ac realem probari ex uerbis domini: cum nolit ex illis ijſdem uerbis probari manducationem ſpiritualem, quæ per fidem habeatur: cum in ſacramẽtis uiſibilia, & externa ſigna idcircò adhibeãtur, ut de ſpiritualibus rebus nos certiores faciant, & eorum, quæ ſignificantur, nos animo capaces reddant.

Contendit præterea ex iſta confeſsione ſimplicis ueritatis ethnicos potuiſſe à Iuſtino temerè exaſperari. Sed non animaduertit, aut ſe uidere diſsimulat, ex iſtis uerbis Chriſti, quæ adducuntur, aliĳsq; loci, ac temporis circunſtantijs, ethnicos facilè potuiſſe cognoſcere, qualis eſſet Chriſtianorum eſus, ac potus corporis & ſanguinis Chriſti: & quomodò illa, panis, inquam, & uinum, corpus Chriſti & ſanguis eſſe dicerentur à domino, & à Chriſtianis crederentur. Oſtendit quippe Iuſtinus ex eis, quæ ſcribit, non apponi Chriſtianis in cœna domini carnes humanas corporaliter edendas, ut multi falsò iactabãt: ſed panem & uinum, quæ tamen ea ceremonia per preces, & gratiarum actiones, iam non communis & prophana eſca eſſent, ſed nos ad uerum Chriſti corpus fide comprehendendum manu ducerent. Quare Iuſtinus hac ſua confeſsione lenit admodum ethnicos & Romanos, qui putabant Chriſtianos habere inter ſeſe Thyæſteas cœnas, & re uera carnibus humanis corporaliter ueſci. Docetq; nos edere carnes non quaſuis, ſed tantum Chriſti: qui cum iam ſub Tyberio Cæſare fuerit mortuus, & reſurrexerit, atque in cœlum aſcenderit, facilè oſtenditur, quomodo carnes eius manducemus: nimirũ myſticè, hoc eſt, per ſacramenta, & externa ſymbola, quæ cibi ſunt omnium innocentiſsimi. Proinde liquet, Iuſtinum ex uerbis domini probaſſe, nos manducare Chriſti carnem, ſed ſpiritualiter, & opinionem ethnicorum de noſtra religione temerè non exaſperaſſe.

Ethnici putarunt Chriſtianos in cœna domini re ipſa carnes humanas comedere.

Videtur autem Inconſtantio, ſi res haberet, ut nos dicimus, Iuſtinum com-

,, modius potuisse liberare Christianos omni suspicione, si scripsisset, illos in mysteriis tantum uesci pane, & bibere uinum, pernegando, alimoniam carnis, aut potum sanguinis admisceri. Et quærit, cur ita non sit loquutus. Atq; tam diu in isto loco commoratur, ut quiuis intelligat, illum in eo sibi mirificè placuisse. Atq; ille fortasse affectus ita mentem eius hebetauit, ut responsionem cernere non ualuerit: quæ alioqui cuiq; facilè potest esse obuia. Quis enim non uideat, ideò Iustinum esus carnis, potusq; sanguinis Christi, ob id fuisse coactum facere mentionem, quod Christiani, quos defendendos susceperat, inter sese ita loquerentur? Quorum sermo ne putaretur humano consilio, aut fortuita quadam temeritate usurpatus, ideò reuocatur ab eo ad ipsum domini mandatum, & primam sacræ cœnæ institutionem. Neq; sanè aliud ex peroratione huius Martyris colligitur: quamuis de illa quoq; Inconstantius more suo intempestiuè argutetur.

Neq; nostrum quisquam arbitratur, Iustinum hic rem cœnæ domini amplificasse, sed potius bona fide retulisse, quæ forma sermonis in Ecclesia Christianorum esset: nimirùm, ut panem corpus domini, & uinum sanguinem eius appellarent, dum inter eos sancta mysteria celebrarentur. Aperitq; rationem, cur ita loquantur: nempe, quoniam ipse dominus hoc pacto rem hanc instituit. Demũq; in peroratione, non, ut sophista noster statuit, de sacramẽto Eucharistiæ tantum agit, sed de summa Christianæ religionis uniuersa. Quæ si iudicetur ueritati & rationi consona, rogat ut illam in pretio habeant, & honorent: sin uerò nugas existimarint, ipsis author est, ut tanquam nugas contemnant: neq; ipsam ita persequantur, ut insontes ultimo supplicio ista de causa afficiant. Quid, obsecro, hæc magis ad Eucharistiam, quàm ad cætera dogmata, & ritus Christianos pertinent?

Peroratio Iustini.

Sed ne uidear aliquid fingere de meo, Iustinus ipse audiatur. Iam omnia nostræ religionis capita defenderat aduersus ethnicos, & quales nostri sint cœtus, cum ad deum colendum coimus, ostenderat, quando ad calcem orationis rationẽ adfert, cur Dominico die conueniamus: Τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσαύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, Φανεὶς τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῦ, καὶ μαθητὰς ἐδίδαξε τοῦτα ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν: hoc est, pridiè quippe Saturni crucifixerunt eum: & postridiè Saturni, quæ est Solis dies, cum apparuisset Apostolis & discipulis suis, hæc eos docuit, quæ uobis quoq; consideranda obtulimus. Hæc authoris huius uerba Inconstantius fortiter transiliuit. Nam illis euincitur, ea, quæ sequuntur, non tantùm ad Eucharistiam, sed ad omnia ea, quæ Christus docuit, esse referenda. Quod ne fieret, uafricie solita, quę statim Iustinus adiecit, quasi sermone perpetuo adhuc de cœna domini ageret, interponit, subdens: καὶ εἰ μὲν δοκεῖ ὑμῖν λόγοι, καὶ ἀληθείας ἔχεσθαι, τιμήσατε αὐτά. Εἰ δὲ λῆρος ὑμῖν δοκεῖ, ὡς ληρωδῶν γραμμάτων καταφρονήσατε, καὶ μὴ ὡς κατ' ἐχθρῶν, κατὰ τῶν μηδὲν ἀδικόντων θάνατον δείξητε. hoc est: Et si uidentur uobis rationi, ueritatiq; consentanea, honorem eis habete: sin uero nugæ uisa fuerint, ut res nugatorias contemnite: neq; aduersus insontes, quasi aduersus hostes, capitale supplicium decernite.

,, Cũ hæc astutè Gardinerus ἀκέφαλα huc adduxisset, statim subiecit: Quæ per-
,, oratio ostendit, non amplificasse Iustinum mysteria, quò magis absurda ista au-
,, ribus redderet, sed ueritate coactum, ut id, quod esset, fateretur: cautius tamen
,, & parcius, libentius etiam per figuram quod in Cœna ederetur, si per ueritatem
,, licuisset, confessurum, quàm in sensu proprio propalare mysterium, quod infide-
,, lium auribus insanissimum iudicetur. Indicant hæc uerba quemadmodum iste illam peroratione Iustini ad mysteria & sacramentum cœnæ accõmodet, cum ea ad omnia, quæ prius dicta erant, quæq; Christus Apostolos suos docuit, attineant.

Sed

Sed iam ad Irenæum ueniendum est, qui secundo loco testis adducitur. Ver- *Irenæus.*
ba eius hæc sunt: Sed & suis discipulis dans consilium, primitias deo offerre ex, suis creaturis, nō quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint: eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suū sanguinem, confessus est: & noui Testamenti nouā docuit oblationem: quā Ecclesia ab Apostolis accipiēs, in uniuerso mūdo offert deo. Hæc Irenæi uerba excutit Incōstantius: neq; attinet dicere, quo acumine, quáue dexteritate: id enim res ipsa loquet.

Primùm ita colligit: Si de terrenis elementis loquendo, mentionem creaturæ, & secundum nos facit, insinuat uerba Christi ex illis efficere, quod non esset, secundum nos, & creatura maius. Quare proprius uerborum sensus accipiendus est, cum dicitur: Hoc est corpus meum. Nam si Christus figuram se dare significaret, secundum nos creaturam daret. Hæc adeò flaccida sunt & leuia, ut, uno flatu, nedum uno uerbo possint dissipari. Panis enim, & uinum, creaturæ sunt secundum nos, ut Irenæus inquit: & à Christo fiunt quippiam maius creatura, quæ secundum nos est, nempe naturali. Quis enim sacramentum rem naturalem dixerit? Nónne modum communium creaturarum sacra mysteria longè excedunt? Certè nemo nostrum in sacro usu ista pro communi pane, cōmunicq; uino habet. Deinde an prædicamus, figurā tātùm cōmunicantibus à Christo datā? Quoties ad rauim usq; clamamus, & corpus Christi, & sanguinē credentibus in cœna dari, quæ fide, atq; animo percipiantur? Sed attendendum est, non inficiari nunc Irenæum creaturam etiam dari. Dantur utiq; creaturæ, sed unà datur aliquid maius, nempè corpus Christi. Verùm ijs hominibus persuaderi non potest, dari, nisi quod præsens, realiter, & corporaliter sub accidentibus panis & uini delitescat, & dentibus atq; ore corporis manducetur, & more cæterorum ciborum in uentriculum transmittatur. Neque animaduertunt, mentem sacramentis & uerbo dei excitatam in cœlum subuehi, ubi præsens corpus Christi cernat, & illo spiritualiter maxima cū utilitate fruatur. Diuinæ quoq; literæ suum sensum animo nostro porrigunt: cum tamen illum præsentem inclusum in se ipsis non habeant, quasi ille sub illis coloribus & figuris literarū latitet. Fatemur itaq;, Christum creaturas secundum nos, panem, inquam, & uinū, fecisse aliquid maius creatura. Transfert enim illa ad sacramentorum conditionē, & dat ea nobis, quæ maiora sunt quàm quæuis creatura. Dat enim nobis suū corpus & sanguinem: sed eo modo, quo idem diximus: dat etiam gratiam, spiritum, condonationem peccatorum. Quæ omnia maximo interuallo omnem creaturam, quæ fit secundum nos, uincunt. Neq; causæ nostræ obest quicquam, Christum dixisse, panem suum corpus: & calicem sanguinem suū confessum esse. Quoniam nos ipsi hæc sacramenta ijs nominibus appellare, non ueremur. Quare suis istis uerbis Irenæus nihil nobis aduersatur.

In sacra cœna dantur creaturæ, atque unà quippiam quod eis maius est.

Sed quo pacto, inquit iste, docuit Christus nouā Ecclesiæ oblationem? Atq; hic se putat nos tenere, cū ipse medius teneat. Nā si de pane & uino loquamur, oblatio in his locū habere potest, quatenus à fidelib. hæc offerebantur ad sacrum cœtum, partim ut inde mysteria fierēt, partim uerò ut pauperibus succurreretur. Concedimus etiam, ibi esse oblationem, quod attinet ad preces, gratiarum actionem, & omnia illa, quæ communicando ad cultum dei facimus. At quæret sophista noster, Quomodo noua est hæc oblatio? Antiquitùs enim, inquit, panes offerebantur, ut de Melchisedecho legimus. Et offerebant deo ueteres preces, & gratiarū actiones, & unà in sacrificijs præsertim pacificis communicabant. Fatemur, hæc omnia fuisse in ueteri lege. At hæc noua oblatio est, partim quia ceremoniarum ritus, quoad tempus, locum, & mactationem pecudum, non habet

Quomodo nostra oblatio sit noua.

secum adiunctos: quæ in usu erant ante aduentum Christi: partim etiam, quòd cum ueterum sacrificia Christum ut uenturum adumbrauerint, nostra ista oblatio de aduentu illius iam præstito gratias agat. Quod Augustinus euidentissimè docet, de fide ad Petrum, cap. 19. Firmissimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, ipsum unigenitum dei uerbū carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam deo in odorem suauitatis, cui cū patre, & spiritu sancto à Patriarchis, prophetis, & sacerdotibus, tempore ueteris Testamenti animalia scrificabantur: & cui nunc, id est, tempore noui Testamenti, cum patre, & spiritu sancto, cum quibus illi est una diuinitas, sacrificium panis & uini in fide & charitate sancta dei Catholica Ecclesia, per uniuersum orbē terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus uictimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis, quē erat effusurus in remissionē peccatorum nostrorum. In isto aūt sacrificio gratiarum actio, atq; cōmemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem deus effudit: de quo Paulus dicit in Actis Apostolorum: Attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificijs, quid nobis esset donandū, figuratè significabatur: in hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificijs pronuntiabatur filius dei pro impijs occidendus: in hoc autem pro impijs annuntiatur occisus. His uerbis Augustinus prudenter & perspicuè ostendit, quam Ecclesiæ sacramenta, & oblationes, si cum ueteribus sacris conferantur, habeant nouitatem.

Augustinus.

Augustinus.

Verùm ne putes Augustinū hoc tantū tradere in illo Enchiridio ad Petrū, quem librum nonnulli suspectum habent, afferemus aliud illius testimoniū contra literas Petiliani libro 2. cap. 37. Lex enim, & prophetæ, inquit, usq; ad Iohannem Baptistam sacramenta habebant prænuntiantia rem futuram: nostri uerò temporis sacramenta, uenisse contestantur, quod illa uenturum esse prædicabāt. Item de Doctrina Christiana, lib. 3. cap. 9. Hoc uerò tempore posteaquàm resurrectione domini nostri Iesu Christi, manifestissimum iudicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum signorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eademq; facta facilima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse dominus, et Apostolica tradidit disciplina: sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis domini: quæ unusquisq; cū percipit, quo referant imbutus agnoscit: & ea, non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate uenerat. Idem aduersus Faustū lib. 20. ca. 21. Huius sacrificij caro & sanguis, ante aduentū Christi per uictimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam ueritatē reddebatur: post aduentum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Et contra eūdem Faustum libro 19. cap. 12. Proinde prima sacramenta, quæ celebrabantur in lege, prænuntiatiua erant Christi uenturi: quæ cum suo aduētu Christus impleuisset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta. Non enim uenit soluere legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta uirtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tanquam iustitia fidei reuelata: & in libertatem uocatis filijs dei iugo seruitutis ablato, quod duro, & carni dedito populo congruebat. Ex ijs facilè poterat Gardinerus, nisi peregrinante animo hæc tractasset, intelligere, quæ discrimina essent inter nostra & ueterum sacramenta: licet utrinque semper idem fuerit significatum, nempè Christus, & per mortem eius, hominum redemptio: & interdum etiam fuerint eadem symbola, ut in oblatione panis, in libatione uini, in aquæ ablutione. Potuit, inquam, uidere, sacramenta nostra Christum significare datum, quiq; iam salutem nobis sua morte perpererit, & san-

Augustinus.

Augustinus.

& sanguinem suum in odorem suauitatis fuderit. Intellexisset etiam nostra esse apertiora, faciliora, pauciora, & cætera, quæ Augustinus commemorauit. Neq; ita fuisset hallucinatus, ut hic diceret, sacrificia illa & oblationes ueterum fuisse figuram tantum nostræ cœnæ dominicæ, sed addisset illas præcipuè Christum ipsum & mortem ipsius in cruce figurasse: nam hoc quoq; adijciendum erat.

Vmbræ illæ sanè fuerunt, & figuræ: sed mortis Christi, & oblationis eius in cruce faciendæ. Quod sophista non animaduertens, ita scribit. Nam obtulisse panem & uinum in ueteri Ecclesia Melchisedech dicitur. Quam oblationem constat ueræ oblationis, uerè futuræ fuisse figuram. In qua uera oblatione, uerum Christi corpus & sanguis sub illis speciebus offerrent. Mitto quàm turpiter iste erret de Melchisedecho, quòd eum dicat panem & uinum obtulisse deo. Non enim ille deo, sed Abrahamo, & exercitui eius panem protulit, quo reficerentur bello fatigati. *An Melchisedech obtulerit deo panem & uinum.*

Sed nunc illud examinandum est, quod scribit, uerum Christi corpus & sanguinem offerri sub illis speciebus. Cui tādem offertur corpus Christi & sanguis? haud dubiè deo: idq; à sacrificio in missa, sic enim sentit ubiq; Gardinerus. At ille præterquàm quòd aduersatur Paulo, qui ad Hebræos scribit, Christum una oblatione cōsummasse omnia, debuit reuocari, ne ita sentiret ac scriberet, huius ipsius Patris Irenæi uerbis, quem in præsentia præ se fert se tanti facere. Is enim paulò post quàm ea scripsit, quæ ab isto adducuntur in capite 34. contendit, Sacrificia, quæ offeruntur, grata deo esse, atq; sanctificari, ob puritatem, sanctitatemq; offerentis: & ideò ait, deum non respexisse ad munera Cain, quòd ille uitiato corruptoq; animo offerret. Et locum ex Euāgelio adducit: Si recordatus fueris, quòd frater tuus aduersum te aliquid habet, relinque munus tuum ad altare, ac uade, & reconciliare prius fratri tuo. Deinde sermonem suum in istam eandem sententiam uir dei concludit. Igitur non sacrificia sanctificant hominem. Non enim indiget sacrificio deus: sed conscientia eius qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens, & præstat acceptare deum, quasi ab amico. Peccatori autem inquit: Qui occidit mihi uitulum, quasi qui occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium apud deum deputatum est. Si, ut docet iste pater sanctissimus, munus, quod offertur, ab offerētis puritate sanctificatur, quî fieri potest, ut à sacrificio in missa corpus Christi deo patri offeratur? An immaculatum domini nostri corpus à sordida presbyteri conscientia sanctificabitur? Christus ea uictima est, unde pij omnes hauriunt sanctitatem. Est sanctus sanctorum: & ab homine polluto dignitatem mutuabitur, qua deo fiat acceptus? Certè uel hinc sole clarius est in cœna domini corpus Christi non offerri: sed tantùm gratiarum actiones pro eo in crucem nostra causa dato. Preces etiam offerūtur, eleemosynæ, laudes, ac propositum sanctè, innocenterq; uiuendi. Quæ omnia grata deo non sunt, neq; pro sanctis habentur, nisi à fideli & sancto animo proficiscantur. Irenæus. *Sacrificium nō sanctificat offerentem, sed è diuerso fit.*

Sed ijs omissis, expendo rursus uerba Irenæi, quæ iste, ut arbitror, imprudēs adduxit. Si acceptum panem, qui est creatura secundum nos, corpus suum uocauit: & calicem, qui est creatura secundum nos, sanguinem suum confessus est, non ostendebat, cum diceret, Hoc est corpus meum, uel cum diceret, Hic est sanguis meus, indiuiduum uagum: ut iste delirat. Quia indiuiduum uagū est commune quiddam ad creaturam secundum nos, & ad corpus Christi. At iuxta Irenæum Christus non huiusmodi aliquid commune pronuntiauit corpus suum, sed creaturam ipsam secundum nos, quam in manus acceperat.

Quod idem pater dilucidius ostēdit in eodem capite, cum paulò post subdit: Quomodò autem constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sint, esse corpus Irenæus.

,, domini,& calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicāt?
,, id eſt,uerbum eius,per quod lignum fructificat, defluunt fontes,& dat primum
,, quidem fœnum,poſt deinde ſpicam,deinde plenum triticum? Iſta contra Valentinum,Martionem, ſimilesq; peſtes dicuntur:qui patrem domini noſtri Ieſu Chriſti non credebant huius orbis fuiſſe creatorem: ſed ſomniabant à quodam alio malo principio iſta, quibus utimur, fuiſſe condita. Quibus iſte præcipit,ſi ita ſit,ut deſinant hæc offerre in Euchariſtia:cum fieri nō poſsit,ut panis, in quo gratiæ actæ ſunt,ſit corpus domini, ſi panis non ſit creatura patris Ieſu Chriſti: quia tum dominus non utiq; ſuam, ſed alienam creaturam uſurpaſſet. Et ne illum putes, corpus Chriſti per metaphoram panem uocare, de illo pane ſe loqui ait,qui conficitur è ſpicis & tritico. Verùm de ijs fauente deo,aliâs fuſius.

Origenes. Origenem poſt Irenæum teſtem accerſit:à quo,ſicut perſpicuum fiet,tantun
,, dem,atq; ab alijs iuuabitur.Homilia 9.in Leuiticum ſic eum refert ſcribere: Sed
,, tu qui ad Chriſtum ueniſti pontificem uerum, qui ſanguine ſuo deum tibi pro-
,, pitium fecit,& reconciliauit te patri, ne hæreas in ſanguine carnis, ſed diſce po-
,, tius ſanguinem uerbi:& audi ipſum tibi dicentem,quia hic eſt ſanguis meus,qui
,, pro uobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Nouit qui myſterijs imbutus
,, eſt,& carnem & ſanguinem uerbi dei. Quid hinc noſter ſophiſta colliget? An, carnem & ſanguinem Chriſti non eſſe puri hominis, ſed carnem & ſanguinem uerbi? Nos id fatemur;nunquam enim hoc negauimus. Neq; Origenes hoc loco aliud monet, niſi ut ne hæreamus in ſanguine carnis. Quia ſi tantùm carnis ille ſanguis fuiſſet,deum nobis minimè placaſſet.Quare ad ſanguinem uerbi eſt aſſurgendum,unde noſtra redemptio fluxit.Illum cogitandum,& in eo inſiſtendum eſſe Origenes prædicat, ſi peccatorum condonationem uolumus aſſequi. Nam uerba domini ſanguinem illum in hunc finem effuſum eſſe teſtantur: ait enim, Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quæ uerba Chriſti, quia certiſsima fide nobis credēda ſunt,ideo ſacramento Euchariſtiæ ab eo ſunt annexa,ibiq; nobis perpetuò inculcantur.

Chriſti ſanguis non eſt cogitandus ut puri hominis ſanguis.

Sed inde contra noſtram ſententiam quid iſte tandem elicit? An uinum in illum ſanguinem per iſta uerba eſſe tranſubſtantiatum? An ueram ſubſtantiam ſanguinis Chriſti,quo redempti ſumus, operiri ſub ſpeciebus uini, atq; ibi uſq; dum aſſeruari queant,latitare? Minimè omnium.Hoc tantùm docemur, in ſanguinem uerbi credendum eſſe:quia ſi fuiſſet uel alterius animantis, uel puri hominis ſanguis,peccatores non redemiſſet. Iſta profectò nihil cauſam noſtram lædunt: quandoquidem pretium quo redempti ſumus, non modò ſanguinem uerbi eſſe damus, uerùm etiam fideles communicando eo ſpiritualiter ueſci credimus.

,, At inquit, Verba illa ſua, nimirū, Hic eſt ſanguis meus,Chriſtus intellexit
,, propriè, non tropicè. Vnde id habes? Certè ex uerbis non potes hoc colligere. Nam quocunq; modo ſermonem illum accipias, ſignificat, ſanguinem Chriſti, ſeu uerbi, in remiſsionem peccatorum eſſe effuſum, quod Origenes ex uerbis ipſis probare uoluit.

Vidit porrò Inconſtantius hoc teſtimonium parùm iuuare ſuā cauſam, idq; uiſum iri ualde debile,niſi amplificatione, ac fucis cōmendaretur: quod facere non eſt grauatus,ne ſuo errori etiam Origenes uetuſtiſsimus author non uide
,, tur fauere.Ideò ſubijcit:Niſi uerus ſanguis carnis daretur in calice,non eſſet, cur
,, diceret Origenes,Nō hæreas in ſanguine carnis. Quid hic agam? Quò me uertam? Sic iam exiſtimor uerbis Origenis premi, ut nullum mihi pateat effugium. Sed reuocemus aliquantiſper hanc Origenis tractationem ad caput,unde ſuum
,, habuit exordium, Leuitici ſententia, quam interpretatur hæc fuit: Et ſumet de

ſan-

sanguine uituli, & respargetdigito suo super propitiatorium contra Orientem.
Super ijs Leuitici uerbis Origenes ita commentatur. Ritus quidem apud ueteres propitiationis pro hominibus qui fiebat ad deum, qualiter celebraretur, edocuit. Sed tu qui ad Christum ueneristi pontificem uerum. Docent hæc uerba ueteres usos fuisse in legalibus expiationibus sanguine uictimarum: qui sanguis erat carnis. At nobis expiationem seu remissionem peccatorum non constare sanguine carnis, uerùm sanguine Christi, qui est uerbum dei. Sanguine itaque uerbi pro nobis effuso, remissionem peccatorum habemus. Et hoc præstat sanguis domini sanguini uictimarum, quoniam non est sanguis animalis bruti, aut nudi hominis, sed uerbi dei. Proinde fide nostra non debemus hærere in sanguine carnis, aut uulgaris hominis: quia inde nõ habemus condonationem peccatorum: sed tantum in sanguine Christi: quod ipse testatus est, cum diceret: Hic est sanguis meus qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum. Hac de re Christus sæpius Apostolos iam anteà monuerat, & præsertim in Iohannis sexto. Vnde & postremo tempore cœnę uoluit, quod alias simpliciter dixerat, externo symbolo, ne unquam excideret, Ecclesiæ commendare. Nil autem ad ueritatem hanc astruendam refert, siue in calice re ipsa fuerit Christi sanguis, siue tantùm significatione offeratur. Quia semper manet eadem ueritas, domini sanguinem, uerbi, inquam, sanguinem, nõ carnis, datum esse pro redemptione peccatorũ. Quod fide cõstãtissima, si cordi nobis est salus nostra, debemus amplecti.

Denicę cum non possit garriendi finem facere, uelitę testimoniũ hoc Origenis aliqua bella conclusione obsignare, sic ait: Atque hoc est, quod Origenes ijs Christi uerbis agit: quæ nisi proprio sensu intellecta fuissent, quæ dicit Origenes, non consisterent. Quid enim admoneret, ne hæreant in sanguine carnis, ubi nullus est sanguis, sed sola figura, ut figuratores uolunt? Mirabar si absę cõuitio, & mendacio iste hinc discederet. Mentitur, ut solet, nos sentire, in cõmunione solam dari figuram: cum, ut sæpius dictũ est, credamus, uerũ Christi corpus, & uerum sanguinem credentibus offerri. Nobis uerò, ut sibi uidetur, magno cõuitio, figuratores occinit: quasi nos primi in illis uerbis Christi tropi aut figurati sermonis fuerimus inuentores. Cur potius hac de re cũ ueteribus patribus non expostulat? Nam illi & tropum, & figuratam loquutionem in ijs uerbis & agnouerunt, & docuerunt. Sed ne uidear stomacho nimium indulgere, hoc tantũ regeram: multò esse melius figuris & tropis, ubi ueritas id exigit, uti, non cum pernicie, sed cum utilitate populi dei, quàm fidelium animis præstigijs & portentis ad illorum damnationem illudere.

Quæris, Gardinere, quid admonere oportuerit Origenem, ne homines in sanguine carnis inhærerent, ubi nullus esset sanguis. Paucis accipito, cur id admoneat. Vt cum in sanguinem Christi credimus, illumę credendo spiritualiter bibimus, quod maximè in sacra cœna fit, ubi commemoratio sanguinis Christi celebratur, in cruce pro nobis effusi, non sistamus in carne, sed illam cũ diuina natura coniungamus, ex qua illa uim redimendi nostrũ genus à peccatis obtinuit. Sic tibi respõsum habeto, et desine aliquãdo tm fumi legentiũ oculis offundere.

Cyprianum deinde aduocat, illũ de cœna sic scribere: Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta: & filijs Abrahæ facientib. opera eius, summus sacerdos panẽ profert & uinũ: Hoc est, inquit, corpus meũ. Manducauerunt de eodẽ pane secundũ formã uisibilem. Sed ante uerba illa cibus ille communis tantũ nutriendo corpori cõmodus erat, & uitæ corporalis subsidium ministrabat: sed ex quo à domino dictũ est, Hoc facite in meã commemorationem: hæc est caro mea: & hic est sanguis meus, quotiescũcę his uerbis, & hac fide actũ, est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni cõsecratus, ad totius ho- *Cyprianus.*

minis uitã salutẽq; proficit: simul medicamentũ & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Nil obstat, quãtum uideo, quin in sententiã Cypriani manibus & pedibus descendam. Quare cũ in ijs uerbis Inconstantius tam insolenter exultet, triumphum agit, cum adhuc nulla parta sit uictoria. Sed age singula expendamus. Melchisedechum umbram Christi gessisse, non inficior. Vt enim ille Abrahę milites refecit: ita dominus relinquẽdo sacramentum cœnæ, dei patris exercitum, Ecclesiam, inquam, suam perpetuò instaurat. Sed ut non legimus, panem & uinum à Melchisedecho fuisse oblatum deo: ita in Ecclesia non offeruntur deo corpus & sanguis Christi, nisi per oblationem intelligas memoriam & gratiarum actionem.

Necq; illud inficiamur, quod sequitur, panẽ Eucharistiæ ante consecrationem, & priusquam ad sacrum usum cœnæ porrigatur, corpori tantum nutriendo esse commodum: at in sacro ministerio ad totius hominis uitam salutemq; proficere: nempe quòd institutũ domini, & uerbũ eius accesserit. Quomodò uerò sancta Eucharistia pertineat ad totius hominis uitã salutemq;, ita declaraẽ. Primùm quidem est ibi panis ac uini cibus naturalis. Non enim, ut præstigiatores fingũt, earum rerum substantia discedit. Deinde instituto & uerbo Christi adiecto, qui comedunt fide, animo plurimùm uegetantur, & mentis huiusmodi pastus atq; instauratio in corpus redundat, idq; fœlicis & æternæ uitæ capax reddit, atq; in dies ista ratione instrumentũ spiritus sancti efficit, magis idoneum ad opera dei sancta & incorrupta præstanda. Id tantum dico à Cypriano figuratè dici, seu tropicè: Eucharistiam sacrificiũ ac holocaustum esse, ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates: siquidem est monimentum illius holocausti unius, quo uere purgati & sanati sumus. Non autem dici potest holocaustũ propriè. Verùm patres id sibi perpetuò permiserunt, ut rei significatæ nomen signis attribuerent, Christum imitati, qui suum corpus dixit, sui corporis sacramentum.

Eucharistia facit ad totius hominis uitam & salutem.

Quomodo Eucharistia dicatur holocaustũ.

Friuolum autem est, proprietatem sermonum Christi, quibus dixit, Hoc est corpus meum, ex eo colligere, quòd Cyprianus loco huius uocis Corpus, supposuit Caro. Quasi non possit caro dici, quod est sacramentum carnis: ut corpus dicitur, quod est corporis sacramentum. Quid hoc aliud est, quàm muscas per aërem uenari? Quemadmodum autem pollicitatio facta Iohannis sexto, de carne danda ad manducandum intelligenda sit, satis superq; superius est explicatum. Nihil enim de pane mystico cœnæ ibi dominus est loquutus: tantùm suam carnem promisit nostrum fore cibum, eamq; fore nobis instar panis, quo spiritualiter essemus reficiendi. Atq; hanc suam carnem, suumq; panem spiritualem, tum dedit, quando pro nobis in cruce mortuus est, & quando eam hodie offert fidelibus in uerbo & sacramentis à se institutis.

At si, ut isti præstigiatores urgent, Christus cum diceret 6. Iohannis, Panis, quem ego dabo, caro mea est, respexit ad Eucharistiæ symbola, cur illi panẽ abijciunt? Nam si panis, ut dicitur, est caro Christi, debet manere panis. Alioqui nõ erit caro, si nihil sit. Aut cur Christus non dixit, sub accidentibus panis est caro mea? Si panis euanescit, & sola eius manent accidentia, non potest dici, panis est caro mea. Deinde si locus Iohannis transferatur ad cœnã domini, & præsertim ad ea uerba, Hoc est corpus meum, non demonstrauit Christus individuum uagum, ut fingit Inconstantius, sed panem ipsum, ut uera esset pollicitatio, Panis est caro mea.

Locus, Panis quem ego dabo, caro mea est.

Notandum præterea, cum Cyprianus ita scripserit, Quotiescunque his uerbis, & hac fide actum est, sophistam hæc uerba subijcere: Hic arripiet uerbum, fidei, sectarius, & clamabit, efficaciã fidei. Imò fidem exigit Cyprianus, ne quis putet incantatoria uerba esse, quæ à quouis sine deo dicta hæc efficerent: sed credamus,

damus domino, qui hæc iusſit fieri. Sed ſectarius iſte, poſtquam Incõſtantio ita libuit eum appellare, dicet Cacolyco, dicet Inconſtantio, dicet præſtigiatori: Si Cyprianus exigit fidem, cur uos iſta uerba muſsitatis, ut non audiantur à plebe? Cur illa pronuntiatis Latinè, ut non intelligantur? Profectò ſi fides illis adhiben da eſt, & audiri, & intelligi ea oportet. Quid præterea ſibi uoluit, cum adderet, Ne quis putet incantatoria uerba eſſe, quæ à quouis ſine deo dicta, hęc efficerẽt? Nónne hic rurſus dici poteſt iſti Cacolyco, Quid ſi ueſter ſacrificus, ut ſæpè accidit, ſine deo eſſet, & impius? An hęc, quę fingitis, portenta non efficeret, ut uer bis illis panem uinumq; tranſubſtantiaret? O uos miſeros. Tum enim non corpus Chriſti, ſed fruſtum panis, poculumq; uini habebitis: hæc ut Chriſtum adorabitis: iſta pro carnibus & ſanguine domini comedetis. Malè certè uobiſcum agitur, ſi uerba hæc à quouis ſine deo dicta, iſta, quæ fingitis, & credi uultis, non efficiant.

Contra muſitationem, & linguam peregrinam.

At inquit, ſecundum fidem Eccleſiæ fiet hæc mirabilis uerborum operatio. Quæ uerba proprio ſenſu accepta, & interpretata fuiſſe conſtat, cum ad probandam iſtam mirabilem mutationem allegentur. Quid ſi Eccleſia præſtigiatricem iſtam ueſtram operationem non credat? Vtre uera maximæ illius parti fuit ſem per incognita: nec etiam credi poteſt, cum uerba dei talis mutationis nuſquam meminerint: fides autem ſit ex auditu, auditus autem per uerbum dei. Quare ubi non eſt uerbum dei, nec fides eſſe poteſt. Ad hæc, nónne paſsim clamatis, Veritatem ſacramentorum non à ui fidei pendere, ſed ab inſtituto domini? Quo modò ergo nunc dicitis, Cyprianum fidem exigere, atq; illum interpretamini, ſecundum fidem Eccleſiæ fieri hanc mirabilem uerborum operationem? Sed mirum non eſt, ſi hac de re uobis ipſi non cõſtatis. Quia mente alienata ſtilo tantum ſcribitis, & uoce loquimini.

Athanaſio ad hæc, patre certe imcomparabili mendacium ſuum quærit con firmare. Verba eius adducit, quæ à Theodoreto citantur in dialogo 2. Corpus eſt ergo, cui dicit: Sede à dextris meis: cuius etiam fuit inimicus diabolus, cum malis poteſtatibus, & Iudæi, & Græci: per quod corpus pontifex, & Apoſtolus, & fuit, & dictus eſt, per id quod nobis tradidit myſterium dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis frangitur: & ſanguis noui teſtamenti, non Veteris, qui pro uobis effunditur. Diuinitas enim neq; corpus habet, neq; ſanguinem, ſed homo, quem ex Maria portauit. Quid Athanaſius his uerbis cõcludere ſtudeat, ipſe non expediam, ne credar aliquid fingere: teſtimonio ipſius Gardineri contentus ero. Hoc agit Athanaſius, inquit, ut oſtẽderet Chriſtum fuiſſe uerum hominem, quem ex Maria ſumpſit. Ideoq; nouæ legis pontifex eſt, & Apoſtolus. Hucuſq; non exorbitat: ideò hactenus illi credo. Eos hæreticos oppugnabat Athanaſius, qui Chriſtum uerum hominem fuiſſe, non credebant: fabulabanturq;, corpus eius phantaſma fuiſſe. Quod ſi daremus, Chriſtus uerè per mortem ſeſe non obtuliſſet in cruce, noſtræ liberationis cauſa: & ob id neq; pontifex fuiſſet, neq; Apoſtolus. Quis enim pontifex appellatur, qui uictimam non offerat? Quisue apoſtolus noſtræ redemptionis dicetur, qui nos non redemerit? At ſi uero corpore caruit Chriſtus, neutrum fecit. Fuiſſe autem illum uere põtificem, & apoſtolum, id eſt, ſuum corpus in cruce ſacrificaſſe, ac nos redemiſſe, luce clarius probatur ex uerbis ab ipſo in cœna extrema recitatis. Ibi enim dixit corpus ſuum pro nobis dari, & ſanguinem ſuum pro nobis effundi in nouum teſtamentum. Quî potuit apertius demonſtrari, Chriſtum habuiſſe uerum corpus, & uerum ſanguinem: cum ipſe ibi teſtetur, hæc in noſtram redemptionem dari? Quare conficitur ineluctabili argumento, illum per corpus & naturam humanã uerè fuiſſe pontificem noſtrum & apoſtolum.

Athanaſius.

In eo uerò fallitur, & fallit Inconſtantius, quod ſubdit: Atq; hunc pontificatum & apoſtolatum Chriſtum in eo demonſtraſſe nobis cõſtat, quòd myſterium tradiderit, dicẽs: Hoc eſt corpus meũ: Hic eſt ſanguis meus. Adeò ijs uerbis propria humanitatis natura mõſtratur, ut neceſſe habeamus, de uero corpore ſuo loquutũ fuiſſe Chriſtũ intelligere, & hominis corpore ex Maria ſumpto, ut ſecundũ illud ueritas apoſtolatus & pontificatus conſtet, ut in uera carne miſſus deus & homo, & hinc apoſtolus ueram etiam carnem immolaret deus & homo, unde ſit etiam pontifex. Poſſem uno uerbo reſpondere, ex iſtis uerbis cœnæ confici, ut iam ſum confeſſus, Chriſtum habuiſſe uerum corpus, & uerum ſanguinem. Quod enim poſſet eſſe ſacramentum ueri corporis, & ueri ſanguinis domini, ſi ille nullum uerum corpus, nullumq; uerum ſanguinem habuiſſet? Vt enim inquit Tertullianus, quem locũ nos anteà citauimus, aduerſus Martionem lib. 4. *Tertullianus.* Figura non fuiſſet, niſi ueritatis eſſet corpus. Cęterum uacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt. Ideò cõnexa hæc ſunt, & quidem firmiſsimè, Chriſtus in cœna tradidit ſacramentum ueri ſui corporis, & ueri ſanguinis, igitur, uerum corpus, & uerum ſanguinem habuit. Quia rei fictæ, & quæ non ſit, nullum poteſt ſolidum uerumq; dari ſacramentum: niſi uelimus, ea uerba, quibus conſtat ſacramentum, mendacia & falſa eſſe.

Sed uideo ex ijs uerbis duo aſſumere noſtrum ſophiſtam omninò erronea: ideoq; non ſunt prætereunda. Vnum eſt, quòd nobis uidetur adſcribere opinionem, qua putemus, in uerbis domini, Hoc eſt Corpus meum, illam uocem Corpus, umbram, phãtaſma, aut figuram ſignificare: quod ne per phreneſin quidem unquam ſomniare potuimus. Corpus enim in ea propoſitione uerum Chriſti corpus ſignificat, cuius panis eſt ſacramentum. Et quia ſacramentum eſt corporis, nomen illius gerit, & metaphoricè dicitur corpus Chriſti. Sed uox illa Corpus, omnibus credentibus ueriſsimum corpus domini ſignificat: de quo gratias agimus deo, quòd pro nobis in cruce datum fuerit: & illud idem mente fideq; percipimus inſtar cibi ſalutaris ad æternam uitam.

Nos non dicimus uocabulũ Corpus in uerbis domini ſignificare figuram.

Alterum, in quo uehementer hallucinatur, eſt, quòd putat, Chriſtum in menſa, cum Apoſtolis daret ſacramentum, uerè corpus ſuum immolaſſe, & ob illam actionem dictum eum eſſe pontificem & apoſtolum: quę ſententia quàm ſit abſurda, & ridicula, nihil nunc attinet multis oſtẽdere: quia poſthac, prout ille hoc ſuum ſomnium ſtabilire nitetur, prolixius occurrendum erit. Nunc ſit ſatis rem attigiſſe, ut lector uideat, in quo iſte uerſetur errore.

Chriſtus in cœna non immolauit ſe ipſum.

Sed ut ad Athanaſium redeam, cogitare apud ſe debuit Gardinerus, nõ eſſe inter nos ullam controuerſiam, an Chriſtus uerum corpus habuerit: id enim nos non minus conſtanter fatemur, quàm Inconſtantius. De eo contendimus, an illud ueriſsimum Chriſti corpus in pane realiter adſit, & ſub eius accidentibus deliteſcat. Hoc ille ex Athanaſio, & alijs patribus probare debuit. At quãdo id præſtabit? Tum puto, cũ Inconſtantius erit conſtans: cumq; Gardinerus, Gardinerus eſſe deſierit. Tamen quòd dixerit, nempe Chriſtum in cœna corpus ſuum & ſanguinem ſacrificaſſe, uerbis Heſychij probare contẽdit: qui Leuitici primo *Heſychius.* cap. 4. ſic ſcribat: Tum autem Chriſtus in cœna uoluntatis ſuæ nos certos reddidit, uerè corpus ſuum daturus crucifigendum manibus militum, quod propriis manibus in myſterio dedit manducandum. Miror quomodò hæc uerba iſte iudicet huc pertinere. Certè niſi ei lippirent mentis oculi, nihil huiuſmodi hic uideret. Quis neſciat, uerum Chriſti corpus militibus datum crucifigendũ, & Apoſtolis comedendum? Hoc nihilo ſecius nobis uidetur, quàm illi. Sed addendum eſt, alia ratione datum militibus, quàm Apoſtolis. Nam à militibus crucifigi nõ potuit, niſi re ipſa, & corporaliter inter illorum manus adfuiſſet. Verùm ab Apoſtolis

ſtolis in ſacramẽto & per fidem ſpiritualiter comedi potuit, licet in pane, aut ſub eius ſpeciebus non concluderetur, ſed loco ab ore comedentium diſtaret. Ideò perperam colligit Inconſtantinus, cũ ſic infert: Quare dicit Athanaſius, per id, quod tradidit, myſterium, fuit & dictus eſt pontifex & Apoſtolus. Quòd niſi proprium corpus illis uerbis dediſſet, non poteſt intelligi, ut ſe ipſum, non ſui ipſius figuram immolaſſe diceretur.

Quæ, malũ, hæc impudentia eſt, ut nos perpetuò ſic traducat, quaſi dicamus Chriſtũ ſuis uerbis non dediſſe ſuum propriũ corpus? Id enim nõ negamus: ſed animo, ore, manibus, pedibus, & toto corpore fatemur. De modo tantũ altercatio eſt, quo uerũ Chriſti corpus in ſacramento detur. Quãobrem iſtum potius ignorari, quàm diſputare dixeris. Fingit enim aduerſarios dicere, quæ nõ dicunt: & patres dicere comminiſcit, quę in eorũ uerbis ab ipſo adductis nuſquã leguntur. Scripſit quidẽ Athanaſius, Chriſtũ per corpus ſuum & fuiſſe, & dictũ eſſe Apoſtolum, & pontificem: & id probauit per uerba, quæ tradendo diſcipulis myſterium dixit: ſed illum ſuũ corpus, atq; ſanguinem tum in cœna ſacrificaſſe, Athanaſius in adducto loco nõ dicit. Dixit quoq; in Leuitico Heſychius, corpus Chriſti traditũ militibus crucifigendũ, & Apoſtolis comedendum: at in cœna immolatũ non dixit. Concedimus itaq; Chriſtũ per illud idẽ corpus, quod Apoſtolis tradidit in cœna comedendũ, & dictũ, & re uera fuiſſe pontificem, & Apoſtolum: quia illud in cruce ſacrificauit, & nos à morte redemit. At non ea cauſa pontifex fuit, quòd illud in menſa cõmunicando cũ Apoſtolis immolarit: quandoquidem tota illa cœnæ actio ad mortem futuram, & crucem referebat. Ideoq; corpus non tradidit præſens in pane, ſed fide ac mente unà percipiendum cum cibo & potu commendauit. Quorſum autem dicat, Chriſtum non immolaſſe ſui ipſius figurã, ipſe uiderit. Nos enim in menſa neq; panem, qui figura fuerit, neq; ſuum corpus illum immolaſſe prædicamus. Verùm iſte ſua uaniſſima ſuſpicione per corpus nos umbram exiſtimat intelligere, quam uelimus à Chriſto in cœna ſacrificatam concedere.

Iuuencus.

At fortaſſe Iuuencum Chriſtianũ poëtam magis habebit propitiũ, quàm Heſychium: & ex eo apertè colliget, Chriſtũ ſeipſum in cœna ſacrificaſſe. Carmina eius, quæ citat, ita ſe habent. Hæc ubi dicta dedit, palmis ſibi tangere panẽ, Diuiſumq; dein tradit, ſanctoq; precatus Diſcipulos docuit propriũ ſe tradere corpus. Hinc calicem ſumit dominus, uinoq; repletũ Gratis ſanctificat uerbis, potumq; miniſtrat: Edocuitq; ſuũ ſe diuiſiſſe cruorẽ. Atq;, ait, hic ſanguis populi peccata remittet, Hunc potate meũ. Iſta quoq; Iuuenci pia carmina Chriſtum ne uel ſyllaba quidem teſtantur, in ſacra cœna ſuum corpus, aut ſanguinẽ ſacrificaſſe. Neq; porrò id fieri potuit: niſi uelimus dicere, dominum non uno ſacrificio, ut epiſtola ad Hebræos docet, ſalutẽ noſtram conſummaſſe, ſed duplici, quaſi priore non potuerit litare. Deinde, ſi fuit in cœna ſacerdos, ut uolunt, iuxta ordinem Melchiſedech, incruentum offerendo ſacrificium, qualis in cruce ſacerdos fuit, ubi ſanguis eſt effuſus? Nil deeſt ad illorum ſtultitiã Eccleſiæ propinandam, niſi ut dicant, quemadmodum inſipidiſſimus rabula Smytęhus aliquando ſcripſit, & poſteà publicè Londini ad Crucem D. Pauli recantauit, Chriſtum in Cruce tantùm fuiſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Aaronis.

Papiſtæ duo Chriſti ſacrificia conſtituũt.

Smythæi error, & recantatio.

Iuuẽcus, inquit Gardinerus, nullã figurę mentionem facit. Quid tum? Num propterea negat, panem uinũq; ſigna fuiſſe corporis & ſanguis Chriſti? Imò, inquit, proprietatẽ ſenſus illorũ uerborũ ſignificari curauit, addito ad uerbũ Corpus, adiectiuo, Propriũ. Quaſi nos unquam dixerimus, Chriſtum dediſſe Apoſtolis manducandum non ſuum corpus, ſed alienum. Non de corpore dato contendimus, ſed de modo, quo detur. Vos corporaliter & realiter præſens illud dare.

De modo contenditur, nõ de re.

Emissenus. ri contenditis: nos uerò spiritualiter, & fide percipi. Emissenus post hæc imploratur, qui testimonium dicat cõtra nos: ut longa patrum serie magnificè se iactet Inconstantius quasi stent uniuersi ab eius sententia. Quid tãdem Emissenus
» ait? Inuisibilis sacerdos uisibiles creaturas in substantiã corporis, & sanguinis sui
» uerbo suo secreta potestate cõuertit, ita dicẽs: Accipite, comedite, Hoc est cor-
» pus meum: & sanctificatione repetita, Accipite, & bibite, Hic est sanguis meus.
Creaturas patres dicere, mutari aliquo modo, & conuerti, dum sacra cœna celebratur, non ignoramus: uerùm non ita ut suã naturã uel substantiam relinquant;
» sed ut fiant sacramenta substantiæ corporis Christi. Sed ait sophista, Ex ijs quę
» habet Emissenus, liquidò apparet, in uerbis Christi uocabulum Corpus, corpo-
» ris Christi substantiam significare. Nam scribit, in substantiã corporis fieri cõuer
» sionem. Conuersio cuiusmodi ponenda sit in sacramento, satis est dictum. Corpus aũt significare substantiam concedimus. At cũ dominus inquit, Hoc est corpus meum: non est uidendũ, quid uerba significent, sed quomodo res significatę uerbis iungant. Subiectũ illius propositionis panem demonstrat: prędicatum, nempè, corpus, uerè substantiã corporis Christi significat. At ista nõ iunguntˉ ipsa re, atq; corporaliter; sed ut signum, uel sacramentũ, seu memoria cũ re indicata: uel ut instrumentum cum effecto. Quia symbola illa non modo sunt corporis & sanguinis Christi signa, sed etiam instrumenta, quibus utitur spiritus sanctus ad nos alendos spiritualiter corpore & sanguine domini.

Symbola nõ tantum signa sunt, sed instrumẽta sunt spiritus sancti.

Excipit sophista, Si sic esset, ut figuratores uolũt, dixisset Emissenus, nõ, quomodo nunc dicit, in substantiã corporis, sed in figuram corporis, uel sacramentũ corporis, fieri conuersionem. Si non ita dixit, tamen ita sensit: & quod ille nõ dixit, alij patres dixerunt: quod Inconstantius nunc uidetur pro solita sua simplicitate dissimulare. Vtq; alios taceam, proferam Tertullianum. Is contra Martionem libro quarto, ait: Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meũ, dicendo, id est, figura corporis mei. Audis non me, sed Tertullianum explicantem quid uetus Ecclesia crediderit? Corpus suum Christus panem fecit: quia dedit illi, ut in hoc sacramento sui corporis figura esset. Augustinus item contra Adimantum Manichæum libro sexto, capite duodecimo, scribit: Non enim dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Audis ex ijs Augustini, & Tertulliani uerbis, quomodò panis fiat domini corpus? Verùm ne longior sim abstinebo à catalogo patrum citando, qui uerba domini sic intellexerint. Nam alibi commodius eorum sententiæ patefient. Hoc tantum in præsentia annotare uolui, ut Gardinerus desinat aliquando tam ineptè cauillari: & discat, quod in aliquibus uerbis patrum non uidetur haberi, quærere an alibi apud eosdem legatur.

Patres figuram in hoc sacramẽto agnouerunt. Tertullianus.

Augustinus.

Basilius. Basilij præterea uerba citantur in Quæstionibus compendio explicatis, Interrogatione 22. Vbi cum interrogaretur, quanto cum timore, qualiue cum animi persuasione affectioneue corpus & sanguinem Christi communicemus, ita
» respondit. De timore quidem habemus Apostolum, qui ait: Qui manducat, &
» bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Fidem autem faciunt uerba do-
» mini, qui dixit: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hoc facite in meam
» commemorationem. Ecce, subdit Inconstantius, quomodò Basilius hęc uerba
» Christi, Hoc est corpus meũ, illa dixit, quibus fides nostra innitatur: & cõsequen
» ter ea uult nobis fidem facere corporis uerè dati, ut intelligamus uerum corpus
» comedendũ dari. Facilè simplex aliquis huius uersuti præstigiatoris laqueis ca peretur, nisi patrũ, quos adducit, sententias acutius, diligentiusq; ex consequentibus illorum sermonibus expenderet. Vult Inconstantius Basilium ijs uerbis ostẽ-

oſtendere, opus eſſe credere, corpus Chriſti realiter & corporaliter preſens communicantibus dari. At non ita res habet. Communicãtes docuit Baſilius debere afferre ſecum & timorem, & dilectionem. Timorem, inquit, docet nos Apoſtolus dicens: Qui edit & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Dilectionem uerò ſiue charitatem nos inde uult nanciſci, quòd fidem adhibeamus uerbis domini, qui dicẽs, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, teſtatus eſt, ſe ſuum corpus dare in mortem pro nobis, & ſanguinẽ fundere. Quis enim eum non diligat, qui ſic nos amauit, ut cum ditiſsimus eſſet omni bonorum genere, atq; in ſumma gloria, noſtra cauſa morti ſeſe obtulerit, idq; morti crucis, in demiſsiſsimi abiectiſsimiq; ſeruí forma? Vt hoc intelligamus, accendamurq; ad dominum noſtrum amandum, uerbis illius plena fides eſt adhibenda. Verùm Gardinerus putat, Baſilium fidem ideò tantùm retuliſſe, ut per illa uerba credamus, nobis in cœna dari corpus domini uerè, corporaliter, atq; realiter præſens. Non inficior quidem credendum eſſe, communicãtibus dari cum pane ac uino uerum Chriſti corpus, ſpiritualiter quidem, ac fide percipiendum. At fidem Baſilius in ſuis uerbis eò nõ retulit, ſed ad Chriſtum pro nobis in mortem traditum. Ex qua fide in nobis erga ipſum accenditur charitas.

Communicantibus & timor & charitas Chriſti debet adeſſe.

Ita uerò ſe habere, uerba ipſa Baſilij, quæ adiuncta ſunt, luculenter teſtantur. Sic enim ſcribit: At uerò certitudinis perfectionem inducit fides uerborum domini, quibus dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in meam commemorationem: & cum teſtimonium Iohannis prius gloriam uerbi teſtatum ſit, & incarnationis modum induxerit, cum dixit: Et uerbum caro factum eſt, & habitauit inter nos, & uidimus gloriam eius, gloriam uelut unigeniti à patre, plenum gratia, & ueritate: & cum Apoſtolus ſcripſerit: Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem deo: ſed ſe exinaniuit forma ſeruí aſſumpta, in ſimilitudinem hominum cõſtitutus, & habitu repertus ut homo, humiliauit ſe ipſum factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quum igitur anima ijs, & talibus uerbis credens maieſtatem gloriæ didicerit, & excellentiam humilitatis ac obedientiæ admirata fuerit, quòd talis ac tantus obediuit patrí uſq; ad mortem pro noſtra uita, arbitror quòd acquiſierit affectum ad dilectionem, tum erga deum & patrem, qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum: tum erga unigenitum ipſius filium, qui obediuit uſq; ad mortem pro noſtra redemptione, & ſalute. Et poteſt ſic Apoſtolum ſufferre, qui uelut terminum quendam ſanis expoſuit, bonam in his conſcientiã, dum inquit: Charitas enim cõſtringit nos, illud iudicantes, quòd ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui erant: & pro omnibus mortuus eſt, ut uiuentes non amplius ſibi ipſis uiuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Talem affectum ac præparationem debet habere is, qui particeps ſit panis, & poculi. Hęc Beati Baſilij eſt integra reſponſio, qua ſtatuit oportere illum, qui communicat cum timore, tum dilectione dei ornatũ eſſe. Timorem concipiendum oſtendit ex imminente iudicio, ſi indignè comederimus: Charitatem uerò, ſi uerbis ſcripturæ fidem habeamus, quibus ea Chriſti mortem pro nobis, & obedientiam commemorat. Et inter uerba, quæ hoc teſtentur, locum illis tribuit, qui bus dominus ait: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur: Hoc facite in meam commemorationem. Iactet modò ut uult, noſter Thraſo ſuam diligentiam in patribus excutiendis: cum ex illorum armamentario arma proferat, quibus aut noſtra cauſa nihil lædatur, aut ipſe turpiſsimè iuguletur.

Sequitur Epiphanius, quem ille in hæc adducit uerba. Et quot ſunt, quæ ſimilia ſunt? Videmus enim quod accepit ſeruator in manus ſuas, uelut Euangelium habet, quod ſurrexit in cœna, & accepit hæc, &, ubi gratias egiſſet, dixit: Hoc

Epiphanius.

„ meum est, hoc, & hoc: & uidemus, quod non æquale est, neq; simile, nõ imagini,
„ non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ figu
„ ræ, & insensibile, quantum ad potentiam: & uoluit per gratiam dicere: Hoc meũ
„ est, hoc, & hoc: & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit, esse
„ ipsum uerum, sicut dicit, is excidit à gratia, & salute. Quod autem audiuimus, id
„ credimus quod est ipsius: dominum nostrũ nouimus totum sensum, totum sen-
„ sitiuum, totum deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum
„ incomprehensibilẽ: sed qui cum gratia hæc nobis largitus est. Hæc Epiphanius:
qui in hãc cœnæ domini commemorationem dilapsus est, ob eam causam, quòd
iam disputando, Quomodò factus esset homo ad imaginem dei, cõcluserat nos,
quamuis rationem huius imaginis neq; in corpore, neq; in mente uideamus, ta-
men uerbis scripturæ omninò debere credere: quæ ita esse testatur. Quemadmo
dum & uerbis Christi credendum est: qui quod acceperat in manibus, quodq;
rotundæ figuræ erat, & insensibile, quantum ad potentiam, non æquale, neq; si-
mile, id corpus suum esse dixit. Et qui non credit esse, ut dicit, excidit à gratia, &
salute: quamuis inter corpus Christi, & ea quæ ille cepit in manus, magnum sit
discrimen. Hanc summam Epiphanij sermonum esse fatemur. Quærat modò
Gardinerus, contra quem hæc faciant. Mihi uidetur iste pater ipsi cum primis
aduersari. Is enim semper iactat Christum demonstrasse indiuiduum uagum, de
quo dixerit, quòd suum corpus esset. Siquidem Epiphanius ait, Corpus Christi
dictum de eo, quod erat rotundæ figuræ. Certè uagum indiuiduum non est ali-
cuius certæ figuræ. Cum enim figura terminatur, iam non uagum est, sed defini-
tum. Vter, quæso, nostrum hic lædit? Inconstantius, an ego? Ego certè pa-
nem demonstratum aio: quod Epiphanius fatetur, cum dicat eum rotũdæ fuisse
figuræ. Inconstantius negat, & cum non habeat, quod dicat, indiuiduum suum
uagum unà cum sophisticis theologis nobis uentilat. Non enim ipse tam acutus
erat, ut hæc per se inuenire, atq; excogitare potuerit. Panẽ uerò credimus esse,
quod dominus dicit, nimirum corpus suum: at non simpliciter, sed certo quo-
dam modo: quòd sit corporis eius sacramentum: idq;, ut Epiphanius ait, per gra-
tiam, aut cum gratia. Nam si fide percipiamus hunc panem, instrumentum est,
quo nobis corporis Christi merita, spiritus, & gratia cõmunicatur. Neq; ad hoc,
ut ista sint uel fiant, requirimus in ipso pane similitudinem, figuram, aut linea-
menta membrorum & corporis Christi.

„ Sed, inquit Gardinerus, hoc pacto argumentatio illa Epiphanij tota conci-
„ dit, & ceu inepta deridebitur. Quia in figura corporis, quæ non sit uel picta, uel
„ sculpta, sed alterius rei exhibitione notata, nulla exigeret lineamenta membro-
„ rum, nisi qui stultus esset. Stultitiæ certè huius tua papistica Ecclesia potest me-
ritò coargui: quæ ne desiderarentur huiusmodi imagines, ac lineamenta, in pa-
ne illo uestro missario imagunculam quandam expresit domini pendentis in
cruce. Nos uerò, quia similitudines huiusmodi, aut lineamenta non quærimus,
uerbo domini acquiescimus, & credimus panẽ in cœna suo modo esse corpus
Christi: sicuti hominem etiam suo modo credimus esse imaginem dei. Cur itaq;
concidit Epiphanij ratio? Vt enim nos ad imaginem dei sumus nostro quodam
modo, qui tamen dij per substantiam non sumus, cum inter nos & deum nec
quoad corpus, nec quoad mentem, appareat uiua & solida similitudo, quã cum
deo habeamus, & tamen concedimus sic se rem habere, ut scriptura testatur: ita
etiam panem corpus Christi suo modo esse credimus, ut uerba dei nos docent:
qui tamen per substantiam corpus Christi non sit, neq; inter illũ & corpus Chri-
sti necessaria similitudo appareat. Si Gardinerus huius rationis euidentiam non
uidet, haud est mirum. Quia suo more cæcutit in sole,

Videa-

Videamus ad hæc, quid Ambrosius habeat, qui de ijs qui initiantur capite nono, sic dicit: Ipse clamat dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante benedi-ctionem uerborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem cor-pus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationē sanguis nnucupat̃. Et tu dicis, Amen: hoc est uerum. Quod os loquitur, mens intereà fateatur. Quod sermo sonat, affectus sentiat. Hæc Ambrosius. Contendit Inconstantius uehementia sermonis, & ijs uerbis, Ambrosium proprietatem sermonum amplectendam indicasse mente, & expri-mendam affectu. Sed quicquid ille dicat, nos purè simpliciterq; Ambrosiũ ad-mittimus: neq; plura ex eius uerbis elicimus, quàm quæ ipsa exprimãt. Imò gratias deo agimus, qui tale huius patris uoluerit extare pro ueritate testimonium: in quo audimus, quod & ipse Gardinerus uidit, corpus Christi significari, dici, nuncupari: quæ nos etiam affirmamus: neq; solùm credimus, uerùm pro isto sen-su, tanquam pro legitimo, laboramus. Imò ijs ipsis Ambrosij uerbis pro exposi-tione utimur, cum aut ipse, aut alij patres aliter uidentur loqui. Nam hinc appa-ret euidenter, quid Ecclesia tum temporis crediderit, licet interdum amplio-ribus, augustioribusq; uerbis in hoc explicando sacramento uteretur. *Ambrosius.*

Quemadmodum fecit idem Ambrosius in quarto libro, De Sacramentis, ca-pite quinto, quod nobis Inconstantius obijcit. Vide omnia illa uerba Euangeli-stæ sunt, usq; ad, Accipite, siue corpus, siue sanguinem. Inde uerba sunt Christi: Accipite, Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus: uide singula. Qui pridiè, q̃, pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequã cõsecretur panis est, ubi autem uerba Christi accesserint, corpus est Christi. Denicq; eum audi dicen-tem: Accipite, edite ex eo omnes: Hoc est corpus meum. Et ante uerba Christi, calix est uini & aquæ plenus: ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis effici-tur, qui plebem redemit. Hactenus Ambrosius: in quibus eius uerbis Gardine-rus notat, quatenus hæc uerba Christi, Hoc est corpus meum, dicit operatoria esse, ita ut quod ante consecrationem panis esset, post ea prolata sit corpus Chri-sti, propriam illorum uerborum significationē esse, probari quàm euidentissimè. Primùm lector, quæso, mihi diligenter considera: posse concedi, uerba Christi operatoria esse: quid autem faciãt, sæpius diximus: nimirum, ut panis, & uinum sacramentũ sint corporis & sanguinis Christi: quod anteà nõ erant. Quod ue-rò iste semper urget propriam significationem uerborũ, nescio profectò, cũ qui-bus rixetur. Nos enim in uerbis domini, Panẽ, significare panẽ dicimus: &, cor-pus, nil aliud, quàm ipsum uerũ domini corpus. At nodus, & status quæstionis est, quomodò corpus domini cũ pane cohæreat. Hic nos dicimus, panẽ sacra-mentũ eius esse, illud referre, esseq; illius figurã, & similitudinẽ. Et loquutionem illam, Hoc est corpus meum, non propriã, sed metaphoricã, & tropicam esse af-firmamus. Significationem aũt propriam uocibus relinquimus. Quis dubitat, istas uoces, Corpus, Carnem, et Sanguinẽ, nil aliud significare, quàm corpus, car-nem, & sanguinẽ? At illud est, quod cõtendimus, quomodò hæc significata, cor-poris, inquã, carnis, & sanguinis, ad panem uinũq; transferantur. Iste aũt præsti-stigiator, & importunus sophista nobis perpetuò impingit, quòd corpus, aut car-nem, aut sanguinẽ intelligamus figurã corporis, aut sanguinis. Qua in re cũ im-pudenter mentit̃, tũ facit nobis grauem iniuriã. Nos enim id tãtum declaramus, quomodò propria illa significata istarũ uocũ uel pani, uel uino queant cõuenire. Et panẽ, uinũq;, atq; hæc elementa, earũ rerũ sacramentũ & figurã esse dicimus.

Ambrosius autem, ut ad illum redeam, quomodò panem uinũq; Christi cor-pus & sanguinem, aut fieri, aut esse intelligat, satis superq; ex loco iam adducto ab Inconstantio, demonstratum est. Sed ne iste cauilletur, hunc patrẽ solùm ibi

eo modo loquutũ esse, ostendamus illum & alibi se ad eundem modum esse interpretatum. In libro 4. De sacramentis cap. 4. ita scribit: Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinẽ pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit. Audis hic nomen similitudinis: clamites, quantum libet, nos esse figuratores. Ambrosius ita loquitur. Et ne similitudinẽ fingas rei præsentis, ait, Sicut similitudinem mortis sumpsisti. Quis autem dixerit, mortem Christi realiter, ut ita dixerim, præsentem in cœna domini sumi, aut adesse? In eodem libro cap. 5. scribit idem: Fac nobis hãc oblationem adscriptã, rationabilem, acceptabilem: quod est figura corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi. Hic quoq; uocem figuræ habes. Quid ergo nobiscum expostulas? Cum patribus digladiare, si uelis, qui passim ita loquuntur. Libro etiam 6. cap. 1. idem author ita scribit: In similitudinem quidem accipis sacramentũ: sed ueræ naturæ gratiã, uirtutemq; consequeris. Quid his clariùs dici potest, ad nostram sententiam enucleandam & confirmãdam? Et in cap. 11. prioris epistolæ ad Corinthios de Eucharistia loquens, ait: Memoria enim nostræ redemptionis est, ut redemptoris memores maiora ab eo consequi mereamur: mortem domini annuntiantes, donec ueniat. Quia enim morte domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem domini, quæ pro nobis oblata sunt, significamus. Rursus idem Ambrosius hoc loco significationem adfert, quam ad hoc sacramentum accommodat. Et ibidem adhuc habetur: Testamentũ ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguis testis est: in cuius typum nos calicem sanguinis mysticum, ad tuitionem corporis, & animæ nostræ percipimus. Hic quoq; calicem mysticũ appellat typum. Quis autem ignorat, typum nihil aliud significare, quàm formam, figurã, & exemplar? Prolixius de Ambrosio hæc referre uolui: non quòd in alijs patribus eædem loquutiones non reperiantur; sed quia istum præ cæteris patribus iactant aduersarij nobiscum pugnare. Dabitur etiam alibi locus ad excutiendos alios, & ad ostendẽdum ex isto etiam ipso Ambrosio, panem in Eucharistia non transsubstantiari. Sed non omnia possunt aut debent simul explicari.

Ambrosius.

Similitudo rei absentis.

Ambrosius.

Ambrosius.

Ambrosius.

Ambrosius.

Theophilus.

Misso Ambrosio, Theophilum Alexandrinum in libro secundo Paschalis adducit in hæc uerba. Consequens enim est, ut qui priora susceperit, suscipiat & quæ sequuntur: & qui pro dæmonibus dixerit Christum crucifigi, ad ipsos quoque dicendum esse suscipiat, Hoc est corpus meum: & accipite, & bibite, Hic est sanguis meus. Si enim & pro dæmonibus crucifigitur, ut nouorum dogmatum assertor affirmat, quod erit priuilegiũ, aut quæ ratio, ut soli homines corpori eius sanguiniq; communicent, & non dæmones quoq;, pro quibus in passione sanguinem fuderit? Hæc Theophilus. Verba huius Theophili sic Gardinerus adsuam causam pertrahit, quia sanguinem in sacramento, inquit, sumptum, æquat sanguini in cruce fuso. Et ad probãdum, sanguinem in sacramento dari, citat illa Christi uerba, Hic est sanguis. Apparet propriam illorum uerborum significationem tum receptam, & creditã fuisse. Et mox cõcludit de sanguine Christi: Qua ueritate fusus est, eadem ueritate bibitur. Theophilum Inconstãtius extollit mirum in modũ. Quod eũ idcircò credo facere, q; sciat illũ alioqui malũ fuisse uirũ. Nam quãuis Hieronymus illi blandiat, ueluti hosti Origenis, tamen quantã ille crudelitatẽ & tyrannidẽ in Chrysostomũ exercuerit, qui nosse uolet, historiã Ecclesiasticam legat, & uitã Chrysostomi. Certè illũ pessimis uerbis exagitauit, deiecit loco, dãnauit, neq; ab eius infestatione destitit, quoad illũ uidisset exterminatũ. Nec tñ quę in suo Paschali scribit, quę q; huc citauit Incõstantius, causam nostrã quicquã lędũt. Primũ enim cũ illo fatemur, Christũ nõ esse mortuũ pro diabolo. Damus etiam, solos homines oportere sanctam Eucharistiam sumere, & corpus

Theophilus, qualis uir fuerit.

domini

domini ac sanguinem percipere, cum pro illis solis Christus sit mortuus. Et quia diaboli non sunt eius mortis participes, ideò ad illos non esse dictum, Hoc est corpus: & Accipite, bibite, Hic est sanguis meus. Proinde nil habet in ijs uerbis Theophilus, quod nos inficiemur.

Sed tu eum hinc elicis sanguinem in sacramento sumptum, æquare sanguini in cruce fuso. Primùm hoc ille non dicit. Verùm ipse, quia tibi putas id utcunq; commodum, fingis. At facito, illum hoc sensisse. Quid nobis huiusmodi sententia refragaretur? Nos enim non tantùm æquamus sanguinem qui bibitur in Eucharistia, cum eo qui fundebatur in cruce, sed omninò dicimus eundem esse. Non enim, dum ore panem & uinum in cœna comedimus & bibimus, spiritu, fide, ac mente alium sanguinem bibimus, quàm in cruce pro nobis fusum: neque aliud corpus Christi percipimus, quàm id, quod pro nobis datum est in mortem. Quid oportuit, ubi summũ posses uidere consensum, tantas excitare tragœdias? Cur ita gaudes fumo tuo, & inani uerborum ludibrio tete iactas? Putas denique te uicisse, cum Theophilũ fingis dicere, sanguinem domini eadem ueritate bibi, qua fundebatur. At id ne pilo quidem nobis aduersaretur, etiamsi à Theophilo diceretur: quanquam nihil ille tale dicit. Neque enim illum ista dicere, cum te adeò esse malæ fidei sæpe aliàs deprehenderimus, nisi eiusmodi uerba ostenderis, tibi sumus credituri. Fatemur alioqui, rem ipsam ita esse. Nã ut uerè sanguis Christi fusus est in cruce, ita nos illum communicando uerè percipimus. At si hæc ad præsentiam corporalem referas, uelisq; eodem præsentiæ genere sanguinem adesse in cœna, quo adfuit in cruce, neq; Theophilus hoc sensit, scripsit, aut somniauit unquam, neq; nos unquam dabimus. Nam in cœna præsens est quod attinet ad fidem communicantium: in cruce uerò adfuit loco, & ut uos dicitis, corporaliter. Quare uideris id ut confessum assumere, quod & controuersum est, & prius euincendum fuit. Disce posthac non tantum uerborum incassum fundere, utq; aiunt, aërem uerberare.

Illum ipsum sanguinem, qui pro nobis in cruce fusus est, in cœna bibimus, sed spiritualiter.

Chrysostomum iam audiamus, in hom. 83. super Matthæum: Credamus itaq; inquit, ubiq; domino, neq; repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdũ esse uideatur, quod dicit. Superet sensum & rationem nostram, quæso, ipsius: quod in omnibus, & præcipuè in mysterijs faciamus: non illa, quæ ante nos iacent, solummodò aspicientes: sed uerba quoq; eius tenentes. Nam uerbis eius defraudari non possumus: sensus uerò noster deceptu facillimus est. Illa falsa esse non possunt: hic sæpius, atq; sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Hæc sunt, inquit Inconstantius, quæ populum docuit Chrysostomus: ne fidant sensibus, sed adhæreant uerbo, licet sensus eius absurdus uidetur. Quod tùm accidit, cum propria significatione accipitur: non cum uerbum domini uel metaphora, uel tropo diluitur, ita ut solam figuram corporis datam intelligamus. Quod carnalium hominum iudicio benè cõgruit: nempe ut aliud alio significetur, & ut figuram sui ipsius quis alteri det, siue edendam, siue conseruandam. Chrysostomus, ut fides adhibeatur Christi uerbis, exigit: ut nulla ambiguitate teneamur: sed oculis intellectus, eius, quod Christus dixit, ueritatem inspiciamus. Iubet Chrysostomus, ut uerbo Domini cedamus, credamusq; illi dicenti: Hoc est corpus meum: licet hoc ab humano sensu alienum uideatur. Aequa petit Chrysostomus: ideoq; nos illi paremus: & licet panẽ uideamus, & uinum, illa tamen corpus & sanguinem domini, suo modo credimus esse, & prædicamus. Illum autem modum sensus non uidet, neq; de illo quicquã potest iudicare. Imò si tantum sequeremur sententiam eius, in sacramentis admodum falleremur. Sensus enim aquam, tantum aquam diceret; panem & uinũ, simpli-

Chrysostomus.

Sensus ad intelligentiã sacramenti nõ pertingit.

citer panem & uinum pronuntiaret. Ideò non sensui, sed intellectui fide instructo, & uerbo dei æstimanda committimus elementa sacramentorũ, quemadmodum Chrysostomus admonuit.

Credimus itaq;, & oculis intellectus perspicimus, Christũ rebus sensibilibus tradere insensibilia: quod ipsum docuit Chrysostomus, cum subiiceret: Sic & in Baptismo, per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur. Quod autem in ea conficitur, regeneratio, scilicet, & renouatio, intelligibile quiddam est. Quid tibi uidetur, Gardinere? Quæ Chrysostomus dixit de Eucharistia, id similiter ait se habere etiam in Baptismo: ubi si per aquam regeneratio, & renouatio quædam tribuitur, an ista tu arbitraris in aqua realiter concludi, aut latitare in ea, aut sub eius accidentibus condi? Sed audi, quid in Chrysostomo sequatur. Ipse debebas integrum, non mutilum afferre locum. At religio tibi est synceriter agere. Nam si tu incorporeus esses, inquit, nude ipsa incorporea donа tradidisset tibi. Quoniam uerò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. Si uel mercede fuisset à me conductus Chrysostomus, ut meæ sententiæ testimonio suo astipularetur, non potuisset aut commodius, aut explanatius pro me dicere.

Chrysostomus.

Chrysostomus.

Et quoniam illa homilia eius 83. tantopere delectaris, hæc quoq; audito, quæ ibi scribuntur: Ipse quoq; bibit ex eo, ne auditis uerbis dicerent, Quid igitur sanguinem bibimus? & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur. Nam & quando prius de his uerba fecit, multi solummodò propter uerba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc quoq; id accideret, primus ipse hoc facit, ut tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Docemur iam hinc, ueterem Ecclesiam in ipso pane ac uino haud sensisse, realiter, comedi corpus Christi, & bibi sanguinem eius: sed tantùm in mysterio. Nam Chrysostomus inquit, Apostolos potuisse, auditis illis uerbis, dicere: Quid igitur sanguinem bibimus: & carnem comedimus? Ne ita existimarent, Christus ipse uoluit prius bibere, atq; comedere, ut illorum perturbationem, atq; scandalum auerteret. Nemo quippe mortalium re ipsa carnem suam, & sanguinem suum potest comedere & bibere. Quare cum illum uiderent edere, ac bibere, & nihilominus integrum ad mensam accumbere, satis iam sentiebant, totum hoc negotium, ut spirituale, ad fidem, & intelligentiã, non ad dentes, non ad os, non ad uentrem pertinere.

Chrysostomus.

Nemo suã carnem aut edit aut bibit.

Chrysostomus.

At ulterius aliquanto in eadem homelia pergamus. Nam quando dicunt, inquit, (nimirùm hæretici) unde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa: Mysteria hæc afferentes ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum, ac signum hoc sacrificium est? Iam hic nõ ex me, sed ex Chrysostomo ipso audis Incõstanti, quod nobis per calumniam, & malitiosum odium semper obiicis: nempe Eucharistiam symbolum, ac signum Iesu esse. Deinde apparet Chrysostomum cum Tertulliano, Irenæo, ac alijs ueteribus consentire, Martionem, Valentinum cæterosq; hæreticos, qui negabant, Christum ueram carnem, uerumq; corpus habuisse, ac uerè mortuum esse, posse argumẽto ducto ab Eucharistia conuinci. Si enim hoc sacramentum est ueri corporis, ueriq; sanguinis pro nobis in cruce dati, & corpus Christi, & sanguinẽ uerum fuisse oportet: nisi sacramenta uelimus coarguere mendacij. Vt enim sigilla & literas falsi arguimus, si res, quæ in illis significatur, non ita fuisse deprehenditur: ita sacramenta nostra procul dubio mentirentur, nisi dominus ueram carnem, uerũ sanguinem, uerumq; corpus habuerit, quę illa testantur eum pro nostra uita in cruce tradidisse.

Ab Eucharistia probatur ueritas corporis carnis & sanguinis Christi.

Verba Chrysostomi, quæ subiiciuntur, hæc sunt: Nam quoniam Martion, Valentinus, Manichæus, eorumq; sequaces negaturi erant, hãc dispensationem in me-

in memoriam passionis, per hoc semper ita reducit mysterium, ut nemo non in-
sanus seduci possit. Ita per sacratissimam istam mensam & saluat, & docet. Iam
uides Chrysostomum docere, nos in sacramentis instrui de ueritate humanæ na-
turæ Christi: non quòd corpus eius, aut sanguis reipsa & corporaliter existant in
pane & uino præsentia: sed quòd ueri corporis, ueriq; sanguinis Christi pro no-
bis fusi symbola & signa sint.

At dicit Inconstantius: Hoc non est tam sublimis excellentiæ, neque tantùm
superat nostros sensus, ut absurdũ uideatur, exigaturq; fides, ut ei acquiescamus.
Nam naturali hominum iudicio bene congruit, ut aliud alio significetur: & ut fi-
guram sui ipsius quis alteri det, siue edendam, siue conseruandam. Huius homi-
nis malitiosam pertinaciam non possum satis mirari. Perpetuò nos audit respon
dere, in sacra cœna uerum Christi corpus, & uerum sanguinem dari: ac nos im-
pudenter semper arguit, quasi solam figuram tradi contendamus. Quod exter-
nè datur, panis est, & uinum iam in sacramentum conuersum: sed unà menti per
fidem uerum corpus, uerusq; Christi sanguis percipienda offeruntur. Quid
hic amplius quæris? An ad perceptionem, quæ à mente per fidem fiat, præsentia
corporis requiritur? Putásne, oro te, per tuam illam obfirmatissimam obstinatio
nem, totum an potius dimidium sacramẽtum pios homines in communione ac-
cipere? Non audebis certò scio, quantumuis impudens, dimidiatum tantum illis
sacramentum concedere. Quib. enim alioqui totum dabis? Impijs? Nimis per-
uersum id esset. At si totum des, & signa concedas oportet, & significata. Nam
totum sacramentum non symbolo tantùm, aut re sola constat: sed utrunque in se
comprehendit. Certè qui epistolam ad aliquem scribit, non tantum literas & ele-
menta descripta, sed ea, quæ per illa significantur, offert legenda. Vnde si, qui ac
cipit, non destituatur intelligentia, quæ significantur, optimè percipiet: neq; mi-
nus earum ueritatem in animo suo habebit, quàm literas ipsas, quas in manibus
tenet. Ita communicando nisi quis uera syncera q; fide careat, ut ore panem ui-
numq; sumit, ita percipit animo uerũ corpus et sanguinem domini. Fatemur ita-
que Gardinere, sensum humanum in eo nõ uinci, quod quis sui figurã dare pos-
sit, sed quòd Christus unà cum figura rem designatam sic per suum spiritũ in ani
mo imprimat, ut eã recipiens inde pascat, & uegetet, atq; excitetur in eo fides,
utq; totus Christo mirificè coniungat. Quæ humana signa hoc præstare queunt?
Quæ symbola mũdana uel naturalia ita sunt instrumenta spiritus sancti, ut per ea
Christo quàm arctissimè iungamur, & uiuificemur? Ista tantũ fide credẽda sunt,
& mente pia percipienda. Hoc pacto dixit Christus: Hoc est corpus meum,
quòd uellet posteà in cœna panem instrumentum esse spiritus sancti, ad uerum
corpus suum animo & fidei nostræ communicandũ. Ideoq; uerbo eius oportet
credere: neq; illi ullo modo repugnare: quãuis hæc sacramentorũ uis, ut quę na-
turam superet, non uideatur congruere tam uilibus elementis: absurdũq; uidea-
tur, per hęc tam abiecta deum uelle hominibus tam eximia dona communicare.
Patefactum iam est, ut arbitror, quantum uerborum Gardinerus incassum fude-
rit: utq; frustra sententiam Chrysostomi adductam in nos detonauerit.

Sed aliam sententiam adiungit: qua fortasse sperat se magis, quàm priori iu-
uari posse. Ea uerò est: Dixit, & simul rẽ confecit. Dixit aũt: Hoc est corpus meũ.
Hæc in hom. 51. super Matthæum scribuntur: sed rectius dixissem, nõ scribunt.
Quia Inconstantius fraude sua, & perfidia, omnia corrumpit, uitiat, & truncat.
Plura uidit ibi esse, quæ cõtra se, quàm quæ pro se facerent. Tamẽ (adeò est impo
tẽs) abstinere nõ potuit, quin duo saltẽ aut tria uerba decerperet, quæ putauit ut-
cunq; sibi fauere. Et certè fauerent nõnihil, si ita collocata essent à Chrysostomo,
ut ab isto referũtur. Ac ne uidear istũ deprauationis ac sycophantię temere aut

Ad perceptionem mentis, & fidei, præsentia corporis non requiritur.

Pij non dimidiatum sed totum sacramentum percipiũt.

Quod signa sacramentorum signis uulgaribus præstent.

Chrysostomus.

,, malitioſè accuſare, uerba Chryſoſtomi diſertè referam. Sic ergo ſcribit: Vis cor-
,, pus Chriſti honorare? Non deſpicias ipſum nudum. Neq; hic quidem in Eccle-
,, ſia ſericis pannis induas: foris autem frigore, ac nuditate confici negligas. Qui
,, enim dixit, Hoc eſt corpus meum, & rem ſimul cum uerbo confecit: idem dixit,
,, Eſurientē me uidiſtis, & non cibaſtis: & in quantum non feciſtis uni eorū mini-
,, morum, nec mihi feciſtis. Hoc corpus Chriſti non amictu, ſed anima munda cer-
,, tè indiget: illud autem multa cura & diligentia eget. Fatemur, panem factū eſſe
corpus Chriſti, ut ſæpius iam expoſuimus: quia Chriſtus de eo dixit, Hoc eſt cor-
pus meum: & quod dixit, cum uerbo ſimul compleuit. Sed obſecro te: quorſum
hæc Chryſoſtomus protulit? Nónne ut probaret, etiā pauperes eſſe corpus Chri-
ſti, uel potius Chriſtum ipſum? Certè is fuit animus Chryſoſtomi: ideoq; ſub-
,, iecit: Et idem dixit, Eſurientem me uidiſtis, & non cibaſtis. Quādo idem eſt, qui
dicit, & manet eadem eius authoritas, utrobiq; concedenda eſt eadem ueritas.
Vtq; panis eſt corpus Chriſti, quia ipſe dixit: ſic pauper erit corpus Chriſti, quia
idem dixit. Quam hic inuenies rimam ad elabendum? An dices pauperē aliquo
modo eſſe Chriſtū, aut corpus Chriſti? Identidem reſpōdeto tibi ipſi, aliquo mo-
do panem eſſe corpus Chriſti. Et ne arbitreris, lector, Chryſoſtomū in ea homi
lia hoc leuiter urgere, ſi ea quę ſequuntur legas, per te ipſum uidere poteris, quo
ties idem repetat. Ideoq; ne mētiri putaretur, ſi pauperem aut Chriſtum, aut cor-
pus eius diceret, illa confirmatione ſua uerba prę munuit: Qui dixit, Hoc eſt cor
pus meum, et rem ſimul cum uerbo cōfecit: idem dixit, Eſurientem me uidiſtis.
Quæ uerba Inconſtanti, tu, quæ tua eſt bona fides, hoc modo citaſti: Dixit, & ſi-
mul rem confecit: dixit autem, Hoc eſt corpus meum. Id ego ſi tam indignè tuli,
qui rem bene perpenderit, credo, mecum non expoſtulabit.

Hieronymus. Hieronymus adhuc uocat teſtis ad Hedibiam quæſtione 2. qui ſic ait: Nos
,, autem audiamus, panem quem fregit dominus, deditq; diſcipulis ſuis, eſſe cor-
,, pus domini ſaluatoris: ipſo dicente ad eos, Accipite, & comedite, hoc eſt cor-
,, pus meum: Et calicem illum eſſe, de quo item loquutus eſt, Bibite ex hoc
,, omnes: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur.
,, Quis dubitat Hieronymum, addit Inconſtantius, de ueritate carnis & ſangui-
,, nis ſentire, cum dicat: Nos audiamus? Videlicet à reliquis ſenſibus prouo-
,, cans ad auditum. Nam fideles quod audiunt de domino, credunt. Ergo audia-
,, mus, inquit Hieronymus, panem quem dedit dominus eſſe corpus ſuum. Si
Hieronymus hanc propoſitionem concedit, Panis eſt corpus Chriſti, panem in
ſubiecto accipit pro uero pane. Nā ſi pro pane corpus Chriſti intelligeret, quid
quæſo diceret, niſi, Corpus Chriſti, eſt corpus Chriſti? At ſi panem pro uero pa-
ne ſumit, quo abijt Inconſtantij noſtri uagum indiuiduum? Multum fortaſſe ua-
gatum eſt: ſed ad Hieronymum nō peruenit. Is enim non de illo, ſed de uero pa-
ne pronuntiat corpus Chriſti. Quòd uerò attinet ad noſtram controuerſiā, expe-
dita res eſt: quia nos panē cœnæ fatemur ſuo modo eſſe corpus Chriſti. Verū,
Hieronymus. quæſo te Gardinere, per tuā ſophiſticen, quid ſibi uult Hieronymus, quando in
,, eadem quæſtione 2. ad Hedibiā inqt: Aſcendamus cū domino in cœnaculū ma-
,, gnum ſtratū atq; mundatū, & accipiamus ab eo ſurſum calicem noui Teſtamen
,, ti: ibiq; cū eo paſcha celebrantes inebriemur ab eo uino ſobrietatis? Certè hoc
eſt, quod nos prædicamus: nō in ipſo pane deliteſcere corpus Chriſti, neq; in ui-
no eius ſanguinē: ſed ſurſum aſcendendū eſſe mente, ac fide ad cœlum, ubi Chri
ſtus eſt, quò ſpiritu ijs alimentis potiamur, illisq; alamur ad æternā uitā. Super-
uacaneū aūt eſſet nūc repetere, nos quoq; Chriſtū ſenſiſſe de uera carne, ac de ue
ro ſanguine, cū diceret, Hoc eſt corpus meū: &, Hic eſt ſanguis meus: altercatio-
nēq; tm eſſe de modo, quo uera caro & ſanguis dñi pani & uino ſint cōiungēda.

Poſt

Cyrillus.

Post Hieronymum Cyrillus est audiendus: qui super Iohannem libro 4. capite 14. sic ait: Oportebat igitur fidei primùm radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda sunt. Illi uerò antequam crederent, importune quærebant. Hac igitur de causa dominus, quomodò id fieri posset, non enodauit: sed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum. Calicem etiam similiter circuntulit, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis, quia sine fide quærentibus mysterij modum nequaquam explanauit. Credẽtibus autem etiam non quærentibus exposuit. Ex his Gardinerus elicit, proprio sensu Cyrillum uerba illa domini accepisse, Hoc est corpus meũ: hoc enim illum sibi uelle, Christum in cœna suis Apostolis modum suæ carnis manducandæ tradidisse. Prius de uerbis Cyrilli disserendum: posteà de Gardineri argumentatione dicendum est. Dominum in cœna modum carnis suæ manducandæ Apostolos docuisse possumus facilè cõcedere: uidelicet ut experientia ipsa, & sensu doceret, accumbens cum suis, fide, non re ipsa, non dentibus, non ore corpus suum esse manducandum. Nam Christum uidebant integrum, saluum, & accumbentẽ, edentemq; priori loco ex eo quod illis porrigebat. Cum itaq; rem sic agi uiderent, fuissent pluſquam stipites & fungi Apostoli, si putassent, carnes Christi realiter ibi distribui. Iam sentiebant mysterium esse, quod tractabatur, & panem illum corporis in crucem tradendi sacramentum esse. Vnde carnes Christi, & sanguinem illius, quibus redemptus est mundus, fide comedenda & spiritu, menteq; comprehendenda & amplectenda, certissimè cognoscebant. In sexto uerò capite Iohannis Christus hoc idem docuit: imò illa uerba sunt eorum, quæ posteà in cœna gesta sunt, uera plenaq; interpretatio. Sed Cyrillus putat rẽ tunc non fuisse patefactam. Esto, sed id referendum est ad incredulos Capernaitas, & apostatas discipulos. Illi enim cum fidem non haberent ijs quæ à domino dicebantur, ilicò murmurarunt, & abierunt. At si uerba seruatoris expendissent, ibi quoque manducationem hanc spiritualem, animi ac fidei esse, animaduertissent. Quod idem posteà in Cœna, ut exposui, quàm apertissimè declaratum est.

Christus in cœna docuit modum suæ carnis manducandæ

Sed cur iste tam subtilis & diligens ponderator uerborum Cyrilli dissimulat, quod ab eo prudentissimè dicitur: Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum? Adeò premitur ijs uerbis, Gardinere, uestra transubstantiatio, ut prorsus non possit consistere. Cum dominus dixisset, aut diceret: Hoc est corpus meum, quid Apostolis distribuit? Nos dicimus, panem. Tu hoc, ut hæresim auersaris pestiferam: neq; uis nos audire. Saltem audias Cyrillum, illum inquam ipsum, quem obtrudis nobis, quemq; nos tantoperè audire iubes. Tu, inquam, uicissim illum audi. Nam quod nos dicimus, id ille apertè dicit. Quid autem dicit? Credentibus discipulis fragmenta panis dedit. Iam Cyrillus nobiscum hæreticus est. Quid hic faciet, Inconstantius? Quid? Ab ingenio suo minimè discedet. Rem, quæ illius impudentia est, fortiter dissimulabit. Nam in hoc stratagemate tam diu se exercuit. Et sanè in uniuersa ista disputatione hoc grauissimo laborat incõmodo, ut nullum patrum testimonium pro se afferre queat, quin ipse eo uehementer, & palàm uacillet. Sed ea est eius ambitiosa patientia, ut malit istas ferre quantumuis duras plagas, quàm uideri inermis. Ita fit, ut quando in hostes aliud non potest, ea tela iaciat, quibus illi uel nihil, uel quàm minimum uulnerentur; ipse uerò penitus conficiatur.

Stat igitur à nobis Cyrillus, & panis fragmenta Apostolis distributa in Cœna confirmat; & de illo pane dixisse Christum: Hoc est corpus meum. Videtur

Chrysippus. Galenus.

igitur Inconstantio idem accidere, quod Chrysippo: de quo Galenus libro 3. de placitis Hippocratis, & Platonis, ita scribit: Et Chrysippo contra, quàm uelit, accidere uidetur. Nam dum ab argumentis rei, quę à natura ipsius disquiritur, continuè recedit, & rhetoricè magis, quàm philosophicè, in testium multitudine uictoriam ponit, ab ipsis, quos citat, proditur.

Sed de uerbis Cyrilli satis: nunc uideamus, quid ex illis iste colligat: Christũ scilicet propria significatione ea uerba pronuntiasse: Hoc est corpus meum. Et qua euidentia collectio hæc, quæso, nititur? Quoniam, inquit, Cyrillus interpretatur dominum in cœna modum manducationis suæ carnis tradidisse. Itáne? Si Christus in Cœna ostendendo se accumbentem, saluum, integrum, neq; à suo statu consueto dimotum, docuit Apostolos, ut nihilominus carnem suam ederent, & sanguinem suum biberent, nónne apertè illis patefecit, spiritus, mẽtis, ac fidei hanc actionem esse: atq; ob id corpus suum tradendum, & sanguinem fundendum, ad panem & uinum, quem porrigebat, metaphoricè esse accommodanda: non autem realiter aut propriè, ut uult Inconstantius? Quare hinc etiam appa ret, ex fundamento ipso, quod affert, non id, quod maximè uult, concludi: sed id potius, quo ipse maximè redarguitur. Certè prudenti lectori tam ineptam futilemq; collectionem Inconstantius proponere non debuit: sed illam potius seruare domi suis illis lapideis & plumbeis adulatoribus, qui se quæcunq; ille crepat, fingunt attonitos admirari.

Cyrillus.

Verùm, ne putemus Cyrillum aliter existimasse, aliud eius testimonium subiecit ex libro 12. super Iohannem cap. 58. ubi ait: Quòd autẽ mysticæ benedictionis communio resurrectionis Christi quædam confessio est, ex ipsius uerbis probatur. Fractum enim panem distribuebat dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur mysterij uera quædam confessio, & commemoratio est, quod propter nos, & pro nobis, dominus & mortuus sit, & reuixerit: & diuina nos benedictione propter hæc replet. Fugiamus igitur incredulitatẽ post tactum Christi: ut firmi atq; stabiles ab omni longè ambiguitate inueniamur. Cyrillus, inquit Inconstantius, tam certam & ueram Christi præsentiam in sacramento docet, ut illum, qui communicant, ibi à resurrectione tetigisse dicantur. Qui tactus, quemadmodũ in Diuo Thoma, sic etiam à nobis omnem de Christi resurrectione hæsitationem expellat. Hoc rursus huius patris testimonio nos nihil lędimur: sed Inconstantius ipse grauissimè uulneratur: quia nos pani asserimus attribui nomen corporis Christi, tum quòd sit eius sacramẽtum, tum etiam quòd illo tanquã instrumento quodã mens nostra & fides excitetur, ad corpus Christi apprehendendũ. Ideò facilè dabimus corpus Christi tangi, dum cõmunicamus: quia panis tangitur, quem Christus esse uoluit sui corporis sacramentũ. At iste, qui sub accidẽtibus panis & uini, claudit corpus & sanguinẽ domini, dicat nobis uicissim, quomodò ista tãgat. Sensus nostros aut substantiã dicet attingere, aut substantiæ accidentia. Nullũ enim corpus alia ratione tactui subiacet. Oportet enim, si percipiatur sensu, uel ut eius tractetur substantia, uel saltem ut substantiæ illius accidentia. Verùm in Eucharistia quis dixerit, propriam corporis Christi substantiam sensu percipi? De accidentibus uerò quid dicemus? Figuram corporis Christi, membra, colorem, pondus, humorem, calorem, siccitatem nullus deprehendit sensus. Imò potius, ut præstigiatores ipsi fatentur, panis accidentia tantùm occurrũt sensibus. Quare nullo modo sensus dici potest attingere corpus Christi. Proinde nos, qui metaphoricis utimur interpretationibus, prõptè satis, dilucideq; uerba Cyrilli excipimus. At isti proprietatis uindi-

Sensus nullo modo corpus Christi attingit.

ces,

ces, & omnium troporum maſtyges, proferant, obſecro, machinas & ſtrophas, quibus ex tantis anguſtijs poſſint portenta ſua expedire.

Taceo ad hæc, Cyrillum ijs uerbis conſtanter affirmare, Chriſtum, cum diceret, Hoc eſt corpus meum, diſcipulis fractum panem diſtribuiſſe. Hic ego appello Inconſtantij mei in ſcrutandis uoculis anxiam, moroſam, ſubtilemq; diligentiam. Si fractus diſtribuitur panis, ubi eſt Transſubſtãtiatio? Manet panis, & fractus manet, ut Cyrillus dicit: Inconſtãtius aũt cum Transſubſtantionem perpetuò nobis obtrudat, ſuis ipſius armis ita denicq; impeditur, ut niſi, quemadmodum ſolet, per tenebras euadat, rima ad elabendum nulla ei relinquatur. Nam ut olim Midas, quemadmodum fabulantur poëtæ, in aurum omnia uertebat, quæ tetigiſſet: ita quæcunque patrum dicta iſte pro ſua cauſa in medium proferre poteſt, ea inter manus eius ita ſubitò immutantur, ut non iam in hoſtem, ſed contra ipſum citata uideri poſſint.

Auguſtinum nunc audiamus: quẽ iſte experiri uult ecquid pro ſe faciat. Hęc eius uerba ſunt in Pſal. 33. Et ferebaꝫ, inquit, manib. ſuis. Hoc uerò, fratres, quomodò fieri poſſit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? Manibus aliorũ poteſt portari homo: manibus ſuis nemo portaꝫ. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam, non inuenimus. In Chriſto aũt inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quãdo cõmendans ipſum corpus ſuũ ait, Hoc eſt corpus meũ. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Ipſa eſt humilitas domini noſtri Ieſu Chriſti: ipſã multũ commendaꝫ hominibus. Auguſtinus, inquit Incõſtantius, intelligit, Chriſtum ſecundũ literam portaſſe ſe manibus ſuis. Quod, niſi uerba illa Chriſti, Hoc eſt corpus meũ, proprio ſenſu accipiãtur, ex illis nõ probauit. Per hãc loquutionẽ, ad literã, Auguſtinus nil aliud intelligi uoluit, quàm iuxta hiſtoriã. Contenditq;, Dauid, ſi eius hiſtoriã ſequamur, quã diuinæ literæ tradunt, illum nunquã ſe manibus ſuis geſtaſſe: ideoq; titulum Pſalmi ad Chriſtũ referendum ſtatuit; quoniã illum ſe geſtaſſe ſuis manibus, nõ quidem abſolutè, ſed certo quodã modo, poteſt ex Euangeliſtarũ hiſtoria demõſtrari; quia manibus ſuis geſtauit panem, quem in cœna corpus ſuũ dixit. *Auguſtinus.*

Et ideo Auguſtinus prudenter loquiꝫ, cũ ait in ſecunda concione ſuper eundem eundem Pſalmũ. 33. quod iſte de induſtria diſſimulauit: Et ferebaꝫ in manib. ſuis. Quomodo ferebatur in manibus ſuis? Quia cũ commendaret ipſum corpus ſuũ, & ſanguinẽ ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodãmodo cũ diceret, Hoc eſt corpus meũ. Hoc ſanè poſteriori loco diuus Auguſtinus exponit, quid priori loco intellexerit. Accepit in manus ſuas, inquit, quod norunt fideles à domino in cœna fuiſſe in manib. acceptũ: id planè, quod Euangeliſtę commemorant. Illi dicunt, Chriſtum accepiſſe panem in manibus, gratias egiſſe, fregiſſe, atq; Apoſtolis diſtribuiſſe. Nil aliud noſſe queunt fideles, Chriſtum in manibus accepiſſe, cum Euangeliſtæ, quibus maximè credendum eſt, ita ſcripſerint. Et quia Chriſtus fecit illum panem ſacramentũ ſui corporis, & illum corpus ſuum appellauit, ideò ſubdit Auguſtinus, illum ſe ſuis manibus geſtaſſe, non quidem ſimpliciter, ſed quodam modo.

Eat nunc Inconſtantius, & alios aduocet ſibi teſtes: quoniã Auguſtinũ præſertim in hac re parum propitium habebit. Ex quo quid poſtea citet ex quodam ſermone De quarta feria ca. 6. non multum deberem eſſe ſollicitus: cũ libellus ille ad Auguſtinũ nihil pertineat. Sed utut id ſe habeat, me tamen non piget audire, quid ibi ſcribaꝫ. Menſa ſponſi tui panem habet integrum, & calicem ſanctum: quem panem etſi fractum, & comminutum uidimus in paſſione, integer tamen manſit in illa ſua cum patre indiuidua unitate. De iſto pane, & de iſto calice dicebat idem dominus: Panis, quẽ ego dedero, caro mea eſt pro ſæculi uita; & calix, *Auguſtinus.*

,, quem ſanctificauero, ſanguis meus eſt, qui pro uobis effundetur in remiſſionem
,, peccatorum. Nunc audiamus, quomodo ſophiſta uerbis ijs abutatur. Patet, in-
,, quit, hinc Auguſtinum ſentire, uerba illa Chriſti, Panis, quem ego dabo, ad cœ-
,, nam pertinere: & uerba Chriſti in cœna illorum uerborũ ſenſum referre: ut cum
,, Chriſtus diceret, Hoc eſt corpus meum, carnem ſenſerit, non corporis figuram.
Quod attinet ad Auguſtini, uel alterius cuiuſpiam, quiſquis ille fuerit, uerba, ille Eccleſię orthodoxę fidem commendat: dehortaturq; pios, ne cũ hæreticis communicent: quòd illi Chriſtum non ſinerent eſſe integrum: ſed eum mutilarent, frangerent, & à patris unitate diuiderent. Huius autem ſceleris Arrianos, Manichæos, & conſimiles hæreticorum peſtes accuſat. Ad menſam, & cõmunionem ſanctæ Eccleſiæ aduocat credentes: nã eius menſa panem, inquit, habet integrum. Nam in ſacramentis prædicatur Chriſtus, non à patre diuiſus, uerùm illi conſubſtantialis. Fractus quidem eſt quoad naturam humanam, in paſſione, cum anima diuulſa eſſet à corpore: nihilominus per naturam diuinam cum patre manſit, in unitate indiuidua coniunctus. Hucuſque ſcrupulus nullus eſt in ijs uerbis, quæ Auguſtino aſcribuntur.

Quomodo Chriſtus fractus in paßione.

Nunc id ſupereſt, ut uideamus, an uerba illa domini Iohannis 6. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mũdi uita, ſpectent ad cœnam. Si ad cœnæ ſacramentũ hæc omninò ſpectant, & aliter exponi non poſſunt, quid facient, qui mortui ſunt Chriſti fideles, priusquam cõmunicare potuerint ad ſacrã menſam? Certè multi martyres prius obtrũcati ſunt, quàm eis ad Euchariſtiã accedere licuerit. Atq; hodiè permulti pueri, & adoleſcentes Chriſtiani prius moriũ, quàm illis ſacra communio exhibeatur. Certè iſtos omnes neceſſe eſt æternum cõdemnari: præſertim cũ Chriſtus poſt ea uerba ſtatim ſubiecerit: Amen, amen, dico uobis: niſi ederitis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis uitã in uobis. Qua ratione adductus eſt Auguſtinus, ut crediderit, uel infantibus, cũ eſſent baptizati, ſtatim dandã eſſe Euchariſtiam. Quod cũ Papiſtæ noſtri hodiè nõ ſentiant, uideant quid agant, cũ aſſerant, Chriſtũ in Iohanne omnino loquutũ eſſe de Euchariſtia. Quid aliud hæc dicendo aſſequuntur, niſi ut imprudentes ſe ipſos conijciãt in laqueũ? Nobis uerò hic omnia ſunt in tuto: neq; redargutionẽ, aut laqueos ullos formidamus. Nã ſermonem illum (panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quem ego dabo pro mundi uita) ad mortem Chriſti referimus. Corpus quippe illius in crucem datũ, cũ à nobis uera fide percipit, noſter eſt panis, qui nos ad uitam æternã alit, condonatione peccatorũ ſuſtentat, & meritorum, donorũq; domini lautiſſimo ſucco nos impinguat. Si Chriſtus in cœna, quemadmodum iſti uolũt, illam promiſſionẽ impleuiſſet, quid amplius eum mori oportuit? Homines enim per illã ipſam carnẽ, ſi eã in ſacramẽto perciperẽt, poſſent habere uitã. Morte non amplius opus erat: niſi hominibus uita fuiſſet bis danda. Sed tamen propter mãducationis genus, quo fideles corpus Chriſti edũt, uerba illa nos quoq; ſolemus aliquo modo ad ſacrã cœnã accõmodare. Quia in ſacra cœna nõ ſolùm fides requiritur, qua fiduciam noſtram locemus in mortem domini, uerũ etiã addunt externa ſymbola, quib. fides cõmunicantiũ prouocetur, oſtendatq; quid manducatio ſpiritualis corporis Chriſti conferat: nẽpè id, quod panis in cibũ ſumptus, & uinũ in potum, uitę comedentiũ & bibentiũ præſtare ſolent. Quare ſentimus, id quod dñs in 6. Iohan. ait de ſpirituali mãducatione ſuæ carnis morituræ pro mundi uita, fuiſſe poſteà in cœna ſymbolis & appendicib. externis obſignatũ: atq; ob id, alterũ iſtorum locorũ, alterum cũ cõmodiſſimè interpretari. Et eã ob cauſam uidemus, patres duo iſta loca frequẽtiſſimè coniungere. Panem itaq; illum pro ſalute mundi dominus in cruce dedit, quãdo ibi caro eius eſt crucifixa, quæ nomine panis uocatur: quia cibus ſpiritualis eſt

Symbola cur ſint addita.

Chriſtus bis dedit panem.

creden-

credentium. In cœna domini eadem caro astantibus comedenda per fidem proposita est, signis panis & uini additis. Hæc adeò lucida sunt & clara, ut uel à pueris queãt intelligi. Solùm Papistæ umbratici homines, qui tenebras in oculis circumferunt, hic cæcutiunt, & in ipso meridie palpant.

Euthymium quoq; habet Inconstantius, quem obijciat, in Matthæũ cap. 64. Itaq; sicut uetus testamentum hostias & sanguinem habebat, ita & nouum, corpus uidelicet & sanguinem domini. Nõ dixit autem, Hęc sunt signa corporis & sanguinis mei; sed, Hęc sunt corpus meum, & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ proponuntur, aspicere, sed ad uirtutem eorum. Quemadmodum enim assumptam carnẽ supernaturaliter deificauit, si ita loqui liceat, ita & hæc ineffabiliter trãsmutat in ipsum uiuificum corpus suum, & ipsum pretiosum sanguinem suum, & in gratiam ipsorum. Sophista subijcit: Hic Euthymius non solùm confirmat sensum uerborum proprium, sed uerbis apertis excludit tropum; cum dicitur, Non sunt signa. Si Euthymius simpliciter est intelligendus, cum panem & uinum dicit, in cœna non esse signa, pugnat cum cæteris patribus. Nam Basilius ista dicit ἀντίτυπα, ut superius ostendimus. Et Augustinus contra Adimantum libro 1. cap. 12. Non enim dominus, inquit, dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Et idem in libro 3. De doctrina Christiana cap. 16. scribit hac de re: figura est ergo, præcipiens passioni domini esse cõmunicandum, & suauiter, atq; utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit. Idem in expositione psalm. 3. Iudam adhibuit ad cõuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit. Aduersus Martionem libro 4. idem testatus est Tertullianus, dicens: Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit; hoc est corpus meũ dicendo, hoc est, figura corporis mei. Ambrosius etiam hic figuram agnouit, cum dicat in libro, de ijs qui initiantur mysterijs cap. 9. Ipse clamat dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem uerborum cœlestium alia species nominatur: post cõsecrationem corpus Christi significatur. Idem lib. 4. de Sacramentis cap. 8. Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi. Verbis his prodit Ambrosius in Canone suo sacramentum Eucharistiæ figuram esse nuncupatum. Idem in libro 6. de Sacramentis cap. 1. Ideò in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed ueræ naturæ gratiam uirtutemq; consequeris. Quod suprà dixerat figuram, hic similitudinem uocat. Et in epistolam ad Corinth. priorem cap. 11. Testamentum ergo sanguine constitutum est: quia beneficij diuini sanguis testis est: & in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus. Hic quoq; calicem sanguinis, aut testamenti nominat typum. Et Chrysostomus homil. 83. super Matthęum, Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Ad hæc in epistola ad Hebræos homilia 17. Hoc autem sacrificium exemplar est illius. Atq; in psalm 22. scribit: Vt quotidie in similitudinem corporis & sanguinis Christi panem & uinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in sacramento. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. 3. Per uenerabilia signa Christus signatur, ac sumitur. Origenes in Leuiticum cap. 10. homil. 7. tractans illa uerba: Nisi manducaueritis carnem meam, &c. inquit: Agnoscite, quia figuræ sunt, quæ in diuinis uoluminibus scriptæ sunt: & ideò tanquam spirituales, & non tanquam carnales examinate, & intelligite, quæ dicuntur. Si enim quasi carnales ista suscipitis, lædunt nos, & non alunt. Est enim & in Euangelijs litera quæ occidit. Non solùm in ueteri testamento litera occidens deprehenditur; est in nouo testamento litera, quę

Basilius. *Augustinus.* *Augustinus.* *Patres figuram agnoscunt in Eucharistia.* *Augustinus.* *Tertullianus.* *Ambrosius.* *Ambrosius.* *Ambrosius.* *Ambrosius.* *Chrysostomus.* *Chrysostomus.* *Chrysostomus.* *Dionysius.* *Origenes.*

,, occidit eum, qui non ſpiritualiter, quæ dicuntur, aduertit. Si enim ſecundum li-
,, teram ſequaris hoc ipſum, quod dictum eſt, Niſi māducaueritis carnē meā, &c.
Cyprianus. occidit hæc litera. Cyprianus libro 2. epiſt. 3. In aqua populus intelligitur, in
,, uino ſanguis oſtenditur. Idem quoq; de unctione Chriſmatis ait: Quomodo
,, uinū & panis, caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus conue
Cyprianus. nirent: & diuerſa nomina, & ſpecies ad unam reducerentur eſſentiam: & ſignifi-
,, cantia, & ſignificata eiſdem nominibus cēſerentur. Chryſoſtomus ſuper Mat-
Chryſoſtomus. thæum operis imperfecti homel. 11. ſuper cap. 5. Si uaſa ſanctificata ad priuatos
,, uſus transferre peccatum eſt, in quibus non eſt uerum corpus Chriſti, ſed myſte-
,, rium corporis continetur: quantò magis uaſa corporis noſtri? Auguſtinus ad
Auguſtinus. hæc contra Maximinum epiſcopum Arrianorum libro 3. cap. 22. In ſacramen-
,, tis non quid ſint, ſed quid oſtendant, attēditur: quoniam ſigna ſunt rerum, aliud
Auguſtinus. exiſtentia, & aliud ſignificantia. Idem in ſermone ad infantes: Sacramenti il-
,, lius participatione ac beneficio non priuatur: quando ipſe hoc, quod illud ſacra
Auguſtinus. mentum ſignificat, inuenit. Idem epiſtola 23. ad Bonifacium: Ex ſimilitudine
,, plærunq; ſacramenta ipſarum rerum nomina accipiunt: Sicut enim ſecundum
,, quendam loquendi modum, ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt,
,, & ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ita ſacramentum fidei, fi-
,, des eſt. Nec non in libro 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 3. Sacramento corpo
Auguſtinus. ris & ſanguinis ſui præguſtato, ſignificauit quod uoluit. De Trinitate quoq;
,, lib. 3. cap. 4. Apoſtolus potuit ſignificando prædicare dominū Ieſum Chriſtum,
,, aliter per linguam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis & ſan-
Auguſtinus. guinis eius. Ad hæc idem in libro Sententiarum Proſperi, & habetur in De-
,, cretis, De Conſecratione diſ. 2. cap. Hoc eſt. Cœleſtis panis, qui Chriſti caro eſt,
,, ſuo modō nominatur corpus Chriſti: cum re uera ſit ſacramentū corporis Chri-
,, ſti. Vocaturq; ipſa immolatio carnis, quæ ſacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio,
,, mors, crucifixio, non rei ueritate, ſed ſignificante myſterio. Quæ Auguſtini
Gloſſa decre-torum. uerba, quem in ſenſum Gloſſa Decretorum acceperit, non piget ſubijcere. Cœ-
leſte inquit ſacramentum, quod uerè repræſentat Chriſti carnem, dicitur corpus
,, Chriſti: ſed impropiè. Vnde dicitur, Suo modo: ſed non rei ueritate, ſed ſignifi-
Gelaſius. cante myſterio. Vt ſit ſenſus: Vocatur corpus Chriſti, id eſt, ſignificat. Gelaſius
,, præterea contra Neſtorium & Eutychen: Imago & ſimilitudo corporis & ſan-
Beda. guinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur. Beda in Lucam: Chriſtus
,, pro carne & ſanguine agni ſuæ carnis ſanguinisq; ſacramentum in panis ac uini
Bertramus. figura ſubſtituit. Bertramus denicq; de pane, qui à ſacerdote offertur, loquens,
,, ait: Quia panis ille, uinumq; figuratè Chriſti corpus & ſanguis exiſtit. Et mox:
,, In pane illo non ſolum corpus Chriſti, uerum corpus etiam in eum credentis po
Bertramus. puli figuratur. Et mox: Corpus Chriſti, quod in Eccleſia per myſterium geritur,
,, ſecundum quendam modum corpus Chriſti eſſe cognoſcitur; & modus iſte in
,, figura eſt, & imagine.

Hæc fuſius hoc loco à me ſcripta ſunt, cum ut prudens lector intelligat, eos, qui dicunt in ſacramēto Cœnæ figuram non eſſe, quàm orthodoxis, ueteribusq; aduerſentur, qui ſecus, quemadmodum iam oſtendi, ſcripſerint, confirmarintq; ſuo apertiſsimo teſtimonio: tum ut orbis uniuerſus intelligat, quanta iniuria nos Inconſtantius paſsim traducat, idq; non ſolùm odioſè, uerùm etiam ſine ullo modo, ut eſt loquaciter litigioſus, appelletq; figuratores, troporum inuentores, & ſignorum aſſertores. Hæc eadem ſi patres nō ſenſiſſent, docuiſſent, ſcripſiſſent, pro ſua libidine potuiſſet aduerſus nos aliqua ſaltem cum ſpecie pietatis hominum animos cōcitāre, quaſi primi omnium uoluerimus plano ſenſui uerborum domini obſiſtere. At cum à nobis ſtēt diuinæ literæ cum primis, deinde etiam

tantus

tantus cœtus piorum patrum, quid aliud suo tanto conatu est assequutus, quàm ut ostenderet, se in re frigida & stultè & frustrà caluisse?

Ast huic Euthymio quid faciemus? & pauculis quibusdam alijs, cum dicant hic non signa esse neq; figuras corporis, & sanguinis domini? Istis equidē, ne formula cadant, cum alijs proceribus theologis modo loquendi cōtrarij uideātur, hac ratione succurrendum censeo: ut intelligamus eos inficiari talia signa, & tales figuras in Eucharistia esse, qualia in ueteri Testamento fuerūt. Illa enim Christum significabant uenturum esse: hæc iam datum testantur. Illa fuerūt obscuriora: hæc sunt multò clarissima. Vel fortassis id uoluerunt salubriter admonere, non hic esse figuras nudas, aut è triuio, quæ, scilicet, nihil uirij habeāt, nullumq; momentū ad salutem. Si sic intelligant, nos quoq; illis assentimur: istis enim symbolis spiritus sanctus utitur ad nostram fidem excitandam, qua uerū corpus, uerumq; sanguinem Christi apprehendamus, & ijs spiritualib. alimonijs spirituali-ter ad æternam uitam nutriamur. Non sunt ergo hæc sacramenta tantùm figuræ, non sunt signa prophana, nō sunt uulgaria symbola. Vnde adiecit piè, ac prudenter Euthymius, nos non oportere ad rerum, quæ proponuntur, naturam aspicere, sed ad illarum uirtutem. Hæc aūt uis, quā debemus attēdere, illa est, quam spiritus sanctus per hæc, ceu per instrumenta iam à filio dei præscripta & definita, in usum Ecclesiæ suę declarat, & exerit: uirtusq; ista maximè in nobis efficax est ex ueritate signorum, & rei significatæ animaduersione.

Patres quinegant in Eucharistia figuram, quid sibi uelint.

Et ne dubitemus, panem & uinum, creaturas alioquí uulgares, à suo pristino usu, & prophano statu, ad hanc transferri tam excellentē & nobilem functionem, ut organa spiritus sancti fiant, Euthymius dicit, hoc ea ui filij dei fieri posse, qua ille naturam humanam sibi in eandē hypostasin aptauit, eamq; à gradu communium creaturarum ad intimum dei cōsortium transtulit. Quod autem ista in uiuificum corpus, & pretiosum sanguinem transmutari dicit, id de sacramento eorum exponendum est: uel dicendum, eum id, quod prius obscurius dixerat, posteà interpretari, cum addat: Et in gratiam ipsorum. Nam per panem & uinū, cum iam sint mysteria, spiritus sanctus animis communicantium corpus Christi, & sanguinem spiritualiter offert: idq; gratia symbolorū utcūq; dici potest, quòd ad eā producendā, illa ut instrumēta cōcurrant. Quàm uerò prudenter loquuti sint isti posteriores patres, ipsi uiderint. Certè suis huiusmodi formis dicēdi alie-nioríb. & hyperbolicis Ecclesiæ posteriori maximā errādi occasionē prębuerūt.

Quid sit elementa in corpus & sanguinem Christi conuerti.

Corpus & sanguis Christi gratia quædam symbolorum dicuntur.

Posteriores patres minus prudenter loquuti sunt. Oecumenius.

Verùm Oecumenius quoq; audiendus est, cū & ipse testis à Gardinero citetur. In epistolam priorem ad Corinth. cap. 11. ita inquit: Ad eūdem modum & poculum: erant enim in ueteri quoq; testamento pocula, in quibus libabant: ubi etiam postquam uictimas immolassent, sanguinem irrationaliū excipientes poculis libabant. Pro sanguine itaq; irrationalium dominus proprium dat sanguinem: & bene in poculo, ut ostendat, uetus Testamentum anteà hoc delineasse. Propterea dixit: Nouum testamentum est per meum sanguinem: non per irrationalium sanguinem, ut in ueteri Testamento. Ex ijs colligit Incōstantius: Breuiter, hoc uult Oecumenius tam certò & tā uerè nos bibere in cœna sanguinem Christi, quàm libabāt in suis sacrificijs ueteres sanguinē irrationalium. Verè ac certò nos in Cœna bibere sanguinem domini, haud inficiamur: imò liberè, atq; apertè prædicamus. At eodem modo contineri in calice sanguinem Christi, quo olim continebatur sanguis brutorum in poculis ueteris Testamenti, id nihil necesse est concedere. Neq; id sophista, utut insultet nobis, & amentatā hastam, quàm ab Oecumenio accepit, pro uiribus in nos torqueat, audebit affirmare. Nam sanguis brutorum in pateris Mosaicis uidebatur: hic uerò in calice uinum apparet, non sanguis. Deinde color & sapor in antiquis libaminib. sanguinis bru

torum extabat: in poculo domini nullus color sapórue sanguinis humani sentitur. Quare non eodem modo continetur in calice nostro, quo sanguis brutorum antiquitus fuit in cratere Leuitico.

Quòd si liceat Inconstantio fingere modum, quem putet magis ad suũ mendacium confirmãdum esse idoneũ, dicatq; in poculo domini, sanguinem eius re ipsa contineri, sed inuisibiliter, cum tamen hoc modo sanguinem Christi diuinæ literæ nobis adfuturum nusquam testentur: cur mihi uicissim non liceat aliũ modum pro ueritate tuẽda proponere; nimirũ sanguinẽ domini idcircò haberi in calice, quòd uinũ, quod eius sacramentũ est, in eo contineatur? Et certè uinum esse in calice, de quo dominus bibit, & Apostolos omnes bibere iussit, Christus, ut scribit sanctus Euangelista, indicauit, cum diceret: Amen, dico uobis: nõ bibam posthac ex hoc fructu uitis usque in diem illum, cum illum bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Matthæi. 26. Et, ne credat quisquam de alio genere potus hæc dominum protulisse, illa testatur Euangelista fuisse ab illo dicta, cum Eucharistiæ poculum Apostolis porrexisset. Fuit ergo in calice uinum, uerus inquam fructus uitis. Fuit etiam ibi sanguis domini. Si modum requiris, Sacramentali, respondeo. At dices: Ita etiam in pateris Mosaicis fuisse Christi sanguinem: quoniam & in illis continebatur eius mysterium, seu sacramentum. Verum quidem est etiã patres aliquo modo in illis libaminibus habuisse Dominici sanguinis mysterium. Quomodo enim alioqui eundem nobiscum potum spiritualem bibissent, ut Paulus docet priori ad Corinth. 10. quòd idem Augustinus quoque affirmat super Iohannem tractat. 26. scribens: Hunc panem significauit manna, hunc panem significauit altare dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diuersa sunt: in rebus, quæ significantur, paria sunt. Damus itaque in libaminibus Mosaicis fuisse aliquod sanguinis Christi sacramentũ: at non ita ut in nostro poculo. Quia hic nos non sanguinem brutorum habemus, ut illi habuerũt in suis pateris, de quibus loquitur Oecumenius. Huc enim ille respexit, cum ita scribe-

» » ret: Propterea dixit, nouum Testamentum est per meum sanguinem: non per ir-
» » rationalium sanguinem, ut in ueteri Testamento. Et magis uideri potuit quodammodo Christus, dedisse sanguinem suum Apostolis in cœna, cum iam tempus implendæ promissionis de sanguine illius in cruce fundẽdo esset in foribus: quàm ueteribus patribus sub sacramẽto sanguinis brutorum; cum tot annorum centuriæ distarent adhuc ab illius promissionis cõplemento. Accedebat præterea explanatior eius mysterij notitia ex ipsius Christi dilucidis uerbis, quàm antiqui habere potuerint ex obscuris prophetarum uaticinijs. Hæc ad Oecumenij perspicuam intelligentiam sufficere arbitror.

Ideò Iohannes Damascenus audiendus est, quem Inconstantius celebrẽ uo
» » cat authorem. Is lib. 4. cap. 14. ait: Non est figura panis & uinum corporis & san
» » guinis Christi. Absit hoc: sed est ipsum corpus domini deificatũ: ipso domino dicente: Hoc est corpus: non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis,
» » sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis: Quoniã nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis uitam æternã. Caro mea uerè est
» » cibus, & sanguis meus uerè est potus. Applaudit Damasceni dictis Inconstantius, ita subdens: Hæc ab istis patribus scripta sunt, quasi iam in spiritu præuidissent, exorituros figuratores, quibus iugulandis tela suis scriptis pararent catholicis. Equidem isto boatu, ac strepitu uerborum facile potuissem perterreri: nisi Gardinerum non ignorarem ad huiusmodi epiphonemata & epinicia esse inuictum: qui alioqui sit ad seria inutilis, & in pugna tantùm ostentator ignauus. Et certè de isto Damasceno liceret mihi parum esse sollicito. Nam & recens est scriptor, siquidem uixit sub Leone Imperatore quinto Isaurio, fuitque

post

Quomodo sanguis domini sit in calice.

Quomodo sanguis Christi fuerit in pateris Mosaicis.

Damascenus.

Damasceni authoritas non magna.

post Gregorium Magnum ultra centum annos, quo tempore iam in Ecclesiam multi, & non dissimulandi errores peruaserant: & ipse in plerisq; alijs dogmatis grauiter errauit: & imagines in isto eodem 4. libro defendit: quarū tuendarum causa grauia subijt pericula: neq; tantùm eas faciendas, uerùm etiam colendas, & honorandas iudicauit, & docuit. Reliquias autem defunctorum usq; adeò extulit, ut illas fontes donorum dei uocare non dubitauerit. Sanctos etiam docet fide colendos esse: quod omnino fieri non potest: cum fides tantùm deo, & uerbis illius debeatur. De purgatorio etiam multa comminiscitur: & precibus Gregorij Traianum Imperatorem, non modò idololatram, uerùm etiam sanctorum martyrum atrocem diuexatorem, liberatum ab inferni supplicijs affirmat: & alterius cuiusdam precibus Falconillam item fœminam idololatricam seruatam fuisse, cum iam mortua esset, atq; tartareis pœnis mancipata. Nec ueretur, fabulam de quodā Maccario inducere: qui cum defuncti hominis cranio sit colloquutus: à quo audiuerit, tempore sacrificij missę defunctorum animas, quę supplicijs diuexantur, aliquantò mitius tractari. Totumq; suum sermonem Damascenus huiusmodi fabulis respergit.

Mitto, quàm peruersè scripturarum locos torqueat: & illum præsertim locum Geneseos, ubi dicitur Nohæ, ac liberis eius: Etenim requiram animas uestras de manibus bestiarum. Deus, inquit, in Resurrectione illas requiret: & ex illis uerbis resurrectionem mortuorum probare nititur. Nam inquit, propter hominem bestiæ non morientur. Ignorauit itaq; legem à deo in Exodo latam, ac in Deuteronomio ubi lapidari mandatur bos cornupeta, si quempiam occiderit. Idemq; in capite De Virginitate ita scribit: Si Adamus non peccasset, non fuissent homines in matrimonio commixti ad procreandum. At, quia uidet sibi diuinam sententiam aduersari, qua dicitur, Crescite, & multiplicamini, fingit, homines potuisse fortasse alia quapiam corporis parte multiplicari. Idem postremò, ut ad rem præsentem redeam, uerba torquet Magni Basilij. Nam cum illum animaduertat dicere, panem & uinum esse ἀντίτυπα corporis & sanguinis domini: fingit, hæc de pane ac uino dici ante illorum consecrationem: quod omninò est à uero alienum, cum antequam consecrentur, nihilo plus habeant, quàm alij communes cibi. Porrò si tunc ἀντίτυπα dicerentur corporis & sanguinis domini, iā sacramenta essent ante sacrorum uerborum prolationem. Ad hæc in liturgia, quæ Basilio ascribitur, omninò post consecrationem illa uerba leguntur. Et in Græcorum Canone post consecrationem apertissimè oratur, ut panis fiat corpus Christi. Quin & Latinorum Canon panem appellat sacramentum post consecrationem. Ista, quæ iam commemoraui, & alia huius uiri errata, quę demonstrari in eius scriptis multò plura possent, me, quantum existimo, excusarent, si responderem, causam meam eius authoritate neq; premi, neq; urgeri.

Sed ijs omissis, attendamus, quibus argumentis hanc suam, quam prædicat, mutationem confirmet, & figuram ab Eucharistia remoueat. Primum à dei potentia deducit: qui cum potuerit suo uerbo, cœlum & terram condere, plantas inducere, animantia, uolucres, & pisces, cur non possit ex pane corpus suum facere? At hoc genus argumenti est infirmissimum, ita ut uel pueris sit decātatum in triuijs, à posse ad esse consequentiam esse inualidam. Neq; certè de potētia dei nunc est nobis controuersia. Nemo enim nostrum posse deum uertere panem in carnem, inficiatur. In eo uerò tota est contentio, an id uelit facere. Alterum eius argumentum loquutionis domini forma nititur: qui nō dixerit, Hoc figura aut signū est corporis mei: sed ipsum illud corpus esse dixerit. Ad quod respondemus, non opus fuisse Christum, cum hæc diceret, Apostolos admonere de metaphora, nisi fortè uerendum fuisset, ne illi ita essent mente ac ratione capti, ut,

quod uiderent panem esse, id corpus humanum esse crederent. Metaphora seu figura à re ipsa, quam dominus gerebat, ipso etiam tacente prodebatur. Neq; semper Christus cum figuratam loquutionem protulit, figuram ibi esse dixit. Herodem appellauit uulpem, Petrum satanam, se ipsum uitem, & ostium: in quibus omnibus dictis relinquit audientibus sanam, ueramq; intelligentiam, quamuis eos de tropo, aut figura loquutionis non admoneret. Huius tamen loquutionis in cap. 6. Iohannis habetur explicatio. Ibi dominus appellat se ipsum panem, quòd esset futurus nobis instar cibi. Sic in cœna uicissim panem dicit corpus suum. Quare quemadmodum Christus in sexto Iohannis, quamuis se panem esse diceret, non tamen conuertebatur in panem: ita panis in Cœna, quamuis de eo diceretur, Hoc est corpus meum, re ipsa in aliam substantiam nõ mutabatur. Non rectè itaq; Damascenus colligit, ex eo, quod Christus non dixit, Hoc est figura, ibi non esse figuram. Et certè, quod loquitur, si sic accipiat, ut uerba eius prima fronte significant, omnibus patribus, ex quibus aliquos paulò antè recensui, aduersatur. Nam illi, ut eorum testimonia confirmant, in illis domini uerbis figuram agnoscunt.

Christus cum tropica utebatur oratione, haud semper dicebat figurã in suis uerbis esse.

Nota utile argumentum.

Sin uerò significet, ibi non esse figuram tantũ, quæ nimirùm sit inanis, cassa, & inutilis, nos id libenter admittimus. Non enim facimus sacramenta uacua & inania signa. In suis tamen dictis quædam sparsim habet, quibus uideri possit, non tam crassè, ut præ se fert, sensisse. Nam ita scribit, Panis communionis non est simplex panis: uerùm diuinitatem habet adiunctam. Nos quoq; hoc non grauatim fatemur. Quia in Eucharistia panem communem aut simplicem non ponimus: uerùm iam sanctificatum, atq; in naturam sacramenti conuersum: cui diuinitas idcircò potest dici adiuncta, quòd eo spiritus sanctus, ut sæpius dictum est, tanquam instrumento ad salutem nostram utatur. Sed quidam hoc non ita magnifaciunt, quòd putent illum ibi uocabulo panis ipsum Christi corpus intelligere, quod simplicis hominis non erat, cum diuinitatem haberet adiunctam. Vbi, ut mox ostendam, fallũtur. Id tamen sine controuersia pluris est, quòd hoc sacramentum cum baptismo confert: & consueuisse ait deum, consuetudini humanę sese attemperare. Cum itaq; homines soleant aqua lauare, & ungi oleo, idcirco deus ijs rebus gratiam suam adiũxit, & spiritum baptismo. Ita, cum sit mos hominum edere panem, & bibere uinum, ijs rebus adiunxit suam diuinitatem. At ex Transubstantiatorum sententia non adiunxisset gratiam suam, aut spiritum, aut diuinitatem illis naturis, sed potius illas expunxisset, & substantiam panis & uini abiecisset. Ex uerbis item nunc adductis apparet, Damascenum sentire, uino ac pani diuinitatẽ adiungi: unde non est necesse ut cum superius idem uidetur dicere, per uocabulum panis, Christi corpus intelligamus. Ad hæc ratio collationis eius requirit, ut sicut baptismi coniunctio cum gratia & spiritu sancto, non expungit aut repellit naturam aquæ: sic res huius sacramenti non perdant aut abijciant symbolorum essentiam. Ait deinde, ita deum nostrę se attemperasse consuetudini, ut per ea, quæ sunt consueta, & secundum naturam, in ijs, quæ sunt supra naturam, collocaremur. Quibus dictis nostram significat in Christum transmutationem: quæ ut non mutat naturæ nostræ substantiam: ita uidetur innuere symbolorum naturas in hoc mutationis genere substantiam suam non mutare. Atq; hoc etiam obseruandum est, symbola sacramentorum ab eo dici secundum naturam. Quî potest igitur fieri, ut accidentia tantum sint absque subiecto, quæ in seipsis contectum habeant corpus Christi? Profectò si hoc modo res habeant, ut illi fingunt, symbola illa secundum naturam esse non possunt.

Video equidem, istum Damascenum uerbis uti quibus doceat, naturam panis transmutari, transumi, & effici corpus Christi: quæ si de mutatione sacramentali,

tali, ut sæpè loquuti sumus, intelligantur, nihil causam nostram lædunt. Quodq; ait supra naturam ista fieri, assentimur. Non enim est naturale, ut ex cõmuni uul garíq; pane sacramentum fiat: sicut nec ex aqua lauacrum regenerationis naturaliter constituitur. *Mutatio sacramentalis est supra naturam.* Ab eo autem si exigas modum istius transmutationis, panis, inquam, & uini in corpus & sanguinem Christi, respondet, nobis quoque facile non esse, modum explicare, quo naturali alimento panis transeat in carnem nostram. Sed quod ad hoc attinet, dici potest, si allatum simile generaliter sumatur, ut in sacramento Eucharistiæ aliqua mutatio concedatur, sermoni scriptoris huius est satisfactum. Sin uerò speciatim collationem uelit fieri, ut talis sit mutatio panis in Eucharistia, qualis est mutatio alimẽti in corpore animantis, tum non solùm natura panis expungenda erit, uerùm eius etiam accidentia: cum ea prorsus aboleantur, quando ex huiusmodi cibis nostrum corpus nutritur.

Hæc pro qualicunque Damasceni excusatione scribere uolui: ne lector arbitretur, me patres è næuo, uel ex crepundijs, ut dicitur, uelle iudicare, sed potius operam dare, ut ex toto corpore scriptorum, quæ ipsi ediderunt, illorum sententiam, quàm fieri potest, maximè uerisimilem, & piam assequar. Quòd uerò post hæc Damasceni dicta iste palæstricè spatiatur, clamatq; patres talia scripsisse, quasi spiritu præuiderint figuratores exorituros, ad quos iugulandos tela Catholicis præparauerint, hæc fortasse uera possent uideri, si res Theologica ita esset comparata, ut luris peritorum, qui putant defringendo surculum possessionem fundi usurpari. *Quomodo sit de patrum sententia iudicandum ex illorum scriptis.* At in patrum scriptis non ita est agendum, ut ex una uel altera sententia malè miserecq; detorta, statim iudicetur, quid illi senserint. At quid isti faciamus? præceps est Inconstantius, & adeò cæcis oculis in ipsam ueritatem impingit, ut in dictis patrum quiduis arripiat: neque possit, quid pro se, quidue contra se faciat, discernere. Damascenum, ut sumus testati modò, pro se citat: at interea non expendit, quàm illum claudum, & suis mendacijs uix semifauentem habeat.

Postremo denicq; loco, ne quis uideatur iusto patrum numero defuisse, Theophylactus inducitur; qui 28. cap. in Matthæum sic scribit: Porrò dicens, Hoc est, corpus meum, ostendit, quod ipsum corpus domini est panis, qui sanctificatur, altario, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura: sed, Hoc est, corpus meum. Ineffabili enim operatione transmutatur: etiamsi nobis uideatur, panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem. Et ideò panis quidem apparet: sed caro est. Idémque in Marcum 14. Cum benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panem: id quod etiam nos faciamus, preces adiungendo, Hoc est corpus meum: hoc, inquam, quod nunc sumitis. Non enim figura & exemplar dominici corporis panis est: sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit, Panis, quem ego dabo, caro mea est: non dixit, figura carnis meæ: sed caro mea est. Et iterum, Nisi ederitis carnem meam. Verba Theophylacti hucusque sunt allata. Sed præstat Inconstantij triumphos audire: Hæc tam clara, tam certa, & tam aperta, inquit, sunt, ut de lectoris æquitate diffidere uidear, si illa coner annotationibus tractare. Deinde ueritùs ne testium adductorum numeri lector fortassis oblitus, quemadmodum par est, eorum multitudinis rationem non haberet, illos, quasi pecudes essent, in unum gregem cogit. Atque ait: Produxi ex patribus Iustinum, Irenæum, Origenem, Cyprianum, Athanasium, Iuuencum, Emissenum, Basilium, Epiphanium, Ambrosium, Theophilum Alexandrinum, Chrysostomum, Hieronymum, Cyrillum, Augustinum, Euthymium, Oecumenium, Damascenum, Theophylactum: qui omnes superiorum sæcu-

Theophylact.

„ lorum fuerunt ante annos septingentos. Quòd si in citandis nominib. ambitio-
„ sus essem, quantum eiusdem sententiæ conficerem catalogum? Quis in alijs,
quæ posthac dicturus est Inconstantius, eum habeat pro homine bonæ fidei,
cum audiat eum nunc negare, se tot patrum nomina ambitiosè congessisse? Nul
lum sanè, quem adducere posset, omisit. Et ceu nouus quidam Vulcanus hanc
Pandoram sui delitij ad omnium patrum ueterum commentarios circuntulit:
ut à singulo quoque ipsorum aliquid in eam ornementi conferretur: quò morta-
libus, quos per eam decipere studet, fucus aliquantò uendibilior uideretur. Si
ambitiosus non fuit in congerendo tot nominum censu, cur non tres, quatuóruc
testes satis esse iudicauit? Si hoc non est, quid, obsecro, tandem erit, nomina pa-
trum ambitiosè iactare? Illorum sigillatim induxisse testimonia parum erat, nisi
eorum nomina magna quadã pompa in epilogo fuissent expressa, & lectori ante
oculos posita: quò, scilicet, illius labori parceretur, quem nimis grauem fore iudi
cabat, si testimonia singula huius catalogi, non minus mendacis, quàm numero-
si, fuissent illi ab initio repetenda.

Mirantur quidam ingenium Homeri, qui catalogum auxiliarium na-
uium, & copiarum cum Troiani, tum Græcorum exercitus adeò ingeniosè tin
xerit, & tam congrua serie digesserit: cum tamen ille præ nostro Inconstantio
nihil fecerit. Longè quippe Homero facilius erat fingere, quod uellet, quàm illi
fuerit in scriptis patrum uariare, mutilare, torquere, ut pro mendacio facerent,
quæ illi bona fide scripserant pro ueritate. Fuit quidem Homerus citra contro-
uersiam insignis poëta: & iste citrà controuersiam luculentissimus est impostor.
Vult sibi credi, se in ijs recensendis patribus non fuisse ambitiosum. Impetrasset
id fortassis, si in Augustino, aut Ambrosio, aut saltem Cyrillo desijsset. Ve-
rùm quando usque ad Theophylactos, si deo placet, suum catalogum digerat,
quomodò illi potest fides haberi? Proferat, obsecro, quos omiserit. Circunspi-
ce, quæso diligenter: uide, obsecro, num quis ex ueteribus absit, quem non ad-
uocaueris. Vix alioqui persuadebis cuiquam, te in hac re non fuisse ambitio-
sum. Iam sentio: saluus est hominis pudor. Vnus abest: nimirum, Theodore-
tus: uir alioqui sanctitate, doctrina, & ætate clarissimus, qui unus ex multis esse
potuit. Sed uidendum est, utrum ita remissus fuerit Gardinerus, ut hunc testem
negligentia quadam, & simplicitate præteriret, quod sanè illum ambitionis cri-
mine liberaret: an potius ita callidus, ut illum uafricie quadam, et astuta cautione
dissimularet, ne in suo catologo testem haberet eum, quem sciret contra se quàm
apertissimè dicturũ testimoniũ. Iam non tantũ ambitiosus est, sed callidus etiã
ueterator: qui deprecet ambitionis crimen, quòd nõ omnes recensuerit patres,
quos potuisset, cũ tamen nullos præterierit, nisi eos, quorum testimoniũ sciret se
casurũ causa: nimirũ, Theodoretũ, Fulgentiũ, Vigiliũ atq; alios cõsimiles. Verũ
illi condonandũ censeo: nã impotens habet ingeniũ, & ei nõ potest nõ obsequi.

Vidimus iam, quàm propemodũ nihil sit adiutus Inconstantius istis testibus,
Theophylactus nõ est antiquus scriptor. quos hucusq; adduxit: utq; illi potius à nobis, cq; ab ipso steterint. Ideò et de Theo
phylacto nõnulla sunt, non indigna, quæ à nobis proferant. Scriptor ille non est
adeò antiquus: uerùm admodum recens. Et licet qua ætate uixerit, quod sciam,
literis consignatum non extet, sunt nihilominus aliquæ satis probabiles cõiectu-
ræ, quibus diuinare possimus illum in tempora superstitiosa incidisse. Nam Bul
gari, quorum ille fuit archiepiscopus, Christi religionem sub Nicolao Episcopo
Romano eius nominis primo, anno domini 865. susceperunt. Neque Theophy
Quãdo Bulgari susceperint Christianismũ. lactus eorum ecclesiæ statim ab initio præfuit: quoniam illi primo tempore cum
Ecclesia Romana senserunt: at posteà, cum illa cœpisset displicere, ad Eccle-
siam Constantinopolitanam Latinis relictis sese contulerunt. Fuisse uerò

Theo-

Theophylactum Latinis aduersarium, expositio eius in 3. caput Iohānis demonstrat: ubi Latinorum sententiam de processione spiritus sancti à patre, & à filio, redarguit: noscp contendit errare, qui sic existimemus. Quare Theophylactum aliquantò posteà Bulgarorum archiepiscopum fuisse constat, quàm ea controuersia de spiritu sancto moueretur. Circa quæ tempora iam in Ecclesiam permulta dogmata cum impura, tum peregrina irrepserant, & de hac ipsa Transubstantiatione cœptum erat agi: imò ea iam quodammodo recepta erat. Quia Berengarius Andagauensis archidiaconus, cum se opponere ausus esset, à Leone 9. concilíabulo Vercellis habito, condemnatus est circa annum Domini 1049. Et posteà sub Nicolao eius nominis secundo, qui fuit anno Domini 1059. Romę coactus est ad palinodiam: quæ adeò turpis fuit, & indocta, ut satis queat de statu Ecclesiæ illorum temporum testari. *Berengarius.*

Ideò non mirandum est, si Theophylactus uir alioqui non magni iudicij ob suorum temporum tenebras aliqua scripserit, quæ non nihil à uero sint aliena, Vnde authoritas eius nō tanti facienda est, ut per eam ueritati quicquam debeat præiudicari. Quod enim patribus multò eo sanctioribus, doctioribus, ac uetustioribus dandum non est, quomodo isti obscuro, minus docto, ac recentiori tribuemus?

Attamen dicta eius, quæcunq; sint, excutiamus, ne illa contempsisse omninò uideamur. Super Matthæum cap. 26. ut Inconstantius locum illum adducit, Panem Eucharistiæ inquit, corporis Christi figuram non esse. Vbi si uacuam & inanem figuram excludere uoluit, rectè sensit: necq; sanè nos figuram eius generis hic ponimus. Atq; hanc interpretationem ut uerbis eius conuenire credam, eò adducor, quia scribens in Marcum rem eam magis explicuit. Dicit enim panem non esse figuram tantum. Quamuis alij clamitant particulam tantum in Græco textu non haberi. Sed ego ista de re infra, cum rursus de hoc authore agetur, iudicium meum aperiam. Quod si uellet ab hoc sacramento figuræ omne genus excludere, à cęteris patribus apertè dissentiret, quorum anteà citaui luculentissima testimonia. Vtitur quidem ijs uerbis transformari, conuerti, transelementari: quæ si ad sacramentalem, ut ita dixerim, mutationem referat, illi nòn repugnabimus. Nam panis & uinum, cum adhibentur ad sacram communionis functionem, sacramenta fiunt, & in elementa diuinarum rerum transeūt, formamq; symbolicam induunt.

Sed inquiunt, istum scribere, carnem & sanguinem idcircò non uideri, ut ne à sacramenti usu abhorreamus. Fateor loquutionem hanc aliquanto duriorem esse: præsertim si accipiatur in eum sensum, quasi significet corpus, & sanguinem domini re ipsa in pane uel in eius accidentibus inuisibiliter concludi. At colligamus inde propterea uoluisse dominum corpus & sanguinem suum animo ac fidei piè communicantium offerri: carnali autem ori tantùm uisibilia sacramenta ministrari: quia si caro & sanguis re ipsa in os communicantium ingereretur, nasceretur horror, essetq; nostræ naturæ cibus ille & potus intolerabilis. Et, siue appareant, siue nō appareant, omninò crederetur flagitium, hominis carnem & sanguinem uel edere, uel bibere. Ideoq; Augustinus de Doctrina Christiana censebat, ad figuratam loquutionem esse confugiendum. *Augustinus.*

Sed quoniam ista uerba Theophylacti aduersarijs arrident, quare nō ita è diuerso expendunt, quid in Marcum idem scripserit: species, inquam, panis & uini in uirtutem corporis & sanguinis domini conuerti? Certè hoc eius dictum sententiæ nostræ omnibus modis astipulatur. Quando enim panis & uinum sacramenta fiunt, iam instrumenta diuinæ uirtutis, ac potentiæ spiritus esse incipiunt. Quòd si dixeris, Theophylactum alibi nō scribere species panis & uini *Panis & uinū in uim corporis & sanguinis Christi conuertuntur.*

in uirtutem corporis & sanguinis domini conuerti, sed in ipsum corpus & sanguinem domini: respondebo, quod in Marco ab eo memoratur, iustam esse interpretationem illius sententiæ durioris, quam alibi posuit. Et sanè haud minus efficaciæ, ac uirtutis habent sacramenta, quando illis in sacra functione spiritus sanctus utitur, quàm si res ipsæ quoad substantiam in illis essent. Ideoq; nomina ipsarum rerum iure sortiuntur, & horror, ut dictum est, communicantium tollitur: quando harum specierum, non in res ipsas, uerùm in uirtutem earum fit mutatio. Atq; ut de Theophylacto semel finiamus, referam id quod ille scribit in 6. caput Iohannis. Sicut mutabatur, inquit, dum super terram Christus uiueret, panis in carnem eius usitata ratione alimenti, per naturalem transmutationem: sic iste panis mutatur in corpus Christi. Non diffiteor, sententiam hanc non nihil uiolentam esse: neq; illam iuxta sensum, quem præ se fert, admittendam censeo. Vnde ab eo peterem sicuti à Damasceno, cum istud idem simile ab eo allatum expenderem, utrum collationem hanc generaliter fieri uelit, an speciatim? Si primùm dixerit, nõ litigabimus: quia in Eucharistia symbolorum qualemcunq; mutationem concedimus, nempe sacramentalem. At si dixerit, similitudinem se uelle ita intelligere, ut illam proponit, nimirum ut ita uerè mutetur panis in sacramento Eucharistiæ, quàm uerè conuertebatur in substantiam corporis Christi, cum dominus illo uesceretur, agens adhuc in terris, grauissimum absurdum euitare non potest, quodq; cum Trãsubstantiationis sententia ualdè pugnet, nempe symbolorum species uel accidentia in hoc sacramento non esse retinẽda: quandoquidem in alendo corpore Christi dum hic uiueret, illa non retinebantur. Nã ita panis, quo uescebatur in carnem eius transibat, ut nulla panis amplius indicia, seu uestigia remanerent.

Nec; tacebo istum eundem interpretẽ in sextum caput Iohannis, uerba illa exponentem, Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, ita scribere, Hoc fieri dum quodammodò miscetur mihi, & transelementatur in me, qui possum uiuificare. Quibus uerbis, quemadmodum cæteri patres, tantam esse docet nostri mutationem in Christum, ut nos in eum dicat transelementari. Et nihilominus nemo sapiens, dicere audebit, pios homines in Christum transubstantiari, quasi substantiam, naturamq; suam amittant, quam prius habuerunt, & solùm eius retineant figuram, & accidentia. Non itaq; debemus ex uerbo transelementandi statim colligere transubstantiationem; ut nostri doctores prodigiosi confinxerunt. De Theophylacto satis iam esse, quæ dixi, existimo.

Nos in Christũ transelementamur.

Insultatione tandem amarissima Gardinerus absoluit suum catalogum. Et ostentata confertissima turba testium ornat illos uicissim suo testimonio, attribuens eis authoritatem, dictorum pondus, ætatis uenerationem, & consensum maximum. Deinde in nos tonat, & fulminat canina sua facundia, qui simus recentes, tenebricosi, pauciss imi, nostro scelere clari, uel infames potius. Quis contra hæc uel mutire audeat? præsertim cum illi antesignani partium nostrarum, quamuis pauculi essent, & potius uiderentur, quàm essent, iam obierint. Berengarium dico, Viclephum, Oecolampadium, Zuinglium, Ioachimum Vadianum: superstintq; tãtum minorum gentiũ dij, testes falsi illi quoq;, sed cum istis, qui aliquid uidebantur, haud connumerandi: quoniam suum ferè nihil habent: sed quod ab alijs acceperunt, mangonizant, deinde & popello uendunt. Hæc sunt Inconstantij gloriosa ἐπινίκια. Iam quasi debellatum sit, & parta uictoria contra puluerem & sanguinem, arroganter & superbissimè triumphat. Meminerit tamen uelim, in tanto triumphi strepitu nõ esse magnam & solidam laudem, quam sibi ipsi quispiam attribuat; sed quæ aliorum sano iudicio cõstet. Deinde cogitet,

cogitet, prudentes lectores flumine inanium uerborum non facilè conturbari. Ornat patres, quos citauit, dignis encomijs. Gaudemus. Quia, ut demõstratum est, nobis potius illorũ testimonia fauent quàm ipsi. Quod cum ita sit, qua fronte paucos, tenebricosos, infames, & recẽtes appellare potest nostros testes? Nostri sunt, quos facit suos. Viclephum deinde, Zuinglium, Oecolampadium, Vadianumq́, uiros integerrimos, atq; doctissimos absque ullo pudore contemnit, proscindit, lacerat, & indignis modis, quæ est illius episcopalis mansuetudo, infamat: ut qui nesciat, iam illos extra iactum telorum esse. Ideoq; sanctissimis hisce uiris, huius impuri & crudelissimi carnificis furor & insania nihil nocet. Quiq; superstites adhuc sunt, & eorum, qui præcesserunt, pietatem & doctrinam æmulantur, dij minorum gentium contemptim ab isto uocantur: quia scilicet nihil illi uidetur magnum, quod pedo, mitra, sigillo regio, equitatu superbo, auro, argento, gemmis, & torquatorum comitatu non sit ornatum atq; illustre.

Si nihil è suo illi habent, sed ab alijs accipiunt, mangonizant, & popello uendunt: dic quæso tu, maximarum rerum inuentor, quid in tuis rhapsodijs habeas, quod tuum queas dicere? Certè si ex tuis libris mendacia, sophisticen, & uulpinam astutiam auferas, cætera omnia sunt aliena. Putas fortassis homines ignorare, quibus operis, quóue Theseo, seu Achate in tuis istis elucubratis tenebris, ac tumidis elatisq; libellis fueris usus? Scitur, & plusquam credas, exploratũ est, te alienis uidere oculis, & alienis manibus permulta scribere: quæ prius alieno edas nomine, non quòd ab alijs conscripta esse uelis confiteri, sed quòd illi captandæ gloriolæ, quam miserè deperis, tempus uideris nõ fuisse idoneum. Quo posteà commutato, nomen tuum alienis laboribus ascribis: teq; pauonis plumis, insolertissimus graculus, impudentissimè iactas. Hoc pacto metis, quæ nõ seminasti, quæq; ipse non consuisti, glorioſè induis.

Gardinerus in inscripsit libro suo nomen alienum.

Alij, inquis, mangonizant, quæ ab alijs accipiunt. Sed tu si quid fuerit ab alijs forte fortuna bene scriptũ, id totum non mangonizas, sed uitias, & corrumpis.

Veruntamen, ut de me ipso quod est dicã, summę laudi semper duxi Theologica scribendo, si, quàm minimum fieri posset, minimum afferrem ex meo: sed omnia ex diuinis literis, aut ex orthodoxis ac ueteribus patribus depromerem. Te uerò facilè concedam & tuos illos, qui te in tuis consarcinãdis iuuerunt, paucissima reuera inseruisse aliena, sed omnia propemodum sua congessisse. Nam licet interdum uideantur citare aut scripturas, aut patres, non illos tamẽ, ut tu dicis, mangonizant, sed uitiant, corrumpunt, & nihil iusto sensu, aut integra narratione, ad animum scribentis referunt: omnia flectunt, imò potius torquẽt ad errorem, quem tueri & confirmare nituntur.

Postremò, si deo placet, nos falsos testes appellat: se ipsum præ nobis os ueritatis prædicans. At ueritas simplex est, & eadem semper manet. Tu uerò frigidum & calidum ex eodem ore tuo frequenter soles flare. Idcircò nemo prudens facilè credet uera esse, quæ loqueris. Non'ne enim tu ipse Gardinere libellum de Vera obedientia in Papam scripsisti? Non'ne deinde idem tu consilio, suffragio, & publica cõcione Papam reuocasti? Non'ne pugnantia pro diuersitate temporum testimonia dixisti? Quis igitur deprehenditur falsus testis? Inconstantius, opinor: & ita deprehenditur, ac tenetur medius, ut absolui nequeat saluo iudicium pudore. Subscriptione tua primum librum rituum Anglicorum confirmasti, quo missa priuata, et peregrina lingua fuerat abolita. Deinde inter primos eãdem, quã prius manu tua damnaueras, missam fecisti. An falsus testis nõ conuinceris? In tuo libello, quẽ cõtra diabolicam sophisticen olim scripsisti, pronũtias de ijs uerbis domini, Hoc est corpus meũ, pronomen, Hoc, panẽ demonstrare. Modò contendis individuum uagum ostẽdi. Quomodò igitur nõ testaris falsa?

Libellus Gardineri de uera obedientia.

Inconstantia Gardineri.

Proinde uide, obsecro, ne posthac huius criminis quenquam accuses, cũ ipse illo maxime graueris. Alioqui tibi dicetur, Medice, cura te ipsum: & mãticam aliquando respice, quam in tergo gestas.

Concludit tandem ad hunc modum hanc suam decimamtertiam responsionem: Et uerborum Christi authoritas agnoscitur, quæ sensu suo proprio catholicam de Eucharistia fidem & ueteribus prodiderunt, & firmarunt nobis. Qua fronte, quo ore à ueteribus ait, uerba Christi fuisse proprio sensu accepta: cũ patres panem signum corporis Christi esse scripserint, idq; passim, aliquando figuram, & nonnunquam ἀντίτυπα, & nominatim Augustinus, ut docui, loquutionem hanc inter figuratas retulerit? Vellet sanè hic triumphare Gardinerus. At patrum antiquorum senatus neq; triumphũ illi, neq; ouationem decernit. Abijciat igitur lauream, & fasces, priuatusq; in decimamquartam resposionem ingrediatur, cum in hac decimatertia tam diu sine fructu sit commoratus.

OBIECTVM XIIII.

QVICVNQVE imponit fidei, scripturæ sensum extraneum, qualem spiritus sanctus nõ requirit, est hæreticus. At sensus horum uerborum, Hoc est corpus meum, si statuatur, quasi substantia latẽs realiter sub ijs accidentibus absq; subiecto sit corpus Christi, uel quod per eorum uerborũ prolationẽ substantia panis transeat in corpus Christi, extraneus est, neq; à spiritu sancto requiritur: proinde, qui sensum hũc defendunt, sunt hæretici.

GARDINERVS.

MAIOR *propositio contra figuratores maximè facit. Nam ipsi extraneũ & nouum sensum ingerũt, quem spiritus Domini non flagitat. Nam inquiunt, Christum solam corporis sui figuram dedisse: cum in uerbis Domini nulla sit figuræ mentio.*

MARTYR.

CAlumniam istam sæpius iam dilui. Ideoq; bona cõscientia lectorem ad ea, quæ dicta sunt, possem relegare. Sed tamen ut dilucidior fiat nostra sententia, primùm dico sacramentum duplici parte cõstare, signo, inquam, & re significata. Vbi quæso audiuit nos Inconstantius docere, sacramentum fidelibus non integrum, aut mutilatum dari? Nos hoc nunquam diximus: dari affirmamus integrum: ita ut os corporis externa symbola sumat: significatum uerò, id est corpus & sanguis Christi, mente per fidem & spiritualiter accipiatur. An enim dum Euangeliũ prædicat audientibus, dantur solùm uoces & soni? Certè unà cũ illis etiam significata dantur: quãuis loco, & longis interdum spatijs distent. Est itaq; mera, & impudens calumnia, qua perpetuo ab hoc sycophãta indignè premimur, quasi statuamus, communicantibus nudam figuram dari.

Fidelibus integrum datur sacramentũ duabus partib. constans.

Laborat præterea rursus in explicando sensu uerborum Christi: & nihil noui adfert, sed suum illud indiuiduum uagum denuò nobis obtrudit: quasi prius non satis, uel potius non ad nauseam usq; audiuerimus. Neq; repetitio hæc alium de oritur, quàm ex φιλωτίᾳ: ualde quippe sibi iste hoc inuento placet, quod tamen proprium eius non est. Siquidem Scotus, inter Scholasticos Theologos non ignotus, eiusmodi uago indiuiduo ea uerba, Hoc est corpus meum, censet inter-

Scotus illius indiuidui uagi author.

interpretanda. Sed ipsum Gardinerum audiamus: Christus accepit panem in manibus: unde unam tantummodò substantiam habuisse Christum in manibus constat. Deinde illud unum Ens in substantia, quod habebat in manibus demonstratione, Hoc, significans definiuit esse corpus suum, dicens: Hoc est corpus meum, quod & definiendo effecit, cum uerba sint, quæ Christi sunt, operatoria. Christum inquit, in manibus unam habuisse substantiam, id est, unum ens in substantia. Quis hic non stupeat, qui audiat, indiuiduum uagum, ens unum in substantia, quod ad nullam adhuc speciem seu formam substantiæ pertineat, sed indefinitum sit, tamen in manibus haberi? Mente quidem ista possunt concipi: sed manu teneri non possunt. Et Christus, ut Euangelistæ atq; Paulus testantur, panem accepit in manibus. Non igitur in manibus habuit ens in substantia, quod non esset definitum.

Indiuiduum uagũ concipi mente potest, sed manu teneri non potest.

Deinde subijcit: Prædicatum uerò quoniam ex nomine, Corpus, cõsistit, aperit illam substantiam, quæ in subiecto pronomine illo, Hoc, obscurè notabatur, esse substantiam corporis Christi. Mirum, & absurdissimum profectò est, quod hic molitur: pronomine hoc, fuisse notatum, licet obscurè, substantiam, quæ in manibus habebatur, fuisse corporis Christi substantiam. Quid enim potuit notari, quod uerum non erat? Substantia quippe, quam dominus accepit, & in manibus habuit, panis fuit, ut Euangelistæ perhibent: ut sensus iudicabant: ut ipsi oculi omnium astantium cernebant. Ad hæc sese torqueat, quantum uelit, Inconstantius: non potuit subiecto illius propositionis corporis Christi substantia uel obscurè, uel clarè notari, salua sermonis ueritate: cum ibi Corpus domini tum temporis, cum diceretur, Hoc, sub accidentibus nõ adfuerit. Non enim substantia panis discedit, corpusue Christi succedit, nisi cum tota propositio completa sit, ut omnes, uel Papistícissimi theologi definiunt. Eat modò Gardinerus, ac solus fruatur Chimera sua, quæ ut à ueritate orthodoxa dissentit, ita ne cum Papistícis quidem decretis conuenire potest.

Confert postea se ad explicãdum id, quod aiunt corpus Christi latere sub accidentibus. Hunc sensum ait, duplici nomine uerum esse: primò, quòd omnis substantia lateat: deinde quia Christum dedisse corpus suum non specie uisibili, res ipsa docet. Quod ad primum attinet, fatemur quidem, sensus externos ad ipsam non pertingere rerum substantiam: at illam haud concedimus latere, cum se ipsam prodat certis proprietatibus & accidentibus. Vnde meritò dicimur, uidere panem, uidere uinum, uidere terram, uidere cœlum, & denique substantias omnes, quas, quòd sentiantur, sensibiles appellant. Quamobrem summæ essent cæcitatis & oscitantiæ, statim cum isto dicere, omnẽ substantiam latere. Id enim ille facit quò pro sua uoluntate, nulla autem cum ratione concludat, corpus Christi eo nomine latere, quòd sit substantia: imò è diuerso, cum substantia sit ex earum numero, quæ sensibiles dicuntur, iuxta naturam suam non debet dici latere, sed potius abesse, cũ suis proprietatibus & accidentibus sese non prodat. Quòd si fieri uultis miraculo ut corpus Christi sese non declaret, non oportet causam illius occultationis ex natura substantiæ quærere.

Substãtiæ sunt sensibiles.

De altero uerò, nempe quòd Christus corpus suum non uisibili specie dederit, si rectè intelligatur, non inficiabimur. Nam & nos docemus, Christũ offerre corpus & sanguinem suum per fidem à mente spiritu q; nostro percipiendum. Neq; fides ad capienda ea, quæ credimus, uisibili specie indiget. At hinc non sequitur, corpus Christi latere sub accidentibus panis & uini. Nam probè potest à fidelibus spiritualiter comedi etiam manens in cœlo, & sedens ad dextram patris. Quapropter Inconstantius duabus rationibus, quibus probare uoluit corpus Christi latere, latuit se ipsum bis in una re ineptientem.

At maius opus mouet, quando post explicare nititur, quare substantia panis abijciatur, & accidentia sine fulcro subiecti, pendula in aëre maneãt, contineãtq; in se latens domini corpus. Sic ait: Quemadmodum autem illud unum, quod Christus manibus tenebat, erat antea per naturam substantia panis, nunc autem ab eo qui id efficere possit, dicitur substãtia corporis, scilicet, quia corpus, quod est nomen substãtiæ, illam unam substantiam determinat, excluditur illa unitate binarium: atq; ut ne bina sit substantia, non possit dici consistere illa substantia panis: cuius tamen accidentia sensibus manent, quemadmodum species corporis Christi sensibus non exhibentur: quoniam unum illud in substantia, hoc, indicat, quod sub accidentibus panis omninò lateret. Quæ singula si consideres reperies hunc sensum ex uerbis cõstare, substantiam latentem corporis Christi sub panis accidentibus uerè re ipsa exhibitam esse: quod tantundem ualet, quasi dicas, Realiter. Et quia substantia panis abest, quæ illorum accidentium panis subiectum erat, dicuntur accidentia manere sine subiecto. Nam dicere, illa accidere corpori Christi, quod neq; augetur, neq; minuitur, est absurdum. Vnde liquet, ex uerbis Christi hunc sensum colligi: uidelicet, substantia latens realiter sub hoc accidente sine subiecto, est corpus Christi. Ex ijs tam longis ambagibus, quis nõ uideat, peregrinum & alienum sensum esse, quem uerbis domini affingitis? Nusquam diuina scriptura istis uocabulis, aut loquutionibus usa est. Isti conantur ex ea, uelit, nolit, & sensus & sermones exculpere: non quos ferat, sed quos ipsis uisum fuerit. Libenter de Gardinero uelim discere, quid illud unum fuerit, quod Christus in manibus habuit, cum inciperet loqui. Dicit mihi, quid fuerit antea: nimirùm panis. At quando tandem panis esse desijt? An cum Christus dixit, hoc? Et quid est illud unum in genere substãtiæ, quod, hoc, demonstrat? Corpus Christi non est, quia nondum absoluta est excantatio quinq; uerborum. Demonstratur itaq; panis. Quod ne concedat Inconstantius, unum illud in genere substantiæ fingit, non definitum, neque terminatum, sed per prædicatum, nempe Corpus, quod est similiter in genere substantiæ, finiri, terminari, ac declarari. Atq; hoc inani fictoq; commento triumphat noster inuictus Achilles, sibiq; adeò illo blanditur, ut fermè nil aliud queat uel cogitare, uel scribere. Hoc tamen addit nouí, unitatem illam naturæ, uel substantiæ, quæ significatur per pronomen, hoc, & declaratur aut finitur in prædicato per uocem Corpus, adeò esse necessariam, & omnibus modis retinendam, ut binariũ omninò excludat: ideoq; non possint duæ substantiæ panis, inquam, & corporis Christi simul esse, ac manere in Eucharistiæ sacramento. Magna sanè uis est illius pronominis, hoc. Quis unquam putasset ab eo tantam iniuriam substantiæ panis potuisse fieri, ut illam suo loco extruderet? Seruanda, inquit, est unitas, cum demõstratur illud unum, quod est in genere substantiæ: neq; binarius admitti potest numerus substantiarum. Sed age, accipiamus ferrum candens, cui iam ignis sit admixtus. Nónne licebit de illo dicere, hoc est ferrum? Certè licebit, & passim ita loquimur. Permittatur mihi nunc Inconstantij uti sophistica interpretatione. Hoc, quod est in subiecto, unum demonstrat indefinitum in genere substantiæ, quod terminandum, finiendum, & declarandum relinquitur prædicato, scilicet, ferrum. Tum quæro, an hic uerè conficiatur, binarium substantiæ nullo modo posse admitti, sic, ut simul & ignis, & ferrum non queant consistere. Profectò, si Gardinerus inficietur ignem hoc casu adesse, oporteret ei candenti ferro uel in fronte, uel in manu dextra cauterium inurere: ut ne minus has partes corporis gestaret cauteriatas, quàm cõscientiam. Præterea quiuis uidere potest, quàm longè iste cum sua spinosa interpretatione discedat à uero: cum scripturæ panem appellent id, quod uocatur corpus Christi: & patres scribãt passim, dominum uocasse panem

In ferro candenti est binarium naturarũ

corpus

corpus suum. Et ne ambigas de quo pane loquantur, de illo se testantur agere, qui est fructus terræ, & secundum nos creatura.

Sed fortassis iste, qui alioqui totus est Theologus, & in rebus diuinis humanam rationem & sensus iubet ualere, hic personam, quam sustinet, aliquantisper deponit: existimatq; nõ pati naturales rationes, & sensum cõmunem, duo corpora, quæ sint de genere substãtiæ, simul esse, aut sese mutuò penetrare. Si hoc dixerit, mirabor, cũ sępè nobis obijciat, corpus Christi trãsiuisse per fores clausas, atq; ita, ut contra naturæ leges ibi duo corpora simul fuerint. Nisi fortasse uelit, & fores illas, per quas dominum ait transiuisse, in corpus Christi transubstantiare: ut illæ iam desierint esse lignum, ea saltẽ parte, qua dominus penetrauit: ne illa parte ostensa si quis tunc dixisset, Hoc est corpus Christi, demonstrãdo illud unum per hoc, quod est in genere substantiæ indefinitum, declarãdum posteà per prædicatum corpus Christi, binarium admitteret substantiarum, quod esset in Theologia Gardinerica flagitiũ inexpiabile. Quales itaq; sint collectiones Incõstantij, unicus iste locus apertè docet, ubi ex illis quinq; uerbis Christi concludi uult, substantiam latentem realiter sub hoc accidente sine subiecto, esse corpus Christi. Certè sensus eiusmodi indè non colligitur: nisi quantum uos eam orationem tyrannica uiolentia à tropo suo diuellitis. Verũ audiamus de Transubstãtiatione, quid cõminiscatur: Supereſt de Transubstantiatione dicere, quam alij mutationem, alij conuersionẽ, alij transelementationem dicunt: sed simplicissimè, qui transubstantiationẽ. Nam hoc uerbi nihil altius ingreditur mysteriũ, q; quasi dicas: Alia substãtia fuit in manibus Christi, quæ modò nõ est: alia porrò modò est, quæ anteà non fuit. Ergo, dicet carnalis, illa, quæ fuit, perijt. Respondeo, quia in manib. Christi nihil perit, fugio illa absurda dicere: & quia melior substantia succedit, nõ est annihilatio. Sed desinere illam dico in meliorem: quæ uerba summa ueritate nitunt. Atq; hãc desinentiã alij conuersionem dicebãt, alij mutationem. Quæ uerba quoniam calumniandi materiã dabant hæreticis, ex naturalib. conuersionibus & mutationibus argumenta ducentibus, simplex catholicę ueritatis sensus uerbo transubstantiationis expressus est: ut omissis uerborũ argutijs, intelligamus esse quod dixit Ambrosius, panem ante cõsecrationem, corpus Christi post consecrationẽ. Inconstantius pro sua magistrali sagacitate, simplicius et expressius iudicat dici transubstantiationem, q; mutationem, conuersionẽ, aut transelementationem. Credo illi sic uideri, ut cui nihil placere possit, quod nõ sit audacissimũ. Qui mutationẽ, conuersionem, transelementationémue dixerunt, suis illis uocibus substantiã panis nõ extruserunt: sed aliquod ibi mutationis genus tãtùm innuebant per diuinã institutionẽ interuenire. At posteriores, quibus accepta ferenda est hæc furiosa idololatria, qua hodie Christi Ecclesia turpiter & miserè deformat, uerbum hoc non solum falsum, & barbarum, sed etiã portentosum confinxerunt. Horum igitur audaciam, furorem, temeritatem uolens ac lubens cõfirmat Gardinerus & probat. Patefacta est uera causa, qua nomenclatura hæc isti nostro tantopere placuerit.

Ambrosius.

Sed illam nũc scrutemur causam, quam ipse adfert. Quia, inquit, est, quasi dicas: Alia substantia fuit in manibus Christi, quæ modo nõ est. Quo argumẽto id persuadet, substãtiam, inquã, panis, quæ prius in manibus fuerat, modò nõ esse? Nam scriptura nusquã hoc dicit. Hoc maximè dicimus pertinere ad peregrinũ sensum, quẽ ipsi affingitis. Nec minus probatione indiget, quod subditur: Et aliam modò in manibus esse substantiã, quæ anteà non erat. Nam substantia corporis Christi, ut scriptura testatur, in cœlo est, non in manu sacrifici. Si statim credendum est, quicquid tu dixeris, non oportet disputare. Et si uester hic sensus non est peregrinus, cur illum ex diuinis literis non probatis?

Alia prȩterea ſubijcitur cauſa, propter quam hæc appellatio præ cæteris allu-
,, beſcat: Quoniam alia uocabula mutationis, cõuerſionis, transelementationis ma
,, teriam calumniandi dabãt hæreticis. O ſolertem cautionem. Hoc eſt ſapere: hoc eſt uera columina Eccleſiæ agere. Vidiſtis, ut exiſtimo pericula, & prȩcidere curaſtis uiam omnibus, qui uoluiſſent inualeſcentem idololatriam prohibere. Confirmato quippe errore ueſtro uocabulo transſubſtantiationis, quid miſero populo relictũ eſt aliud, niſi ut panẽ in ueſtris miſſis & templis adorent pro deo? Vtȩ Sacrificuli huc & illuc deteſtandum illud idolum circunferant? Cumȩ cupe-
retis iuſtis reprehenſoribus, ea uoce, materiam emendandi erroris præcidere,
Transſubſtantiatio aperit ſe neſtram Martioni, Valẽtino, & Eutycheti. quantam, obſecro, materiam errandi præbuiſtis adhærentibus Martioni, Valentino, Eutycheti, cæterisȩ peſtibus, qui Chriſtum non habuiſſe uerè humanam carnem affirmarunt? Nam ſi ſubſtantia corporis eius, ut uos ponitis, inuiſibilis omni temporis momento circumuolitat per innumerą loca, & modò hic incipit eſſe, modo illic: in hoc loco eſſe deſinit, & ſubinde in alio, quis illam non ſuſpicetur eſſe phantaſma? Non igitur, mihi crede, uoluiſtis hæreſibus occurrere, ſed potius erroneam ueſtram opinionem confirmare: quam cum rationibus ex uerbo dei ſumptis non poſſetis tueri, commentitijs iſtis uocabulis ſtuduiſtis munire: ſed fruſtra: quia hodiè in Eccleſia, deo gratia, tam aperta, tamȩ perſpicua ueritas eſt, ut ueſtræ calliditati non amplius locus relinquatur.

,, Deinde inquit: Vt omiſſis uerborum argutijs intelligamus eſſe, quod dixit
,, Ambroſius. Ecquando uerborum argutias & ſycophantias miſſas faciet Inconſtantius? Cum eſſe, qui nunc eſt, deſierit: & non panem, ſed ſe ipſum in alium uirum, ab eo qui nunc eſt, transſubſtantiauerit. Quid tandem Ambroſius
,, inquit, in libro de Sacramentis 4. cap. quarto? Panẽ ante conſecrationẽ: Corpus
,, Chriſti poſt conſecrationem. At, quæſo, mihi liceat ex eodem libro, eodemȩ
Ambroſius. capite uerba quædam afferre, quæ hunc locum explicent. Dicit ibidem Ambro-
,, ſius: Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratione igitur, inquit, fieri poteſt, ut, qui eſt panis, ſit corpus Chriſti. Non ſcribit: Vt, qui fuit panis, aut qui deſijt eſſe panis: ut loquitur Inconſtantius. Verùm ſic habet: Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Sentit
Ambroſius. proinde panem manere, non extrudi. Et mox: Si ergo tanta uis eſt in ſermo-
,, ne domini Ieſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius
,, eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Audis? Vt ſint, quæ erant, inquit. Non deſinit eſſe panis: ſed quod erat eſt, & in aliud commutatur. Nam fit, ut diximus, ſuo modo corpus Chriſti, quia fit eius ſacramentum. Vnde
Ambroſius. paulò antè dicit Ambroſius: Vbi uenitur, ut conficiatur uenerabile ſacramen-
,, tum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos utitur, ſed ſermonibus Chriſti. Quis hic
,, non uideat, iſtum uirum dei fateri, uerbis domini, & conſecratione fieri ſacramentum? Certè id expreſſè fatetur. Et quia ſacramentum id eſt corporis Chriſti, propterea corpus Chriſti & eſt ſuo modo, & dicitur. Sed ut manere panem
Ambroſius. adhuc certius ex uerbis Ambroſij uideas, audi hanc eius aliam ſententiam: Tu
,, ipſe eras inquit: ſed eras uetus creatura: poſtquam conſecratus es, noua crea-
,, tura eſſe cœpiſti. Vis ſcire, quàm noua creatura? Omnis, inqt, in Chriſto noua
,, creatura. Voluit oſtendere ijs uerbis Ambroſius, poſſe fieri, ut ui dei panis efficiat per cõſecrationem corpus Chriſti: eo uidelicet modo quẽ iam oſtendimus. Et ſimile affert: Prius, inquit, eras tu quoȩ uetus creatura. Conſecratio in rege-
Nos qui ſumus uetus creatura, efficimur noua creatura. neratione acceſſit: & mutatus es, factusȩ noua creatura. Hic appello Gardinerum, an cũ regeneramur efficimurȩ in Chriſto noua creatura, ſubſtantiã hominis, quam prius habueramus, deponamus, et, ut ipſe loquit, transſubſtantiemur? Quod ſi reſpondeat nõ ita fieri, quare in pane genus hoc portentoſæ mutationis

commi-

comminiſcitur? Si Ambroſius placet, eius quoq; ſimilitudo placeat oportet. Ille ſic iſta inter ſeſe confert, ut quod in una iſtarum mutationum fatemur fieri, etiam in altera non dubitemus dei potentia & conſecratione uerborũ Chriſti euenire.

Aliud prætereà eſt in dictis Inconſtantij, quod utiq; prætereundum non censeo. Quærit de ſubſtantia panis recedẽte, uel extruſa, num pereat. Negat perire. Sed operæpretium eſt, cauſam audire, cur non pereat. Quia nihil in manibus Chriſti perit. Quàm religioſus eſt interdũ, ne ſuperſtitioſus dixerim, Gardinerus? Fortaſſe non putat dominum unquam excreſcentes amputaſſe ungues, & proiecíſſe: ne quid fateri cogatur, de manibus eius periſſe. Non tamen poterit negare, illum, cum uerè homo eſſet, & uerè comederet, iuglandium putamina, & cortices ficuum, aut uuarũ, quas in manus acceperat, abiecíſſe. Vnde negari non poteſt, de manibus domini aliquid interdum periſſe. At cauillabitur, ſe dixiſſe, In manibus domini, non de manibus domini. Sentio uerborum argutias: quas ſi uult miſſas facere, cur adhuc retinet? Illum tamen hoc rogabo, Si panis in manibus domini non perit, quid fit de illo? Deſinit, inquit, eſſe. Non perire, quæ deſinant eſſe, dici quidem poteſt: ſed credi non poteſt. Et quomodo putabitur, id nõ annihilari, cuius natura fit nihil? Quia melior natura ſuccedit, ideò non uult hic eſſe annihilationem. Profectò hæc adeò ſubtilia & tenuia ſunt, ut minus quàm fumus conſiſtant. Quando cibus, quem in uentriculum tranſmittimus, in carnem & ſanguinem mutatur, ſuccedítq; nobilior forma, ut phyſici loquuntur, an propterea negabimus cibi corruptionem intercedere? Itaq; ſiue ſit nobilior forma, ſiue indignior, quæ per generationem ſuccedit, quando eſſe deſinit, quod prius erat, corruptio ſemper interponitur: non tamen annihilatio, cum ſubiecta materia non pereat, ſed retineatur.

Quod deſinit eſſe, perit.

In ueſtra autẽ tranſubſtantiatione, cum totus panis unà cum materia & forma eſſe deſinit, ut fatemini, & abit in nihilum, quo pacto ibi negare poteſtis panis annihilationem? Etiamſi res, ut uultis, nobilior ſuccedat, id ad panem nihil facit: qui, ut ſtatuitis, iam nullus eſt, & nuſquam exiſtit. Si ageretis cum beluis, non deberetis audere tam ἀσύνατα & monſtroſa loqui. Gratia ſit deo, qui tã manifeſtè perdit ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium reiecit. Ipſe nouit cogitationes hominum, quoniam uanæ ſunt. Hoc quoq; tempore ad noſtram inſtitutionem non dedignatur comprehendere ſapientes in aſtutia ipſorum.

Panis oportet ut dicatur in tranſubſtantiatione annihilari.

Et deniq; ut ſciamus non deeſſe commenta, ſubſtantiam panis Inconſtantius fingit, tranſitione mutari in ſubſtantiam corporis. Atq; uerbo tranſeundi ſtatuit nil aliud ſignificari, niſi hoc: fuit illa ſubſtantia: nunc eſt iſta. Quem Oedipum accerſemus ad hæc ænigmata explicanda? Quàm multis fucis eget mendacium, ut ſpeciem aliquam ueritatis præ ſe ferat? Quid illud eſt, quod prius alia ſubſtantia fuit, & nunc eſt iſta? Si panis tranſit in corpus Chriſti, ſic ut in illud conuertatur, ergo fiet corpus Chriſti ex alia materia, quàm ex ſubſtantia carnis & ſanguinis beatæ uirginis: nimirum ex ſubſtantia panis. Quo cõmento nil falſius, aut frigidius excogitari poteſt. Dixerit fortaſſe, panem haud eſſe materiam corporis Chriſti, ſed in illud tranſire, quod ei cedat. At hoc non eſt in illud tranſire: ſed ab illo reſilire: ab eo diſcedere ueniente, atq; in nihilum abire. Quare nihil eſt, quòd panis annihilationem ſe negare contendant: cum illam nolentes & imprudentes maximè ſtatuant. Neq; poteſt Gardinerus peregrinum ſermonem hũc eſſe, quem tuetur, inficiari. Nuſquam ſcripturę, nuſquam patres ita ſunt loquuti, ſubſtantiam panis tranſire in ſubſtantiam corporis Chriſti.

Vt abutantur uerbo tranſeundi.

Quod uero poſt adiicit: ſic habet. Quomodo prætereà fiat, contra iſtorum argutias neſcire ſit tutiſsimum, & illorum curioſis quæſtionibus ita reſpondere, ut

,, Christum lacessant potius: qui ut pro se respondeat, ætatem habet. Fingit se nostrorum argutias taxare, cum ipse nusquam desinat argutari. An hoc non est argutari, &, ut quod est dicam, ineptissimè sophisticari, dicere panem transire in corpus Christi, cũ materia corporis eius neq; sit, neq; fiat, sed esse desinat, & nusquam amplius existat? Dispeream, si seipsum iste intelligit. Vult nos cũ Christo cõmittere: illũ ipsum, inquit, lacessant, quasi Christus aliquando talia portenta sit loquutus. Porrò ut Christum ueracem credimus, & prædicamus, ita uos mendaces coarguimus. Vnde non Christus, qui talium loquutionum nunquam fuit author, sed uos mihi lacessendi estis.

Ambrosius. Obijcit deinde Ambrosium, si deo placet, qui sic scripserit: Christũ accepisse
,, panem, quẽ natura formauit: dedisse corpus, quod benedictio cõsecrauit. Vnde
,, patet manifestè transubstãtiatio. Hic iam præstat artificem quẽ solet. Nam uult persuadere incauto, consecrationem & transubstantiationem idem ualere. Ambrosius ait, Christum dedisse corpus, quod benedictio consecrauit: non quod benedictio transubstantiauit. Panem audio, benedictionem, & uerbum consecrandi: uerùm transubstantiationis nulla est mentio. Dicunt patres, aquam quoq; baptismi benedictione consecrari: nullus tamen unquã eam putauit, aut scripsit transubstantiari. Proinde Ambrosium recipimus: Inconstantij uerò interpretationem, ut ab eo alienam, omnino reijcimus. Longas hucusq; Gardinere ambages attulisti: non tamen adhuc ostensum est, uos in uestro interpretamento, peregrino sensu, & uerbis peregrinis non uti. Quamobrem stat, & stabit, ut spero, nostrum argumentum: uestram autem doctrinam, cum sensum peregrinũ & alienum scripturis diuinis affingat, ut malè sanam, & ruinosam non dubito casuram.

OBIECTVM XV.

IN uerbis domini, Hoc est corpus meũ, per pronomẽ Hoc, nesciunt quid demonstretur. Nam quidam aiunt demonstrari, quod ante fuit, nempe panem: quî fiet, ut panis materialis sit corpus Christi. Alij uolunt ipsum corpus demonstrari; atq; tum propositio significabit: Corpus meũ, est corpus meum. Alij neq; panem, neq; corpus demonstrari aiũt: sed indiuiduum uagum, & indiuiduum in genere, ac nescio quid mathematicum. Vnde patet, in quæ proruant, & quibus angustijs teneantur, qui monstrosam hanc transubstantiationem, ac præsentiam fingunt.

GARDINERVS.

SI hæc uis consequutionis obtineret, omnem scientiam scripturæ in Ecclesia euerteret. Nam Catholici maxima uarietate usi sunt ad illustrandam scripturam, dum eam interpretantur: & ex ijsdem uerbis alij hunc, alij illum sensum eruunt: qui non abhorrent à scopo ueritatis.

MARTYR.

DAbimus hoc quidem Inconstãtio, modò probet nobis, sensus illos, qui asseruntur à Papistis suis, cum diuinis literis conuenire: ut sensus orthodoxorum patrum, quibus aliqua loca scripturæ interpretando illustrant, omnes pij & pro-

probabiles extiterunt. At ueſtri illi ſenſus, qui enumerati ſunt, ἀσύστατοι et ſine ſenſu deprehenduntur: neq; ijs uerbis, quæ interpretamini, poſſunt aptari. Nam panem ipſum materialem eſſe corpus Chriſti propriè, quod prima interpretatio indicat, uos ipſi ferre non poteſtis, cum panis ſubſtantiã omninò excludatis. Per nos quidem uobis ea expoſitio permitti poſſet, ſi panem, admittendo tropum, ut nos facimus, utq; ſacræ literæ iubent, retineretis. At ipſi uobis, abiecto pane, hũc interpretandi modum præciditis. Corpus autẽ Chriſti demonſtrari nullo modo eſt ueriſimile: imò abſurdum etiam eſt, neq; fieri poteſt. Nam & ueſtra ſententia nondum adeſt, ut demonſtretur: &, ſi adeſſet, propoſitio tamen illa nil aliud ſignificaret, quàm, Corpus meum, eſt corpus meum. Quod ut alienum ſit, ex eo liquet, quòd neq; ſcriptura, neq; patres unquã huiuſmodi loquendi formã uſurparunt. Nilq; profectò diſcunt auditores ex eo ſermone, quo idem de ſeipſo eiſdem uocibus prædicatur. De oſtenſione indiuidui uagi, nihil attinet, ut nunc probem, quàm uanum commentum ſit, & ludibrium potius, quàm ſana, & uera interpretatio: cum ſuprà ſatis ſuperq; ea de re ſit diſputatum. Quamobrem uarietas iſta interpretationum, quam excuſat Inconſtantius, quaſi faciat ad ſcripturæ luculentiorem explicationem, hoc loco non poteſt recipi. Nã ſingula huius multiplicitatis membra uerbis domini, tum ob rei ueritatem, tum ob illarum abſurdiſſimam theſin, aptari non poſſunt.

Cauillatur poſtea contra noſtram argumentãdi formam, quaſi à particularib. ad uniuerſalia progrediamur, ijs uerbis: Atq; hęc eò dico, ut oſtendam ineptiam cõfirmationis huius, quæ à particularibus ſit: cũ alioqui inter eos, quos hic arguitator dicit, aliter atq; aliter demonſtrationem interpretari, ſit ſummus conſenſus in ueritatem. Formam collectionis tantus hic dialecticus non intellígit, atque inde fit, ut illam ita contemptim reprehendat. Non enim ex particularib. ad uniuerſalem propoſitionem, ut ille calumniatur, argumentamur. Verùm ſingulos modos enumeramus interpretationum, quibus illi utuntur, qui transſubſtantiationem, & portentoſam præſentiam tueri uolunt: illosq; ſingillatim euertimus. Vnde nil aliud conficimus, niſi hos præſtigiatores nullam habere uiam, aut rationem interpretandi uerba domini. Multis enim uarijsq; ſumis in illis exponendis conati ſunt aliquid proficere. Sed omnia, ut apparet, inauſpicatò tentarunt. Neque putaui oportere me huic ſophiſtæ regulas in memoriam reducere, quas uel pueri norunt: nimirùm auferri totum, cum omnes eius partes ſint ſublatæ: ac diſiunctam propoſitionem tum denicq; falſam eſſe, cum omnia eius membra ſint confutata.

Ex regulis dialecticis confirmatur argumẽtum.

An uerò illi, quos hoc argumento taxamus, ſummè cõſenſerint in ueritatem, ut Inconſtantius aſſeuerat, non uacat nunc id pro meritis exagitare. Hoc tantum dicam, eos conſpiraſſe contra ueritatem, non in illam tuendam conſenſiſſe. Nam omnes ſcholaſtici, quicunq; poſt Berengarium iniuſtè damnatum ſcripſerũt, cæca quadã, pertinaciq; ueſania turpiſſimè adulati ſunt Decretis Paparũ. Sed quia ex allatis interpretationibus nulla eſt, quę magis eum torqueat, quàm illa, in qua panem demonſtrari traditur, ideo uideamus, quomodò illam conetur emollire.

Poſt Berengarium ſcholaſtici Papæ ſunt inſcribendo adulati.

Nam inquit, ex interpretatione eorum, qui dicunt, demonſtrari quod antè fuit, non ſequitur neceſſario, panem eſſe corpus, ſed ex pane, qui ante fuit, iam factum corpus. Miror, hunc apud ſe ſtatuere, illos, qui panem aiunt demonſtrari, uelle oſtendi id, quod antè fuit: cum oporteat id quod demonſtratur, præſens adeſſe. Vnde ſi fuit anteà panis, & nunc non eſt amplius, iam demonſtrari nõ poteſt panis. Ad hæc dum fit demonſtratio, Gardinerus magna fiducia ſibi aſſumit, ex pane iam factum corpus. At ex ipſorũ ſuperſtitione corpus nondũ adeſt, cum fit demonſtratio. Ille enim ſtatuunt, tum demùm fieri transſubſtãtiationem,

Quod demonſtratur oportet præſens adeſſe.

cum excantatio illa quinqueuerbia prorsus fuerit completa & absoluta. Præterea à sensum, quem Inconstantius elicit, alienum à uero esse, Christi ipsius uerba demonstrant. Non enim dixit, Ex hoc fit corpus meum: sed uerbis disertis enuntiauit, Hoc est corpus meũ. Ex ijs patet, quàm iste sit facilis & propensus ad tropos, cũ alioqui tropos in re sacramentaria ubicũ detestetur. Si nos pronomen, Hoc, interpretaremur, ex hoc, & non tãtùm adderemus præpositionẽ, sed etiam mutaremus casum, quid nostri isti Ἀρτοφάγοι non dicerent? Miscerent cœlum terræ: clamarent undicũ, O tempora, ô mores. Hæ sunt istorum æquissimæ conditiones: Omnia sibi permittere, atcũ aduersarijs omnia prohibere. Quis ijs legibus contra eos litigaret? Placent Gardinero uerba Cypriani: Panis omnipotentia uerbi factus est caro: quia secundum hanc interpretationem, uocauit deus quod non erat, ut esset. Verba Cypriani agnosco: fateorcũ panem per uerbum factũ esse carnem, suo modo, ut iam sæpius exposui. At nõ dicit sanctus Martyr, panem sic factũ carnẽ, ut panis esse desierit: quemadmodũ uos impudentissimè fingitis.

Christus non dixit, Ex hoc fit corpus meum.

At pressius aliquantò consideremus appendicem, quã Gardinerus affinxit: Quia secundũ hanc interpretationem, uocauit deus quod non erat, ut esset. Hic scire uelim, quid id sit, quod nõ erat, & uocatur, ut sit. An Corpus Christi? At id ante consecrationem erat. Non enim sacrifici uerbis de nouo generatur. An ergo panem dicetis ita uocari? At panis erat: necũ uocatur, ut sit: imò potius, ut uos arbitramini, quinqueuerbali prece, ut non sit, expellitur: tantum abest, ut uocet, quò sit. Non erat, ut arbitror, Inconstãtius apud seipsum, cũ hæc scriberet. Adducit deinde factum, ut uideri uult, simile, longè tamen alienũ, ut ostendam, & dissimile, ex Iohanne ca. 2. Quemadmodum, inquit, Euangelista scribit, gustasse architriclinum aquam uinum factã. Tam hoc ad rem propositam facit, quàm id, quod scribit Euangelista, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum. Nisi posthac Gardinerus exempla & rationes melius colligat, ex Inconstantio facilè Anaxagoras fiet: qui quodlibet ex quolibet factum dicebat. Conferamus hæc duo inter se. Scriptura, ut scimus, aquam uinum factam esse clarissimè testatur. Sic etiam doceamur, eam dicere, panem in corpus Christi esse uersum, aut transsubstantiatum: & uicerit Gardinerus. Ad hæc illud miraculum assidentes ad mensam conuiuæ deprehenderunt, non solùm gustu, sed etiam uisu. Euangelistæ uerò dum hanc historiam tractant, & Paulus eandem scribens, nullum hic miraculum editum indicant: nec sensus mutationem factam deprehendunt. Quare ista, quæ ita conferuntur, sunt inter sese plurimùm dissimilia. Denique uos in Eucharistia sic panis materiam ac substantiam extruditis, ut sola puracũ uelitis eius accidentia seruari. E diuerso in aqua usu uenit, quæ uertebatur in uinum: ubi, cum eadem fuerit materia, in qua uini forma successit formæ aquæ, non tamen aquæ species, aut accidentia remanserunt. Quàm igitur hæc inter sese dissimilia sint, iam satis ostensum est.

Anaxagoras.

De aqua in uinum à Christo conuersa.

Verũ Incõstantius fortasse clamabit, de loquutione se agere, in qua id, quod gustabatur, aqua uocata est, cum iam uinũ esset, non aqua. Scio de hoc agi: ideo respondeo, scripturam id, quod gustabatur ab architriclino, aquã simpliciter non appellare: sed adijcere particulam, Vinum factam: qua satis ostẽdebatur, aquam non amplius fuisse, quod in nuptijs Christi beneficio erat propinandum. Verisimilis utcunque Inconstantij esset collatio, si posset in diuinis literis ostendere consimilem de Eucharistia loquendi formam, panem corpus Christi esse factum: quam utique non reperiet. Necũ tamen si eam reperiret, quod uult conficeret. Quia cum talis támque prodigiosa conuersio à scripturis non traderetur, panis intelligi posset corpus Christi factus, quòd is eum fecerit sui corporis mysterium: qua nos interpretatione utimur, quoties patres audimus dicere,

dominum

dominum panẽ ſuum corpus feciſſe. Adductum aũt exemplum ex Iohanne, quàm ſit imbecille ad concludendum id, quod uult Gardinerus, ex eo cognoſcimus: Si quis, facto iam miraculo, hydriam oſtendiſſet, immutato liquore plenã, dixiſſetq́, Hoc eſt uinum, petiſſetq́ ab eo alius quiſpiam, an aquam oſtenderet, ille putaſſet omninò ſe derideri: cum aqua in uaſe non amplius eſſet. Proinde nõ minus, imò haud parum magis ridiculi ſunt & Gardinerus, & illi quos defendit, ſi dicant, ſe demonſtrare panem, qui ante fuerit, poſtquam iam factus ſit corpus Chriſti.

Contendit etiam illos tuendos eſſe quoquo modo, qui corpus Chriſti demonſtrari aiunt: quòd nil aliud re ipſa uelint, quàm indiuiduum uagum demõſtrari. Primum iam ſæpius dictum eſt corpus, Chriſti non potuiſſe tum oſtendi, cum nondum acceſſiſſet. Deinde uehementer miror, iſti homini idem eſſe corpus Chriſti, ac indiuiduum uagum. Quàm uerò abſurdum alienumq́ ſit commentum hoc, demonſtrationis indiuidui uagi, ſatis antea ſuperq́ declaraui. Inconſtantius autem inſtar urſi hoc reperto melle, nulla ratione poteſt ab eo abſtrahi. Et mirum eſt, cum de re ipſa, quę demonſtretur, nos diſputemus, illum perpetuò reuocare quæſtionem ad uagationem, quæ ſolùm mentis eſt, quaſi de ea ſimus uehementer ſolliciti. Sed iſti fortaſſe uaga tantoperè placent, quòd & turbidum habeat, & confuſum ingenium: & nulla in re præterquam in inconſtãtia ſibi conſtet. Et quemadmodum mente perpetuò uagatur, ita in Euchariſtia, ubi omnia certiſsima eſſe debent, atq́ firmiſsima, cum indiuiduo illo ſuo uago miras ſibi facit delicias.

Admiranda prætereà, ne ſophiſtica dixerim, argutia, hæc nobis occinit: Hoc,, eſt nihil aliud, quàm indiuiduum, quod animi noſtri conceptione generalius eſt,, ipſo indiuiduo integro. Quod eſt, quaſi dicas, indiuiduum indiuidui. Itaq́, Hoc,, à grammaticis pronomen dicitur, quaſi nominis uice uſurpatũ, ſed minus quid-,, dam à nomine indicans. Quoniam nomen, quod quidem ſit proprium, & rem,, uerè afficiat, rei ipſius naturam cum ſpeciali inſigni refert. Iſta ſunt, quæ Inconſtantius uideri uult è cœlo cecidiſſe. Idcircò aliorum diffiſus interpretationibus, huic uni ceu diuinæ uocis oraculo innititur. Nec intereà ſentit, uel ſe fingit non ſentire, quàm exoticæ ſint & alienæ à Chriſtiana ſimplicitate iſtæ uoces: Indiuiduum uagum, indiuiduum indiuidui, in genere enuntiatiuum, indiuiduum ge-,, neralius indiuiduo integro, indiuiduum inſignitum, indiuiduũ in genere. Hoc,, ſcilicet ſophiſticarum uocum interpretamento ſimpliciſsima ſcripturæ ueritas declarabitur. Solum Ariſtophanem hic deeſſe uideo, qui Gardineri λεπτολογίας *Ariſtophanes.* admiretur. Sed illo poëta quid opus eſt? Ipſe Gardinerus ſeipſum ſatis miratur, & iſto ſpinoſo inuento, quod tamen ipſius nõ eſt, uſq́ adeò ſibi placet, ut eo ceu rete quodam ad capiendas muſcas aptiſsimo aſsiduè utatur.

Vtq́ ne ignoremus aliam iſtius uagi indiuidui commoditatem, iſta ſubijcit: Si quærat aliquis, quidnam hoc ſit quod demonſtratur, cum dicitur, Hoc meum,, eſt, ſi neſciat, quoniam non naturam demonſtraſti, ſed indiuiduum in genere,,, fieri poteſt, ut huic quæſtioni reſpondeas rectè, neſcio, ſi neſcias. Quia de re, cu-,, ius naturam ignoras, potes demonſtrare indiuiduum & in genere. Quoniam li-,, cet naturam ignores, certò ſcis eſſe unum & indiuiduum: ut illud indices in de-,, monſtratione, Hoc. An parua hæc eſt indiuidui uagi commoditas? ut per illud,, tantam quæſtionem ſine ambagibus, imò uerbulo uno queas diſſoluere? nempe ut reſpondeas, te neſcire, quid demonſtretur? Vah, eximium & præclarum artificium, quo dicere poſsis, te neſcire, quod ſcriptura prędicet quàm apertiſsimè, quod res ipſa euidentiſsimè teſtetur, quod ſenſus certiſsimè cognoſcãt: nimirùm panem eſſe, quod demonſtratur. In ſumma hæc illa ſunt, quæ te docet Incon-

ſtantius, ut dicas, te neſcire, quod ſcias: & ignorare ea, quæ ſcriptura clariſsimè tradat. Porrò ſi hæc diſcas, non parùm in Inconſtantij ſchola profeceris.

Deinde ne putemus iſta noua, atq; inuſitata eſſe, ex familiari quotidianoq; ſermone petit exempla. Dicimus enim, Hoc eſt uinũ, Hoc eſt mel: ubi non ita nugamur, ac ſi dixeris, Hoc uinum eſt uinum, Hoc mel eſt mel. Sed conuenienter dicitur, ubi ſub eo, quod fit ex demonſtratione, quoniam explicatione egeat, adiungitur tanquam illuſtrius prædicatum ex ipſo nomine rei explicandæ: quod indiuiduo in genere & uago notam addat, qua cognoſcatur. Niſi uelim tẽpori & uerbis parcere, cõtra exempla iam adducta, è quotidiano ſermone proferrem multa. Sed confido, lectorem non tam hebetem fore, quin per ſe ipſum animaduertat maximum diſcrimen inter familiares huiuſmodi ſermones, & uerba illa, Hoc eſt corpus meum. Ideo enim ibi licet dicere, Hoc eſt uinum, Hoc eſt mel: quia id, quod demonſtratur, eſt re ipſa uinũ, aut mel. At non ita eſt ibi, cum dicitur, Hoc eſt corpus meum. Nam id, quod demonſtratur, nondum eſt corpus Chriſti, ſed erit, ut ipſi docent aduerſarij, poſt completam enuntiationem: & ob id non illuſtratur prædicato ſubiectum, ut iſte ſibi finxit: cum prædicati ſignificatum nondum in ſubiecto inſit, quod demonſtratur. Ex quibus liquidò appareret, hunc, qui nos argutatores perpetuò uocat, ſe ipſum non ſpectare. Is enim nil aliud molitur, quàm, ut ſua mendacia poſsit ſophiſticis argutijs colorare, quæ ita tenues & obſcuræ ſunt, ut potius argutiarum umbræ, quàm argutiæ dici queãt. Obſcuritatem tamen ac tenebras illarum minus miramur, quod ſciamus eas proficiſci ex ea ſcholaſticorum ſecta, quæ à tenebris nomen habuit. Cuius dogmata Gardinerus quòd potuerit utcunq; tandem intelligere, ita ſibi placet, ut nos, ceu tantorum arcanorum imperitos ex alto deſpiciat, non ſine magno ſtomacho, & faſtidio. Dicit enim: Quæ cum hic argutator non intelligat, nil aliud, quàm deridet, quod non aſſequitur: & tandem exit in maledicum, ut præſentiam Chriſti in Euchariſtia lingua petulanti dicat eſſe monſtroſam. Putat, ut uides, Candide lector, ſua hæc Scotica dogmata non intelligi à noſtri ordinis hominibus: quaſi ſolus ipſe, atq; alij ſimiles eius, in tenebroſis illius doctrinæ ſpecubus ſeſe exercuerit. Vtinã ego, ut de me ipſo loquar, in illis aridiſsimis ſcopulis meliori ætate non tam diu hæſiſſem.

E Scotiſtarum ſecta iſta Gardinerus produxit.

Quæ uerò prętereà memorat intempeſtiuè noſtra maledicta, & quas blaſphemias? An quòd realem, naturalemq; corporis Chriſti præſentiam, quam illi ponunt in ſacramento, monſtroſam appellamus? Ea certè cum & ſacris literis, & ueritati humanæ ipſius Chriſti naturæ plurimum aduerſetur, non tantum monſtroſa, uerùm etiam falſa & impia dici debuit: præſertim, quæ tam ueſana pertinacia defendatur. Nos ait, in maledicos exijſſe: neq; ſe uidet, qui iam diù in blaſphemiam, & pernicioſiſsimum impoſtorem abierit. Denicq; præſentiam illam monſtroſam utcunq; fatetur, quod legibus naturæ non reſpondeat: horrorem tamen ab ea remouet, ſi deus eam uellet retegere. Nam, ut putat, iucundiſsima futura eſſet fidelibus. Quod prius maledictum & blaſphemum indignatione epiſcopali pronuntiauerat, nunc ad ſe rediens utcunq; recipit. Sed iuuat conſiderare, qua antidoto uenenum huius blaſphemiæ corrigat. Horrorem, inquit, non haberet illa realis præſentia, ſi deus eam uellet retegere: ſed pijs lætiſsima eſſet, & iucundiſsima. Sæpius audiui, mendacem oportere memorem eſſe. Nunc autem uideo Inconſtantium, nõ quidem memorem, ſed mendacẽ eſſe potuiſſe. Nónne tu is ille es, qui Theophylactum, Damaſcenumq; paulò ante nobis proferebas, qui dicerent, idcircò Chriſti carnem & ſanguinem in myſterijs non apparere, quia communicantibus, edentibus, inquam, & bibentibus, horrorem eſſent incuſſura? Cur nunc aduerſus tantorum patrum authoritatem contendis, nullum horro-

horrorem fore pijs, si deus præsentiam huiusmodi realem patefaceret, ac pijs retegeret? Vtri ergo uestrum credemus? Tibine, an illis uetustioribus? Illis tu ipse prædicas omninò credendum. Quamobrem quid supersit, non uideo, nisi ut tibi, ceu homini mendaci & impostori omnis fides abrogetur.

OBIECTVM XVI.

SI manducare corpus Christi est figurata loquutio, ut Augustinus affirmat, hæc etiam, Accipte, manducate, hoc est corpus meum, figurata erit.

GARDINERVS.

MANDVCARE *corpus Christi carnalibus & infidelibus, qui non secundum spiritum iudicant, figurata est loquutio: quæ eadem propria est fidelibus, ut in sacramento manducetur, secundum institutionem Christi: qui, ut Cyrillus ait, modum manducationis suis aperiens, dixit, cum daret, Accipite, & manducate.*

MARTYR.

EAdem loquutio, si referas eam ad eadem significata, & propria & metaphorica esse non potest. Attamẽ usu uenit interdum, ut quę figurata est, propria uideatur: & quæ propria sit, existimetur tropica. Nostra uerò pietas, aut impietas, orationis formam non commutat. Necꝫ nunc mirum est, Inconstantiũ ita scribere, quoniã eius licentia multis parasangis & picturã & poëticam superat. Quid uerba Cyrilli super Iohannem lib. 4. ca. 4. huc faciant, ego nõ uideo, & ille fortasse uix intellexit. Illa tamen adducere uoluit, ne uideretur nihil dixisse. Vt illa interpreter, necesse nõ est: quoniã ea superius perspicuè, ut arbitror, exposui.

Nostra pietas, aut impietas, orationis formã non commutat.

Pergit ad hæc: Tum autem, inquiens, & illud dicendum est, uerba illa (manducare corpus Christi) quoniam multa nobis mysteria & arcana exhibent, uerba nimirum, quæ Christus spiritum esse, & uitam pronuntiauit, quatenus quidem ea non omnes statim percipiunt, figuratam esse loquutionem, Augustinus, rectè dicit: ut ne quis fidelium una sacramenti perceptione se defungi putet. Significat enim manducare, credere: significat Christo compati: quod etiam ipsa sacramenti perceptio, & totum hoc Eucharistiæ mysterium significat, ut Bernhardus ait. Significat præterea Christo incorporari, & in eo manere, atcꝫ, ut Basilius ait, omnem Christi uitã imitari. Quæ ista tam multa propriam illam actionẽ manducandi, suo modo in sacramento suscipiendo peragendã, nõ tollunt. Nam & de illa etiam sæpius interpretatur Augustinus. Adeò nihil prohibet, eandem loquutionem simul & figuratam esse & propriam. Componantur ante omnia hæc ultima cum ijs, quæ Inconstantius hac de re supra docuit: manducare corpus Christi carnalibus & infidelibus esse loquutionem figuratam, propriã uerò fidelibus. Nónne hic secum pugnat, cum illam fidelibus quoꝫ facit figuratã, quòd eo sermone tropicè multa significentur, atcꝫ ita existimat Augustino satisfactum? Vbi est ergo illud fidelium, & infidelium discrimen? Nullum iam apparet, quãdoquidem ijsdem, nempè fidelibus, ea loquutio iam est & propria, & figurata.

Verùm ad hæc scio quid Gardinerus sit dicturus. Pijs propria est, quoad uerã corporis Christi mãducationẽ: figurata uerò, quoad illa plurima significata, quę commemoraui. At, quæso, quid hoc sit, uideamus: quoniam ista inuenta sunt, ut Augustini sententia nobis ex manibus eripiatur. Videamus, inquam, utrũ il-

le figuratam loquutionem in uerbis, Manducare corpus Christi, &, Hoc est corpus meum, sic accipiat: an potius, ut nos dicimus, realem, corporalemq; corporis Christi manducationem excludat.

Augustinus. Tractatu 26. super Iohannē sic scribit: Hoc est ergo manducare illam escam, „ & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentē in se habere. Ac per „ hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec „ māducat spiritualiter eius corpus, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter, & ui „ sibiliter premat dentib. sacramentū corporis & sanguinis Christi: sed magis tan„ tæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsum „ psit ad Christi accedere sacramenta. Indicant hæc uerba certo certius, retrò ce-

Conuertuntur ista, Māducare carnē Christi, et in eo manere

dere, atq; cōmeare, utq; uulgò dicūt, conuerti has propositiones, Māducare corpus Christi: &, In Christo manere: ita ut, quicūq; manducat, idem maneat: & qui manet, idem etiā māducet. Extra hoc qui corporaliter Eucharistiam sumit, eum dentibus, carnaliter & uisibiliter corporis & sanguinis Christi sacramētum dicit premere: & tantæ rei sacramentum ad iudiciū sibi manducare & bibere: quòd ad Christi sacramentum indignus accedat. Sacramenta igitur ait, huiusmodi homines percipere, non propriè corpus Christi manducare. Quis itaq; relinquitur locus in ijs uerbis Augustini propriæ, atq; realī, seu carnali manducationi corpo-

Apud Augustinum duæ tantū sunt manducationes corporis Christi, & ambæ sunt figuratæ.

ris Christi? Duas ille assignat manducationes corporis Christi, & utranq;, utliquet, figuratā. Vna spiritualis est, & expetenda, qua manemus in Christo: altera item figurata est, qua dentibus sacramenta corporis Christi premunt. Inconstantius ex suo fingit, non tantùm sacramēta premi dentibus, sed ipsum etiā reale ac naturale corpus Christi. Verùm neq; scripturæ, neq; Augustinus hoc testantur.

Est etiam audiendus in hac eadem re idem pater contra Aduersarium Legis,

Augustinus. & prophetarum libro 2. cap. 9. ubi sic scribit: Sicut mediatorem dei & hominum „ hominem Christum Iesum nobis carnem suam manducandam, bibendumq; san„ guinem dantē fideli corde & ore suscipimus, quamuis horribilius uideatur, hu„ manam carnem manducare, quàm perimere: & humanum sanguinem potare, „ quàm fundere. Atq; in omnibus sanctis scripturis secundum sanę fidei regulam, „ figuratè dictum, uel factū, si quid exponitur de quibuslibet rebus, & uerbis, quæ „ sacris paginis continentur, expositio illa ducatur, non aspernanter, sed sapienter „ audiamus. Non tradit hic Augustinus, quod Inconstātius facit, figuratam esse loquutionem manducandi corpus Christi, quòd multa alia mysteria, & arcana illis uerbis significentē: sed quia horribilius, inquit, uidetur manducare humanam carnem, quàm perimere: & bibere sanguinem, quàm fundere. Ideò ne in ista uideamur incidere, figuratè illa uerba iudicat esse exponenda. Non sanè ut præter illam carnalem manducationē, quam explodit, alia quędam arcana quæramus, cum sanè illa carnali manducatione non simus defuncti. Manducationem enim illam carnalem excludit ut horribilem.

Corde atq; ore carnem & sanguinē domini suscipimus, quomodo intelligendum.

Neq; nos quicquam debet mouere, quod scribat, nos fideli corde & ore carnem ac sanguinem Christi suscipere. Quia uera hæc sunt, si rectè accipiant. Corde quippe, id est, animo & mente per fidem ipsum corpus Christi ac sanguinem apprehendimus: ore uerò symbola eius, panem, inquam, & uinum, quæ suo modo corpus & sanguis Christi appellantur.

De Doctrina quoq; Christiana libro 3 cap. 16. in eandem propemodum sen„ tentiam sic ait: Si loquutio flagitium, aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem, „ aut beneficentiam uetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij „ hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis. Facinus, „ uel flagitium uidetur iubere. Figura est ergo præcipiens passioni domini es„ se communicādum, & suauiter ac utiliter recondendum in memoria, quòd caro

eius

eius pro nobis crucifixa & uulnerata sit. Hic etiam manifestissimè apparet, ideò illum figuratam loquutionem dicere, ut manducatio carnalis & corporalis explodatur: in qua uidetur flagitium & facinus committi.

At Inconstantius manducationem illam realem cõstare ait, & quod ad illam attinet propriam esse loquutionem: figuratam uerò propter alia quædam mysteria, & arcana consequentia: quæ ut longissimè distent ab Augustini sententia, omnes iam facilè intelligunt. Quòd uerò attinet ad illa tam multa mysteria & arcana, quæ iste commemorat, ut incorporari Christo, manere in eo, communicare passioni eius, & uitam illius imitari, omnia reuocantur ad unum caput, ut uerè atq; efficaciter credamus, carnem Christi pro nobis in cruce sublatam, & sanguinem illius ibidem ad nostra peccata delenda fusum. Nam citra controuersiam per eiusmodi efficacem atq; saluificam fidem Christo ipsi penitùs incorporamur, in eo manemus, passioni eius communicamus, cum illius merita & dona ita credendo usurpamus, & denicq; ad illius uitam sanctitate atq; syncerítate purissima exprimendam incitamur. Ita uerò de carne Christi atq; illius sanguine credere ac sentire, nil aliud est, quàm corpus eius manducare, ac sanguinem bibere.

Postremò quò res adhuc certius cognoscatur, uideamus, cum manducandi uerba referuntur ad ipsum corpus Christi uerũ & reale, quomodò Augustinus illa intelligat. In Iohan. tract. 25. inquit: Vt quid paras dentem & uẽtrem? Crede, & manducasti. *Augstinus.* In quam eandem sententiam scribit Cyprianus in sermone de Cœna domini: Hæc quoties agimus, nõ dentes ad manducandum acuimus; sed fide syncera panem sanctum frangimus, & partimur. *Cyprianus.* Sed ad Augustinum redeo: Tractatu 26. super Iohannem: Credere, inquit, in eum, hoc est manducare panem uiuum. *Augustinus.* Idemq; de Verbis domini in Lucam, sermone 33. Nolite parare fauces sed cor. *Augustinus.* Item de Verbis Apostoli, sermone 2. Tunc autem hoc erit, id est, uita unicuiq; erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritualiter mãducetur, spiritualiter bibatur. *Augustinus.* Hęc & plæraq; alia huius patris, & aliorum etiam ueterum loca satis indicant, cum de ueri corporis Christi manducatione loquimur, quid sentiendum sit: eam nimirùm faucibus, dentibus, aut ore carnis non fieri: sed mente, fide, ac spiritu, quemadmodum nos & credimus, & prædicamus. Exterius uerò, dentibus, inquam, lingua, faucibus, & ori corporis percipi tantum sacramenta. Et de his hoc loco satis dictum existimo.

OBIECTVM XVII.

CVM Christus dixit, Hoc est corpus meum, id nõ ad panem & uinum dixit, sed ad corpus sedens in cœna. Vnde appareret, per illa uerba non fieri conuersionem panis.

GARDINERVS.

HOC *argumentum & stultum est, & infame.*

MARTYR.

GArdinero non est laborandum, quomodò ista confutet. Nos enim etiam unà cum eo hoc commentum exibilamus. Nam, ut ea omnia indicant quæ hucusq; scripsimus, nos panem à domino illis uerbis demonstratum fuisse contendimus. Hoc tamen de illa prima Cœna sentimus: Cum Christus panem de-

Non sentimus Christum demonstrasse suũ corpus, sed panem.

monstrãs diceret, Hoc est corpus meum, propositionis illius prædicatũ, nempe, Corpus meum, non significasse corpus Christi, quod in pane, uel sub accidentibus panis latitaret, ut uult Inconstantius: sed illud ipsum corpus Christi, quod tum unà cum Apostolis discumbebat, quodq; ille mox in crucem, & in mortem erat traditurus. Illud autem corpus quomodò uerè prędicetur de pane, quia iam sæpissimè dictum est, nunc non repeto. Quod si authores eius argumenti huc respexerunt, Inconstantius pro suo candore sententiam illorum peruertit. Sin uerò senserunt, ut ipse scribit, à Christo non fuisse demonstratum panem, sed corpus, quod unà cum Apostolis discumbebat, à nobis requirendum non est, ut eorum sententiam à uero alienam defendamus.

OBIECTVM XVIII.

IN sacramento esse materialem panem ex eo demonstratur, quod Christus accepit panem, fregit panem, dedit panem discipulis: cum scriptura dicat, Accepit Iesus panem, benedixit, & fregit, deditq; discipulis suis. Et Paulus quinquies meminit panis. Quæ cum clara sint & aperta, proprium panem intelligere debemus. Et ideò si angelus è cœlo secus euangelizauerit, esto anathema.

GARDINERVS.

ADHIBETVR *sacramento conficiendo panis materialis, quem Christus in sacras manus accipiens, uocauit quod non erat, ut esset. Cuius operationis si nullus esset effectus, iam uerum sit, dedisse quod acceperat, panem. Sed si, quod dixit, effecit, dicendum est Hoc est corpus meum, non panem, quem acceperat, sed corpus, quod effecerat, dedisse dicendum est: ne nihil egisse diceretur.*

MARTYR.

QVorsum, obsecro, illud uocauit, quod non erat, ut esset? Si enim id de corpore Christi dictum intelligatur, quomodò corpus Christi ante uerba illa non erat? Id fieri omninò non potest: quandoquidem Christi corpus à sua creatione prima in uentre uirginis, nunquam esse desijt. Ad panem uerò referri minus potest. Non enim dominus illum uocauit absentem: nam aderat, cum Christus illum in manus acciperet. Imò si credas istis, Christus eum non uocauit absentem, sed potius excluſit præsentem. Sed Inconstantius uult potius quiduis, quantumuis ἀπροσδιόνυσον dicere, quàm tacere. Veretur præterea ne si Trãsubstantiatio non admittatur, Christi uerba nihil fecerint, sed otiosè fuerint prolata. Quasi parum sit mysterium sacrum instituere, ac sacramentum nouum Ecclesiæ tradere.

Neq; mirandum est huius ingenium: quia ut poëtæ, quod poëticum non fuerit, aspernantur: ita præstigiatoribus non satis faciunt nisi præstigiæ. Paulum posteà causatur mentionem fecisse panis, ut de tanto mysterio tectè loqueretur. Nouum est hoc pharisæorum fermentum, Paulum uoluisse mysterium Eucharistiæ occultare, cum Christianæ Corinthiorum Ecclesiæ scriberet. Nihil fuit in Ecclesia Christi notius, quàm sacramenta. Vnde fit, ut Paulus argumẽta sua sæpè tanquam à re illustri, atq; cognitissima, depromat à sacramentis: nimirum à baptismo, & sacra cœna: quemadmodũ apparet ex epistola prima ad Corinthios.

Sacramẽta fuerunt in ecclesia notissima.

Ex

Ex eo quippe conficit, illos debuisse mutuo sese in cœnis expectare, quòd dominus Apostolos simul omnes iussérit comedere, ac bibere de sacris mysteriis. Et longum esset, alia omnia consimilia, ex epistola ad Romanos et alijs locis huc reuocare. Non itaq; Paulus obscuritatem captauit, cum doctrinam cœlestem Ecclesijs Christi traderet. Hoc enim quid aliud esset, quàm tenebras adferre pro luce? Hic scilicet est egregius ille prętextus, quo scripturas quęritis de manib. plebis excutere, quòd tectæ sint, & obscuræ: quoq; illa uerba domini, Hoc est corpus meum, in missa inhalatis in panem, uix illa tacitè submurmurantes, scilicet, ut omnia quàm tectissimè agantur. Neq; fortassis alia de causa in diuinis, sicut loquimini, lingua Latina uultis uti: nisi quò arcana, & bene tecta conseruetis ea, quæ Christus omnes suos ciues, atq; domesticos planè & perspicuè scire uoluit.

Paulus non captauit obscuritatem.

Ad hæc Apostolum ait Panis uoce uti, tanquam materiæ adhibitæ unde mysterium conficeretur. Proinde, inquit, appellatione utitur ueteri: sed de substan» tia mysterij agitur, non de appellatione. Appellatio, quatenus in panis nomine» remanet post consecrationem, præteritum respicit. Quis, obsecro, cũ hoc tam» importuno genere hominum, non differentium, sed insanientium uelit unquam disputare? Cum premuntur, neq; ad euadendum rimula patet ulla, ad tropos sese conferunt. Panis, inquiunt in Eucharistia idcirco dicitur, quia prius ibi fuit: neq; obstat quicquam, quòd modò absit. Audio. Sed cur illi uicissim non audiũt nos: Quid prohibet, Panem uocari corpus Christi, cum illud significet, sitq; eius mysterium? Nam quod corpus Christi realiter, aut corporaliter absit, id nihil refert: quandoquidem uos quoq; hoc sacramentum dicitis uocari posse sacramentum panis, quamuis panis absit. Vtrobiq; tropus est. Quo iure à nobis petitis, ut uestrum recipiamus, cum ipsi tanto supercilio, tantoq; fastu, atq; stomacho nostrum exibiletis?

Exemplo, inquit, contendemus: quoniam in Matthæo cap. 11. scribitur, cęcos» uidere, & claudos ambulare, Iesu sanante. Locus adductus erit similis, si, ut ibi» testatur Euangelista, Iesum sanasse eiusmodi ægrotos, ita etiam hic testetur, Christum transubstantiasse panem in corpus suum: aut subst ãtiam panis iussisse abire, ut suo corpori cederet. Quod si ab Inconstantio non poterit demonstrari, superest, ut allatam ratione dicamus et esse sophisma, & adducta à sophista, ideoq; sophistice accipiendam. Prætereà oro lectorem, ut iustitiam aduersariorum ex eo spectet. Vbi nos adducimus exempla ex diuinis literis, hæc uerba, Hoc est corpus meum, ita debere accipi, ut illa de Iohanne, Ipse est Elias, Petra erat Christus, Victima est Pesach: & innumera huiusmodi, probamusq; hanc esse mysteriorum naturam, ut nomina accipiant rerum significatarum, ibi ceu delirí, inepti, insaniq; deridemur. Rogamur etiã, an collectio sit firma, Tropus alibi reperitur in consimilibus loquutionibus, ergo in hac quoq; tropus est recipiendus. Nũc uerò quasi robustissima sit ea cõnexio, ablegamur ad ca. 11. Matthæi, Quòd ibi claudi, & cæci dicantur illi, qui iam sanati erant. Sic nobiscum agitur, si deo placet, ab ijs hominibus, qui sibi nihil moderantur, & ab aduersarijs nihil non importunissimè requirunt.

Sed audiamus reliqua. Breuiter, Accepit Christus panem, benedixit panem,» fregit deinde, & dedit, quod ex pane benedicendo confecerat: quod illud, quale,» quid esset, extulit ijs uerbis, Hoc est corpus meum. Quibus uerbis an uerũ præ-» dicauerit ipsa ueritas, qui addubitauerit, anathema sit. Nam, ut Epiphanius di-» cit, ab omni excidit gratia & salute. Accepit panem, benedixit panem. Huc-» usque iste à uero non discedit. Cum uerò addit, Fregit deinde, & dedit quod ex pane benedicendo confecerat, hic ad sophismata redit. Et cum non aliud habeat nomen accusatiui casus, ab Euangelista positum, quod illa uerba post se regat, ut

Grammatici docent, nisi panem, illud tacitus iam præterit, & Christum dedisse inquit, Apostolis corpus suum. Vnde necesse est, ut statuat ipsum quoq; suũ corpus Iesum fregisse, ac simul habuisse corpus integrum & corpus fractum: quod omnibus pie sentientibus debet esse quàm absurdissimum. Præterea uidet dissimulare, nos perpetuò fateri, Christum in cœna corpus suum unà cum panẽ dedisse, at spiritualiter & per fidem accipiendum: ipse uerò cur nõ assentitur uicissim, ut sacer contextus cogit, & loquutio Euangelistarũ exigit, panem cũ corpore Christi unà datum? Veritatem autem, id est ipsum Christum, uera dixisse, non ambigimus: sed uos meritò accusamus, qui uerba illius tãta peruertatis astutia. Quamobrem si uestrum anathema eos ferire debeat, qui scripturæ non credunt, uobis per tempus consulite, ne à salute & à gratia excidatis. Quia nos, cum undiq; scripturæ credamus, satis dei fauore in tuto sumus.

OBIECTVM XIX.

CHRISTVS accepit panem, benedixit panem, fregit panem, dedit panem scripturæ testimonio: quia illa quatuor uerba tantum unum accusatiuum, panem, regunt. Proinde ut uerus panis est, dum accipitur & benedicitur: ita non minus erit eiusdem naturæ, cum frangitur, & datur. Quapropter Christus panẽ dedit: alioqui dixisset Euangelista, Christum fregisse corpus, & dedisse corpus.

GARDINERVS.

SI *Grammaticam consulimus, omnis accusatiuus actionẽ in se recipit uerbi, cui subijcitur: & ideò ex accusatiuo fit nominatiuus eiusdem uerbi passiuo congruens. Et, ut à Christi uerbis non recedamus, Christus accipiebat panem: quod est, mutato uerbo, panis accipiebatur à Christo. Et panem quem accepit Christus, post consecrationem dicimus panem acceptum, tanquam ipsa actione affectum. Vnde post uerbum Benedixit, ut plenus accusatiuus sit, oportebit repetere panem acceptum: & post uerbum, Fregit, panem acceptũ, benedictum: & post uerbum, Dedit, panem acceptum, benedictum, fractum. Atque hæc dico, ut ostendam, non unum esse accusatiuum, etiamsi uerbis istis præter simplicem significationem, nihil inesset altioris mysterij.*

MARTYR.

VVlt Inconstantius uideri, noua hæc arcana ex penitissima Grammatica nobis proferre: cum ea reuera ex abditissima sophistica traxerit. Nemini arbitror, in hac præfatione audienti subtilitatem adeò affectatam, non statim subolere aliquam splendidam imposturam sibi necti. Nos uerò qui rudiorem Grammaticã didicimus, quando inter multa uerba generis actiui, quæ accusatiuũ possse regũt, unũ duntaxat nomen eiusdem casus audimus, illud omnibus uerbis ita simul positis assignandũ statuimus. Vnde, cũ diuinæ literę Iesum tradant panem accepisse, benedixisse, fregisse, et dedisse, iure meritoq; ijs uerbis unũ accusatiuũ, nimirum Panẽ ab initio positũ, diximus esse attribuendum. Fatemur nihilominus, pani serie quadam, & successione cõgrua, in illa cœna sacrosancta hęc accidisse, ut acciperetur, benediceretur, frangeretur, distribueretur. Quorum accidentium

Quæ pani acciderint in sacra cœna.

dentium Euangelistæ nullum tradiderunt substantiã panis immutasse, ut, quem madmodum isti fingunt, illa esse desierit.

Deinde si regulam istius noui Grammatici sequi uelimus, nullum actiuum uerbum reperietur, quod simplicem accusatiuum regat. Nam si dixeris, Petrus amat deum, quia ille accusatiuus afficitur actione, ut iste docet, interpositi uerbi, erit duplex, deum amatum. Atque ita Petrus amabit deum amatum. Et ita uerbum quodcunq; actiuum, non unum, sed geminum accusatiuum reget. Authoritate proinde ac iudicio istius logodædali accusentur Grammatici, quòd suas regulas tam imperfectè, ac negligenter tradant. Et mirum est, cum ut impleret suũ accusatiuum dixerit, panem acceptum, benedictum, fractũ, cur non ulterius pergat, dicatq;, Panem acceptum, benedictum, fractum, datum accepisse discipulos. Hoc non adiecit, quoniam, ut uideo, panem omninò dari noluit.

Sed iam audiamus, cui strophæ seu fallaciæ hac sua noua Grammatica uiam strauerit. Et illud, inquit, omninò obseruandum, ut secundum modum actionis alicuius uerbi præcedentis aptetur in ultimo uerbo accusatiuus. Adeò si quod uerbum præcesserat, quod substantiæ mutationem designet, in ultimo accusatiuo continebitur. Verbi gratia: Accepit quis uinum & mel, miscuit porrò & dedit bibere. Non repetam pro accusatiuo uinum & mel, quę, ut ait Iurisconsultus, propter mixtionem in sua substantia non durant, sed aliam constituunt speciem, uidelicet mulsum. Itaq; actio uerbi, miscuit, non est dissimulanda in ultimo accusatiuo. Nec quia dico, Accepit uinum & mel, deinde, miscuit uinum & mel, non dicam tamen dedisse bibere uinum & mel. Sed accusatiuus uerbi Dare, erit mulsum, ad exprimendam uim uerbi Miscuit, præcedentis, quæ ex communi sensu, & regulis Grammatices non potest sileri. Mirum quàm sibi placeat Gardinerus, cum per hos gradus ascendit à Grammatica ad Iurisprudentiam, & inde ad Theologiam. Nam hoc est omnia nosse, atque uarias eodem tempore scientias ostentare: sic enim sperauit famam suam posse supra astra innotescere. Sed ego uicissim aliquid ex Grammatica, & nonnihil ex Iurisprudentia respondebo. Nã & mihi, quando sic prouocor, in hoc exemplo uini & mellis libet paulisper ludere, atq; ea paucis tractare, quæ à mea professione longè sint aliena.

Proinde à Grammatica auspicabor. Si quod uerbum, inquit Gardinerus, præcesserat, quod mutationem substantiæ designet, in ultimo accusatiuo continebitur. Hoc dari potest. Sed in uerbis commemoratis in mysterio cœnæ, Accepit, Benedixit, Fregit, Dedit, ostẽdat Inconstãtius, quodnam eorum sit, à quo substantiæ mutatio denotetur. An dicet Benedicendi uerbum id significare? Quasi benedicere nil aliud sit, quàm, ut ita dixerim, transubstantiare. Hoc si dixerit, haud dubiè ridebitur à suis Grammaticis, maximè uerò à Theologis. A Grammaticis quidem, quia in illa tota facultate nusquam reperiet, Benedicere, in hac significatione, præsertim cum Græce sit, ἐυχαεισήσας, omnesq; sciant eo uerbo significari, gratias agere, non substantiam immutare. Sacræ uerò literæ citra controuersiam testantur, deum primis nostris progenitoribus benedixisse. An ergo eorum substantiam putabimus ob id fuisse mutatã? Filijs quoq; Noé benedixit deus Optimus Maximus: neq; tamen illorũ substantias mutauit. Christus item seruator noster ascendens in cœlum Apostolis benedixit: quos nemo dixerit fuisse ab eo transubstantiatos. Quamobrem si hominis huius imposturas & deliria sequamur, id reliquum nobis est, ut nouam discamus Grammaticam: qua uerbum hoc, benedico, significet substantiæ mutationem: & in diuinis literis omnia intelligamus transubstãtiata, quibus uel deus, uel Christus aliquando benedixerit. At satius est à uerbis dei hæc abiurare sophismata, quàm significationes uerborum consectari, quæ nusquam uel caput uel pedes habeant.

Verbo benedicendi aut gratias agendi nulla significatur mutatio.

Nunc uenio ad simile de mixtione uini & mellis: & conscientiam Gardineri appello, an sic iudicet panem abire in sua transubstantiatione, ut substãtia mellis & uini discedit in mulso? Certè in mulso cum uini, tum mellis permanet substantia, quamuis formam seu speciem mutent: permulta etiam utriusq; substãtiæ conseruantur accidentia. Verùm isti in illa sua transubstantiatione totã panis & uini substantiam & materiam abire aiunt, solis eius relictis aut superstitibus accidentibus. Cum itaq; in ista similitudine tanta diuersitas animaduertatur, eam ad rẽ præsentem non facere, quiuis intelligat. Propius adhuc accedendum est: & rogare oportet Inconstantium, an hęc duo uerba, Miscere uinum cum melle, & Benedicere, seu gratias agere, uim & potestatem eandem in significando habeant? Exue omnem pudorem, perfrica frontem: & dicas, mutationem utrinq; significari, cum nemo ignoret, Benedicere nullam denotare mutationẽ: quam omnes tamen intelligimus tum succedere, cum uinũ admiscetur melli. Prætereà quis non uideat, & corpus Christi & panem non esse res liquidas, ut mel & uinum? Quare licet in illis ex admistione mutetur forma, nam utrunq; illorum duorum dilabitur, liquescit, & diffunditur in alterum, tamẽ idem de pane atq; Christi corpore dici non potest. Capiantur autem è diuerso grana tritici & hordei, aut grana tritici, mei & tui, ac inter sese misceantur: confundas illa simul, ut libuerit: ob eam causam nec formam ea, nec naturam, nec speciem mutabunt. Neq; mea est hęc sententia, sed Legum Ciuilium: quarũ iste summam scientiam profitetur. Nam in ff. de rei uendicatione. l. Idem, Vlpianus statuit, non mutatam speciem: ideoq; pro suis granis concedit actionem: uti ibidem quoq; Accursius interpretatur. Quamobrem nunquam speraui fore, cum eadem lege ista contineantur, quæ ego nunc adduco, & quæ Gardinerus produxit, ut egeret monstratore, qui iuberet illum animaduertere portentosam transubstantiationem, quam tuetur, mixtioni liquidorum nullo modo congruere. Congrueret potius mixtioni siccorum, si ea concedenda esset: cum ambo corpora solida sint, corpus inquam Christi, & panis. Vnde minus illi desipuerunt, qui uolẽtes realem, corporalemq; præsentiam in Eucharistia corporis Christi statuere, utranq; simul, panis, inquam, & corporis domini substantiam retinent: quòd uideant non esse necesse, ut ex mutua coniunctione, substantiæ & naturæ immutentur. Proinde cum Grammatica, Iurisprudentia, & uerba scripturarum nil iuuent istud commentum transubstantiationis, tibi consilium salutare, atq; optimum damus, Gardinere, ut à causa temerè suscepta, & infeliciter probata, desistas.

Mixtio siccorũ et liquidorum.

,, Sed pergit, atq; ita scribit: Quare, ut ad uerba Christi redeam, quoniam credimus, Christum ita benedixisse panem, quem in manus acceperat, ut uerè efficeret, quod uerbis professus est, dicẽs, Hoc est corpus meum. Cuius uerbis magis credit fidelis de effecta uera præsentia corporis, & mutatione panis, quàm ,, sensibus renuntiantibus de confecto per mixtionem mulso. Quod ais, te credere, Christum ita benedixisse panem, ut illũ mutarit, friuolum est. Potes enim, quod credis, falsò credere. Ita etiam Iudæi hodiè ac Turcæ multa credunt, in quibus falluntur. Fidem tuam ueram esse, de scripturis diuinis probes oportet. Vnũ tantùm ex illis sententiam promis, Hoc est corpus meum. Quę cum longè aliter possit, & debeat intelligi, atq; de illa tu sentias, illa frustrà niteris. Est quidem panis Eucharistiæ suo modo corpus Christi: at non eo modo, quo tu opinaris. Vtq; dominum ueracem non dubitamus: ita te uel imprudentem, uel fraudulentum interpretem esse, citra ullam controuersiam asserimus.

Neq; uerba Christi quicquam de uera præsentia, neq; de panis mutatione, quæ tu fingis, attestantur. Quod si facerent, nos quoq; illis multò facilius quàm sensui tuo de confecto mulso ex uini mellisq; permixtione fidem haberemus.

Proinde

Proinde non est, quòd iactes, fidem tuam nostræ fidei antecellere. Non est hic adeò insanus & cæcus Inconstantius, ut non uideat, quid maximè obsistat suæ confictæ subtilitati, qua imaginatur, benedicẽdi uerbum transsubstantiationem perfeciſſe. Nam: Quòd si quis hic obgannierit, inquit, Ergo consecrauit Christus benedicendo: &, tum sequitur, illum fregisse corpus: Respondeo, fregit qui dem in mysterio: sed expedita est fractio in uisibili signo: & dedit demum, quod dare promiserat, quodq; egit ut daret corpus suum. Atq; huc spectasse benedictionem uerbis suis operatorijs exponit dicens: Hoc est corpus meum. Quid est frangere in mysterio, & fractionem in signo uisibili expedire? Hic prorsus tenetur: & ita leuiter se putat elapsum? Certe fractio illa realis & uisibilis fuit. Per mysterium uerò aut rem significatam intelligit, & dabit, quod sibi opponitur, nimirum, Corpus Christi frangi: aut symbola, quæ & ipsa mysteria sunt: quãdoquidem aliud sensibus præ se ferunt astantium, & aliud significatione indicant. Vnde panis frangetur, qui prius acceptus, & benedictus erat: quod nos uolumus, et narratio Euangelistæ, uelit, nolit Gardinerus, exigit. Quid autem aliud per uocem, Mysterium, iste sibi fingat, diuinare non possum. Sed expedit, inquit, fractionem in signo uisibili. Conficitur ergo, aut panẽ ipsum fuisse fractũ, ut patres testantur: aut accidentia panis, ut isti somniant. Quo figmento quid futilius excogitari potest?

Videmus præterea, impostorem hunc, suis præstigijs, quoties libet, accusatiuum casum illorum uerborũ mutare. Iam cũ panis est benedictus, alium accusatiuum putat substituendum, nimirũ, corpus. Etenim uerbosa sua disputatione nil aliud conatus est concludere, quàm ipsius mutationis in aliquo uerbo præcedente significatæ in proximo accusatiuo habendam esse rationem. Vt si dictum fuerit, quempiã miscuisse mel & uinũ, illa posteà nõ intelligatur dedisse, sed mulsum. Cur nunc discedit à pactis suis? Benedicendo Christus mutauit panẽ, abijciendo eius naturam atq; substantiã, illiq; substituendo suũ corpus. Additur uerbum fregit. Cur quærit uel panem, uel panis accidentia, quæ franganť? Cogitur uelit, nolit, fateri, uerbum quod sequitur, Fregit, ad corpus referri: ut dicat Christus, iuxta eius interpretationem, suum corpus fregisse. Mirabilis sanè est fabulæ istius ludus. Verbũ, Accepit, ad panem refertur. Benedixit, interpretat, panem expulit, & substituit corpus. Fregit, aut panem repetit, aut eius accidentia spectat, quæ franguntť. Dedit, & corpus, & panis accidentia cõplectitur. Vides, quàm sint horum strophę multiplices, & copiosæ? At ipsis illud accidit, quod eis euenire necesse est, qui multa falsa comminiscunť, nimirùm, ut pugnãtia dicant.

Monstrosum et nouũ genus interpretandi.

Qui multa falsa cõminiscuntur, dicunt pugnantia.

Reuocemus, quæso, in memoriam, quid superius de uerbis, Hoc est corpus meum, Inconstantius non semel dixerit: illa nimirum operatoria esse: ut ante illa panis sit, quod est in manibus: at post illorũ prolationem sit corpus Christi. Nũc uerò consecrationem, seu immutationem panis contendit factam illo uerbo, Benedixit. Nam uerbum, Dedit, ad corpus omnino refert. At Euangelistarum narratione dominus, cũ benedixisset, fregisset, & dedisset, inquit: Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum. Ex quo concluditur, nondum fuisse corpus, cum frangebatur, & dabatur, si uerba illa, Hoc est corpus meum, operatoria sunt, & mutant panem in substantiã corporis Christi: ut etiã hoc loco uidetur affirmare. Aut si cum benedixit, seu gratias egit, mutauit panem, id non est tribuendum illis uerbis, Hoc est corpus meum, cum benedictionem sequantur, non antecedãt. Vertat se Gardinerus, quò lubet: & cauilletur, quantum uolet: medius tenetur: illi enim necesse est fateri, se aut hic aut superius mentitum esse.

Verùm huic plagæ medicinã facit, ut potest: At ita replicabiť, inquit, Illa uerba, tanquam posteà dicta, narrat Euangelista: & præcessisse illa, Accipite, & man-

,, ducate. Quasi uerò rei gestæ ueritas ex ordine narrationis sit omninò æstiman-
,, da: secundum quem ne corporis quidem figuram iusserit manducari Christus.
,, Nam narratur, dixisse eum, Accipite, & manducate, nondum explicato, quid es-
,, sent manducaturi. Sed isti in re seria nil aliud, quàm nugantur. Ad quem mo-
,, dum si quis in sermone quotidiano cauilletur, non consisteret. Modus, quo se
quærit Inconstantius expedire, is est, ut dicat, rei ueritatem ex ordine narratio-
rationis æstimandam non esse. Quod, si grauitatem, syncerítatem, authoritatẽq;
diuinarum literarum æquè spectasset, atque auidè aulicas dignitates, & honores
propemodum regios admirabatur, & ambiebat, non dixisset. Vnde enim, quæ-
so te, ueritatem gestarum rerum à Christo, præsertim in tanto mysterio, æstima-

A narratione sacrarum literarum historiæ ueritas æstimanda est.

re possumus aut cognoscere, nisi ab Euangelistis? In hac sanè historia huius
mysterij recitanda omnes consentiunt: & illis Paulus quoq; concinit, idq; in to-
to omnium istorum uerborum ordine. Siquidem Matthæus, Marcus, Lucas, &
Paulus aiunt, Christum panem accepisse, gratias egisse, aut benedixisse, fregisse,
dedisse ac dixisse: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Nónne satius est,
ex ijs fontibus ueritatem trahere, qui diuinitùs scaturiunt, quàm è uestris fractis
cisternis temeritatem, errorem, atq; uanitatem haurire? Neq; indoctè solùm, ue-
rùm etiam impiè illi Theologi faciunt, qui acies humanæ mentis à uerbo dei ab-
ducunt, ut hominum fictionibus & commentis fidem habeant. Quocirca mihi
sanè constans & ratum erit, id quod eodem ordine omnes Euangelistæ de tan-
to mysterio narrauerunt.

Mirum est præterea, quo iste astu conetur nos quoq; ijsdem, quibus ipse te-
,, netur, impedire difficultatibus. Quia hoc pacto, inquit, ne corporis quidem figu
,, ram iusserit Christus manducari. Sed frustrà cauillatur: quia si ad mentem &
dem sacra hæc functio reuocatur, non figuram, sed ipsum Christi corpus uerè

Quando panis incipiat esse sacramentum.

percipimus. Panem uerò sumimus ore corporis: de quo si nos percontet, quan-
do incipiat esse sacramentum, ita ut dici possit corpus Christi, expedita, facilisq;
responsio est: nempè, cum omnia dicta sunt, & recitata, quæ Christus cum disci-
pulis mysteria communicans gessit & dixit. Neque consecrationem aut uer-
bo Benedixit, aut quatuor seu quinque uerbis superstitiosè attribuimus: aut il-
lam perfeciisse Christum, cum super pane gratias ageret, asserimus. Nos turdi
non sumus, qui uiscum, quo capiamur, ipsi nobis egeramus. Gardinerus & simi-
les eius Papistæ, conuincuntur pugnantia dicere: qui modò suam consecratio-

Inconstantia transsubstantiatorum.

nem aut transsubstãtiationem uerbo Benedixit, modò illi orationi, Hoc est cor-
pus meum, attribuunt. Hæc illorum inuenta sunt, quibus, ut præstigiatores, toti
orbi Christiano conati sunt illudere. Sed ita deus uoluit, ut se ipsos cum primis,
& meritissimè ijs laqueis implicarent.

Nos deinde ait, in re seria nugari. Sed responsum sibi habeat, nos quidẽ agno
scere, Christi mysterium esse rem ualdè seriã: commenta uerò illorum, & menda
cia, quæ oppugnamus, pro meris ineptijs, gerris, & tricis pernicioſissimis habe-
re. Neq; dũ ex uerbis dñi ac serie narrationis euãgelicę argumẽtamur, possumus
dici, nugari: sed potius existimari debemus ex purissimo ueritatis fonte rationes
ducere. Friuolum deniq; admodum est, quòd in sermone quotidiano, ait, si
quis hoc pacto cauillet, fieri nõ posse, ut cõsistat: quasi huiusmodi portẽta, qualia
ipsi finxerũt, aut frequenter accidant, aut homines ita ineptè, & prodigiosè inter
sese loqui soleãt. Si habet sermo familiaris hominũ multiplicia & copiosa huiusl-
modi exempla, cur illa grauatur proferre? Argutatus est, ut libuit, non ut de-
buit, de uino & melle. Sed ita clarè & perspicuè illi responsum est, ut inde le-
ctor colligere possit, qua uia consimiles loquutiones, cum forte obijcientur,
sint diluendæ.

OBIE-

OBIECTVM XX.

HOC poculum est nouum testamentum in meo sanguine. Verba hæc per tropum exponenda nemo ambigit. Quare non absurdum erit, & illa, Hoc est corpus meum, cum circa idem sacramentum uersentur, per tropum explicare.

GARDINERVS.



IC *tropus, quoniam apud alios Euangelistas propria loquutione explicatur, cedit sensui secundum literam, quæ in Matthæo sic habet: Hic est sanguis. Quod autem ad illa Christi uerba attinet, Hoc est corpus meũ, sua forma loquendi tropum reijciunt, nedum admittunt.*

MARTYR.

SI uerba illa, Hoc poculum est nouum testamentum, cedunt sensui secundum literam, quæ habetur in Matthæo: ista quoq; , Hoc est corpus meum, cedere debent alijs diuinæ scripturæ locis: quæ declarant, non simpliciter, sed tropicè, uerba illa esse accipienda. Non enim semel Paulus dixit, in Eucharistia panem esse. Atq; ut usum est ratione superiori, euincunt Euangelistarum uerba, panem à Christo fuisse demonstratum, cum diceret, Hoc est corpus meum. Idemq; suadent omnes illæ sententiæ scripturarum, quæ Christum uerum hominem prædicant: quæq; illum in cœlum ascendisse tradunt, & ibi detinendum quoad uenturus sit postremo die ad nos iudicandos: multaq; alia quæ nunc prolixum esset recensere. Quapropter æquius est, ut tam multis locis ille unus cedat, Hoc est corpus meum, quàm ut ille unus præ omnibus alijs ita intelligatur ut uerba ipsa præ se ferunt cum magna fidei orthodoxæ pernicie.

Ad hæc quo argumento, Gardinere, prædicas hanc propositionem, Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine, debere illi cedere, Hic est sanguis meus, quàm è diuerso istam illi: præsertim cum in re sacramentaria uersemur, in qua signorum, & proprius, & familiarissimus est usus? Tu quidem, ut uideo, dicis: at nulla ratione probas. Idcircò scire debueras, apud Lectores uerba tua non pluris fore, quàm eorum, qui diuersum credunt, & probant. Quòd uerò garris, ea uerba, Hoc est corpus meum, sua forma loquẽdi tropum reijcere, uanissimum est: cum de Iohanne sit dictum, Ipse est Elias. In qua propositione, ut in ea, quam præ manibus habemus, pronomẽ demonstratiuum Ipse, pro subiecto habetur. Atq; consimiles huius permultæ aliæ possunt adduci: Ego sum uitis: Vos estis sal terræ. Eæ quoq; in subiectis habent pronomina, quæ singulares personas denotant: & nemo aut sapiens aut sanus est, qui eas negare uelit esse tropicas. Idcircò non est uerum illam formulam reijcere tropum, cum eadẽ in multis alijs reperiatur, uel à uobis ipsis dantur esse tropicæ.

Cæterum iste, ut uulpes, cum uidet, se non posse fugiendo latius uagari, ad foueam, seu cubile consuetum recurrit. Latebra Inconstantij consueta est indiuiduum uagum, quod in subiecto demonstrari testatur. Idq; quàm uanè, atq; inutiliter ab eo fiat, altera propositio declarat: Hic est sanguis meus: in qua subiectum non potest indiuiduum uagum demonstrare, cum sit masculei, non neutrius generis. Et certè ut uerum fatear, piget me de eadem re toties loqui: ut qui sciam, quemadmodum δὶς κὰι τρὶς τὸ καλὸν, ita δὶς κράμβην ἔναι θάνατον. Quamobrem parcet mihi lector, cum uideat, non esse mihi liberum atq; integrum, quæ uelim dicere: sed arbitratu sophistæ tenebricosi cogi me tractare, quæ nolim.

Cum aliqua de suo illo uago indiuiduo deblaterauit, ita in nos inuehit, si deo
„ placet: Quo loco, qui tropum subdit, tenebras addit, ut nihil intelligatur. Hæc
non uidet in se longè magis, & uerius quadrare: qui dum splendorem tropi, &
quidem leuis, atq; usitatissimi fugiat, in obscurissimas ambages fictionum men-
„ dacissimarum sese conijcit. Scribit ad hæc: Si quis dicat, Hoc est panis, intelli
„ gimus ex prædicato fuisse in subiecto demonstratam substantiam. Sin ita dicat,
„ Hoc est dulce, demonstrauit in subiecto ens in qualitate, cum substantiam forsan
„ ignoraret. Velim de Gardinero hic libẽter scire, cur cũ dicitur, Hoc est dulce,
non intelligatur Ens in substantia demonstrari, cui dulcedo acciderit. Respon-
dere uidetur, Quia substantiam forsan ignorat. Quid hoc ad ista facit? siue sciat,
siue ignoret, certa res quædam est, quę demonstratur. Et demonstrator ipse, fieri
potest, ut quemadmodum substantiam ignoret, ita etiam nescíat qualitatem. Ru
des quippe homines prædicamenta nesciunt subtiliter distinguere, aut appositè
nominare. Deinde si id, quod Inconstantius dicit, recipiamus, nimirũ, ex præ-
dicato nos intelligere, quid sit in subiecto confusè demõstratum, ut cum dicitur,
Hoc est panis, in subiecto demonstretur, ut ipse uult, Ens in substantia: quæro,
cum dicimus, Hoc est rotundum, quid in subiecto demonstretur. Si analogiam
suæ doctrinæ sequatur, dicet, Ens in qualitate demonstrari, non substantiã: cum
Epiphanius. figura, & rotunditas ad genus qualitatis pertineant, non substantiæ. At Epipha
nius in Ancorato, ut superius audiuimus, ait, de eo quod Christus in manibus
accepit, Hoc enim est rotundæ figuræ: & uoluit per gratiam dicere, Hoc meum
est, hoc, & hoc. Quare conficietur, Christum pronuntiasse corpus suum, non de
Ente in substantia, sed de Ente in qualitate: quod quàm absurdum, & alienum à
uero sit, non opus esse arbitror, ut multis exponam, omnes enim sciunt qualita-
tem non posse esse corpus Christi. Et hæc tantum dico, ut lector animaduertat,
quàm rata sint, & constantia, quæ Inconstantius tam obstirmatè asseuerat.

„ Verùm adhuc non minus delirat, cum ait: Si quis uerò de statua dicat, Hoc
„ est homo, sensus communis intelligit, illum non demonstrasse substantiam ho-
„ minis, aut statuæ: sed quod est accidens in homine, cum eo, quod est in statua ac-
„ cidens, comparasse similitudine: ac si dixisset, figura huius statuæ, est figura ho-
„ minis. Quod & in omnibus his loquutionibus obtinet, ubi non substantias, sed
„ rerum qualitates explicamus, quando eorum quæ in prædicato dicuntur, simi-
„ litudo aliqua relucet in ijs, quæ hoc modo loquendi quasi conferuntur. Vide
obsecro, lector, quemadmodum hæc sæpia res claras, perspicuas, & dilucidas
nube sophismatum opacet. Quid in re plana sic oportet ἀτροβατεῖν? Cum de sta-
tua dicitur, Hoc est homo, certum aliquod lignum, aut lapis, aut metallum, aut
certa quædam huiusmodi materia demõstratur, quæ definitam in rerum natura
substantiam habeat, non autem uagam & indefinitam. Et propositio ea, si perspi
cuitatem sectemur, ita resoluenda, & explicanda est: In hoc ligno, lapide, aut me
tallo est figura hominis, uel humanæ figuræ similitudo. Cum pateat regia & pla
na uia, non est per labyrinthos uagandum.

„ Pergit uerò, & dicit: Qui de pictura loquens, ait: Hic est rex, accidens regis
„ demonstrauit in accidẽti picturæ. At quomodo in pictura propriè demõstrari
potest accidens regis, cũ in ea nõ sit? Tabella sanè demõstratur, in qua coloribus
expressa est regis similitudo. Ad hæc, quibus nõ uideatur admodum noua, ne
dixeri mabsurda, hæc dialectica, in subiecto demonstrari prædicatum, cum di-
citur, Hoc est panis, aut, Hoc est rex? Ego nunquam credidissem, tam facilè
ἀσύσατα, uel pugnantia isti homini excidere potuisse. Si demonstratur in illis
propositionibus prędicatum, non potest, ut iam ubiq; docet, indiuiduum uagum
ostendi. Quandoquidem prædicatum naturæ utiq; certæ, ac definitæ est: Indiui-
duum

dúum autem uagum, res confusa nullaq; certa finitione terminata. Neq; hoc nouum est, Gardinerum, cum alioquí sibí uideatur prudens, non bis, aut ter, sed frequentíssimè ad eũdem lapidem impingere. Nam hic quoq; illud, quod superius dixerat, repetit íjsdem uerbis: Quía de statua loquens, & dicens, Hoc est homo, fortasse nescíat interea, lapis sit, an lígnum, an alterius materiæ statua. Quasí ad ostensionem quícquam referat, utrum ille subsțantiam rei demonstratæ scíat, an ignoret. Scientía uel ignorantía demonstrantis efficere non potest, quín res demonstrata in sua natura certa sit, ac definita.

Scientia et ignorantia demonstrantis, naturã demõstratæ rei non mutat.

Sed ut à re præsentí non discedatur, ignoratio in re, quã Christus demonstrauit, locum habere non potuit; cum omnes discípuli, qui ei accumbebant, panem esse uiderint quod demõstrabatur. Ad hæc, quod magís mireris, in íjs loquendi formulís contendit Gardinerus non esse tropum: nimirum, cum de statua dícitur, Hoc est homo: aut, Hic est rex: sed potius ipsorum accidentium collationem esse. Istum multi arbitrantur perfectum Grammaticum, & summũ Rhetorem. Illos omnes nunc adesse uelim, ut pro Inconstantio suo nobís explícent, quomodò loquutiones, quibus per similitudines aliquid efferimus, nomine aut nota símilitudinis detracta, non sint metaphoricæ aut figuratæ? Metaphoræ fuissent, & quidem notissimæ, si quis demonstrato Achille, dixisset, Hic est Leo in acie: aut ostenso Hectore, Hic est murus, uel arx Troianorum. Veræ quippè sunt huiusmodi sententiæ, quod in Achille símilitudo leoninæ ferocitatis uideretur: in altero símilitudo murí, & propugnaculi Troianæ gentís. At earum metaphora ita nota est, ut uel pueri eam norint. Ita de lapide cum dícimus, Hic est homo, aut Cæsar, uerum tropicè dicimus, quando in lapide aliqua símilitudo humanæ, aut Cæsareanæ figuræ deprehenditur.

At sint simplices ístæ sententiæ, ac tropo careant, ut íste paradoxo à se reperto prædícat. Qua ratione arguet, aut probabit interpretationem nostrã inuehere tropum in uerba illa domini, Hoc est corpus meum? Certè nos etiam hoc pacto regerere poterimus, sensum quo utimur, non esse tropicum. Quía dicemus, nos hic tantum statuere collationem subsțantiæ & proprietatis panís, cum subsțantia & proprietate corporís Christi. Et sanè nil aliud clamamus, quàm in ea propositione hanc analogiam esse retinendam. Iam Inconstantio non supereșt iustus ullus prætextus, quo nos figuratores uocet. Suo rete, nõ alios, sed seipsum cepit. Nam si propositiones huius generís à tropo absoluit, ne nostrã quidem potest rectè appellare figuratam.

Addit præterea, cum nemo tam stupidus sit, ut altero de statua proposita dícente, Hoc est rex, id eo contenderit non esse, quòd ea ex lapide sit, cum rex sit carneus. Nemo sapiens ita contendet, sed cũ tantum inter sese dístent cæro & lapis, propositionem illam potius admittet per tropum: uel quòd aliquam símilitudinem regis lapis referat: uel quòd ut eius monumentũ sit aliquando erectus. Neque consuetudo, qua loquutiones ístas homines tam facilè recipiunt, efficit quín tropicæ sint & figuratæ.

Deinde, ne sit parũ facetus, ac lepidus, ita scribit: Quod si de lapide rudi quispiam diceret, Hoc est rex: lapide, opinor, illi díminueret caput ís, qui regium nomen sanctũ haberet, educatus in regno, nec expectaret ænígmatis explicationẽ. Vídetur Gardinerus, quamuis & à se ipso, & à suis adulatoribus pro doctíssimo habeaț, nunquam legisse, ueteres, loco statuarum columnas rudes erexisse. Vnde quemadmodum posterioribus temporibus de statua Iouis, aut Saturni dicebaț, Hoc est Iupiter, aut, Hoc est Saturnus: ita uetustíssimo illo tempore dici potuit προπτικῶς de rudi columna, Hoc est Iuppiter, aut, Hoc est Saturnus. Verùm quid me per ueterũ historías uagarí oportet? Arca fœderís in lege Mosaica quid,

Veteres loco statuarum columnas rudes erigebant.

oro, ſimilitudinis, figuræ, aut proprietatis habuit, quod referret deum magis, quàm columna, aut rudis lapis? Et nihilominus ea in ſcripturis uocat deus, idq; nomine Tetragrammato. Petra etiam rudiſſima, unde aqua educta eſt ad Iudæos potandos, nónne à Paulo Chriſtus appellatur? Scribit enim ad Corinthios, Petra autem erat Chriſtus. Inconſtantius de iis nunquam cogitauit: alioqui non dixiſſet, comminuendum caput cuipiam, qui de rudi lapide pronuntiaret, Hoc eſt rex. Nullam quippe regi, qui ſic diceret, iniuriam faceret: cum neq; regem ipſum, neq; illius accidentia in lapide collocaret, ſed tantùm eius monumentum, aut aliquam ſimilitudinem: neque lapidem propria loquutione, ſed figurata regem nominaret.

„ Sed uideamus, quid ſequatur: Cum uerò Chriſtus acciperet in manus pa-
„ nem, non aliquid pictum, aut ſculptum accepit, in quo corporis ſui effigiem de-
„ monſtraret, ut illud Hoc, in corporis ſui accidente explicaret. Nam, ut Epipha-
„ nius ait, nil eſt ſimile corporis in pane, non effigies, non lineamenta membro-
„ rum: Nam eſt, inquit, rotundæ figuræ. Hæc cum ita ſint, apparet, illis uerbis,
„ Hoc eſt corpus meum, ſubſtantiam ſignificari corporis, nec de pane, cui nihil
„ erat ſimile, quicquam intelligi: quando corpus de ſubſtantia ſua, non aliena præ-
„ dicetur. Si nulla eſt in pane ſimilitudo aut proprietas, quæ Chriſtum referat, Inconſtantius reprehẽſionem ſuam, qua nos adeò taxat, in Chriſtum ipſum ore blaſphemo, ſi auſit, conuertat. Is de ſe ipſo dixit, Ego ſum panis. Quam propoſitionem, ſi conuerſione ſimplici, ut dialectici aiunt, inuertamus, dicemus, Panis eſt idem, quod ego. Quid hic faciet Gardinerus? Chriſtum ridiculè loquutũ dicet? Dixit etiam dominus: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: indicans, carnem ſuam eſſe illum panem, quo ſuos uellet alere. Quî poſſunt hæc uera eſſe, ſi ut iſte docet, inter Chriſtum, carnémue illius, ac panem, nulla analogia, nulla ſimilitudo, nullaq; figura intercederet? Omnes profecto norunt, panis proprietatem poſtquam aſſumitur in cibum eſſe, alere, & confirmare. Quæ duo Chriſtus fideliter communicantibus corpus ſuum uberrimè largitur. Quod uerò ad Epiphanium attinet, ſatis uidemus, quid ille reſpexerit, externam, ſcilicet, ſenſibilemq; figuram. Sed mirum eſt, adeò ſui commenti oblitum Inconſtantium, ut ea uerba Epiphanij rurſus uelit adducere: cum illa apertiſſimè teſtentur, non individuum uagum, ſed ipſum panem à domino fuiſſe demonſtratum, cum diceret, Hoc eſt corpus meum: ut ſuperius declaratum eſt luciditſſimè. Neq; uerum eſt,
„ quod Gardinerus tandem ſubiecit, Quando corpus de ſubſtantia ſua, non alie-
„ na prædicatur. Siquidem corpus Chriſti & de pane dici poteſt, nõ quidem identica, ut loquuntur ſcholaſtici ſcriptores, ſed figurata ſeu tropica prædicatione.

Inter panem et corpus Chriſti ſimilitudo et analogia iuſta intercedit.

Corpus Chriſti de pane prædicatur, ſed non identicè.

Vult poſteà Inconſtantius, uerba Chriſti perinde haberi, ac ſi dixiſſet, Quod uos ex ſenſuum iudicio æſtimaretis panem, quem in manus accepi, effeci ſecreta poteſtate, ut ſit corpus meum. Et ideò ne fidite ſenſibus, ſed uerbo meo: qui dico uobis, Hoc eſt corpus meum. Quæ afferuntur, cum leuia ſint, & probationem nullam habeant, non eſt laborandum ut ea confutemus: ſed potius ut ea contraria interpretatione corrigamus. Quod dominus inquit, Hoc eſt corpus meũ, id perinde fuit, ac ſi dixiſſet: Quod eſt panis, ut ſentitis, ac uidetis, nolim ut poſthac, dum hoc myſterium ſacræ communionis celebratis, tanquã uulgarem, prophanumq; panẽ habeatis: ſed pro ſymbolo, & quidem ſacro, & efficaciſſimo corporis mei: cuius perceptione ad ſalutem & ad uitam æternam alamini. Vter tandem noſtrum, Gardinere, ſuæ interpretationis facilius, explanatiusq; poterit, & congruentius diuinis literis rationẽ reddere? Non eſt opus ut reſpondeas, cum res ipſa loquatur, uideatq; lector, quibus ambagibus & ſtrophis tu cum tua iſta interpretatione inuoluaris.

Quòd

Quòd si Christus, inquit, de figura sola sui corporis danda sensisset, uel dixisset, Hic panis est corpus, ut in uerbo, est, intelligeremus tropum: uel apertè dixisset, Hoc est figura corporis mei. Quod non dixisse Christum, Theophylactus notauit. Et licet Tertullianus, quasi causæ subseruiens, id dicere uoluit, addidit tamen, Christum fecisse panem corpus suum: ne quid illa interpretatione officeret ueritati: secundum quam colligi potest, uisibilem speciem elementi pro figura esse, cum uerè simul adsit ipsa substantia corporis, propter uim horum uerborum, Hoc est corpus: quæ tropum reiicit, nisi uiolenter adhibeamus. Christus, inquit, si nobiscum faceret, dixisset, Hic panis est corpus: ut in uerbo, Est, intelligeremus tropum. At si Christus ita non dixit, ratio est, cur non dixerit. Omnes Apostoli, qui aderant, sensu uidebant, panem ostendi: cernebant etiam corpus Christi unà secum discumbere. Ideò quod ille tacuit, ex circunstantijs patefiebat ita esse intelligendum. Quibus posteà sublatis, ut deceptionibus præcluderetur aditus, panis Apostolus Paulus apertissimè facit mentionem, cum dicat: Panis quem frangimus, communicatio corporis Christi est: &, Omnes ex eodem pane participamus. Habes itaq; causam, cur Christus nõ ita dixerit: & ex Apostolo remedium aduersus errorem, qui posset obrepere.

Fateor etiam Theophylactum scribere, Christum non dixisse, Hoc est figura corporis mei. Sed quid illi tribuendum sit, aut quomodò eius uerba debeant accipi, iam anteà est explicatum.

Sed, quia non latuit Inconstantium, ueteres hoc sæpè cõfessos esse, Christum dedisse corporis sui figuram, ideò producit unum Tertullianum, quem ait hoc dixisse, ut inseruiret causæ suæ. Quasi pugnantia cum ueritate, ac falsa dicenda sint, ut ueritas confirmetur. Si nos hæc suffugia comminisceremur, quomodò quæso, ab Inconstantio acciperemur? Sed iam dicat nobis, quomodo Tertullianus cum sic scriberet, inseruierit causæ suæ. Contra Martionem hoc profectò uoluit probare, Christum habuisse uerum corpus, non fictitium, aut phantasticũ. Nónne hoc ex transubstantiatione uestra, si tum temporis fuisset credita, & publicè admissa, iam probatum erat? Nihil uerius probare potuisset, Christum habuisse ueram carnem, quàm si quis dixisset, ab omnibus in Ecclesia publicè credi, eam in sacramento realiter præsentẽ sub accidentibus panis exhiberi. Quam obrem illa interpretatione, qua utitur, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei, si uera sit uestra opinio, argumentum Tertulliani debilitat, tantum abest, ut inseruiat causæ, quam tractat. Sed coactus est ita dicere, quia Ecclesia eo tempore sacramentum Eucharistię figuram corporis Christi esse credidit. Vnde Tertullianum oportuit, allatum à se argumentum explicare, & ita subijcere: Figura autem non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Cæterum uacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest. Ita Tertullianus euidens reddit argumentum, quod ex illis uerbis infirmum uideri potuit. Non itaq; sic loquutus est, quòd causæ inseruiret: sed quia sic uulgò in Ecclesia credebatur. At mirũ est, Gardinerum illa istius patris uerba non consideasse, quæ adducit: Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit. Certè pronomen, Illum, si masculinum genus respicias, non indiuiduum uagum, ut iste fingit, sed panem refert. Quomodo autem corpus suum illum fecerit, nunc non est repetendum, cum iam sæpius explicatum fuerit.

Tertullianus.

Disputando falsa non sunt dicenda, ut ueritas cõfirmetur.

Quod uerò tandem illud commentum est, uisibilem speciem elementi pro figura esse, cum uerè, ut isti uolunt, simul adsit ipsa substantia corporis? Si hoc dixisset Tertullianus, minus iste accusandus esset. At cum ille dixerit, dominum fecisse panem corpus suum, nullam mentionem facit uel speciei, uel elementorum. Neq; res præsens figura opus habet, ut demonstretur, nisi sit spiritualis, &

sua natura prorsus inuisibilis. Et nouum est, quod inquit, ui uerborum corpus Christi adesse, cum superius id uerbis non censuerit attribuendũ, ne magia quædam uideri possit. Sed fieri nequit, quin mendax, qui diu loqui pergat, sua ipsius prodat mendacia.

OBIECTVM XXI.

SI CHRISTVS esset corporaliter in sacramento, quotidiè pateretur, & sanguis eius quotidiè funderetur. Nam scriptura dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: &, Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur. At corpus eius non quotidiè patitur, neq; sanguis eius quotidiè funditur, ergo Christi corpus & sanguis corporaliter non est in sacramento.

GARDINERVS.

SI Christus in suprema cœna, quam uisibiliter præsens celebrauit cum suis, nihil est passus, in qua tum corpus & sanguinem uerè dedit in mysterio eadem eloquutus uerba, quæ nos proferimus de corporis traditione, & fusione sanguinis: quæ tandem ratio esset, ut cum eadem à nobis cœna quasi repetita celebretur, aliud nunc fieret, quàm tunc est factum: & eorundem uerborum tanta sit hodiè uis, ut passionem uerè præsentem exigant, quæ in prima cœna illis ipsis uerbis prolatis non erat?

MARTYR.

ID primum nos oportet in hoc argumento cogitare, magnum esse discrimen inter nostra ista tempora, & illam noctem, qua Christus præsens instituit sacrã cœnam. Nam certè illa nocte facilè potuit dici corpus Christi tradi, & sanguis effundi: quoniam iamiam hora mortis eius imminebat, imò à Iuda iam tradebatur. Nunc uerò quando mille, atq; quingenti anni, & aliquanto amplius elapsi sunt, neq; posthac Christus est rursus moriturus, uerba illa sine figura esse uera non possunt. Imò tunc etiam in illa ipsa cœna, quam Christus celebrauit, tropus admitti debuit. Nam ea hora sanguis dominicus re uera non effundebatur. Figurata uero loquutione aliquid dici potest nunc fieri, quod paulò post sit faciendũ. Neq; aliud hoc argumento concluditur, quàm uerba domini, uelint, nolint aduersarij, esse exponẽda per tropum. Idq; hoc nostro tempore longè magis quàm tunc in cœna. Quamuis dici potest, ea uerba nũc recitatiuè, ut loquuntur, à nobis enuntiari: quod authorem huius argumenti certum est non respexisse: nec tamẽ ob id ratio non concludit, quin saltem cum Christus ea diceret, figurata fuerint. Quare si uera propter tropum esse potuit propositio, quamuis Christi sanguis tum non funderetur: hodiè quoq;, quamuis corpus eius non tradatur, erit etiam uera: quamuis corpus illud non sit in pane, uel sub accidentibus eius corporaliter præsens. Sicut enim uerba præsentis temporis, & tunc figuratè accipi debuerunt pro futuro, & modò pro præterito: ita corpus quoq; Christi licet realiter nõ adsit, tamẽ de pane dici poterit. Hoc itaq; probare conati sumus: Verba domini, quæ Inconstantius plenis buccis detonat sua natura tropum respuere, absq; tropo non posse rectè intelligi.

,, Scribit ad hæc: Quanta, deus bone, se prodit istorum ignorantia, qui non ui
,, dent, si uerba hæc, Traditur, & Funditur, ita urgeantur, probaremus passionem
Christ

Christi, ut minimum, geminam: unam à Iudæis in cruce, alteram ab ipso Christo in Cœna. Imò quia hæc uidemus, quæ Gardinerus serò acutus nunc tandem cernit, respondemus, Ne sint duæ, tres, aut infinitæ passiones Christi, tropo succurrendum esse: quo admisso omnia rectè habent. Cæterùm sic euadere absurda uobis non licet, qui tropum in ijs uerbis omninò repudiatis. Quocirca si domini sermonem ita nudè simpliciterq́, uti sonat, intelligendum putatis, ab hoc nodo uos nõ potestis expedire; quẽ tamẽ nos facilitate summa per tropũ dissoluimus.

OBIECTVM XXII.

SI uerba, Traditur & Funditur, accipiãtur ut sonant in consecratione, tum corpus Christi significabitur modò in crucem tradi, & sanguis eius modò effundi, aut mox effundendus. At si hæc in præteritum conuerti uoluerint, ut intelligamus corpus olim traditum, sanguinemq́ olim effusum, id erit figurate loqui, cum tempus pro tempore accipiatur. Quare nostrum etiam tropum ferre poterũt, cum suum admitti uelint.

GARDINERVS.

VERBA *in oratione & sermone familiari non semper actionis, aut passionis tempus notant: sed certam illius actionis passionisue ueritatem, uel præteritam, uel futuram, sed tamen indiscreto tempore, maximè cum in præsenti enuntiatur. Vnde Iohannes, cum de se diceret, Ego baptizo in aqua, non significabat illo ipso tempore se baptizare, sed de actione, quæ præterierat, & quam esset repetiturus, præsentis temporis uerbo eloquutus est, quasi id iam faceret: quæ propria est loquutio exprimentis sine tempore actionem.*

MARTYR.

PRo sua fide, ac uerbositate Inconstantius hic sese gerit. Argumẽta nostra pro sua libidine fingit, ac refingit, torquet, & mutilat: & quæ re uera sunt eadem bis repetit. Quod illum non imprudentem, sed ex malitia innata facere, minimè dubito. Non enim potuit non uidere, argumentum iam prius allatum, idem esse cum illo, quod nunc affert. Deinde quid eum oportet orationis sermonisq́ familiaris exemplum proponere, ubi actionis, passionisue tempus interdum minimè notentur, cum in sermone familiari tropi maximè admisceantur? Quod ille si non animaduertit, & ipse quid loquatur, ignorat, & alios admodum incogitanter audit. *Gardinerus argumenta nostra aut lacerat, aut ineptè recitat, aut eadẽ sæpius repetit.*

Iohannes uerò cum diceret, Ego baptizo aqua, per actiuũ uerbum, nõ actionem, ut iste fingit, intellexit, sed suam uocationem: suumq́ munus baptizandi, quale esset, ita loquendo, non sine tropo indicauit. *Locus Iohãnis.*

Sed addit, Vnde cum Paulus ad Romanos dicat, Qui prædicas non furandum, furaris, non significat simul eos eodem momento prædicare, & furari, sed utrunque agere suo tempore. Et Christus, ut futuræ suæ præsentiæ certitudinem significaret, Ego uobiscum sum, inquit, usque ad consummationem sæculi. Non dixit, Ero, nec tropo est usus, sed uim expressit quotidiani sermonis. Et ipsa Grammatica tradit, inflecti præterita & futura passiua præsentis temporis substantiuo uerbo. Vnde perpessus sum, & passurus sum dicitur: &

,, in sermone familiari nihil frequentius, quàm ut rerum uel præteritarum, uel futurarum certitudinem & securitatem exprimentes, illam uerbo præsentis temporis efferamus. In loco Pauli ad Romanos interpretando rursus eadem ratione Inconstantius hallucinatur, cum putet ibi nullum esse tropum, cum dicitur: Qui prædicas non furandum, furaris. Primùm non animaduertit libertatem numeri: quam Fabius Quintilianus, cum scribit de tropis, agnoscit esse tropicam. Vt cum Liuius ait, Romanus prælio uictor. Illa uoce, Romanus, non certum quendam militẽ, sed totum Romanorũ exercitum intelligens. Ita nunc Paulus numero unitatis Iudæum alloquitur, dicens: Prædicans, non furandum, furaris. Et prius: Ecce tu Iudæus cum sis. Ita loquitur, cum de gente Iudaica tota scribat. Et Gardinerus hic nullum agnoscit tropum. Eodem loco idem Quintilianus tradit, illum quoque tropum esse, cum ex eo, quod dicitur, aliud quiddam indicatur, quod tacetur. Vt apud Vergilium, Aspice aratra iugo referũt suspensa iuuenci: nox ostenditur ingruere, quod boues ab aratione desierint, ac domum uomere suspenso redeant. Hic quoque apud Paulum uidemus, unum, quod tacetur, ostendi ex alio, quod dicitur. Exprimit ipse Iudæorum sanam prædicationem, ut doceat eam gentem à deo accepisse legem sanctam, atque iustissimam, ex qua prædicatio recta depromebat. Cum uerò addit eos furari, ex peccati actione uult intelligi, eos interiori iustitia caruisse. Atque ita ex eo, quod ait, aliud quod tacetur indicat. Quod genus loquendi omnes docti tropicum esse affirmant: licet id Gardinerus, quæ illius est uel imprudentia, uel impudentia, perneget. Proinde in loquutione Paulina, quam adduxit, quàm uerè scribat nullum esse tropum, iudicet prudens lector. Certe nos ibi deprehendimus duos tropos.

Locus Pauli.

De eo autem, quod Christus inquit, Ego uobiscum sum usque ad cõsummationem sæculi, ibi quoq; non facilè concesserim, simplicem, ac non tropicum esse sermonem. Christus quippe duplici constat natura, diuina & humana. Et, quòd attinet ad diuinitatem, simpliciter Christus est ubique: deinde etiam sua gratia, & spiritu perpetuò Ecclesiam fouet, ac uiuificat. Humana uerò natura substantiali præsentia non est nobiscum: synedoche igitur est, qua de toto dicitur, quod tantum de altera parte uerum sit.

Id quod addit, Grammaticam ipsam tradere, præterita, & futura passiua inflecti uerbo substantiuo præsentis temporis, non est uerum in uniuersum Romanis quidem id accidit ob Latini sermonis penuriã. Græca uerò lingua, & Hebraica non ita inflectitur: & nihilominus rerum præteritarum, & futurarum utraq; lingua certitudinem, cum oportet, exprimit. Quare Gardinerus ista fingens maximas nugas agit: præsertim cum diuinæ literæ uel ex Hebraico, uel ex Græco sermone fuerint in Latinum cõuersæ. Quid ergo prodest, ut loquutio illa domini ostendatur simplex & absque tropo, Latini sermonis exemplum adducere, cum ea non ex Latina Grammatica, sed ex Græca metienda sit? Ad id ergo, quod probare uoluit, nil id conducit, quod affert. Sed ad id maximè prodest, ut omnes intelligant, Inconstantium tantum dicere, ut dicat: quasi actio hęc, qua de istis rebus scribimus, non ad ueritatem inquirendam, sed ad gloriam herciscundam sit instituta.

Verba præterita passiua non flectuntur per uerbũ substantiuum in omni idiomate.

Concludit tandem: Christus ergo rei certò gerendæ, ijs uerbis, funditur, & traditur, ueritatem expressit: quam nos ijsdem uerbis certè gestam agnoscimus, ut nullo hic tropo sit opus ad sermonis explicationem, quam ipsa consuetudo loquendi fecit propriam. Christum eo modo loquutum esse, partim ut rem imminere iamiam demõstraret, partim ob certitudinẽ, ut iste asserit, nõ inficior: sed hoc addo, id non efficere, quin tropus in eo sermonis genere agnosci debeat.

Et

Et quod subijcit, consuetudinem loquendi sermonem eiusmodi fecisse propriũ, audacter nego: quoniam loquendi consuetudo solet emollire tropos, & faciles reddere, non tamen eos prorsus tollere. Vnde Cicero primo de Oratore, inquit, Gẽmare uites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes etiam rustici dicunt. Quamobrem ualde ineptit Inconstantius, qui tamen in ijs loquutionibus metaphoram agnoscit, cum putet, sermonem ex eo, quòd sit familiaris & quotidianus, ob id tropicum esse non posse.

Consuetudo loquendi non tollit tropos.

OBIECTVM XXIII.

FATEMVR, corpus Christi hactenus passum: non quòd nunc tradatur in crucem, aut nunc sanguis eius effundatur. At si uelint isti sermonẽ Christi rigidè interpretari, cum inquit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur, oporteret eos dicere, panem fuisse crucifigendũ: aut saltem Christum ipsum uelatum accidentibus in sacramẽto. Nam Christus ostendens id, quod habebat in manibus, illud dicebat pro eis tradi, & fundi, iuxta ipsorum interpretationẽ. Quod si dicant, id fuisse corpus, & sanguinem, sed non eo modo, aut ea forma, iam quærunt interpretationes & suffugia, & non simpliciter propositionem accipiunt.

GARDINERVS.

RIGIDA *interpretatio, de qua hic frigidè & sine sensu loquitur, stulta prorsus & insana foret: quando uerbum Traditur, de corpore Christi dicitur, non de pane: neq; rursus de pane corpus dicitur, sed de individuo illo uno, cuius naturam demonstratio, Hoc, non explicat, quid sit, sed est nuda modo indicatio unius, quod, quale sit, prædicatio aperit.*

MARTYR.

QVam defensionẽ iste sibi muniat, ex ijs, quæ præfatur, non apparet. Verbum inquit, Traditur, de corpore dici, non de pane. At argumentum ita habet: Christum de eo, quod habebat in manibus dixisse ea, quæ protulit. Quod habuit in manibus, uel, ut nos dicimus, erat panis, de quo corpus Christi suo modo sit dictum: uel, ut ipsi uolunt, erat Christi corpus latitans sub accidentibus. Vtrumuis horum concedatur, si tropus, quemadmodum ipsi nituntur, excludatur, omninò conficitur, uelit, nolit Gardinerus, significari, aut panem esse crucifigendum, aut corpus ipsum Christi latens in sacramento sub accidẽtibus. Quorum utrunq; quàm sit absurdum, nemo est qui non sentiat. Nos uerò ad hoc incommodum non impingimus. Quia etsi panem à Christo demonstratũ fuisse uolumus, tamen Tradi, & Effundi, ad corpus Christi referimus, & ad sanguinẽ. Quanquam ea de pane quoque dici aut prædicari dicimus ratione iam sæpius exposita.

Iste autem ueretur ne fortassis individui sui uagi obliti simus. Quamobrem non iam bis aut ter, sed sæpius repetit suam Cramben. Deinde subdit: Illud uerò ,, stultius, quòd modum, & formam ita annectat substantiæ corporis, ut quod de ,, corporis substantia dicitur, de modo & forma unà intelligatur. An non crede- ,,

„ mus, eundem Christum natum ex uirgine, & in cruce passum? Neq; tamen eis-
„ dem modo & forma natus est, quibus passus est. Puer uidelicet natus est, infans,
„ staturæ modicæ. Creuit posteà & ætate auctus in alio modo corporis pilis iam
„ uestitur & capite & mento pro decoro, qui recens iam nato non aderant. For-
„ ma denicq; uirili, & animo non pueri, sed hominis passus est. Et ex ijs corporis
„ modo & forma uariatis, dicemus scilicet, nõ id corpus passum, quod natum est?
„ Neq; uera erit uox angeli de iam concepto in utero, & adhuc latente, quod is
„ saluum faceret populum suum à peccatis eorum, quia uterum egressus, & in ter-
„ ra uisibilis, non latitaret, quomodo erat in utero, sed uisibiliter in carne perse-
„ sus esset? Modum & figuram nos non annectimus substantię corporis: sed ea
à uobis illi iam anteà per inanissimas fictiones annexa accipimus. Vos quippe
illi estis, qui frigidè, ac sine sensu deblateratis, corpus & sanguinem domini sub
accidentibus panis ac uini delitescere in Eucharistiæ sacramento. Deinde
quod de corporis ac sanguinis substantia dicitur, nempe, Tradi, aut Effundi, ne-
cesse est ut ad corpus Christi referatur sub illo modo & forma, qua est, cum illa
proferuntur. Quia illa per uerba præsentis temporis indicatiui modi enuntian-
tur. Neq; uobis, qui tropos omninò respuitis, licet ad figuratam loquutionẽ con
fugere, ut tempus ab Euangelista pro tempore positum intelligatur. Quare si de
præsenti tempore absq; tropo propositio illa sit uera, necesse fuit corpus Christi
crucifigi, ut tunc latebat sub accidentibus panis, & sanguinem eiusdem effundi,
ut erat tum sub accidentibus uini.

Quæ uerò ab Inconstantio adferuntur de modo & forma uariata in corpore
Christi, cum esset in utero, deinde puer, & posteà uir, sunt quidem uera, sed ad
rem præsentem non faciunt. Primo quidem, quoniam illi modi, & formæ,
quòd pro diuersitate temporum in corpore Christi mutatæ fuerint, scripturę te-
stantur: quæ Christum in utero matris fuisse tradunt: deinde natum, & oblatum
in templo, idq; ita, ut in ulnis Simeonis excíperetur. Scribitur ad hęc fuisse puer,
atq; cum parentibus Hierusalem ascendisse, ibiq; disputasse inter legis doctores.
Dicit etiam Euangelista illum & ætate, & sapientia profeciſſe, & postremò à Io-
hanne tinctum fuisse in Iordane, cum iam triginta esset annorum. At è diuerso
modum, & formam, qua Christus, quod attinet ad corpus, & sanguinem reipsa
contineatur sub accidentibus panis & uini, sacræ literæ nusquam testantur. Itaq;
cum grex papistarum, & sophistarum pecus, ad hæc suffugia, cum ueris & fir-
missimis argumentis urgeantur, se recipiunt, frustra se mendaciorum & fictio-
num foliis contegũt. Si negaremus, Christum fuisse in utero uirginis, & aut pue
rum fuisse, aut uirum, nostrum errorem scripturæ diuinæ confutarent. At si acci
dentia sine subiecto, corpus Christi sine quãtitatis aut qualitatis modo, aut absq;
loco esse, non credamus, quæso, nos è scripturis arguite: non autẽ ex uestris En-
tibus communibus, indiuiduis uagis, subiectis ignoratis, prædicatis aperien-
bus & enucleantibus: quæ magis λεξόντας, καὶ φλιαρόντας decent, sophistas, in-
quam, & ψευδοπλάσας, quàm graues, piosq; theologos.

Prætereà cum Christus esset in utero, deinde infans, & puer, nullus uerè di-
xisset præsenti tempore, Crucifigitur, Moritur, Saluum facit à peccatis: sed futu-
ro tempore potius, Crucifigetur, Tradetur, Morietur, Saluum faciet. Et sic ange-
lus ad Mariam est loquutus. Quamobrem in allatis exemplis duo euidentissimè
discrepantia cernimus, quæ totam responsionem Inconstantij uitiant ac de-
bilitant.

„ De Christo posteà transfigurato litem mouet, dicens: Quin & illud quæro,
„ Num de Christo transfigurato uerum erat, illum ipsum moriturum: cum tamen
„ illis modo & forma esset immortalis. Respondemus Inconstantio, uerũ fuisse,
illum

illum Christum, qui transfiguratus erat, pro nostra salute fuisse moriturũ. Non tamen uerum fuit, interim dum transfiguratus esset in monte Thabor, & suam gloriam discipulis ostenderet, præsenti tempore, illum mori, in crucem tradi, aut sanguinem eius fundi. Non sunt eadem tempora præsens, & futurum. Verum etiam fuit, ut diximus, de Christo in utero, quòd esset populum suum à peccatis eorum seruaturus: sed non præsenti tempore, quasi tum in utero pro nobis pateretur, & nos antequam nasceretur, moriendo seruaret. Non est itaq; argutia, sed potius sycophantia, loquutiones, ut similes, adferre, quæ maximè ab illa distent, de qua disputatur: & in eo præsertim distent, in quo tota uersetur disceptatio.

Sequitur: Quòd si modus & forma existentiæ tantum habeant momẽti, cur grani exemplum affert Paulus, in quo resurrectionem nostrã adumbret, ut idem uideatur crescere, quod seminatur: cum eodem modo & forma non crescat, quo seminatum est? Ergo ipsa intelligendi simplicitas à nobis exigit, ut suum cuique functioni modum relinquamus: nec à modo & forma, quæ diuersam causam habent, substantiæ uarietatem inducamus: ut non idem sit corpus sub specie panis inuisibiliter datum, quod in forma uisibili in cruce passum est: quasi substantia eadem diuersos non admittat modos: quod affirmare, sit insanum. Non istud est, Gardinere, quod agimus. Non tuemur commutato modo, seu forma, per uaria, quæ interdum succedunt, accidentia, uariari substantiam, ut ea nõ sit eadem. Neq; unà cum Democrito, aut alijs similibus nugonibus, opinamur nõ esse mane ac uesperi hominem eundem numero, propter continuã uel materiæ, uel accidentium mutationem. *Democritus.* Argumentum nostrum hoc tantùm concludit: Si omninò defendatis, in illis uerbis domini abstinendum esse à tropis, uelitisq; simplicissimo sensu accipi, quod Christus dixit, Hoc est corpus meum, necesse esse illa quoq; simpliciter accipere, quæ statim sequuntur, Traditur, & Effunditur: ut præsenti tempore interpretemini, Corpus domini tradi, & sanguinẽ illius effundi. Quòd si ad figuras, & tropos ita confugitis, ut uobis permittatis mutationem temporum, non potestis nos ullo iure accusare, si in ijsdem uerbis Christi utamur tropis. Ad hoc in quo totum argumenti pondus & uis nititur, Inconstantius nihil respondet: sed multis productis inanibus, ut ostensum est, exemplis, quod erat maximè necessarium, fortiter dissimulat, & præterit. Maneat igit̃ per nos, & ratum sit, eandem substantiam sub diuersis accidentibus, quæ sibi mutuò succedant, posse conseruari. Sed illud uicissim Gardinerum præstare uolumus, cum præ se ferat tantam religionem simplicitatis in loquendo, ut illam in ijsdem uerbis ne uiolet, in quibus nobis est author, ut omninò à tropis abstineamus. Retineat, inquam, proprium sensum, & literalem, in ijs præsertim uerbis, quæ ubiq; ueneratur, tanquam Sacramentalia, & Sacrosancta.

OBIECTVM XXIIII.

BIBITE ex hoc omnes: & biberunt ex eo omnes. Quæro, quid iussit Christus discipulos bibere? Non sanguinem: nam uerba hęc sunt ante consecrationem. Ergo non potest aliud esse, quàm uinum.

GARDINERVS.

QUid roboris haberet hæc collectio, quæ ex ordine sumitur narrationis, non solùm adimeret Ecclesiæ ueritatem præsentiæ, sed illis ipsis figuratoribus ueritatis aduersarijs, suam figuram. Quomodò enim id uelut figura demonstretur indicatione præsen

ti,quod sit ipso usu in bibendo consumptum? Imò ad huius argumenti rationem de uino epoto dixisset potius Christus,non (Hoc) sed (Illud.) Tum (Fuit) adderet,non (Est) figura corporis : si sensisset,ut illi uolunt: cum esse quicquam,quod non iam sit,uerum esse non potest.

MARTYR.

ARgumentum,quod hic tractatur, præsentiam corporis Christi non oppugnat,sed transubstantiationem. Inconstantius autem, quia iusta responsione destituitur, à statu controuersię discedit,pro more suo. Dominus,priusquam uerba illa pronuntiaret, quæ iste appellat Consecrationis, sic alloquutus est discipulos suos: Bibite ex hoc omnes: quibus uerbis illum haud dubiè liquorem significabat,quem habebat tum in manibus, quemq; illis propinabat: quem si illi erant bibituri, non eum oportuit abijci, & spoliari natura sua: ut isti Transubstantiatores fabulantur. Accedat sanguis Christi, quantum uolunt, Apostolos tamen illud bibere oportuit,quod Christus ostenderat. Illud autem, quod negare non potest, erat uinum. Quare uerba ea,quæ posteà sequuta sunt,non abiecerunt naturam uini. Atq; hæc est uis argumenti.

Verum Inconstantius, quoniam illud ferre non potuit, deflexit ad ambages. Figuram etiam, inquit, auferri oportet, si narrationis Euangelicæ ordinem sequi uolumus. Quid ita? Quia, inquit, quod est consumptum indicatione præsenti non potest ostendi, ut figura. Quasi uerò nos affirmemus, apostolos prius bibisse,quàm dominus illa uerba pronuntiarit. Hoc nos tantùm contendimus, demonstrationem prius fuisse factam, cum Christus diceret, Bibite ex hoc omnes, quàm altera illa uerba, quæ isti consecrationis uocant, exprimerentur. Quare, si Apostoli Christo uoluerunt obtemperare,necesse est, ut uinum, quod ostendebatur, biberint. Hic autem nostra nihil refert, siue figura, siue ipse domini, ut loquũtur, realis sanguis accesserit. Satis habemus,si hoc argumento uerè concludatur, naturam & substantiam uini remanere. Nos uerò cum affirmamus,illo instituto,& uerbo domini factum esse Sacramentum, non dicimus, rem absumptam demonstrari potu, sed præsentem, & eam, cuius natura, & ad os,& ad uentriculum conuiuarum perueniat.

De reali autem præsentia corporis domini erit alius dicendi locus. Hic de Transubstantiatione tantùm agitur: quam ordine ipso Euangelicæ narrationis certũ est clarissimè refutari. Neq; opus erat, ut Christus diceret (illud) aut (fuit) cum de re adhuc præsenti loqueretur: ea, inquam, de re, quam conuiuis assidentibus, & cernentibus propinabat. Inter nos autem & Inconstantium hoc interest: quòd nos cum Sacramento, aut figura, quam ponimus, naturam uini conseruamus: quam iste cum sua Transubstantiatione retinere nec uult, nec potest. Frustra ergo iactat, hoc genere argumenti non magis se, quàm nos ipsos lædi.

Quod autem ad pronomina illa, de quibus Inconstantius ita argutè philosophatur, attinet, nihil refert, siue Hoc, Christus dixisset, siue Illud. Quis enim hoc genus loquendi reprehendat, ut parùm congruum, Hoc quod bibistis, aut, Hoc quod in uentriculum transmisistis, est sanguis meus? Aut quis contendat, non Hoc, sed Illud fuisse dicendum? Grammatici ni fallor, non ita superstitiosè nugari solent. Verùm hic nouus Aristarchus aliquid ariolari uoluit,quod non alius quiuis possit cernere.

Pronomina Hoc,& Illud.

„ Addit, Itaq; Beata Virgo monuit Christum in nuptijs, cũ iam uinum omne
„ epotum esset,ijs uerbis, Vinum, inquit, non habent: cũ tamen eos anteà habuisse
„ uinum, constet ex uerbis Architriclini, cum uinum ex aqua factum prætulerit priori,

priori. Quid iſte ſibi uelit ex Beatæ Virginis oratione, non ſatis queo diuina-
re. Ita prorſus currit extra oleas. Cum uinum iam abſumptum eſſet, Maria in-
quit, Non habent uinum. Nō appellat id uinum, quod amplius non extabat: ſed
oſtendit, illos omni genere uini eſſe deſtitutos: & tacitè petit, ut dominus pro ſua
bonitate illis proſpiciat. Quid ſi etiam hoc concederem, illam dixiſſe, Vinum,
quod habuerant, defeciſſe? Ex ea forma loquendi, ſi addatur, defecit, intelligitur,
illos uinum non habere, & uinum iam epotum non extare. Ex eo autem, quod
dicebatur, Bibite ex hoc omnes, cum certū ſit, id, quod illis propinabatur fuiſſe
uinum, nemo poteſt intelligere, illos, qui bibebant, non bibiſſe uinum. Ea au-
tem, quæ poſteà inculcantur ex Matthæo & Marco ad oſtendendum uinum ad
huc fuiſſe in calice, cum dominus diceret, Hic eſt ſanguis meus, iſte Sophiſta in-
utiliter deblaterat, nec ea diluit. Nos enim facilè concedimus, diſcipulos non an-
teà bibiſſe, quàm Chriſtus ſermonem ſuum abſoluiſſet.

Addit præterea: In hoc narrationis ordine apud Marcum notauit erudito-
rum pietas ὕστερον πρότερον, figuram in narrationibus frequentiſsimam. Quare,
quod in Marco narratur, Omnes bibiſſe, uerum eſt: ſed eo ordine rei geſtę, qui
cum reliquis circumſtantijs conſentiat: ut quæ mandato bibendi cōnexa eſſent,
intelligantur ſuo loco fuiſſe prolata, &c. Verba Marci ſic habent: Et accepto
poculo, cum gratias egiſſet, dedit illis: & biberunt ex eo omnes, & dixit illis: Hic
eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur. Hic Inconſtantius
ueretur, ne nos urgeamus ex ordine huius narrationis, Apoſtolos prius bibiſſe,
quàm Chriſtus diceret, Hic eſt ſanguis meus. At non ita ſumus callidi, & uer-
ſipelles, ut Inconſtantius eſſe ſolet, qui in omnibus literis & apicibus conſecta-
tur calumnias. Nos quidem credimus, diſcipulos pependiſſe ab ore Chriſti, nec
prius id, quod offerebatur, guſtaſſe, quàm eum audiſſent impoſuiſſe finem ſer-
moni ſuo. Adhæc abſurdum eſſe dicimus, ea, quæ poſteà à Chriſto adiecta
ſunt, fruſtrata eſſe ea, quæ anteà dixerat. Anteà oſtenderat uinum, illudq; diſcipu
lis ſuis propinauerat, iuſſeratq; bibere. Hiſce ea, quæ ſequuta ſunt, non poſſunt
abrogare fidem. Illud, quod Chriſtus porrigebat, fingito, quod nos dicimus,
poſtea factum fuiſſe Sacramentum ſanguinis Chriſti: uel, quod aduerſarij noſtri
dicunt, ſanguinem Chriſti corporaliter acceſsiſſe. Non tamen ea cauſa oportuit
uinum ſuo loco cedere: cum dominus illud & mandaſſet bibendum, & pro-
pinaſſet.

Sed quid hoc loco Gardinerum iuuat piorum & doctorum hominū ὕστερον
πρότερον, cum ubiq; impudenter, & ineptè clamet, in iſtis domini uerbis nec tro
pum ullum, nec figuram ferendam eſſe: & uelit, omnia omninò ſimpliciter, ut ef
ferūtur, accipi oportere? Poſteà miſer, ubi premitur, quaſi oblitus edicti ſui, uni-
cum perfugium, & ſacram anchoram conſtituit in tropis. Et tamen nihil diſſi-
mulabo, illam figuram ὕστερον πρότερον, mihi hoc loco non uideri neceſſariam. Po-
tuit enim Chriſtus cōmodiſsimè dicere, Accipite, Edite: &, Accipite, Bibite: &
deinde addere, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Figuratam enim,
præſertim iſto tropi genere, nō eſſe illam orationem, uel id ſatis magno argumen
to eſſe poteſt, quòd & tres Euangeliſtæ, & Paulus Apoſtolus ea uerba eodem or
dine collocarunt. Quare hæc ſumma eſt iuſtæ ueræq; reſponſionis, Quoniam
omnes Euangeliſtæ ita ſcribunt, ut teſtentur, dominum prius dixiſſe, Accipite,
Edite: Accipite, Bibite: quàm ea diceret, quæ ſequuntur de corpore & ſanguine
ſuo, neceſſe eſſe Apoſtolos id comediſſe, & bibiſſe, quod dominus in manus ac-
ceperat, & illis porrexerat. Verba autem ea, quæ ſequuta ſunt, ita omninò debēt
accipi, ut eius, quod anteà dictum fuerat, ueritas maneat incolumis. Quod cer-
tè fieri non poteſt, ſi prior natura panis & uini, ut iſti ſomniant, abijciatur.

An Hyſteron proteron fuerit in uerbis Chriſti.

OBIECTVM XXV.

COMEDERE & Bibere corpus & sanguinem Christi, in sacris literis accipiuntur spiritualiter, pro eo, quod est, Credere. Igitur dominus in Cœna sua, cum iubet nos comedere & bibere, iubet nos credere, & considerare, & mente reuoluere, Christum pro nobis mortuum esse, ut nos corpori suo mystico incorporaret.

GARDINERVS.

HOC *argumenti genus à Sæpè ad Semper, non modò sæpè, sed semper est insanum: quo morbi genere laborant, qui hoc Sacramentum impetunt, dum eiusmodi nobis eduunt argumenta.*

MARTYR.

NOn nos ita insanimus, Gardinere. Tu potius multò insanus es, qui nos putas ita insanire, & uelle ratiocinari à Sæpè ad Semper. Non enim regulas Dialecticas corrumpimus, ut grex iste uestrorum sophistarum solet. Hoc autem nostrum argumentum est, quod tu, ut omnia soles, de industria deprauasti: Verbum Edendi, & Bibendi in 6. cap. Iohannis, ubi uerissima ratio comedendi corporis Christi, & bibendi eius sanguinis traditur, ipsorum etiam patrum testimonio significat Credere. Igitur Christus in Cœna, cum iubet corpus suum comedi, & sanguinem suum bibi, uerba illa accipit eodem modo, hoc est, spiritualiter. Id enim anteà docuerat in 6. cap. Iohannis, & illi doctrinæ posteà in Cœna adiecit symbola. Ratio autem ista ex eo firma est, quod oporteat etymologiam aut interpretationem cum uerbis illis, quæ explicantur, congruere. Non est difficile Inconstantio dissoluere argumenta, quæ non ab aduersarijs, sed ab ipso adferantur.

Hæc ille de forma rationis: nunc de causa quid comminiscatur, uideamus.

„ De re autem argumenti ita sentiendum est, Eucharistiæ sacramentum etsi fidem
„ manducantium exigat, ut dignè sumatur, tum autē corpus Christi adesse, quam-
„ uis sola percipiatur, id est, intelligatur fide, non sola tamen fide, sed etiam corpo-
„ ris officio accedente sumitur, ut ore secundum Leonem percipiatur, quod fide
„ creditur: præsertim cum id Christus exegerit dicens, Accipite, & manducate. Ni-
„ hil quidem sine fide rectè fit: sed non fiunt sola fide rectè omnia. Multa porrò
præterea sunt, quæ Gardinerus pro more suo inuoluit quadam uerborum caligine. Ea nobis, ne fucum lectori faciant, diligenter sunt excutienda.

Primùm, fidem ait exigi, ut sacramentum Eucharistiæ dignè sumatur. Ea de re, cum ab omnibus concedatur, uerba commutare non oportet. Deinde ait, corpus Christi adesse, sola fide percipi, hoc est, intelligi. Vtrunq; horum falsum est. Adesse enim corpus & sanguinem Christi, præsertim, ut isti fingunt, sub speciebus, uel accidentibus panis & uini, idq; realiter atq; substantialiter, commentum est, non minus falsum, quàm pernicioſum. Neq; unquam Gardinerus, aut omnes sophistæ, quicunq; aut sunt, aut futuri sunt, quicquam proferet è diuinis literis, quod id re ipsa ita esse confirmet. Id ergo cum falsum sit, & commentitium, quomodò, obsecro, fide percipi, aut intelligi potest? Ea enim non nisi uera & certa respicit. Adhæc fide percipi, aut intelligi, apud hunc nouum Theologum ita accipitur, quasi fides nihil adferat præter intelligētiam. Verùm diaboli quoq; credunt,

credunt: & illi προσκαιροι, qui arescunt, & in tribulationibus deficiunt, non possunt dici nihil credere: illi etiam, de quibus habetur ad Hebræos, qui gustatis cœlestibus donis, prolapsi sunt, nec possunt amplius reficí atq; instaurari per pœnitentiã, aliquid certè credũt. Quare cum Gardinerus ueræ Iustificationis, & solidæ pietatis prima adhuc elementa non teneat, non mirum est, si hæc tam ridicula, tamq; inepta commenta effutiat.

Addit posteà, corpus Christi non sumi sola fide, sed etiam officio corporis accedẽte. Quocirca nos quoq; in administratione sacrę cœnæ oris externi munus requirimus. Non enim alioquí obtemperaretur Christo dicenti, Accipite, Edite, Bibite. Os autem corporis nostri tãtùm occupatum est in symbolis, nimirùm, ut comedat, & bibat Sacramenta externa, uidelicet, panem & uinum. Mens autem nostra, & fides res ipsas amplectitur, Corpus, inquam, & sanguinem domini. Neque aliter Leo Rom. Episcopus eius nominis primus, in Sermone 6. de ieiunio septimi mensis, intelligendus est, cum dicat, Vt ore percipiatur, quod fide creditur. Fide autem credimus, panem & uinum esse mysteria corporis & sanguinis domini: & illa cum hac fide, & hoc proposito comedimus, & bibimus. Credimus etiam, corpus Christi pro nobis in cruce fuisse oblatum: nosq; hac fide ali, nutriri, & sustentari ad uitam æternam. Et idcircò panem & uinum percipimus ore corporis, quæ suo quodam modo prædicamus & credimus esse corpus & sanguinem Christi.

Nunc autem disputare, an sola fide omnia rectè fiant, quoniam ab instituto alienum est, supersedemus. Illud autem taceri non debet (nam ex eo uniuersum ferè robur huius argumenti pendet) Verba illa Manducare & Bibere, quoties nõ ad externa Sacramẽta, sed ad res ipsas per illa significatas, hoc est, ad corpus & sanguinem domini referuntur, semper ita accipi, ut nihil aliud significent, quàm credere: quæ tamen eadem, cum accommodantur ad symbola, naturalem edendi & bibendi rationem indicant.

OBIECTVM XXVI.

CHRISTVS dixit de poculo, Diuidite inter uos. At sanguis Christi in Sacramento non potest re ipsa diuidi: & uerba ea prolata erant à domino ante consecrationem. Quare dominus iussit discipulos uinum inter se diuidere ac bibere, quod propinauerat.

GARDINERVS.

POCVS ex Luca profertur ambiguus, ut, quod ipsum incertum est, certum statuat: cum dubia certis firmentur, non contrà. Vt liberè dicam, quod sentio, hic argutator nimium largiter opinor diuiserat uinum, cum hoc conficeret argumentum. Nam si cum illis sentit hic argutator, qui arbitrantur Lucam, quòd fusius narret historiam, quàm cæteri, etiam moris illius solennis meminisse, secundum quem in ingressu omnis conuiuij solebat fieri prælibatio, atque ideò illud poculum ad Eucharistiam non pertinere, quid ergo argumentatur extra causam? Dixerit sanè Christus, Diuidite, de uino nõ consecrato. Quid hoc ad Eucharistiam. Quòd si illum locum Lucæ, quomodò Euthymius, & Augustinus intelligunt, accipiat argutator, ut unum poculum sit, quod ante Cœnam, & quod post Cœnam porrigeretur, uel præoccupatione narrationis, uel quòd acceptum in ingressu Cœnæ poculum in finem reponeretur, quodcunq; horum sit, demiror uenisse in mentem argutatori, ab hoc uerbo, Di-

uidere, potius quàm ab illo, Bibere, ducere argumentum. Cum enim Christus diceret, Bibite ex eo omnes, an non diuidi poculum iussit? ne unus semel exhauriat uniuersum, quo minus omnes biberent? Ergo ne uereamur dicere, Diuidi Christum in mysterio sine diuisione, dum singulis integer distribuitur: manducari item sine consumptione: quod est magnum in Eucharistia mysterium, nulla nostra ratione explicabile.

MARTYR.

SI uerba domini, ut à Luca referuntur, de Eucharistia intelligamus, non possumus uideri nouæ expositionis fabricatores. Habemus enim in ea sententia complures ex patribus: quod ne Inconstantium quidem ipsum latuit. Fatetur enim, Augustinum, & Euthymium hoc sensisse. Sed cum hoc incertum sit, inquit, non potestis ex eo certum constituere. Illi nos iure optimo possumus respondere: Quod alijs incertum est, tibi debet esse certissimũ. Tu enim omnia dicta patrum, quæcunque ea tandem sunt, pro sacrosanctis habere soles. Quare, cum ista sit expositio patrum, ea tibi homini patrologo dubia & incerta uideri non debet. Deinde rationem etiam habemus ex diuinis literis, non tantùm ex patribus, cur ista credamus dicta de poculo Eucharistiæ. Legimus enim in Matthæo, dominum, cum de poculo dixisset, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum, illicò subiecisse, Dico autem uobis, Non bibam posthac ex hoc fructu uitis usque in diem illum, quo bibam illum uobiscum nouum in regno patris mei. In Luca uerò post illa uerba, Diuidite inter uos, ita legitur: Dico autem uobis, Non bibam de fructu uitis, donec regnum dei ueniat. Cum ergo & Matthæus, & Lucas memorent, eadem uerba fuisse dicta post propinatum poculum, cur non illud poculum putemus in utroque idem esse? Et Matthæus quidem disertè scribit, Calicem illum fuisse Eucharistiæ, de quo Christus pronuntiauerat, Hic est sanguis meus. Sequimur ergo non tantùm patrum authoritatem, sed etiam Matthæi ipsius Euangelistæ.

Argumenti autem nostri duplex est firmamentum. Primum, quòd ea uerba, Diuidite inter uos, ut illa quoque, Bibite ex hoc omnes, antè à domino prolata sint, quàm adderet ea uerba, quæ isti appellant Consecrationis. Itaque necessariò concluditur, discipulos iussos fuisse illud bibere, quod ostendebatur, nec aut mutatam, aut abiectam fuisse naturam uini. Nam illud, cum ostenderetur, citra controuersiam uinum erat. Nam, ut ipsi etiam fatentur, nulla adhuc accesserat consecratio: quæ etsi posteà adiecta fuerit, non tamen rei demonstratæ naturam ita immutauit, ut sententia, quam Christus anteà pronuntiauerat, inciperet esse falsa.

Diuidi, bibi, mã ducari & fran gi, corpori Christi non propriè conueniunt.

Alterum, quo argumentum nostrum nititur, est, quòd Diuidi, Bibi, Manducari, corpori & sanguini Christi, nisi per tropum, non possunt propriè conuenire. Illæ quidem actiones, quæ istis uerbis significantur, ad symbola, hoc est, ad panem & uinum, propriè possunt accommodari: ad carnem autem, & ad sanguinem Christi, quæ integra uiuunt & regnant in cœlis, non item, nisi per tropum. Quòd uerò Inconstantius authorem huius rationis inceperit conuitijs, antiquum suum obtinet, ut argumenta, quæ iusta responsione dissoluere non potest, ea contumelijs, & scommatis insequatur. Sunt autem ista conuitia eiusmodi, quæ in ipsum, & illarum partium homines magis conueniant, quàm in quenquam nostrum. Ait enim authorem huius argumenti nimis largiter uinum diuisisse, cum hanc rationem conficeret. Atqui nemo unquam optimum illum uirum & Reuerendissimum Archiepiscopum Cantuariensem, nũc aũt etiam Martyrem Iesu Christi uidit ebrium.

Missi-

Missifici autem isti Theologi Papistarũ passim sese uino optimo, siceraq; ingurgitant: ut miseri aut domum inter manus sint auferendi, aut totam noctem sub ipsa mensa in Oenopolio relinquendi: nec tantùm uino & sicera obruuntur, sed etiam, quod miserabilius multò est, furore, somnoq; ignorantiæ, eoq; planè Lethargico, perpetuò noctes, diesq; sepeliuntur. Quàm autem temperanter Gardinerus ipse uixerit, quid me oportet dicere? Certè hydrops, qua miserrimè confectus obijt, aliquem locum uidetur relinquere suspicioni.

Miratur post, si deo placet, cur magis à uerbo, Diuidere, quàm ab altero uerbo Bibere, ducere uelimus argumentum: quasi uerò liberum esse non debeat disputanti, à quibus maximè locis, aut uerbis, aut sententijs petere uelit argumentum. An ille in sua causa pateretur tales arbitros? Non opinor. Ipse enim sibi, nõ solùm argumẽtari pro libidine, sed etiam sophisticari permittit. Nos uerò non tantùm ex uerbo Diuidendi, sed etiam ex illo altero uerbo Bibendi, peruersa illius dogmata refutabimus. Neutrum enim horum, quemadmodum iam docuimus, sanguini domini uerè, ac propriè conuenit. Is enim in uenis corporis domini continetur, neq; est uspiam extra illud corpus, quod in cœlo summa gloria ornatum sedet ad dextram dei, & sedebit, quoad extremi iudicij dies aduenerit.

Ad extremum Inconstantius pro sua constantia concludit, Christum in mysterio diuidi sine diuisione, integrumq; distribui, ac manducari sine consumptione. Quod si de metaphorica manducatione, ac potione acciperetur, dari posset. Posset etiam concedi, si id referret ad symbola. Cum autem ista propriè uelit accipere, & ad ipsum reale, &, ut ita dicam, substantiale corpus Christi accommodare, portenta sunt, & meræ fictiones, non disputantium sophistarum, sed delirantium. Facilè quidem istis est hæc, & alia similia comminisci. Sed ea & abhorrent à pijs auribus, & à sacris scripturis probari non possunt.

OBIECTVM XXVII.

CHRISTVS etiam post consecrationem dixit, Non bibam amodo ex hoc genimine uitis. Sanguis autem Christi non est fructus uitis, neq; uini accidentia sine subiecto, sed ipsa uini substantia. Quare Christus, & Apostoli in sacra communione uerè biberunt uinum.

GARDINERVS.

HAEC *uerba Christi, Non bibam amodo ex hoc genimine uitis, mystica sunt, nec uno sensu à Catholicis intelliguntur: sed semper pio, & ueritati Catholicæ consentaneo. Origenes enim, ut ab eo ordiar, exponit genimen uitis, id est, uinum, quod gaudium animi significare dicit, & lætitiam mentis, quod bibet nobiscum in cœlo. Hilarius eodem modo intelligit fructum uitis, quem Christus pollicetur, sanctos bibituros secum in regno cœlorum. Gregorius Nazianzenus sic interpretatur, ut Nouum id uideatur significare nouã doctrinam, quam à Christo per uisionem docebimur. Nam hoc est, inquit, Christo Bibere, docere: nobis uerò discere. Et nouũ dici uult pro ratione temporis, quo cognoscitur. Chrysostomus uerò uinum, quo Christum usum dicit in nuda mysterij mensa post resurrectionem. Et ex genimine uitis dicit, quæ uinum, non aquam producit: unde ex eo loco extinguatur Aquariorum hæresis, qui aquam solam mysterio conficiendo adhibebant. Hieronymus intelligit sanguinem Christi uitis ueræ, quem Christus nobiscum bibet in regno Ecclesiæ. Augustinus horum uerborum meminit de Ecclesiasticis dogmatibus, sic scribens: In Eucharistia non debet aqua pura offerri, ut quidã sobrietatis falluntur imagine: sed uinum cum aqua mixtum. Quia & uinum fuit in redemptio-*

nis mysterio, cum dixit, Non bibam amodo de hoc genimine uitis: & aqua mixtum, non quòd post Cœnam dabatur, sed quod de latere eius lancea perfosso, aqua cum sanguine expressa, unũ de uera eius carnis uite cum aqua expressum ostẽditur. Eucherius ita scribit, Regnum dei Ecclesia est, in qua quotidie bibit sanguinem suum Christus per sanctos suos, tanquã caput in membris suis. Euthymius in horum uerborum intellectu astipulatur Nazianzeno. Theophylactus sic scribit, Quòd Christus accepto poculo, renuntiat corporali potioni, & cætera fere, ut Chrysostomus.

MARTYR.

CVm istæ patrum sententiæ, quibus Gardinerus clarissimum locum obscurare conatus est, inter se discrepent, nos, quoniam hic cõtrouersia est de dogmate, nullam ex illis omnibus, quæ sequantur sensum allegoricum, probare possumus. Ex allegorijs enim, illis præsertim, quę testimoniũ non habeant ex diuinis literis, non possumus satis firmiter dogma constituere. Sequimur ergo Chrysostomi sententiam. Is autem uerba illa domini ita propriè intelligenda putat esse de uino, ut existimet, se ex illis firmissimum habere argumentum contra Aquarios. Augustinus etiam de Dogmatibus Ecclesiasticis idem scribit, & contra eosdem illos Aquarios rationem colligit: & disertissimè ait, Christum post cœnam dedisse uinum, idq; aqua non mixtum. Nunc autem ait admisceri aquã, propter illa, quæ defluxerunt ex perfosso Christi latere. Ludant alij in allegorijs, & inuentis suis, quantum uolunt. Certè historicus sensus est, Christũ loquutum esse de uino.

Allegoriæ dogma non constituunt. Chrysostomus.

Augustinus.

,, Sed audiamus quid Inconstantius addat. Quin & illud, inquit, consideran-
,, dum, si Christus ea uerba protulit, exhausto calice, non mysterium significabatur
,, iam absumptum: sed generaliter loquutus est, significans se omni corporali po-
,, tioni renuntiasse: quod Theophylactus dicit, & ideò uinum, quod supererat in
,, amphoris, demonstrasse. Atqui à Christi consilio longè alienum erat ut significaret illis uerbis se uelle renuntiare omni corporali potioni. Speciatim enim in genimine uitis mentionem facit uini. Ridiculum autem est uelle quærere genus, ubi species disertis uerbis sit expressa. Vanissimum uerò commentum est, quod ait, dominũ uinum illud, quod in amphoris supererat demonstrasse. Quis enim potest affirmare pro certò, amphoras illas fuisse in mensa? Iudæi quidem amphoras habuerunt, ut apparet ex Euangelio Iohannis, sed aquæ, non uini plenas, quò iuxta suas purificationes subinde abluerent manus. Vini autem amphoras in mensis fuisse positas, nusquam legimus. Et quis nobis testis erit, uinum in alijs amphoris supersuisse? Ita Gardinerus dubia, & incerta nobis profert, ad ea, quæ certissima & clarissima sunt confirmanda. Certè Christus id demonstrabat, quod tum bibebatur. Hæc enim uerba statim post eam, quam isti Consecrationem appellãt, subiecta sunt. Et nisi dominus ea retulerit ad Eucharistiam, Augustinus, & Chrysostomus aduersus Aquarios frustrà sudant.

Cur Iudæi amphoras habuerint in cõuiuijs

Sed oro te, pie & prudens Lector, cõsidera paulùm, quàm isti homines sint simplices, qui, ne medij teneantur, amphoras etiam nouas nobis confingant. Quiduis potius parati sunt comminisci, quàm ut cedant, & manus dent Veritati. Simulat tamen Gardinerus, uelle se diligenter agere, scilicet, & nihil prætermittere, quod ad huius loci cõtrouersiam faciat. Dixerit, inquit, aliquis, Hoc
,, non est respondere argumento, sed, quæ obijciuntur, ipsa perplexitate obscura-
,, re. Nam alioqui quid attinet, tam uarias patrum sententias proferre? Imò, inquã,
,, quòd patres ferè omnes ea uerba allegorijs explicãt, sensus autem literæ tenuior
,, sit, quàm ut tum Christo conuenire uideretur, non est ab eo sensu literæ ducen-
,, dum argumentum, unde dogma aliquod statuatur aut refellatur. Cur potius

mystica

mystica, & allegorica sunt hæc uerba Christi, quàm illa, Hoc est corpus meum? Quoniam, inquit, Patres ista allegoriis explicarunt. At nónne illa quoque, Hoc est Corpus meum, ijdem patres interpretati sunt, Hoc est figura corporis mei? An illi ibi non agnouerunt tropum? An loquutionem illam figuratam esse non scripserunt? Si ista ratio tibi ita firma & solida uidetur, cur non eadem quoque à nobis faciat? Nisi fortè, quæ tua est arrogantia, tibi licere uelis, quod alijs non liceat.

Præterea hoc etiam non leue indicium est alienatæ mentis, & uagi, ac peregrinantis animi, quod Inconstantius ea loquitur & scribit, quę ipsius sententiam maximè euertant. Patres, inquit, allegoriis hæc uerba explicāt. Cur ergo ipse tropos, & figuratas loquutiones in istis præsertim locis tantoperè abhorret, & fugit? Si allegoria recipitur, cur metaphora, metonymia, & alij similes tropi, cum adhibentur ad regulam fidei, repudiantur? Præterea literalis sensus horum uerborum isti nobili, & purpurato sophistæ tenuior uidetur, quàm ut Christo possit conuenire. Ergóne Incōstantij iudicium erit posthac nobis regula, ad quam exigamus uerbum dei? Et scripturæ nihilne posthac significabunt, nisi quantum isti uidebuntur cum Christi persona & dignitate conuenire? Quur non istam tam præclaram censuram ætati nostræ gratulamur? Aristarchum iam habemus, qui contempto sensu historico aliud quiddam nobis præscribat, quod non cum sacris literis conueniat, sed Christi maiestate sit idoneum. Nos uerò soli, tanquam pecus, & uulgus ignobile, astringēdi sumus, ut in istis uerbis, Hoc est corpus meum, unicum tantùm sensum literalem amplectamur.

Quod autem addit, non esse hinc ducendum argumentum, unde dogma aliquod aut statuatur, aut refellatur, in eo non tantùm nos, sed etiam Augustinum, & Chrysostomum coarguit. Illi enim, ut diximus, ex his uerbis confutāt Aquarios. Cum ergo ipse fateatur istos tantos patres hoc ausos esse scribere, cur idem in nobis tam petulanter taxat? Si scripta illorum, quos iste ubiq; tanti facit, nobis debent prælucere, cur nobis non liceat ex istis uerbis, non solùm rationem pro ueritate conficere, sed etiam nouum istud dogma Trasubstantiationis longè, quàm erat illud Aquariorū, portentosius, et pernicios ius coarguere, & cōfutare?

Addit Inconstantius: Et mihi uidetur notandum maximè, quòd Christus ita loquereť de hoc genimine uitis. Nam ut illud genimen sentiret, quod erat in amphoris, quomodo biberet illud nouum, quod ipso tempore inueteraſceret? Sin generaliter uinum intelligeret, cur hoc genimen diceret, cum uitis unum sit genimen, nempe uinū? Ergo necesse est, illius pronominis, Hoc, aliquam esse emphasim, ut significet secundum Hieronymum genimen uitis ueræ, nempè suum sanguinem: cuius uim, & uirtutem illo Christo bibente nobiscum, id est, docente nos secundum Nazianzenum, nouo modo cognoscimus, id est, bibimus in regno patris. Nam hoc significat etiam nostrum bibere, eodem Nazianzeno authore. Gardinerus cum per genimen uitis intelligit uinum, quod erat in amphoris, haud dubie somniat uigilās. Statim enim ambigit, quomodò illud bibiturus esset nouum, cum illud ipso tempore iuueteraſceret. Quid ita opus est cæcutire in meridie? Postremus ille uini potus erat, de quo Christus loquebatur. Neq; ab illa hora uinum bibit in carne mortali. Post Resurrectionem uerò id bibit cum Apostolis, idq; nouo modo, & noua ratione: nimirùm, ut probaret se uerè à mortuis resuscitatū. Non quod glorioſum eius corpus eius generis alimēto amplius egeret. Verùm posteriorem hāc partem propositionis, nimirū, quomodò ille potus futurus esset nouus in Regno dei, quoniam ad hāc quæstionem nihil facit, prętermitto: quāuis paucis innuerim, quid mihi significari uideatur.

Quomodo uinū nouū biberit dominus in regno Dei cum Apostolis.

Priorem autem partem clarissimam, & maximè perspicuam esse affirmo, qua

Christus pronuntiat, se in hac uita non amplius bibiturum esse uinum. Quærat Inconstantius, quam uelit, emphasim in pronomine, Hoc. Nobis satis est, potum uini talem, qualis tum erat in manibus, ea uoce significari. Sed operępretium est audire, quemadmodum iste sophista uel inuitus impingat in sensum nostrũ.

,, Ait genimen uitis ueræ, significare sanguinem Christi, cuius uim, ac uirtutem
,, Christus ipse dicatur nobiscum bibere, quando nos docet: nosq; nouo modo
Nazianzenus. intelligimur bibere cognoscendo: quia nostrum Bibere, teste Nazianzeno, si-
,, gnificat cognoscere. Quid nostræ sentẽtiæ dici potest cõuenientius? Nam nos quoq; affirmamus in Eucharistia bibi sanguinem Christi. Sed Bibere illud dici-mus esse credere, quod est efficacissimè cognoscere. Non autem credimus, nisi Christo per spiritum suum interius nos docente. Gardinerus itaque, cum ita scri bit, In regno dei, hoc est in Ecclesia Christum bibere sanguinem suũ nobiscum, cum nos doceat: & nos cum illo, cum nouo modo, id est, spiritu reuelante, non natura ostendente, nostræ salutis mysteria cognoscimus, ista, inquam, cum scribit, eandem nobiscum doctrinam profitetur. Et ne sibi quasi uano interpre-ti parum crederet, huius ueræ ac sanctæ expositionis authores citauit Hieronymum & Nazianzenum. Hanc ego allegoriam libenter admitto, modò ne perimatur historia, nempè, Christum ea uerba dixisse de potu uini: cuius natu-ram & substantiam uerbis suis è poculo non extruserit, sed ea usus sit ad sangui-nem suum significandum, qui pro nobis ad salutem in mortem dandus erat, & Christo docente, nobisq; fideliter discentib. ad æternã uitã spiritualiter bibẽdus.

Posteà Gardinerus uidetur ambagibus & obfuscationibus uelle finem ali-
,, quem ponere. Ait enim, Postremò, ut ad ipsum ueniam argumẽtum, quid pro-
,, hibet, Christum appellare Accidentia uini in Sacramento genimina uitis, cũ ex
,, ipsa uite orta sint? Dices, Non sola. Fateor. Nam quod uerũ est de toto, de parte
,, etiam uerum esse necesse est: ut mihi uideatur stupidum de parte negare, quod
,, ad ortũ & originem spectat, quod cõcesseris de toto. Si enim totus homo agno
,, scit deum conditorem, ergo & corpus à Deo est: ut genimínis appellatio nihil
,, amplius probationis habeat, quàm uini, quod de calice post cõsecrationem præ-
,, dicare non est absurdum: imò scripturæ phrasi maximè consentaneum. Si Gar dinero liceat uti nuda & inermi asseueratione, ut dicat, Quid prohibet, Christũ appellare Accidentia uini genimen uitis, cum ex uitæ orta sint: cur mihi etiam non liceat dicere, Quid prohibuit, Christũ appellare panem corpus suum, Cum eo ipsius corpus non minus repræsentet additis præsertim uerbis domini, quàm Accidentibus repræsentatur uinũ? Quod aũt dicit, Accidentia nasci, aut oriri ex uitæ, uideat ipse, quàm propriè & significanter id dicat. Multò aũt minus pro priè loquitur, cum ait, Accidentia esse partes uini: quasi partes Substãtiæ possint

Accidentia non sunt partes sub stantiæ. esse in qualitate. Certè partes Substantiæ, quæ quidem ad essentiã pertinent, Ma teria sunt, & forma. At ea non sunt Accidentia. Sin aũt sunt Integrales, in ijs Ho mogenea ita sunt comparata, ut quælibet pars, & naturam, & nomen habeat to-tius. Omnis enim pars aquæ est aqua: & omnis pars uini est uinũ. Prętereo Spe-cies, quæ sunt partes Generum. Constat enim, ne eas quidem esse Accidentia. Nam species uini sunt Phalernum, Chium, Maluaticum: quæ uina nemo, opi-nor, dicet esse tantùm uini Accidentia.

Hæc ego idcircò dicere uolui pluribus, quòd uiderem Inconstantiũ uelle con firmare delirium suũ argumẽto à toto ad partes, ne parùm uideret magnus Dia-
,, lecticus. Quod enim, inquit, de toto uerũ est, de parte etiã uerum esse necesse est.
,, Stupidum autem ait esse, negare de parte, quod de toto concesseris. Eat nũc ali-quis, & ausit affirmare, Gardinerum non esse egregium & subtilem philoso-phum. Id enim ille tandem aliquando inuenit, quod alij philosophi uidere hacte-

nus nun-

nus nunquam potuerunt: nempe, Accidentia partes esse substãtiarum. Verùm ut eius errorem, uel potius stuporem & insciti am magis etiam detegamus, habet substantia quasdam partes, quæ etiam ipsæ sunt substantiæ, quæ ex matre non nascantur, cum tamen totum ipsum nascatur ex matre. Nascitur enim Iohannes ex Lucretia, ex qua tamen dentes eius non nascuntur. Nam nisi post annũ, aut plus eo, dentes non proueniunt. Ne barba quidem Iohannis ex matre nascitur. Bis ergo turpiter peccauit Gardinerus: primùm, quòd Accidẽtia uini appellarit partes uini: deinde, quòd argumentetur ab ortu totius ex aliquo ad ortum partium eiusdem: cum id uideamus ne in illis quidem partibus, quæ uerè sint partes, esse uerum. Ne id quidem uerum est, quod sibi sumit, non posse negari parti, quod toti sit cõcessum: de toto quippe homine animal prædicatur, quod nihilominus de pede, manu, & crure non dicitur. Cum ista omnia mecũ reputo, uideo necesse esse, ut Gardinerus concedat, uites producere Accidentia absq; uino: aut ut ad tropum, qui solus illi supereſt, ceu ad sacrum perfugium, sese recipiat: nimirùm, ut per Synecdochen ex toto partem intelligamus: ut, quoniam uites producunt uinum unà cum Accidentibus, per fructum seu genimen uitis intelligamus, nõ uinum, sed Accidentia. Quod etiam illi minimè licebit, nisi dederimus Accidentia esse uini partes.

Vel hinc ergo uideat, quàm iustè in re Sacramẽtaria abhorreat à tropis, cum eos sentiat ita esse necessarios, ut absq; illis sese tueri non possit. Nec tantùm, ineptias quas memoraui consectatur, sed etiam ipsum pronomen Hoc, quod negare non potest, significare numerum unitatis, cogit uel inuitum, non unum certum singulare indicare, sed multa, nimirùm, omnia uini Accidentia. Vbi hic est ratio Grammaticæ? Dicendum enim potius fuit, Ex his geniminibus uitis, non ex hoc genimine uitis: cum tam multa sint uini Accidentia. Sed Inconstantius indignũ esse iudicat authoritate sua, rationem habere Grammatices: nisi si quando ex ea subtilitatem aliquam elicere possit sophisticam, qua sua portenta confirmet. Posteà uelit, nolit, cogitur fateri, si hanc suam interpretationem uelit retinere, Christum cum suis Apostolis bibisse uini Accidentia, non autem sanguinem: is enim certè non est è uite, nisi fortè, ut est homo historici & literalis sensus fastidiens, ad suas allegorias uelit pueriliter recurrere. Ad has præstigias tam ridiculas quis risum contineat?

Quod autem postremò loco ait, uinum posse prædicari de calice post Consecrationem, nec; id esse absurdum, imò phrasi scripturarum consentaneum. Id equidem libenter recipio: etsi ille, cum hæc dicat, nullam rationem Grammaticę suæ habeat, aut Dialecticæ. Quis enim congruè, aut uerè dicat, Calicem esse uinum? Sed scio, respondebit, se continens accipere pro contento. Cur ergo ita detestatur tropos, cum, ut apparet, sine illis ne loqui quidem possit? De re autem illa quæ in calice continetur, dabimus, uinum propriè, ac rectè prædicari: non tamen, ut iste fingit, quò externæ formæ natura significetur. Ille enim naturam externam intelligit proprietates, & Accidentia uini: atq; ita rursus etiam incidit in tropum, ut uinum non suam ipsius naturam & substantiam, sed uini tantùm Accidentia significet. Consulo ergo Gardinero, ut posthac patronus potius Troporum esse uelit, quàm ut eos uelit ita ferociter oppugnare: cũ absq; illis ne mentiri quidem satis callidè, ac speciosè queat.

OBIECTVM XXVIII.

DOMINVS iubet hoc fieri in sui memoriam, & mortem suam annuntiari donec ueniat. Hæc indicant absentiam corporis.

GARDINERVS.

MORTIS memoria agitur in hoc ſacramento: quam mortem ipſo ſacrificij nomine Eccleſia fatetur abeſſe, cum ſacrificium Eccleſiæ appellet ſacrificium incruentum, id eſt, ſine omni ſanguinis effuſione celebratum. Siſtitur tamẽ paſſionis figura in myſterio corporis & ſanguinis uerè exhibiti: quod efficaciſſimè, & quomodò hominum captus non aſſequitur, ipſius ueri corporis & ſanguinis certiſſima repræſentatione. Quæ ipſa ni uerè adeſſent, & panis triticeus tantùm ſignificaret corpus, & uinum ſanguinem, quàm diluta mortis, & tenuis foret ſignificatio? dum figura figuram inſinuaret: uidelicet dum panis ſit figura corporis, tum corporis figura abſentis, annuntiatio mortis?

MARTYR.

VEritas, & odium ab eodem animo expectari non debent. Quare Inconſtantius cum tanto noſtri odio laboraret, non potuit argumenta noſtra neq; recte, neq; integrè proponere. Quis enim ex nobis, quamuis infantiſsimus, rationem unquam ita conciſam, & elumbem in medium attulit? Ego certè illius dicta non ita commemoro. Nam etſi & pudeat me, & pigeat uerba tam inepta referre, tamen ea, uti ab illo ſcripta ſunt, ita deſcribo. Ratio noſtra ex eo pendet, quòd memoria non ſit rerum præſentium. Non enim præſentes res memoria celebramus, ſed illis fruimur. Chriſtus autem iuſsit, ut iſta faceremus in memoriam ſui. Igitur eum cum ſubſtantia corporis ſui adeſſe, non eſt credibile. Sophiſta fatetur, Mortem quidem Chriſti, quæ commemoratur abeſſe. Cur non etiam fatetur abeſſe Chriſtum quod attinet ad realem præſentiam carnis: cum Chriſtus apertè dixerit, In memoriam mei facietis? Memoria ea cum non minus Chriſti ipſius ſit, quàm eius mortis, cur non notat utriuſq; realem abſentiam? mortis quidem in uniuerſum: Chriſti uerò tantùm, quod attinet ad carnem & ſanguinem?

Euchariſtiæ uſus eſt etiã in memoriã Chriſti, non tantum mortis eius.

Quale autem, obſecro te lector, hoc commentum eſt, quod iſte fingit, corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia figurã eſſe mortis eius? Nam uel pueri hoc uident, oportere figuram re figurata eſſe notiorẽ. Nam niſi ita eſſet, quî poſſet aliquid oſtendere? In Veteri Teſtamento myſteria de Chriſto uenturo exponebantur ſenſibus: & putabimus, ex huius Rabbini ſententia, figuras Noui Teſtamenti minus claras eſſe, & minus illuſtres, quàm olim fuerint ſub Lege? Hoc certè Lux Euangelica non ferret. Noſtram figuram, quam nos cum omnibus Orthodoxis Patribus ſtatuimus in pane, iſte criminatur nimis tenuem, & dilutam eſſe: ſuam autem, quam ipſe ſibi finxit, non uidet talem eſſe, ut ne figura quidem eſſe poſsit. Nullam enim habet euidentiam, quod caput eſt in figura. Sed quid iſte faciet tandem de ſuis Magiſtralibus Doctoribus, qui ſtatuũt, ſacramenta eſſe ſigna uiſibilia? Ego quidem figuram in ſacramentis non agnoſco, quæ nõ ſentiatur. At Gardinerus uult, corpus Chriſti & delitеſcere ſub Accidentibus, & idem tamen mortis iam præteritæ figuram eſſe.

Figurã oportet eſſe notiorem quàm rẽ ſignificatam.

Præcipuum eſt in figura ut ſit euidens.

Adhæc impingit nobis inſipidiſsimam fatuitatem: quaſi dicamus, figuram inſinuare figuram. Atqui nos non geminamus figuras, ut iſte ſomniat. Dicimus enim, panem triticeum, & uinum, nõ figuras, ſed res ipſas ſignificare: nimirùm, corpus Chriſti actum in crucem, & ſanguinem eius pro nobis effuſum. Miror Inconſtantium iſta non uidere. Sed fortaſſe homo ſimplex id nos putauit facere, quod ipſe facit. Illi enim Accidentia figuræ ſunt: quæ cum ſint multa, neceſſe eſt fateatur augeri numerum figurarũ. Deinde corpus Chriſti eſt noua figura mortis præteritæ. Ita Accidentia ſunt figura corporis: & corpus uiciſsim figura mortis. Quid hoc aliud eſt, quàm figuram unam alterius figuræ figurã ponere? Sed ubi tandem aut uidit, aut legit, aut audiuit Inconſtantius, corpus Chriſti mortis

Nos figuras nõ geminamus.

eius

eius figuram esse? Proferat uel unum testimoniũ è scripturis, aut è patribus: aut rationem saltem aliquam, quæ ducta sit è Verbo dei: & uicerit.

Sed addit: Ergo agitur, ut dixi, in sacra Cœna non solùm Christi memoria, sed etiam mortis eius memoria: deinde substantiæ Christi cõmunicatio: qua nos re in unam massam redigere conatur: nos carne sua gloriosa fouens, & nutriens: quod Paulus ait, magnum esse Sacramentum in Christo, & Ecclesia. Itaq; Christus ait, Accipite, Manducate, Hoc est corpus meum. Atq; hæc ut fierent realis Christi præsentia, ex uerbis Christi, uerè persuasa est nobis, consensu Ecclesię receptа, & confirmata. Si non tantùm Christi, sed etiam mortis eius memoria in cœna celebratur, necesse est utriusque aliquam absentiam designari. Memoria enim, uti diximus, non est præsentium. Sed addit, ibi dari communicationem etiam substantiæ Christi: quò carne sua gloriosa nos foueat, & nutriat. Verùm, ut Christus nos foueat, & nutriat carne sua, unde probabit noster iste logomachus, substantialem carnis eius præsentiam esse necessariam? Nos nihil dubitamus, homines pios foueri, & nutriri carne domini: non tamen ea causa necesse est, corpus eius, ut dicunt, realiter adesse. Et nisi Gardinerus huius connexionis necessitatem ostendat, nihil agit.

Non est necessaria carnis domini nostri præsentia realis, ut nos ea nutriat.

Locus uerò, quem citat ex epistola ad Ephesios, nihil eius causam adiuuat. Verba enim illa, Nos sumus caro ex carnibus eius, & os ex ossibus eius, Chrysostomus exponit ad hũc modum: Et quomodo? Iterum audi, quid beatus iste iterum dicat ad Hebræos 2. Quoniam pueri commercium habuerunt cũ carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem. Sed hic ipse nobiscum commercium traxit, non nos cum illo. Quomodò erga ex carne eius, & ex ossibus eius sumus? Sunt qui per sanguinem dicant, & aquam. Verùm nihil est. Sed quemadmodum ille sine uirili congressu natus est ex spiritu sancto, ita & nos illud efficimur in lauacro. Vide quanta exempla adducat, ut generationi illi fidem faciat. Hæc Chrysostomus. Dicit Inconstantius, in Cœna fieri communicationem carnis Christi: quod ipsum nos quoq; dicimus. Sed Chrysostomus ait, eandem illam communicationem fieri etiam in Baptismo. Idq; non absurdè. Nam, qui baptizantur, Christum induunt. Colligimus ergo, ex interpretatione Chrysostomi, carnem Christi absq; ipsius reali, aut substantiali præsentia credentibus posse communicari: nisi fortè Inconstantius etiam in Baptismo uelit carnẽ, sanguinem, atq; ossa Christi realiter, & corporaliter cũ aqua coniungere. Quod si, pro suo pudore, dixerit, primùm nouum, atq; inauditum dogma mirabimur: deinde rogabimus, ut rationem huius recentis fidei reddat nobis ex Verbo dei. Quod si facere non possit, cogetur confiteri, ut caro Christi cõmunicetur Ecclesiæ, nihil opus esse eius reali præsentia. De Verbis aũt illis domini, Hoc est corpus meum, nihil opus est, ut hic iterum dicamus. Suprà enim & luculenter, & sæpè ostendimus, legitimum & genuinum illorum sensum longè alium esse, atque iste somniat.

Locus Epistolæ ad Ephesios. Chrysostomus.

In baptismo cõmunionem recipimus carnis Christi.

OBIECTVM XXIX.

PAVLVS scribit, Qui manducat hunc panem indignè; non autem dicit, Qui manducat corpus Christi indignè.

GARDINERVS.

QVONIAM *indignus non iudicat corpus domini, sed sacra illa, tanquam profana tractat, rectè non quod sit, sed quod illi esse uideatur, à Paulo appellatur. Et tamen Paulus, ut insinuet ueritatem, non dicit simpliciter panem, sed panẽ hunc, quem*

ille indignus indignè pro pane triticeo habet, cum sit re uera corpus Christi. Atq; hoc sensisse Paulum, illud arguit, quod subdit, Non dijudicans corpus domini. Si enim, ut habet Græca Scholia, corpus domini dijudicasset, non seipsum ingessisset, cum esset indignus. Vnde fit reus corporis & sanguinis domini.

MARTYR.

HIc rursus desidero fidem Inconstantij. Refert quidem nostrum argumentum: sed, ut solet, truncatum, & sine pedibus. Conclusionem enim, quæ caput erat, non respondet, nullam addidit. Paulus ait, Qui manducauerit hunc panem indignè: non autem dicit, Qui mãducauerit corpus domini indignè. Hic sistit Inconstantius: & callidè dissimulat, quid nos ex his uerbis concludamus. Deinde parat se ad respondendum. Cui autem rei respondere uelit, nõ apparet. Non discedit ab ingenio, & more suo. Dimicare uult in tenebris: & inde sibi pollicetur victoriam. Quod tamen, mihi crede, impunè non facit. Nam cum omnia ita turbat in obscuro, se ipsum sæpius uulnerat, quàm aduersarium.

Nos ex illis Pauli uerbis duo concludimus: Primùm, in Eucharistia manere panem, eũq; nouo miraculo transsubstantiationis non auferri. Paulus enim non tantùm agnoscit, ibi panem esse, sed etiam panem diserte nominat. Deinde addimus, illos, qui ita indignè sacramentum accipiunt, cum careant fide, non posse manducare corpus domini: sed tantùm accipere panem domini, hoc est, symbolum & Sacramentum à Christo institutum. Nũc expendamus, quemadmodum iste sophista hæc oppugnet.

„ Ait, Eucharistiam à Paulo appellari panem: nõ quòd ita sit, sed q; indignè co-
„ medentibus ita uideat. Quæ ista tandem impudentia est, id sibi arrogare, quod nobis nullo pacto uelit permittere? Nam cum nos dicimus, panem appellari corpus Christi, non quòd re uera, & quòd ad substantiam ipsam attinet, sit corpus Christi, sed quòd sit eius corporis Sacramentum, uociferatur, nos figuratores, & blasphemos esse, nec interpretari scripturas, sed deprauare, & corrumpere. Nunc uerò, cum audiat diuinas literas Eucharistiam appellare panem, hoc ait, non ita dici, quòd re uera ita sit, sed quòd indignis ita uideatur. Cur nobis hic uicissim non liceat, Inconstantium appellare Corruptorem, & deprauatorem scripturarum?

Non tamen ego facilè dederim Inconstantio, indignos illos, quos Paulus notat in Ecclesia Corinthiaca, prorsus destitutos fuisse omni fide. Nam si ita fuisset, Apostolus ad eos, tanquam ad Christianos, non scripsisset. Quòd si prædita erant fide, ut est probabile, quomodò arbitrabant, Eucharistiã esse nudũ panem? Cumq; uersarentur in Ecclesia, cur non sequebant sensum istum uestrũ, quem iactare soletis, in Ecclesia semper fuisse receptum & comprobatũ, ut Eucharistiam crederent esse corpus Christi? Quare, uel cœtus ille Corinthiorũ, ad quem Paulus scribebat, non erat Ecclesia: uel in Ecclesia sensus iste uester non agnoscebat. Hoc uerò est cauillari, quod nobis ab isto toties obijcitur, & ἀσύστατα dicere, & quiduis potius uelle comminisci, quàm manus dare ueritati.

Tamen, ne non uideatur aliquid dicere, Paulus, inquit, non simpliciter dicit, Panem, sed hunc panem. Quasi uerò nos id nesciamus, nisi admoniti: aut, quasi id nostræ sententiæ quicquam aduersetur. Nos quidem fatemur, panem Eucharistiæ, postquam ad sacrum ministerium admotus sit, non amplius esse communem, aut uulgarem. Quare postquam Sacramentum diuinarum rerũ factus est, mirari non debemus, si à Paulo singulari quadam emphasi, & significantia demonstretur.

Posteà uerò Inconstantius, cum urgere uult illa uerba, Non dijudicãs corpus domi-

domini, frustrà luctatur. Illi enim propriè dicuntur dijudicare corpus domini, qui communicando profitentur se coniunctionem habere cum Christo. Quam indignè accedentes re uera non habent. Itaq; illam suam professionem apud se non reputant, neq; sano iudicio expendunt, unde istum cibum sacrum, qui corpus domini est, & dicitur, suo modo à uulgari & profano cibo non discernunt. Adhæc, semper iste ita uidetur nobiscum agere, quasi negemus, communicantibus offerri corpus Christi spiritualiter comedendum: cuius doni excellentiam, & magnitudinem, qui indignè communicant, aspernantur: & idcircò iure optimo dicuntur corpus domini, quod illis offertur, non discernere. Verùm, ut sæpe docuimus, hinc est illa hallucinatio aduersariorum, quòd nõ putant offerri communicantibus corpus Christi, nisi illud substãtialiter, & corporaliter in os ipsum ingeratur: qui error ita cæcus, & crassus est, ut misericordia magis opus habeat, quàm seria confutatione. *Quid sit dijudicare corpus domini.*

Hoc, inquit, argumentum suspicione constat, quam pectus incredulum Pauli uerbis affinxit. Vter tandem nostrum incredulus est Inconstanti? tune, qui substantiam panis aufers ab Eucharistia, quam Paulus disertis uerbis confitetur: an nos, qui sermoni Apostolico, quemadmodum proponitur, simpliciter credimus? Certè nobis hic nihil aduersatur, quò minus genuinum propriumq; uerborum sensum retineamus. Vestra autem factio ibi demùm maximè tropos respuit, ubi minimè erat opus: uel potius, ubi locus ipse sine tropo intelligi commodè non potest. Vbi uerò nihil opus erat, ibi tropos ad fastidium usq; inculcatis. Ais, Erasmum ex hoc maximè loco conuincere ueram, & realem præsentiam corporis Christi. Quid Erasmus colligat, ipse uiderit. Nos quidem scimus, eos, qui Regis purpuram, aut imaginem indignè tractent, reos esse læsi Regis: quamuis Rex ipse corporaliter nec in purpura conclusus sit, nec in imagine. Cur in sacramentis corporis, & sanguinis domini idem non possit fieri, uelimus nobis liquidò ad ueritatem demonstrari.

Addis, Iustinum dicere, se didicisse ex Euangelijs, panem Eucharisticum esse carnem domini. Nobis cum Iustino nihil est controuersiæ. Nos enim quoq; fatemur, panẽ illum certo quodam modo carnem esse Christi: quemadmodum Augustinus etiam loquitur: qui quemadmodum intelligat, carnem illam in Cœna datam fuisse Iudæ, partim ex illis, quæ iam diximus, cognosci potest: partim infrà fauente deo fusius explicabitur. Sed iam huius sophistæ aliam stropham audiamus. *Iustinus.* *Augustinus.*

Quin & illud, inquit, in uniuersum dicendum est, quando panis uocabulum Latinis, & quæ similiter à Græcis, & ab Hebræis usurpantur huius uocabuli loco, ipsorum lingua omne, quicquid alendi uim habet, significare sit compertum, mirum est, quòd ab hac appellatione aliquid firmi argumenti se proferre isti putent, unde colligant, panem triticeum significari magis, nisi quatenus aliæ id circunstantiæ confirment, quàm à uoce generis probent certam speciem. Explicanda nobis ista sunt, quæ iste, ut solet, & falsò, & confusè protulit. Primùm לחם non significat Hebræis propriè omne genus cibi, sed panem. Tropo tamen, & amplificatione quadam non negauerim, eam uocem pro omni genere cibi aliquando usurpari: quòd panis simplex, purusq; non soleat comedi, sed unà cum obsonio. Atq; ita esse, ostendit locus ille Deuteronomij, Non in solo pane uiuit homo: quibus uerbis Hebræi docebantur, cum panem peterent, non solo pane homines ali, sed etiam quacũq; re deus illos nutrire uoluisset. Hîc panis ἀντίθεσιν habet ad mannam: ac si diceretur, Hebræi putabant, omninò opus esse pane, quo alerentur: deus autem re ipsa ostẽdit, se posse illos alere etiam absq; pane, manna uidelicet illa, quæ illis copiosè fluebat de cœlo. Quod si panis eo loco significa- *Quomodo panis apud Hebræos omne genus cibi significet.*

ret omne genus cibi, quomodò potuisset uerè opponi mannæ? Nam illa quoque Hebræi utebantur pro cibo. In eandem omninò sententiam Christus usus est illis uerbis ad refutandum diabolum: Non in solo, inquit, pane uiuit homo: quasi diceret, Tu suades, ut lapides conuertam in panem, ac si mihi ad pellendam famem omninò opus sit pane. Ego uerò ali ac sustẽtari possum quacunq; re deus uoluerit. Hic quoq; Panis per antithesim opponitur alijs omnibus generibus ciborum. Quare, si nos in illis etiam uerbis Pauli propriam huius uocis significationem amplectimur, non possumus iure reprehendi. Adhæc Paulus Græce dixit, ἄρτον: quam uocem Latini reddiderunt panem. Iste ergo tantus Grammaticus id, quod pro suo iure sibi sumpsit, nondum probauit, illas duas uoces apud bonos authores & Græcos, & Latinos propriè significare omne genus cibi. Et tamen si fortè per tropum quandoq; ita usurpantur, an iste ita tropos deperit, ut nullo loco illis carere possit, nisi ubi maximè sunt necessarij? Iuuat autem hic nos non tantùm propria uocis significatio, sed etiam loci ipsius circunstantia, ut panem triticeum intelligamus. Nam certum est in mensa positum fuisse panem triticeum: & illum Christum sumpsisse in manus, & super illo egisse gratias, illũq; uel inuito Inconstantio, fregisse, ac distribuisse. Quare alium panẽ, aut aliud genus cibi, nec uolumus recipere, nec etiam possumus somniare.

Patres etiam nobiscum sentiunt. Aiunt enim illum eiusmodi fuisse panem, qui constaret multis granis tritici: atq; illo significari coniunctionem, quam nos & inter nos, & cum Christo habere debemus. Fateor in Oratione Dominica, cum petimus nobis dari panem quotidianum, eo uocabulo significari omne genus alimoniæ. Sed respondeat mihi Inconstantius ingenuè, eam orationem propriámne esse putet, an tropicam? Certè nisi ibi agnoscat Synecdochen, qua ex parte totũ intelligatur, cæcus est. Sed quid huc opus erat Iurisperitum allegare? Fortasse, ut ostenderet, se nõ imperitum esse Legum: in quibus, ut uerum fateal, magis multò uersatus est, quàm in scripturis.

,, Sed ait, Iurisperitum uoce alimenti nõ tantùm intelligere cibum, & potum,
,, sed etiam uestes, & alia similia. Esto. Atqui Iurisperitus, cum dicit alimentum, non dicit panem. Neq; Iurisperiti consilium fuit eo loco ostẽdere, quid proprie significet alimentum: sed quomodò intelligendum sit, cum alimentum alicui legatum dicitur. De uocis autem illius propria significatione magis philosophis, & medicis, quàm Iurisperitis credendum censeo. Verùm Inconstantius cum iustas, & solidas confutationes non inueniret, huiusmodi offutijs, & cresphygetis uti cogebatur. De loco autem illo Iohannis, Panis, quem ego dabo, caro mea est, nihil opus est, ut multa dicamus. Ibi enim panis uerum panem significat. Per metaphoram tamen intelligendus est cibus animi spiritualis. Quia caro Christi nobis futura erat instar panis. Quòd ni uox illa propriè sumatur, non intelligemus, unde illa similitudo ducta sit. Adhæc si isti in illo loco Iohannis uocem Panis confuse uelint accipere pro omni genere cibi; cur tam ineptè inde concludunt, substantiam, quę fuit anteà sub accidentibus panis, transire in corpus Christi? Si enim ibi caro Christi significetur in illo genere panis, ea significari potest, ut nos dicimus, quatenus in crucem acta fuit. Eam enim sic apprehensam, & creditam, non dubitamus esse cibum animi nostri ad uitam æternam. Adhæc si panis eo loco sit quoduis genus cibi, & deinde addatur, Est Caro mea, Species prædicabitur de Genere: ac si dicas, Animal est homo. An autem uerisimile sit, Christum uoluisse ita loqui, non huius sophistæ, sed æqui lectoris erit iudicium. Non ergo nos argumentamur à Genere ad Speciem; sed iste propositionem nobis fingit, in qua Species prædicetur de Genere.

Iurisperiti quid per alimentum cuipiam legatũ intelligant.

OB-

OBIECTVM XXX.

PANIS, quem frangimus. Paulus hoc dixit de pane uel consecrato, uel non consecrato. Sed panis non consecratus non est corpus Christi, Id ergo dictum est de pane consecrato. Quare sequitur, post consecrationem manere uerum panem, qui frangi possit. Talis autem non potest esse corpus Christi, Ergo necesse est, manere panem materialem.

GARDINERVS.

HAEC *uerba Pauli non eandem apud omnes Catholicos habent interpretationem. Prætermittam quod dicit Chrysostomus, & huius argutatoris occurram dilemmatis.*

MARTYR.

CAllidè prætermittit ea, quæ in hunc locum patres dicunt: quia nullum ex illis omnibus inuenire potest cũ ista interpretatione, quam ipse nobis peperit, consentientem: nimirùm, qui dicat, panis accidentia frangi. Ait, se uelle Chrysostomum prætermittere: ob eam, opinor, causam, quòd uideret, id quod Chrysostomus ait, nisi per hyperbolem, aut alium aliquem tropum excusetur, portentosum esse. Sic enim scribit, Hic frangi corpus Christi, quod in cruce fractum non fuerit. Si hæc uerba sine figura exponi non possunt, quid est, quòd Inconstantius toties uociferetur, cum nos docemus, patres, ubi de Eucharistia augustius loquuti sunt, dextrè & commodè accipiendos esse, & illorum uerba, ubi rigidiora uidentur esse, mollienda esse tropis? Huc accedat Inconstantius, & sese aliter, si potest, explicet. Ille uerò, ut miles gloriosus, continet se post principia, atq; inde alios fortiter increpitat.

Nos ita facilè Chrysostomum adiuuamus. Dicimus enim, eum hoc sensisse, dominum in Eucharistia corpus suum, id est, panem, qui aliquo modo corpus eius est, uoluisse frangi: cum in cruce de corpore suo id fieri noluerit. Sed missum faciamus Chrysostomum: quem ne Inconstantius quidem ausus est attingere. Et uideamus, quemadmodum nostrum argumentum infirmet.

Si panem, inquit, non consecratum intelligis, ille certè nõ est corporis Christi communicatio. Rectè sanè: siquidem nihil aliud frangitur, quàm panis communis. Sed si per uerbũ illud, frangitur, tota mysterij celebratio intelligat (nõ ratiò enim fit, ut ex parte significetur totũ) sensus erit consentiens ueritati, ut panis non consecratus, sed cõmunis, adhibitus tamen, ut frangat, hoc est peracta mysterij actione consecret, & factus ex profano Eucharisticus, hoc est, ut Iustinus scribit, caro Christi, idem deinde, quia uerè factus est corpus, cõmunicat nobis corpus domini. Primum cornu argumenti nostri, quod expectauimus, ut iste frangeret, erat de pane profano. Quia per profani panis fractionem, ac distributionem haberi non potest cõmunio corporis Christi. Si uolebas, Inconstãti, hoc cornu retundere, probandũ tibi erat, in Cœna frangi, ac distribui panem profanum. Id enim nos negamus. Et tua quæ tandem est probatio? Quoniam, inquis, per uerbũ frangendi tota mysterij celebratio intelligitur, quòd totum à parte possit intelligi. Quę sunt ista ænigmata? Nos quidem non negamus, per fractionem totam interdum mysterij celebrationem intelligi: & scimus aliquando in usu esse synecdochen, ut Cœna domini dicat fractio panis. Sed quid tu hinc colligis?

Cœna domini quandoque dicitur fractio panis.

Adhuc non uidemus, in Cœna domini, etsi uniuersam intelligas actionem, fran
» gi, ac distribui panem non consecratum. Panis, inquis, ab initio profanus ad-
» hibetur, ut postea frangatur: aut, qui posteà frangitur, erat anteà profanus. Quis
istum nõ uideat præ libidine cauillandi susq; deq; turbare omnia? atq; ita turba-
re, ut nihil eum pudeat id affirmare, quod certè alius nemo, ne ex infima quidem
sorte Papistarum faceret, nimirùm, in Cœna frangi, ac distribui Panem nõ con-
secratum? Nemo nostrum est, qui nesciat, Panem ab initio fuisse communem &
profanum: eumq; omnes scimus proponi in sacra mensa, ut posteà frangatur, &
sumatur. Nos de actione præsenti fractionis disputamus: iste sua sophistica nos
& ad præteritum tempus, & ad futurum uult reuocare. Argumenti autem no-
stri cornua, mihi crede, plumbeis istis responsis non franguntur. Iste enim non-
dum ostendit, panem, qui in Cœna frangitur, profanum esse. Atque ita disputa-
tionis nostræ cornua consistunt; huius autem frigida Synecdoche abijt in
fumum.

Sed fortasse, quod hic parum feliciter successit, procedet in altero argumenti
» cornu melius. Addit ergo, Quod si de pane iam consecrato intelligamus, qui
» ideò frangitur, ut singuli communicent, etiamsi secundum ueram mysterij ra-
» tionem absente per miraculum substantia, panis propriè materialis nõ sit, qui in
» mysterio pro signo manet, quod frangi tamen potest, quid amplius desideret hic
» argutator, non uideo. Verba iam ista non sani hominis uidentur esse, sed po-
tius phœbadis cuiuspiam, aut mente moti. Ait substantiam panis abesse per mi-
raculum: quod tamen miraculum ex omnibus sacris literis ostendi non potest.
Deinde subitò oblitus sui fatetur, panem manere, qui frangatur. At, cũ eius sub-
stantia iam abierit, quomodò, quæso, manere potest? Quis unquam sanus dixe-
rit, hominem manere, cum eius natura & substantia sit sublata? Si panis ma-
net, quomodò substantiam eius aufers? Aut, si panis substantiam, & naturam
tollis, quomodò contendis manere panem? Hæc uerò noua est, philosophia-
ne dico, an potius stultitia & insania, rem ipsam à sua substantia uelle diuidere?
Quòd si ista ita inter se differunt, ut alterum ab altero possit auelli, certè neutrum
Quod potest ab altero auelli, substantia eius non est. alterius substantia dici potest. Dicis, nihil te uidere, quid amplius possimus de-
siderare. Dicam, quia urges: Constantiam in Inconstantio. Dicis enim, signum
panis esse panem: cumq; illud signum frangitur, clamas impudenter frangi pa-
nem. Atque hanc postremò cõtendis scripturarum esse sententiam. Cum autem
nos illud signum in Eucharistia appellamus corpus Christi, statim incipis debac-
chari. Quòd si tibi licet signum panis appellare panem, cur nobis eodem iure
non liceat signum corporis Christi appellare corpus Christi? Imò id nos multò
iustius facimus, quàm tu: & quia scripturæ ipsæ ita loquuntur, & quia à re ipsa
substantiam rei non separamus. Nam tu, ablata substantia panis, panem tamen
dicis superesse, qui frangatur. Quod si uelis nostra, tuaq; argumenta eadem lan-
ce ponderari, nihil aliud petimus, quàm ut legem, quam nobis tuleris, ipse feras.

Sed quoniam patres, & in primis Chrysostomum uidet alicubi dicere, cor-
pus Christi frangi, non autem signum panis, ut ipse cum suis quibusdam com-
» miniscitur, idcircò, ut eos aliquo modo tueatur, addit: Quando corpus propriè
» ad sensum carnis non frangitur, etiam si ad exprimendam mortis & passionis
» memoriam, corpus etiam in mysterio sanctis Ecclesiæ patribus frangi dicatur.
Quid patres ea sibi loquutione uoluerint, iam exposuimus: nimirùm, panẽ fran
gi: qui cum sit suo quodam modo, & dicatur corpus Christi, ea causa frãgi etiam
quodammodò uideri corpus Christi. Inconstantius ait, Patres sensisse id fieri
in mysterio. Quid autem sit, frangi in mysterio, nusquam explicat. Si id non est,
quod nos dicimus, dicat ipse aliquando quid sit. Nos affirmamus, corpus Christi
frangi

frangi in mysterio, quòd frangantur symbola, quæ mysteria, & sacramenta sunt corporis Christi. Tu uerò, Inconstanti, dicas nobis aliquãdo, quid illud tandem sit, quod manet, & frangitur? Si dices, accidentia, rideberis à pueris: Si corpus Christi, eris blasphemus: Si panem non consecratum, & falsissima dices, & cum tua sententia maximè pugnantia. Nam si panis manet, ubi est illa tua mirifica Transubstantiatio?

Quid sit corpus Christi frãgi in mysterio.

Sed attentè consideremus huius responsionis clausulam. Frangitur, inquit, propriè, quod manet ex accidentibus panis, unde panem frangi non inconuenienter dicitur: ut totius appellationem obtineãt, quæ ex parte supersunt. Quis hunc hominem unquam ita tropicum fore existimasset? Alterum cornu argumenti nostri putauit se resecare posse per synecdochen: ad alterum etiam incidendum expedit idem genus teli. Accidentia, inquit, per Synecdochen habent nomen panis. Quid aliud supereſt, nisi ut huic histrioni plausum demus. Cœpit à Tropis: progressus est per Tropos: postremò, credo, ne ipse à se deficeret, desinere uoluit in tropos.

OBIECTVM XXXI.

HIC est panis, qui descendit de cœlo: sed corpus Christi nõ descendit de cœlo: Ergo, Hic panis non est corpus Christi.

GARDINERVS.

HAEC *est mera fallacia notham habens cõclusionem, non ex prioribus in maiori, & minori extensis terminis confectam, sed quarto supposititio adulteratam. Nam panis in maiori significat Cœlestem cibum diuinitatis Christi, qua uiuunt omnia: cum panis in Conclusione significet creaturam ad corporis alimentum ex tritico factum & aqua.*

MARTYR.

ITa profectò est. Nam contendit Inconstantius cum iusto, uerocq; aduersario: sed cum eo, quem ipse sibi finxit. Non hoc argumento nemo unquam nostrũ usus est. Non dubito tamen fieri aliquando potuisse, ut in nostrorum hominum scriptis huiusmodi aliquæ propositiones extiterint. Quouis autem sacramento ausim contendere, neminem unquam nostrorum ita concluſisse argumentum. Quis huiusmodi aduersarium non facilè superet, qui nihil loquatur, aut scribat, nisi quod antagonista uelit? Non erat sanè Inconstantio difficile, nodos dissoluere, quos ipse sibi nexuerat. Vera autem, & solida argumenta diluere, Hoc opus, hic labor est. Itaq; Inconstantius, cum uideret, quàm malam causam suscepisset, noluit sibi deligere unum aliquem certum librum, quem confutaret: sed ipse potius sibi farraginem argumentorum ineptè, & insulsè & malitiosè coaceruauit, in quam baccharetur, & fureret, ut olim Aiax, qui arietes, & uitulos per insaniã dum conficeret, uidebatur sibi Agamemnonem, Menelaum, & Vlyssem uerbe rare, ac iugulare.

Verùm de furore Inconstantij plura dicere supersedebo: & quod argumentum ex his propositionibus, quas ipse attulit, elici possit, ostendam. Fatemur, uerum corpus Christi descendisse de cœlo propter coniunctam diuinitatem in eadem hypostasi cum humanitate. Alioqui caro Christi nõ aliunde nata est, quàm ex substantia Beatæ Virginis, non autem delata de cœlo. Ista tamen proprietas descendẽdi de cœlo ei communicata est propter naturam diuinam, & Verbum, quod certum est descendisse de cœlo, cum corpus humanũ indueret. Præterea

Quomodo corpus Christi dicatur è cœlo descendisse.

etiam dicimus, corpus Christi descendisse de cœlo, quòd non ex uirili semine, sed ui spiritus sancti in utero Virginis formatum fuerit. Illud autem corpus, quod in sacra communione frangitur & distribuitur, istis modis de cœlo non descendit. Panis enim, & uinum, eorumq; accidentia in terris orta sunt, naturæ legibus producta, neq; diuinitatem in eadem hypostasi secum coniunctam habent. Quare nec ista symbola, nec eorũ accidentia sunt proprium & substantiale corpus Christi. Et ueritas quidem primæ propositionis, Hic est panis, qui de cœlo descendit, ad corpus Christi, pro nobis passum, referenda est. Illa enim caro dicta est panis, qui de cœlo descendit. Altera uerò illa propositio, Corpus Christi non descendit de cœlo, referenda est ad panem Eucharisticum: qui & dicitur, & suo quodam modo etiam est corpus Christi. Cum itaq; corpus Christi, quod natum est ex Virgine, & posteà passum, descenderit de cœlo: panis autẽ Eucharisticus è cœlo non descenderit, manifestum est, panem Eucharisticum non esse propriè corpus Christi. Quare cum de illo dicitur, Hoc est corpus meum, non est illa propria, ut sæpè monuimus, loquutio, sed tropica. Ea uerò, quæ hoc loco Inconstantius fingit, refingit, comminiscitur, sunt prorsus ἀπροσδιόνυσα. Nec mirum: neq; enim contra nos pugnat, sed contra umbram suam.

OBIECTVM XXXII.

EA, quæ citantur ex 6. capite Iohannis, uel pertinent ad hoc sacramentum, uel non pertinent. Si non pertinent, quorsum ea citant aduersarij, cum à proposito sint aliena? Sin ad hoc negotium pertinent, cum ibi tantùm manducatio spiritualis tradatur, qua corpus Christi suscipitur per fidem, quid oportet in Cœna aliam nouam manducationem carnalem confingi, qua idem rursus accipiatur.

GARDINERVS.

CATHOLICI *sentiunt, doctrinam Christi in sexto Iohannis ad esum sacramentalem pertinere, propter illa Christi uerba: Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Cyrillus uerò scribit, Christum in sexto Iohannis doctrinam manducationis sui corporis tradidisse: modum autem, quo id fieret, credentibus discipulis aperuisse in Cœna: cum fragmenta panis daret, dicens, Hoc est corpus meum.*

MARTYR.

DE sexto capite Iohannis an ad Eucharistiã pertineat, nos ita respondemus: Sermonem ibi de sacramento Cœnæ nõ instituí. Ibi enim Cœna cum symbolis non ordinatur. Nam nec panis, nec calicis, nec gratiarum actionis, nec fractionis, nec distributionis, nec Testamenti, nec memoriæ, nec annuntiationis mortis Christi mentio ulla eo loco instituitur. Huc spectabant illi, qui dixerunt, illud caput ad Eucharistiam non pertinere. Quoniam tamen res ipsa, id est, corporis & sanguinis Christi spiritualis manducatio & potus ibi luculenter traditur, ad quam posteà Euãgelistæ ad finem historiæ suæ declarant Christum adiunxisse symbola externa panis & uini, idcircò nos caput illud à sacramento Eucharistiæ non putamus esse alienum: imò patres illos libenter recipimus, qui illa uerba ad hoc negotium transtulerunt. Quid enim aliud sibi uolunt panis & uinum, quæ posteà addita sunt in Cœna, nisi ut magis excitemur ad manducationẽ illam

Caput 6. Iohannis an pertineat ad Eucharistiam.

illam corporis & sanguinis domini, quæ multis uerbis diligentissimè tractata fuerat in sexto Iohannis? Satis ergo apparet, quemadmodũ nos ista coniungamus.

Hallucinatur tamen iste noster, ut solet. Spectat enim illa uerba, Panis, quem ego dabo, caro mea est. Et panem refert ad cœnæ symbola: quasi Christus dicat, naturam panis, ui Sacramenti, ut isti dicunt, transubstantiari in carnem suã. Atqui Christus nihil minus, quàm illud uoluit. Nam ut docuimus carnem suã, non propria, sed metaphorica loquutione appellauit panem.

Cyrillum autem fateor doctè, ac piè scribere, Christum in ultima illa sua cœna modum manducationis aperuisse. Ibi enim saluus, sospes & integer cũ Apostolis discumbens, neque in panem aut uinum insiliens, aut sese illis admiscens, totum illud negotium spirituale esse, & fidei opus demonstrauit: atq; ita clarissimè docuit discipulos suos, quisnam esset modus comedendæ suæ carnis, & bibendi sui sanguinis. Illud autem uelim mihi respondeat Inconstãtius, quánam fronte Cyrillum ad nos alleget: cũ ille lib. 4. ca. 14. ita scribat, Cum fragmenta panis daret, dicẽs hoc est corpus meum. Istis enim uerbis uidere potuit, nisi cęcus esset, Transubstantiationem suam prorsus explodi. Luculentissimè enim testatur, Christum in cœna dedisse fragmenta panis. Hæc uerò est noui huius nostri bellatoris sapientia, ut se ipsum grauius, & sæpius, quàm hostem feriat.

Cyrillus.

Christus in cœna docuit modũ edendæ suæ carnis & bibendi sui sanguinis.

Quanquam ne hoc quidem censeo tacendum, etiam in sexto cap. Iohannis modum traditum esse comedendi carnem Christi, nimirùm, per fidem. Cũ enim Christus dixisset, Ego sum panis uitæ: statim subiecit, Qui uenit ad me, non esuriet: &, Qui credit in me, non sitiet unquam. Maximè uerò id ostendit, quod posteà dixit, Caro non prodest quicquam: ita nimirùm, si ore sumatur, ut uos cogitatis: Spiritus est, qui uiuificat: &, Verba, quæ ego loquor uobis, spiritus sunt, & uita. Lapides oportet esse, non homines, qui negent ad modum manducationis ista pertinere. Quem tamen modum fateor, ut Cyrillus inquit, usu atq; experientia in cœna clarius esse demonstratum: non ita tamen, ut statuam, carnem Christi non aliter percipi posse, quàm per Sacramentum. Eam enim deus etiam sine sacramento impertitur credentibus: nisi dicere uelimus, pueros Christiano rum, & eos, qui aliqua necessitate impediantur ab Eucharistia, si ita fortè morian tur, decedere absq; communione corporis & sanguinis Christi.

In sexto itẽ capite Iohannis docetur modus manducationis.

Caro Christi etiam extra Sacramentũ manducatur.

Ea uerò, quæ posteà de constantia & unitate Ecclesiæ adducuntur ab Inconstantio, Nazianzeni authoritate confirmata, ad nos nihil spectãt: Nos enim uelemus nihil mutatum de simplici & pristina institutione Apostolorum: Papistarum uerò chorum uniuersum potius uexant: qui nouorum huiusmodi inuentorum nullum in Ecclesia finem aut modum faciũt. Iam uideamus, hisce omnibus quam iste addat coronidem.

Cæterùm, inquit, cum Christus multifariã, uariisq; modis dignetur nos respicere: nunc spiritualiter nos refouens, ut deus, quod spirituali manducatione fit; nunc corporaliter per mysticam benedictionem, ut nos sua humanitate sibi coniungat unione carnis, prorsus ineptum est huius argutatoris, Rursus, dum quærit, quid id oporteat. Hic duas manducationes omninò statuit, suauis homo; unam spiritualem: alteram, quæ fiat, ut ait, unione carnis. Sed respondeat iste mihi, Spiritualis istius manducationis, quam ipse non credit, sed potius, ut opinor, somniat, ubinam diuinæ literæ mentionem ullam faciant? Certè non potest respondere, in sexto Iohannis: illum enim locum totum referri uult ad mysterium cœnæ Dominicæ: nec in ultima cœna: ibi enim Sacramentum tantùm à domino institutum est, quo iste uult nos humanitate cum Christo coniungi. Quod si ita habet, uos ipsi de uestro spiritualem manducationem peperistis; non autem eam hausistis è sacris literis.

Vt tandem aliquãdo cõcludam, Nos asserimus, in sexto capite Iohannis traditam esse spiritualem manducationem carnis Christi per fidem: & Christum in ultima illa sua cœna symbola ad eam & certa quædam uerba addidisse: nec ullam concedimus ueræ carnis Christi manducationem, nisi spiritualem, quam ita distinguimus quod externa symbola interdum adiuncta habeat, interdum non habeat. Hęc perspicua & clara esse, quiuis uidere potest. Istorum autem dicta, deum immortalem, cuiusmodi sunt? Christus in 6. cap. Iohannis corporalem & realem manducationẽ corporis sui promisit: in cœna uerò promissum pręstitit. Esto. Sed ita uterq; locus ad realem manducationem pertinet. Vnde ergo spiritualem illam, quam tantùm per transennam ostenditis, habuistis? Hæc uis, & summa est argumenti nostri: non illa frigida conclusiuncula, quam sibi ipsi obiecit Inconstantius.

OBIECTVM XXXIII.

CHRISTVS dixit, Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Sed Papistæ dicunt, hoc non sufficere, nisi credamus etiã, illum panẽ insensibilẽ, qui à pistore uenit, esse Christũ.

GARDINERVS.

NEMO *Catholicus dicit, Christum esse illum insensibilem panem, quem confecit pistor: sed panem uiuum supernaturalem, quem dari quotidianum orare docemur ab ipso Christo: qui ipse Corpus suum, & sanguinem sub specie creaturarum panis & uini exhibere dignatus est.*

MARTYR.

ADeóne subtilis disputator est Inconstantius, ut ad huius argumenti cõclusionem collimare nequeat? Eo certè hoc solùm conficit, istum cũ suis plus docere et statuere, quàm Christus dixerit. Christus enim ita de se testatus est, Ego sum panis uiuus: isti adijciunt, panem uisibilem et sensibilem re ipsa Christũ esse, cum exhibetur in sacra cœna: & illa uerba domini, quæ habentur in 6. cap. Iohannis, eò trahunt: & quamuis ibi accidentia tantùm panis & uini esse dicãt, tamen uelint, nolint, id quod ibi datur, re uera est panis, & quidem insensibilis.

Neq; tamen dicimus, eos id fateri: sed hanc conclusionẽ necessariò elicimus ex illorum doctrina. Nam cum statuant, Christum in sexto Iohannis agere de Sacramentis, quæ posteà distribuerent in Cœna, cumq; dominus, quemadmodum dixit, Ego sum panis, ita etiã dixerit, Panis, quẽ ego dabo, caro mea est, eaq; isti uerba ad species, ut appellant, sacramentales referri uelint, quid aliud dicunt, q; panem uerum & insensibilem esse corpus Christi? Scimus quidem, eos id negare, symbolum Sacramenti esse panem. Sed cum illum transubstantiãdo magnas nugas agant, & panis interim re uera maneat, uolunt tamẽ miseram plebeculam credere, panẽ insensibilem à pistore acceptũ, esse re uera Christum. Quod quàm absurdum sit, ipsi iudicent. Ita ergo contexi debet argumentũ, Christus dicit: Panis quẽ ego dabo, caro mea est. Hoc eius dictum ad symbolum sacramenti refertis: illud uerò est panis à pistore acceptus: itaque iuxta uestram sententiam panis à pistore acceptus est corpus Christi. Nec uos iuuat, quod illum transubstantiari fingitis: quia id ualdè leue est ac nugatorium. Panẽ aũt à pistrino allatum, esse carnem Christi, & ineptum, & falsum & absurdũ est: ergo uox illa Panis in sexto Iohannis ad symbolum non est trahenda, nisi uelitis panem pistorium esse carnem domini.

Huius

Huius argumenti ſcopum quoniam Inconſtantius non uidit, idcircò intempeſtiuè falſus etiam uideri uoluit. Ita enim reſponſionem ſuam concluſit: Sanè uerò inſenſatus uidetur, qui hoc confecit argumentum, dignus eo nomine, qui in piſtrinum detur, ea lege, ut qui eum inde exemerit, ipſe pro eo molat. Ita Inconſtantius ludibundus quaſi parta uictoria inſultat nobis: neq; interim animaduertit, ſe aut fungum uiſum iri, ſi argumentum non intelligat: aut malitioſum ac uafrum, ſi diſſimulet. Mitto uerò, quàm appoſitè ſcribat, nos in Oratione Dominica petere ipſum Chriſti corpus, quod in Euchariſtia comedendum ſit, cum precamur, ut panis ἐπιούσιος nobis detur. Non enim mirum eſt, iſta illum ignorare, qui de genuina ſcripturarum interpretatione nunquam fuerit ſollicitus.

OBIECTVM XXXIIII.

IN eodem errore Papiſtæ uerſantur cum Capernaitis. Dicunt enim, ſe manducare Chriſtum corporaliter, & carnaliter. Capernaitæ quoq; in mente uoluebant, neſcio quam carnalem manducationem carnis Chriſti. Sed ab iſtis carnalibus cogitationibus reuocat nos Chriſtus, dicens, Verba ſua eſſe ſpiritum, & uitam: carnem autem nihil prodeſſe. Itaq; illis obiecit mentionem aſcenſionis ſuæ in cœlum.

GARDINERVS.

NON *eſt hoc argumentum Dialecticum, ſed Rhetorica rerum in uerbis deprauatio. Primùm fides ab hoc Catholica erroris appellatione infamatur: Catholici fideles cũ Capernaitis infidelibus in communis erroris ratione æquantur. Porrò autem amborum cogitationibus, non ad ueritatem, ſed ad calumniandi libidinem excuſsis, fidelium cogitatio, quantum poteſt ad abſurditatem falſò extenditur: infidelium cõtrà Capernaitarum inſanamentis imaginatio, ut quàm minimum abſurdi pateat, ipſa loquendi forma extenuatur. Adeò iuſtificat hic argutator Capernaitas à Catholicis: cum re uera infideles illi ſuprà carnem nihil cogitabant, toti carnales. Catholici uerò fideles omnia ſecundum ſpiritum dijudicant.*

MARTYR.

VEllem ex iſto noſtro Chryſippo audire, cur argumentum noſtrũ neget eſſe Dialecticum. Ita enim cõponi debet: Si Papiſtæ unà cum Capernaitis corpus Chriſti realiter, & corporaliter, & carnaliter affirmant eſſe manducandum, idem errando ſentiunt cum illis. At Papiſtæ unà cum Capernaitis in eo conſentiunt. Ergo ſimul errant. Sic argumentando Inconſtantius uidere potuiſſet, nos à formula Dialectica non erraſſe. Quod ſi agnoſcit rationem dialecticam à nobis conſeruari, ad ſe tuendum id ei ſupereſt, ut neget, ſuos Papiſtas idem ſentire cum Capernaitis. Si autem id, quod à nobis in minori propoſitione aſſumebatur perſuaſum uelit, deſinat cum Capernaitis dicere, Comedi à communicantibus in ſacra Cœna corporaliter, realiter, carnaliter, & ſubſtãtialiter corpus Chriſti: utq; nos dicimus, & docemus, illud per fidem ſpiritualiter manducari fateatur. Quoad enim idem loquuntur, quod Capernaitæ, quomodò fugere poſſunt nomen Capernaitarum? Nam corda hominũ abdita, & abſtruſa ſunt, nos in uerba tantùm poſſumus intueri, & ex illis iudicare quid quiſq; in animo ſentiat.

Cæterùm operæpretium eſt audire, quemadmodum iſte conetur ſuos Papiſtas à Capernaitis diſtinguere. Qui licet, inquit, ueram Chriſti carnem in myſte-

,, rio datam sub accidentibus panis uerè præsentem se in os admittere communi-
,, cantes intelligunt, corporis in hoc officium ex domini præcepto exhibentes, nō
,, cogitant tamen se carnali modo sacrosanctam illam escam, ut reliquos cibos, uel
,, dentibus commolere, uel deglutire faucibus: sed præsentem dominum eius au-
,, thoritate, modo quem ipse instituit, tanquam hospitio excipiunt, ab eodem san-
,, ctificandi: non uelut in illum acturi quicquam (quod absit) quo patiatur. Fingit
hic, ut audimus, præstigiator noster manducationem quandam carnis domini,
quę, cum fiat ore corporis, tamen sit spiritualis. In sua autem ista fictione bis pec-
cat. Primùm, quòd in Cœna carnem Christi putat comedi ore corporis. Id enim
Augustinus. à uero alienissimum est. Vnde Augustinus ait, Quid paras dentem, & uentrem?
Cyprianus. Crede, & manducasti: & Cyprianus ait, Istum cibum non uentris, sed mētis esse,
Os nostrū corporis nō potest habere actionē spiritualem. Deinde etiam fœdissimè in eo peccat, quòd ori externo corporis nostri tribuat
actionem spiritualem: cum ea & sentiri, & uideri possit. Quare istum ego non ni
hil suspicor, quid spiritus, aut res spiritualis sit, prorsus ignorare; cum actiones
corporis appellet spirituales.

Esca quæ neq; dentibus cōmolitur, nec deglutitur faucibus, nō dicitur proprie māducari. Addit præterea, suos non cogitare, se illam escam dentibus commolere, aut
faucibus deglutire. Atqui ego respōdeo, Si hoc nec cogitatis, nec dicitis, necesse
est, ut translatam, & metaphoricam manducationem constituatis. Nam sine his
rebus, quas excluditis, uera, & propria manducatio nulla est. Deinde nescio,
qua licentia, fingit sibi, Christum in sacra Cœna recipi à fidelibus iure hospitij.
Multum differunt cibus & hospes. Christus enim ipse pollicetur, se daturum se ipsum esse ratione cibi, & potus.
Quantum autem inter cibum interfit, & hospitem, hebetem esse oportet, qui nō
intelligat. Nam hospes est, qui non perpetuò incolit, & habitat domum aliquam,
sed qui ad tempus tantùm in eam diuertit. Ex huius ergo acutissimi uiri senten-
tia, Christus recipitur in sacra Cœna, non ut perpetuò māsurus, sed ut, tanquam
hospes, breui posteà abiturus. Cæterùm iste, ut uideo, quiduis potius paratus est
dicere, quàm ut cedat ueritati.

,, Addit porrò, Iudaicum deniq; (Quomodo) non quærunt Catholici: sed fidei
,, simplicitati innixi, ad mysterij arcanum cum ueneratione obstupescūt. Immane
,, quantum discrepent Capernaitarum cogitationes: qui cum de Christi diuinitate
,, nihil intelligerent, carnem communem communis hominis more reliquarū car-
,, nium datum iri somniabant, uel crudam, uel coctam: quomodò à Patribus est
,, annotatum: omninò de carne carnali modo cogitantes, tum paranda, tum ipsa
,, manducatione prorsus consumenda. Iudaicum illud, Quomodo, ab impor-
tuno sophista passim nobis obijcitur. Interim tamen non animaduertit, Veteres
& Orthodoxos patres, cum aduersus hæreticos disputarent, hoc interrogationis
Patres etiam disputando cū hæreticis isto aduerbio Quomodo illos interrogabant. genere sæpissimè usos esse. Quod si hoc ita est Iudaicum, nolo mihi soli hanc li-
tem intendat, sed illis potius, qui ante me ita Iudaicè loqui non dubitarint. Chri-
stus etiam cum interrogasset Scribas, cuius filius Messias futurus esset, & illi re-
spondissent, Dauidis, subiecit, Et quomodo appellat eum Dauid in spiritu domi
num suum? Quòd si Christus potuit ita suos aduersarios interrogare sine suspi-
cione Iudaismi, quid nobis obstet, quò minus altercando cum istis Papæ manci
pijs eadem interrogandi formula uti liceat? Et Maria mater Christi nónne inter
rogauit, Quomodo fiet istud? Nónne ita Angelū interrogauit Gedeon? Nónne
Daniel ita loquutus est cum Angelo: Domine in uisione inuersi sunt in me car-
dines mei, & non retinui uires: & quomodo poterit seruus huius domini mei lo
qui cum illo domino meo? Cumq; Samuel mitteretur ad ungendum Dauidem,
nónne illi licuit dicere, Quomodò ire possum? Si enim audierit Saul, interficiet
me? Tantum autem abest, ut hac interrogatione dominus offensus fuerit, ut illi
modum, de quo interrogauerat, ostenderit. Si quis igitur uel deū, uel Angelos

ita

ita interroget, ut instruatur: uel ut difficultates & impedimenta, quibus tenetur, remoueantur: uel, si agat cum pertinaci aduersario, ut eum uel inuitũ coarguat: an ille statim condemnabitur Iudaismi? Sed id agit Inconstantius, ut, cum nobis impingat Iudaismum, uideatur se satis purgare Capernaismi.

Fingit Papistas suos immane quantum distare à Capernaitis, quòd illi nihil de Christi diuinitate intelligerent, & carnem communem communis hominis sibi datum iri somniarẽt. Quid Capernaitæ de Christi diuinitate senserint, ad hoc institutum non multum facit. Neque enim id nunc contendimus. Nam controuersia est de reali manducatione carnis Christi. Non oportet nos inter nos tanquam in tenebris dimicare, ut nec, quid constet, nec, quid dubium sit, distinguamus. Ais, illos putasse, carnem Christi sibi erogãdam esse, uel crudam, uel coctam, & denicp ita consumendam. Ab illis autem cogitationibus uestros plurimùm abhorrere. Hic ego, quoniã res est non parui momenti, facere non possum quin moneam te, fieri non posse, quin carnem domini uel crudam, uel coctam comedatis, si eam ita carnaliter in os uelitis inserere. Tantùm enim interest inter spiritualem manducationem, & corporealem, quantum inter spiritum, & corpus. Nam cum clamatis, uos ore corporis carnem Christi manducare, necesse est, ut fateamini, dentes uestros ad ueram, et propriã carnem pertingere. Quare aut nobiscum, & cum orthodoxis patribus spiritualem manducationem constituite, aut mirari desinite, si de carne cruda, cocta, molenda, absumẽda coarguamini. Hęc eñ absurda non nos uobis obijcimus, sed uos ipsi uobis accersitis.

Caro Christi si realiter & substantialiter mãducetur, necesse est, ut uel cruda uel cocta eda tur.

Sed iste, ne nihil dicere uideretur, Athanasij postremò uti uoluit patrocinio. Sed frustrà. Is enim de peccato in spiritum sanctũ ita scribit. Et quomodò unum unius hominis corpus uniuerso mũdo sufficeret? Quod tanquam in illorum uersatũ cogitationibus cõmemorat. A quib. ut eos auocaret Christus, quemadmodũ paulò antè sui è cœlis descensus, sic nunc sui in cœlos reditus mentionem facit: & de repetendo, unde descenderat, cœlo apertè loquitur: uidelicet, ut de carne in cibum danda altius quiddam, & sublimius cogitent, quàm de carne nudi hominis posset sentiri: Et denicp, ut dei carnem intelligant, quam dixit filij hominis. Vnde carnem nihil prodesse, spiritum uiuificare addidit: cuius carnis, si nihil aliud esset, quàm filij hominis, inutilis foret alimonia: quoniam spiritus est, qui uiuificat. Nunc uerò cum idem filius hominis deus sit, qui de cœlo descendit, eò iterum ascensurus, fit propter carnis & spiritus ineffabilem unionem, ut caro, quæ sola iuxta naturæ suæ modum nihil prodesset, ipsa spiritus uirtute dotata sanctificet, & sit uiuifica. Quid oportuit Inconstantium occasione huius sententiæ tantum nugarum nobis offundere? Nam Athanasium uera scribere non dubitamus. Nisi enim esset manducatio spiritualis, & nisi corpus Christi fide perciperetur, una illius caro toti orbi nõ posset sufficere. Videat ergo Inconstantius, si quid habet cordis, cum corporalem & realem manducationẽ inuehat & defendat, quomodò ea caro omnibus Christianis, qui ubique terrarum sunt, possit esse satis. Etsi enim sit ea caro dei, quod nunquam nos negauimus, tamen infinita esse non potest: nisi Christi humanitatem uelis per omnia diffundi, & ubicp esse, confiteri.

Athanasius.

Caro Christi nõ esset satis omnibus Christianis si realiter comederetur.

Quid autẽ Athanasius uelit, ipse posteà satis apertè se exponit. Addit enim, ut hæc spiritualiter in unoquocp distribuatur, fiatcp omnibus conseruatorium ad resurrectionem æternæ uitæ. Hîc audimus, carnem domini, non carnaliter aut realiter distribui, sed spiritualiter. Eam autem perceptionem fide, non ore fieri, probari potest ex illis uerbis domini in sexto Iohannis: Hæc est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quoniam igitur caro Christi creden-

do manducatur: nam, qui credit, edit: idcircò dicitur conseruatorium ad beatam illam resurrectionem. Quod nos quoque fatemur, non potuisse nobis contingere, si caro illa, quam spiritualiter sumimus, nudi, aut simplicis esset hominis. Ex tali enim carne nec redemptio, nec uita hauriri posset. Non ergo de natura diuina coniuncta cum carne altercamur cum Inconstantio, sed de modo manducationis: quam ille officio, atq; ore corporis, nos uerò animo, spiritu & fide constare dicimus. Cumq; iste prouocet ad Athanasium, nos eius arbitrium non recusauimus: sed satis, ut opinor, ostendimus, ex eius uerbis nostram fidem, nõ Inconstantij somnia, confirmari.

Cyrillus. Sed iam uideamus, quantum eius causam Cyrillus iuuet. Eum enim inducit
„ ita scribentem: Quod ut insinuaret Christus, subiecit, Verba mea spiritus & uita
„ sunt: de carne, inquit, sentiens non in spiritum uersa, sed quia per unionem cum
„ spiritu à sanctificatione, quam peragit, spiritus dici possit. Hæc Cyrillus: quæ, quàm sobriè ab isto adducantur, lector iudicet. Sæpè diximus, nos quoque fateri spiritum, id est naturam diuinam, coniunctam esse cum carne Christi: illiq; à natura diuina communicatam esse uim redimendi & sanctificandi. Quare cum nemo nostrum credat, carnem simplicis, & nudi hominis in sacra cœna comedi, uniuersa ista Inconstantij disputatio aliena est, & eo consilio inducta, ut hamus huius fictionis, qua caro Christi prædicatur spiritualiter, & tamen interim etiam realiter & corporaliter manducari, escam istam unionis diuinæ naturæ cum humana sibi haberet inhærentem: atq; ita ab incautis, et simplicibus hominibus deuoraretur. Verùm esca illa semota, quæ ad rem præsentem nihil facit, omnes intelligimus, carnem humanam, etsi eadem sit caro dei, spiritualiter simul & corporaliter externi corporis ore non posse manducari.

OBIECTVM XXXV.

QVOD si aduersarij dicant, se comedere totum Christum indiuisum: Capernaitas autem cogitasse, carnem Christi in frusta esse dissecandam, quid refert, cum utriq; corporalem & carnalem mãducationem somnient? Quid enim interest, siue eum per patres accipias, siue totum simul deglutias?

GARDINERVS.

MANDVCATIO *ueræ carnis Christi in mysterio uerè exhibitæ fidelib. expenditur secundum mysterij modum: ut corporis nostri officium institutioni obsequatur: & animus fide persuasus à ueritate doctrinæ traditæ ipsa corporis actione non abstrahitur. Adeò fideles, dum de carnis Christi manducatione cogitant, nihil habet simile cum Capernaitis. Fideles enim norunt, spiritualem se carnem in mysterio accipere, sed uera. Capernaitæ carnales, quicquid est & spiritus ignorabant. Et tamen ab hoc argutatore ex solo uerborum sono eadem utrisque impudenter affingitur cogitatio.*

MARTYR.

INconstãtius, ut paucis multa diceret, obscuritatem sequutus est de industria, quò facilius commenta illa sua, & leuissimas ineptias tegeret: ut ita latentia minus ad confutandum exponerentur. Res autem non sic abibit. Excutiemus enim singula.

Manducationem iste ueræ carnis Christi dicit uerè exhiberi in mysterio: & per mo-

per modum myſterij à fidelibus expendi. Niſi iſte, ut ſolet, fucum ſuum iſs dictis aſpergeret, hæc ipſa, quam dicit, noſtra eſt ſentẽtia. Carnem enim Chriſti comedere per myſterium, re uera, ſi rectè intelligatur, nihil aliud eſt, quàm animos noſtros per externa ſymbola incitari, ut carnem Chriſti pro nobis datam in cruce fide, & ſpiritu complectamur: atq; ita illa fruamur ſpiritualiter, non quidem ficta, aut phantaſtica, ſed uera, ſyncera, integra. Hic uerus, & purus eſt orationis allatæ ſenſus: quem Inconſtantius fuco ſuo ſic adulterat, ut, Per myſterium comedere, nihil aliud uelit eſſe, quàm carnem Chriſti realiter latitãtem ſub pane & uino, uel potius, ut ille loquitur, ſub illorum ſpeciebus, re ipſa ore corporis manducare. Quæ etſi millies inculcet, & ad faſtidium uſq; repetat, tamen nunquam hactenus probare potuit. Adeò autem uel pueris notum eſt, modum myſterij, modum ſignificationis eſſe, ut mirum mihi ſit huius acumen tam clara in re potuiſſe ita turpiter hebetari. Quis enim non uideat myſterium apud Græcos idem eſſe, quod noſtri uocarunt Sacramentum? At Sacramentum, ut uulgò etiam definitur, eſt ſignum rei ſacræ. Quare carnem Chriſti comedere per myſterium, aut ſacramentum, eſt eam ſignificatam ſymbolis, per fidem apprehendere.

Quid ſit comedere carnem Chriſti per myſterium.

Modus myſterij eſt ſignificatio.

Deinde, ſi quis diligentius attendat, inueniet uerbum illud Manducare, tanquam aliquantò craſſius, ab iſto homine delicato bis, terue aliquantulum leniri. Ait enim, corporis obſequium adhiberi, & inſtituto domini obſequi: cum interim officium iſtud uel corporis, uel oris, nihil aliud re uera ſit, quàm mãducatio: quam tamen iſte ſuo nomine non appellat, quod neq; phyſicam eam eſſe uelit, neq; noſtram, quæ per fidem fit, admittat. Quare neceſſe eſt ut aliud quoddam genus comedendi ipſe de ſuo affingat. Quam tamen ipſam ita ſomniat eſſe ſpiritualem, ut nihilominus externo corporis ore conficiatur. Iſtæ, uidelicet, illæ ſunt reconditæ ac myſticæ ſubtilitates. Sed reſpondeat, ſi poteſt, abſq; tergiuerſatione ac fuco, quodnam iſtud tandem ſit officium corporis. Nam illud ad ſymbola uſq; pertinere nos nũquam negauimus. Quo autem modo illud ad carnem Chriſti adhiberi poſsit, expecto quemadmodum ſeſe expediat Inconſtantius. Quod idcircò dico, quia corpus Chriſti propriè manducari non poteſt. Nam quod non ſcinditur dentibus, & commolitur, non uerè dicitur comedi. Hæc autem nemo ſanus attribuerit corpori domini.

An uerò Cacolyci iſti noſtri idem cogitent, & ſentiant, quod olim Capernaitæ, ipſi uiderint. Nobis certè uidentur: niſi quòd iſti Chriſti diuinitatem confiten tur, quam illi ignorabant. Tamen quòd ad manducationem attinet, uel parùm, uel nihil ab illis differunt. Parùm autem idcircò dico, quia illi fortaſſe ſomniabant carnem Chriſti in partes & fruſta eſſe lacerandam: iſti uerò non minus magno errore putant eam integram & totam ſimul eſſe deglutiendam. Nam quod fingunt de ſpirituali, neſcio qua manducatione, quæ tamen interim ſit corporalis, quouis ſomnio uanius eſt, & ipſis tenebris tenebricoſius.

Pergit Inconſtantius, Capernaitæ carnalem manducationem cogitabãt, quę & re, & modo carnalis eſſet ſecũdum ſenſum communem. Fideles quidem manducationem ueræ carnis in re agnoſcunt, at non in modo carnali: cũ officio quidem corporis, at non ut in reliquos cibos, ſecũdum ſenſum communem agente corpore, ſed ſecundum ſenſum fidei. Suam iſtam fictionem Inconſtantius ita deblaterat, & premit quodammodo ſub dentibus, ut uideatur de induſtria nolle intelligi. Neq; mirum: cum ne ipſe quidem ſatis intelligat, quid uelit. Equidem mihi perſuadeo, nec illum, nec eius uniuerſum gregem ullam habere omninò manducationem corporis domini. Spiritualem enim per fidem abijciunt: phyſicam autem, quæ re uera defendi non poteſt, negant. Mediam uerò quandam fingunt: ſed ea, ſi ad uerum excutias, nulla eſt. Vtinam omnes aliquando intelli-

gant, & agnoſcant, diaboli hoc artificium, & inuentum eſſe, qui per Papiſtas mundo concionatur, ut per huiuſmodi inuentiones, & mendacia uerum ſacramentorum fructum hominibus interuertat.

„ Fideles, inquit iſte, ueram carnis Chriſti manducationem in re agnoſcunt,
„ at nō in modo carnali. Mira ſanè iſta ſunt, & perplexa uerborum prodigia. Hęc manducatio perficitur ore corporis: & tamen non habet modū carnalem. Quis, niſi Inconſtantius, iſta diceret? Facultas apprehendens carnalis eſt, nimirùm, ut iſti uolunt, os corporis. Id autem quod ſumitur, ipſiſsima caro Chriſti eſt, res corporalis, & ori realiter præſens. Tamen modum apprehēſionis omninò uult eſſe ſpiritualem. Vtcp hoc, quàm abſurdum ſit, piè lector, penitùs uideas, expende
„ mihi id, quod additur: At non ut in reliquos cibos ſecūdum ſenſum communem
„ agente corpore. Hic audis corpus agere, ſed nō ſecūdum ſenſum communem,
„ Iuxta quem ergo ſenſum agit? Iuxta ſenſum, inquit, fidei. Quis unquam audi-
Fides eſt in animo, non in corpore, nō in ore. uit, fidem in corpore, aut in ore eſſe poſitam? Ego quidem hactenus putaui, eam in animo ſitam eſſe. Inconſtantius uerò fidem ſuam, quò magis opinor, haberet in promptu, in ore uoluit circumferre. Sed dicet, ſe hoc ſenſiſſe, Corpus eorum, qui percipiant Euchariſtiam, agere iuxta fidem, quam communicantes habēt in animo. Sed ne ſic quidem elabi poteſt. Nam ſi ſtatuat, perceptionem eam eſſe ex fide, non poteſt dicere, corpus Chriſti manducari niſi per metaphoram. Os enim corporis propriè, ac uerè nō niſi ſymbola attingit. Ea autem perceptio, quæ ad fidem pertinet, ſpiritualis omninò eſt, neq; ad corporis officium quicquā pertinet. Neq; quiſquā ſobrius, & ſui compos actionem eam, quę à corpore proficiſcatur, & in corpus feratur, dixerit nō eſſe corporalem. Videat ergo Inconſtantius, quo ſpiritu agitetur, qui illam dicat eſſe ſpiritualem. Nam actio idcircò dici debet ſpiritualis, uel quod agat circa ſpiritum, uel quòd à ſpiritu proficiſcatur. Neutrum autem horum iſte dicit. Manducationem enim iſtam & circa carnem Chriſti uerſari ait, & ab ore corporis exerceri.

Neq; tamen ita hebes fuit, quin uiderit manducationem iſtam, etiam ſi ad
„ ipſius uerba examinetur, appellandam eſſe corporalem. Addit enim, Quia uerò
„ corpus Chriſti uerum in myſterio inuiſibiliter exhibitum, uiſibili corporis noſtri
„ officio excipitur, utroq; nomine dicitur manducatio corporalis. Si eſt, ut dicis,
„ corporalis, cur eam adſcribis fidei? Ais enim, Corpus non ſecundum ſenſum
Non legimus in ſacris literis carnem domini dandam inuiſibiliter. communem agere, ſed ſecundum ſenſum fidei. Deinde ex quibus diuinis literis unquam oſtendes promiſſum, corpus Chriſti exhibendum nobis eſſe inuiſibiliter? Carnem quidem Chriſti fidelibus dandam eſſe legimus: realiter autem, & inuiſibiliter dandam eſſe non legimus. Hæc uos non tantùm excogitare, uerùm etiam probare oportuit, ſi uobis uolebatis haberi fidem.

„ Addit porrò: Sed perſuademur, Corpus Chriſti in nos ſanctificandos agere:
„ à nobis contrà illa manducatione non poſſe pati: cum Capernaitæ corporalem
„ communi more peragendam ſomniarint. Si nihil in corpus Chriſti manducando agimus, quomodò hanc manducationem ueram eſſe, & corporalem toties, & tam importunè contenditis? Si ne ea quidem, quæ ſorbemus, aut bibimus, aut lambimus, dici poſſumus manducare, quòd ea dentibus non comminuamus, quamuis alioqui corpus noſtrum agat in ea naturaliter, quantò minus propriè, & uerè, & corporaliter dici poſſumus manducare carnem Chriſti? Quòd ſi fateri uis, iſtas uoces eſſe metaphoricas, cur nobis tanta religione, & tam ſeuerè tropis interdicis?

„ Addit prætereà: Sed peracutum huic argutatori uidetur, quod ſubdit ſcom-
„ matis, tanquam unum de dictis melioribus. Quid intereſt, inquit, per partes ne
„ accipias, an deglutias totum? quaſi iam euiciſſet, hoc uno differre Catholicos à

Caper-

Capernaitis: quasi deuictis hostibus triumpharet. Sed canit ante uictoriã triumphum. Non enim deglutiunt Christum fideles secundum iudicium carnis: sed in os reuerenter excipiunt: secundum Christi institutionem: quam ratio in Capernaitis carnea non potuit intelligere. Qui hoc argumentum, ut de hoc primùm dicam, adduxit, non id quæsiuit, ut intempestiuè facetus esset: quod tu pueriliter soles, etiam cum nihil est opus: ut in re graui scenicos interdum uersiculos interponas. Necp sanè iniuria. Nam cum parasiti personam perpetuò in aula gesseris, non est mirum, si tibi uerba parasitica succurrant in loco. Et quamuis ea causam istam, quam defendis, parùm iuuent, tamen quis olim fueris, & adhuc sis, non obscurè docent. An uerò nos ita importunè dicimus, nihil referre, utrũ Christi corpus per partes comedatis, an totum simul deglutiatis, cum à uobis audiamus, corpus Christi in cœna non diuidi, non commoli, non lacerari, quemadmodum cogitabãt Capernaitæ? Vos, inquã, uos huic interrgationi causam dedistis.

Sed ais, fideles nõ deglutire Christum secundum iudiciũ carnis. Ex istis tuis coloribus nihil aliud quisquam potest colligere, quàm corpus Christi non scindi dentibus, nõ imminui: sed realiter illud mãducari non probatis. Deinde quorsum huc facit iudiciũ carnis? Nobis satis est si concedatis, quod certè facitis, Christum uerè & corporaliter, totũ, & integrum deglutiri. Abs te tamen, quantum uideo, adhuc non possumus impetrare, ut explanes nobis, quid intersit, totúmne Christum simul deglutias, an illum per partes, & minutim comedas. Et certè, si ad potentiam dei, quam uos perpetuò in ista quæstione habetis in ore, respicere uelitis, ea quemadmodum efficere potest, quod uos dicitis, ut totũ corpus Christi simul uerè & realiter comedatur, ita efficere etiam potest, ut idem per partes absq ulla sui iactura aut læsione transmittatur. Et cur hoc tandẽ non dicitis, cum ita in procliui sit, & ad realem illam uestram manducationẽ maximè pertineat?

OBIECTVM XXXVI.

FINGVNT aduersarij, sub Sacramento panis sanguinem quoq contineri per concomitantiam: & isto suo commento fenestram aperiunt multis dogmatibus suppositijs. Nullum enim est dogma, cui nõ possint infinita annecti per concomitantiam. Et sequeretur, Omnes sanctos adesse huic Sacramento per concomitantiam. Semper enim sequuntur agnum, quocunq iuerit.

GARDINERVS.

QVI *ueritates rerum uerbis, quoad possunt, conantur exprimere, immeritò notantur illi fictionis, quippè qui, quod credunt, loquuntur, ut alijs annuntient fratribus, & prophetiæ donum proferunt ad Ecclesiæ ædificationem.*

MARTYR.

EX procœmio ipso intelligi potest, quò spectet hæc excusatio, tam accurata barbaræ, peregrinæ, superstitiosæ, ne dicam, idololatricæ uocis. Dolere certè debent omnes pij, eò iam insaniæ uentum esse, ut monstrum turpissimum concomitantiæ defendendum & tegendum sit uelo sacræ prophetiæ. Sed prophetia ista non est, ô bone uir, uerbis domini, quæ in sacris literis expressa ac definita sint, de tuo capite uelle portenta affingere. Si Christus uoluit corpus & san-

guinem ſuum propriis & diſtinctis notis Eccleſiæ ſuæ tradere, quid opus erat, ut uos ad eas ueſtra commenta adſcriberetis, & omnia prorſus ſuſq; deq; confunderetis, & pani ſanguinem, uino carnem admiſceretis? Iſta uerò non prophetia eſt, ſed furor & amentia, terminos à domino poſitos ita temerè uiolare.

» Verùm explicationẽ audiamus. Sed, ut de re loquamur, inquit, ſi Chriſtus in
» corpore glorificato totus et integer regnat, omni paſſione ſuperior, de quo ſit abſurdum, ullam diuiſionẽ fateri, nónne rectè dicunt & docent Catholici, Vbicũq;
» ſit uiuum Chriſti corpus, ibi comitari ſanguinem? & rurſus, ubicũq; ſit ſanguis,
» ibi comitari corpus? Vt autem, quod re ipſa ſit uerũ, uerbo exprimat ſignificantius, num concomitantiæ uocabulum tam ineptum uideatur? Ne ſapiat ſanè Latinam elegantiam: Catholicam certè ueritatem dilucidè explicat. Sed ægrè ferũt
» hæretici ueritatem, quam ut trucident in obſcuro, quæſtionibus, & cauillis data
» opera obtenebrant, adhibita uerborum luce, diſtingui, & illuſtrari. Si Chriſtus totus & integer, ut affirmas, in corpore glorificato regnat, ut ſit abſurdum, illi diuiſionem aliquam attribuere, cur uos illum funditis per tot altaria? cur illum in tot pixides, penè infinitas concluditis? Corpus enim Chriſti ut integrum eſt, & indiuiſum, ita etiam finitum eſt & terminatum, non autem per infinita loca diffuſum. Nos autem nõ ita inſanimus, ut Chriſtum aliquo modo uelimus diuidere. Eum enim in cœlis integrum, totũq; ueneramur & colimus. Symbola uerò Euchariſtiæ ſeparatim ac diſtinctè, ut ipſe nos docuit, corpus eius & ſanguinem referre dicimus. Neque domino noſtro uideri uolumus prudentiores; ſed duos myſterij huius typos ad duas eius partes pro nobis in cruce datas referendas docemus. Vos autem meritò accuſandi eſtis, qui ea, quæ Chriſtus ſub diuerſis ſymbolis inſtituit, ſpiritualiter & per fidem à credentibus percipienda, ita temerè permiſcetis, & ſine ullo pudore confunditis.

Non ſunt cõfundenda in ſacramento per concomitantiã quæ Chriſtus diſtingui uoluit.

Quare ſuperfluum omninò eſt, quod addis, neceſſe eſſe, ut, ubicunque Chriſtus eſt, ibi ſit etiam eius ſanguis. Nam pro more tuo id petis, quod tibi à principio probandum erat: nimirùm, corpus Chriſti re ipſa in tot locis eſſe, quot in locis Euchariſtia conficitur. In cœlo quidem Chriſtus eſt; & totus atq; integer ibi manet: neq; ab ullo noſtrum, ut uos fingitis, in partes diuiditur. Eoq; ſomnolentum iſtud ueſtrum portentum de concomitantia prorſus explodimus. Nolier-
» go nobis dicere, Id quod re uera eſt & ita ſe habet, fas eſſe uoce aliqua ſignificantiori exprimere. Nobis enim nondũ probare potuiſti, rem ita ſe habere. Quãobrem uocem illam ueſtram, non tantùm ut parùm Latinam & barbaram, ſed etiam ut ſuperfluam & commẽtitiam repudiamus; & apertiſſimè docemus, uos ueſtris impoſturis & fraudibus eò adductos eſſe, ut fictiones iſtas ueſtras ad inſtituta domini ſine portentis non poſſitis accommodare. Nos dilucidè, & ſine ulla captione concludimus. Chriſtus manet integer, neq; poteſt diuidi, ut uos ipſi confitemini: Corpus autem ſuum idem Chriſtus attribuit uni parti Euchariſtiæ, ſanguinẽ uerò alteri, ut omnes Euangeliſtæ confirmant: Ergo, corpus Chriſti re ipſa & ſubſtantialiter non eſt in cœna: ſed in ea magno noſtro bono ſignificatur, & per fidem ſpiritualiter comedendum offertur. Hoc eſt ſolidum, perſpicuum, & firmum argumentum: quod Papiſtæ ut refutarent, coacti ſunt nouam, & inauditam uocem, Concomitantiæ, fabricari, ut eo fuco realem illam ſuam præſentiam tuerentur.

Papiſtæ diſcedunt à ſenſu horum uerborum, Hoc eſt corpus meum, dum ibi per cõcomitantiam ſanguinem affigunt.

At niſi præſentiam illam certioribus argumentis doceant, uelum iſtud nouæ uocis omninò ridiculum uidebitur, & uos ueſtræ amuſſis & regulæ oblitos redarguet. Cum enim adducitis uerba illa Chriſti, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, clamatis, nullo pacto diſcedendum eſſe à ſenſu uerborum. Nunc poſtquam uerbis ipſis medij tenemini, nec poteſtis effugere, fingitis, nõ tantum corpus

corpus esse in una parte sacramenti, sed etiam sanguinem, & totum Christum: in altera autem parte, non tantùm esse sanguinem, sed etiam carnem, & uniuersum corpus. Mirum ni uestes etiam Christi uelitis utrinq; constituere per concomitantiam.

Conqueritur uerò Inconstantius, nos parùm æquos esse, qui uocabulum calumniemur, ut parùm Latinum; cum tamen illud rem ipsam, & uerum dogma aptissimè consignet. De dogmate, quàm illud falsum sit, diximus: neq; sophista noster quicquam hactenus secus docere potuit. Barbariem uerò criminis loco non obijcimus. Peregrinas tamen uoces in rebus diuinis iure, ac meritò repudiamus: maximè uerò cum illæ ad superstitionem, & idololatriam apertissimam defendendam faciant. Et opportunè mihi in mentem uenit illud Dauidis: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut Lex tua. Ostende mihi quæso in omnibus sacris literis uel minimum uestigium huius uestræ Concomitantię. At nos facilè possumus ostendere, quantum à uobis impietatis in hoc putri fundamento extructum fuerit: hoc scilicet, ut dicatis nullam hominibus, quos appellatis laicos, iniuriam fieri, cum illis alteram tantùm partem Eucharistiæ distribuitis. Sed hoc Inconstanti ne nescias, impium & impudens mendacium est, illos non minus habere in una parte, quàm si integrum sacramentum, ut dominus instituit, perciperent. Quod nisi uos hoc commentum excogitassetis, nunquam populus siuisset tantam à uobis fraudem, & iniuriã impunè sibi fieri. Quare non dubitamus, diabolum, & istud inuentum, & nouam illam uocem per uos in Ecclesiam inuexisse. Is enim dum loquitur mendacium, ex propris loquitur. Vides ergo, nos non tantum uocis inconcinnitatem, sed etiam multò magis rem ipsam, & uestras imposturas, & fraudes reprehendere. Quare permittamus in sacra Cœna, ut dominus instituit, duo esse symbola, per quæ fides nostra distinctè feratur ad apprehendendum corpus & sanguinem Christi pro nostra salute in crucem tradita.

Peregrinæ uoces in rebus diuinis sunt repudiandæ.

Per' cõcomitantiam defendũt mutilationem sacramenti.

Sed qua, quæso, tu fronte potes dicere, nos non posse ferre ueritatem, sed illam cauillis, & quæstionibus in obscuro, data opera obtenebrare? An Inconstantius ista nobis? Vos, inquam, uos Inconstanti, ambagibus illis uestris Transubstantiationum, Concomitantiarum, Indiuiduorum uagorum, Præsentiarum inuisibilium, Officiorum oris, & alijs infinitis similibus portentis conijcitis mortales in cæcos & inextricabiles Labyrinthos. Quæ cum ita sint, tamen te non puduit dicere, à te tuisq; ueritatem uerborum luce distingui, & illustrari. Nos ergo non iniuria monemus populum, ut ab istorum doctrinis spurcis, & mendacibus tanquam à fermento nouorum Pharisæorum, sibi diligenter caueant. Atq; utinam aliquando omnium animos ad colendam pietatem excitemus, & ab istis fascinationibus ad simplicem ueritatem traducamus.

Pergit Inconstantius: Ad id uerò, quod additur, de concomitantia sanctorũ, illud dixisse sufficiat: quoniam & alibi à nobis huic cauillo responsum est. Sancti, comitantur Christum in gloria, id est, in regno patris: ut ubi sit Christus, ibi sint, sancti. Vnde non sequitur, adesse in humilitate dispensationis: qua cœptam Ecclesiæ ædificationem in aduentus sui diem perficit, atq; absoluit. Et quanquam, ibi sint, non tamen illorum est mysterium, sed unius Christi: qui dixit, se dare corpus quod traderetur, quod erat corpus non mysticum, sed naturale. Respondet, Sanctos adesse Christo in gloria: at non in humilitate dispensationis. Hoc Theologis inauditum est, dominum post ascensionem suam in cœlum, uersari adhuc in humilitate dispensationis. Sed non est mirum, in tãta segete fictionum, & portentorum istud quoq; commentum potuisse nasci, & germinare. Idem ergo Christus, ut iste somniat, & in gloria est, & in humilitate, idq; prorsus simul

Christus post ascensionẽ non uersatur in humilitate dispensationis.

& eodem tempore: uel certè perpetuò transit modo ex humilitate ad gloriam, modò à gloria ad humilitatem. Puderet istum, nisi esset Inconstantius, ita temerè res absurdas publicare. Is autem ex mendacijs suis, quorum me uehementer & pudet, & tędet, uoluptatem etiam magnam capit. Ne insani quidem, & mente moti ita prorsus insaniunt, ut, cum audiant Apostolum dicere, Christum iam nō mori, nec mortem illi amplius dominari, ausint illum adhuc humilitati, & humanæ salutis dispensationi subijcere. Quomodò enim, quæso te, sedet ad patris dextram in gloria, si adhuc subit humilitatem? Sedere in gloria, est in illa acquiescere, non autem rursus ad humilia ministeria se demittere.

Quid sit sedere in gloria.

Sed ne, dum istas ineptias studeo confutare, similis illi uidear, qui eas nobis peperit, desino de hac re plura dicere. Hoc tantùm unum addo, hanc exceptionem Inconstantij, qua dicit, Sanctos adesse Christo in gloria, non autem in humilitate dispensationis, pugnare apertè cum sententia sacrarum literarum. Illæ enim testantur, Sanctos sequi Agnum, id est Christum, quocunq; iuerit. Hisce uerbis huius sophistæ suffugium perimitur. Sancti enim dicuntur comitari, & sequi dominum, non tantùm in gloria, sed etiam quocunq; sese conferat.

Verùm Inconstantius etiam ipse sensit, exceptionem istam suam subinfirmā
,, esse: ideoq; quasi pro Colophone adiecit, Et quanquam ibi sint, non tamen illo-
,, rum est mysterium, sed unius Christi. Non est nunc altercandum, illorúmne sit Cœnæ mysterium, an Christi. Nam si Inconstantius de ea re ambigat, ambigat etiam de elementis Christianæ religionis. Sed hoc dico, hominem istum adeò circumspectum eò se deniq; præcipitare, ut nō tantum corpus Christi, sed etiam sanctos eodem tempore in locis innumerabilibus esse dicat. Nam si, ubicunq; habetur mysterium Eucharistię, ibi re ipsa adest corpus Christi, & illum sancti perpetuò comitantur, illos quoq; in omnibus huiusmodi locis esse, necesse est. Atq; ita id tribuetur sanctis mortuis, quod nec Basilius, nec Dydimus tribuere uoluerunt spiritui sancto. Sed mirabilis est candor Inconstantij: qui, modò illum uicissim patiaris quiduis comminisci ac dicere, quidlibet tibi ultrò largiatur.

OBIECTVM XXXVII.

CHRISTVS dixit, Volo, ut ubi ego sum, ibi & minister meus sit. Ergo si Christus sit in sacramento, ibi etiam sunt omnes sancti, & ministri dei: & Transubstantiatio ponenda est in omnes sanctos, quemadmodum in corpus Christi.

GARDINERVS.

De statu gloriæ sentit Christus, quod regnum patris est æternum duraturum, non de œconomia & dispensatione corporis isto modo exhibendi: quod est temporale, donec ueniat. Sed ab isto argutatore quæsierim, an istis uoluerit uerbis Christus, ut etiam in cruce, dum mortem obiret, omnes unà adessent ministri, ubi ille esset? Imò uniuersam dispensationem solus in persona obijt suorum ministrorum causa, quibus comitatus uult regnare in cœlis: ut ubi ille sit, ibi sint & ministri, gloriæ participes futuræ. Quanquā etiam tametsi Christum comitentur in Sacramento, non sequitur, in illos fieri Transubstantiationem, quandoquidem de solo suo corpore naturali dixit Christus, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur.

MARTYR.

EX his colligimus, Inconstantium hoc sentire, Christum cum est in Eucharistia, non esse in gloria dei patris. Nam in illa sanctos habet comites, quemadmodum

modum ipſe ait: in Euchariſtia uerò non habet. Quare ſuadeo mancipijs iſtis Papæ, ſi ita ſentiant, ut à conficienda Euchariſtia abſtineant; ne Chriſtum toties exolent ſua gloria. Nam quæ eſt iſta impietas, Chriſtum à ſua gloria detrahere, ut rurſus inter homines uerſetur in humilitate diſpenſationis? Quod ſi uobis uideatur, ut eſt, abſurdum, Chriſtum in ueſtris cruſtulis cum gloria potius collocate, & illi omnes ſanctos comites adiũgite: quicquid autem ab aduerſarijs ueſtris, tãquam abſurdum obijcietur, contemnite. Nanq; ut aiunt ueſtri Dialectici, ad impoſſibile ſequitur quodlibet. Ideoq; quemadmodum ſtatuitis corpus Chriſti, etſi, ut eſt creatura, claudatur ſuis terminis, tamẽ per infinita loca diffundi, idem etiã de ſanctis prædicate; & omnem ueritatem humanæ naturæ potius euertite, quàm ut panaceum iſtum ueſtrum deum uobis extorqueri patiamini. Magni enim momenti res eſt. Niſi hoc numẽ ſtrenuè defenditis, ſtare diu & regnare, & orbem terrarum excæcare non poteſtis.

Quòd autem poſteà pro ſuo illo mirabili acumine nos interrogat, utrum illa uerba Chriſti de cruce quoq; intelligamus, ut Chriſtus ibi quoq; miniſtros ſuos uoluerit habere comites, deus bone, quid hic tandem poſſumus reſpondere? Nihil certè aliud, quàm quod Inconſtantius reſpondet ipſe: uidelicet, ea uerba ad gloriam Chriſti pertinere. Hanc expoſitionem ego nunquam reprehendi. Sed ea iſtum nihil iuuare poteſt: niſi fortè dicere uelit, quod uidetur non obſcurè ſignificare, Chriſtum, quod attinet ad naturam humanam, rurſus redire ad humilem & ſeruilem ſtatum, ut paſſim latitet ſub panis & uini accidentibus, ut edatur, ut bibatur, ut frangatur, ut excipiatur ore, ut claudatur in pyxide, ut circũgeſtetur per plateas & cubicula, ut eleuetur, ut deponatur, ut quotidiè in infinitis locis & eſſe incipiat & deſinere. Iſta autem deus rogandus eſt, ut quàm abſurda ſint, aliquando patefaciat. Magna enim pars hominum ita hodiè infatuata eſt ab iſtis mundi rectoribus, ut oculos mentis ad aſpiciendam ueritatem nequeant attollere. Adhæc, ſi ita ſe res habet, ut iſte dicit, miror in omnibus omnium Papiſtarum Eccleſijs publicas preces non haberi, ut Chriſto à tam laborioſis negotijs requies aliquando impetretur.

Sed iſte ne parùm fœcundus reſponſionum uideretur, ait poſtremò, Etiam ſi ſancti comitarentur Chriſtum in Euchariſtia, non ſequuturum tamen, ut in illos fieret Tranſubſtantiatio. Verum interea non uidet, perfectam cum Chriſto ſocietatem & coniunctionem requirere, ut ſancti quoq; ſub ijſdem accidentibus cum illo deliteſcant. Quòd ſi pergat quærere, qua ui connexionis ex ipſius opinione hoc deducam, reſpõdeo, eam me iam anteà oſtendiſſe: nimirùm, quòd ex impoſſibili ſequatur quodlibet. Nemo autem non uidet, impoſſibile eſſe, ut aut ſancti, aut alia ulla res creata ſit eodem tempore in infinitis locis.

OBIECTVM XXXVIII.

NEC ſcriptura ulla, nec ullus doctor catholicæ fidei unquam docuit, Chriſtum debere honorari hic in terris cum candelis, & genuflexione: Ergo ſi non eſt taliter adorandus, non eſt hic realiter præſens.

GARDINERVS.

SCRIPTVRA *docet, adorandum deum: Chriſtus autem deus & homo, cum in terris ageret, exhibitam adorationem non repudiauit. De adoratione Chriſti in Sacramento, quid doctores Catholici tradiderint, mox ſubijciã: unde tu lector intelligas.*

quod hic addit de candelis & genuflexione, uafritiem esse callidè mentientis, ut istis, si arguatur, se possit tueri, ne cõuincatur. Genuflexio symbolum est adorationis secundum Paulum.

MARTYR.

QVoties in hoc libro argumenta confusa & dissoluta referuntur sub persona nostrorum hominũ, toties uel inuitus cogor accusare fidem Inconstantij. Nam quis unquam quenquam nostrorum audiuit hoc modo argumentari, ut diceret, idcircò Christum non adesse realiter in Sacramento, quòd cãdelis, & genuflexionibus non sit ibi adorandus? Non sumus ita ignari Dialecticæ, ut argumentorum membra luxa, & dissipata, tanquam arenam sine calce connectamus. Iste uerò, ut est, & peruersus iudex & malitiosus cauillator, cum audit à pijs & doctis uiris meritò reprehendi superstitiosorum hominum importunitatem & ineptias, qui non solùm placentulas illas consecratas flexis & fixis genibus adorant, uerùm etiã illis cereos & tintinnabula, & suffitus adhibent, panẽq; asseruatum in tabernaculis, & circumgestatum per plateas, & agros, & in missis suis eleuatum atq; ostensum, tanquam summum numen uenerantur: iste, inquã, cum audit, hæc iustissimè reprehendi, ait hæc nostra esse argumenta, quib. probare uelimus, corpus Christi non adesse realiter in Eucharistia: atq; ita non iustis rationibus, sed parùm doctis dolis & fraudibus non satis artificiosis frustrà studet optimam causam euertere.

Nunc quoniam ostendimus, hoc non argumentum esse nostrum, sed tãtùm superstitionis & impietatis iustissimam reprehensionem, uideamus, quibus iste fucis & strophis candelas, & genuflexiones suas tueat. Primùm ait, Christum adorandum esse, quòd sit uerus deus. Hoc nos quoq; non solùm confitemur, sed etiam defendimus. Addit, Christum, cum esset in terris, oblatam sibi aliquam adorationem non repudiasse. Id quoque etiam damus. Quãquam hoc addimus, Christum, cum uiueret inter homines, quod quidem legi possit, nũquam à quoquam adorationem postulasse. Genuflexionem etiam aliquando externum esse symbolum internæ adorationis, non negamus. Sed quid ista ad uestram placentam pertinent? Hic, Inconstanti, hic, inquam, nodus est. Nisi enim certa ratione, & firmissimis testimonijs diuinarum literarum euicerís, Christi corpus & sanguinem reali, substantialiq; præsentia esse in Sacramento, nũquam cuiquam sano fidem facies, adorationem & eius externam notam, genuflexionem, illis symbolis esse exhibendam.

Candelas autem suas hoc modo excusat: Accendi, inquit, candelas in sacris ab ipsis primordijs Ecclesiæ præceptum est. An hoc tibi uidetur esse satis? Certè Hieronymus contra Vigilantium ita scribit: Cereos non clara luce accendimus, sicut frustrà calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & uigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Vides ista diurna lumina nõ ita passim in Ecclesia fuisse recepta. Mox idem Hieronymus fatetur, mulierculas id facere absque scientia, quas simplicitatis tantùm & imperitiæ nomine excusat. Denique usum diurni luminis in Ecclesijs orientalibus fuisse affirmat, sole iam rutilante cum legeretur Euangelium: non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Non rectè ergo assumit Inconstantius, usum candelarum fuisse in Ecclesia statim à primordio, præsertim, quæ ad cœnam domini, aut ad pixidem accenderentur. Atque hæc ex Hieronymo referre uolui, quòd eum sciam superstitiones quasdam magis contentiosè, quàm solidè solere defendere.

Hieronymus.
Vsus accendendi cereos in Ecclesia.
Hieronymus.

Nobis uerò non debet tantæ curæ esse, quid aliquis ex patribus aut fecerit, aut dixerit, sed quid fides nostra ex diuinis literis hausta exigat. Satyrus frater

Exẽplũ Satyri.

Ambro,

Ambrosij adhuc Catechumenus, cum esset in naui, habuit secum Eucharistiam inuolutam in Orario. Benedictus iussit Eucharistiam in os inferi defunctæ mulierculæ. Et Veteres Eucharistiam domi in arculis asseruabant: eamq; dabant etiam infantibus. Dic mihi Gardinere, cur hæc hodiè quoq; non fiunt? Dices opinor, quoniam deprehensa sunt aliena à sacris literis. Ego quoq; uicissim dico, Si accendere lumẽ interdiu ad cultum dei, alienum sit à sacra scriptura, cur à uobis ita mordicùs retinetur? *Exemplum Benedicti.*

Vnde autem ea res ortum habuerit, non est difficile coniectura consequi. Primis illis temporibus, cum Christiani à principibus infidelibus ubiq; uexarentur, nec auderent interdiu accedere ad sacros cœtus, cogebantur modò noctu, modò horis antelucanis inter se in aliquam domum conuenire. Illo tempore ad pellendas nocturnas tenebras necesse erat accendi lucernas & cereos. Sed ita factum est, ut, quod primùm necessitas inuexerat, id posteà data pace Ecclesijs, παννυχλία continuaret. Hoc autem nihil facere ad cultum dei, non ita est abstrusum, quin ut à pueris quoq; uideri possit. Huc etiam accessit præterea superstitiosorum hominum peruersitas: qui antiquatas ceremonias Iudæorum omnibus temporibus in Ecclesiam Christi miro studio conati sunt inuehere: &, ne nostra templa minus augusta uiderentur, quàm uetus Iudæorum tabernaculum, in quo interdiu, noctuq; lucebat aureum candelabrum, in nostris sacris cœtibus interdiu, & clara luce candelas & cereos accendi uoluerunt. Hæc illa est παννυχλία, & superstitio, quam nostri iure, meritoq; taxant. Neq; ista ab illis ita referuntur, ut si euincatur, Christo præsenti deberi adorationem, eludant ueritatẽ. Caue fabuntur fortasse adorationem illam absq; candelis & cereis adhibendam esse: ideoq; contendent, aduersarios nec rectè, nec ordine facere, qui istis nugis in sacris conuentibus abutantur. Nunquam fuit animus noster de honore Christi quicquam imminuere. Imò id unum agimus, & contendimus, ut ille ab omnibus uerè, & castè adoretur: quamuis fumum istum lucernarum, & cereorum ex hominum oculis auferamus. Addimus etiam, adorationem illam deberi Christo sedenti ad patris dextram in cœlo, non autem tanquam delitescenti sub speciebus panis & uini. Verùm operæpretium est audire, quemadmodum probet, sacramentum esse adorandum. Illud tenendum est inquit, Doctores Catholicos, qui adorationem adhibendam censent, Christum, cui adoratio debetur, uerè præsentem sentire. De qua quomodo patres suis scriptis prodiderunt, non grauabor adscribere. Ordiar autem à Nazianzeno, qui sic scribit: Quid igitur magna, & maximis digna faciebat anima? & quodnam aduersus infirmitatem remedium habebat? Iam enim occultũ proditur. Cum iam de omnibus desperasset, ad omnium confugit medicum: noctisq; captauit solitudinem, cum illi morbus paruas concesit inducias. Ante altare cum fide procubuit, ac illum, quem super altare uenerabatur, magna uoce, & omni inuocauit conamine, eiq; miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit. Hæc Gregorius. Ex quibus uerbis liquet, obseruatum tum fuisse, ut Christus super altare coleretur. Cuius altaris expressio istis occurrit, qui dicunt, patres sensisse Christum in cœlis adorandum. Imò Gregorius super altari dicit. Hic te, pie lector, oportet in primis attentum esse, & quod ego te moneo, diligenter obseruare. Salutem nostram non ita committendam esse dictis, & sententijs quorundam patrum, ut, quicquid illi factum aliquando retulerint à sanctis uiris, aut laudarint, sine iudicio, sine examine, sine regula & amussi diuinarum literarum debeamus necessariò recipere. Omnia probate, inquit Paulus: quod bonum est, tenete. Et deus in Deuteron. monuit populum suum, ut ne prophetæ quidem crederent, si ad idololatriam incitaret. Quamobrem, si uel uerba Gregorij, uel factum Gorgoniæ, uel patrum aliquo- *Vnde usus lumi nũ in Ecclesia.*

Non statim quibusuis patrum dictis credendum est.

rum, quantumuis antiquorum, et piorum sententię, uel deniq; ut Apostolus ait, Angelus de cœlo, nos prouocare uelint ad adoranda sacramenta, & honorem diuinum rebus creatis exhibendum, sine ulla exceptione anathema sunto. Hęc ego ideò præfari uolui, non quòd antiquos illos patres hac tam crassa idololatria contaminatos fuisse putem, sed ne, si aliquando, quod absit, tales fuisse deprehendantur, quisquam nostrum eorum aut scripto, aut exemplo adductus aberret à iusta obseruantia diuinæ legis.

Locus Gregorij Nazianzeni.

Vtq; de hoc Nazianzeni loco primùm dicam, hoc primùm uideo Inconstantium in eo referendo parùm synceriter se gessisse. Non enim, ut debuit, integram historiam retulit: sed ab illis, quæ sequebantur, de industria abstinuit, quòd ea suis imposturis manifestè uideret refragari. Gregorius enim cum dixisset, ut iste retulit, Magna uoce, atque omni conamine inuocauit, statim subiecit,
,, σοφὴ γὰρ ἐκείνη καὶ τὰ παλαιὰ, καὶ τὰ νέα, τέλος εὐσεβῆ τινα, καὶ καλὴν ἀναισχυντίαν
,, ἀναισχυντεῖ. Μιμεῖται τὴν τοῖς κρασπέδοις χριστοῦ ξηράνασαν πηγὴν αἵματος, καὶ τί ποιεῖ; τῷ
,, θυσιαστρίῳ τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς προσθῆσα, μετὰ τῆς ἴσης βοῆς, καὶ διάκρυσι τοῦτο πλουσίοις ὥσπερ
,, τις πάλαι τοὺς πόδας χριστοῦ καταβρέχουσα, καὶ μὴ πρότερον ἀνήσειν, ἢ τῆς ὑγιείας τυχεῖν ἀπει-
,, λοῦσα, εἶτα τῷ παρ' ἑαυτῆς φαρμάκῳ τούτῳ τὸ σῶμα πᾶν ἐπαλείφουσα, καὶ εἴπου τι τῶν ἀντιτύ-
,, πων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν, ὦ
,, τοῦ θαύματος, ἀπῆλθεν εὐθὺς αἰσθομένη τῆς σωτηρίας. Hoc est, Veterem quippe, ac no-
,, uam scripturam callebat: deniq; pia quadam, ac honesta impudentia impudens
,, facta eam imitatur, cui sanguinis fons exiccatus est fimbrijs Christi. Quid uerò
,, facit? Adhæret capite ipsi altari, atque id pari clamore, plurimisq; lachrymis, ut
,, quædam pridem fecit, pedes Christi lauit: & se non anteà dimissuram commina-
,, batur, quàm sanitatem consecuta esset. Deinde eo pharmaco, quod apud se ha-
,, buit, totum corpus sibi perunxit: &, si quid è symbolis uenerandi corporis &
,, sanguinis alicubi manus recondidisset, id lachrymis perfudit. O rem admiran-
,, dam. Statim salute recepta discessit. Tria ex his, quæ Nazianzenus adiecit, & ego iam commemoraui, Inconstantius uidit suo commento refragari: & ob id ueritus est ea lectori proponere. Primùm Gregorius hic sacramentum Eucharistiæ non simpliciter, & absolutè appellat Corpus & sanguinem Christi, sed eorum ἀντίτυπα, hoc est exemplaria, aut symbola. Deinde ex his apparet, ea non asseruata fuisse in altari, sed potius circumlata uel in ueste, uel in sudario: eo uidelicet in loco, in quo manus Gorgoniæ ea recondidisset. Ita enim factum legimus ætate Cypriani: & posteà Satyrum fratrem Ambrosij reliquias Eucharistię habuisse in orario suo colligatas. Postremò satis liquet, Gorgoniam non Eucharistiam adorasse, sed Christum ipsum, cuius altari assistebat. Suprà enim scribitur, τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλουμένη. Hoc est, Ante altare cum fide procumbit: & illum, qui colitur in eo, magna uoce, omnibusq; inuocationibus inuocabat. Quod nos reddidimus, In ipso uidelicet altari, id Inconstantius reddidit, super altare: cum Græcè legatur, ἐπ' αὐτῷ. Quis autem dubitet, homines tum temporis in ipso altari ueneratos esse Christum, cum deo, & Christo altaria dicata fuerint? Quàm uerò id rectè atq; ordine fecerint, nunc non disputo. Iste autem fingit pixidem, uel ut appellant, ciborium positum fuisse super altari, ubi crustulum panis seruaretur: & Gorgoniam
,, illud idolum adorasse. Neq; dubitauit, ea uerba sic accipere. Sic enim addit, Cu-
,, ius altaris expressio illis occurrit, qui dicunt, patres sensisse Christum in cœlo
,, adorandum. Imò Gregorius super altari dicit.

Primùm, si τὸ ῥητὸν urgendum sit, semel tantùm, non bis, ut iste clamat, uocabulum altaris positum est à Gregorio. Non enim ait, Super altari, ut Inconstantius, sed ἐπ' αὐτῷ. Sed ille ueritus, ne parũ attenderemus, pronomen illud referre altare,

altare, uocabulum illud ipsum repetere maluit. At frustrà. Non enim ita sumus impudentes, ut negare uelimus ea dici de altari. Sed in ipso altari Christum coli, id uerò multò aliter intelligimus, quàm Incõstantius. Altare enim typus Christi est, ut habetur ad Hebræos. Nam uerum altare, de quo nos omnes comedimus & reficimur, Christus est. Vnde qui refertur & significatur, is inuocatur & colitur in symbolo: nõ quasi ille honor signis aut typis debeatur, cũ animum per fidem ad res ipsas, quæ referuntur, oporteat attollere. Quare Gorgonia ut Christum ardentius precaretur, altari & sacramenti reliquijs uti uoluit. Istis enim rebus externis infirmæ hominum mentes solent non parùm commoueri. Nazianzenus uerò ut artificiosus & eloquens orator factum sororis amplificationibus, & collationibus auxit, quantum potuit. Contulit enim eam cum muliere illà peccatrice, quæ in Euangelio legitur lauisse atq; unxisse pedes Christi: deinde etiam cum illa, quæ à fluxu sanguinis curabatur contactu fimbriarum Christi. Gorgonia igitur ad altare accessit, & ἀντίτυπα corporis & sanguinis domini secum attulit, ut ad precandum contentius & inflãmatius incitaretur: dumq; orando attingeret altare, capite, uidelicet, in illud reclinato, Gregorius eam ait magna fide attigisse fimbrias Christi: cumq; lachrymis illa ἀντίτυπα, quæ circumferebat, madefecisset, ait, eam lauisse atq; unxisse pedes Christi. Quis hic nõ uideat amplificationem Rhetoricam, ut quæ exhibita sint symbolis, ea dicantur ipsi facta Christo?

Apage ergo hinc, Inconstanti, cum tua ista sophistica, nec eam in his rebus importunè exerceas. Hic ego, quid à Nazianzeno in hac historia proponatur, candidè retuli: & quomodò res ea gesta fuerit simpliciter expõsui. Quare cũ Inconstantij cauillo satis iam responsum sit, superest, ut te, pie Lector, tua maximè causa fideliter moneam, exemplum istud Gorgoniæ & aliorum similium, nõ esse proponendum nobis ad imitandum: nimirùm, ut reliquias & frustula Sacramenti nobiscum in sudariolis, aut mantilibus circumferamus. Vis enim uniuersa illorum est, ut ad sacram cœnam adhibeãtur, ut comedantur, ut bibant: quemadmodum dominus præcepit. Dum enim ibi usurpantur, & uerbis domini clarè atq; apertè recitatis adhibentur, magnum ad salutem nostram adiumentum adferunt: præter hunc autem usum, nihil est in illis aliud, quàm abusus & superstitio. Deinde ista muliercula, quod salua eius fratrisq; Gregorij pace dicatur, uidetur in Christiana religione non satis fuisse instructa, quæ altari opus esse crediderit, ut preces suæ à domino audirentur. Sacra quidem loca preces fidelium reddunt efficaciores, si adsit piorum cœtus. Dominus enim promisit, se effecturum quicquid à duobus aut tribus in eius nomine conuenientibus peteretur. Neque unquam deest promisso suo: sed quæcunq; in sacro cœtu impetu & impulsu sancti spiritus postulantur, benignè largitur. Adest etiam orantibus in cubiculo & intimis penetralibus, qui sacri conuentus copiam nõ habent. Pollicitus enim est, qui uel sic orant, eos quoq; patrem cœlestem, qui uidet in abscõdito, auditurum. Est item id attendendum, sacram mensam, ubi cœna domini est celebranda, non propriè dici altare, licet patres ea uoce passim abusi fuerint, quod cum fecissent, plebs credidit illam sacram mensam, Christi non minus symbolum fuisse, quàm Hebræorũ altare, sicut epistola ad Hebræos interpretatur. Quod tamen non ita est: præterierunt quippe ueterũ umbræ: utq; non amplius habemus altare, sic illud genus figuræ ac symboli apud nos desijt. Christiani tamẽ illis tẽporibus, moti plus quàm oportuit uerbis patrum, in ipsa mensa ceu in symbolo Christi, eũ consueuerunt adorare, quẽ in illo significari putarunt. Quod autem ad præsentẽ disputationem attinet, satis ostendimus, Inconstantium id, quod sibi proposuerat, efficere nõ potuisse: nimirùm, ut ex uerbis Gregorij, & exemplo Gorgoniæ ado

rationem Eucharistię confirmaret. Neq; illi quicquam profuit, ea, quæ sequebantur, ita callidè resecare: aut uocem eam, quæ à Gregorio semel tantùm scripta sit, semel atq; iterum inculcare.

,, Nunc nos ad alia quoq; eius testimonia refutanda conferamus. Et de Christi, ,, inquit, cultu in mysterio sic loquitur Emissenus in Sermone de corpore & san- ,, guine domini: Et ideo quia corpus assumptum ablaturus est ab oculis nostris, et ,, sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum corporis ,, & sanguinis sui consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offe- ,, rebatur in pretium: ut, quia quotidiana & indefessa currebat pro hominis sa- ,, lute redemptio, perpetua esset eius redemptionis oblatio, & perennis illa victi- ,, ma uiueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Hæc Emissenus, qui ,, loquitur de iugi cultu per mysterium: quod Sacramentum altaris appellat Au- ,, gustinus. Et Emissenus ait, Christum instituisse, ut coleretur. Quare idem Emis- ,, senus eodem in loco accedentes ad altare hortatur: ut respiciãt corpus dei sui, ho ,, norent, & mirentur. At enim, inquiet hic sectarius, non audio uerbum Adora- ,, tionis. At enim, inquam, rem iste dicit. Et ex Ambrosio audiemus Adorationis ,, uerbum. Quantum isti Emisseno tribuendum sit, equidem nõ uideo. Sed nu-

Emissenus. Hieronymus. meratur inter ueteres scriptores, inquies. Scio equidem, Hieronymum de uiris illustribus Eusebij Emisseni bis, terue mentionem facere. An autem eius illa scripta sint, quæ circumferuntur, mihi non est satis compertum. Verùm, ne uidear nimis durus, per me auferat Inconstantius, quod quærit. Sit sanè scriptum illud Emisseni: modò mihi ne eripiat, quod ipse pro sua facilitate, & candore nobis, quasi nescientibus indicauit: nempè in illa sententia uocem Adorationis non haberi. Hoc enim eius cõclusionem multum impedit. Nam, quod comminiscitur,

An colere idem sit quod adorare. rem ipsam ibi satis disertè haberi, falsum est. Longè enim aliud est colere, aliud adorare, ut nos quidem nunc de Adoratione loquimur. Eam hic intelligimus adorationem, in qua sit proprius & peculiaris honor unius & summi dei. Pueri enim animo & ingenio sit necesse est, qui nesciat, monimenta & memorias rerum diuinarum aliquo modo coli & obseruari oportere. Coluntur enim uiri graues: coluntur parentes. Ait enim quidam, Ego te semper, ut parentem, colui. Colimus etiam domum: colimus eos, quos amamus. Quodq; ad rem etiam magis facit, coli dicuntur ea, quæ à nobis exercentur, & aliqua dignitate ornantur. Ita enim dicimur colere uitam, studia, militiam. Quòd si Emissení uerba referas ad Sacramentum, dabimus non inuiti, id à Christo fuisse institutum ut ab hominibus coleretur. Voluit enim, eos qui futuri essent ipsius discipuli, frequentes adesse, & sancta panegyri participare Sacramenta inter sese, & mysterium suum colere. Quod tamen ubi fit, quis ibi dixerit, Sacramenta ipsa uel à ministris, uel à communicantibus adorari? Sed quid agas? Turba ista stupidissima Papistarum nescit, nec quis honor, nec quis usus sit Eucharistię. Omnem enim honorem in eo ponunt, ut symbola illa, dum uel tolluntur, uel circumferuntur, contentis oculis suspicias, ut pectus tundas, ut brachia expandas, ut palmas iactes, ut ad terram te prosternas, denique ut quiduis potius agas, quàm ut ex instituto domini, edas & bibas, & eius mortem pio animo & fideliter commemores.

Sed uerba istius Emissení melius & pressius expendamus. Vt coleretur, inquit, iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Quis nostrum

Non est adorandum sacramentũ, sed res ipsæ in pretiũ sunt oblatæ. dubitat, corpus & sanguinem domini, ut pro nobis oblata fuerunt in pretium & redemptionem, coli oportere & adorari? Ad eius autem corporis adorationem, & cultum per mysteria aut Sacramenta uehementer excitamur. Ista clara sunt, & nostram sententiam nihil lædunt: imò eam explicant potius, & iuuant.

iuuant. Non enim docent, sacramentum esse adorandum. Ne id quidem nobis uel pilum obest, quod addit, Vt perpetua esset redemptionis oblatio. Quia in Cœna domini celebranda communicantibus fit oblatio redemptionis, quando illis proponitur peccatorum condonatio. Quare si uiua & efficaci fide apprehendant ea, quæ per mysteria significantur, quæq; uerbis domini à ministro Christi nomine interpositis promittuntur, haud dubiè assequuntur redemptionẽ suam. Atq; ita uox illa Oblatio, non ad deum referenda est, sed ad illos, qui animo pio sacramentis uescuntur. Illis enim uti iam dictum est offertur remissio peccatorum. At si quis eam uocem ad deum ipsum referre omninò uelit, nõ tamen ille sensus erit, de quo Papistæ somniant, corpus, & sanguinem Christi per sacrificulum in Missa offerri deo patri: sed redemptionis oblationem semel à Christo in cruce exhibitam illo sacramento commemorari, & quodammodo sub oculis poni, ac de illo gratias agi.

Quomodo Eucharistia dicatur redemptionis oblatio.

Neq; alienum est uel à scripturis, uel ab usitata patrum loquendi formula, ut oblationis mysterium, seu sacramentum oblationis ipsius nomine appelletur: ut Augustinus testatur ad Bonifacium, & Cyprianus, & Chrysostomus in epistolam ad Hebræos. Sed quid opus est alijs testibus? Ipse hoc testatur Emissenus. Addit enim, Vt perennis illa uictima uiueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Videmus hic Emissenum unà cum alijs patribus statuere oblationem illam corporis & sanguinis domini in sacramento, positam esse in memoria, non autem Christum in singulis missis à sacrificulo offerri deo patri.

Augustinus. Cyprianus. Chrysostomus.

Sed cum Incõstantius noster tam Lynceos oculos habere existimetur, quomodo nõ uidit Emissenum istum clarissimè docere, quo pacto uiua uictima, hoc est corpus & sanguis Christi, præsens adsit in sacra Cœna? Ait enim, Vt semper præsens esset in gratia. Præsens est in Cœna dominus: præsens est eius caro. At quomodo? Non sanè realiter, aut corporaliter, sed per gratiam. Quamobrem si hæc habemus præsentia, quid plura quærimus? Crede Inconstanti, crede saltem tuis testibus. Non illos ego produco, sed quod à te ipso allatum est accipio. A uerbis autem Emissení ne latum quidem unguem discedo. Nondum enim audiuimus ex eo, sacramentum esse adorandum. Sed in eodem loco, inquit Inconstantius, hortatur accedentes ad altare, ut suspiciant corpus dei sui, ut honorent, & mirentur. Sed cur uerba eius non descripsit? Videlicet, quia uoluit sibi potius credi. Vidit enim in illis uerbis, ut ab authore scripta sunt, esse quiddam, quod nostram causam ualdè iuuare possit, suam autem prorsus euertere.

Caro domini præsens est in cœna, non realiter sed per gratiam.

Sed facito, ita esse, ut Inconstantius commemorauit. Nos quoque fatemur, communicantes monendos esse, ut corpus dei sui suspiciãt. Sed quibus oculis? Non corporis, sed animi: hoc est, oculis fidei. An realiter, & corporaliter præsens? Certè hoc Emissenus non dicit. Inconstantius hoc fingit, & pro suo more id, quod probandum erat, quasi demonstratum, & confessum sumit. Sed uideat, quid agat: sciat, sibi cum illis rem esse, qui hominum inuentis non tantùm tribuant. Verùm ut sententiam Emissení clarius exponamus, Omnes, quicunq; sumus Christiani, corpus Christi tanquam nostræ redemptionis pretium, oculis fidei spectare, & cõtemplari debemus: idq; tum maximè, cum accedimus ad Cœnam domini. Neq; aliud fideles Ecclesiæ ministri optare magis debent, quàm ut homines ipsorum curæ commissi interim, dum uerbum dei audiunt, & sacra mysteria celebrant, Christum seruatorem suum seriò intueantur, & habeant in oculis mentis, ac si uiderent eum depictum, aut, ut Paulus ait ad Galatas, coram crucifixum. Atq; utinam aliquando experiamur, Christianos æquè commoueri audito Euangelio, & perceptis sacramentis, atq; si dominus re ipsa inter eos, & corporaliter uersaretur.

Oculis fidei cor pus Christi contemplamur in Cœna.

Apparet Inconſtantium nunquam interfuiſſe idololatricis ſpectaculis con-
Mos Papiſtarũ in die Paraſceues. cionum Paraſceues maioris hebdomadę. Ibi enim concionator aliquis, uel, ut ue-
rius dicam, Clamator, & rabula, ut uulgo & mulierculis lachrymas & clamores
excitet, expoſitis omnibus Chriſti tormentis & cruciatibus, attollit imaginem
eius iam crucifixi, & populo acclamat, Videte, atq; intuemini dominũ ueſtrum
crucifixum. Hic ille eſt, qui peccata ueſtra expiauit. An ne dicet iſte noſter, Con
cionatorem iſtum ſuum mentiri, niſi corpus Chriſti realiter prędens ſit in ſtatua?
Sed ſatis multis, opinor, reſponſum eſt ad Emiſſenum.

Ambroſius. Videamus iam, quid dicat Ambroſius. Nam eum quoq; citat plenis buccis.

» Is de ſpiritu ſancto libro 3. cap. 12. ita ſcribit: Itaq; per ſcabellum terra intelligitur:
» per terram autem caro Chriſti, quam hodiè quoq; in myſterijs adoramus, & quã
» Apoſtoli in domino Ieſu, ut ſupra diximus, adorarũt. Neq; enim diuiſus eſt Chri
» ſtus, ſed unus. Hæc Ambroſius, inquit Inconſtantius: qui de Adoratione loqui-
» tur diſertis uerbis, Addit, in myſterijs, ne de Chriſti in cœlo adoratione loquu-
Auguſtinus. tum quis cauilletur. Ambroſium imitatur Auguſtinus eundem Dauidis locum
» explicans, in pſalm. 98. qui ſic ſcribit: Suſcepit enim de terra terram, quia caro de
» terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit,
» & ipſam ad manducandum nobis ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem
» manducat, niſi prius adorauerit, inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſca
» bellum pedũ domini, & non ſolùm peccemus adorando, ſed peccemus non ado
» rando. His uerbis oſtendit Auguſtinus adorationem carnis Chriſti in ſacramen-
» to tum à fidelibus obſeruatam, lucem illi dediſſe, qua perſpiceret reconditum
» ſenſum illorum uerborum Dauidis, Adorate ſcabellum pedũ eius. Tam erat il-
» lis temporibus certa adorationis traditio. Hæc uerba Inconſtantius maiori ci-
tat confidentia, quòd ea eminus tantùm conſiderarit. Nam ſi ea propius inſpe-
xiſſet, primùm ut opinor, hoc illi ueniſſet in mentem, Neq; Ambroſium, neq;
Auguſtinum, aut hic, aut uſpiam alibi ſcribere, ſacramenta eſſe adoranda. Atqui
hoc tantùm eſt in controuerſia. Quid ergo aiunt? Carnem Chriſti in myſterijs
adorari. Hoc nos fieri oportere, non negamus. Chriſtum enim ubiq;, & in uer-
bo ſuo, & in ſacramentis ab ipſo inſtitutis adoramus. Statim enim, audito nomi-
ne, Ieſu, caput aperimus. Et in Italia, cum in Euangelio legitur, Et uerbum caro
factum eſt, cumq; ex ſymbolo recitatur, Et homo factus eſt, omnes aſtantes pro-
cumbunt. At cum Chriſtus in ijs uerbis pura ſyncerag; fide adoretur, an in illis
credemus realiter, & corporaliter eſſe Chriſtum?

Deinde hoc etiam Inconſtantius uidiſſet, Nec Ambroſium, nec Auguſtinũ,
cũ dicerent corpus Chriſti adorari in myſterijs, eius corporalis & eſſentialis præ
ſentię ullam feciſſe mentionem. Si Regem in ſuis inſignibus, in literis, in nũcijs,
in ſigillis ueneramur, quamuis eum ſciamus in illis non eſſe incluſum: quid ob-
ſtat, quò minus fideles uenerari poſsint Chriſtum in recto ſacramentorum uſu,
etſi ille interim contineatur in cœlis? Quòd ſi iſtis exemplis Inconſtantius nõ
habet fidem, reſpondeat ſaltem nobis de imagine Crucis, quam negare non po-
teſt à ſuorum Papiſtarũ grege paſsim ac re uera ſuperſtitioſe adorari? Quid an illi
adorant lignũ, aurũ, argentũ? Nunquã hoc dicet. Sequetur potius ſuũ illud Con-
Concilium Nicænum ſub Irene. ciliũ Nicænũ, & ex ſententia Conſtantini epiſcopi Conſtãtiæ, quæ eſt in Cypro,
reſpondebit, adorationem illã ad πρωτότυπα eſſe referẽdam: & imagines illas ali-
qua ueneratione ſuſcipi: λατρείαν tamen ipſam, ut in eodẽ Concilio dixit Thara-
Conſtantinus epiſcopus Conſtantiæ. ſius patriarcha Conſtantinopolitanus, Beatę Trinitati reſeruari. Quare ſi adora-
Tharaſius. tio ea, quæ ab Antichriſti mancipijs contra uerbũ dei impẽditur picturis & ima-
ginibus, non ad ſigna refertur, ſed ad res ſignificatas, cur non poteſt idem fieri in
ſacramentis, etiam ſi in illis non adſit realiter, & corporaliter caro Chriſti?

Qua

Qua fronte hic nobis obijciunt abſentiam corporalem magis hic impedire adorationem, quàm in ſtatua, aut in cruce? Niſi forte, ut ſunt audaces, & omnia fingunt & refingunt pro libidine, ſtatuas quoq; uelint tranſubſtantiare: & ſub illarum etiam ſpeciebus, & accidentibus corpus & ſanguinem Chriſti cõcludere. At ſi modeſtius uolunt agere, & eas relinquere in natura ſua, & in illis tamen Chriſtum corpore abſentem adorare, quo iure nos impediunt, quo minus idem in Euchariſtię uſu faciamus? Qua tamẽ in re noſtra cauſa multò potior eſt, quàm illorum, quòd nos ad cultum dei non humanis inuentis utimur, ut illi, qui contra dei expreſſiſſimum uerbum ſtatuas & imagines adorant, ſed tãtùm myſterijs à Chriſto inſtitutis.

Improbanda eſt adoratio imaginum.

Nolim tamen, Lector, te ex his colligere, me probare adorationem imaginũ. Nam iſtis exemplis in eum tantùm finem abuti uolui, ut perſpicuè uideres, eius argumenti, quo iſte tantoperè cõfidit Inconſtantius, quãta ſit infirmitas. Quemadmodum enim propter adorationem, quam iſti exhibent imaginibus, non ſequitur, corpus & ſanguinem Chriſti in illis realiter includi: ita ex eo, quòd patres dicunt, Chriſtum in ſacris myſterijs adorari, non ſequitur, in illis realiter & ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti.

Adhæc uidere potuiſſet Inconſtantius, niſi iſta ſophiſticè tractare maluiſſet, id quod Auguſtinus ait, cum noſtra ſententia non pugnare: Neminem illam carnem manducare, niſi prius adorauerit. Non enim iudicamus, Chriſti menſam poſſe à quoquam dignè uſurpari, niſi qui Chriſti carnem pro nobis traditam in crucem pura fide & ſyncero ſpiritu adoret. Ex eo tamen nõ conficitur, uel ſacramenta ipſa & ſymbola adorari, uel corpus & ſanguinẽ dñi in illis realiter adeſſe.

Cæterùm quoniam uiſum eſt huic hominem citare Auguſtinum, non uideo, cur non mihi quoq; liceat, ſententiam eiuſdem patris hac ipſa de re ſcriptã proferre. Is in libro 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 9. ita ſcribit: Qui aut operatur, aut ueneratur utile ſignum diuinitùs inſtitutum, cuius uim, ſignificationemq; intellígit, non illud ueneratur, quod uidetur, & tranſit, ſed illud potius, quò talia referẽda ſunt. Sed ne Inconſtãtius clamet, hæc non pertinere ad Euchariſtiam, legat ea, quæ ſequuntur: & ea audiet, & ad Baptiſmum & ad cœnam accommodari. Alia quoq; ſunt, quæ in iſtis Ambroſij & Auguſtini uerbis Inconſtantius uidere potuiſſet, ſi ea apud ſe uoluiſſet expendere. *Auguſtinus.*

Sed iſtis ille non contentus, alia uerba citat Auguſtini, quæ leguntur in epiſtola 120. ad Honoratum ad hunc modum: Neq; uerò fruſtrà ita diſtincti ſunt, ut de pauperibus ſuprà diceretur, Edant pauperes, & ſaturabuntur: Hic uerò manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipſi quippe adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius. Sed adorant tantùm, non etiam ſaturantur: non enim imitantur. Mãducantes enim pauperem, dedignantur eſſe pauperes. Quia Chriſtus pro uobis paſſus eſt, uobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtígia eius. Et in ijs uerbis manifeſta eſt mentio adorationis Chriſti & ueræ præſentiæ, cũ fateatur Auguſtinus manducari pauperem, ſignificans, Chriſtum, quemadmodum alijs etiam eiuſdem uerbis cõſtat, in pſal. 21. Manducauerunt, inquit, & adorauerunt omnes diuites terræ. Manducauerũt corpus humilitatis ſuæ etiam diuites terræ: nec ſicut pauperes ſaturati ſunt uſque ad imitationem: ſed tantùm adorauerunt. Hęc Auguſtinus, qui de adoratione loquitur, quomodò à maioribus acceperat. Quoniã de adoratione, quam pij conſueuerũt adhibere ad Sacramenta, ſatis iam diximus, ut non dubito, ex illis, quæ iam dicta ſunt, facilè liquere poſſe, quomodò iſta uerba Auguſtini ſint intelligenda. Nam quod ad ſuperiorem locum reſponſum eſt, huic quoq; loco poteſt ſatisfacere. Nam Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum eũdem illum Pſalmum 21. *Auguſtinus.*

eodem modo exponit, quo in Commentarijs. Poterat ergo Inconstantius, nisi esset profusus & prodigus uerborum, ab altera istarum machinarum abstinere.

Mihi nunc id solùm superest expendendum, quòd ait, pios, cum communicant, comedere Christũ pauperem. Qua loquutione sophista putat realem manducationem carnis Christi demonstrari. Ego uerò secus iudico. Videamus ergo, uter nostrum rectius sentiat. Quare Christus hoc loco appelletur pauper, Augustinus ipse explicat. Primùm, inquit, quia passus est pro nobis: Deinde, quia manducauerunt corpus humile. Sed hoc uelim mihi respondeat Inconstantius, num corpus Christi, cum ista Augustinus scriberet, fuerit adhuc passibile. Negabit, si sapiat. Paulus enim ad Romanos ait, Mors illi ultrà non dominabit. Et, Quòd mortuus est, mortuus est semel. Hoc etiã respondeat, an caro Christi Augustini tempore fuerit humilis. Ne id quidem dicet, opinor: nisi prorsus insaniat. Omnes enim credimus, Christum ascendisse in cœlum, & sedere ad dextram patris in summa gloria. Quare si adest in cœna realiter, substantialiter, corporaliter, ut isti perpetuò clamãt, non patibilis, aut humilis, sed impatibilis & glorioſus adest. Non ergo pauperem comedimus, sed glorioſum & opulentum. Augustinus ergo cum dicit, Christum in cœna pauperem comedi, significare uoluit Christum à nobis ita fide apprehendi, ut nostra causa passus est in cruce, utq; humilimas atque abiectissimas contumelias pertulit.

Quomodo in communione manducemus Christum pauperem.

Quare si uelis Augustinum loqui de reali & corporali manducatione, nõ est uerum quod ait: Christus enim nunc pauper non comeditur. Regnat enim cum patre in gloria. At si de spirituali manducatione loquatur, quę animo & fide constat, Christum comedimus crucifixum, non tãtum humilem. Non ergo magnoperè extimescere debemus congressus istos magnificos Inconstantij: imò eũ potius orare atq; obsecrare, ut huiusmodi testes plures adferat. Illorum enim cõsentientissimis suffragijs nostra causa non parùm confirmatur. Taceo uerò, Augustinum ipsum non obscurè docere, quam intelligat manducationem. Nam saturitatem, quæ illam consequitur, per allegoriam uult esse imitationem. Cum autem Consequens sit metaphoricum, quis neget, in Antecedenti esse tropum?

Chrysostomus.

Sed fortasse Inconstantius erit paulò fortunatior in Chrysostomo: nam ex
,, eius homelia 24. in priorem epistolam ad Corinthios citat hæc uerba: Hoc cor-
,, pus in præsepi reuerenti sunt magi, & uiri impij, & barbari longo itinere confecto
,, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur barbaros saltem
,, nos, qui cœlorum ciues sumus. Hæc Chrysostomus. Et sentire eum, dum dicit,
,, Hoc corpus, illud Christi corpus esse, sequens eiusdem testimonium declarabit,
,, in eodem loco: Magi, inquit, cum id præsepe & tugurium tantum (neque enim
,, quicquam eorum, quæ tu nunc intueris, uiderũt) cum summa accesserunt reue-
,, rentia & horrore. Tu uerò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem, quæ in
,, ulnis teneat, sed sacerdotem & spiritum abundè super proposito diffusum sacrifi-
,, cio uides: nec simplex, ut illi corpus intueris, sed etiam potentiam & omnem co-
,, gnoscis administrationem. Et nihil eorum, quæ per ipsum facta sunt, ignoras: &
,, diligẽter initiatus es in omnibus. Excitemur, horrescamusq;: & maiorem, quàm
,, barbari illi præ nobis feramus pietatem. Hæc Chrysostomus: qui confert præsen-
,, tiam corporis Christi in mysterijs, cum præsentia corporis Christi in præsepi: at-
,, que ita docuit populum, ut exemplo Magorum Barbarorum eos excitaret ad
,, adorationem. Et quisquam cum hæc legerit, uel de adoratione, uel de Christi in
,, mysterio præsentia, sit realis, necne sit, audebit ambigere? Et de adoratione idem
,, Chrysostomus in Liturgia tradit, & quid ore etiam dicãt adorantes: sic enim scri-
,, bit: Qui suprà unà cum patre sedes, & hic unà nobiscum inuisibiliter uersaris, di-
,, gnare potenti manu tua nobis impertiri impollutum corpus tuum, et pretiosum

sau-

sanguinem, & per nos toti populo. Deinde sacerdos adorat, & diaconus in eo, in quo est loco, ter secreto dicens: Deus propitius esto mihi peccatori: & populus similiter, omnes cum pietate & reuerentia adorant. Hæc Chrysostomus, quē solum produxisse, fuisset satis. O quàm suauiter sibi placuit Inconstātius, cum ita corrogaret è Chrysostomo? Procul dubio uidebatur sibi audire parasitos suos applaudentes. Quid quæris? Tantùm hic non triumphat. Sed in summa quid colligit? Ait inter sese comparari præsentiam corporis Christi in altari, & illam quæ erat in præsepi. Audio: & fateor. Adest præsens utrobiq;. Sed an ne etiam eodem modo? Probet id Inconstantius, si potest. Corpus Christi est in altari per significationem: quoniam in eo sunt eius symbola, quæ, ut sæpè diximus, rerum nomina sortiuntur. Venerunt Magi ad præsepe, quos tamen ego cum Chrysostomo impios homines non appellarem. Ita nos quoq; accedere debemus ad altare. Viderunt illi infantem iacentem in præsepi, aut in ulnis Beatæ uirginis: nos in sacramento corpus eius ad mortem traditum contemplamur. Illi adorarūt ad præsepe: nos monemur, ut eundem Christum adoremus in perceptione sacramenti, idq; mente saltē sublata in cœlū. Nā ut prostrato corpore, aut genu flexo eo tempore adoremus, uerbo dei non monemur. Imò Christus Eucharistiam Apostolis unà secum sedentibus aut discumbentibus exhibuit. Quid ergo tantopere exultat Inconstantius? Nihil enim hactenus confecit, quod nostræ sententiæ aduersetur. Conferuntur, inquit, inter se duæ præsentiæ. Fateor. Sed non eiusdem generis. Adorationem agnoscit, & postulat Chrysostomus: illam nos non negamus, modò ne ea in sacramenta ipsa feratur, sed in res significatas. Vide, lector, telum illud, quod Inconstantio uidebatur inuictum, quàm facilè ex eius manibus sit excussum.

Quomodo corpus Christi sit præsens in altari.

Christus Eucharistiam administrauit sedentibus, seu discumbentibus.

Sed fortasse tibi adhuc idem uidetur, quod uisum est illi: Chrysostomum putasse, corpus Christi esse nūc in altari eadem præsentia, qua fuit olim in præsepi. Verba quidem fateor, id aliquo modo præ se ferunt. Re autem uera Chrysostomum ita non sensisse duobus argumentis potest colligi. Primùm enim ille ad exaggerandas laudes Cœnæ dominicæ, & efferendum singulare donum Christi, usus est sermone hyperbolico. Id ex eo apparet, quod ait, nos uidere spiritum abundè diffusum super proposito sacrificio. Quis enim unquam oculis suis, aut sensu aliquo potuit apprehendere spiritum? Et paulò infrà addit, ipsum Christi corpus uideri à nobis. Corpus inquit Regium, quod est in cœlis, nunc in terra tibi uidendum proponitur. Atqui nos symbola tantùm eius corporis, & sacramenta uidemus. Nam ipsum quidem domini corpus ne Inconstantius quidem dicet uideri à quoquam: imò illud inuisibile esse prædicat. Chrysostomus autem hac hyperbole non contentus addit: Quod omnium maximum est, atq; præcipuum, in terra non conspicaris tantùm, sed etiam tangis. At nemo mentis compos dicet se in Eucharistia tangere corpus Christi. Nam nec uisus, nec tactus, nec odoratus aliud in sacramentis esse renuntiant, quàm panem, & uinum, ut Augustinus ait: utq; nos quotidiè experientia ipsa docet. Quare cum sermo ille Chrysostomi sit hyperbolicus, qualis etiam Pauli fuit ad Galatas, cum diceret, Christum illis ob oculos fuisse crucifixum, non oportet eum ad simplicem intelligentiam reuocare.

Chrysostomus utitur hyperbole.

Augustinus.

Deinde quod attinet ad realem præsentiam, idem Chrysostomus in eadem homelia scribit, corpus Christi non in altari, sed in cœlo, animo, & spiritu quærendum esse. Sic enim loquitur: Iubet nobis, ut concordia, & charitate maxima ad se accedamus, & aquilę in uita facti ad ipsum cœlum euolemus, uel potius supra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, ibi & aquilæ. Cadauer domini corpus est propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem

Corpus Christi non in altari, sed in cœlo quærendum est.

„appellat, ut ostendat, ad alta illum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit: & nihil cum terra debere illi esse commune, neq; ad inferiora trahi, aut repere, sed ad superiora semper uolare, & in solem iustitiæ intueri, mentisq; oculum acutissimum habere. Aquilarum enim non graculorum hæc mensa est: Et tunc occurrent è cœlis descendenti, qui nunc meritò fruuntur: quemadmodum, qui nunc indignè, ultima patientur. Audis Inconstanti, ubi propriè quærendum sit Christi corpus? In cœlis, inquit Chrysostomus, non autem in symbolis, quæ usurpantur, & tractantur in altari. Qui aquilæ sunt, alis spiritus, & fidei subuehuntur in cœlum: atq; ibi uident, & contemplantur Christum. Vultures autem, quorum è genere est Inconstantius, Christianos, non aquilas esse uolunt, cum cõmunicant, sed graculos. Quare & ex hyperbolico genere sermonis, & ex illis uerbis, quibus Chrysostomus usus est ab initio illius homeliæ, satis liquet, illã non statuere corpus Christi esse in altari eadem prorsus præsentia, qua olim infans iacuit in præsepi. Est quidem utrobiq; sed non eadem ratione.

Quomodo Christo descendenti è cœlo dicamur occurrere.

At obijciet, Cur ergo scribit Chrysostomus, nos occursuros Christo descendenti de cœlo, nisi quòd crederet, illum uerè ac realiter sese ad sacramentum Eucharistiæ demittere? Erras Incõstanti, longè extra oleas. Chrysostomus enim ibi loquitur de ultimo Christi descensu, quo sub finem mundi uenturus est ad iudicandum: ait enim, Vt, qui sacramentum indignè percipiunt, tunc extrema patientur: ita qui nunc sacra mensa meritò, hoc est, dignè fruũtur, in fine mundi occurrẽt domino de cœlis uenienti. Quibus uerbis alludit ad sentẽtiam illam Pauli ad Thessalonicenses, Nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul rapiemur cum illis in nubibus in occursum domini in aëra: & sic semper cum domino erimus. Hunc illi fructum habebunt, inquit Chrysostomus, qui in mensa domini, non graculi, sed aquilæ fuerint, quiq; ad cœlum fide, ac spiritu euolarint, ut nõ solum ibi lætentur, & fruantur præsentia Christi, inuitati uerbis diuinarum literarum, & sacramentis: sed etiam ad finem mundi Christo uenienti ad iudicandum occurrant obuiam.

De liturgia uerò Chrysostomi non multum dicendum arbitror. Eam enim non arbitror esse Chrysostomi. Atq; de ea re ab initio huius libri tantum mihi dixisse uideor, quantum æquo lectori foret satis. Hoc tantùm nunc addendum censeo, illa uerba, quæ citauit Inconstantius (Deinde sacerdos adorat) in meo exemplari non haberi. Quanquã id non magni refert. Huiusmodi enim adorationes ad sacramenta, ut sæpè diximus, non prorsus natura sua damnandas iudicamus, modò illæ non ad externa signa, sed ad res significatas referantur, & modò ne fenestra ad superstitionem aperiatur: alioquin Christum adorare licet ad eius uerba, siue uisibilia ea sint, siue audibilia. Sed quoniam Inconstantius sub nomine Cypriani, Dionysij, Bernardi, Theophilacti, Damasceni muta tantùm citauit testimonia, ut illorum uerba non produceret, si nihil illis respondeo, nõ uideo, cur debeam reprehendi. Quid enim illi responderi potest, qui nihil dixerit?

„ Quare nunc accedamus ad eius perorationem. Ideò nunc candelas suas accendere iubeo sectarium istum, ut Doctores Catholicos propius adhibita luce intueatur, num, quæ refero, scripserint de adoratione Qui, quoniam ita traditum sit, sentiat se uictum suo argumento, ut qui à negatione adorationis consequi putauit corporis Christi absentiam, nunc ab eiusdem adorationis certa confessione, quæ ex Doctoribus Catholicis liquet, confiteatur cum Ecclesia corporis Christi præsentiam. Iubet nos Inconstãtius lucernas accendere. Festiuè uerò, ut ipse sibi uidetur, ut autem alijs, non dubito, quin haud magno cum lepore. Accendere candelas, & adhibere lumen ad sanctos patres intelligẽdos, nos nunquam putauimus ita esse uitiosum. Ideoq; id uel iniussu Inconstantij & fecimus semper,

semper, & facimus. Vter autem nostrum duorum plus luminis adhibuerit, res ipsa declarat. Certè quæ de adoratione ita copiosè citauit è patribus, illa eum docuimus non intellexisse. Sed sinamus eum aliqua etiam cũ uenia errare. Nam cum ad conficiendum & adorandum suum crustulum tantum candelarum tam prodigè accendisset, posteà legenti & scrutanti patres lumen defuit. Quare illum pro nostro iure monemus, ut candelas à suis illis potius placẽtis remoueat, quàm ut illarum penuriam in suis lucubrationibus patiatur. Ita fortasse & plus uerę pietatis, & minus stolidorum conuitiorum obtrudet orbi terrarum. Nos certè, quoniam scimus Christum, non semper ubicunq; esse, imò ne tum quidem, cum inter Apostolos discumberet in cœna, fuisse adoratum, ut à negatione adorationis non concludimus, negandam esse præsentiam corporis Christi, ita, si, interim dum Sacramenta administrantur, adoratio à patribus adhibeatur, ex eo inconstantius realem & substantialem suam præsentiam nunquam probabit.

OBIECTVM XXXIX.

PAPISTAE ueri Antichristi sunt, qui populum simplicem deceperunt, eos ad horribilem idololatriam inducendo, ut adorent res uisibiles suis manibus factas, persuadentes creaturam esse creatorem. Nam alioqui cur relinquerent homines sedes suas, cur ab uno altari ad aliud altare currerent, cur manus tollerent, nisi crederent, quod uident oculis corporeis, id se adorare? Cur sacerdotes eleuant Sacramentum, nisi ut populus id adoret, quod uidet? Et quorsus ista uerba populi, Hodiè uidi factorem meum, n si se putent eum adorare uisibilem? Quòd si dicant, se non adorare externa Sacramenta, sed id, quod sub illis credunt realiter adesse, cur mutant locos, cur modò huc, modò illuc cursitant, ut spectent res uisibiles, quas fatentur se non adorare? Ita enim occasionem dant simplicibus, ut adorent, quod uident. Cur non in locis potius suis quieti sedent, & adorant Deum in spiritu & ueritate?

GARDINERVS.



EHEMENS *est hæc asseueratio & inuidiosa: quam non argumentis, sed quæstionibus ab ignorantia natis conatur confirmare. Quid ego audio? An facit ille, quæso, creaturam creatorem, qui Christum in Sacramento præsentem exigit adorari? Quò, inquit, alioqui? Quare relinquunt sedes? aut quare eleuat sacerdos, nisi ut uideatur, & adoretur, quod est uisibile? Audi, Lector, quid refero. Hic si ea, de quibus quærit, nescit, cur pugnat in tenebris? & quod ignorat, reprehendit? Sin scit, cur quærendo exaggerat tractandi forma, ut faciat ex musca elephantem? Nam quæ hic quæruntur, facile est expedire.*

MARTYR.

NE tantùm putemur næuos, & leuia quædam uitia reprehendere, intelligat lector, hoc argumento, uel potius hac reprehensione (illa enim, quæ sic à no

bis proferuntur, non habent formam argumentationis) taxari impiam ἐθελοθρησκείαν Papistarum: quòd homines Christiani, quos oportebat in templo summa cum grauitate & ordine, & decoro uersari, tam stultè atque immodestè puerorũ, uel potius morionum in modum ad quærendum Christum huc atque illuc cursitent: quo cum perpetuò uersantur, modò rectam fidem obtineant, ubicunq; demum terrarum fuerint. Non enim possunt prætexere, se ea causa id facere, quòd sacramento à Christo instituto uti uelint. Illud enim non percipiunt. Et dubitat Inconstantius, an qui ista tradat aut doceat, ex creatura faciat creatorem? Cur, quæso, minus, quàm is, qui ligneam aut lapideam statuam iubeat adorari? Nam ut ille ex lapide aut ligno facit deum: ita uos panem prædicatis, realiter & substantialiter esse corpus Christi.

Verùm quoniã iactat, se facilè esse sese explicaturũ, audiamus sanè, quid affe
,, rat. Qui sedes, uidelicet, relinquunt & ab altare ad altare discurrũt, leuantes ma
,, nus, magnã ij certè fidem exprimunt, quæ corpori alacritatẽ in hęc officia addit:
,, quando his nimirùm officijs, quod de Eucharistia uerè creditur, ad reliquos ex
,, timulandos hoc gestu corporis quasi quodam sermone, fides profert in confes
,, sionem: quam de loco in locum currentes apud omnia altaria, ubi mysterium ce
,, lebretur, iterum atque iterum gestiunt repetere. Vbi non adorant quod uident,
,, sed quod credunt. Nec sacerdos eleuat, ut ab omnibus uideatur, quod est uisibi
,, le: sed ut Sacramentum, quod in usum futuræ communionis omnibus paratum
,, est, ab omnibus item adoratione agnoscatur. Quod illud, Amen, tacitè insonat,
,, Quod, Amen, cum populus rarior esset, ore solitum erat respondere. Hoc ue
rò, Inconstanti, sophisticum tantùm nugamentum est, excusare insanas populi discursiones per templa, quòd ad diuersas aras leuando manus, & adorando fidem suam testentur de Eucharistia, suaq; confessione alios extimulent ad recte credendum. Nam quæ apprehendenda fide & profitenda sunt, ea non humanis traditionibus & abusibus niti oportet, sed uno duntaxat Verbo dei. Illo uerò cum in hac causa destituamini, non minus insanitis circumcursitando per altaria, quàm si uos ipsos ad statuas, & idola adoranda prosterneretis.

Duo igitur mendacia Inconstantius ceu filum filo connexuit. Primùm, eos, qui ita stolidè uagantur, rectè credere: deinde eos ita immodestè se gerendo instituere alios, ut rectè credant. Quod autem addit, istos non adorare, quod uident, sed quod credunt, non possum non mirari, id istum potuisse scribere. Superà enim citauit ex Chrysostomo, nos intueri & uidere corpus Christi. Quare aut in Chrysostomo hyperbolen esse fateatur, atq; ita frigeat illa superior tam ardens asseueratio: aut si ea uelit nudè ac simpliciter intelligi, fateatur, Papistas suos id adorare, quod uident. Sed cum cogito, istum, quod quidem ad Inconstantiam attinet, semper esse sui similem, mirari desino.

Addit, Sacramentum in usum futuræ communionis paratum esse omnibus: & idcircò à sacerdote attolli, ut ab omnibus item adoratione agnoscatur. Hoc quàm uerum sit experiendo scimus. Nam si populus accederet, & ex eodem pane & calice ad idem altare uellet sibi cõmunicari, nullo pacto admitteret. Quid quod calix populo nunquã propinatur? Eum tamẽ sacerdos Antichristi nihilominus attollit adorandũ. Hinc ergo apparet, Inconstãtius, cum ista nugaretur, quàm sibi præsens fuerit. Sacramentũ enim, quod eleuat, ut adoratione agnoscatur, uidet re uera non esse, ut ipse finxit, paratũ omnibus. Mitto hoc mysterium non fuisse idcircò institutum à domino, ut spectandum attolleretur, aut adorandum ostenderetur: disertè enim Christus dixit, Accipite, Edite: Accipite, Bibite: non dixit, Attollite, Spectate, Adorate. Sed hoc Papistæ habent in summis delitijs, quod Christus mandauit, negligere, & præterire: id uerò, quod ipsi sibi repere-

Papistæ faciunt de Eucharistia quod Christus non instituit.

repererunt, non solum mordicùs retinere, sed etiam ferro & flamma defendere.

Populus inquit, cum esset rarior, respondere solebat Amen. Hic uerò ille est Hippias omniscius, quem Papistarum chorus parasiticus iactat, nihil nescire. Quæso te, Inconstanti, an rarior erat populus in Ecclesia temporibus Ambrosij, Augustini, Hieronymi, cum parta tranquillissima pace Christi nomẽ per orbem terrarum uniuersum resonaret? cumq; adhuc Turcica superstitio nulla esset? Tũ omnes Christiani qui aderant, respondebant, Amen: & illam acclamationem populi Hieronymus ait fuisse instar cœlestis tonitrui. Sed non temerè interposuit istam annotatiunculam Inconstantius. Verebatur enim ne ex illa responsione Ecclesia sua taxaretur, in qua cum omnia gerantur ignota, & peregrina lingua, populus non potest respondere Amen. Itaq; mentiri potius uoluit de multitudine populi, quàm in Papatu corruptelam aliquam confiteri. Pergit Inconstantius. Sed aliqui, inquit, dicunt, se uidisse factorem suum. Sensus, uidelicet, redegerunt in obsequium fidei: &, quod est corporis, transferunt ad animum: quomodò contrà carnales, quod est animi, transferunt ad corpus deflexione iniqua. Quin illa loquutione nihil frequentius: ut Regem, uerbi gratia, se uidisse quis fatetur, qui quod sit Regis, præter uestem nihil uiderit. Sed quibus id agitur, ut sacramenti maiestatem minuant, ij ueritatem prædicari tam ægrè ferunt, ut in formas loquendi cauillentur. Cęterùm ut finiam, Confessio ueritatis, quæ uel oris, uel corporis sermone editur, non detrahit adorationi in spiritu, & ueritate. Denicq; cum omnes ita doceantur Catholici, ne in sacramẽto Eucharistico æstiment sensibus fidant, sed Christum uerè præsentem, quod sensus nescíunt, credant, quomodò consistit, quod hic in Catholicos obijcitur, eos uidelicet doceri, adorare, quod oculis uident? Qui aiunt, se uidisse factorem suum, sensus redegerunt in obsequium fidei, inquit Inconstantius. Pulchrè. Ergo iuxta hanc nouam Theologiam, mentiri erit obsequi fidei. Vulgum ita de sensibus externis, non de fide loqui, uel hinc apparet, quòd ista non dicunt, nisi ubi fuerint in Missa, & placentam à sacerdote sublatam uiderint. Nam fide & animi oculis factorem suum domi, in agro, & ubicunq; tandem sint, uidere possunt.

Tempore Ambrosij & Augustini populus non erat rarus in ecclesia.

Hieronymus. Amen, instar tonitrui in ecclesia.

Creator noster fide ubiq; uideri potest.

At si dicas, eum clarius, & efficacius uideri in Missa, nihil egeris. Nã de contemplatione fidei habemus & præceptum, & promissionem: ut autem homines undiq; accurrãt ad uidendam Eucharistiam, id hominum tantùm inuentum est. Falsum ergo assumis Inconstanti, cum ais populum id, quod est corporis, transferre ad animum: quasi homines imperiti, & idiotæ, Videre, uelint esse Credere. Nam, ut dixi, Christum credere ubiq; possunt. Quinam autem illi sint, quos quereris iniqua deflexione ea, quæ sunt animi, trãsferre ad corpus nescio. Quare cum tu nec illos indicaueris, nec eorum sentẽtiam explicueris, nihil esse necesse iudicaui, ut causam incognitam susciperem.

Quod autem addis multos dicere solere, se uidisse Regem, qui præter uestẽ, quod Regis esset, nihil uiderint: nihil ad id aliud respondeo, nisi eos, qui ita loquuntur, imprudenter loqui. Sed uideo te, ut es uafer sophista, à priori defensione, quam uidebas infirmam esse & ineptam, occultè dilabi ad aliam: uidelicet, ut dicas, populum à uobis pessimè institutum non mentiri, si dicat, se oculis corporis in Missa uidisse factorem suum: nõ quòd aut uestem, aut fimbriam etiam eius uiderit, sed tantùm quòd accidẽtia panis, & uini, quæ tu esse uis corporis & sanguinis domini sacramenta, à sacrificulo sublata spectarit. Id autem si à te, uestrisq; symmystis commodè intelligeretur, panisq; relinqueretur integer, posset aliquo modo tolerari. Nam & ueteres Patres, & scripturæ sæpè sacramentis tribuunt nomina rerum significatarum. Vnde qui spectat symbola panis & uini, eum Christum factorem suum, aliquo modo uidere concedimus. Cumq; Patres

ibi adhiberent adorationem, elementa externa non colebant, sed ad Christum ipsum regnantem, & assidentem in cœlo ad dextram patris mentem, fidemq; transmittebant. Cęterùm ut Ethnici olim numina deorum alligata putabant esse columnis & statuis, ita uos docetis, corpus & sanguinem Christi comprehensa, & quodammodò ligata esse sub accidẽtibus: atq; ita miseram plebeculam ad cultum panis & uini, & crassissimam idololatriam compellitis.

Quod autem dignitatem sacramentorum à nobis labefactari criminaris, id quoniam falsum & uanum est, ut spero, pij lectoris animum non mouebit. Nos enim sacrorum mysteriorum dignitatem nõ imminuimus: uos autem omnem illorum usum, rationem, ueritatem funditùs sustulistis. Tu uero adorationem festissimã panacei lagani hoc tantùm nomine defendis, quòd per Transubstãtiationem, quam nunquam hactenus probare potuisti, dicas, corpus & sanguinẽ Christi clausa esse sub accidentibus panis & uini. Id autem nihil aliud est, quàm ut Dialectici aiunt, petere principium. Ait postremò nos errare, qui putemus, Papistas docere populum adorare id, quod uideant oculis corporeis. Illos enim credere præsentem Christum, quod sensus nesciunt. Sed interim iste uidere noluit, nos errorem populi ex uulgato sermone colligere, & iure, ac meritò Antichristianam istam nouam doctrinam coarguere: qua non tantùm docentur, sed etiam coguntur homines panem & uinum adorare: quòd illis assiduè prædicetur, Christum uerè conclusum esse sub accidentibus, ut olim Ethnici Iouem, Iunonem, Mercurium sub imaginibus & statuis affixos crediderunt.

OBIECTVM XL.

HONORIVS decreuit hostiam, cum eleuatur, & circumfertur, debere adorari. Apparet ergo hanc adorationem, ueteribus fuisse incognitam.

GARDINERVS.

ADORATIONEM *Eucharistiæ fuisse ueteribus cognitam, ex patrum scriptis satis liquet. Dionysius enim adorauit, qui ex primis fuit. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus adorationis meminerunt. Emissenus uult accedentem ad altare respicere corpus dei sui, honorare, mirari. Quid dici potest apertius? At replicabit hic argutator, Ignorabant hanc adorationem. Mirum ni scirent, cum essent mortui: tempora autem, & circumstantiæ eiusmodi sint, de quibus liceat cuiq; suo sensu abundare: dum tamen omnia* εὐσχημόνως *fiant. Cum unicuiq; dico, non significo singulos, sed Ecclesias singulas: dum tamen ab uniuerso corpore sine causa non discrepent. Vt autem ad argumentum propius accedam, nõ sunt ita connexa, Decernere lege, & de suo inducere: De nouo inuenire, & firmare lege, ut ualeat argumentum, Hic primus firmauit lege: ergo primus inuenit: Primus decreuit, Ergo primus induxit. Quando enim quod anteà uel natura, uel more iustum erat, lege præcipitur, populi moribus notatur in officio cessantis, & per legem fit cognitio peccati. Quod olim sua sponte faciebat populus, legum sanctiones grauissimas, quoniam sic ferebant tempora, interdum exigebat. Est cum decretum admonitionis uicem obtinet: ueluti quod de fornicatione decreuerunt Apostoli, quam non effecerunt decreto criminosam, sed semper illicitam tum fugiendam docuerunt. Et hæc cum ita sint, nihil tamen est ineptis sectarijs hoc argumento in ore crebrius: Ille, aut ille primus statuit, ergo fuit illorum inuentum: ergo erat ueteribus ignotum. Quod quàm friuolè sit dictum, tu lector facilè æstimabis.*

MAR.

MARTYR.

MAgnum sanè studium, multamq; operam impendit suprà Inconstantius, ut ostenderet, adorationem Eucharistiæ fuisse in usu apud patres. Quantum autem profecerit, spero me satis docuisse. Adorabant illi quidem ad Eucharistiam, sed uerum Christi corpus, quod sciebant esse in cœlo. Externum autem Sacramentum, quòd sciam, non adorabant. De illis tamen interim ista loquor, qui sæculis melioribus extiterunt.

Quod autem adiungit, quasi probare uelit idolomaniam, qua ad panem uel in Missa sublatum, uel in pyxide conclusum homines ita miserè insaniunt, & ait, fas esse singulis Ecclesijs, quod ad ritus & ceremonias attinet, abūdare sensu suo, dum tamen omnia εὐχημόνως administrentur, ad suum quidem arbitrium, non ad præsentem causam ista scribit. Nos enim in hac quæstione non ceremonias, sed idololatriā damnamus. Hoc primū probet nobis Inconstantius ἀρτολατρείαν tolerari posse in Ecclesia. Id si euicerit, aut si nos id illi maximè dederimus, posteà tamen de diurnis luminibus, de suffitu, de ciborijs, de eleuatione, de insano discursu populi ad omnia altaria, disputandi locus relinquetur: de quibus & diximus iam non nihil, & plura, si opus erit, suo loco dicemus.

Intereà istos Papæ parasitos moneo, ut Paulum audiant iubentem omnia in sacro cœtu εὐχημόνως, καὶ κατ' εὐταξίαν γινεσθαι: quod nunc Inconstantius cōmemorat, quamuis id illi in superiori disputatione cum confusissimas illas populi discursiones tueretur, nescio quo pacto protinus exciderit. Posteà fingit, se propius accedere uelle ad causam. Et comminiscitur, lege illa Honorij notari morbum populi cessantis in officio: quasi ille edicto suo adducere uoluerit homines ad agnoscendum peccatum.

Sed hic mihi responderi uelim: Si omnes Christiani etiam ante Honoriū credebant in Eucharistia realiter et corporaliter esse corpus Christi, quid erat, quòd illud detrectarint adorare? An Ecclesia tum ignorare potuit, Christum, ubiubi esset, adorādum esse? Quod si homines cessabant, & hoc genus officij Sacramento non exhibebant, res ipsa indicat eos non credidisse, corpus & sanguinē Christi in pane & uino realiter contineri. Istæ ergo sanctiones non adhibitæ sunt, ut populus, quod anteà sponte fecisset, deinceps facere cogeretur, sed ut Ecclesia impulsu Antichristi in turpissimam idololatriam induceretur. Sed decretum, inquit, quandoq; admonitionis uicem obtinet. Fateor: & exemplum, quod addit, libenter amplector: id uidelicet, quod Apostoli de fornicatione decreuerūt. Sed illud decretum suum Apostoli quibus, quæso, hominibus imposuerunt? Dices, Gentibus. At illæ scortationem peccatum esse anteà non audierant. Senex enim apud Comicum ait, scortari non esse peccatum. Opus ergo erat, ut Gentes ea de re Apostolico decreto admonerentur: id quod luculentissimè apparet ex priori epistola Pauli ad Corinthios. Quare si hoc exemplum ualeat, cōficiam ex eo, Romanam Ecclesiam ante istum Honorium nesciuisse adorandam esse Eucharistiam: quòd certè nescire nullo modo potuisset, si compertum habuisset, corpus Christi in ea adesse realiter.

Ethnici putabant scortationem nō esse peccatum.

Sed magnæ nos imperitiæ arguit Inconstantius, qui ex hoc decreto concludere uelimus, adorationem istam ignotam fuisse ueteribus. At nobis tamen uidetur ista ratio sanè probabilis, Adorationem istam non fuisse in usu, quando Papam de ea nouo decreto cauere oportuerit. Deinde in Decretis Conciliorum, & epistolis pontificijs hoc obseruauimus, si quid in illis instauretur, quod anteà usurpatum, populi negligentia fuerit intermissum, semper morem pristinum, & antiquitùs receptū solere laudari: abusum aūt temporū, & populi negligentiam reprehendi. Honorius autem nihil huiusmodi facit; sed ita nouum suum edictum

proponit, quasi Romana Ecclesia adorationem Eucharistiæ nunquam ante illa tempora usurpasset. Postremò hoc te scire uolui, pie lector, in tota ista Sycophantica rhapsodia leuissimas quasq; nostrorum hominum confirmationes, ita proponi ab Inconstantio, ac si in illis esset uniuersum robur nostræ causæ: potiores autem & firmiores rationes interea callidè dissimulari.

OBIECTVM XLI.

DICVNT, hostiam non ex eo præcipuè esse adorandam, quòd sit corpus Christi, sed quòd in se abscondite contineat corpus Christi. Ergo, cum Trinitas ipsa increata, quæ longè est perfectior, quàm hoc corpus, magis sit in qualibet creatura, sequitur propter contentum absconditum, quamlibet creaturam esse adorandam. Atque ita omnis creatura erit idolum.

GARDINERVS.

AVLTA *est in ijs uerbis calumnia, & sensus deprauatio. Nam uerbum Hostiæ, cum de Sacramento Eucharistiæ prædicatur, non significat, quod est uisibile in Eucharistia, sed corpus Christi inuisibile sub uisibili specie latens: manna uidelicet absconditum, quod uera fuit & est hostia pro peccatis. Sed & nostra Eucharistiæ adoratio ad Christum penetrat: nec potest hærere, quod isti calumniantur, in uisibili creatura. Quare si quis ita forte loquatur, adorari uisibile, propter id quod continetur, quomodò hic citat, sentit idem quod reliqui: Creatori, uidelicet, qui in mysterio adest, deberi adorationem. Sed tamen, quoniam sua specie non existit, dirigitur ipsius adorantis gestus, & externus habitus in illa externa uisibilia, propter id quod continetur in mysterio: non ut in illis uisibilibus hæreat adoratio, sed ut per illorum significationem in diuinam substantiam tendat sub illis præsentem: quæ significatur à uisibilibus in mysterio contineri. Non ergo quod est hostiæ uisibile adoratur: sed quia indicat contentum, rectè dirigit adorationem, ut id, quod adoratione dignum est, adoretur. Atque hæc cum ita sint, inanis est collectio istius de modis continendi. Quin & illud falsum est, quod arguat aut ait, magis realiter Trinitatem in quouis mortalium esse, quàm corpus Christi in Sacramento, aut, ut ille sentit, in uisibili elemento contineri. Et tamen nomen hostiæ excludit, quod est uisibile, ut dixi. Ergo, ut modus sit loquendi, Visibile adorari propter contentum, nunquam tamen uerum est, in uisibile, sed in unum illum, quem uisibilia indicant, adorationem dirigi. Quòd autem affingitur, Trinitatem magis contineri in creatura homine, quàm corpus Christi contineatur sub uisibili elemento, si ueritatem spectes præsentiæ, falsum est: sin modum continentiæ, non est improbandum. Quoniam corpus Christi non unitur, quomodò homo per gratiam unitur deo. Et tamen in homine non est plenitudo diuinitatis, quæ in uno Christo habitat corporaliter. Et ideò uera Christi præsentia in Eucharistia adorationem exigit: cum in nullo alio homine, præterquã in Christo homine deo insit plenitudo. Non quia deus non sit semper in se plenus: sed quoniam homines non sunt eius capaces: quemadmodum Iustinus in expositione fidei eleganter tradidit. Quæ ratio discriminis est, ut deus sub specie panis in Christi corpore præsens, sit plenè præsens, & ideo adorandus: in hominibus autem, quia plenitudo non inest, id est, quia non sunt, ut Christus, deus, non sit in diuinitatem in illis præsentem adoratio dirigenda.*

MARTYR.

VOcabulum illud Hostia, quod in argumento positum est, ut uulgo accipitur, panem illum significat, quo sacrificí in Missis suis uti solent. Inconstan-

tius

tius autem fingit ea uoce significari ipsum corpus Christi, quod latens continea-
tur sub accidentibus. Atqui, quantumuis dissimulet, tamen nescire non potest,
gregem suum uulgò nihil aut sæpius, aut asseuerātius clamare, quàm sub illa ho-
stia, quam sacrificulus attollit, abscondi corpus Christi. Quod si, ut iste ait, cum
dicunt hostiam, intelligant Christi uerum corpus, quomodò sub corpore Christi
potest corpus Christi contineri?

Addit adorationem Eucharistiæ penetrare ad Christum, nec hærere in crea
tura uisibili. Placet mihi quidem ista defensio, sed hac lege, ut eandem ipse à no-
bis accipiat, intelligatq́, pios dum adorant ad Eucharistiam in communicando,
non in panem, aut uinum cultum suum dirigere, sed in uerum Christi corpus,
quod illis elementis significatur, etsi illud ibi realiter, & corporaliter non delite-
scat. Satis enim putamus esse ad excitandam adorationem, ut symbola proposita
de illa nos admoneant. Taceo uerò, quàm sophistícè agat Inconstantius, cum
ut solet, quod probare non potuit, id quasi probatum, & confessum sumit: uide-
licet, corpus domini latere sub accidentibus. Id inquã, in præsentia taceo. Osten
dam autem, quàm rectè in argumento concludatur, Si res ita se habeat, ut iste fin
git, non minus debere creaturas alias adorari, quàm Eucharistiam. Quod ubi à
nobis fuerit explanatum intelliget, nostram collectionem à modis continendi
non fuisse inanem.

Nos contendimus, beatissimam Trinitatem perfectius esse in quauis creatu
ra, quàm iuxta horum hominum sententiam corpus Christi dici possit esse in
accidentibus panis & uini. Id iste negat, si spectemus ueritatem præsentiæ. Nos
autem id ita probamus: Quoniam deus ita natura sua est in quacunq́ re creata,
cum ubiq́ sit, ut illi, quamuis naturam aut formam suam immutet, adesse non
desinat. Suo enim complexu omnia, in quocunq́ statu, aut conditione sint, fouet
& continet. At corpus Christi, quod fingitis esse sub uestris accidentibus, post-
quam illa corrumpuntur, neq́ in eorum loco, aut materia, si qua sit, aut formis
succedentibus, aut qualitatibus, aut accidentibus amplius adest. Quare cum
unio corporis Christi cum pane, aut eius accidentibus non sit maior, imò longè
longeq́ minor, quàm est sanctæ Trinitatis cum alijs creaturis, cur hunc tantum
honorem tribuitis speciebus panis, alias autem omnes creaturas relinquitis in-
honoratas? Quoniam, inquit iste, cæteræ creaturæ non æquè sunt capaces totius
diuinę naturę, ut Christus. Deus, inquit est perfectus, & plenus, & integer, quod
attinet ad ipsius naturam: sed creaturæ illum non capiunt. Respondeat ergo
nobis iste nouus logodædalus, cur panis, aut eius accidentia magis sint capacia
totius corporis Christi, & per Cõcomitantiam totius & plenæ diuinitatis, quàm
aliæ creaturæ totius trinitatis? Vnde nam constat, accidentia ista commentitia
tantum nacta esse priuilegium? Ex scripturis certè id non constat, ut Inconstan-
tius ipse confitetur. Quid ergo supereſt, nisi ut fateatur, esse artolatrarum merum
mendacium?

De Christo cur adoretur, cum alij homines non adorentur, cum sacra Trini
tas, quæ ubiq́ est, in illis esse credatur, libenter causam accipio. Natura enim di-
uina in una hypostasi, aut persona in uno domino, & seruatore nostro, nõ etiam
in alijs hominibus unita est. Sed utatur eadem ratione de pane, aut eius acciden-
tibus: atq́ ita dicamus, Neq́ corpus Christi, neq́ diuinitas in una hypostasi con-
iuncta est cum pane, aut eius accidentibus: ergo Eucharistia non est adoranda:
ne sic quidem, si fateri uelimus, corpus domini ibi esse, ut isti fingũt. Vel si eam
omninò contendãt esse adorandam, adorẽt etiam alias creaturas: nam illæ quoq́
naturam diuinam secum utcunq́ habent coniunctam. Quòd si loqui uolunt de
eadem hypostasi, ea non magis in accidentibus Eucharistiæ, quàm in cæteris re-

Natura diuina rebus omnibus adest, quocunq́ in statu uersentur.

Accidentia non sunt magis capacia Christi, & totius diuinitatis, quã cæteræ creaturæ totius trinitatis.

Quare Christus adoretur, cum alij homines non adorentur.

„ bus creatis inuenitur. Nam quod ait iste, se non adorare uisibilia, sed id, quod
„ per ea significatur, eodem modo tueri posset omnem idololatriam. Nulli enim unquam fuerunt Ethnici tam crassi, qui dicerent, se lapides, aut trũcos per se ipsa adorare: sed quòd illis externis imaginibus significari putarent naturam dei. Interea tamen prostrati, & uenerabundi spectabant suas statuas, ut hodiè Papistæ suum panem. Nos quidem adoramus id, quod elementa uisibilia significant: in ipsa tamen nec mentem, ut Papistæ faciunt, nec adorationem dirigimus. Non enim credimus, corpus domini latere in pane, aut in eius speciebus: nisi forte, ut res significata dici potest latere in signo, aut magna mysteria latere in sermone aut libro: nimirùm, per significationem. Ad hũc modum non negamus, corpus & sanguinem Christi latere in pane & uino. Tamen, ut hoc etiam admoneam, istud argumentum eiusmodi est, ut illud affirmare ausim à nemine unquam nostrum fuisse scriptum.

OBIECTVM XLII.

HOC etiam errore impeditur frequentia Communionis. Multi enim cum persuaserint sibi, Christum realiter esse in Eucharistia, satis id sibi esse putant, si eant ad templa, atq; ibi contemplentur, adorent, inuocent, candelas accendant. At si crederent, ea tantùm sacramenta esse corporis domini, intelligerent, nihil inde ad se commodi peruenturum, nisi communicarent. Atq; hoc esset uerè obsequi instituto Christi.

GARDINERVS.

NON *est error, sed Catholica ueritas, quam explicat Transubstantiatio: quam qui credunt, non illi quidem satis esse putant, si eant saltem ad templa, uideant, adorent, inuocent: sed cum se ipsos probantes, quod Paulus admonuit, ab ipsa sacramentali communione per reuerentiam abstineant, aliquid esse putant, quod faciunt eundo, uidendo, adorando, inuocando, etiamsi id summum non esse sciant. Quod unum sit, satis restare fastigium sciunt sacramentalis communionis, ad quod suspirant. Sed ab hoc argutatore quæsierim, num qui in spiritu & ueritate adorat, & inuocat, contemplans Christum fide, quem credit præsentem, num is inquam, spiritu Christo communicat? Age uerò, si conferẽdæ doctrinæ sunt, uera uidelicet Catholicorum, quæ Christum uerè præsentem in Eucharistia docet, et istorum erronea, quæ excluſa ueritate præsentiæ inducit figuram, hæc erronea figuratorum potius est illa, quæ frequentiam impedit: si quàm sæpè fiat, non quàm benè fiat æstimamus: quæ illorum doctrina erronea ita extenuat uim sacramenti, ut fideles non minus uerborũ organo, quàm signorum usu, corpus Christi accipere, nitantur persuadere: quod ipsum minuat necesse est frequentiam communicandi ore: quãdo maiori utilitate, aut certè pari, nulla cæremonia, quæ istis odiosa est, auribus ualeant communicare. Sed Paulus in hoc mysterio celebrando non tam frequentiam exigit, quàm sumentium dignitatem: quæ cum minus adsit, morbos et mortem pro ultione succedere memorat, deterrens ne ueniant, qui sint indigni non dijudicantes corpus domini: quod proprium est eorum, qui solam in sacramento docent figuram.*

MARTYR.

SOlet interdum Inconstantius authoritatem, & doctrinam Chrysostomi mirabiliter prædicare. Hic tamen, quasi qui eius decreta uelit aliquantulum conuellere ait, multos esse, qui ob reuerentiam abstineant à sacramentali Cõmunione: idq;

ne: idq; addit, Paulum non tantum uelle, sed etiam requirere. At Chrysosto-
mus improbos, & impudentes appellat eos, quicunq; assistant ad mensam domi
ni, & unà cum alijs nolint communicare. Paulus requirit quidem probatio-
nem: sed nusquam, quod quidem ego legerim, abstinentiam. Qui se contulit ad
sacram Communionem, si quid in ipso uestigio sentiat sibi premere conscien- *Probatio sui nõ debet impedire communionem.*
tiam, nónne potest statim ingemiscere, & à domino ueniam errati petere? Vt fle
ctas propitium patrem, modò illi ex animo te subijcias, non est opus ita longo
tempore. Cur hoc non faciunt, qui sese indignos iudicant? Cur nõ ad deum con
fugiunt, & uiua fide peccatorum ueniam postulant, quam ille certissimè promi-
sit, quacunq; hora ingemueris? Hæc Chrysostomi doctrina est. Huius autem
hominis dilationes & excusationes non moratur. Probationem sui cuiusq; tan-
tum abest ut nos repudiemus, ut eam multò seuerius, quàm omnes Inconstan-
tij, exigamus.

Superstitionem uerò suorum ita defendit, quòd illos dicat aliquid esse arbi-
trari, ire ad templa & panaceum illum deum suũ uidere, adorare, inuocare. Scio
miseram uestram plebeculam ijs rebus multum tribuere. Nec mirum. Nõ enim
ex Verbo dei, sed ex uestris Traditionibus, uel potius ex uestris proditionibus
instituuntur. Hoc equidem certò scio, Inconstantium nunquam inuenturum in
omnibus sacris literis, Sacramentum Eucharistię aut uidendum, aut adorãdum,
aut inuocandum esse. Quare si populus uester putet ista aliquid facere ad pie
tatem, esset denicq; dedocendus hunc errorem: quod ne unquam fiat, impostores
uestri impediunt, quantum possunt.

Quod autem quærit, an ille, qui orat in spiritu & ueritate, & uera fide inuo-
cat, & contemplatur Christum, illi spiritu communicet, non est difficile dissolue-
re. Communicat quidem Christo, qui illum adorat in spiritu & ueritate, quicq; il-
lum inuocat, & per fidem contemplatur. Ad ista autẽ Christus Sacramentum
nõ instituit. Nõ enim dixit, Spectate, adorate, inuocate: sed, Accipite, comedite,
bibite. Vos autem uideri potestis inter uos coniurasse, ut omni conatu, omnibus
eius institutis aduersemini. Ad hęc ad istam inuocationem & adorationem in *Ad inuocationẽ et adorationem Christi in spiritu, non est opus reali præsentia.*
spiritu & fide, nihil opus est reali illa uestra præsentia. Imò si quis existimat, car-
nem & sanguinem Christi contineri in speciebus panis & uini, id sibi non ex fi-
de persuadet, sed ex doctrina uestra. Itaque cum uero Christo, cũ de eo tam alie-
na & absurda opinentur, minimè communicant: sed potius cum illo suo Christo
fictitio, quem somniant latitare sub illis uestris mendacissimis accidentibus.

His addo, eum, qui Christo per fidelem contemplationem uerè communi-
cat, cum illi offeratur copia, astringi, ut ex mandato Christi accedat etiam ad sa-
cramenta: quod nisi faciat, reũ fore neglecti instituti dei. Quibus enim obsecro
dicit minister sacræ cœnæ, Accipite, Edite: Accipite, Bibite, nisi fidelibus, qui
astant ad mensam sacram? Hanc inuitationem qui cõtemnit, haud dubiè insolen-
ter fastidit res diuinas. Quis autem ferat, nostram doctrinã ista collatione inui
diosè traduci, ut nos ideò dicamur, homines à communione impedire, quòd Sa-
cramenta extenuemus? Quòd si extenuatio sit uera, simplex, & facilis doctrina,
assentior sanè Inconstantio, Eucharistiam à nobis extenuari: ita tamen, ut omnes
hoc intelligãt, nos simpliciter rem ipsam dicere: nec amplificationibus, aut men
dacibus hyperbolis superare ueritatem. Sed urgeamus sanè collationẽ, quan-
do eo genere Inconstantius delectatur. Vtra ergo sanior est doctrina? Eáne quæ
multa falsò, & Thrasonicè pollicetur: an ea quæ ritus & ceremonias, ut à domi-
no institutæ sunt, ita nudè tradit? Eáne, quæ signa pro rebus uendítat, quod Au- *Augustinus. Peruersissimũ est, signa pro rebus accipere.*
gustinus ait esse peruersissimum & docendi & credendi genus: an ea, quæ
res à signis distinguit, nec cum symbolis significata confundit? Ista dissimulat

Inconſtãtius. Tibi tamen, lector, licebit ea diligenter ponderare. Quod autem poſteà addit, nos ſentire & docere, corpus Chriſti uerborum organo non minus accipi, quàm Sacramento, idq; aut maiori, aut certè pari cum fructu, etiam abſq; ulla ceremonia, quam nobis calumniatur, ualdè, ſcilicet, eſſe odioſam, ſic reſpondeo: Primùm, præceptum domini extare non minus de una perceptione, quàm de altera. Non minus enim ad mandatum pertinent Verba domini in ſexto capite Iohannis, quàm ceremonia illa, quam inſtituit in ultima cœna. Quare ſi obſeruatio mandatorũ dei non caret fructu, ut ait Inconſtantius, cur clamat, imminui à nobis uſum communionis, ſi ſtatuimus non tantùm Sacramentis, uerum etiam uerbis diuinarum promiſſionum excitari fidem noſtram ad corpus & ſanguinem Chriſti, hoc eſt, ad pretia redemptionis noſtræ percipienda? Duplex ſta uia, qua Chriſtus poſſit percipi, non eſt noſtrum inuentum, ſed domini. Tantum autem uno modo accipi, quantum altero, non poteſt piè dubitari. Eadem enim utrobique interponitur promiſſio. Non tamen idcircò dicimus, Chriſtum fruſtrà quicquam inſtituiſſe. Habemus enim quoſdam fructus ex ſacra cœna, quos ex priuata illa Communione interdum non æquè plenè percipimus.

Duplex eſt uia percipiendi corpus Chriſti, & per ſacramentũ & citra ſacramentum.

Perceptio Chriſti per ſacramentũ, non fruſtra eſt inſtituta

Sed quid multis? Auctúsne, an imminutus doctrina noſtra ſit uſus ſacræ communionis, quid euidentius docere poteſt, quàm experientia? Si decem accedunt ad communionem in Eccleſijs Papiſticis, ſi tamen ea appellanda eſt

» communio, in noſtris accedunt mille. Sed ſancta, inquit Inconſtantius, cœna

» magis ſpectanda eſt, quàm numeroſa: neque uidendum, quàm id ſæpè, ſed

» quàm bene fiat. Quis tu, quæſo, es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo aut ſtat, aut cadit. Quis tibi oſtendit, homines Chriſtianos indignè communicare? An uerò ueſter grex meliori conſcientia & fide integriore communicat? Cur ſacrificulorum tuorum, qui quotidiè miſſificant, uitam & dignitatem non examinas? Quo autem ore dicere potes, Paulum frequentiam non requirere? An non ille iubet, ut Chriſtiani ad celebrandum ſacrum myſterium ſeſe mutuò expectent, ut unà omnes communicent, néue quiſquam propter diuerſam conditionem alium faſtidiat? Omnes, inquit, de uno calice bibimus, & de uno pane participamus. Cur, obſecro te, cœna, cur communio, cur Græca uoce σύναξις appellatur? Sed Inconſtantius, ictum, quo ſe ipſum ſenſit premi, uoluit in nos retorquere.

Paulus requirit frequentiã communicantium.

OBIECTVM XLIII.

SI corpus Chriſti ſit realiter in Euchariſtia, neceſſe eſt, ut à nobis uel animo uel corpore percipiatur. Animo non percipitur: nihil enim corporale in eum ingreditur. Si dicent corpore, quærimus, in quem finem. Si dicent, ut homo ſanctificetur, id erit agere præpoſterè. Nam ſanctificatio ab animo incipit, non à corpore. Et Euchariſtia ſpiritualis cibus eſt, ad id inſtitutus, ut paſcat mentem non uentrem.

GARDINERVS.

QVANTA eſt *Sophiſtica, à ueritate rei præſentis ad modum præſentiæ deflexis uocabulis? Illud eſt certum, ſic dari Chriſtum in Sacramento, ut totum ſanctificet hominem, pignore dato immortalitatis & gloriæ integri hominis olim futuræ.*

MAR.

MARTYR.

ARgumentum quod diluere non potest, clamat esse sophisticum: & cauillatur nos argumentari à ueritate rei præsentis, ad modum præsentiæ. Nihil minus Inconstanti. Nam de modo præsentiæ uos non patimini, ut simus solliciti. Affirmatis enim carnem domini adesse realiter, & corporaliter. Quomodò autem corpus & sanguis in animum ingrediatur, id quærimus, id cupimus nobis aliquando ad ueritatem responderi. Quæ tandem ista est penetratio? An ita prorsus spiritus & corpora, & omnia deniq; sursum deorsum miscere, ac turbare uultis, ut uestrum commentum tueamini?

Papistæ modũ præsentiæ corporis Christi definiunt.

Inuenit tamen sibi rimam aliquam Inconstantius. Ait enim corpus domini „ dari, ut totus homo sanctificetur. Id nos quoq; & docemus, & asserimus. Sed si „ ueram, & synceram doctrinam sequi uolumus, sanctificatio à mente proficiscitur, quæ corpus Christi pro nobis in cruce traditum fide cõplectitur. Illud enim, salua rerum natura, corporaliter non potest recipere. Postquã autem ea tam sanctum & diuinum donum fide percepit, ita sanctificatur dei spiritu, ut non solùm ad cæteras animi partes, uerùm etiam ad corpus, & omnia membra sanctitatem suam transmittat. Symbola uerò externa, cum corporis ore percipiuntur, una cum uerbis domini intelligentiam Communicantium incitant ad spiritualem Communionem, quæ accipitur fide. Isti uerò cum statuant, corpus Christi realiter, & corporaliter comedi, necessariò coguntur dicere illud non in animum, sed in corpus ingredi. Quare ex istorum sententia nos rectè colligimus, carnem nostram in Communione prius sanctificari, quàm animum: imò sanctificationẽ illam ad mentem nostram non nisi per aliquam redundantiam peruenire.

Sanctificatio à mente incipit.

Sãctitas à mente ad corpus trasmittitur.

Recipitur, inquit iste, corpus Christi & corporis nostri & animi officio. At „ qui, uti ostendimus, animi officio realiter & corporaliter recipi non potest. In eũ enim fide tantùm admittitur, qua uerè credimus, Christum pro nobis carnem & sanguinem suum impendisse. Sed sequamur certè rationem Inconstantij. Fingit enim rei corporeæ spiritualem quandam præsentiam, quæ tamen & realis sit, „ & corporalis. Vide, quæso, pie lector, in quæ monstra isti incidant, & in quos laqueos sese induant. Ergo corpus nostrum plus in communicando habebit sanctitatis, quàm anima. Corpus enim & corporali fruetur præsentia domini, & spirituali: cum anima spiritualem tantùm præsentiam possit capere. Posteà ubi se uidet impeditum, & cauillis penè destitui, Non ita, inquit, loquitur Catholicus: „ nimirùm, ut dicat corpus Christi in animum ingredi. Si Papista ita non loquitur, missis dicẽdi formis, uideamus de sensu: num fateri uelit, corpus Christi realiter & corporaliter in animũ ingredi. Respondere uidetur, illud spirituali quodam modo adesse animo. Verùm, ut corpus Christi fide, ac spiritualiter percipiatur ab animo, nihil opus est, ut realiter & corporaliter in os admittatur corporis, panis accidentibus occultatum.

Addit posteà, Et ut adest spirituali modo, & diuino in mysterio, ita modo „ suo intrat spirituali, id est, diuino, si dignè recipiatur non præposterè, sed rectà, „ quibus nouit uijs dominus, totum, quantus quantus est, hominẽ ad maiorem in „ spiritu & corpore uigorem alit, tum mente tum corpore modo suo. Inconstantius cum ista dicit, orationem suam coloribus istis tantùm fucat. Ita enim quærit „ eludere argumentum nostrum, ut ea, quæ quæsita fuerant, non explicet. An corpus in animum ingrediatur: An corporalis præsentia faciat ad animi spiritualem perceptionem: An corpus nostrum prius in Communione sanctificetur, quàm animus: An animus in cõmunicando sanctitatem accipiat à corpore, magnum silentium. Videtur super aristas incedere; nil solidè, & apertè uelle dicere. Sed

fortasse posteà sese colliget, et aliquid tandem adferet, in quo possimus acquiesce re. Audiamus ergo.

Tertullianus. „ Cæterùm, inquit, utrum anima per carnem, quod hic argutator negat, sancti „ ficationem assequatur, ex uerbis Tertulliani æstimetur: qui ait, Caro corpore & „ sanguine Christi uescitur, ut anima de deo saginetur. Tertulliani testimonio se putat nos posse obruere. Sed interea quæstionis propositæ statum commutauit. Non enim id erat in controuersia, utrũ per sensus corporis, & ritus, qui corpore geruntur, occasiones offerantur animo, ut ad fidei exercitia incitetur, per quæ nanciscatur à deo sanctificationẽ. Certò enim scimus instrumenta, quibus deus utitur, qualia sunt uerba, & sacramenta, per corpus ad animum peruenire. Sed id quærebatur, sanctitas in animone prius, an in corpore ponenda sit: In corpore autem prius collocare, etsi est absurdum, tamen id ostẽdimus ex Inconstantij sententia necessariò consequi. Nam si statuitis, corpus Christi realiter, quamuis uos fingitis, spirituali modo in corpus nostrum ingredi, necesse est, corpus nostrum duplici eius frui præsentia, corporali uidelicet, & spirituali: cum animus uix frui possit spirituali. Deinde quia, quemadmodum corpus Christi ingrediatur corporaliter in animum, neq; docere potestis, neq; affirmare audetis, ea in dubium reuocauimus, & ex uestra inepta atq; absurda opinione concluſimus. Verum tem propter uerba illa Tertulliani cogamur concedere, corpus aut prius, aut magis sanctificari perceptione sacramẽtorum, quàm animum, causa nulla est. Nam quod ille dicit, corpus abluí, ut anima emaculetur, nos quoq; dicimus, carnis ablutionem eò esse referendam, ut animus fide accendatur, & ex ea maiorem purgationem à uitijs consequatur, & cœlestium donorum copiam largiorem. Quæ omnia cum in animo prius hæserint, posteà redundant in corpus, ut illud quoq; sanctum fiat. Quodq; addit, Caro corpore & sanguine domini uescitur, ut anima de deo saginetur, more scripturarum, & ueteris Ecclesiæ externa sacramenta appellat carnem & sanguinem Christi. Sacramenta autem carne, id est, corporis ore sumuntur, ut animus fide intus apprehẽdat Christum, & pinguedine spiritus eius opulenter alatur.

Non tamen hoc affirmat Tertullianus, corpora communicantium aut prius, aut magis sanctificari, quàm animum: sed inde organa & instrumenta peruenire ad nos, quibus animus ad credendum excitetur: nimirùm, ut credendo salutem, & sanctitatem & pro se ipso, & pro corpore consequatur. Iubet nos Inconstantius Tertulliano credere. Sed cur ipse illũ non audit, cum aduersus Marcionem libro primo ita scribat: Hoc est corpus meũ: id est, figura corporis mei. Ad ista autem utranq; occludit: illa uerò, quæ aliqua saltem specie putat pro se facere, diligenter inculcat. Quæ tamen ipsa satis iam docuimus nostram sententiã nulla ex parte labefactare.

Neq; moueri debes lector, quòd Tertullianus eo loco carnem appellet salutis cardinem. Non enim illis uerbis contendit, carnem aut prius, aut magis sanctificari, quàm animum. Sed per carnem ait, instrumenta sacramentorum prius nobis applicari, quibus animus ad sanctificationem adipiscendam adiuuatur. Neq; id dissimulandum censeo, carnẽ à Tertulliano magis, quàm ab aliis patribus commẽdari. Is enim existimauit, animos humanos ex traduce, hoc est per semen carnis propagari. Nec tacenda illa uerba sunt, quibus ait, animam in Communione de deo saginari. Id autem non aliud est, quàm diuinis & coelestibus donis repleri, dum corpus & sanguinem domini, quæ pro nostra salute data sunt, fide complectitur. Atqui nullam hic mentionẽ facit de corpore Christi realiter & corporaliter in animos communicantium ingrediente.

Tertullianus ex traduce posuit animas produci.

OB-

OBIECTVM XLIIII.

SI corpus Christi realiter & corporaliter præsens adsit in Eucharistia, Papistarum sacrificium desinet. Nam Paulus ait, Mortem domini annuntiabitis donec ueniat. Quare, si annuntiatio mortis domini, est illorum sacrificium, & Christus iam uenit, est enim, ut illi uolunt, corporaliter in Sacramento, desinet illorum sacrificium. Non enim amplius erit annuntiatio mortis domini.

GARDINERVS.

ANNVNTIATVR *mors domini, donec ueniat, cũ maiestate iudicaturus mundum, in Sacramento uerò adest & sanctificaturus suos. Ad iudicium ueniet uisibilis: nam, Quemadmodum uidistis ascendentem, ita ueniet, inquit Lucas.*

MARTYR.

CONsecratores laganorum & placentarum tantùm turbantur hoc argumento, ut Christũ, quem uolunt realiter præsentem esse in Eucharistia, insicientur eò uenire: tantùm ibi esse uociferentur. Sed hoc mihi primùm respondeant, num ante Consecrationẽ adfuerit? Negant. At, si prius non adfuit, posteà autem adest, certè aut uenit, aut gignitur, aut creatur. Nihil autem horum possunt dicere, quin statim teneantur medij. Si uenit, desinant mortem domini amplius annuntiare: si gignitur, aut creatur, necesse est, ut fateantur infinitas generationes, aut creationes corporis Christi esse quotidiè in terris. Inconstãtius uerò, cum uideret se incidisse in angustias, cõsultissimum esse iudicauit, ut diceret, hoc mysterium nullis uerbis esse explicabile. Sed si ita res habet, cur ita confidenter definis, corpus Christi adesse realiter & corporaliter? Cur audes dicere, illud simul sedere in cœlo ad dextrã dei, & tamẽ adesse sine maiestate & inuisibile? An non ista pertinent ad hoc mysterium? Cum ergo tu mysterium istud ijs uerbis explicas, quomodò illud ais esse inexplicabile? Sed tantus artifex est Inconstantius, ut possit inexplicabilia explicare.

Si res nõ potest explicari, cur Papistæ desinunt?

Verùm dic sodes: Quis ista tibi spiritus afflauit? Quis te docuit, corpus Christi adesse inuisibile? Quis tibi indicauit, illud sub accidentib. carere maiestate? Si uideri, & cerni non potest, quî scis illud maiestatem aut habere, aut non habere? Quis reuelauit, illud sanctissimum corpus simul & adesse in Eucharistia, & assidere in cœlis ad dextrã patris? Cum ista haurire non potueris è sacris literis, quid supereſt, nisi ut ea finxeris de tuo capite? Nunc autem tandem uideor mihi intelligere, quid tibi uolueris, cum diceres, hoc mysterium nullis uerbis esse explicabile. Hoc uidelicet dicere uolebas, illud nullis uerbis diuinis, aut è sacra scriptura petitis posse explicari. Nihil enim ibi inueniri potest, quo ista deliria & portenta confirmes. Ex humanis tamen somnijs non desperabas, id aliquo modo posse explicari. Sed ista etsi in Papatu, hoc est, in medijs tenebris, & inscitia, sint satis uendibilia, tamen apud eos, qui de diuinis dogmatis non audiunt nisi diuina oracula, locum non habent.

Verùm audiamus alia. Atque hæc, ut huius ostendam ineptiam, qui de uerbo Venit, argutatur, Cæterum catholici dicunt, Nisi corpus Christi præsens in Sacramento esset, Ecclesiæ sacrificium, tanquam substantia sua defectum uerè,

,, ceſſaret. Nam hoc demum eſt ſacrificium incruentum & munda oblatio, de qua
,, Malachias prædixit iugiter in Eccleſia offerenda. Fingit nos argutari de uerbo
Venit: cū nos ſolida & firma quæramus: nō ἀσύστατα, qualia ſunt, quæ iſti afferūt.
Vter uerò noſtrum in diſputando ineptus uideatur, nihil dico. Prudens lector
,, facilè iudicabit. Quòd autem ait, ſuos Cacolycos affirmare, niſi corpus Chri-
,, ſti eſſet præſens in Sacramento, ſacrificium Eccleſiæ nullum fore, cum ſua, ut ait,
,, ſubſtantia deſtituatur, his uerbis ſatagit ex noſtra ſententia abſurdum confice-
re, uidelicet, Eccleſiam carere ſacrificio. Sed quomodò poteſt Eccleſia deſtitui

Eccleſia nō deſtituitur iuſto ſacrificio.

ſacrificio, cum Chriſtum ueram & unicam uictimam perpetuò colat, eumq; ut
ille inſtituit, commemoret? Nam ego tria tantùm uideo genera ſacrificiorum.
De pijs enim & deo gratis tantùm loquor. Primùm fuerunt uictimæ ueterum

Tria genera ſacrificiorum.

patrum. Deinde Chriſti ſanctiſſima oblatio in cruce, quæ ueterum umbris &
cramentis finem impoſuit. Sunt ad hæc oblationes precum, gratiarum actionis,
contriti cordis, eleemoſynarum & ueteris hominis perpetuæ mortificationis.
Hæc ſacrificiorum genera oſtendi poſſunt ex ſacris literis. Atque hoc tertiū ge-
nus & reliquum eſſe in Eccleſia, & mundum atq; incruentū eſſe fateor. Quod
ergo Inconſtantius cauillatur, Eccleſiam ſacrificium non habiturum, ſi corpus
Chriſti realiter non adſit in Euchariſtia, uanum & nugatorium eſt. Nónne enim
ſacrificium eſt, cum percipimus Euchariſtiam, agere gratias de Chriſto noſtra
cauſa in crucem tradito? Ibiq; cum preces, eleemoſynas, nos ipſos in obſequium
tradimus, nónne perfectè ac ſpiritualiter ſacrificamus? Quod aliud genus ſacrifi-
cij quærit hoc tempore Inconſtantius? Nec tantùm aliud, ſed etiam ab omnibus
diuinis literis alienum? Non enim putat eſſe ſacrificium, niſi ſubſtantia ipſa cor-
poris Chriſti deo noſtro per ſacrificum offeratur. Ea uerò forma oblationis quia
confirmari non poteſt uerbo dei, nec ad legitima ſacrificiorum genera, quæ iam
commemorauimus, pertinet, idcircò à pijs omnibus iure ac meritò repudiatur.
Sciat ergo Inconſtantius noſtras Eccleſias nunquam eam recepturas, niſi certo
aliquo ſcripturæ loco confirmetur.

Nam oraculum illud Malachiæ de oblatione munda per orbem uniuerſum
offerenda, noſtræ ueriſſimæ ſententiæ, non Papiſtarū leuiſſimæ opinioni pātro-

Hieronymus.

cinatur. Nec Hieronymus cum illum locū interpretaretur, huius realis ueſtrę
præſentiæ corporis Chriſti per ſacrificum offerendi mentionem ullam fecit, ſed
precū: quas Chriſtiani deo uero non in Iudæa tantùm, ſed per uniuerſum orbem

Tertullianus.

offerunt. Tertullianus etiam antiquiſſimus ſcriptor aduerſus Iudæos ita ſcri-
,, bit exponens hunc locum: Sic itaq; ſacrificia ſpiritualia laudis deſignātur, & con-
,, contribulatum acceptabile ſacrificium deo demonſtratur. Et addit, Sacrificium
,, non accipiam de manibus ueſtris: quoniam ab oriente ſole uſq; ad occidentē no-
,, men meum clarificatū eſt in omnibus gentibus: dicit dominus. De ſpiritualibus
,, uerò ſacrificijs addit, dicens: Et in omni loco ſacrificia munda offerentur nomi-
,, ni meo: dicit dominus. Non ergo ita abſurdum eſt, ut putat Inconſtantius, de-
eſſe nunc Eccleſiæ ſacrificium, quo offerat ſubſtantiam corporis Chriſti. Neque
enim patres, ut oſtendimus, ſenſerunt Chriſtum aliter nunc offerri in Eccleſia,
quàm ut de illo ſemel oblato in cruce perpetuò agantur gratiæ: quemadmodum
Chryſoſtomus luculenter docuit in epiſtolam ad Hebræos.

OBIECTVM XLV.

MISSA caret Verbo dei: imò etiā illud inhonorat, et Chriſti inſtitutionem deſtruit. Quare non eſt credibile, corpus Chriſti in ea adeſſe, uidelicet, ut tractetur, & oſtendatur.

GAR.

GARDINERVS.

QVATENVS *Missæ uocabulo sacrosanctæ Cœnæ celebratio intelligitur, quomodo dici potest, destitui uerbo dei?*

MARTYR.

LIberamus te hac molestia Inconstanti, ut quæras, an in diuinis literis uox ista Missa, inueniatur. Non enim de uocula aliqua, ut tu soles, sed de re ipsa mouemus controuersiam. Esto, dixerint ueteres Latini Missam, quòd cum ad Cœnam ipsam ueniendum esset, Catechumeni & alij, qui ad eam non erant admittendi, soliti fuerint missi fieri. Ista de re nos nihil rixamur. Nec id improbamus, quòd ad sacram Communionem, Paulo & alijs fortasse Apostolis monitoribus, preces, postulationes, intercessiones, & gratiarum actiones adiectæ fuerint. Id enim constitutum, & confirmatum est diuinis literis. Hæc Inconstantius sola commemorat: quasi satis constet, Missam rem planè innocentissimam esse, & sanctissimam: nisi illorum fortè aliquid uelimus reprehendere. *Vnde uocabulũ Missæ.*

Sed cur hoc tacet, Papistas solere iactare, Missam suam esse sacrificium, in quo filius dei Iesus Christus patri suo à misero sacrificulo offeratur? Cur dissimulat, uelle se illud sacrificium propitiatorium esse pro uiuis, & mortuis? Cur uerba domini, præsertim plenissima consolationis, & promissionẽ æternæ uitæ continentia, secum tacitè mussitant? Cur loquuntur lingua aliena? Cur unus tantùm communicat? Cur alijs astantibus non sumenda proponuntur mysteria, sed spectanda? Hæc omnia Inconstantius, quia negare non potest impura, & flagitiosa esse, tacere maluit. Defendit autem Missam suam eo nomine, quòd mandato & iussu Pauli preces adiunctę fuerint ad sacram Cœnam. Nec tamen uidet, quàm impudenter mentiatur, cum in Missa Papistica dicat esse Cœnam domini. Quæ enim, obsecro, potest ibi esse Cœna, ubi unus tantùm comedat, unus tantùm bibat? Ex his satis iam liquere arbitror, argumentum nostrum satis firmum esse, nec esse, ut iste calumniatur, maledictum. Nam etsi alia utcunq; conuenirent, tamen quis putaret, uerum Christi corpus esse in Missa, cum ea, ut nunc à Papistis agitatur, nihil aliud sit, quàm ritus execrabilis, & peruersissima corruptela instituti domini? *Missæ abusus.* *In Missa Papistica nõ est Cœna domini.*

OBIECTVM XLVI.

VETERES in celebratione Cœnæ soliti sunt dicere, Sursum corda, uolentes hominum animos in cœlum ferri, non autem affixos manere elementis externis. Ergo apparet, illos nunquam cogitasse de reali præsentia corporis Christi, ad quod animi erant deorsum potius conuertendi.

GARDINERVS.

HOC *argumentum diuinatione constat: in quo fictio conuenienter parit fictionem. Nam de significatione horum uerborum, Sursum corda, non esse probabile, quod hic dicit, ex circunstantijs facilè erit animaduertere.*

MARTYR.

DE consilio Ecclesię, cur moneat suos, ut in mysterijs sursum habeant corda, Inconstantius ait nos tantùm diuinare, & id conijcere quod uelimus. At-

qui ego primùm de ui argumenti dicam: posteà de occasione illorum uerborum, Sursum corda, respondebo. Rationem sic explico: Si Christus totus, non solùm quod ad humanam eius naturam attinet, sed etiam quod ad diuinam, tempore Cœnæ deorsum est in terris, nimirũ, ut uos statuitis, in pane, quorsum uocamur sursum, cum facilius deorsum inuenire possimus, quod quærimus? Cæterum in terris mente non esse agendum quando communicamus, Chrysostomus docet, cum dicat, ut suprà citauimus, Communicantes cum sunt ad mensam domini, oportere subuolare in cœlum usq; instar aquilarum. Non ergo ex augurijs, & diuinationibus hoc argumentum cõmenti sumus, ut diuinat, & auguratur Inconstantius. Ipse potius somniat, cum fingat, ideo sursum auocari animos astãtium, „ ut curis terrenis soluti, & expediti gratias agant. Nam inter hæc uerba inquit, & „ Consecrationem gratiarum actiones interponuntur. Itaq; illam admonitionem „ nihil ad Eucharistiam pertinere.

Primùm, ut opinor, hoc non negabit, in illa sua Missa anteà etiam gratias agi, quàm ad illum locum perueniatur. Quid enim hymnus ille, Gloria in excelsis, aliud continet, quàm laudes dei, & gratiarum actionem? Ante illum ergo hymnum dicere oportuit, Sursum corda, si sequi uolumus fictionem Inconstantij. Imò etiam peracta Communione gratiæ agũtur deo, quòd cœlesti pane, potuq; filios suos refecerit. Cur ergo non ibi quoque canitur, Sursum corda? Sed, ut agam cũ eo liberaliter, sit sanè ita ut fingit, illis uerbis admoneri homines de gratiarum actione. Nónne in uestra consecratione, & in perceptione sacramentorum est solennis quædam gratiarum actio de nostra redemptione? Nega id, si potes. Quare ergo, si, ut statuitis, corpus & sanguis domini realiter est in pane & uino, sursum uocatis corda astantium? Christo enim gratiæ agendæ sunt, quem uos contenditis ibi esse corporaliter. Sinite ergo hominum corda, atq; animos deorsum agere, si eo ipso tempore Christus, cui gratiæ agendæ sunt, deorsum agat. Quòd si hæc ad illos tantum pertinent, qui animo ad res mũdanas distrahuntur, cur tota Ecclesia respondet, Habemus ad dominum? Fieri enim potest, ut multi ex astantibus adhuc huiusmodi cogitationibus indulgeant. Deinde diu anteà oportuit ministrum ea de re populum admonere, cum haberentur preces, cum Epistola, cum Euangelium, cum symbolum legeretur. Ad ista singula nõ minus, quàm ad gratiarum actionem, oportuit animum habere attentissimũ.

Longè uerò ibi aliud agitur, quàm quod fingit Inconstantius. Nam uetus Ecclesia credidit, omnino spiritualem esse totam hanc actionem Cœnæ dominicæ. Ideoq; ne animi communicantium plus, quàm par esset, hærerent in symbolis, eos sursum auocabat, ut uero Christi corpore, non in placentula recondito, sed dato in crucem, & iam assidente ad patris dextram fruerentur. Atq; ita Ecclesia cum respondet, Habemus ad dominum, nõ significat abstractionem animorum à rebus temporarijs, sed profitetur quodammodò illis uerbis, Omnes Christianos ita credere, uniuersum illud mysterium ad cor, ad animum, ad fidem pertinere.

„ Sed pergit Inconstantius. Tum illud, inquit, uide: Tradunt isti, symbola esse „ uerba uisibilia: quæ quodammodò concionentur. Et interea uolunt, astantes cauere à symbolis, ut ne auscultent ea, sed negligãt, ut à domino aliena, cum tamen „ spiritualem domini manducationem, & mortem annuntient. Si symbola, inquit, ista sunt, ut uos creditis, uerba uisibilia, & concionantur nobis de nostra redemptione, quomodò illis non attenditis? cur illa non spectatis? Si ea negligimus, fructum, quem uos illis affingitis, non habemus. Pingues Inconstanti, oportet tibi esse aures, cum nostra uerba ita dextrè accipias. Nos enim non negamus, elementa esse uerba quædam uisibilia; quemadmodũ Augustinus mysteriorum naturam

Augustinus.

naturam piè & doctè describit. Imò concionem istorũ symbolorũ & dulcissimas promissiones, quas habent secum coniunctas, libenter audimus. Neq; ita homines ab eis auellimus, quasi illa nec tractare nec gustare debeãt. Quomodo enim alioqui obedire possemus domino dicenti, Accipite, Manducate: Accipite, Bibite? Sed ab eo auocamus animos piorum, ne Christum quasi in illis latitantem quærant: ut à uestris anthropophagis & artolatris caueant: utq; ab horrenda idolatria sibi temperent. Hoc inculcamus, hoc monemus, hoc docemus pias mentes, ut corpus Christi, quod Verbo dei, & Sacramentis prædicatur, in cœlo quærant, non autem super terram: utq; adorationem suam non ad panem & uinũ referant, sed ad dextrã patris, ad quam scripturæ certissimè docẽt Christũ assidere.

Quatenus attẽdenda symbola sint, & quatenus relinquenda.

Noster autem, ne eum parùm putes Sophistam esse, ea quæ à nobis dicuntur de corpore & sanguine Christi, simpliciter ad Christum ipsum per se transfert: & iactat, nos docere, Christum non dignari interesse nostris conuentibus, neq; quicquam habere commercij cum externis symbolis. Impudens uerò mendacium, Inconstãti, & diabolicam Sophisticen. Quis enim nostrum unquã docuit, patrem, filium & spiritum sanctum nostris cœtibus non adesse? Quis unquã nostrum dixit tibi, Christum nihil habere commercij cum suis symbolis? An quia caro & sanguis Christi illis, quasi quibusdam inuolucris, non teguntur, ideò statim ea ad Christum nihil pertinent? Cur non etiã dicis, aquam Baptismi, quòd in Christum non transubstantietur, nec eius sanguinem in se recõditum realiter contineat, nihil ad illum pertinere? Non istæ rationes sunt, mihi crede, sed calumniæ. Hoc scilicet ingenium erat Pseudoantonij, argumenta nostra, quæ diluere non posset, mendacijs suis conspergere: ut ueritatem, quam ipse semper odisset à puero, alijs quoq; efficeret odiosam. Sed lusisti operam. Quis enim sapiens homini uafro & mendaci fidem habeat?

Sed pergit. Si ea erat de Eucharistia illis temporibus doctrina, quam isti uolunt, ut symbola in suis naturis manentia nihil aliud essent, quàm signa & figuræ rei absentis, si tam negligenter tractarentur, ut passim darentur pueris in manus, ligneis & uitreis uasis exhiberentur, nihil denique adorationis solitum esset adhiberi, quid opus tam sollicita cautione, ne mentes haberẽt fixas symbolis: quod aliter accidere non posset, nisi quatenus animum in patinis dicerentur habere, ubi intelligerent, nihil appositum, præter panem & potum? Sæculo illo incorrupto symbola credebantur retinere pristinam suam substantiam: Transubstantiatio aũt, quod uos portentum de uestro finxistis, fuit adhuc inaudita. Quanta uerò cum simplicitate tractari solita fuerit Dominica cœna, satis ea docent, quæ narrat Cyprianus, quæ Hieronymus de Exuperio Tholosano, quæ Eusebius, quæq; Ambrosius de Satyro fratre. Σαρκασμὸς ergo iste Inconstantij de Sacramento pueris in manum tradito, in ligneis, uitreisq; uasis, in cistis, in orarijs, in thecis absq; ulla adoratione circũgestato, potuisset melius in aliud tempus reseruari. Non enim nostrum quenquam pulsat, quasi nos ista confinxerimus, sed sanctissimos potius illos patres, quos iste tanto studio ad suas partes conatur traducere. Ab illis enim nos ista didicimus: quod ne ipse quidẽ potest dissimulare.

Magna simplicitate tractabatur antiquitus Eucharistia.
Cyprianus.
Hieronymus.
Eusebius.
Ambrosius.

Quid, inquit, tanti periculi imminebat? Cur tam diligenter auocandi erãt homines, ut sursum spectarent? An enim illi in nudis figuris & frigidis symbolis inhæsissent? Nam si de pane & potu cogitassent, animum habuissent in patinis. Itaq; concludit, hoc argumento maximè oppugnari sententiam nostram. Si ego uelim toties ostendere, elementa Sacramentorum non appellari à nobis meras, & inanes figuras, quoties iste id iniquissima calumnia nobis obtrudit, nimium importunus, ut ipse est, et lectori molestus essem. Verũ ille sua impudentia nunquam eò me adducet, ut uelim rem eandem millies repetere. Si memineris,

Lector, eorum quæ nos suprà fusè diximus, facile intelliges, quàm in procliui sit Inconstantio mentiri. Quàm autem egregiè cum suis istis conclusiunculis ineptiat, sic accipe. Facito, dicis causa, symbola Eucharistiæ mera esse signa. Nihilo tamen minus admonendi essent homines, ut se altius & sublimius attollerent. Nam etiam cum Verba dei recitãtur, quæ auribus nostris haurienda sunt, & animis ac mentibus excutienda, prudenter admoneri solemus à concionatoribus ut mentem altius attollamus, nec sono, aut compositioni uerborum attendamus, sed ad significata, hoc est, ad magnifica consilia atq; opera dei nostras cogitationes referamus. Structura enim orationis humilis sæpè & abiecta est: cum significata sint eximia & illustria. Nam Paulus ait, Se sermone quidem imperitum esse, sed non scientia. Eat nunc Inconstantius & clamet, Si oratio sacrarum scripturarum humilis est & penè barbara, quid periculi esse potest, ne in illis immoremur & nos ipsos diutius, quàm par sit, oblectemus? Quid patres nos ab oratione ad significata reuocant? Si hoc patribus obijceres, illi cum te uiderent, non simplicitate labi, sed malitia uinci & odio ueritatis tantùm non rumpi, Apage, dicerent, ueteratorias istas argutias. Nónne enim monere debemus homines, ne phrasi scripturarum offendantur, quæ quamuis humanæ prudentiæ rudis & abiecta uideatur, aptissima tamen & compositissima sit iudicio spiritus sancti? Non iubemus, ne quis Verba dei audiat: imò hortamur, ut assiduè legãt & commendent etiam memoriæ: sed ad res ipsas, adq; significata in primis hominũ animos extimulamus, eosq; ad sensa spiritualia & cœlestia mente, spiritu, fide comprehendenda rapimus. Hęc atq; alia similia sancti patres Inconstantio responderent. Quare idem nunc à nobis quoq; responsum arbitretur. Nã, quod ipse uidet et obijcit, Symbola sacramentorũ dicimus esse uerba uisibilia cũ Augustino.

Mirum autem est, quomodò iste putet, non posse aliter fieri: homines enim sua sponte, neglectis figuris, sine admonitore, uelle ad significata contendere. Quotidiè enim uidemus cõtrà accidere. Innumeri enim sunt, qui pro rebus ipsis umbras uanissimas consectentur. Neq; alia magis causa hodie Iudęi accusantur, quàm quòd diligenter obseruatis figuris, à rebus ipsis & significatis excciderint. Quemadmodum maiores eorum æneo serpenti, quem satis sciebant, nihil esse aliud, quàm imaginem conflatam ex ære, tantum tamen detulerunt, ut eum colere & suffitum ei facere non dubitarent. Ex hoc errore fœdissima illa uestra nata est artolatria. Vos enim, uos inquam, ita suspexistis elementa huius mundi, ut ex illis feceritis res ipsas. Nam circa panem & uinum in Cœna domini, circa aquam in Baptismo quid non commenti estis? Hoc Inconstanti, hoc uetus illa Ecclesia timuit, ne accideret, & cauere uoluit. Atque utinam eam uos monentem audiuissetis. Sed quoniam, ut cætera omnia, ita illam quoq; contemnitis, dabitis, mihi credite, aliquando pœnas.

Iam audiamus conclusionem. Eam, inquit, admonitionem locũ habere posse in Ecclesia, si fideles moneantur, ut à terrena symbolorum natura ad cœlestem substantiam, quæ desursum est, præsentem, fidei oculos intendant. Sed ante consecrationem, inquit, adhibita fuerit intempestiua. Quæ mihi tu narras symbola, à quibus Ecclesia uestra moneat suos, ut attentionem fidei transferant ad cœlestem substantiam? Nulla enim uultis terrena symbola amplius uobis superesse. Nam elementa illa panis & uini docetis trãsubstantiari in corpus & sanguinem domini. Quæ igitur supersunt elementa, à quibus uos ad cœlestem substantiam conferatis? Accidentia fortè dices. At ea uix terrena credi possunt, cum sint, ut traditis, in aëre pendula citra omne subiecti fulcrum: ideoq; res potius cœlestes & spirituales uideri possint, si modo cedendum sit mendacijs.

Deinde si præsens adest illa diuina substantia sub panis & uini accidentibus, ea iam

ea iam non ſurſum, ſed deorſum quærenda eſt. Hoccine eſt corda hominum ab elementis mundi auocare ſurſum? Imò multò potius uidemini uelle ueſtris incantationibus Chriſtum deorſum de cœlo deuocare.

Ita uerò Inconſtantius placet ſibi de illa exceptione temporis, ut denuò etiam repetat, illam admonitionem, ſi ad Euchariſtiam referenda ſit, intempeſtiuè commemorari. Ita ſcilicet, iſti in ſua Miſſa religioſè obſeruant temporis rationem. Atqui eam ſi quis diligenter excutiat, inueniet undiq; perturbatam. Sed quoniam iam antè, cur iſta admonitio tempeſtiua ſit, & ſuo loco poſita, ſatis copioſè diximus, nihil cauſæ eſt, cur ea nunc denuò repetamus. Certè ab illis uerbis miniſter incipit deo gratias agere: neq; aptius eſſe potuit initium ad totum myſterium perficiendum: præſertim cum Chriſtus etiam ſic illud inchoauerit. Verùm iſti Quinqueuerbij Conſecratores non aliam arbitrantur eſſe confectionem Euchariſtiæ, quàm quinq; illarum uocum prolationem, uel inhalationem potius, ſi patiantur nos uera dicere. Sed pudet me tam futiles cauillos tam multis refellere. Ait Inconſtantius illis, qui hoc argumentum texuerunt, nihil fuiſſe cordis. Ego uerò, ut Tertulliani uerbis illi reſpondeam, illum puto, peponem habere pro corde. Nam ſi aliquid haberet humani cordis, intelligeret, opinor, quorſum illæ Veterum gratiarum actiones poſt admonitionem de corde ſurſum tollendo ſpectarint. Illæ enim Inconſtanti, ſi neſcis, ad corpus & ſanguinem Chriſti referebantur. Ea enim memoria recolenda erant, quatenus pro ſalute, & redemptione humani generis fuerant tradita. Fructum autem ex illis aliquem ſi uolumus percipere fide, atq; omni mẽte ſurſum, ubi ea iam ſunt, contendendum eſt.

Deinde iactat, ſe hanc expoſitionem adferre potuiſſe è Chryſoſtomo. Sed quis putet, Thraſonem uoluiſſe tantam gloriæ ſuę iacturam facere? An ergo uerbis, & chartæ parcit Inconſtantius? Certè ſi quid haberet ex Chryſoſtomo, quod nobis cum fructu obijceret, ut ſolet, petulanter, & inſolenter inſultaret. Multis quidem in locis ſcripſit Chryſoſtomus, pios, cum recipiunt Euchariſtiam, animis attolli in cœlum. Hoc tamen tibi perſuaſum eſſe debet, pie Lector, friguiſſe Inconſtantium, neq; illum quicquam ex Chryſoſtomo adferre potuiſſe, quo ſuũ commentum tueretur. Sed, ut eſt modeſtus, & uerecundus, huiuſmodi exornationibus efficere uoluit, ut ſuæ cauſæ tam quod non habebat, quàm quod habebat inſeruiret. Quia tamen hac de re Chryſoſtomus nonnihil conſcripſit, uiſurus es infra quid ſibi ille uoluerit. Nã quæ ſophiſtæ importunitas eſt, nos denuò coget ut de hoc rurſus dicamus.

Iam ipſe uiciſsim audiat, quid Auguſtinus, De bono perſeuerantiæ, ſiue libro ſecundo cap. 13. de Prædeſtinatione hac de re ſcribat. Quod ergo, inquit, in ſacramentis fidelium dicitur, ut ſurſum corda habeamus ad dominũ, munus eſt domini: de quo munere ipſi domino deo noſtro gratias agere poſt hanc uocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & Dignum, & iuſtum eſt, reſpondent. Hic uidemus, quod Inconſtantius negauit, uerba illa proferri in ipſis etiam myſterijs. Deinde intelligimus, non ea cauſa ſurſum auocari animos, ut purius gratias agant: ſed de eo potius agi gratias, quòd iam ea ſurſum habeant. Tu ergo iudica Lector, uter noſter diuinet de ſenſu ueteris Eccleſiæ. Nos ſententias noſtras patrum teſtimonijs & ſcripturis ſacris confirmamus: Inconſtantio autem ſatis eſt gloriosè iactare, Patres omnes ſuos eſſe, & à ſe facere, quorum tamen uerba citare non poſsit. *Auguſtinus.*

OBIECTVM XLVII.

CHRISTVS portauit se quodammodò in manibus suis, ut ait Augustinus: ergo se re ipsa, & uerè non portauit.

GARDINERVS.

MODVS actionis nihil imminuit de ueritate rei gestæ, quam uerè credimus gestam esse: quod addo propter ænigmatica, quæ cum fuerint explicata, exeunt in ridiculum.

MARTYR.

SI modus actionis, qui ab Augustino per aduerbium Quodāmodò indicatur, de ueritate rei gestæ nihil imminuit, nisi quis ænigmata loquatur, ut tu dicis, quî fit, ut quispiam de inimico suo citra ænigma uerè dicat, Ita me intuetur, quasi qui uellet me oculis suis quodammodò deuorare. An hisce uerbis actio illa deuorandi nihil imminuitur? Ita dicimus, eum qui celeri equo iter faciat, quodammodò uolare. An ergo quisquis ita uehitur, re uera uolat? Quid ergo habet Inconstantius, quod queratur, nostros malè colligere, si ex eo, quod Augustinus ait, Christum se quodammodò portasse suis manibus, concludunt, eum nō uerè, aut realiter se gestasse? Verùm, ut intelligas Lector, huius impostoris uafritiem, cogitare debes, non solere nostros uti argumētis ita futilibus. Sed iste, quicquid inuenit fortè in nostris libris, statim id fingit esse argumentum: atq; ita non nobiscum, sed cum umbra sua confligit. Cur autem nostri huius loci mentionem fecerint, uno uerbo dicam. Isti rabulæ uerbis illis Augustini cōtra nos abuti
Augustini locus explicatur.
,, solent. Augustinus, inquiunt, credidit ueram, & corporalem præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Ait enim Christum se ipsum portasse in manibus suis. Nos respondemus, Augustinum non simpliciter dixisse, Christum se portasse in manibus suis, sed addidisse, Quodammodò. Vides Lector, quodnam nostrum illud argumentum sit, quod iste tam acriter persequitur. Et de hoc uno iudicium facito, quid de alijs argumentis, quæ ille uel suppositit, uel concidit, uel immutauit, sentire debeas.

Nunc autem responsionem illam nostram, quam iste ait esse argumentum, uideamus, quanta cum ratione cōfutet. Quod primùm arripuit, quàm alienum,
,, & falsum sit diximus. Neq; illos huius magnificos iactatores, qui, cum boues in
,, charta depictos gerant in humeris, dicant, se boues posse gestare, quicquam moror. Neq; pluris eos facio, qui dicant, se decem talenta habere in crumena, cum
,, tantum habeant debitoris syngrapham. Huiusmodi enim exempla ad hanc rem nihil faciunt: nisi fortè his figuris, & syngraphis nos perstringat, quasi sacra mysteria faciamus picturas, & consignatas dei promissiones, quod quoniam & uerum est, & nostram causam nihil lædit, non uideo, cur debeā dissimulare. Dici non potest, quàm molestè Inconstantius ferat nomen figuræ, typi, aut significationis. Necesse tamen est, ut ferat, cum res mutari non possit. Ita enim & scripturæ loquuntur, & Patres interpretantur: neq; alio pacto sacramentorum natura constare potest. Neq; certè puto, prudentem lectorem, si ea satis attentè consideret, quæ supra diximus, existimaturum, quenquam nostrum docere, sancta mysteria esse uulgares quasdam picturas, aut syngraphas. De illis enim summa cum reuerentia & loquimur, & scribimus. Quare ad istam perpetuam calumniam,
,, quærat illos Inconstantius, in quos ea quadrat, qui respondeant. Sed addit, Au-
,, gustinum ista de Christo retulisse, quasi qui narrare uellet ingens aliquod mira-
culum,

culum, quod alius præter Christum nemo fecerit: & eum declarationem adiecis-
se de Sacramento, quæ propositionem allatam non destruat, sed illustret. Conclu-
dit autem, nostram expositionem de figura, ueritatem propositionis Augustini
prorsus tollere. Nos quidem nunquam negauimus, Augustinum illis uerbis
seria & admiranda sensisse. Nam cum Sacramenta ab hominibus instituí nō pos-
sint, id Christus fecit, quod nemo hominum facere potest: nimirùm, ut gestaret
in manibus Sacramentum sui corporis. Potuisset quidem Cæsar & Pōpeius ima-
gines & figuras suas circumferre. At ea tamen Sacramenta illorum nō fuissent.
Inconstantius hic habet ungues suos perpetuò, tanquam in ulcere: quasi nos dí-
camus, Eucharistiam uulgarem & inanem esse imaginem aut figuram corporis
Christi. Sed, ut diximus, longè & malitiosè fallitur.

Augustinus ergo, cum adderet particulam illam Quomodò, non euertit ue-
ritatem propositionis: sed eam potius prudenter confirmauit. Expositit enim,
quemadmodum ea esset intelligenda. Idem Augustinus, cum ita interpretatur *Augustinus.*
uerba illa Pauli, Petra erat Christus: hoc est, petra significauit Christum: an euer-
tit ueritatem Paulinæ sententiæ? Aut cum ait, Christum dedisse Apostolis cor-
pus suum, idq; exponit figuram corporis, an dictum Christi ulla ex parte uiola-
uit? Augustinum uerò suo isto modo, quem dicit, realem istam, corporalemq; *Interpretari*
corporis Christi præsentiā excludisse, duobus ex locis facilè agnosci potest. Pri- *quampiā sen-*
mùm, ex eo, quod ad Bonifacium epist. 23. ita scribit: Si sacramenta, inquit, simi- *tentiam nō est*
litudinem quandam earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, *eam uiolare.*
omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plærūq; etiam ipsa-
rum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modū sacramen-
tum corporis Christi corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi san-
guis Christi est, ita sacramentum fidei fides est. Hic uides, quem modum Au-
gustinus intellexerit: nimirùm similitudinem, atq; eam etiā similitudinem, quæ
rem ipsam à se disiunctam habeat. Confert enim Eucharistiam cum Baptismo: &
ita uult Baptismū dici fidem, ut Eucharistia dicitur corpus Christi. Fides autem
in animo est, cum Baptismus adhibeatur foris. Res ergo, & similitudo aut sacra-
mentū subiecto, aut loco, ut scholastici dicunt, separantur. Mitto, quod Augu
stinus eodem loco alijs exemplis utitur: nimirùm, dierū mortis & Resurrectio-
nis domini: qui cum rerum illarum memoriam tantùm referant, tamen illarum
nomina sortiuntur. Audi rursus, quid scribat in Psalmum 98. Non hoc, inquit,
corpus, quod uidetis, manducaturi estis: nec bibituri illum sanguinem, quem ef-
fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis cōmendaui. Id spi-
ritualiter intellectum uiuificabit uos: & si necesse est, illud uisibiliter celebrari,
oportet tamen inuisibiliter intelligi. Hæc uerba ita clara sunt, ut luce maiore non
egeant. Quare noli posthac Inconstanti, si sapis nobis figuras, typos & similitudi
nes obiectare. Et, si iam intelligas, quem Augustinus modū intelligat, nimirum
sacramentalem, noli amplius fruſtrà tergiuersari.

Ea, quæ sequuntur in Inconstantio, facilius refellentur, si dicta illa Augustini
paulò altius repetamus. Verba eius prima concione in Psalmum 33. sic habent:
Hoc uerò fratres quomodò fieri possit in homine, quis intelligat? Quis enim por-
tatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo. Manibus suis nemo
portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inueni-
mus: in Christo aūt inuenimus. Hic Inconstantius, ut nihil tutum est à Sophi-
stis, id quod Augustinus ait, Quomodò intelligaē in ipso Dauid secundū literā,
non inuenimus: in Christo autem inuenimus, arripit, quasi id eius causam uehe-
menter iuuet. Aitq; hoc annotasse Augustinū, uerum esse secūdum literā, Chri-
stum se portasse in manibus suis: hoc autem nostram gestationē, quam in figura

ponimus, excludere. Sed respondeat mihi, cur illud Augustini dictũ Sacramentalem gestationem excludat? Hoc non ita leuiter attingendum, sed firmè & solidè probandum erat. Certè dictum Augustini tam apertum est, ut longa interpretatione non sit opus. Nam in historia rerum gestarũ à Dauide non legimus, eum ullo modo proprijs manibus se gestasse. Christum uerò secũdum literam, hoc est ex narratione Euangelistarum, scimus aliquo modo se ipsum portasse in manibus suis: eo nimirùm tempore, cum Sacramentum sui corporis teneret in manibus. Quid hic, obsecro, ambiguitatis aut obscuri relinquitur? Inconstantius uerò illud, Iuxta literam, nihil aliud putat, quàm realiter, corporaliter, substantialiter. Quod autem Augustinus paulò suprà dixerat, Christum id quodammodò fecisse, ita aggrauauit aures suas & cor adamantinum indurauit, ut id planè nec intelligere, nec audire uelit. Satis ergo est Augustino, Christum illud iuxta literam, hoc est narrationem Euangelistarum aliquo modo fecisse. Nam id à Dauide nullo modo ex historia sacra, factum legimus. Hoc discriminis est inter Christum & Dauidẽ: quòd Dauid nullo, Christus aũt aliquo modo se ipsum gestauit.

,, Sed pergit Inconstantius, apud Augustinum uocem illam Quodãmodò, eò
,, pertinere, ut mens humana comprimatur, ne putet, congeminatũ fuisse corpus
,, Christi, cum ille se ipsum gestarit: quasi uerò Augustinus monere uoluerit, Chri-
,, stum id certò quodam modo fecisse, ita tamen, ne corpus suum geminaret. Istum
,, autem modum, cum à nobis percipi non possit, ut arcanum & abstrusum, soli
,, deo relinquendum esse. Deus bone, in quas angustias ita se conijcit? Semper concipit uanitatem, & ubiq; parit mendacia. Quis enim dubitet, si uestrum commentum audire uelit, oportuisse geminari Christi corpus? Nam si corpus suum totum gestauit suis manibus, illudq; totum comedit ore suo, quomodò negare potes, duo illa & distincta fuisse corpora? Hæc enim, ut in Scholis dicitur, contradictionem implicant, nempe ut quispiam re ipsa gestet se ipsum totum, & re ipsa comedat se ipsum totum: ideoq; nec diuina ulla potentia possunt fieri: neq; certè diuinarum literarum authoritas istud uspiam credi iussit.

,, Illud uerò quod addit, δὶς κράμβη, uel potius αἰώνεια κράμβη, signum infidelitatis
,, esse, cum in locis obscuris & difficilibus quæritur, Quomodò, inanius est, quàm
,, ut debeat toties cõfutari. Nam & Beata Virgo & alij multi uiri sancti, & deum ipsum, & Angelos percontati sunt, Quomodo. Sed quoniam id ab hominib. incredulis semel atque iterum uitiosè factum est, idcircò Inconstantius fingit, nunquam id rectè posse fieri. Atqui uel ex Dialecticis suis discere facilè potuisset, ex aliquot propositionibus singularibus, non posse concludi uniuersalem.

OBIECTVM XLVIII.

CORPVS Christi est in cœlo: corpus Christi est in Sacramento Eucharistiæ. Ergo, Sacramentum Eucharistiæ est in cœlo.

GARDINERVS.

REDVNDAT *peccatis hæc argumentatio. Adhibentur, quod est uitiosissimum, quatuor termini: dictionum sensus uariatur, cum ab uno existendi modo, ad alium migretur.*

MARTYR.

RECTÈ sanè. Nouus iste noster Aristoteles, uel Chrysippus potius, argumentum istud reuocat ad regulas dialecticas. Ait id cõstare quatuor terminis. Ego

nis. Ego uerò, qui in his spinis, & argutijs ętatem meam minus contriuerim, prò mea hebetudine tres tantùm terminos in hoc argumẽto uidere possum. Primus est, Existens in cœlo: alter est, Existens in sacramento: tertius autem est, Corpus Christi. Sed quoniam sophisticis illis oculis careo, quibus nimium abundat Inconstantius, quartum non possum deprehendere. Expectemus igitur, dum illum iste nobis commonstret, quoniam autem agendum est Dialecticè, contendo hoc argumentum esse in tertia figura: & formã habere syllogismi, ut uocant, expositorij. Nam si uerum est, ita dicere, Hoc est calidum: Hoc est piper: Ergo, piper est calidum: cur nõ idem ualeat de corpore Christi? Illud enim cum habeat adiunctum pronomen demonstratiuum, nõ minus est singulare, quàm alterum. Si ita dixero, Corpus Christi est in cœlo: Corpus Christi est in Eucharistia: Ergo Eucharistia, aut id, quod est in Eucharistia, est in cœlo: uelisne tu, an nolis, non magni refert, certè omnes mihi id scholastici largientur. Nam corpus Christi, quod dicunt esse in Eucharistia, affirmant etiam esse in cœlo. Quàm autem illi crassè, ac stolidè hallucinentur, nolo in præsentia explicare. Ex eo autem sequi, Eucharistiam esse in cœlo, ita ostendam. Cum ista dici uelint de eodem corpore Christi, idq; simul, & eodem tempore, nimirùm & in cœlo esse, & in Eucharistia, omninò necesse est, ut fateantur, Eucharistiam esse in cœlo. Contradictio enim est, idem corpus eodem tempore, & cum Eucharistia esse, & non cum Eucharistia. Sed ne rixemur de forma syllogismi Dialectica, reuocabimus argumentum ad primam figuram, ut magis esse possit perspicuum. Omne corpus Christi, seu quicquid est corpus Christi, est in cœlo: Sacramẽtum Eucharistiæ est corpus Christi: ergo sacramentũ Eucharistiæ est in cœlo. Maior propositio non potest negari: nisi fingere uelitis, aliquod esse corpus Christi, quod non sit in cœlo. Minor uerò est idolum uestrum, pro quo tantopere dimicatis. Omninò enim uultis, Eucharistiam realiter, & substantialiter esse corpus Christi. Quare de conclusione non potestis ambigere, cum propositiones ita sint collocatæ. Falsum autem est, & uanum, & absurdum, quod conficitur: uidelicet, Eucharistiam esse in cœlo. Itaq; cum maior improbari non possit, necesse est, ut uitium hæreat in minori: quam uos ipsi uobis peperistis, & defenditis pro uera. Abijcite ergo illam in tempore, ne uos in alia absurdiora præcipitet.

Syllogismus ex positorius.

Instantia uerò illa, quam inducit Inconstantius de manu, & chirotheca, ea sanè ex parte, qua cum nostro argumento conferri potest, si rectè connectatur, nihil concludit absurdi: nimirùm aliquid hominis, uel aliquam partem hominis esse in chirotheca. Manus inquit, est in chirotheca: Manus est in homine: ergo homo est in chirotheca. Qui ita concludit, Inconstanti, non homo est, sed asinus, etiam si sit episcopus. Ex illis autem prẽmissis hoc rectè sequeretur: Ergo aliquid hominis, aut aliqua pars hominis est in chirotheca. Sed quantum sit discriminis inter nostrum argumentum, & tuum, uel ex eo uidere potes, quòd tuum reduci non potest ad primam figuram. Nam an ita dices in maiori: Omnis manus, aut quicquid est manus est in chirotheca? Non arbitror. Deinde non potes addere, Hominem esse manum: ut eum concludas in chirotheca. Ista ergo argumenta, quæ tu putabas similia esse, iam uides esse dissimillima. Nostrum enim est expositorium, & singulare aut indiuiduum habet pro medio: tuum autem, medium habet infinitum, nempe manũ. Neq; ita potest dici, Homo est manus: ut uos putatis licere dicere, Eucharistia est corpus Christi. Adhæc duo illi uarij modi existendi, quos manus habet in chirotheca, & in homine, satis sunt perspicui, & ab omnibus agnoscuntur. Ille uerò modus, quo uos fingitis, corpus Christi re ipsa, et substantialiter esse sub accidentibus panis & uini, à uobis solis confictus est, ut animis fidelium facilius illuderetis. Nã nec in sacris scripturis uspiam traditur,

nec ueteri, & puriori Ecclesiæ fuit in usu. Verùm cum uos nobis criminis loco tã sæpè, tamq; acerbè obijciatis, quòd in hoc negotio utamur istis uocibus, signo, figura, typo, symbolo, quas uoces à ueteri Ecclesia & sanctis patribus, & omnibus omninò pijs, cum de Eucharistia ageretur, constat fuisse usurpatas, an putatis, nos posse uobis tam facilè condonare, si ad statuendam meram superstitionẽ, & crassissimam idololatriam, nouos existendi modos sine modo, aut exemplo, sine etiã declaratione aliqua pro uestra libidine effingatis? Nos semper sine frõte figuratores appellatis. Quare non debetis ægrè ferre, si uos à nobis uicissim Modistæ, aut Modales appellemini.

„ Altera uero instantia, quam Inconstantius excogitauit, quia medium habet
„ individuum singulare, nimirùm Christũ, uideri potest syllogismus expositorius.
„ Eo autem concluditur, id, quod est in cœlo esse nobiscum usq; ad consummatio-
„ nem sæculi. Sic enim argumentum conficitur in prima figura: Christus est no-
„ biscum usque ad consummationem sæculi: quod est in cœlo, est Christus: Ergo,
„ quod est in cœlo, est nobiscum usq; ad consummationem sæculi. Hoc tamen dis-
crimínis est inter hoc argumentum & nostrum: quod, quamuis Christus sit unũ suppositum, tamen constat ex duabus naturis. Et libenter damus illum, quod attinet ad naturam diuinam, & in cœlis semper præsentem esse, & hic etiam semper nobiscum in terris. Nos uerò in nostro argumento de corpore tantũ Christi, hoc est, de una tantùm eius natura loquimur. Quod certè in cœlo simul, & in sacramento esse nõ potest, nisi fateri uelis, sacramentum quoq; esse in cœlis. Nam cum sit idem corpus numero, quomodò potest & in sacramento esse, & sine sacramento eodem tempore? Sed hoc fefellit Inconstantium, quod nos putauit, immediatam, ut ita dicam, fecisse conclusionem: uidelicet, sacramentum esse in cœlo. At non cõsiderauit, nostros eam necessariò elicuisse ex alia conclusione, quæ tacetur. Ea autem est hæc: Corpus Christi, quod est in sacramento, est in cœlo. Ea autem sententia, ut ab istis Paparum mancipijs intelligitur, nimirùm de reali & corporali præsentia, uera esse nõ potest, nisi fateri uelint, etiam sacramentum esse in cœlo: ut cogantur geminare corpus Christi, ut alterũ in cœlis sit sine sacramento, alterum autem cum sacramento sit in terris.

Sunt quidem ista nostra dura, & spinosa, piè Lector: oro tamen te, ut ea boni consulas. Nam si ista dissimulare uoluissem, & istis cauillis ex uera Dialectica non respondissem, clamarẽt omnes Inconstantiani adulatores, suũ istum Achillem in hac palæstra solum regnare: neq; eius acumini & subtilitati posse à quoque responderi.

Quòd autem ad finem ita nos perstringit, ut dicat, nos in eo constantes esse, quòd per omnia simus nostri similes, hoc est, ut ipse ait, ex omni parte uitiosi, sciat, istam dicacitatem suæ maximè petulantiæ conuenire. Eius enim & scripta, & acta, & res gestæ satis docent, illum nulla unquam in re constantem fuisse, nisi in mendacijs.

OBIECTVM XLIX.

CHRISTVS uoluit Eucharistiam seorsim esse duarum partium: corporis uidelicet sui, ac sanguinis. Sed hęc duo in corpore Christi reali, atq; carnali separari, ac diuidi non possunt. Ergo hæc duo in sacramento, quod Christus instituit, non accipiuntur realiter, & corporaliter.

GAR.

GARDINERVS.

CHRISTVS *in hoc mysterio non diuiditur: sed cum sanguine corpus, & cum corpore sanguis, totus ubiq; est Christus.*

MARTYR.

SI Christi corpus, ut uos dicitis, in hoc mysterio nec patitur quicquam, nec diuiditur, sed per concomitantiam, ut loqui soletis, sub utraq; specie totum, atq; integrum continetur: necesse erit, eos qui communicant sub utraq; specie, totum Christi corpus, totumq; sanguinem bis accipere: nempè, primùm cum pane: deinde cum uino. Nec negari potest, esse ibi duo Christi corpora: si totũ sit & sub panis & sub uini accidẽtibus. Nam cũ illæ res distinctæ sint, ac diuersæ, loco etiam & situ separatæ à se mutuò ac disiunctæ, neq; utręq; eodem tempore sumant̃: necesse est, ut qui accipiunt utranq; speciem, bis accipiant corpus domini. Christum autem utranq; huius mysterij partem instituisse, ut corpus eius in crucem actũ, & sanguis pro nostra salute fusus, expressius & distinctius ob oculos communicantiũ poneretur, Ecclesia Christi semper & agnouit & testata est: & in primis illa ipsa uerba luculenter docent, quæ ad utranq; partem recitamus. Totum autem Christi corpus, totumq; sanguinẽ, quod ad substãtiam attinet, realiter sub utraque specie contineri, nunquam hactenus, nec ex sacris literis, nec ex ueteribus patribus audire potuimus. Superest ergo, ut quod somniatis de Concomitantia, uestrum tantùm commentum sit.

Inconstantius autem de nobis, tanquam de uitilitigatoribus conquerit̃, quòd statum à ueritate rei præsentis in hoc mysterio deflectamus ad modum præsentiæ: ut in utraq; parte arripiamus, quod nobis uideatur opportunum ad cauillandum. Sed hic iniuriam nobis facit, ut solet. Reprehendit enim nos, quasi modum præsentiæ alium inducamus, quàm ipse prædicet. Atqui nos illum tantùm modum præsentiæ oppugnamus, quem ipse obtrusit: nimirùm, realem, substantialem, corporalem. Hosce enim modos isti perpetuò strepunt. Nec mirũ, cum ipsi eos soli pepererint. Nos autem nolunt inquirere modũ: id enim clamant esse Iudaicæ perfidiæ. Ipsi tamen modum præsentiæ nunquam crepare, atq; inculcare desinunt. Quare si uideant se urgeri ab hac parte, de se potius ipsis, quàm de nobis conquerantur. Quis unquam audiuit rectè disputãtes criminari aduersarios, quòd in argumentando partes quæstionis controuersæ aggrederentur & exagitarent? Vos utranq; partem inuexistis, & ueram præsentiam corporis Christi, & modum. Quòd si ab alterutra istarum partium uos putatis minus esse munitos, licebit per nos ab eius assueratione desistere.

Ait, non diuidi corpus à sanguine, nec sanguinem à corpore: sed utrunq; simul esse coniunctum & integrum sub utraq; specie per quandam concomitantiam. Libet hic paulùm cum Inconstantio de uerborũ simplicitate contendere; quã ait se in hoc mysterio ubiq; uelle retinere. Certè dominus dixit de pane, Hoc est corpus meum: non autem de eo dixit, Hic est sanguis meus. Et uicissim de calice, Hic, inquit, est sanguis meus: non autem, Hoc est corpus meum. Qua igitur audacia in pane sanguinem ponit Inconstãtius, aut corpus in calice? Cur hic ita procul discedit à simplicitate uerborum Christi? Si uobis licet comminisci nouam uocem Concomitantiæ: uocem inquam, à uobis tantùm conflictam, ueteri autem Ecclesiæ inauditam: cur nobis nõ liceat cum omnibus antiquis patribus in hoc negotio uti figuris & typis? Nulla enim uox alia naturæ Sacramentorum uideri potest conuenientior. Sacramenta enim dicuntur formæ, figuræ, typi, signa rerum sacrarum.

Addit adhæc, nos nõ intelligere, Christum se nobis exhibere in Eucharistia,

„ sub diuersis speciebus aut symbolis, non ad sui diuisionẽ, sed ad significationem. Atqui hoc probè nouimus Inconstanti, imò nihil aliud docemus, quàm istis duobus typis, mortem Christi & pretium nostrum, tam quòd ad corpus, quàm quòd ad sanguinem attinet, significari. Eaq; de causa, nec diuisionẽ ullam corporis & sanguinis domini nobis fingimus, nec Concomitantiæ uestræ umbratili præsidio indigemus.

OBIECTVM L.

PAPISTAE dicunt, ui uerborum Christi effici, ut in Eucharistia sit reale corpus Christi. Sed si esset tãta uis illorum uerborum, id efficerent etiam abs quouis pronũtiata, siue à Laico, siue à muliere: idq; in quouis loco, siue in foro, siue ad altare. Cum enim sint eadem uerba, necesse est, ut habeant ubique eandem uim.

GARDINERVS.

TSI *Ecclesia plurimum tribuat uerbis Christi, tamen ab illis non disiungit Christi mandatum, quod nos certos facit, Ecclesiæ ministerio adesse Christum.*

MARTYR.

HOc mihi primùm admonendus es, Lector, istum Sycophantam proponere istud tanquam simplex nostrorum hominum argumentum. At quiuis facilè uidere potest, in nostris Ecclesijs huiusmodi ἀταξίαν, & confusionem nullam esse, ut cuique liceat sacramenta populo administrare. Verùm illa à quibusdã nostris tantùm in superstitiosos Papistas dicta sunt: qui toties nobis plenis buccis tam confidenter clamant, ui quinq; illorum uerborum panem haud dubiè transubstantiari in corpus Christi. Quod si esset uerum, à quocũq; illa uerba pronuntiarentur, sequeretur idem effectus. Vbi enim est tota & perfecta causa, non uideo, quid effectum impediat. Vt si uis expellendi morbum alicui pharmaco per se & propriè tribuat, illud certè idem efficiet, siue à puero, siue à muliere fuerit propinatum. Quare Inconstantius rixas tãtùm captat, ut solet: nec potest abstinere à calumnijs. Videt enim, si rationes & argumenta nostra proponeret sedeliter, nullam Sophisticæ suæ rimam superfuturam, qua se possit insinuare.

Non probanda est ἀταξία in Ecclesia.

Verbis Christi potest nimiũ tribui.

Illud uerò perridiculum est, quod ait, Verbis Christi non posse nimium tribui. Quasi incantatores, & magi non abutantur oratione Dominica: aut quasi multi non putent, initio Euangelij Iohannis suspenso ad collum, morbos auerti posse, & multos prosperos euentus conciliari. Sed ut ne discedam ab instituto, illud nimium & planè superstitiosum esse contendimus, quinq; uerborum potentia substantiã panis auferri atq; abijci, & in eius locum succedere corpus Christi. Alioquí nunquam negauimus, uim esse maximam Verbi dei. Sed cum uenitur ad Sacramenta, libenter sequimur Augustinum. Is enim ait, Verbum domini ibi esse efficax, non quia dicitur, sed quia creditur.

Augustinus.

Ait Inconstantius, à uerbis Christi non disiungendum esse mandatũ. Rectè. Fatemur enim, in Sacramentis & mandatum, & Verbum requiri. Atq; utinã id à uobis fuisset obseruatum. Vos enim & sine Verbo ullo, & sine mandato cõplura uobis finxistis noua Sacramenta. Nam in uestro illo sacramento matrimonij, quo

quo quæso te, utimini uerbo dei? quo in confirmatione uestra? quo in extrema unctione? Hic tamen impudenter iactas, mandatum Christi non esse diuellendum ab eis uerbis. Id nos & recipimus, & obseruamus. Vos autem uestram ipso rum regulam uiolatis. Christum autem Ecclesiæ suæ ministerio adesse, nos ni hil dubitamus: præsertim si ea utatur ministerio ritè, & legitimè, & ad præscri ptum dei. Alioqui si sacerdos uelit consecrare omnem panem, quem fortè inue nerit in pistrino, aut tota dolia uini, quæ uiderit uspiam in œnopolio, an erit hoc mysterium, cui tu dicas, Christum uelle interesse? Non ergo ex ui uerborum, quæ à uestro sacrificulo proferantur cum uoluntate & consilio transubstantian di panem & uinum in corpus & sanguinem Christi, quantumcunq; libuerit, & ubicunq; uoluerit, fiunt illa tam magna, & tam stupenda miracula, quæ uos ab omnibus firmissimè teneri, & credi uultis.

Dices fortasse hoc, ut à me scribitur, non posse fieri. Id equidem & scio, & ui deo, & doleo à uobis tam impiè, & tam stultè credi. Vos autem negare non po testis, doctrinam istam uestram esse. Vestrum enim illud est, ad conficiendum sa cramentum Eucharistiæ tria requiri: materiam, ut loqui soletis, debitam: uerba requisita, quæ à sacrifico pronuntientur: & uoluntatem, atq; animum consecran di. Quid igitur fingis, te religiosè morari Ecclesiæ ministerium? Illud enim uos miseris modis profanastis, cum Christi mandatis, & Apostolorum institutis ue stra commenta, & superstitiosissimas nugas, atq; ineptias præponeretis. *Tria Papistæ requirunt ad sacramentũ conficiendum.*

Præterea quid opus erat, ita ambitiosè rhetoricari, Christum huiusmodi ua rietate ornare uoluisse Ecclesiam suam, ut ne omnes Apostoli, ne omnes prophe tæ, ne omnes ministri essent. Hæc tu ita scribis Inconstãti, quasi nos in Ecclesijs nostris tali utamur confusione: Atqui nos ordinem in sacris literis institutum, quàm possumus maximè, & diligentissimè retinemus. Vos potius eius accusan di estis, cuius nos insimulatis, qui uel ipsis laicis, uel mulierculis ius baptizandi tribuitis. Quod autem posteà fingis illa uerba, Hoc facite in meam commemo rationem, non pertinere ad omnes credentes, uanum & falsum est. Prorsus enim omnium communicantium est, annuntiare mortem domini, & cum gratiarum actione illius cõmemorationem renouare. Putat iste nos ignorare, suorum hoc commentum sophistarum esse, illis uerbis in ultima Cœna Apostolos à domino consecratos fuisse, ut aiunt, in presbyteros: quasi uerò illi non fuerint ueri mini stri, & antistites Ecclesiæ, cum primùm à Christo ablegarentur ad prædicãdum uerbum dei. Certè uocatio Christi satis erat, ut illi efficerentur ministri Ecclesiæ. Sed ea uocatio tum demùm confirmata est, cum Christus ascendens in cœlum eos dimitteret in totum orbem terrarum. Verùm hæc maxima est fraus isto rum impostorum, quòd prædicationem uerbi dei, & administrationẽ Baptismi penè nihili faciunt: lagano uerò isti suo consecrando tribuunt omnia, & in solo proram, et puppim constituunt: penesq; illud omnes suos Ecclesiasticos ordines distinguunt: ut neminem habere uelint pro absoluto ministro Ecclesiæ, utq; ipsi impiè loquuntur, pro sacerdote, qui non habeat ab episcopo potestatem consi ciendi Eucharistiam. Subdiaconos autem, quorum sacræ literæ nullam faciũt mentionem, & Diaconos ita distinguunt, ut istis liceat propius accedere ad con secrandum, & attrectandum illud sacramentum: illi uerò longiusculè summo ueantur. Hanc tam acutam, & tam diligentem distinctionem ex quibus tandem scripturis nobis astruent? Neque enim Diaconi ad hoc ministerium fuerunt ab initio instituti: sed ad alendam familiam dei, & Ecclesiasticas eleemosynas distri buendas. At illi hodiè apud uos frustulum aliquod ex Euangelio cantant in tem plo: & circa sacrificulum sursum, deorsum, nescio quid histrionicè nugantur. Hæc illa uestra est ὑπόκρισις, scilicet, propter quas scenas uestras nostris Ecclesijs *Apostoli non sunt ordinati sacerdotes in Cœna domini postrema.* *Papistæ prædicationi & administrationi baptismi partim tribuunt.* *Papistæ pro sacerdote neminem habent, nisi qui conficere possit Eucharistiam.* *Diaconi & Subdiaconi.*

uultis anteponi. Nec tamen ego propterea dico, ministrum non esse distinguendum à reliqua Ecclesiæ multitudine. Agnosco & Pastores, & Doctores, eosq; in gradu, in quo à deo, & ab Ecclesia collocati sunt, libenter esse, & manere uolo. Non potui tamen dissimulare, uos illos uestros ordines, maximè uerò Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, penes confectionem Eucharistiæ, & attrectationem sacrorum uasorum, nec rectè, nec ordine distinguere. Deinde uos docetis, neminem posse ordinari presbyterum, qui prius non fuerit Diaconus: cum ille mos nec Apostolis, nec ueteri Ecclesiæ fuerit in usu: cum tamen apud uos nihil pulchrius sit, aut usitatius, quàm ex milite aliquo, aut Iurisperito, repentè creare uel Episcopũ, uel Cardinalem, qui decem, aut quindecim diebus ordinetur Clericus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, et postremò Episcopus O admirabilem, & optimè constitutam εὐταξίαν, quæ ad nullum alium usum ualeat, quàm ad simplicium oculos perstringendos, nec aliud quippiam spiret, quàm simulationem, & hypocrisim. Est apud uos Diaconus, est Presbyter, qui ista munera nunquam exercuerit, neq; ut exerceret, in animo habuerit: imò, qui in munere suo, ut Cicero iocatur in Gabinium, nec hyemem, nec æstatem uiderit. Id quod tibi Inconstanti, usu uenit, cum ex Iurisperito, & cautore formularum repentè renuntiarere Vintoniensis Episcopus. Augustinũ, cum adhuc inter Laicos uersaretur, lego apprehensum fuisse à populo, & à Valerio Episcopo factum presbyterum. Eum autem anteà ordinatum fuisse Diaconum, non lego. Si aut Christus, aut Apostoli superstitiosam istam uestram rationem tradiderunt, proferte legem. Quam si uidebimus petitam è sacris literis, nos quoq; desinemus creare pastores Ecclesiarum, qui anteà non fuerint Diaconi.

Presbyterũ Papistæ fieri nolunt, qui antea diaconus non fuerit.

Cicero.

Augustini ordinatio.

Ista uolui paulò prolixius tractare, quòd uiderem Inconstantium arguere nos ἀταξίας, & confusionis: quasi in nostris Ecclesijs omnia fiant promiscuè. Sciat igitur, nos habere & Pastores, & Doctores, & Diaconos: neq; quenquam ad huiusmodi gradus promoueri, qui anteà probatus non fuerit. Sacramentorum uerò administratio, cum & simplicior, & minus periculosa sit, præsertim ubi forma constituta est ex præscripto uerbi dei, non magna opus habet exploratione. Ea tamen à nostris nunquam committitur, nisi Pastoribus, aut Diaconis.

Nostræ ecclesiæ cõfusionem & ἀταξίαν non admittunt.

Verùm, ut redeam aliquando eò, unde sum digressus, argumentum illud ex eo habet uim suam, quod passim à Papistis dicitur, Consecrationem panis fieri pręcisè, ut ita dicam, ui illorum quinq; uerborum. Quod si ita simpliciter accipiatur, ut dicitur, necesse est, à quocunq;, & ubicunq; illa proferãtur, idem effectum sequi. Nos confusionem in Ecclesia nec moliri, nec ferre, satis iam ostensum est. Quòd autem Inconstantius episcoporum, & presbyterorum ordinationem refert ad Paulum, id nostræ causæ nihil obest. Mentionem quidẽ facit Paulus episcoporum, & presbyterorum, sed illos diuersos ordines esse non docuit: si credimus Hieronymo. Is enim ait, Ex multis presbyteris unum delectum fuisse in Concilio, qui cæteris dignitate, non ordine, anteiret: idq; ad unitatem Ecclesiæ conseruandam: scilicet, ne Christi corpus distraheretur. Idq; probat ex epistola ad Titum. Tantum autem abest, ut nos confusionem in Ecclesiam inuehamus, ut hanc potius eandem rationem sequamur. Nulla est enim apud nos diœcesis, aut Ciuitas, ubi non è multis pastoribus deligatur quispiam, doctrina, & experientia excellens, quem Ecclesiæ superintendentem uocant. Ille cæteros omnes congregat, monet, regit iuxta uerbum dei: prout rerum status exigit.

Distinctio inter episcopum, & presbyterũ Hieronymus.

Inconstantius uerò, cum suos Missatores appellat sacerdotes, eosq; ait perpetua successione originem duxisse à Christo, mentitur, ut solet. Plures enim iam sacerdotes esse non possunt. Nam successio illa tantùm in ueteri Testamento locum habuit: si fidem habemus epistolæ ad Hebræos. Ibi enim oportuit, ut unus alteri

In Euãgelio nõ sunt plures sacerdotes, si propriè loquamur.

alteri succederet, quòd illi semper morerentur. Christus autem est Sacerdos eternus, & una oblatione omnia perfecit. Itaque nunc huiusmodi successione non est opus. Neq; ut fingit Inconstãtius, Sacramentorum administratio propria est iam functio sacerdotij. Epistola enim illa ad Hebræos ait, sacerdotis esse, munera & sacrificia offerre deo pro peccatis. Id iam olim Christus unus præstitit, ut nunc alia oblatione pro peccatis non sit opus. Atque hæc causa est, cur sacerdotium ad unum Christum translatum sit. Deinde, quî credere possumus, istos sacrificos perpetua successione uenisse à Christo, cum ille suos instituerit, & miserit ad prędicandum Euangeliũ, isti autem neq; id faciant, neq; ad id faciendum mitti soleant? Habent potius successionem suam ab hominibus, & ijsdem impijs & idololatris. Splendidum illis titulum affingit Inconstãtius. Dei, inquit, funguntur legatione. At quánam, obsecro, in re? In laganis, credo, consecrãdis. Sed quis Christus hoc illis dedit in mandatis? Certè non ille, qui dixit, Pasce oues meas: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: Facite discipulos domino uestro, docentes eos obseruare, quæ ille præcepit. Sed reclamat Inconstantius, Nónne illos etiam uoluit administrare Eucharistiam? Voluit sanè, sed ita tamen, ut prius doceant. Nam Sacramenta sine doctrina inutilia efficiuntur, & frigida. Vestri autem isti hodiè doctrinam habent pro re nihili; proram autem, & puppim, & omnem dignitatem sacerdotij constituunt in altaris (uti dicunt) sacramento. Qua ergo audacia iactant, se habere successionem à Christo? A Belial potius ducunt origenem, & ab Antichristo consecrantur.

Propria functio sacerdotij, non est administratio Sacramenti.

Ministrorum Christi est euãgelium prædicare.

Sacramẽta inutilia sine doctrina.

Addit Sophista, Christum adesse suis mandatis exequendis. Verùm ille interea nos doceat, quomodò isti artocrearum confectores Christi mandatum exequantur, cum eorum omnium, quæ Christus aut dixit, aut gessit in cœna, nihil faciant. Sacramentum enim alijs non exhibent: memoriam mortis domini, ut ab astantibus audiri possit, non celebrant, mortuos inuocant, sacrificant pro mortuis: cœnam omnem soli deuorant: panem & uinum spectandum, atq; adorandum proponunt, balbutiunt lingua peregrina, ne ipsis quidem satis cognita: quidquis denique potius faciunt, quàm ut Christum cum suis cœnantem imitentur. Quare non possumus credere, Christum facilè uelle adesse istis ita nefariè, atq; impiè ipsius mandata peruertentibus.

Abusus Papistarum in cœna.

Audiamus autem ad extremum quanta nos iste authoritate condemnet. Hæretici, inquit, secundum Iohannem soluunt Christum. Si nos illi sumus, quo in dogmate, Christum soluamus, ostendito. Certè cum omnibus Orthodoxis illum unam personam, seu hypostasin esse, duabusq; naturis constare, diuina & humana, dicimus. Quomodò ergo dissoluimus Christum? Diuinam eius naturam ab humana non distrahimus. At, inquit, ea quæ ab illo coniuncta sunt, uos diuisione attenuatis. Quæ nam tandem ista sunt? Verba Christi, inquit, ab eius mandato diuellitis. Hoc si Inconstantius dicat in Eucharistia à nobis fieri, non recte dicit. Nos enim, dum illud mysterium celebramus, historiam de cœna, ut in Euangelijs proditum est, fidelissimè recitamus: quodq; Christus in cœna fecit, nos quoque ad unguem facimus, quemadmodum ille præcepit. Est ergo hæc manifesta calũnia, quod ait, nos uerba Christi ab eius mandato diuellere.

Christum non dissoluimus.

Ad hæc Ecclesiæ nostræ ubique docent, Sacramentum constare, non tantùm ui uerborum, ut Papistæ dicunt, sed etiam mandato domini. Neque scimus ex diuinis literis, quæ nam illa uerba sint, quæ Sacramentum constituant. Satis tamen esse ducimus, ea referre, quæ scimus dominum dixisse: & ea facere, quæ ille fieri præcepit. Quid uos hic plura requiritis? Persuadere uultis mi-

Nos ea facimus & dicimus in cœna, quæ Christus & fecit, et dixit.

seris mortalibus, ui quorundam uerborum, postquam illa semel à uobis in pa-

nem & uinum inhalata fuerint, naturas illorum ſtatim aboleri: idq; non ullo mandato dei, ſed mero ueſtro commento, & ſuperſtitioſa ac tyrannica fictione. Illam autem ueſtram quinqueuerbiam oratiunculam tacitè uobis ipſis muſſitatis, uehementer interim ſolliciti, ne populus forte audire poſſit, quid à uobis murmuretur. Atqui illis uerbis domini aſtantis populi fides excitanda, atque inflammanda erat. Sed apud uos piaculum magnum eſt, ſi quis ex laicis, quos appellatis, non ſolùm myſteria conſecrata digitis contingat, uerùm etiam ſi uerba illa myſtica auribus forte accipiat. O religioſam coniunctionem uerborũ dei cum eius mandato: quam Inconſtantius iactat à ſuis ſanctiſſimè retineri. Vbi, quæſo, uobis à Chriſto mandatum eſt, ut uerba illa muſſitetis? Proferte locum: docete nos, ſi erramus. Vbi iuſſit Chriſtus, illis tantùm quinque uerbis confici Euchariſtiam? Si non poteſtis oſtendere præceptum, certè ne illa quidem ueſtra quinq; uerba cum domini mandato coniungitis. Nullum enim habetis, quod cum illis coniungatis.

»» Ad hæc reprehendit nos, quod tamen ad præſens inſtitutum nihil facit, quæ»» ſi fidem ab operibus diuidamus. Puto equidem, uirum iſtum ſententiam de fide & operibus, quam nos docemus è ſacris literis, nunquam intellexiſſe. Quomodò enim nos diuidimus fidem ab operibus, qui eam docemus, & contendimus nullam eſſe ſine operibus? Hoc non eſt, fidem ab operibus aut opera à fide diſtrahere. Vos autem Inconſtanti, uos huius maleficij rei eſtis, qui fidem in impijs ſine ullis bonis operibus collocatis: & uiciſſim in hominibus quamuis alienis à Chriſto tamen bona opera ſine fide eſſe dicitis. Si hoc non ſit, equidem non uideo, quid ſit, fidem atque opera diſſoluere.

Nos fidẽ ab operibus non diuidimus.

Quiſpiam poteſt ſeruari abſque ſacramẽtis.

Ambroſius.

Auguſtinus.

Magiſter ſententiarum.

Sed addit, nos quærere iuſtificationem ſeorſim à Sacramentis Hoc non diſſitemur. Imò ita prorſus iudicamus eſſe faciendum. Poteſt enim aliquis iuſtificari & ſeruari, qui nullum perceperit Sacramentum. Valentinianus Imperator nondum baptizatus interijt. Tamen Ambroſius in oratione eius funebri, illum non dubitat affirmare ſeruatum eſſe, & in cœlo regnare cum Chriſto. An putat Inconſtantius, id cuiquam ſine iuſtificatione poſſe contingere? Nonne & Auguſtinus, & Magiſter ſententiarum, & cohors uniuerſa Scholaſticorum docuit baptiſmum flaminis & ſanguinis? Iſtos autem commemoro, non quòd fidem Eccleſiæ illorum authoritati aſtringendam putem, ſed ut, ſi quem iſtorum Inconſtantius fortè reijciat, deos ipſos Eccleſiæ ſuæ à ſe contemni ſciat. Nos ſpiritum ſanctum in Paulo loquentem magiſtrum ac ducem ſequimur. Is autem Abrahamo iuſtificationem tribuit ſine ullo ſacramento. Ante enim quàm circuncideretur, ſcriptum de illo eſt, Credidit Abraham deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Deinde accepit Circunciſionem ut ſignaculum adeptæ iuſtitiæ per fidem. Quæ tempore anteuertunt, quæq; ſequuntur, an non ea ſeorſim ſpectari debent? Niſi ea Apoſtolus ſeparatim conſideraſſet, certè ſuis illis rationibus nihil effeciſſet: quibus tamen ille efficaciſſimè probauit, hominem abſque operibus iuſtificari.

Abrahamus iuſtificatus eſt ante Sacramenti perceptionem.

»» Pergit porrò, nos à uerbis ſentẽtiam diuellere. Sed queſo, quæ tandem ſunt illa uerba, quorum nos ſententiam ita diſcerpimus? Certè ſi quæ habuiſſes, ea tua pro tuo candore lectorem non celauiſſes. Atqui ea criminari, quæ probare non poſſis, non accuſatorum eſt, ſed Sycophantarum & rabularum. Nos autem non turbare Eccleſias, aut ordines tollere, res ipſa ſatis luculenter teſtatur. Mirum tamen eſt quantum Inconſtantius præ ſe ferat ſtudium Eccleſiaſtici ordinis & Συνταξίας. Quæ tamen quàm illi cordi ſit, uita ipſius quam agit, quamq; ſemper egit, apertiſsimè declarat. Nam cum ſe ſcribat, & prædicet epiſcopum, tamen perpetuò gerit profanum magiſtratum; in templis, & præſertim in ſuggeſtu nun-

quam

quam ferè potest conspici: semper autem uersatur in aulis: sed & magnificè pro tribunali, oues domini sui contemnit. An hoc Inconstanti, non est Ecclesiæ faciem, atq; ordinem perturbare? Hæc ego, aliaq; multa decreueram reticere, nisi ea mihi importunitas tua extorsisset.

OBIECTVM LI.

CORPVS Christi, quod frangebatur in cruce, est satisfactio pro peccatis totius mundi. Sacramentum Eucharistiæ non est satisfactio pro peccatis totius mundi: Ergo sacramentum Eucharistiæ non est corpus Christi, quod frangebatur in cruce.

GARDINERVS.



ICET *nemo sic dicat, Sacramentum est satisfactio, tamen in sacramento fatemur, corpus Christi præsens esse, quod satis fecit pro peccatis mundi.*

MARTYR.

COnatur Inconstantius, quantum potest sese hoc argumento explicare. Sed hic nihil aliud, quàm petit id, quod à principio probandum fuit: uidelicet, corpus Christi quod satis fecit pro peccatis mundi uerè, ac propriè contineri in sacramento. Certè qui hoc argumentum adferunt, id non credunt. Quid tu ista dicis tantùm, & non confirmas? Vbi scriptura sic unquam loquuta est, corpus Christi in pane, aut in eius accidentibus cõtineri? Quod tu quasi certum, & confessum assumis, abs te probari non potest, nec authoritatem habet è sacris literis. Argumentum ergo, quod tu uideri uis uno digitulo leuiter depulisse, manet adhuc firmum, & inconcussum.

Addis, nos in uoce illa Sacramentum, ludere. Id enim ais, per figuram dicendi appellari corpus Christi. Ideoq; in argumentis, quæ proprietatem uerborum exigunt, non adhiberi ut proprium terminum ad euitãdum fallendi periculum. Quis hic non miretur Inconstantium scribere, sacramentum Eucharistiæ per dicendi figuram appellari corpus Christi? Hactenus acerrimè clamauit cõtra nos, nullam hic figuram, nullum tropum adhiberi oportere: omnia simplicissimè accipienda esse, & τὸ ῥητὸν interpretationibus non esse offuscandum. Nunc autem, ut constantiam illam suam retineat, scilicet, præter spem omnium, figuratam fatetur esse orationem, cum Papistæ dicant, Sacramentum Eucharistiq; esse corpus Christi. Quid nos aliud aut docemus, aut prædicamus, aut scribimus? Quid amplius uerbum unum commutamus? Redire possumus in gratiam, si Inconstantius constanter, & ex animo ista dicat. Sed, ut est homo, statim redibit ad se, & mos pro more suo figuratores appellabit. Nõ debet ergo posthac indignè ferre, si iubeatur eadem ista in se dicere, & se ipsum cum ista figura dicendi figuratorem appellare. Videtur tamen mihi non satis candidè facere: qui cum in illa oratione figuram esse fateatur, tamen quænam illa sit, non indicarit. Sed condonandum illi est hoc peccatum. Nam, cum nollet Lectorem intelligere, quid sibi uellet, dubia, & incerta reliquit omnia. Deinde dum ita loquitur, uideri uult multa dixisse, cum nihil dixerit.

OBIECTVM LII.

REALIS ista præsentia corporis Christi nihil adfert utilitatis, quòd è spirituali præsentia habere non possimus. Nam dominus in sexto Iohannis edentibus carnem suam promittit uitam æternam: seq; in illis mansurum, & illos in ipso. Amplius autem nihil expectari potest ex prę sentia reali. Est ergo ea inutilis, & superuacanea: eoq; non ponenda.

GARDINERVS.

VIN *omnia possit spiritus, nemo dubitet. Et tamen secundum scripturas annotauit Cyrillus sanctificationem carnis Christi, quam ipsa in mystica benedictione, propter unionem efficit, & est uerè caro uiuifica.*

MARTYR.

PRimùm Inconstantius fatetur, spiritum posse omnia: quod nos quoq; libenter recipimus. Tamen hic sermo est, non de ui, & potentia, sed de re ipsa, & facto. Dominus enim in sexto Iohannis non ait, Qui edit carnem meam, potest habere uitam æternam, sed habet: nec ait, illos posse in se manere, aut se in illis, sed illos re ipsa mansuros in se, & se in illis. Quid ergo mihi nunc iste agenti de facto, obijcit potentiam? Illud enim non erat in controuersia, an hæc fieri possint spiritu dei: sed hoc potius, quid commodi afferat realis illa præsentia carnis Christi in Eucharistia, quod ex spirituali manducatione habere non possimus.

Commemorat deinde sanctificationem carnis Christi, quam illa in mystica
„ benedictione propter unionem efficiat. Est enim uerè caro uiuifica. Atq; ita ait
„ Cyrillum scribere in Iohannem libro 4. cap. 14. Cyrillum interea relinquemus,
„ dum quærimus, quamnam possit quispiam maiorem habere sanctificationem, quàm illa est, qua nos toti habitamus in Christo, & Christus uicissim totus in nobis? Age, Inconstanti: profer quæso, si quid habes Christo sanctius. Si nihil habes, hoc saltē dicito, quánam ille ratione possit magis à nobis participari, quàm ut ille maneat in nobis, & nos in illo. Viuificam autem esse carnem Christi, nunquam dubitauimus. At Christus ipse in sexto Iohannis ait illam uiuificare, cum à nobis spiritualiter comeditur. Quid ergo uos realem istam præsentiam uestram tātoperè urgetis? Nam ea, si ulla esset, quæ re uera nulla est, nihil adferre amplius posset, quàm quod habuimus anteà ex præsentia spirituali. Nemo autem est, qui minus uelit. Sumus enim omnes maiorum donorum cupidi. Si tantundem datur, bis idem datur: quod esset superuacaneum, & nefas esset de Christi Sacramentis dicere. Restat ergo, Cœnam domini symbola tantùm addere ad illam manducationem, quæ describitur in Iohanne: ut illis symbolis ad exercendam interna manducationem uehementius & efficacius incitemur.

Cyrillus. Atq; hoc illud est, quod Cyrillus ait, Benedictionem, quæ apud illum est externum sacramentum, in nobis efficere sanctificationem à carne Christi. Nam externo signo mens excitatur, ut carnem Christi per fidem arctius comprehendat. Ea apprehensa nos sanctificat, & uita æterna donat. Quam autem caro Christi coniunctionem habeat cum benedictione, seu externo sacramento, sepius iam dictum est, nimirùm significationis, quæ per spiritum sanctum sit efficax ad excitandam fidem.

„ Quod autem Inconstantius addit ex suo, eum non comedere spiritualiter cor-

pus

pus Christi, qui non omnia eius instituta libenter agnoscat, & sine ulla dubitatione profiteatur utilissima: & cum certissimũ sit, Christum hanc realem præsentiam instituisse, impium esse de illius utilitate dubitare: istæ sunt, si deo placet, strophæ & artes Inconstãtij. Illis ego hoc primum respondeo, Nos libenter amplecti omnia instituta Christi, & ut ille iussit, in cœna communicare. Id Papistæ de se testari non possunt. Illi enim omnia domini instituta, maximè uerò in hoc Sacramento, præuaricantur. Id autem nullo modo recipio, quod iste quasi concessum assumit, Christum instituisse in Eucharistia realem præsentiam corporis sui. Id enim nec Inconstãtius hactenus probare potuit, & à nobis multiplicibus, & firmissimis rationibus est confutatum. Quæstionem autem illam, quæ utilitas ex reali ista præsentia consequatur, relinquit, ut inutilem & superuacaneã: quo artificio Sophistæ plurimùm ualent, ut id reijciant, atq; extenuent, quod uideant, se non posse dissoluere. Ea istis uidetur inanis quæstio, qua uident, se aperte coargui uanissimi dogmatis, quod tamen obtrudere uolunt populo, & uendítare pro instituto domini. Atqui non ea inanis quæstio est Inconstanti, sed utilis & pia. Omnia enim uendicat spirituali præsentiæ corporis: quod Christus ipse in sexto Iohannis facit. *Sophistarum artificium.*

Addit, Fidelibus ex fide catholica persuasum esse, Christum præsentem esse in Sacramento. Id non erat in controuersia. Nam quod attinet ad diuinam eius naturam & spiritum, conceditur ab omnibus. Quæstio autem est, de corporis & carnis Christi reali præsentia. Illam autem fides catholica, ut iste iactat, ex Verbo dei agnoscit. Ex illis autem tot utilitatibus, quas ait sese nobis offerre, & à pijs hominibus sentiri & prædicari, ne unam quidem commemorat. Ex quo prudens Lector facile potest suspicari, nihil illum ne fingere quidem satis commodè potuisse, quod respõderet. Sed pulchrum est, id ubiq; esse dicere, quod nusquam possis indicare. Verùm, ut est homo delicatus, fortasse ista non satis digna putabat esse ad quæ consignanda stylum summitteret.

Atqui hoc argumento non tantùm Eucharistiam, sed etiam Baptismum impeti à nobis cauillatur. Nam si uerum est, inquit, quod Christus ait, Qui credit in me, habet uitam æternam, quæ erit utilitas Baptismi? Sed scire debet, nostris argumentis nec sanctam Eucharistiam, nec Baptismum labefactari. Neutri enim Sacramento uim seruandi tribuimus. Oportet primùm, ut fides antecedat, qua significata rerum externarum complectamur, à quibus iustitia nostra dimanat. Ea autem iustitia, ut Paulus loquitur ad Romanos, externo sacramẽto obsignatur. Neq; uerò eiusmodi obsignatio inutilis aut superuacanea uideri debet. Ea enim spiritus sanctus utitur ad fidem nostram augendam & excitandam. Cum hęc dicimus & docemus, an uidemur tibi imminuere, aut abolere instituta & Sacramenta Christi? *Sacramento nõ tribuimus uim seruandi.*

Verùm, ut huius hominis nequitiam magis etiam uideas, cogita tecum, Lector, quemadmodum duæ istæ præsentiæ, seu duæ mãducationes corporis Christi inter se conferantur: spiritualis, inquam, quam nos ex scripturis prædicamus: & illa carnalis, quam isti ex suo capite inuentam mordicùs tuentur. In ista nos contendimus, nihil utilitatis posse ostendi, quod non habeat ex altera. At Inconstantius statim sermonem auertit, ad externum usum Sacramenti. At ibi nemo est, qui non uideat, externa specie rerum sensibilium fidem exerceri, atq; incitari: & idcircò Sacramenta à domino fuisse instituta, ut mentis, & fidei nostræ infirmitas adiuuaretur. Ostendi iam, quid usus Sacramenti habeat commodi. Nunc uicissim ipse dicat, si potest, ad præsentiam Christi spiritualem quid carnalis ista præsentia emolumenti adferat. Hoc est ingenuè & dilucidè agere; non, ut iste solet, strophis & cuniculis omnia obscurare.

OBIECTVM LIII.

CORPVS Christi multis profuit ante institutionem huius Sacramenti. At Sacramentum Eucharistiæ prodest tantùm recipientibus. Ergo Eucharistiæ Sacramentum non est corpus Christi.

GARDINERVS.

NON *dicunt catholici, Sacramentum propria appellatione esse Corpus Christi, sed Sacramento contineri corpus Christi.*

MARTYR.

HIc Inconstantius testatur, catholicos non dicere, Sacramentum propria appellatione esse corpus Christi. Istos equidem non nihil suspicor, ne se ipsos quidem intelligere, nedum illos quibus cum disputant. Si quæro ex illis, an dominus in cœna instituerit Sacramentum Eucharistiæ, opinor, non negabunt. Si quero, an de re illa externa, quam tenebat in manibus, dominus dixerit, Hoc est corpus meum, cogentur fateri. Imò de suo etiam addent, propositionẽ illam sine omni tropo, propriè & simpliciter accipiendam esse. Quare cum dicunt, Sacramentum propria loquutione non esse corpus Christi, recedunt à proprietate verborum domini, & aliter loqui uolunt, quàm dominus est loquutus: cumq; figuratores omnibus maledictis & conuitijs defigant, tamen in illis ipsis uerbis, quæ sine omni figura & tropo intelligenda esse clamant, inauditos quosdam tropos & figuras quærunt.

,, Posteà nos traducit, quasi formas negligamus, argumentorum ordinem non
,, feramus, consequentias nõ curemus: quod quàm ab illo contumelioſè falsoq; dicatur, huius argumenti forma, quam perspicuè adducam euidenter indicabit. Ea uerò est huiusmodi: Quicquid est inutile, nisi externo usu accipiatur, non est corpus Christi: Sacramentũ aũt inutile est, nisi externo usu percipiatur: Ergo, Sacramentum non est corpus Christi. Maior propositio liquet. Nam corpus Christi utile est credentibus, quamuis illi re ipsa externo Sacramento non communicent. Veteribus enim patribus profuit, cum nondum esset natum. Minor autem manifesta est. Nam nisi baptizeris, & communices, cum liceat, fructum horum Sacramentorum non habebis. Iam uides, opinor, Inconstanti, nos in argumentis nec materiam, nec formam contemnere. Quid ergo cõquereris, quasi rem tibi sit cum hominibus parùm Dialecticis? Et maiorem propositionem & minorem habes ob oculos. Tu iam uide, utram negare uelis. Cum figura syllogismi negari non possit, si dederis utrãq; propositionem, efficere non potes, quin Conclusio necessariò consequatur.

Quoniam autem nos dicimus, Sacramentũ non prodesse nisi recipientibus,
,, primùm respondet Inconstantius, id Sacramento non esse proprium. Christum
,, enim non prodesse cuiquam, nisi recipiatur. Illum enim uenisse in sua, et suis, quos
,, eum non receperunt, nõ profuisse: alijs tamen sese recipientibus fecisse potestatem, ut filij dei fierent. Sed quorsum tandem ista? An enim Iohãnes loquitur de reali & substantiali perceptione? Certè de illis potius agit, qui non crediderunt in eum: quod haud dubiè ad spiritualem Christi participationem attinet. Instantia tua, Inconstanti, ad rem eam, cui obijciebatur, erat accommodanda. Nos dicimus, corpus domini nõ esse inutile ijs, qui illud externa, & substãtiali perceptione non recipiunt. Prodest enim nũc credẽtibus, & profuit olim antiquis patribus, sine

sine aliquo huiusmodi substantiali & externo usu. Hic si quid falsi est, confutato.

Obijcis, Christum illis non profuisse, qui illum per fidem non receperunt. Fateor: sed hoc cum nostra propositione nihil pugnat. Vtrunq; uerũ est: Christum & absentem prodesse credentibus, & incredulis inutilem esse etiam præsentem. Neq; id à nobis in argumento assumebatur, eam esse propriam notam sacramenti, ut prosit tantùm recipientibus. Id enim conuenit etiam uerbo dei, ut non adferat salutem, nisi recipiatur. Ne sit ergo hæc propria nota Sacramenti. An propterea, quod nos dicimus, falsum erit, Sacramentum non prodesse, nisi sumẽtibus? Etsi esse animal bipes, non sit propria hominis nota, tamen an uerum non erit, Hominem esse animal bipes? Nunc uter, quæso, nostrum argumentandi formas negligit? Vter non patitur ordines? Vter non curat Consequentias?

Sacramentum prodest tantum accipienti.

Posteà tamen, si res procederet ex sententia, uidetur uelle negare minorem. Et quomodò, inquit, probabit hic nobis, Sacramentum prodesse tantùm recipienti, contra articulum fidei, quo credimus Sanctorum cõmunionem, ut uniuscuiusq; membri augmentum cæteris in eadem corporis compage prosit ad ædificationem? Hic ego, quantum uideo, nisi mihi caueo, teneor medius: &, ut sibi persuadet Inconstantius, in fidei articulum impingo. Sed bene habet: salui apud nos sunt articuli fidei. Inconstantij autem acumen nimium hic dilutum est: neq; id sanè alia magis de causa, quàm quòd ad strophas istas suas potius respicit, quã ad uerbum dei. Nos preces piorum incredulis, & non precantibus prodesse, non negamus. Christus enim orauit pro illis, à quibus crucifigebatur, cum illi adhuc essent impij. Ita Stephanus quoq; orauit pro illis, à quibus lapidibus cædebatur. Et Paulus ad Timotheum iubet, ut in Ecclesijs preces habeantur pro omnibus. Sunt etiam alijs utiles admonitiones, doctrinæ, conciones. Ista enim ad alios diriguntur. Fatemur ergo in Ecclesia multa pro alijs cum fructu fieri. Non tamen ex eo sequitur, licere Sacramenta quoq; pro alijs percipere: neq; id Inconstantius, quantumuis contendat, unquam probabit: ut quod presbyter in Missa comedit, aut bibit, id uerè credatur prodesse alijs. Nam Sacramenta data sunt, ut obsignationes suæ cuiusq; propriæ iustitiæ, qui illis utitur. Nec magis licet Eucharistiam pro alio sumere, quàm baptizari pro alio. Quod tamen intelligi uolo de ipsa tantùm Sacramenti perceptione. Nam alioqui nihil obstat, quin in communicando oremus pro alijs, idq; cum illorum, pro quibus oramus, magno fructu. Nec est difficile uidere, quomodò cum hac doctrina statuamus Sanctorũ communionem. De profectu enim, & gloria unius membri cætera quoq; membra lætantur. Non tamen idcircò regeneratio unius est regeneratio alterius: nec comestio unius est comestio alterius. Deinde precibus, doctrina, eleemosynis, admonitionibus, bonis exemplis sancti se mutuò iuuant: atq; ita retinetur communio piorum, etsi nemo aut credat, aut baptizetur, aut Eucharistiam recipiat pro alio.

Preces etiam incredulis prosunt.

Non licet sacramenta pro alijs percipere.

OBIECTVM LIIII.

VETERES in Ecclesia Patres calices habuerunt ex ligno & uitro. Lignum uerò Christi sanguinem facilè imbibisset: Vitrum autem, cum sit ita fragile, sanguinem domini facilè effudisset. Quare credibile est, ueteres non putasse sanguinem Christi in illis uasis substantialiter fuisse. Nam alioqui uideri possent negligenter, ne dicam temerè, illa tractasse.

GARDINERVS.

NON est temeritatis, aut negligentiæ, quæ temporum & locorum ratio dederit, illis, cum alia desint, per necessitatem uti. Et nescit hic argutator ligna quædam tam solida, ut nihil imbibant.

MARTYR.

QVICQVID Inconstantius fabuletur de locorum & temporum ratione, argumentum nostrum nititur probabili cõiectura: Patres, cum essent prudentes & pij, conflare debuisse calices ex alia potius quauis materia, quàm ex ea quæ infusum liquorem imbiberet, aut facilè frangi posset: si idem de Eucharistia credidissent, quod isti somniant. Quòd si inopia obstabat, quò minus aurea, aut argentea uasa possent emere, plumbea tamen, aut stannea non erat ita difficile comparare. Nihil autem moramur, ligna quædam, aut uitra interdum inueniri, quæ istis incommodis non sint obnoxia: partim quia illa rarò inueniuntur, partim quia, quòd minus est periculosum, non caret omninò periculo.

Optatus. Ea uerò quæ Inconstantius adfert ex libro 6. Optati contra Parmenianum, aduersus hoc argumentum nihil faciunt. Neq; enim dubitamus, confirmata iam religione, cum Cæsares iam Christiani essent, Ecclesiam uti cœpisse & aureis poculis, & argenteis. Ex eo tamen non efficitur, ueteres non fuisse usos & ligneis, & uitreis. Quòd certè non fecissent, si uestram istam realem præsentiam credidissent. Nec Ambrosius lib. 2. De Officijs cap. 28. negat maiores suos ligneam, aut uitream materiam ad sacra uasa adhibuisse, etsi posteà, cum res Ecclesiastica esset lautior, auri, argentiq; splẽdor accesserit. Quod autem scribit, sanguinem Christi auro infusum, ut de eo quoq; Inconstãtio respondeam, symbolo attribuit nomẽ rei. Nam quemadmodum Arca dei appellatur deus, Circuncisio fœdus, Agnus Pesach: ita uinum infusum sacro uasi appellabatur sanguis Christi: quod Inconstantius, ut est cæcus, & surdus, nec audire uult, nec intelligere.

Ambrosius. Neq; dissimulandum est, Ambrosium, doctum alioqui, & sanctum uirum, magna hyperbole usum esse, cum diceret, Sanguinem illum Christi diuinæ operationis calici impressisse uirtutem. Quæ si iste sophista contendere uelit, prorsùs, & simpliciter esse dicta, ostendat, quænam diuina uirtus impressa sit calici. Cuius enim diuinæ, & cœlestis uirtutis potest res stupida & inanimis esse capax? An hodiè per calicem, ut olim per uirgam Aaronis, eduntur miracula? Non opinor. Quæ ergo est ista uirtus calicis? Aut quid ille potest, quod alia uasa non possunt? An aliquis inuisibilis, & mẽdax character illi imprimitur, qualem isti suis diaconis, & presbyteris, & episcopis inuri somniant? Fabulæ. Non ergo sensit Ambrosius, huiusmodi uasis nouam aliquam uirtutem, aut dignitatem accedere: sed tantùm ea ad sacrum usum, & Ecclesiæ ministerium destinari. Si quam Inconstantius habeat aliam uirtutem, quam illis tribuat, explicet eam nobis. Et si eam diuinam, & cœlestem esse constiterit, hoc etiam dicat, cur uendendo, conflando, & frangendo calice, ut captiui redimerentur, eam Ambrosius noluerit delere, & irritam facere? Quòd si, uelit nolit, cogitur hic agnoscere hyperbolem, fateatur etiam eandem esse in uerbis illis, quæ præcesserant. Detracta autem hyperbole, nullam omninò uirtutem in poculis hærere intelligemus: nisi ut contineant Sanguineis Christi Sacramentum. Atqui ea ratione, quæcunq; adhibentur ad sacrum ministerium, sacra utcunq; dici possunt.

Chrysostomus. Citat etiam Chrysostomum hom. 51. in Matth. Animarum, inquit ille, munditia opus est: propter quas etiam uasa hæc deus recipit. Et certè non erat ex argento illa mensa, nec ex auro ille calix, quo Christus discipulis præbuit sanguinem

nem ſuum: pretioſa tamen erant omnia & uenerationis plena, quia ſpiritu abun-
dabant. Si Chryſoſtomus notauit his uerbis, quod Inconſtantius etiam fatetur,
mores ſuorum temporum, quòd homines uaſa deſtinata myſterijs pretioſiſſima conquirerent, animorum autem ſuorum munditiem negligerent, cuius primam oportuit eſſe curam, nónne idem eadem opera notat gregem omnem Pàpiſtarum? Apud illos enim ſacrifici, cum ſint omnium bipedum & quadrupedum impuriſſimi, tamen in aris illis ſuis nihil habere uolunt, quod nõ ſit aut aureum, aut argenteum. Sed addit ex eodem Chryſoſtomo: Hæc dico, non quòd uetare uelim talium uaſorum oblationem, ſed quòd dignum putem, ante omnia miſericordiæ & benignitati incumbendum. Nam & uaſa deus ſuſcipit: ſed iſta multò magis illi grata ſunt. Et uaſa quidem danti ſolùm profuerunt: benignitas uerò etiam accipienti. Si diligenter expendas, horum uerborum hæc eſt ſententia: Ait, ſe nolle quidem uetare uſum pretioſorum poculorum: ea tamen parui, uel potius ferè nihili eſſe ſi ad eleemoſynam conferantur. Quòd ſi eleemoſynæ deo ſunt gratiores, quæ inſania, inquit, eſt ad illas potius opes noſtras non cõuertere, præſertim cum Sacramenta nec meliora, nec prẽſtãtiora ſint, cum in aureis, quàm cum in ligneis poculis exhibentur? Verùm hac ego de re non contendo. Tantùm abſit luxus & faſtus: & per me quæuis materia cõgrua adhibeatur. Hoc tantùm dicam, ſemper quo meliora fuerunt Eccleſiæ tempora, eò homines ſimplicius & frugalius Sacramenta adminiſtraſſe. Dicite, Pontifices, ait profanus poëta, in ſacro quid facit aurum? Neque hic mihi quiſquam obijciat Menſam, Arcam & Candelabrũ ueteris tabernaculi. Vmbræ enim iam receſſerunt: à Chriſtianis autem animi aurei exigendi ſunt, poſthabitis figuris, maximè uerò à uobis, Inconſtanti, qui eas tanto odio proſequimini. Curate, ut res ipſæ aliquando populo exhibeantur: cœnam domini abſq; ſordibus, frugali ac tenui apparatu, quòd quidem ad iſta externa attinet, celebrate.

Meliorib. temporibus frugalius adminiſtrabantur ſacramenta.

Sed audiamus Theophylactum. Is enim, ut ait Inconſtantius, cap. 14. in Marcum grauiter increpat eos, qui prætextu pauperum, aurea uaſa detraherẽt ſacrificio. Sic enim ſcribit: Audiant igitur, quomodò Chriſtus præferat ſui curã pauperibus, Chriſti autem corpus propriè, quod in diſco aureo: & ſanguis, qui in poculo. Qui igitur abſtulerit diſcum pretioſum, & cogit, ut corpus Chriſti in uilio ri ponatur, prætexens ſcilicet, pauperes, ſciat cuius partis ſit. Hæc Theophylactus. Hinc Inconſtantius colligit, fuiſſe etiam ueteribus aurea & argentea uaſa in miniſterio. Tamen, uelit, nolit, ex Triburienſi Cõcilio cogitur fateri, lignea quoque & uitrea uaſa aliquando fuiſſe in uſu. Velim autem hoc mihi unum reſpondeat, in illáne tenuitate Eccleſia melius tum habuerit, an poſteà in iſta pompa? Si tergiuerſabitur, pro illo Bonifacius Martyr reſpondebit, Olim aureos fuiſſe ſacerdotes, cum calices eſſent lignei: poſteà uerò, cum calices eſſent aurei, ſacerdotes euaſiſſe ligneos. Quòd ſi miniſtri, ut Bonifacius teſtatur, erãt in illa ſimplicitate meliores, ueriſimile eſt, eos de Sacramentis rectius iudicaſſe, quàm illos deteriores & ligneos, qui poſteà ſequuti ſunt: atq; ita nobiſcum potius, quàm cum iſtis Sarcophagis et Tranſubſtantiatoribus ſenſiſſe. Neq; illam tenuitatem Inconſtantius temporum iniquitati, aut hominum inopiæ debet aſſignare. Nunquam enim fuit Chriſtianorum hominũ tam tenuis fortuna, quin ut unum, aut alterum argenteum poculum ad ſacram cœnam ſibi potuerint coëmere: aut certè ex aliquo uiliori metallo, quantumuis res omnes aduerſæ eſſent. Sed, ut ad Theophylactum redeam, uideo illum cũ Ambroſio uerbis diſertiſſimis pugnare. Ille enim antiquus, & pius pater ad redimendos captiuos calices aureos uendendos & conflandos eſſe cenſuit: iſte autem eum, qui, ut iuuentur pauperes, cogit corpus domini in diſco uiliori collocari, habet pro Iuda proditore. Ego ue

Bonifacius Martyr in concilio Triburienſi.

Theophylactus pugnat cũ Ambroſio.

rò eum aduersus Ambrosij tam piam, et grauem sententiã nullo modo tueri possum: nisi ille fortè prætextum tantùm, & uanam excusationem quorundam hominum intelligat, qui, ut Iudas, nihil sollicíti fuerint de pauperibus, sed tantum aureos templorum calices in suam rem conferre uoluerint specioso titulo eleemosynarum. Illi certè, quicunque sunt, ut hypocritæ, auari, sacrilegi iure optimo debent accusari. Videat ergo Theophylactus ipse, quid sibi uoluerit. Ego enim illi, ut ne quid dissimilem, nunquam multum tribuendum censui.

Inconstãtius cupidus aureæ ac argẽteæ suppellectilis.

Mirari autem non debes, Lector, Inconstantium de aureis poculis, & ornamentis tantoperè contendere. Nam ille præter se ipsum, alia omnia uult habere aurea: aulam suam auro, argentoq; undiq; relucere: famulos holosericatos & torquatos per publicum magnificè uehi. Quare cum domi suæ auream supellectilem semper tanti fecerit, mirum non est si in templis quoq; hoc genere uoluptatis sese uoluerit oblectare. Iactat postremò occasione huius argumenti se demonstrasse, in calicibus sacris, ex quacunq; tandem materia fuerint, uerum corpus & uerum sanguinem Christi contineri. Idq; ait, in Ecclesia semper fuisse receptum, & creditum. Sed stupidos oportet Lectores esse, qui non uideant, quibus ille argumentis hoc effecerit. Certè ita uerè & fortiter hoc probauit, atq; argumentum nostrum dilucidè, aperteq; dissoluit.

OBIECTVM LV.

VETERES Eucharistiæ Sacramentum pueris in manus dabant, ut illud deferrent domum. Quare uel nimium erant in ea re negligentes, uel corpus Christi substantialiter in eo esse non credebant.

GARDINERVS.

DEEST *huic conclusioni tertium membrum, quod ego adijciam: Hoc est, Vel hic argutator de ueteribus fingit & mentitur impudentissimè.*

MARTYR.

QVod Inconstantius addit pro tertio membro nostræ conclusionis, id potuit ex suo liberaliter dare. Fictionibus enim & mendacijs satis superq; abundat. Etsi autem uitium istud suũ nobis maximè uelit affricare, tamen nõ dubito, nos mũdos fore: & illum suã sibi mendaciorũ lepram & tentiginẽ habiturũ.

Primùm cauillatur, nos ex uno facto, quod apud Eusebium legimus, uelle conclusionem indefinitam colligere. Nõ autem cogitat, eos, qui mores ueterum describunt ex historijs, & illis, quæ aliquando facta legunt, consuetudinem & instituta colligere illorum temporum. Vt, quia in diuinis literis legimus, Iudam filium Iacobi defuncto primo filio suo, Thamaram nurum secũdo filio collocasse, illo autem etiã mortuo iussisse, ut uidua expectaret, quoad tertius adolesceret, qui cum ea posset contrahere matrimonium: colligimus ex illo uno facto, consuetudinẽ eam fuisse, etiã ante legem, ut, cũ quispiam esset mortuus sine liberis, eius frater, aut qui esset genere ꝓximus, uxorẽ illius relictã duceret, & ex ea fratri demortuo sobolẽ susciaret. Aut, ut ex eo, quod semel legimus, Iacobum cum primogenituã à Rubeno ad Ioſephum transtulisset, duplicẽ illi partem assignasse, nõ absurdè cõcludimus, morem illum fuisse ante legem, ut primogenitis duæ partes hæreditatis à parentib. testamento legarentur, ita ex eo, quod factum narras.

narrat Eusebius, rectè colligimus, quæ fuerit consuetudo illis temporibus in Ecclesia. Non, opinor, nimium sollicitè uidendum est, quæ fuerit persona, quæ illud fecerit. Erat enim minister Ecclesiæ. Nec est probabile, illum committere uoluisse, quod non uidisset ab alijs solere fieri. Aut unde tu nosti illud semel tantùm accidisse? Aut quî scis, illum solum uoluisse facere, quod ab alijs fieri non uidisset? An hoc ascribit Eusebius, illum hoc fecisse contra morem? An factum reprehendit? An admonet Lectores, ne talia in exemplum trahant? Si nihil horum responderi potest, quid hoc factum inusitatum, & singulare fuisse cauillaris? *Eusebius.*

Cæterùm huius sophistæ callidítatem, quam simplex Lector fortasse nõ olfaceret, operæpretium erit paucis retegere. Nostri ut ostenderent, quanta cum simplicitate ueteres usi fuerint hoc sacramento, multa exempla, & signa firmissima coaceruarunt: quale sit, Veteres in sacra Cœna usos fuisse calicibus ligneis: tempore Cypriani mulieres consueuisse sacramentum domi asseruare in cistis: tempore Hieronymi nouos coniuges Eucharistiam sumpsisse domi: tempore Tertulliani, morem fuisse, ut Eucharistia domi comederetur ante alios cibos, sacrum potum datum fuisse infantibus, quem facilè possent reuomere: Satyrum fratrem Ambrosij habuisse Eucharistiam, cum adhuc Catechumenus esset, in orario: à D. Benedicto iussam ingeri in os defunctæ sanctimonialis: & alia hoc genus plura: quæ sanè omnia simul coniuncta fidem probabilem possent facere, Veteres non putasse in illo pane corpus Christi substantialiter contineri: quod argumentum neminem esse puto, qui micam habeat aut candoris, aut sanæ mentis, cui nõ possit uideri probabile: hæc, inquam, omnia cum nostri, firmioribus anteà rationibus causa confirmata, ad extremum conglobassent, Inconstantius ea singula seorsim paratim distraxit, & dissoluit: atq; ita seorsim unumquodq; explicat, & confutat, ac si id peculiare esset nostrum argumentum. Hac, scilicet, arte debellat aduersarios: &, quasi re bene gesta, sibi ipsi canit pæana. Didicit hoc, opinor, ex Medea: quæ ut facilius effugeret, fratrem suum membratim discerpsit. Ita iste nostra discerpit argumenta, eaq; barbarissimè lacerat, ut cum ea ita dissipata iaceant, ipse effugiat: & insequentes admiratione fraudulenti artificij perturbati restitent, & fugientẽ tardius persequantur. Falleris tamen, Inconstanti. Nos enim adsumus, & de singulis membris argumenti nostri reddituri sumus rationem. *Nota ueterum simplicem Eucharistiæ tractationem.* *Medea.*

Nam quòd rixaris, particulam Eucharistiæ puero non fuisse datam in manum, friuolum tantùm est, & contentiosum. Neq; enim adfuisti coràm, qui nobis ista renuntiares. Puerum autem illum manu sua Eucharistiam attigisse, non potest dubitari. Eusebius enim ait, presbyterum illi mandasse, ut illam uino infunderet, & in os moribundi senis instillaret. Quomodò autem potuisset puer ista facere, nisi Eucharistiam digitis attrectaret? An eum putas usum fuisse chirothecis, ne nudis manibus sacramentum profanaret? Cur tibi lingua mundior uidetur esse, quàm manus? Apud uos Laicis fas est ore, lingua, dentibus sacramentum attingere. Si quis autem eorum illud manu, aut digito contrectet, scelus id iudicatis esse piaculare. Quasi uerò nesciamus ex historijs, & Veteribus patribus, Eucharistiã olim in ueteri Ecclesia populo dari solitam fuisse in manus. Sed in istis rixis libenter sese iactat Inconstãtius. Ita enim uisus est sibi primùm posse tempus terere: deinde acumen aliquod ingenij sui uenditare: posteà etiam sanctissimi illius Regis Eduardi instituta perstringere: postremò ueritatem obfuscare. *Lingua non est magis digna quæ tangat Eucharistiam quã manus.*

Sed ne uideatur parùm ineptire, puerum illum contendit nõ usq; adeò fuisse paruulum. Imò probabile esse, illum fuisse grandiusculum, qui potuerit à presbytero moneri, quid facto opus esset. Quasi uerò nostra id magni referat, qua ætate puer ille fuerit. Satis est, fuisse profanum, ut uos dicitis, & laicum. Aegrotãtis ,, ,, ,,

presbyteri nepos erat ex filia: puer erat, non seruus. Sed cum in historia appelletur puer, Inconstantius illi uoluit ætatem adiungere, ut ex puero uirum faceret. Mirum autem est, eum illi tintinnabula non dedisse in manum cum laterna, ne sanctum panem uideatur parùm honorificè gestauisse. Verùm cum ex historia id exprimere non possit, eò tandem confugit, ut id dicat semel tantùm, idq; magna urgente necessitate fuisse factum. Quod ab eo quàm uerè, quamq; ad præsens negotium appositè dicatur, prudens lector iudicabit. Hoc tantùm unum uelim mihi respondeat Inconstantius, an hodiè in ulla huiusmodi necessitate, uidelicet, ne quis, ut loqui solent, sine uiatico moriatur, uelit puero tradere Eucharistiam domum ad ægrotum deferendam? Si id tum licuit, cur hodiè quoq; non liceat? Eadem est Ecclesia, & eadem sacramentorum necessitas. Sed frustrà quæro: nunquam tradet. Dicat ergo, quæ illa tum fuerit necessitas, cur hodiè quoq; non possit eadem contingere. Aut desinat commentitiam illam necessitatem excusare: & superstitionem ætatis nostræ sinat à nobis iustè, ac meritò reprehendi.

„ Sed ne hoc quidem tacendum arbitror, panem Eucharistiæ ita asseruatum, & do
„ mum missum ad ægrotum, ab Inconstantio appellari sacrificium. Quæ ratio loquendi, quàm rectè conueniat cum sacris literis, ipse uiderit. Sed quoniam hac de re alibi occurret aptior dicendi locus, ideò de ea nunc dicere supersedebo.

„ Vltimo uerò loco, quasi pro Colophone monet Inconstãtius, nihil nobis cre
„ dendum esse de uerbis dei, qui de uerbis hominum ita impudenter mentiamur. Hæc uerba si tam uera essent, quàm sunt acerba, & uirulenta, possent me fortasse nonnihil permouere. Sed quoniam nos nihil in hac re finxisse, & historia Ecclesiastica, & Patres satis docent, nihil autem est Inconstantio familiarius, quàm magnificè mentiri, patiatur sanè, ista maledicta, quæ in nos iecit, illibata, atq; integra ad se redire.

OBIECTVM LVI.

EA EST natura sacramẽti, ut res significata ab eo absit, etsi signum interim gerat nomẽ rei significatæ: quemadmodum uidere licet in omnibus sacramentis cum Veteris, tum etiam Noui testamenti. Igitur in Eucharistia quoq; res significata, hoc est corpus Christi, absens est.

GARDINERVS.

NOVAE *Legis Sacramenta res præsentes exhibent: quo uno nomine sacramentis ueterum sunt uberiora.*

MARTYR.

PRiusquam me ad responsionem cõfero, hoc operæpretium erit lectorem admonere: Cum de absentia earum rerum, quæ per sacramẽta significãtur, ageretur, authorem huius argumenti id sibi uoluisse, nullum inueniri sacramẽtum, quod in se rem ipsam delitescentem habeat, quam significat. An autem res significata extet, duret, & adhuc maneat, non contenditur. Id enim interdum dari potest, interdum pro rei natura non potest.

Sacramenta nõ sunt latibula seu loculi rerũ significatarum.

Id solùm est in controuersia, an sacramenta uideri debeant latibula quædam, & loculi, in quibus res significatæ absconditæ delitescant. Nostra uerò sententia facilè potest dilucida inductione confirmari. Sacramentum Baptismi significat mortem, & sepulturam Christi, quæ iam olim præterierunt, & condonationem pecca-

peccatorum, quæ in uoluntate dei fita eſt noſtris peccatis ignoſcentis, & gratiam regenerationis, quam baptizati habent, & in animo & in corpore. Non tamen illa cum aquis coniungitur, aut illis cooperitur, ut ita inuoluta tranſeat in baptizatos. Circunciſio fœdus, olim à deo ictum cũ Abrahamo, ſignificabat: *Inductio.* & Chriſtum ex Abrahami ſtirpe naſciturum adumbrabat: quorum alterum iam præterierat: alterum expectabatur. Sacrificia certæ quędam erant notæ Chriſti aliquando morituri: & idcircò rem eam, quam ſignificabant, præſentem habere non poterant. Sacra cœna memoria eſt mortis Chriſti, quæ iam olim præterijt. Significat etiam coniunctionem eam, quæ inter nos & Chriſtum intercedit. Eam autem, cum primùm ad Chriſtum acceſſimus, per fidem nacti ſumus. Talem ergo eſſe naturam Sacramentorum, ut rem ſignificatam ſubſtantialiter in ſe præſentem non habeant, ex hac inductione ſatis, ut opinor, liquere poteſt. Supereſt ergo corpus & ſanguinem domini, quæ pane & uino referuntur, in illis re ipſa, & propriè non contineri, utęp iſti dicunt corporaliter delitescere.

Iam uideamus, quid reſponderi poſſit Inconſtantio. Ab initio, ceu modeſtus aliquis diſputator, accipit id, quod nemo ſanus illi conceſſerit: uidelicet,, Sacramenta nouæ Legis res ipſas præſentes exhibere: & illa eo uno nomine Sa,, cramentis ueterum eſſe uberiora. Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana, in Iohan *Auguſtinus.* nem, in Pſalmos, & multis alijs in locis longè aliter deſcribit nobis diſcrimina utriuſque Teſtamenti: nimirùm, quòd iſta pauciora, faciliora, auguſtiora, clariora ſint, quàm illa fuerint. Quòd ſi quando uel Auguſtinus, uel alij patres fortè dicant, ueterum Sacramenta ſalutem promiſiſſe, noſtra autem illam re ipſa dare, *Diſtinctio Sacramentorũ ueterũ et nouorũ.* longè tamen aliter ſenſerunt, quàm Inconſtantius. Ad Chriſtum enim illi ſperabant, quem Legis myſteria uenturum promittebant: Euangelij autem Sacramenta eum teſtantur iam ueniſſe. Illa redemptionem aliquando futuram eſſe indicabant: Baptiſmus autem & Euchariſtia pretium iamdudum pro nobis in cruce datum eſſe, clariſſimè & euidentiſſimè docent. Alioqui nec ueterum patrum, nec noſtra Sacramenta re ipſa et ſubſtantialiter in ſe carnem & ſanguinem Chriſti concluſa continent. Vtrinque erat rerum iſtarum ſignificatio, & in illorum Sacramentis, & in noſtris: etſi ſignificandi modus non ſit idem, uel quòd ad temporum rationem, uel quòd typorum diuerſitatem attinet. Res ipſæ, archetypa, exemplaria, eadem nunc noſtra ſunt, quæ erant olim patrum. Signa autem ipſa non parùm ſunt immutata. Dominus illis proponebatur aliquando dandus: nobis autem iam datus, & in cœlis regnans oſtenditur.

Certè Paulus nouum hoc Gardineri diſcrimen Legis, & Euangelij non agnoſcit. Imò contrà potius ait, patres fuiſſe baptizatos, & eundem nobiſcum cibum ſpiritualem manducaſſe, eundemęp potum ſpiritualem bibiſſe. Néue dubites illum de noſtro cibo & potu ſpirituali loqui, addit dilucidiſſimam interpretationem. Illam enim petram, ex qua patres biberunt, affirmat fuiſſe Chriſtum. Proinde quod tanta authoritate ſibi aſſumpſit Inconſtantius, id intelligat ſibi non eſſe datum: nec certè dandum, niſi id argumentis firmioribus comprobauerit. Sed nemo alius eſt, à quo id minus poſſimus expectare. Neęp enim iuſtas, & ſolidas rationes quærit: ſed ut Sophiſtæ ſolent, nouas tantùm rixas commouet.

Subtiliores enim neſcio quos, nobis Sacramentarios obijcit, quibus abſur,, dum uideatur, corpus & ſanguinem domini omninò abeſſe ab Euchariſtia.,, Ideoęp eos ait præſentiam quandam fingere, quæ re ipſa non conſtet: ſed quæ,, tantùm ſit quadam fidei noſtræ efficacia. Itaque nos ait, tanquam homines quoſ,, dam rudiores, collegarum noſtrorum euulgaſſe myſteria. Eoęp fatetur, nos, etſi,,

,, simus tardiores, minus tamen esse malos. Ista illa sunt, pie lector, ad quæ te anxie
care uoluit Inconstantius, cum discrimen illud suum inter Legem & Euan-
gelium, quod posuerat, probare non posset. Quæ tamen eius παίρεργα, ne sic
abeant, ut ille in sinu gaudeat, quasi nos inter nos dissentire, & in factiones, &
schismata distractos esse uerè dixerit, sciat nos nihil alienum ab illis, ut appellat,
subtilioribus sacramentarijs, aut credere, aut docere. Nam si Eucharistiam inte-
gram, hoc est, symbolum & rem significatam intelligas, ea constat duabus parti-
Irenæus. bus, ut ait Irenæus, una cœlesti, altera terrena. Cœlestem fide complectimur: ter-
renam ore corporis. Imò etiam ab ipsa cœna, ut ea in cœlo perficiẽ, & à men-
Vt caro Christi non absit à sacra cœna. tibus nostris ibi per fidem uersantibus absoluitur, caro Christi abesse non potest.
Imò Christus totus integer & plenus adest: eoq; nos & fruimur & alimur, & ad
æternam salutem sustentamur.

Quoniam autem nunc agitur de ratione, qua corpus & sanguis Christi cum
pane & uino coniunguntur, idcircò, ne in Transubstantiatores & alios Sarco-
phagos impingamus, ea re ipsa abesse à symbolis, apertè & ingenuè profitemur.
Humanam tamen Christi naturam dicimus adesse cœtui communicantium, &
symbolis per communicationem idiomatum: quemadmodum in capite sexto
Iohannis filius hominis dicebatur esse in cœlo, quando cum Iudæis loqueretur
in terris, propter naturam diuinam, quæ ut est infinita, ita implet omnia. Nul-
lum ergo est inter nos dissidium, nisi quantum iste omnis ueræ pacis acerbissi-
mus hostis esse fingit. Spiritualem præsentiam, quæ ad animũ, & ad fidem per-
tinet, omnes confitemur: idiomatum etiam communionem omnes agnoscimus.
Substantialem autem & carnalem colligationem corporis & sanguinis domini
cum pane & uino, aut cum illorum accidentibus, rem uanam & commentitiam
esse certissimis rationibus cõfirmauimus. Sentimus item, unà corpus Christi hic
in cœlo esse, ut non amplius in terris per multa loca uagetur, aut diffundatur.

Neque uerò nos mouere debet, quòd ab istis animalibus, ut Paulus ait, ho-
minibus, Sacramentarij inuidioso nomine appellemur. Nam cum agatur de Sa-
cramentis, à natura Sacramentorũ nolle discedere, quid aliud est, quàm ex pro-
prijs uelle disputare?

,, Quòd autem fabulatur, nos malle constituere, Eucharistiam esse totum pa-
,, nem cum accidente corporis Christi, quàm uerum corpus Christi cum acciden-
,, tibus panis, ut ingenuè fatear, non intelligo, quid sibi uelit: nisi forte Accidens
intelligat respectum, quem pani & uino attribuimus, cum ad usum sacræ cœnæ
accommodantur. Ea enim quadam relatione repręsentãt nobis res significatas.
Ille tamen respectus rationis, ut dicunt, est: et ad mentem fide imbutam pertinet.
Hoc autem genus accidentis si Inconstantius intelligat, miror, cur illud dicat es-
se corporis Christi. Relatio enim illa sacrorum uerborum non magis ad illud
pertinet, quàm ad sacramenti externa signa. Sed nonnihil uereor, ne iste, ut
est ubique perspicuus, se ipsum non intellexerit: sed ornamentum aliquod Rhe-
toricum potius captauerit, quàm ut sententiæ rationem ullam habuerit. Quàm
autem naturæ sacramentorum cõueniat, res ipsas significatas in se delitescentes
non habere, sperò me satis perspicua inductione probasse. Cumq; singula, quæ à
me allata sunt, certissimam euidentiam habeant ex diuinis literis, nõ uideo, quid
iste Sophista possit conqueri.

,, Friuolum enim est, quod addit, in mysterio Eucharistiæ ad instituentis do-
,, mini uerba confugiendum esse: nam ex illis ait, rectius concludi, corpus Christi
præsens adesse. Sed quàm graue genus hoc sit probationis, nõ grauarer in præ-
sentia pluribus dicere, nisi satis iam suprà, quemadmodum uerba illa intelligen-
da sint, ostendissem.

OBIECTVM LVII. LVIII. LIX.

Ista tria malui coniungere, quàm ad singula respondere: quoniam idem omninò continent argumentum.

IN sacramento Eucharistiæ non uidentur ponenda tot miracula, quot isti, cum panem & uinum transubstantiant, cogũtur inuenire. Nazianzenus enim cum omnia Christi miracula persequatur, mentionem nullam facit de Transubstantiatione: imò ne ille quidem liber, qui ascribitur Augustino de Mirabilibus sacræ scripturæ. Quod certè non uidetur illis fuisse prætereundũ silentio, si idem sensissent, quod hodiè Papistæ. Cumq; sancta scriptura neminem adigat ad credẽdum, corpus Christi realiter, corporaliter, & naturaliter in pane cõtineri, multiplicare tot miracula, sine aliquo eius certo testimonio, nec religiosum, nec Theologicũ uidetur. Huc accedit, omnia miracula uel ratione, uel sensuum experientia intelligi, uel scripturarum disertis uerbis probari posse. Ita enim Maria sensit, se concepisse è spiritu sancto: idq; scripturæ apertè docent. Sancti quoq; sentiunt, animum sibi immutari, cum à pristina sua cõuersatione regenerantur. Hæc autem miracula, quæ isti confinxerunt, nec sensu, nec ratione, nec scripturæ testimonio intelliguntur. Quare Papistæ, cũ urgentur in disputando, frustrà implorant opẽ à miraculis.

GARDINERVS.

MAGNA *cura egisse uidentur patres Catholici, ne religionis nostræ mysteria euulgarentur, ea præsertim, quæ Ethnici, ueluti carnali iudicio stulta deriderent.*

MARTYR.

TOt, ac tãta miracula Inconstantius fingit ideò tacita fuisse à Patribus, quòd illi timerent, ne religionis nostræ mysteria euulgarentur: & ea præsertim, quę Ethnicis carnalibus possent uideri ridenda. Itaq; ait, Augustinum, cum loqueretur de arcano Eucharistiæ, ita dixisse, Quod norunt fideles. Ea autem uerba ostendere altissimorum miraculorum significationem. Cum nulla occurreret Inconstantio iusta, & probabilis responsio, non incommodum tamen illi uidebatur, ut se reciperet ad suspiciones. Patres ait cauisse sibi, ne irriderentur ab Ethnicis. Nominatim autem commemorat Augustinum: quasi uerò eius ætate religio Christiana ita fuerit obscura. Non sat commodè temporibus diuisa erant tibi Daue hæc. Deinde illud etiam cogitare debuit, Patres non Ethnicis, sed Ecclesijs Christi lucubrationes suas conscripsisse. Quare etsi non Gentibus, tamen saltem Christianis fidelibus illa miracula erant aliquando proponenda: ut de illis gratias agerent, & in fide quotidiè magis, ac magis promouerent. Quod aũt Augustinus aliquãdo in Cõcione dixit, Norũt fideles, id dixit propter Catechumenos: quibus ad sacrã dñi mensam admitti, et mysterijs interesse non licuit. Sed uelim mihi uerè expediri, unde Inconstantius auguretur, uerba illa, Norunt fideles, notent tam recondita miracula. Multa enim fideles ad salutem perti

Augustini tempore Christiana religio erat uulgata.

Catechumeni non communicabant.

nentia norunt, quæ miracula non sunt, eo certè modo, quo nos nunc loquimur de miraculis. Tres esse personas in una & eadem essentia, omnes Christiani confitentur: quod tamen non est miraculum. Aeternam dei prædestinationem electorum ad salutem Ecclesia credit: quod tamen miraculum esse, non prædicat. Credimus Christi mortem, & sepulturam, & Ecclesiam Catholicam per totum terrarum orbem diffusam: & alia id genus multa soli fideles nouimus, & profitemur: quæ tamen nemo, qui propriè loqui uelit, appellarit unquã miracula. Sed pugnat mirificè secum Inconstantius. Nam cum prius constanter dixisset, Patres nullam fecisse mẽtionem istorum miraculorum in Eucharistia, ne uidelicet riderentur ab Ethnicis, posteà tamen subijcit, ea Patrum sententijs posse confirmari. Quòd si Patres, ut tu ab initio dixisti, tantum studium adhibuerunt, ne ista miracula euulgarentur, cur ea posteà publicarunt. An tibi prospiciebant, ne tu aliquando excluſus omnibus scripturis, & rationibus, careres testibus? Si tacẽt, si ista miracula domi continent, si nihil dicunt, quomodò tibi ferunt testimoniũ? Sed hæc est fortuna mendaciorum, ut inter se ipsa nunquam consentiant.

Multa creduntur quæ non sunt miracula.

Addit, nec Augustinum, nec Nazianzenum omnia Christi miracula recensuisse: &, si omnia & potuissent, & uoluissent, magnam tamen fuisse causam, cur ista iudicarint reticenda. Imò ea cum primis debuerunt populo inculcare. Erat enim illorum usus in Ecclesia frequentissimus. Neq; idcircò eduntur à deo miracula, ut obscura, & neglecta iaceant: sed potius ut uerba dei, & sanam doctrinam confirment. Quare oportet ea uel maximè esse euidentia. Imò etsi homines curent ea obscurare, & tegere, tamen deus ea uult palàm publicari. Neq; enim sua dona in terram defossa atq; abdita occultari patitur. Itaq; quæ uerè sunt miracula, ea sacra scriptura non tacet. Christus in nuptijs aquam conuertit in uinum. Id factum historia Euangelica habet pro miraculo. Eadem historia narrat mortuos reuocatos ad uitam: ægrotos restitutos: ficum uirentem exaruisse. Quæ ergo causa est, cur taceat, panem conuersum in carnem, & uinum in sanguinem? Hic Inconstantius, cum se ipsum explicare non posset, tamen cõstanter asseruit, maximam fuisse causam, cur illa tacerentur. Interim tamen, quænam illa causa fuerit, non ostendit: nisi fortè ad illud redire uelit, quod à principio dixit, Patres ista obscurasse, ne riderentur ab Ethnicis. Quasi uerò Virginem peperisse, uerũ deum factum esse hominem, eumq; mortuum fuisse, & resurrexisse, & alia sexcenta huius generis ab infidelibus non rideãtur. At ea tamen & in scripturis palam sim, & in Patribus non obscurè inculcantur.

Miracula non eduntur à deo, ut obscura iaceant.

Posteà uerò, cum huius silentij nullam satis iustam causam posset comminisci, de argumenti forma rixari uoluit. Ait enim, non esse satis solidum argumentum, ideò ista miracula nõ extare, quòd nõ recenseantur nominatim. Sæpè enim fieri, ut quod alibi taceatur uerbis, alibi sententia exprimatur. Eucharistiæ autem miraculum tum scripturis, tum etiã Patrum sententijs probari posse. De argumento primùm nihil est, cur tergiuersetur. Etsi enim aliquid esse possit, quod in sacris literis non prodatur, id tamen, quicquid est, nec ut articulus fidei, nec ut res creditu necessaria obtrudi debet. Quis enim nostrum dubitet, esse quædam arcana dei, quæ non liceat homini loqui? Ea tamen quæcunq; sunt, quoniam scripturis non sunt prodita, sub fidei professionem non cadunt. Ista autem noua miracula si Inconstantius è scripturis docere potest, quid tam diu cunctatur? Hoc enim nos expectamus, quærimus, rogamus. Vbi hoc ostenderit, nihil erit amplius controuersiæ: uicerit. Quare aut locum aliquem è scripturis euidentẽ proferat: aut miraculum suum ex scripturis efficaciter concludat: aut, quod non possit, id se posse, tam magnificè iactare desinat. At ille ne sui fortè dissimilis uideretur, sepositis modestè diuinis literis, se se referre maluit ad Patres.

Nihil credendũ obtrudi debet, quod ex sacris literis non habeatur.

Chry-

Chrysostomus, inquit, libro tertio, De Sacerdotio exclamat, O miraculum; & Emissenus, Honora, inquit, & mirare corpus dei tui: & Ambrosius confert Eucharistiam cum summis ueteris Testamenti miraculis. Cyrillus etiam, inquit, ut hoc miraculum crederetur, citauit in ueteri Lege edita à deo miracula: nimirum sentiens, hoc quoq; esse ingens miraculum. Hoc in primis de Inconstantio iure optimo possum conqueri: quòd cum testimonia requirantur è scripturis, ita repente sese auertat ad patres: quod tamen ego illum nõ malitia fecisse puto; sed uel quòd patres, & scripturas eodem loco, & numero habeat, quod fortasse Magistrum suum Petrum Lombardũ passim fecisse uiderat: uel quòd scripturarum oraculis destitutus, speret, se obtrudere nobis posse pro articulis fidei, quicquid uspiam uideat dictum à patribus. Sed longè errat. Neque enim ipsi patres ullo modo conferri uolunt scripta sua cum sacris literis: deinde non quæcunq; ab illis dicta, aut scripta sunt, statim recipienda, sed cum delectu, & iudicio legenda, atque expendenda sunt. Itaque quoties illos legimus statuere miraculum in Eucharistia, intelligere debemus, eos abuti nomine miraculi: quod etiam scriptores Latini non rarò faciũt. Res enim magnas, et inexpectatas, & opinionem, non autem naturam, superantes, appellant miracula. Ea loquendi forma ueteres Ecclesiæ scriptores mortem, sermones, conuersationem domini in terris miracula dixerunt. Cæterùm nos in præsentia Transubstantiationes, Accidentia sine subiecto, Corpus humanum idem in infinitis locis, & alia sexcenta portenta huius generis, quæ naturas rerum corrumpant, mutent, abijciant, quæ nec sensu, nec ratione possint percipi, siquidem ea credenda sint, cupimus nobis scripturarum testimonio confirmari. Hoc autem patres in Eucharistia dixerunt miraculum, quòd pij interim, dum communicant, unà cũ pane & uino, quæ ore corporis recipiuntur, animo & mente corpus & sanguinem domini comedant & bibant, & ui fidei subuecti in cœlum ibi manducent panem in mensa dei, ad consequendam uitam æternam. Magnum etiam est, & longè suprà omnem uim naturæ, quòd spiritus sanctus externis istis elementis uti uelit, quò nos intus animo & spiritu confirmemur. Atque ea ratione magnum etiam miraculum est Verbum dei, per quod deus uim suam & potentiam ad instaurandos & renouandos homines exerit, & declarat. Ita Chrysostomus in Baptismo quoq; multa dicit esse miracula: quibus tamen uerbis non intelligit ista prodigia, quasi naturę rerum abijciantur, & illis, nescio quæ aliæ nouæ sufficiantur: qualia illa sunt, quę isti de quinqueuerbia excantatione orbi terrarum prodiderunt. Ista ea sunt miracula Inconstanti, quæ tu nec ex scripturis unquam, nec ex patribus probare poteris.

Non æquiparãt sua scripta patres ad sacras literas.

Quid interdum miraculum dicatur, sed improprie.

Quæ miracula in Eucharistia cõcedi possint.

Chrysostomus.

Sed negas à te multiplicari miracula, cum explices ueritates iuxta scripturas. Nos autem addis ueritatem calumniari, cũ uerbis alienis & calumnijs eam efferamus. Qui ueritates explicant iuxta scripturas, certa quædam loca ex diuinis literis adducere solent, quibus ueritates eas confirment, quas probare uelint. Cum autem sophista ista sua miracula nullo testimonio sacrarum literarum probare possit, quo ore iactat, se explicare ueritates iuxta scripturas? Suas autem istas ueritates inuidiosis, & alienis uerbis à nobis efferri, iniustè queritur, quemadmodum docebimus. Verùm, ut ita esset, iniuriam tamẽ nõ illatam sibi, sed repositam intelligere debuit. Ille enim nostra argumenta nunquã ferè retulit bona fide: & semper, quocunque genere uerborum potest, omne in nos odium suum & uirus euomit. Cum ille hæc perpetuò faciat, aliquando non iniuria experiri posset similia. Nos tamen erga eum semper maiori modestia usi simus.

Sed audiamus, cur ita ab isto accusemur. Quis, inquit, catholicus ita loquitur, corpus Christi comprehendi in pane realiter, corporaliter, naturaliter? Quæ

,, uerba talem modum præsentiæ insinuant, qualem Ecclesia non docuit. Adhæc
,, negat, catholicos dicere, pane comprehendi corpus Christi. Profitemur, inquit,
,, corpus Christi adesse sub signis uisibilibus, & cõtineri sacramento. Est ergo tri
plex calumnia, qua Inconstantius fingit suos catholicos à nobis onerari. Prima,
quòd dicamus, illos credere, corpus Christi esse realiter, corporaliter & natura-
liter in Sacramento. Nam illos ait nullum talem præsentiæ modum profiteri. Cur
ergo illi adegerunt Berengarium in Concilio Romano ad hanc de Eucharistia
professionem, ut diceret, se credere authoritate Nicolai Papę & Romanę syno-
di, panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem esse, nõ solùm
,, Sacramentum, sed etiam uerum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Chri-
,, sti. Idq; non solùm in Sacramento, uerùm etiam sensualiter, nam ita loquitur, et
,, in ueritate manib. sacerdotis tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri. Hæc
extant in Decretis uestris de consecra. dist. 2. cap. Ego Berengarius. Dic mihi so-
des Inconstanti, modus iste, quo sedes Romana decernit, corpus Christi sensua-
liter tractari in Eucharistia, aliúsne sit ab eo modo, quem nos Papistis uestris ad-
scribimus, an idem? Certè corpus, quod percipitur sensibus, frangitur manibus,
dentibus atteritur, negari non potest adesse realiter, naturaliter, corporaliter. Ni
hil ergo nos uobis adscribimus, quod non à uobis ipsis doceatur, & decante-
tur publicè. Sed fortasse Incostantius, cum ista scriberet, uideri uoluit, se-
dem Romanam non tanti facere. Nam ut episcopalem suam dignitatem reti-
neret, ab ea palàm defecerat: nec id solùm, sed etiam contra eam declamatio-
nes, & libros scripserat. Nunc autem postquam ita constanter ad eam redierit,
pro sua constantia non debet à Berengarij professione, quam illa sedes ei dicta-
uit, abhorrere. Ne ergo posthac modos istos præsentiæ queratur Ecclesiæ suæ à
nobis affingi per calumniam, nisi fortè decreuerit, à Romana sede rursus deli-
cere. Ad hæc meminisse debet, omnes, qui hodiè hac de rescribunt, & illas par-
tes propugnant, ita & scribere & loqui. Illorum saltem authoritatem non opor-
tuit Inconstantium negligere.

Berengarius quid confiteri sit adactus.

Alteram calumniam esse dicit, quòd fingamus, catholicos credere, corpus Christi comprehẽdi pane, aut Sacramento. Ad quam calumniam depellendam
,, non uideo, quibus potius uerbis uti debeam, quàm ipsius Inconstantij. Catholi-
,, ci, inquit, adesse sub signis uisibilibus dicunt, & contineri Sacramento. Exiito
homine subtilissimo scire uelim, quid inter contineri, & comprehendi sit discri-
minis. Nisi ego uehementer fallor, qui aliquo loco continetur, eodem loco com
prehenditur. Quare, si Inconstantius fatetur, corpus Christi adesse, & in Sacra-
mento contineri: eadem opera fateatur, illud etiam Sacramento comprehendi. Se-
cundo loco clamat, de uoce illa, Pane, magnam sibi fieri iniuriam. Se-
,, enim credere, corpus illud contineri, nõ sub pane, sed sub uisibilibus signis. Nos
autem in Sacramento panem tantùm, & uinum agnoscimus esse uisibilia, præ-
tereà nihil. Accidẽtia uerò illa pendula, quæ uos primi inuexistis, nulla unquam
antiqua Ecclesia agnouit. Imò si reuocationem illam Berengarij, quam uos illi
obtrusistis, consideretis, uidebitis illum affirmare, panem & uinum, esse corpus
& sanguinem Christi. Et patres ita loquuntur de pane, dominum dixisse, illum
esse corpus suum. Quocunq; te uertas Inconstanti, inuenies, istas Sycophantias,
non ad nos, sed ad te ipsum pertinere. Mitto autem ineptam illam cantilenam,
qua iste ait, se reddere ea, quę Cæsaris sint, Cæsari. Si de censu & tributo ageret,
uideri posset hanc sententiã satis opportunè usurpare. Sed cũ causa nulla fuerit,
quamobrem mentionẽ ullam faceret de tributo, dicemus Inconstãtium uoluisse
uerbis, non ratione se redimere. Argumentum aũt nostrum satis consistit. Dici-
mus enim uestrum errorem infinita propè sequi miracula, quæ tantùm abest, ut
consti-

Cõtineri et cõprehendi nõ differũt, quoad negotiũ præsens.

Berengarius in confessione sua dicit, panem & uinum esse corpus Christi.

confirmari posſint è ſcripturis, ut illis è diametro aduerſentur. Itaq; cõcludimus, non eſſe hominis Chriſtiani & Theologi, tantùm ad fictionem ſuam defendendam tot miracula ſine cauſa multiplicare.

Pergit præterea, & quod erat probandũ, pro ſuo more ſumit, quaſi cõfeſſum: Chriſtum enim ait, iſta miracula dicere eſſe facta: itaq; illi eſſe aſſentiendum. At Chriſtus non dixit, Panem per Tranſubſtãtiationem conuerſum eſſe in corpus ſuum. Aut ſi ita uſpiam dixerit, oſtendito. Neq; enim te iuuat, quod Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum: quibus uerbis contendis, miraculum oſtendi iam abſolutum: & idcirco Chriſtum non dixiſſe, Hoc factum eſt corpus meum. Ita enim in Geneſi, cum prius dictum fuiſſet, Fiat lux, ſubiectum fuiſſe, Et facta eſt lux. Sed quæ ſunt iſtæ, quæſo, collationes? aut quæ eſt iſta noua ſcripturarum interpretatio? Quis enim eſt, qui non uideat, quàm coactè intelligatur ex illis uerbis, Hoc eſt corpus meum, id quod uos concludi uultis, Hoc factum eſt corpus meum, & miraculum demonſtrari abſolutum? Quaſi, cum lux crearetur, perfectum non fuerit miraculum. Phantaſmata iſta Inconſtãti, ſunt: ne dicam deliria. Non enim quoties Chriſtus uſus eſt uerbo illo ſubſtantiuo, Eſt, toties oſtẽdit miraculum abſolutum. Nam de Iohanne dixit, Ipſe eſt Elias: & de ſe ipſo, Ego ſum uitis, Ego ſum oſtium. Nullum tamen iſtis loquutionibus indicauit miraculum. Patres intellexerunt de pane dictum eſſe, Hoc eſt corpus meum; non de illo tuo uno, quod in rerum natura nunquam extitit.

At ſi oculis cerneretur, inquis, ſubſtantiã panis deſinere, & eius loco corpus domini ſuccedere, increduli protinus exclamarent, eſſe præſtigias, & incantationes. Sed, quæſo te, cũ Iudæi dicturi eſſent, Chriſtum in Beelzebub eijcere dæmonia, an ea cauſa Chriſtus aſpectabili miraculo nõ ſanauit dæmoniacos? Quod in alijs omnibus miraculis non ualuit, id cur tantopere cõtenditis ualere tantùm in Euchariſtia? Imò, ſi liceat ita dicere, Chriſtus non debuit tantum miraculum occultare. Quia enim non uidetur, maxima pars hominum id non habet pro miraculo. Candidius agendum erat Inconſtanti, præſertim in rebus diuinis, quàm tu aut aſſueueris hactenus, aut ſi poſſes, uelles nunc conſtantię ſaltem tuæ cauſa aſſueſcere.

Quàm autem bellè illud in nos quadret, Moſen habent, & prophetas: & illud, Si quis à mortuis reſurgat, non credent, tu, Lector, pro tua prudentia, & pietate iudicabis. Nos enim miracula à uobis non quęrimus. Verùm cum uos ultrò innumera penè in hoc ſacramento confingatis, ea contendimus, mendacia mera eſſe, & è ſacris literis non probari. Moſen, & ſcripturas maxima reuerentia ueneramur. Scripturarum autem nomine ueſtra commenta non recipimus. Non petimus aut à te, aut à tui ſimilibus, ut mortuos nobis excitetis, qui dicant errori ueſtro teſtimonium. Hoc potius agimus, & iam diu à uobis fruſtrà poſtulamus, ut ex Moſe, Prophetis, Euangelicis, aut Apoſtolicis literis certum aliquod teſtimonium proferatis. A uobis autem nihil unquam aliud occinitur, quàm, Hoc eſt corpus meum: quaſi ea uerba exponi aliter non poſſint, quàm quomodò nũc à uobis corruptiſsimè deprauantur.

Huc autem ita ineptè accõmodatur miraculum à Chriſto editum in nuptijs, cum aquam mutaret in uinum, ut, quid ſimile habeat cum hoc negotio, uidere non poſsim. Nam de facto illo Chriſti nõ ambigimus. Id enim ſcriptura teſtatur, & nominatim teſtatur, primum illud fuiſſe miraculum, quod Chriſtus coram diſcipulis ſuis fecerit. Iam de ueſtra iſta Tranſubſtantiatione cedo mihi, Inconſtanti, ſimile ſcripturæ teſtimoniũ: & niſi tibi crediderimus, nos poſthac iure, ac meritò habeto pro hæreticis. At ſi diuinæ literæ nuſquam dicant, ſubſtantiam panis factam eſſe corpus Chriſti, quemadmodum Iohannes dicit, Aquam factam eſſe

uinum, non debes nos tua ista rabie ita temerè insectari, & pro tua libidine appellare incredulos. Illud erat haud dubiè miraculum. Habet enim & à scriptura, & à sensibus testimonium. Vestra uerò ista, cum utroq; destituantur, cur nobis, tam quam credenda, obtruduntur?

» Postremò miratur, nos dicere, miracula sentiri ratione: quasi uerò alio aliquo
» instrumẽto intelligi, ac sentiri possit, cum aliquid acciderit, miraculúmne id sit,
» an ab ordinaria naturę consuetudine profectum. Quòd autem dicit, Homines
» carnales interdum pro suo uitiato ingenio ea, quæ supra naturam geruntur, de-
» torquere ad calumniam, ad istam controuersiam nihil facit. Dominus illos suo tempore iudicabit: qui eorum malitia noluit impediri, quin ea miracula rationi, & sensibus hominum proponeret, quæ facerent ad confirmandam doctrinæ suę ueritatem.

OBIECTVM LX.

PRAESENTIA realis & corporalis carnis Christi, nõ est ad salutem necessaria: nam ad eam nullum momentum habet. Ergo non est credenda.

GARDINERVS.

VANISSIMVM *est, quod assumitur, præsentiam realem nullum habere momentum ad salutem: quando eam à salutis authore credimus institutam.*

MARTYR.

SI præsentia uestra realis à salutis authore fuisset, ut ais, instituta, faceret certè ad salutem. At ea non ab authore salutis, sed à uobis inuecta est. Tantùm abest, ut Christus eam unquam tradiderit, ut corpore subduci ab Apostolis, & in cœlum abire maluerit, quàm, quod illi maximè cupiebant, cum illis in terris commorari: idq; etiam illis dixerit expedire. Ne autem illi se putarent desertos, pollicitus est, se suo loco missurum ad illos spiritum sanctum. Neq; cum iam abiturus esset in cœlum, dixit, Bono animo estote: semper corpus meum habebitis in pane, aut, ut uos dicitis, in panis accidentibus uobiscum. Hoc, Inconstanti, hoc aliquando doceri cupimus è sacris literis. Sed surdis canimus. Nam pro testimonijs scripturarum tantùm ambages quasdam, & inania somnia reportamus. Cum itaque istud portentum uestrum nec sensu, nec ratione, nec diuino aliquo testimonio probari possit, quid superest, nisi, ut dicamus, illud esse à uera fide alienum?

Nec mirari debes, mentionẽ à nobis fieri carnalis præsentiæ sublatę ab Apostolis cum Christus ascenderet in cœlum. Non enim uideo, quid amplius ad nos commodi redire possit ex ista uestra commentitia prę sentia, quàm Apostolis tum ex illa fuissent habituri. Quare si Christus rectè dixit, eam illis nõ expedire, nos rectè concludimus, ne uestram quidem istam, quæcunq; est, expedire. Sed, ut quiuis uideat, quàm firma sit tua responsio, illud addo, uestrum fuisse, hærere in ea maximè parte explicanda, quæ & minus obscura sit, & utrinq; sit confessa. Omnes fatemur, & damus, ea, quæ Christus tradidit, utilia esse ad salutem: eaq; quæ ille credi uoluit omnino recipi oportere. Quid ista te oportuit tam crebro commemorare? Illud te potius docere oportuit, Christum dixisse, Habebitis carnem meam reali præsentia in pane: & sanguinem meum habebitis corporaliter præsentem in uino. Sed cum ista docere non possitis, satius multò esset tacere, quàm

quàm multa garriendo nihil dicere. Ais letale esse, contemnere, & reijcere hoc Sacramentum, cum eius haberi possit copia. Nos quoq; idem dicimus: nec eum habemus pro homine Christiano, qui Christi instituta contemnat. Sed hoc ambigitur, An Christus docuerit, corpus suum & sanguinem in pane ac uino realiter & substantialiter contineri.

Deinde addis id, quod & absurdũ, & falsum est, pios homines ducere, ebrietatem istius calicis, sic enim appellas Eucharistiæ perceptionem, summã esse fœlicitatem. At non est ea summa fœlicitas in speculo, & in ænigmate uidere. Speenim, non autem re salui facti sumus. Expectanda est Beata Resurrectio, ut nostra fœlicitas perficiatur, & possit appellari summa. Sed argumenta nostra tantas Inconstantio tenebras, talemq; uertiginem offundunt, ut cum cogatur multa temerè iactare, sæpè imprudens incurrat in mendacia.

Non est fœlicitas summa percipere Eucharistiam.

Ne id quidem uerum est, quod postremò addit tanquam pro coronide, Hoc sacramentum ad æternam requiem adipiscendam momentum habere maximũ. Fatemur quidem, usum Sacramentorum momentum aliquod habere ad salutem, non tamen maximũ. Mors Christi, Spiritus sanctus, Vocatio, Fides, Iustificatio maius multò momentum habent ad salutem, quàm sacramenta. Sed Inconstantius ita subtilis est theologus, ut proram, & puppim salutis nostrę constitutam esse uelit in rebus externis.

Sacramenta nõ habent momentum maximum ad salutem adipiscendam.

OBIECTVM LXI.

IN tota scriptura nihil inuenitur credendum tam contrarium sensibus, ut eorum experientia affirmet, quippiam esse, cuius contrarium doceat fides. Si autem Transubstantiatio sit, aliquid sensus affirmant, cuius contrarium docet fides. Ergo Transubstantiatio pugnat cum scriptura: uel saltem in scripturis nullum tale miraculum reperitur. Quod non est credibile.

GARDINERVS.

PAVLVS, *ut Hebræis suaderet hospitalitatem, refert aliquod inscios recepisse Angelos hospitio.*

MARTYR.

AIt Inconstantius, Abrahamum & Lothum recepisse hospitio Angelos, quos tamen putarint homines. Et testem citat epistolam ad Hebræos, quò ostendat contra nostrum argumentum, sensus & rationem, ipsarũ scripturarum sententia, non semel aberrasse. At si legisset Tertullianum cõtra Martionem, ista non ita facilè garriret. Is enim corpora illa, quorum pedes abluebãtur, quæq; incurrebant in sensus, testatur, uerè fuisse humana corpora: nullo autem pacto habenda esse pro phantasmatis. Quare in illis humani sensus nõ fallebantur. Angelorum quidem natura nec sentitur, nec sentiri potest. Itaq; nihil est, quod quisquam dicat, sensus in illa falli. At cum Angeli induissent corpora, & sensus & ratio de illis corporibus iudicabant. Nemo aũt sanus dixerit, illa corpora transubstantiata fuisse in naturã Angelorum, ut Angelorũ natura accidentibus tantùm corporum tegeretur. Substantia enim illa, quæ uidebatur, & tangebatur, uerè erat corporea. Ad hæc Angeli ipsi & Abrahamo, & Lotho prodiderunt, quí-

Tertullianus.

nam essent: ut quemadmodum in assumpto ab illis corpore non fallebantur, ita ne de latenti quidem eorum natura, quæ sentiri non poterat, possent ambigere.

Neq; sacra scriptura tacet, quinam illi fuerint, qui missi fuerant à deo ad sanctorum patriarcharum domos: ut nec tũc ipsi patres, nec hodiè Lectores possint de ea re dubitare. At neq; scriptura nos docet, neq; Christus Apostolis indicauit, carnem suam realiter & substantialiter esse in pane. Deinde etiã istam Transubstantiationem scripturæ non tantùm dissimulant, sed etiam apertè oppugnant. Apparet ergo ista similia cũ re proposita nihil habere simile. Nec dubito, quemuis prudentem Lectorem facile posse intelligere, robur nostri argumenti istis ineptijs non debilitari. Angeli enim naturam corporum, quã assumpserant, non transubstantiabant: isti uerò naturam & substantiam panis prorsus auferri uolunt. Huc adde, quòd Christus hoc ipso genere argumenti probauit Resurrectionem suam à mortuis. Palpate enim, inquit, & uidete: quoniam spiritus carnem & ossa non habent. Quare, si quemadmodum uidetur Inconstantio, sensus in accidentibus à subiecto disiunctis fallerentur, probatio ista Christi uana, uel potius nulla esset: & Martionitis, qui docebant, Christum non uerum, sed fictitium, & phantasticum corpus suscepisse, maximam fenestram patefaceret.

OBIECTVM LXII.

IN mysterio Incarnationis uehementer mirata est Beata Virgo, & interrogauit, quomodò id fieret. Sed ista mutatio panis in corpus Christi, nihil cedit magnitudine mysterio Incarnationis. Mirum ergo est, in diuinis literis nullam de ea re admirationem usquam legi.

GARDINERVS.

QVANDOQVIDEM *apud scriptores catholicos receptum est, Christum in sexto Iohannis doctrinam de Eucharistia tradidisse, quicquid ibi admirationis acciderat, certum est ad istam in Eucharistia mutationem pertinere.*

MARTYR.

ADmirationem illam Capernaitarum, qua in sexto capite Iohannis dixerũt, Quomodò potest hic nobis dare carnem suã manducandam, Incõstantius inopia cõsilij transfert ad Eucharistiam: & omninò decernit illo loco doctrinã de Eucharistia expressè tradi. Sed in utroq; longè errat: primùm, quia, ut sæpè docuimus, in sexto Iohannis mentio tantùm fit de manducatione carnis Christi: de Sacramentis autem, & signis sacramentalibus nihil traditur. Nemo ergo homo potest somniare, in ea doctrina excitatam fuisse admirationem de transubstantiatione panis & uini: quod in nostro argumento proponitur. Deinde, an putat, nos sibi credituros, Capernaitas ex admiratione dixisse, Quomodò dabit hic nobis carnem suam manducandam? Certè indignatio ea magis fuit, quàm admiratio. Nam, ut Augustinus rectè ait de Doctr. Christ. horrebãt, & execrabantur Christum, quasi facinus, & flagitium præcipientem. Horrendum enim illis uidebatur, comedere carnes hominis uiui. Et eadem perturbatione uicti ceteri discipuli, præter duodecim, omnes abierunt. Non debuisti, Inconstanti, ludere in re tanta: ut, cum de Transubstantiatione, quam tantoperè defendis, postuleris, nihil respondeas: inanes autem strophas, & perfugia quæras.

Augustinus.

Nam

Nam si Capernaitæ, & illi Discipuli manducationem eam spiritualẽ fore, quemadmodum re uera est, cognouissent, quæ fide perficeretur, & ad mentem spiritumq; pertineret, nunquam à Christi doctrina abhorruissent. Nam ita Augustinus syncerè, & purè interpretatur, Credere, esse Manducare. *Augustinus.*

Comminiscitur præterea Inconstantius egregia confidentia ne dicam, an astutia, an mendacio, Discipulos, cum audissent Christum dicere, Panis, quem ego dabo, caro mea est, stupore diffidentiam suam indicasse, & dixisse, Durus est hic sermo: & quis potest eum ferre? Quæ, malum, ista insania est, credere Christum in sexto Iohānis loquutum esse de pane, quem posteà accepturus erat in Cœna, & distributurus Discipulis? Carnem suam Christus dicebat esse panẽ, id est cibum, quo alendi essent fideles. Nullum autem panem dixit in suam carnem esse transubstantiādum. Quomodò ergo potuisset aut turba, aut quisquam ex Apostolis ista diuinare? Neq; enim scire potuerũt, Christum sub extremum uitæ tempus cogitasse talem Cœnam instituere, aut hominibus tale Sacramentum relinquere. Inconstantius uerò, ut commentum suum sine ullo diuino testimonio aliquo modo statuat, Discipulos illos, & Capernaitas facit prophetas: quasi illi uaticinati tantò antè fuerint, fore aliquando tempus, cum Christus acciperet panem, & uinum, & ea in corpus & sanguinem suum transubstantiaret: ita autem eos fuisse contumaces & stupidos ad ista credẽda, ut inter sese murmurarint, & abierint. Atqui illorum animos non Transubstantiatio, sed esus humanæ carnis perculit: quòd audissent, Christum dicere, Carnem suã fore cibum. Panis enim, inquit, hoc est, cibus & alimonia, qua alendi estis, est caro mea. Vt patres manducauerunt Manna, utq; uos ipsi panem, quem ante paucos dies iussi uobis distribui: sic fideles ad salutem suam comedent carnem meam. Ex his uerbis non magis Transubstãtiatio, quàm Purgatorium, & reliqua turba uestrarum superstitionum probari potest.

Sed quoniam uideo Inconstantium tantopere contendere, ut uox illa Panis in sexto Iohannis referatur ad signum sacramentale, atq; ita Transubstantiatio à Christo attingatur, etsi id uerum non est, facito tamen esse uerum. Ex ista sophistica quid, quæso, sequitur? Illud certè, Panem illum esse corpus Christi. Dominus enim ait de illo pane, Caro mea est. Tu autem perpetuò clamas, prædicatũ non de pane, sed de, nescio quo, Indiuiduo tuo uago dici. Hic ut tuam sequaris interpretationem, cogeris, uelis, nolis, fateri, carnem domini prædicari de ipso pane. Quò ergo nunc fugit, quò euasit Indiuiduum tuum uagum? Certè ab ista tua noua sententia longè uagatur.

Sed quia uidet nos nominatim oppugnare transubstantiationem, & sentit, se nullam ostendere posse uel admirationem, uel interrogationem, uel doctrinam de illa in diuinis literis traditam, experiri tamen uult, an possit eam concludere à genere, ut ait, ad singula. Id autem genus argumenti, quàm ridiculum, & infirmum sit, quiuis puer facilè uidere potest. Facito, Discipulos generatim admiratos esse mysterium Eucharistiæ. An idcircò statim confectum est eos admiratos esse Transubstantiationem panis? Prudentes Dialectici non ita solent argumentari, ut à re communi ad contractam descendant affirmando. Nam ex admiratione, quæ multis de causis potuit euenire, iste hoc tantùm unum uult conficere, eos miratos esse, panem aliquando esse transubstantiandum in carnẽ Christi: quod nihil aliud est, quàm ex genere concludere uelle speciem. *Argumentum non est bonum ab uniuersale ad singulare affirmando.*

Sed uideamus, quò iste porrò pergat. Ait, Discipulos, etsi multa mirarentur, ausos tamen non fuisse Christum de illis quicquam interrogare. Verùm addendum fuit, si quid esset creditu necessarium, id Christum illis uel non interrogantibus explicuisse. Vos autem ea necessitate adigitis homines ad credendam ue- *Necessaria credidit Christus apostolis explicuit.*

ſtram Tranſubſtantiationem, ut, ſi quis contrà ſentiat, eum è ueſtigio comburatis. Sed cur tabulas ueſtras, cur oracula dei in apertum nõ profertis? Cur iſtã doctrinam à Chriſto traditam, ab Apoſtolis promulgatam, ſacris literis confirmatam non oſtenditis? Poſteà dat manus quodammodò, & fatetur, Apoſtolos
„ iſtam Tranſubſtantiationem non fuiſſe miratos: cur autem non fuerint mirati
„ adfert cauſas. Primùm, inquit, cum traderetur Sacramentum, non obſtupuerũt,
„ quòd iam anteà de illo fuiſſent edocti. At ubi? Si dicas, quod neceſſe eſt, in ſexto Iohannis, ergo iam anteà intellexerant, ſe ſpiritualiter comeſturos eſſe carnem Chriſti: quam ad rem nec Tranſubſtantiatione, nec reali præſentia opus erat. Itaq; cum hoc intelligerent, quomodò ſtupere potuerunt? Bonitatem autem, & clementiam, & ſummam illam humanitatem Chriſti eos admiratos eſſe non negauerim: cum uiderent illum ſempiternam memoriam mortis ſuæ in ſacramento inter homines extare uoluiſſe. De iſta uerò Tranſubſtantiatione, quæ nec cernitur, nec docetur uſpiam, non eſt credibile illos quicquam cogitaſſe.

Addit ex Chryſoſtomo, Chriſtũ de illo pane, & calice præguſtaſſe, quò ſuos
„ ad idem faciendum induceret: ne myſterij magnitudine deterriti abſtinerent.
„ Quorſum autem iſta pertineant, ne ipſum quidem Inconſtantium arbitror ſatis intelligere. Nam ſi prius erant edocti, & animo iam ſatis pacato, præguſtatio Chriſti admirationem depellere non potuit, quæ nulla erat. At ſi dicas, eos non ita plenè fuiſſe inſtructos, ut ſtupor planè omnis abierit, ideoq; Chriſtum ad extirpandas reliquias præguſtare illis uoluiſſe, adhuc tamen quæro, qua ratione concludatur, ſublatam fuiſſe admirationem de Tranſubſtantiatione panis & uini, cum Chriſtus illa præguſtaſſet. Vis argumenti hoc petit, Quomodò in ſcripturis ſanctis nulla nec admiratio, nec interrogatio legatur de re tanta. Inconſtantius reſpondet, quod Chriſtus Diſcipulis ſuis præguſtaſſet. Hoc quidem, ut Chryſoſtomus ait, inducere potuit Apoſtolos, ut ſimul ederent, ac biberent. Admirationem autem de Tranſubſtantiatione augere potuiſſet potius, quàm minuere: præſertim cum iam uidiſſent, Chriſtum ipſum corpus ſuum comediſſe. Oportet Inconſtanti, ut cauſæ cum effectis aptius cohæreant, ſi quid ex illis uelis rectè concludere.

Sed ijs omiſsis, quæ ait ſe tantùm generatiuè dixiſſe, quæq; ait ſatis facere
„ poſſe hominibus pijs, oſtendere etiam uult ex Patrum ſententijs, quantam illi
„ potentiam dei, quantam uim, quantam efficientiam in hoc ſacramento efficien-
„ do annotauerint. Non diſcedit à more ſuo. Rogatus enim de ſcripturis reſpon
„ det de Patribus: quos nemo eſt, qui neſciat, dum in ſuis illis hyperbolis, & exaggerationibus multi, uel potius toti ſunt, prædicare multa, & ingentia miracula in Euchariſtia. Sed ea uerbis tantùm ornant, re ipſa nulla proferunt. Ea enim, quæ uerè dici poſſent miracula, aſpectabili quadam euidentia ſenſibus ita ſeſe offerũt, ut doctrinæ ſpiritus ſancti, & diuinis oraculis poſsint fidem facere. Quare huius ſacramenti magnitudinem, & laudes efferant Patres, quantum uolũt. Miraculum autem propriè ibi ullum eſſe, nunquam docebunt. Facito tamen ex Patrum ſententia, in Euchariſtia multa eſſe miracula: an tu ſtatim effeciſti, eos ſtatuere Tranſubſtantiationem? Iidem teſtificati ſæpè ſunt, ingẽtia miracula eſſe in Baptiſmo: at de Tranſubſtantiatione ulla, quæ ibi fiat, nihil dicunt. Sed Inconſtantius, quicquid in hoc ſacramento audit eſſe miraculoſum, ſtatim putat eſſe Tranſubſtantiationem.

Miracula debent eſſe manifeſta.

Irenæus.

Primùm audiamus Irenæum, quem ante alios producit in aciem. Quomo-
„ dò, inquit, conſtabit eis, illum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domi-
„ ni ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant:
„ id eſt, uerbum eius, per quod ligna fructificant, defluunt fontes, dat primùm

quidem

quidem fœnum: pòst deinde plenum triticũ in ſpica? Elicit ex his uerbis Inconſtantius, probabilitatem ueritatis Euchariſtiæ requirere authorem deũ: uerbum, uidelicet, eius, per quod ligna fructificant, & omnia producuntur. Quid ſi hoc prorſus falſum eſt? Certè Irenæus diſputat ibi contra Martionem, qui negabat, fabricatorem mundi eſſe patrem domini noſtri Ieſu Chriſti. Quod ſi eſſet uerum, nos in Euchariſtia deo patri noſtro offerremus aliena, panem nimirùm & uinum. Illa enim ſunt creaturæ fabricatoris mundi. Neque par eſt, ut panis, & uinum, quæ, ut Martion impiè docebat, ſint opera mali dei, ſint etiam corpus & ſanguis Chriſti. Eſſet enim illicita coniunctio, & quodammodò rerum alienarum uſurpatio. At ſi ſtatuamus id, quod ſacræ literæ teſtificantur, ipſum Verbum dei eſſe Ieſum Chriſtum, ſeruatorem noſtrum, per quem fructificant ligna, defluunt fontes, datur primùm fœnum, deinde ſpica, in hoc Sacramento nihil erit abſurdi. Dicimus enim, Chriſtum uſum eſſe ſuis rebus, pane uidelicet & uino: & nos eadem illa deo Chriſti patri, & noſtro, iure offerrimus. Ad illũ enim, non autem ad malum principium, aut malum deum, quem illæ peſtes ſomniabant eſſe fabricatorem mundi, illa pertinent. Atque hanc eſſe mentem & ſententiam Irenæi, eius ipſius uerba facile indicabunt. Sic enim ſcribit, ut aliquantò altius repetam, quàm Inconſtantius: nam ille de induſtria ſententias patrum adducit truncas & mutilas. Oportet, inquit, nos oblationem deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori deo in ſentẽtia pura & fide, ſine hypocriſi, in ſpe firma, in dilectione feruenti, primitias offerentes earum, quæ ſunt eius, creaturarum. Et hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudæi autem iam non offerunt. Manus enim illorum ſanguine plenæ ſunt. Non enim receperunt Verbum, per quod offertur deo. Sed neque omnes hæreticorum ſynagogæ. Alij enim alterum præter fabricatorem dicentes patrem, ideò quæ ſecundum nos creaturæ ſunt, offerentes ei, cupidum alieni oſtendunt eum, & aliena cõcupiſcentem. Qui uerò ex defectione & ignorantia, & paſſione dicunt, ea facta, quæ ſunt ſecundum nos, & ignorantiæ, & defectionis, & paſſionis fructus offerentes peccant in patrem ſuũ, contumeliam magis ei facientes, quàm gratias agentes. His uerbis ſtatim annectitur id, quod citat Inconſtantius: quod hinc omninò, non aliunde oportet intelligi. Recenſet duo genera hæreticorum, excluſis Iudæis: à quibus teſtatur iuſtam deo oblationem non offerri. Et Iudæi quidem repelluntur, quòd cœleſtem Chriſti doctrinam non receperint. Alij uerò uolebant pro conſuetudine Eccleſiæ offerre panem & uinum. Ex illis autem, qui authorem creaturarum faciebant deum malum, & principiũ, neſcio quod, aliud quàm patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtrum, aliena offerunt deo patri, ut ipſi credũt. Panis enim & uinum ad fabricatorem mundi pertinent, qui ea produxit. Deus ergo pater non poteſt gratam habere huiuſmodi oblationem, ut qui nolit alienarum rerum uſurpator, & cupidus haberi. Alij uerò, qui non ſtatuunt aliud principiũ, ſed creaturas manare putant ex defectione, ignorantia, & paſſione, nullam inire poſſunt gratiam apud deum, cum illi offerant panem & uinum: imò cõtumeliam illi potius non uulgarem faciunt, cum illi fructus, non ipſius, ſed rerum tam uilium, & abiectarum offerant. Quid enim illi gratias agunt, ſi ille ea non produxerit? Gratiæ de beneficijs illi agendæ ſunt, qui ea contulit. Nam qui ea non dedit, derideri ſe putabit, ſi uideat ſibi de illis agi gratias. Hic ea ſequuntur, quæ attulit Inconſtantius: Quomodò autem conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant? Id eſt, Verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & dat primùm quidem fœnum, poſt deinde ſpicam, dein-

» de plenum triticum in spica. Hucusque Irenæum citat Inconstantius. Tu au-
tem Lector, non dubito quin iam uideas, quid sibi Irenæus uoluerit. Non
enim quærit probabilitatem ueritatis Eucharistiæ; quasi in ea fiant ita magna mi
racula, ut credi non queant, nisi potentia Verbi, quo omnia fructificant, inter-
ponatur. Nihil unquam tale Irenæus cogitauit. Huc tantùm ille spectat, ut con-
cludat, solam Ecclesiam ritè offerre cœlesti patri panẽ & uinũ, ut fiant corpus &
sanguis Christi eo modo, quo sæpè iam diximus: quòd ea credat, has omnes crea
» turas à deo per Verbum suum esse creatas. Itaque Irenæus, paucis quibus-
» dam interpositis, institutum suum ita concludit. Ergo aut sententiam mutent,
» aut abstineant ab offerendo ea, quæ prædicta sunt. Nostra uerò sententia om-
» nino consonans est Eucharistiæ. Et Eucharistia rursus confirmat sententiam
» nostram. Offerimus enim ei, quæ sunt eius. In eo procul dubio hallucinatus
est Inconstantius, quod locum totum non legisset. Fortasse, ut fit, putauit ope-
ris illis suis satis fuisse credere. Et idcircò, quod Irenæus ait, Quomodò eis con-
stabit, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, &c. id retulit ad probabilitem ue-
ritatis: quasi ea res tam esset creditu difficilis, ut nisi potentia Verbi accederet,
cuius ui miraculum Transubstantiationis factum putaretur, nullo pacto quil-
quam esset crediturus: cum tamen Irenæus in toto hoc loco de potentia dei nul
lam faciat mentionem, qua panis & uinum transubstantientur in corpus & san-
guinem Christi. Non potest, inquit, illis cõstare Eucharistia, id est, illam iure
non habebunt, nisi creaturas panis & uini à deo, quem colimus, patre domini no
stri Iesu Christi conditas fateantur & credant. Vides ergo Lector, sententiam
Irenæi satis iam claram esse, eamq; ad rem præsentem nihil facere. Hic enim quę-
ritur de nouo isto portento Transubstantiationis, non de creatione rerum.

Sed hic mihi paulùm considera ex testimonio huius ipsius patris, quãtam pla
gam accipiat causa Inconstantij. Primùm ait, Ecclesiã creaturas istas offerre deo,
Irenæus testatur panem & uinum offerri deo. panem, uidelicet, & uinũ. Ex quo intelligere quiuis potest, patres non putasse se
corpus Christi offerre in Eucharistia, sed ab usurpatione panis & uini primùm
natam fuisse uocem oblationis: qua tamẽ uoce multi postea patres ita abusi sunt,
ut uideri possint uoluisse dicere, in Eucharistia offerri corpus Christi. Atqui illi
ita prudenter orationem suam temperarunt, ut non semel apertè testati sint, se
oblationem appellare oblationis monimentum. Alterum, quòd Inconstan-
tium ualde premit, est quod Irenæus dicat, panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse
corpus domini. Vbi igitur nunc est Inconstãti, indiuiduum illud tuum uagum?
Si corpus prædicetur de pane, certè pronomen illud, hoc, non uagum, nescio
quod, indiuiduum indicat, sed panem. Non satis callide illum pro te testem ci-
tas, qui doctrinam tuam prorsus euertat. Nec illa tantùm uerba Irenęi notam
istam doctrinam oppugnant, sed multò magis ea, quæ sequuntur: si totum locum
diligenter consideres. Imò uerò ipsa etiam Transubstantiatio uerbis Irenæi pla-
nè tollitur. Ait enim, panẽ, in quo actæ sint gratiæ, esse corpus Christi. Quid hoc
aliud est, quàm contra se ipsum citare testes? Quod autem Inconstantius ait,
dei potentiam requiri ad hoc Sacramentum conficiendum, id nos non inuiti
concedimus. Scimus enim, non esse in hominis cuiusquam potestate situm, ut
Sacramenta instituat. Neq; nos Eucharistiam statuimus talem figuram esse, quę
non sit Sacramentum Perspicuum ergo est, id in nos non quadrare, quod Incon
stantius concludit in Arrianos: quasi nostra sententia quicquam pro illis faciat.
Citra omnem enim controuersiam nos ab illis longius distamus multò, quàm
Papistæ ab Eutychianis parũ aut nihil uidentur distare. Inconstantius cum suis Papistis ab Eutychianis. Sed pergit. Et Cypria-
nus, inquit, sic scribit, Panis iste, quem dominus discipulis suis porrigebat,
non effigie, sed natura mutatus omnipotentia uerbi factus est caro. Istis autem
uerbis

uerbis tantam ait excitari admirationem, ut nulla excogitari possit maior. Nec
enim maius quicquam est, quàm omnipotentiam dei, qua ille panis à Cypriano
dicitur esse mutatus. Primùm, quoniam uideo, mihi rem esse cum homine ob-
liuioso, uel potius cum eo, qui se de industria fingat obliuisci, idcircò repetam, ad
instituenda sacramenta opus esse omnipotentia dei. Ea enim nec ullo humano
ingenio, nec ui ulla creata possunt fieri. Vnde omnipotentia dei ex pane com-
muni, & uulgari fieri sacramentum, nec ambigimus, nec negamus. Figuram au-
tem pristinam eum non abiecisse, tum sensus, tum etiam scripturæ renuntiant.
Quid ergo in eo mutatū est? Certè natura, hoc est, proprietas, aut cōditio. Est em *Quomodo natura dicatur in panē mutata.*
instrumentum spiritus sancti, aptum ad fidem nostram excitādam, & ad animos
nostros in cœlum subleuandos, idq; æterna ui dei, ut cœlesti cibo & renouentur,
& alantur. Habet iam ille panis nouam significandi efficaciam: est enim obsigna
tio quædam diuinarum promissionum: quod anteà non erat. Mutatus ergo est
panis, cum talem naturam, seu proprietatem susceperit. Vocabulum autem
illud Naturæ, hoc significare, ostendere possem multis optimorum scriptorum
testimonijs, si iudicarem esse opus. Sed illis omissis, satis nunc erit id docere è
scripturis. Paulus ad Ephesios ait, nos esse natura filios iræ. Eo loco nemo un- *Natura interdum significat proprietatem seu conditionem.*
quam tam cæcus fuit, ut uellet naturam, corporis aut animi nostri substantiam
significare. Paulus enim tantùm intellexit uitiatas quasdam qualitates, & condi-
tiones, quas propter peccatum primi Adami gehus humanū uniuersum subijt.
Idem Paulus ad Galatas, Nos, inquit, natura Iudæi, & non ex Gentibus peccato-
res. Hic natura significare non potest substantiam. Nam, quod ad illam attinet,
Petrus & Paulus nihil differebant ab alijs peccatoribus. Paulus autē sensit pro-
prietates, idq; maximè animi: qua Iudæi religionis causa à reliquis nationibus
differebant. Aut si id omninò uelis referre ad corpus, non tamen uox illa corpo-
ris essentiam, sed stirpem, & ortum, à sanctis Patribus, quibus data erat promis-
sio salutis, significabit. Quare cum Natura etiam in scripturis significet con-
ditionem, aut proprietatem, nihil est, quòd Inconstantius iactet, Transubstantia
tionem suam ex mutatione naturæ necessariò probari.

Sed adhuc Inconstantius in eodem Cypriano se nactum esse quiddam arbi- *Cyprianus.*
tratur, quod ad rem suam mirabiliter faciat. Ait enim, illum Martyrem in eodem
Sermone de Cœna domini scribere, Inter Dominicæ mensæ conuiuas animalis
homo non recipitur. Quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur.
Nihil sapit, nihil prodest, quicquid humana subtilitas molitur humani sensus.
Omne, quicquid à suis rationibus deuium uidetur, sapientes huius sæculi ad de-
mentiam referunt, & à ueritate reputant alienum. Sed ueritas ab erroneis homi-
nibus comprehendi non potuit. Hæc, uidelicet, ea sunt, quæ sophista noster ex
his uerbis uult elicere. Primùm, admirationem non posse maiorem prædicari,
quàm cum homines nihil eorum intelligant, quæ agantur: deinde iugulari argu-
menta omnia, quæ à natura, à sensibus, ab experientia contra Eucharistiæ ueritā
tem confingātur: postremò, doctrinam de figura & signo prorsus refutari. Eam
enim in se nihil altius continere, quàm quod sensus, & ratio possit assequi. Ad
ista singula ego eodem ordine respondebo, quo sunt proposita. Quòd ad pri-
mum attinet, homines nihil eorum intelligere, quæ agantur in sacra Cœna, Cy-
prianus in uniuersum non potest dicere. Quis enim Apostolorum, qui domino
assidebant, non sensit, eum accipere in manus panem & calicem, gratias agere
deo, frangere, diuidere? Ista eiusmodi fuerunt, ut à quouis homine quantumuis
animali sentiri potuerint. At si agatur de spirituali perceptione corporis & san
guinis domini, quæ pro nostra salute danda, & effundenda erant, & tantùm fide
capi poterant, & de sacramento, quod ad id institutum est, ut esset instrumētum

Quæ in Eucharistia non percipiat animalis homo.

spíritus sancti, per quod animo & mente subueheremur ad cibum & potionem uiuifici pastus: ista, inquam, ista animalis homo non potest percipere: quod satis uidere possumus in Capernaitis. Nam illi, cum audirent dominum de carne sua edenda, & sanguine suo bibendo differentem, nihil eorum potuerũt intelligere: imò abierunt grauiter offensi. Verùm hic est error perpetuus Inconstantij, ut quicquid Patres admirationis tradunt esse in hoc negotio, id omne ad realẽ præsentiam, & ad Transubstantiationem suam referat. De re autem ipsa, de spirituali manducatione & potione, de fructu & institutione sacramenti, de fide, de motu spíritus sancti, de mutatione nostri, & animi subleuatione in cœlum, putat Patres nihil unquam cogitasse. Sed legat attentè Chrysostomum cum loquatur de Baptismo. Nam ille certè in Baptismo quoq; miracula constituit: & homines animales ab eo excludit, non minus, quàm Cyprianus ab Eucharistia. Quid? an ibi quoq; Transubstantiationem aquæ, & realem præsentiam corporis Christi tuemus? Fatemur quidem, spíritualem Christi perceptionem, quam habemus in Cœna, superare omnes humanos sensus: non ita tamen, ut externi sensus lu- dificentur in illis, circa quæ uersantur.

Chrysostomus.

In altero autem, quod ex Cypriano elicit, uideat ipse, contra quos illud iaciat. De illis loquitur, qui contra Eucharistiæ ueritatem disputant: At nos certè illi non sumus. Tuemur enim ueritatem Eucharistiæ. Inconstantij quidem, & Papistarum furores, & somnia exagitamus. Contra sacramentum autem à domino institutum, nihil unquam diximus. Contra Transubstantiatorum, & σαρκοβόρων portenta disputamus: contra quos uerissimè dicimus, & uerbum dei, & sensus, & naturam dicere clarissimum testimonium.

Quod autem ad tertium attinet, quis non miretur istum dicere, paruam dignitatem à Christo collatam esse symbolis, si uerum sit, quod nos defendimus? Nam an parum uidetur esse, illa & significatione, & usu, & officio æquare uerbo dei? Si infideles uim & dignitatem sermonum dei assequerentur, protinus ad nostram religionem accederent. Sed, quoniam ea putant esse communia tantùm uerba, & ab hominum sermonibus nihil habere alienum, idcircò ea contemnunt, & pro nihilo habent. Ita iste Patrologus, cum excellentiam sacramẽtorum non intelligat, ideò nullam in eis putat esse dignitatem. Quàm autem uerba dei parui faciat, quibus in mundo nihil habemus pretiosius, apparet ex eo, quod

„ ita scribit: Quin & illa de figura doctrina reprobatur, quæ nil habet altioris, ac
„ reconditioris mysterij, quàm ut eorum, quæ uerbo audibili uera didiceramus,
„ symbolorum, uerbo uisibili memoria refricaretur. Nam fides ex auditu fuit: quæ
„ nũc etiam per oculos sibi aditum parat, ut meditemur iam cognita & intellecta.

Putat Inconstantius perparum esse, quòd fides, qua uiuimus deo, & iustificamur, quemadmodum extitit, & aucta est uerbo dei, ita etiam fouetur, erigitur, et crescit sacramento Eucharistię. Cum non uereatur ista effutire de sacramento, facilè ostendit, quid sentiat de uerbo dei. Atqui Paulus Verbum ait esse uirtutem dei ad salutem omni credenti. Quod si sacramenta æquant dignitatem uerbi, quo illis uirtus dei sese adiungit, non uideo, quæ altiora aut reconditiora mysteria Inconstantius desideret.

„ Deinde sumit sibi, quasi suo iure, ut solet, nos in pane, & uino solam figuram
„ constituere. Atq; id à carnali ratione ait non esse alienum. Si nuda illa figura ab
hominibus fuisset inuenta, esset aliquo modo probabile, quod ait. At cum eam deus instituerit, & ad usum spíritus sancti accommodauerit, eiusq; dignitatem æquauerit cum dignitate uerbi sui, ea, mihi crede, ab animalium hominum sensu non potest non uideri aliena. Si huius sycophantæ sannas, & scommata recipimus, quid Baptismo, quid Circuncisioni, quid reliquis Veterum sacramentis relin-

relinquetur dignitatis? Tamen in illis ceremonijs deus ipse in Deuteronomio te ſtatur incredibilem fuiſſe ſapientiam. Sacrificia illa patrum ſæpè dicta ſunt ſan= cta ſanctorum: & Baptiſmus ab orthodoxis ſcriptoribus miris ſæpè encomijs celebratur. Figuras tamen illa fuiſſe, negari non poteſt. Quare ſacrificia non debebant eo nomine ab iſto Thraſone tam ſuperbè, ne dicam, tam impiè, & im= pudenter contemni. Quòd ſi dixerit, figuras eas non fuiſſe inanes: cur non ita nos quoque patitur reſpondere? Figura, uti ſuprà me dixiſſe memini, ex eo genere rerum eſt, quæ referuntur ad aliud, neque ſine eo, ad quod referun= tur, poſſunt intelligi. Dicat nunc mihi Inconſtantius, an uis mortis Chriſti, quæ Sacramento Euchariſtiæ ſignificatur, & paſtus, potioq; cœleſtis ab homine ani= mali poſſit intelligi? Certè ab homine animali, qui fide, & ſpiritu careat, non po= teſt. Niſi enim rem ſignificatam intelligat, uim figuræ nunquam capiet. Neque quenquam puto ita modeſtum eſſe, ut riſum teneat, qui attentè conſideret iſto= rum Sophiſticam Rhetoricam. Extenuant quanta maxima poſſunt eloquentia uim ſignificandi, quæ propriè attributa eſt ſacramentis, ut præſentiam iſtam Chri ſti corporalem, quam ipſi commenti ſunt, amplificent. Atq; ita ſua inuenta inſti= tuto dei grandi ſpacio preferunt. *Figura eſt ex re Latinorũ genere*

Poſteà ait, Capernaitas putaſſe amentiam eſſe, quòd Chriſtus dixiſſet, ſeſe da turum carnem ſuam ad manducãdum. At qua fronte poteſt iſte Capernaitas ac cuſare amentiæ, cum ipſe unà cum ſuis ruat, etſi non in eundem errorem, tamen certè in ſimillimum? Nam quod illi ex uerbis Chriſti perperam colligebant, cor pus eius re ipſa, uel ut ita dicam, corporaliter & realiter comedendũ eſſe, id iſti ut à ſe prudentiſſimè intellectum fortiſſimè propugnant.

Iam ordine uideamus, quid dicat Athanaſius. Ille quod Chriſtus ait, Verba quę loquor uobis, ſpiritus, & uita ſunt, idẽ ualere ait, ac ſi diceret, Quod quidem oſtenditur oculis, ac datur pro mundo, dabitur alimonia, ut ſpiritualiter hæc in unoquoq; digeratur, fiatq; omnibus conſeruatorium ad reſurrectionem æternæ uitæ. Hęc uerba Athanaſij Inconſtantius ait eſſe admiratione pleniſſima. Sed ab ingenio ſuo nõ diſcedit. Qua enim eſt impudentia, eos pro ſe citat teſtes, qui con tra ipſum apertiſſima dicant teſtimonia. Quare pauca iſta uerba Athanaſij mi hi paulò uidentur altius repetẽda. Sunt autem in eo libro, qui inſcribitur, De eo, quod dictum eſt in Euangelio, Quicunq; dixerit uerbum aduerſum filium ho= minis. Hoc uos ſcandalizat? Si igitur uideritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius. Spiritus eſt, qui uificat: Caro non prodeſt quicquam. Verba, quę ego loquutus ſum uobis, ſpiritus ſunt, & uita. Et hic, ſiquidem utrunq; de ſe prædica= uit, carnem & ſpiritum, & ſpiritum à carne diſtinxit: ut non tantum quod uide= batur, ſed hoc etiam, quod in illo erat inuiſibile credentes diſcerẽt, quod ea quo= que, quæ loquebatur, non erant carnalia, ſed ſpiritualia. Quod enim corpus ſuf= feciſſet hominibus ad eſcam, ut hoc totius mundi fieret alimentum? Sed hac de cauſa meminit aſcenſus filij hominis in cœlum, ut corporalem cogitationem ab eis auelleret: & poſthac diſcerent, carnem de qua fuerat loquutus, cibum è ſuper nis, cœleſtem, & ſpiritualem alimoniam ab ipſo dari. Quæ enim dixi uobis, ſpi= ritus ſunt, & uita. Statim poſt iſta ſequuntur illa, quæ adducit Inconſtantius. Nec ſanè difficilè eſt, eum ex illis ipſis, quæ citauit, confutare. Athanaſius enim clariſſimè loquitur: Dabitur alimonia, ut ſpiritualiter in unoquoque digeratur. Nam primùm, quod ait, ſpiritualiter, id uerba Athanaſij in noſtram ſenten= tiam prorſus trahit. Deinde, cum ſubijcit alimoniam illam in unoquoq; noſtrum digeri, ea metaphora ſatis, quid uelit, indicat. Cibus enim abſq; coctione non di= geritur. Id aũt de uero & reali Chriſti corpore uel cogitare, nefas eſt. At ſi ea, quæ paulò ſuprà ab eodem Athanaſio dicta retulimus, preſſius conſideres, facilè *Athanaſius.*

uidebis, quàm ruinoso fundamento iste nitatur. Primùm quemadmodũ in Christo fuit quiddam aspectabile, quod caderet sub sensus, aliud autem quiddam interius omninò spirituale, quod sentiri non posset, sed tantùm comprehendendum esset fide: ita uerba Christi sensum alium habere externum, satis crassum, & animalem: alium autem interiorem, reconditum, & spiritualem. Hoc satis indicat, illum non sensisse pastũ corporis Christi de re ipsa, & substantia, quę corporis ore, ut Capernaitæ iudicabant, comedaẽ, sed de cõmunicatione animi interna, & spirituali. Nam alioqui, inquit, si corpus Christi eo modo, quo Capernaitæ somniabant, esset comedendũ, quot illud hominib. suffeciſſet? Certè paucissimis. Quare, cum illud institutum sit ad alimoniam totius mundi, hunc esum oportet ad fidem, & spiritũ pertinere. Et addit, hac de causa Christum fecisse mentionẽ de ascensione sua in cœlum, ut illos à carnali cogitatione auelleret. Hęc genuina est interpretatio uerborum Iohannis: ac si dñs dicat, Vos existimatis carnalem fore pastum mei corporis. Sed nihil erit tale. Vos enim ipsi uidebitis corpus meum subduci in cœlum. Hoc loco dissimulare non possum, illos uehementer errare, & sentire cõtra omnem ueterem Ecclesiam, qui corpus Christi putant iã ubique diffusum esse. Nam, si esset, ut illi statuunt, infinitũ, omnibus hominibus, & orbi uniuerso, etiã si corporaliter ederetur, esset satis. Quod tamen Athanasius, ut audiuimus, habet pro absurdo. Athanasius ergo nihil iuuat Inconstantij, & Papistarum causam: imò potius eam prorsus euertit. Quid autem perceptio Eucharistiæ faciat ad Resurrectionem, & suprà diximus, & posteà suo loco dicturi sumus. Nunc redeundum est ad Inconstantij testimonia. Nam ex Athanasio nihil habet, quod ad Transubstantiationis portentum quicquam faciat.

Locus ex Iohanne.

Contra ubiquitatem corporis Christi.

Emissenus.

Emissenus autem, inquit, huius Sacramenti constitutionem, & admiratur ipse, & accedentes ad altare uult mirari. In illis uerbis Emiſseni, quicũq; tandem ille fuerit, nihil habet Inconstantius, quod ouet: multò minus, quod triumphet. Illa enim, ut sæpissimè fit in scriptis patrum, suam secum coniunctam habent interpretationem. Primùm ait, ista fide æstimanda esse, & interioris hominis affectu. Fides autem, qua utimur in hoc mysterio, duo potissimùm spectat: primùm, ut filium dei credamus pro nobis traditum: deinde, ut eum ita traditum, & affixum cruci credamus esse cibum nostrum, & potum spiritualem, quo ad æternam uitam sustentemur: quod Christus & testatus est in sexto capite Iohannis, & cum institueret Sacramentum Eucharistiæ, repetijt. Hoc illud est mirificum, quod patres ita uehementer prædicant: mirantur enim externa ista symbola, naturæ alioqui futilis & caducæ, in eum honorem adducta esse, ut deus iam illis uti uelit ad nos iuuandos, & salutariter alendos. Quod uero aut Emissenus, aut alij patres interdum dicunt, bonitatem, & potentiam dei requiri ad Sacramenta, id nobis nec ita durũ uidetur, nec ita nouum. Imò cũ aduersarij contra nostrã sententiam obijciunt nobis, figurã esse rem leuẽ ac tenuem, nos uicissim illis naturam, & dignitatem Sacramentorum tanquã rem eximię præstãtiæ regerimus.

Quid spectet fides in Eucharistia.

Miraculis autem, quæ prædicant de Eucharistia, ut suã constituant Transubstantiationem, obijcimus illa miracula, quæ à patribus prædicãtur de Baptismo: in quo nulla fit aquæ mutatio, quod quidẽ ad physicas conditiones attinet. Fatemur etiam alimoniam corporis Christi, quam spiritualiter percipimus, prædicari interdũ à patribus, ut rem maximè admirabilem: non aũt transubstãtiationem istam panis, quæ nulla est. Et certè patres mutationẽ panis cõferre solent cum mutatione nostri: quod satis apparet ex istis uerbis Emiſseni. Quis autem sanus dicat, nos in Baptismo substantiam, & naturam nostram abiecisse? Mutamur tamen toti prorsus & animo & corpore & ex hominibus profanis efficimur homines dei. Naturam tamen, & substantiam eandem, quam prius habuimus, retinemus.

Patres mutationem panis, cum mutatione nostra conferunt.

mus. Quemadmodũ aũt uerba illa Emiſſeni nõ probant Tranſubſtantiationẽ, ,,
ita non concludunt corporalem præſentiam. Præterquam enim, quòd ait, hæc ,,
æſtimanda eſſe fide, & affectu interioris hominis, addit etiam, Sacrum dei tui ,,
corpus fide reſpice, mẽte cõtinge, cordis manu ſuſcipe, hauſtu interiori aſſume. ,,
Nos quidem ad noſtram ſententiam confirmandã non aliam dicẽdi, aut ſcriben
di formulam deligeremus. Atq; hæc ad priorẽ partẽ Emiſſeni poſſunt eſſe ſatis.

Poſteà ſubdit, Quid mirum eſt, ſi ea, quæ uerbo potuit creare, uerbo poſsit ,,
creata conuertere? Imò non minoris uidetur eſſe miraculi, ſi id, quod ex nihilo ,,
agnoſcitur, iam conditum in melius ualeat commutare. Hæc Inconſtantius ad ,,
Tranſubſtantiationem probandam rapit. Sed, quod ſæpius iam diximus, id etiã
nunc ſibi reſponſum putet: Si Emiſſenus talem ſtatuat mutationem panis & ui-
ni, qualis eſt in nobis ipſis, cum in regeneratione conuertimur in homines dei,
cum eo nihil pugnamus. Atq; adeò ita eum ſenſiſſe ſuſpicamur. Sin ea ad ueſtrã
Tranſubſtantiationem referat, cum eam non habeat è ſacris literis, per me ſanè
unà uobiſcum ualeat. Sed hoc etiam addendum eſt, uocem illam Miraculum,
non aliter hic accipi oportere, quàm quomodò ſupra explicuimus.

Poſteà ſuccedit Epiphanius. Is quoq;, inquit Inconſtantius, magnitudinem *Epiphanius.*
miraculi ueluti certò ab omnibus illis temporibus creditam ducit in argumentũ. ,,
Epiphanius eo loco ait, hominem uerè conditum eſſe ad imaginem dei, licet ſen ,,
ſu, aut ratione uis illa ſimilitudinis non poſsit animaduerti. Et addit, alia multa ,,
reperiri, quæ re uera aliud ſint, atq; uideantur. Atq; inter cætera hoc quoq; pro- ,,
ponit de Euchariſtia: & rectè quidem meo iudicio. Nam externo ſenſu, quod ad ,,
figuram, colores, & quantitatem attinet, nihil uideri poteſt in eo pane, quod ha- ,,
beat imaginem, aut ſimilitudinem corporis Chriſti. Supereſt ergo, ut ea ſimili- ,,
tudo à nobis credatur, ut quę ſpiritu Chriſti, & uerbo eius ſit obſignata. Verùm ,,
hic medius ſtringitur, & tenetur Inconſtantius. Epiphanius enim illud, quod di
citur corpus Chriſti, ait eſſe rotundæ figuræ. Hic mihi reſpõdeat, illa rotunditas
qua de re prædicetur. Non certè de uago, neſcio quo, indiuiduo. Illud enim figu
ram nullam habet. Nam poſtquam figura aliqua comprehenditur, ſtatim deſinit
eſſe uagum. Eſt enim iam certum, & comprehenſum terminis. Fortaſſe dicet, ac
cidentia eſſe rotunda. Eſto: ſed illa non appellantur, Hoc. Sed numero multitu-
dinis dici debuiſſent, Hæc. Reſtat ergo, ut Epiphanius dicat, panem eſſe rotun-
dæ figuræ. Voluit, inquit, per gratiam dicere, Hoc eſt corpus meum. Hanc ,,
prærogatiuam habet ille panis, quam Epiphanius uocat Gratiam, ut dicatur cor ,,
pus Chriſti: non quòd ſubſtantia eius tranſeat in ſubſtantiam & naturam panis:
ſed quòd panis fiat ſacramentum corporis domini, idq; ita uerè fiat, ut, qui id nõ
credat, excidat à gratia. Sed intereà uelim ex hoc tam ſolerti & ſubtili diſpu-
tatore intelligere, qui poſsit Chriſtus totus eſſe ſenſus, & ſenſitiuus. An uerò ca-
pilli etiam Chriſti ſentiunt? An partes corporis humani, quæ ſenſu carent in alijs
hominibus, in Chriſto ſentiunt? Hoc etiam ſcire uelim, quomodò, ſi Chriſtus
totus ſit ſenſus, & ſenſitiuus, eius corpus frangatur in pane, uel in accidentibus
panis, & dentibus commolatur, nec tamen doleat. Si totus eſt ſenſus, & ſenſiti-
uus, id non uidetur poſſe fieri. Nec facilè uideo, quemadmodum totus dica-
tur Incomprehenſibilis. Corpus enim Chriſti haud dubiè certis finibus termina
tur: niſi fortè illud fingere uelimus eſſe Indiuiduum uagum: quod Inconſtantius
somniauit de pane, quod, niſi hominum cogitatione nuſquam ſit. Oro, atq; ob-
ſecro Inconſtantium per ſophiſticam ſuam, ut nos aliquando iſta doceat. Quæ ſi
fateatur, ſe non poſſe expedire, ego quoq; multò æquius reſpondebo, Me in ſcri-
ptis Patrum quædam interdum non intelligere: idq; mea non multum referre,
præſertim cum ſalus noſtra in uerbo dei, non in hominum ſentẽtijs ſit collocata.

Hesychius. Sequitur Hesychius. Is, inquit Inconstantius, apertam facit mentionem mi
» raculi in Leuiticum lib. 6. cap. 22. Sic enim scribit: Sanctificationem mystici sa-
» crificij, & à sensibilibus ad intelligibilia rationem, siue cõmutationem, ei, qui ue-
» rus est sacerdos, uidelicet, Christo oportet dari, id est, ipsum de eis miraculum ce
» dere, & imputare: quia per eius uirtutem, & prolatum ab eo uerbum tam sancti-
» ficata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum. Hæc uerba diligenter no-
bis expendenda sunt. Nam quòd ait Hesychius, Sanctificationem mystici sacri-
ficij, per mysticum sacrificium intelligit panem: is enim appellatur mysticum sa-
crificium, quòd sit mysteriũ, aut sacramentũ ueri sacrificij semel oblati in Cruce.

Quæ sit panis & uini sanctificatio. Quæ uerò sit ista sanctificatio, per ἐπιδήμησιν interpretatur. Appellat enim trãslationem à sensibilibus ad intelligibilia. Iam enim physicas conditiones panis & uini non contemplamur: sed ex ea parte illa consideramus, qua sacramenta sunt significantia, corpus Christi pro nobis crucifixum, & sanguinem eius pro nobis fusum. Hæc sensu non cernuntur: mente tantùm per fidem intelliguntur. Neq; enim natura sacramenti sub sensum cadit. Hæc primorum uerborum est sana intelligentia.

Sed priusquam longius progrediar, quæro ex Inconstantio: Istam sanctificationem, quam Hesychius commemorat fieri uerbo dei, ad quid censeat referendam: & quæ sint illa significata, quorum paulò post facit mentionem? Si dixerit, illa esse corpus & sanguinem domini, illa certè semper sancta sunt, neq; opus habent, ut quotidiè uerbo domini sanctificentur. At si illa dicet esse panem & uinum, magis etiam mirabor, illa dici posse sanctificari, quæ abijciantur, & percãt, & prorsus esse desinant. Quòd si manerent, & aliqua noua dignitate ornarẽtur, possent dici sanctificata. Tertium tantùm quiddam supereſt, quod respondeant, nimirùm, accidentia illa sanctificari: quod nemo sapiens putabit unquam uel Hesychio, uel cuiquam Patrum uenisse in mentem. Si enim hoc putassent, aliquando certè fecissent mentionem accidentium, quæ sine subiecto consisterẽt, & seruarentur. Nam scholastici, cum id semel cœpissent credere, usq; ad nauseam de ea re disputarunt. De miraculo autem, quod Hesychius cõstituit, nihil dicam aliud, quàm quod responsum est anteà.

Ambrosius. Huc adscribit Inconstãtius Ambrosium. Sed quid quibus, inquit, loquendi
» formis Ambrosius miretur, audiamus. Si ergo, inquit, tãta uis est in sermone do
» mini, ut inciperent esse, quæ non erant, quãto magis operatorius est, ut sint, quæ
» erant, & in aliud conuertantur? Hæc uerba Ambrosij commentum Transubstantiationis apertissimè refutant. Ait enim, Sermonem domini esse operatorium, ut sint, quæ erant, & in aliud conuertantur. Si panis & uinum sint ea post consecrationem, quæ fuerant anteà, manet haud dubiè illorum natura, & substantia: quæ tamen nihilo minus dicitur conuerti in aliud, quòd uidelicet iam sacramenta sint, quæ prius non erant. Hoc uerò potentia dei, & uerbo fieri, quibus ijsdem rebus mundus conditus est, Inconstantius non credit. Nam sacramenta fieri, & nos in homines dei mutari posse putat tantùm humanis uiribus. Nos uerò, qui creaturarum infirmitatem probè nouimus, hæc omnia bonitati, gratiæ, & potentiæ dei accepta referimus.

Chrysostomus. Adhæc Chrysostomus, inquit, plærisq; in locis magnitudinem prædicat. Ex
» omnibus tamen, quod sequitur, uidetur huic argumento maximè commodum:
» Credamus ubiq; deo, neq; repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ
» uideatur absurdum esse, quod dicit. Superet & sensum, & rationem nostram uer
» bum, quæso, ipsius: quod in omnibus, & præcipuè in mysterijs faciamus: non il-
» la, quæ ante nos iacent, solummodò aspicientes, sed uerba quoq; eius tenentes.
» Nam uerbis eius defraudari non possumus; sensus uerò noster deceptu facilli-
mus

mus est. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Duo ex istis uerbis Chrysostomi Inconstantius proponit expendenda: primùm, eũ monere, ut sensum iudicium reprimamus, neq; id statim reijciamus, quod illi uideatur absurdum: alterũ, eũ exigere à nobis fidem, quam illis omnibus, quæ à domino dicta sunt, habeamus. Video quidẽ quid Chrysostomus urgeat: quid aũt illud nostræ causæ tantoperè officiat, nondum uideo. Nam quid, quæso te, iudicare potest sensus de illis uerbis, quibus Christus dixit, panem esse corpus suum, quod tradendum esset ad mortem? Rationem Sacramenti, aut mysticæ significationis sensus non attingit: neque tantarum rerum quis usus, aut finis sit, potest suspicari. Quare nisi fides accesserit, sensus in his rebus facilè nos potest fallere. Is enim in illis, quæ proponuntur, nihil aliud uidet, quàm panem & uinum. Requiritur ergo in hoc negotio fides; qua in Circuncisione opus erat, ut patres crederent, eam pactum esse, & fœdus initum cum deo. Eadem etiam necessariò exigitur in Baptismo: ut iuxta analogiam fidei credamus illam tinctionem esse lauacrum regenerationis: quod certè sensus noster nullo modo potest percipere.

Sensus rationẽ Sacramenti nõ attingit.

Sed præter ista, quæ à Chrysostomo in Matthæum hom. 83. dicta sunt, adfert Inconstantius alia ex eodem hom. 45. in Iohan. Quo in loco ille Capernaitas reprehendit, qui nimis diligenter inquirẽtes, quomodò Christus daturus esset carnem suam manducandam, & sanguinem bibendum, rogarent, quomodò id posset fieri: quibus uerbis prodebant incredulitatem suam. Illos ego infideles fuisse, nõ inficior. Sed eam formam interrogãdi, ut suprà docui, nego semper ex incredulitate proficisci. Video enim eam etiã à sanctissimis uiris, salua fide, aliquando usurpari potuisse. Quòd autem posteà Chrysostomus ex miraculo panis, quem Christus auxit, ut aliquot hominum millia saturaret, conciliat fidem uerbis Christi, id nõ aberrat ab ijs, quæ in sexto capite Iohannis agebant. Illi enim redierant ad dominum, ut ab eo rursus explerentur panibus. Christus aũt ex occasione illius panis, quem illis anteà dederat, cœpit illis spiritualem, & cœlestem panem prædicare. Sed quia adduci non poterant, ut crederent, carnẽ domini aliquando esse spiritualiter comedendam, quomodo re uera intelligendum & credendum erat, Chrysostomus ait, id eos ex miraculo, quod paulò antè uiderãt, intelligere & credere debuisse. Sed quid hoc ad Transubstantiationẽ? Quòd si uerba illa domini è sexto Iohannis trahantur ad symbola, haud dubiè à genuino illorum sensu discedit̃r. Ibi enim Christus de spirituali tãtùm esu suæ carnis loquutus est, qui fide sola absq; ullis symbolis perfici potest. Deinde si cõcedamus, illa intelligenda esse de Sacramento, credi poterat, Christũ authorem fore illius instituendi ex ea uirtute, atq; efficientia, quã in faciẽdis miraculis exeruerat. Addit Inconstantius, Miraculum in institutione solius figuræ nõ fuisse necessariũ. Iste, credo, ne fortè uideri possit sui dissimilis, perpetuò impingit nobis suũ mẽdaciũ: quasi nos doceamus, Sacramentũ solam, & nudã figurã esse: cuiusmodi sunt illę, quæ quotidiè fingunt̃ à pictoribus, & statuarijs. Chrysostomũ autẽ habere quasdam interdũ phrases uiolentiores, quas ne aduersarij quidẽ nostri uelint ad uerbũ admittere, partim anteà docuimus, partim infrà suo loco fusius explicabimus.

Chrysostomus.

Chrysostomus interdum phrases uiolentiores habet.

Deinde citat Cyrillum: Cæterùm, inquiens, cum ijs, qui per naturam imposs. *Cyrillus.*
sibile putant, quod de carne sua dixit Christus, ita agit Cyrillus, Si putatis, carnem meam uitam uobis afferre non posse, quomodò tãquam uolucris in cœlum ascendet? & quomodò per aëra uolabit? Hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quòd si præter naturam caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam uiuificet? Nam qui terrestre hoc corpus cœleste conficit, is etiam uiuificum reddit, quamuis natura sua corruptibile fuerit.

Cyrillus hoc loco, qui est in Iohannem libro quarto, capite uigesimosecundo, to
tus in eo est, ut ostendat, quomodò Christus probarit Iudæis carnem suam esse
uiuificam. Quoniã, inquit, tanquã uolucris ascendet in cœlum, quod uim natu-
ræ humanæ longè superat. Quare, qui dedit huic corpori terrestri facultatẽ ascen
dendi in cœlum, is illud reddidit uiuificum: quamuis ex natura sua esset corru-
ptibile. Hanc sententiã Cyrilli nos quoq; fidelissimè retinemus: uidelicet car-
nem Christi habere uim uiuificandi propter adiunctam naturam diuinã. Damus
etiam coniunctionem diuinitatis quam credimus & prædicamus, et Ascensione
in cœlum, & aliis multis miraculis fuisse declaratam. Quanquam silentio pre-
tereundum non est, quod supra dixit Athanasius, quodq; Inconstantius, cum il-
lum locum modò admodum citarit, tam citò obliuisci non potest, Christũ men-
tionem fecisse Ascensionis, ut ostenderet, corpus suum spiritualiter, non corpo-
raliter esse manducandum. Quare ex sententia istorum duorum patrum, duo
ex illa commemoratione de Ascensione elicimus. Primùm, pastum illum carnis
Christi cõstare fide: quæ in res etiã absentes ferri potest. Iste ergo pastus omninò Al
spiritualis est, nec aut Transubstantiatione, aut reali præsentia opus habet.
terum est, quod Cyrillus ait, carnem Christi posse uiuificare. Sed illud prius ma-
gis genuinum est, & uerbis Euangelistæ magis conuenit. Sed posterior etiã Cy-
rilli interpretatio potest nõ malè conuenire: quoniam illi dixerant, Patres nostri
manducauerunt, & mortui sunt. Præterea, quod Cyrillus ait, corpus Christi
sua natura fuisse corruptibile, dextrè intelligendum est. Christus enim nullum
unquam peccatum admisit, unde naturali necessitate cogeretur mori. Quòd au-
tem mortuus est, id ex dispensatione factum est. In eo etiam Inconstãtius non
leuiter hallucinatur, quòd quicquid in ijs uerbis Cyrillus loquutus est de poten-
tia dei, id omne referendum putat ad institutionem Eucharistiæ: quod tamen à
consilio Cyrilli prorsus est alienum. Ille enim agit de ui illa, & potentia, qua car-
nem Christi pollere ait ad nostram carnem uiuificandam.

Cur Christus in 6. Iohãnis mentionem ascensionis fecerit.

Quomodo corpus Christi fuerit corruptibile

,, Sed addit, Cyrillum ista frustrà dixisse, si Eucharistia non aliud sit, quàm figu
,, ra, & omnis illa sanctificatio peragat spiritu. Quorsum ista? Obsecro. Panis &
uinum symbola sunt carnis & sanguinis domini, quatenùs uiuificant. Hoc Cy-
rillus laborat, ne habeat pro absurdo, illa, quę hic significantur, & fide percipiun
tur, posse uiuificare: cũ illa caro, quæ repręsentat, non sit nudi & puri hominis, ut
Nestorius & Arrius docuerant: contra quos Cyrillus perpetuò dimicat. Sed ad
hoc quid facit aut realis prędentia, aut Transubstãtiatio? Disputat porrò ibi, An
caro Christi uim habeat uiuificandi. Iste aũt omnia turbat, & susq; deq; rapit: &
ridet eos, qui putant, istã sanctificationẽ spiritualiter perfici: quasi uerò res ista sit
carnalis. Nec uidere uult Christũ, cum ageret de manducatione suæ carnis, sem-
per nos reuocasse ad spiritum. Neq; nos istam actionem docemus tam esse spiri-
tualem, quin & uerba scripturarum, aut concionum, & sacra mysteria dicamus
ad eam pertinere. Sciat ergo Inconstantius, Cyrillum huiusmodi strophis & ca-
uillis non posse adigi, ut dicat illud, quod ipse eum uult uideri dicere.

Augustinus.

Augustinum autem ita citat: Hoc quod uidetis in altari dei, etiã transacta no-
,, cte uidistis: sed quid esset, quid sibi uelit, quàm magnæ rei sacramentum conti-
,, neret, nondum audistis. Quod ergo uidistis, panis est & calix, quod uobis etiam
,, oculi uestri renuntiant: quod autem fides uestra postulat instruenda, panis est
,, corpus Christi: uinum est sanguis. Rursus ex hoc quoque testimonio Augu-
stini Inconstantius grauius uulnus accipit, quàm putet. Primùm quod ait, Sa-
cramentum in Eucharistia contineri, nobiscum facit. Re enim uera in Eu-
charistia Sacramentum est, hoc est, signum rerum spiritualium. Deinde id,
quod uidetur, panem esse ait: quod & Transubstantiationi, & in primis
Indiui-

Indiuiduo uago Inconſtantiq́ maximè aduerſatur. Poſteà cum rem preſsius interpretatur, ait, panem eſſe corpus Chriſti: quod nos quoq; certo quodam modo non negamus. Sed rurſus quæro, ſi panis eſt corpus Chriſti, ubi eſt ueſtra Tranſubſtantiatio? Neq; enim Auguſtinus in ijs rebus oculos noſtros falli dicit. Panis eſt, inquit, quod ſenſus quoque ueſtri renuntiant. Sed addit, Sacramentum quoq; ibi eſſe, quod ſenſus neſciunt, fides tantùm credit: idq; eiuſmodi etiam ſacramentum, quod ſua quadam ratione ſit corpus Chriſti. Non potuiſſet Auguſtinus uerbis magis appoſitis Indiuiduum illud ueſtrum uagum, & Tranſubſtantiationem euertere. Figuram corporis Chriſti Inconſtantius negat in Eucharíſtia contineri: Auguſtinum enim dicere, contineri in ea magnum ſacramentum; idq; eum explicare de corpore Chriſti. Ad quod ego ita reſpondeo, Sacramentum ſeu myſterium apud Patres interdum ſignificare externa ſymbola: interdũ res eas, quæ in ſymbolis referuntur. Hic Auguſtinus poſteriori ſignificatione dicit ſacramentum, cum dicat in pane, & calice magnum ſacramentum contineri: quod nos minimè inficiamur, modò uerbum illud Cõtineri, ad ſignificationem referatur: quod neq; abſurdum, neque alienum uideri debet. Signa enim aliquo modo dicuntur ſignificata continere. Nam quis neget in ſacris literis maxima contineri ſacramenta? Vaniſsimum autem eſt, quod garrit de panibus propoſitionis, illos quoq; fuiſſe figuram Chriſti: quaſi uerò ueterum ſymbola cum noſtris ſymbolis non poſsint ullo modo conferri. Certè utrobiq; tam in Veteris, quàm in Noui teſtamenti myſterijs uidere poſſumus ſigna, & figuras, quamuis cum aliquo diſcrimine. Id autem toties iam anteà monuimus, ut iam pigeat repetere.

Myſterij apud Patres duplex ſignificatio.

Signa dicuntur continere ſignificata.

Huc addit Inconſtantius teſtimonium Euthymij. Habeo, inquit, ex Euthymio duo præclara loca. Nos, inquit, credamus ubiq; deo, nec contradicamus, etiamſi quod ab eo dicitur, contrarium eſſe uideatur noſtris cogitationibus. Ita quoq; in adorandis myſterijs faciamus. Cumq; ille dicat, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, pareamus, & credamus. Siquidem etiam in Baptiſmo ſenſibilis quidem eſt aqua: ſed intelligibile donum eſt regeneratio. De uerbis iſtis Euthymij minus laborandum cenſeo, quòd uideam eum referre ſenſum, & uerba Chryſoſtomi: de quibus abundè iam dictum eſt. Hoc tamen unum ſilentio præterire non poſſum, id, quod ait, Non ea ſolùm quæ proponũtur, intuendum eſſe, maximè illuſtrare noſtram ſententiam. Nam ſi caro, & ſanguis Chriſti proponerentur nobis ſub accidentibus panis & uini, ea haud dubiè eſſent in primis intuenda. Ab illis uerò, quæ proponuntur, Euthymius nos abducit, & monet, ut credamus ſermonibus Chriſti. Ea enim, quæ Chriſtus ait, ſola fide poſſe comprehendi. Quid aũt debemus credere? Hoc, uidelicet, eſſe illius corpus: &, Hoc eſſe illius ſanguinem. Credimus quidem iſta: non tamen, quaſi ea in pane, & uino deliteſcant: ſed eo modo, quo nomina ipſarum rerum conueniunt ſacramentis. Ita autem Euthymium ſenſiſſe, ea ſatis indicant, quæ ſequuntur. Siquidem in Baptiſmo quoq;, inquit, ſenſibilis quidem eſt aqua: ſed donum intelligibile eſt regeneratio. Quoniam enim in nobis anima conſerta eſt corpori, in ſenſibilibus intelligibilia tradidit nobis deus. Confert aquam Baptiſmi cum regeneratione, & ſimilem facit ἀναλογίαν harum rerum cum illa, quæ eſt in Euchariſtia ſymbolorum ad carnem & ſanguinem domini. Quare reſpondeat mihi uelim Inconſtantius, utrum exiſtimet, regenerationem noſtram inuolutam eſſe in aquis, quibus Chriſtiani tingimur, an potius earum natura ſignificari. Reſpondeat etiam, utrum illi, qui ficto animo, & abſq; fide accedunt ad Baptiſmum, aſſequantur regenerationem. Si hoc negat, cur illud ait, Infideles unà cum accidentibus panis & uini recipere uerum corpus & ſanguinem domini? Sint uera uerba illa Eu-

Euthymius.

thymij: sit firma illa analogia. Corpus & sanguis Christi ita contineantur in pane & uino, ut regeneratio nostra continetur in aquis. Cumq; ea ab elemento suo possit diuidi, ut alterum illorũ absq; altero sumi possit, idem fateamur in Eucharistia quoq; fieri. At regeneratio, inquiet Inconstantius, illis qui tinguntur, datur, & ab illis re ipsa percipitur. Esto: ita nos quoq; fatemur, Corpus domini haberi, & accipi ab illis, qui rectè usurpant sacramenta. Sed hoc contendimus, ad illam perceptionem realem præsentiam non requiri. Satis enim est, ut corpus Christi animo nobiscum per fidem coniungatur.

Quòd si quærat præterea, unde fiat, quod ipsam regenerationem concedamus realiter præsentem esse in Baptismo, & inherere illis, qui fideliter utuntur sacramento, quamuis sub ipsis aquis non latitet, corpus autem Christi in Eucharistia realiter adesse nolimus, neq; tamen substantialiter à nobis percipi. Respondeo, quia nihil obstat, quò minus multæ esse possint regenerationes. Imò tot sunt, quot ueri sunt Christiani, qui regenerantur. Corpus autem domini multiplicari, aut in infinitum diffundi, quod hodiè quidam stultissimè, ne quid grauius dicam, somniant, non potest. Hæc uera & iusta est ratio discriminis. Accipimus ergo libenter id, quod dat Euthymius, non esse hærendum in illis, quæ propo-
nuntur: sed fidem referendam esse ad Christum, & quantum fieri potest, quan-
tumq; uerba dei patiuntur, inter Eucharistiam, & Baptismum retinendam esse analogiam.

Euthymius. Citat alium etiam locum Euthymij in sextum Iohannis. Decertabant ergo Iu-
,, dæi inter sese dicentes: Quomodò potest hic nobis dare carnem suam ad mandu-
,, candum? Turbabantur non potentes sermoni credere, quòd hoc impossibile ui-
,, deretur. Nam cum omnia secundum naturam inquirerent, nihil, quod suprà na-
,, turam erat, admittebant. Dixit ergo illis Iesus: Amen, Amen dico uobis, nisi co-
,, mederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam
,, in uobis. Illi quidem hoc impossibile iudicabant: ipse uerò omninò possibile
,, ostendit: neq; id tantùm, sed etiam necessarium: quod etiam fecit ad Nicodemũ.
,, Addit etiam & sanguinem, significans de pane, & de poculo, quæ, ut dictum est,
,, daturus erat discipulis in Cœna. In his Euthymij uerbis tria sunt annotanda. Primùm, Capernaitas non potuisse intelligere, carnem domini manducandam esse ad uitam, quòd rem omnem physica tantùm ratione metirentur: quasi caro nisi ore, & morsibus corporis, & naturali traiectione non posset comedi: cum tamen sit alius modus credentium proprius, quo modo illi per fidem complectuntur mortem domini, atq; ita eius carne, ac sanguine spiritualiter saginantur. Hoc autem neq; intelligebant, neq; credebant Capernaitæ. Atqui ad istam tamen intelligentiam Christus eos aduocabat, cum diceret, Caro non prodest quicquam: spiritus est, qui uiuificat: cumq; suæ in cœlum Ascensionis mentionem faceret, quemadmodum testatur Athanasius. Alterum est, Oportere nos in Patribus considerare, illos abuti ijs locis, ut ostendant, carnem Christi posse uiuificare: quod argumento erat, eum non fuisse purum, nudumq; hominem, cum simplicis, & puri hominis caro id efficere non possit. Itaq; aiunt, Christum dixisse, esse spiritum, id est, diuinam naturam, unde id ipsius caro haberet: ita autem Christum dixisse, ut ostenderet, se non minus deum esse, quàm hominem. Capernaitæ uerò, cum id non crederent, eum absurdissima loqui existimabant. Postremò id quoq; expendendum est, quod ait, Christum similiter dixisse Nicodemo. Ea enim mihi uidetur omnium illorum, quæ iam allata sunt, certa & euidens interpretatio. Nicodemo enim Christus proposuerat nouam generationem, utrem ad salutem perneccessariam. Ille autem cogitans realem, & substantialem generationem, qualis ea est, qua effundimur ex utero matrum, rem eam totam alie-
nam

nam putauit esse, & absurdam. Nihil autem illi de spirituali regeneratione, quam per fidem adipiscimur, ueniebat in mentem. Ex hoc simili de Nicodemo respondeat sibi Inconstantius. Vt enim ad nos regenerandos fide opus est, non physica substantia, aut partu mulierũ: ita ut fide atq; animo comedamus & bibamus corpus & sanguinem Christi, nihil opus est eius reali & substantiali præsentia. Inconstantius uerò tantùm generatim colligit, Euthymiũ docere magnitudinem mysterij: eam enim tantam esse ait, ut naturali ratione fieri non possit. Id nos si recte accipiat, non difficulter dabimus. Vis enim mysterij, quæ à spiritu sancto per illud operante omninò pendet, facultates naturæ omnibus modis superat. Neq; enim res, ut natura existunt, ui sua tanto cõmodo hominibus esse possunt, quanto Christus panem, uinum, & aquam cum uerbo coniuncta nobis esse uoluit.

Ad hæc aduocatur huc etiã Damascenus. Si igitur, inquit Damascenus, Verbum domini uiuens est, & efficax, &c. non potest panem corpus facere, & uinũ, & aquam sanguinem? De Iohanne Damasceno non decreui in præsentia omnia referre, quæ possem. Hoc unum tantùm dicam, illum ita hyperbolicè, ne dicam portentosè loqui de Eucharistia, ut neq; Inconstantius, neque alius quispiam ex omni grege Papistarũ tam impudens sit, ut eius dicendi formulas uelit recipere. An enim dares tu unquam Inconstanti, deum fecisse panem corpus suum, & uinum sanguinem? Si concedis, ubi est tua illa transubstantiatio? Si abit, ut tu dicis, forma & substantia panis, nõ panis fit corpus, uerùm ex pane, id est post panem fit corpus: nec uinũ fit sanguis, sed ex uino, id est post uinũ fit sanguis. Nam cum homo fit doctus, aut diues, manet certè eius essentia: & lignum, cum fit arca, aut statua, naturam suam & substantiam retinet. Non potuisset unquam Damascenus alijs uerbis uestram Transubstantiationẽ fortius oppugnare. Quod autem dicit, uerum esse non potest, nisi propositio sit meraphorica: ut, quemadmodum quispiã modò fit iustus, modò diues, modò pulcher, ita panis & uinum fiant corpus & sanguis Christi, cum retinentia naturam suam, quam prius habuerunt, subeunt rationem Sacramenti. Et quemadmodum in Exodo scribitur de Agno Paschali, Occidite Pascha: cum tantùm offerendum esset sacramentũ paschatis: & quemadmodum Christus ait, se uelle comedere Pascha, cum esset Sacramentum tantùm paschatis comesturus: ita panis fit corpus Christi, & uinum sanguis eius, iuxta phrasin & loquendi rationem & Damasceni, & aliorum patrum. Ad ea uerò, quæ spectant ad admirationem, & potentiam dei, quæ in istis uerbis Inconstantius annotauit, nihil est, quòd multa respondeã. Satis enim fusè suprà nõ uno loco ostendi, quid in hoc Sacramento patres fuerint admirati: quóque retulerint potentiã illam dei. Quòd si noster Sophista cõtendere uelit, illos aliter sensisse, aut legat alios illorum locos, in quibus uideri possunt sententiam suam satis explicuisse, aut alias etiã omnes illorum loquutiones sine aliqua mitigatione, aut exceptione recipiat. Quòd si æquissimis istis legibus stare nolit, eum ego cum suis patribus ualere iubeo.

Damascenus.

Nos à principio huius argumenti scripturas postulauimus ab Inconstantio, quæ nobis nouum istud miraculum Transubstantiationis prædicarent, & docerent, fuisse aliquos, unum saltem, aut alterũ, qui hoc portẽtum in Eucharistia, cũ primùm institueret, fuerint admirati. Is aũt, si deo placet, pro scripturis patres nobis, eosq; malè intellectos profert. Miror tamẽ, eũ ita impudenter calumniari, patres à nobis nõ legi. Nã profectò, si quis alius, ipse maximè laborat hoc uitio. Etsi enim ubiq; crepat patres, tamen eos nunquã uidit, nisi alienis oculis: nec unquã nisi operarũ suarũ manib. euoluit. Luce enim clarius suprà nõ semel ostendi, illum in locis illis, quæ citauit, neque spectasse, quid antecesserit: nec expendisse, quid sequutũ fuerit. Postremo aũt loco, quoniam iste ita uult, Bernhardũ quo-

,, que audiamus. Legissent, inquit, saltem ex posterioribus Bernhardũ, qui sic scri-
,, bit: Mira sunt, quæ de Sacramento isto scribunt. Fides est necessaria: scientia ra-
,, tionis superuacua. Sermo iste, qui adscribitur Bernhardo, est admodum suspe-
ctus. Ego enim ipse in Codice quodam uidi, illum, nõ Bernhardo, sed alteri cui-
Bernhardi doctrina non est pura. dam attribui. Sed cuiuscũq; sit, id enim nõ magni refert, Bernhardũ nõ fuisse alie-
num à superstitionibus, nec ubiq; doctrinã purã, et syncerã tradidisse, nemo, qui
eius scripta uiderit, aut legerit, potest ignorare. Nihilominus tamen Incõstan-
tium parùm fuisse attentũ in scrutandis huius patris Sermonibus, uel ea testant,
Bernhardus. quæ scribit in Serm. 33. in Cãtica Canticor. Verba eius hæc sunt: Nõ omninò pa-
,, ri iucũditate sumit cortex Sacramenti, & medulla frumenti: fides, & species: me-
,, moria, & præsentia: æternitas, & tempus: speculum, & uultus: imago dei, & for-
,, ma serui. Agit ibi de Sacramento, & de perceptione corporis Christi: cuius hic
non præsentiã, sed memoriam disertissimis uerbis haberi testat. Et statũ huius uita
tæ confert cum futura beatitudine. Neq; abs re fore arbitror, si excutiam Ser-
monem Bernhardi de cœna domini: qui ante locum istum ab Inconstantio cita-
Bernhardus. tum legitur. Sic enim scribit, cũ agat de natura Sacramentorũ: Vt de usualib. su-
,, mamus exemplũ, datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significa-
,, catio: datur ad inuestiendũ de hæreditate aliqua, & signũ est: ita ut iã dicere pos-
,, sit, qui accepit, Annulus nõ ualet quicquã: sed hæreditas est, quam quærebã. In
,, hunc itaq; modũ appropinquans passioni dominus de gratia sua inuestire cura-
,, uit suos: ut inuisibilis gratia signo aliquo præstaret. Ad hæc instituta sunt omnia
,, Sacramenta: ad hæc Eucharistiæ participatio: ad hæc pedum ablutio: ad hæc de-
,, nicq; ipse Baptismus. Et mox: Sicut enim in exterioribus diuersa sunt signa, & ut
,, cœpto immoremur exemplo, uariè sunt inuestituræ, secundũ ea, de quibus inue-
,, stimur: Verbi gratia, inuestitur Canonicus per librũ: Abbas per baculũ: Episco-
,, pus per baculum & annulum, sicut, inquã, in huiusmodi rebus est, sic & diuisio-
,, nes gratiarum diuersis sunt traditę Sacramentis. Ex ista similitudine Bernhardi
quiuis uidere potest naturã Sacramentorũ. Qui annulo inuestitur de aliqua hæ-
reditate, non habet eam inclusam in annulo: neq; quisquam tam stupidus est, ut
arbitrari possit annulum in hæreditatem transubstantiari. Vellem, ut Inconstan-
tius ista diligentius expendisset. Non dubitaret, Bernhardum aliosq; patres ma-
gnis hyperbolis naturam Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ exornasse:
cum ijdem tamen interdum syncerius, & moderatius loqui soleant, & ab ea sen-
tentia, quam nos defendimus, aut nihil, aut parùm discrepare.

OBIECTVM LXIII.

ARTICVLI fidei, etsi sint supra sensus externos, credimus enim ea, quæ nõ uidemus, quæq; nullo alio sensu percipimus: illi tamen eiusmodi sunt, ut cum externis sensibus nõ ita pugnent, ut in illis rebus, quas uidemus, quasq; alijs sensib. percipimus, decipiamur. Doctrina uerò Transubstantiationis cum externis sensibus apertissimè pugnat: dicit enim, panem & uinum non adesse, quæ tamen usu, gustu, olfactu, tactu sentiuntur. Igitur doctrina Transubstantiationis non est censenda inter articulos fidei.

GARDINERVS.

ARTICVLI *fidei sunt ueritates certissimæ, diuinitùs nobis reuelatæ, & scripturis comprehensæ, quæ deo inspirante creduntur à fidelibus: in quibus articulis non quid sensibus uideatur, quidue ijs contrariũ, aut repugnans sit, quæritur, sed quid uerum.*

MAR.

ARticulos fidei ſcripturis comprehenſos eſſe, libenter recipio. Quare, ſi Tranſubſtantiationem ueſtram è ſcripturis oſtendere, & probare poſſetis, hæc omnis lis facilè dirimetur. Atqui hic uos, ubi maximè opus erat, nunquam quicquam reſpondetis. Deinde, qui hoc argumento uſi ſunt, non fecerunt ſenſus arbitros ſuæ fidei. Fatentur enim, multa credi, quæ omne ſenſuum iudicium ſuperent. Sed in hoc myſterio, ut in alijs omnibus articulis fidei Creatoris inſtitutum ſeruandum contendunt. Illum autem aiunt noluiſſe ſenſus, quos dedit animalibus, in operibus ſuis decipi. Ea enim eſſe certiſsima inſtrumenta, quibus ſenſibilia poſsint percipi. Quod niſi ſeruetur, facilè Martionitæ, Valentiniani, & omnes illi hæretici, qui negant Chriſtum fuiſſe uerum hominem, uicerint. Dicerent enim, ſenſus humanos in eius ſubſtantia omninò fuiſſe deceptos: nec eum re uera fuiſſe hominem, quamuis uiſus ſit fuiſſe homo: quemadmodum in Euchariſtia non eſt panis, quamuis uideatur eſſe panis. Et argumentum Chriſti, quo uſus eſt ad probandam ſui corporis reſurrectionem, inane fuiſſet, & infirmum. Quanti enim eſt illud, Palpate, & uidete, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſi nulla fides habenda ſit ſenſibus? Nihil ergo nos ſenſibus plus tribuimus, quàm quantum deus ipſe author ſenſuum tribui uoluit. Credimus enim eum non magis in Euchariſtia, quàm in alijs articulis fidei uoluiſſe ſenſus noſtros falli. At ſi hoc peculiariter datum ſit myſterio Euchariſtiæ, id ſcripturis erat demonſtrandum. Nam alioqui æquum eſt, ut ab eo, quod alijs omnibus articulis fidei, & ſacramentis commune eſt, ne diſcedamus.

Quod autem Paulus de uniuerſa Chriſti doctrina ait, Animalem hominem non poſſe eam percipere, ut cui ſapientia dei prorſus ſtultitia uideatur, id toto pectore amplectimur. Sed hoc addimus, non eſſe hic certamen de ſapientia dei, quam haud dubiè fatemur ſuperare omnem ſenſum: ſed de pane contendi, an ſit panis, quem ſenſus externi nuntiant eſſe panem: &, an deus piorum, & fidelium ſenſibus uelit illudi. Sapientiam dei præſertim in his, quæ ad fidem pertinent, nos nunquam dubitauimus ſuperare ſenſus. Et tamẽ à quibuſdam Papiſtis uehementer dubitari, An in Euchariſtia ſuperſit ſubſtantia panis. Nec defuerunt ex illis quidam, qui re uera affirmarint, naturam panis, uel, ut ipſi barbarè loquuntur, paneitatem quandam manere. Alij fatentur, ſe quoq; ſalua ſacramenti ueritate idem potuiſſe ſtatuere, niſi Eccleſia ſecus decreuiſſet.

Addit porrò Inconſtantius, ſi unus articulus aliquid contineat à cæteris ſingulare, non continuò reliquis dicatur aduerſari. Articulum autem iſtum de Tranſubſtantiatione pugnare cum ſenſibus confitetur: eum tamen ait conſentire cum ueritate. Sed quî, quæſo, poteſt cõſentire cum ueritate, cum ſcripturarum teſtimonium nullum habeat? Neq; articulus aliquis fidei eo nomine dicitur adulterinus, aut nothus, quòd aliquid habeat ſingulare diſtinctum à cæteris articulis. Quiuis enim articulus aliquid habet, quod cæteris non ſit commune. Sed ſententiam iſtam ueſtram de Tranſubſtantiatione dicimus eſſe à fide aliena, quòd per eam putetis illudi ſenſibus, & panem ac uinum fingatis, neſcio quò, abijſſe, quæ omnes propemodum ſenſus adeſſe nuntiant. Oſtendimus etiã, quàm ſit periculoſum, huiuſmodi fictionibus, & præſtigijs credere. Noluit deus ita agere cum hominibus, ne ad extremum omnia Chriſti myſteria reuocarentur in dubium. Quomodò uerò hæretici ſemper exegerint ſimilia ad myſteria comprobanda, ipſi uiderint. Nos eam uiam probationis ab Apoſtolica doctrina ſcimus non damnari. Paulus enim in priori ad Corinthios ait, Nos non accepimus ſpiritum huius mundi, ſed ſpiritũ, qui ex deo eſt: ut ſciamus, quæ à Chri-

sto donata sint nobis: qui & loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes. Audis, Inconstanti, hoc facere solere Christianos, & hanc esse doctrinam Apostolicam, ut spiritualibus spiritualia comparemus? Non est ergo, cur ista de causa nos numeres cum hæreticis. Quid Rusticus Diaconus responderit Acephalis, nostra non multùm referre arbitror, cum Acephali non simus. Hoc tamen interea miror asseri, duas naturas unitas in Christo non facere unum, quemadmodum corpus & anima faciũt hominem unum. Nam symbolum, quod uulgò appellant Athanasij, ita loquitur: Sicuti anima rationalis & caro unus est homo: ita deus & homo est unus Christus. Quiuis uidere potest assignari hic similitudinem: ubi tamen Inconstantius asserit nullam esse. In similitudine autem omnia congruere, & conuenire, non dicimus. Nulla enim sunt ita inter se similia, quin aliqua ex parte sint dissimilia. Huc addemus, Acephalos fortasse in rebus creatis aliquam quæsiuisse similitudinem, qua ostenderetur, duas perfectas naturas in eandem hypostasin coiuisse: quemadmodum fides orthodoxa docet de Christo. Atq; illi quidem iure ac meritò reprehensi sunt. Nos uerò exemplum, aut similitudinem de illusione sensuum non quærimus in creaturis, uerùm in diuinis miraculis, & articulis fidei. Nec petimus similitudinem, quæ sit eiusdem formæ, aut naturæ. Tantùm de illa uniuersali conditione disputamus, an deus in rebus credendis uelit sensus circa sua definita obiecta falli. Cumq; diuinæ literæ nusquam doceant, sensus falli in hoc sacramento, non uidemus cur permittere debeamus aduersarijs, ut exceptionem in casu ponant. Nam cum eò confugiunt, id sibi usurpant tanquam certum, & confessum, quod ambiguum, & controuersum est.

An deus uelit in rebus credendis falli sensus.

Post hæc Inconstantius, quasi possit causam suam aliquanto ueri similius tueri, negat, in hoc negotio sensus decipi. Nã odor, inquit, sapor, color, figura, pondus, aliaq; huiusmodi, quæ sentiuntur, uerè adsunt: neq; sensus ea renuntiando mentiuntur. Itaq; subijcit, non sensuum errorem esse, sed rationis: quę dum circa inferiora uersatur, facilè possit falli, credendo substantiam adesse, naturam, inquam, panis & uini interiorem, cuius proprietates, & accidentia sensus percipiunt. Sed hæc ratio, ut appellat, inferior cedit superiori, nimirùm fidei: quæ rẽ aliter se habere admonet. Videtur sibi Inconstantius, pulchrè commentum suum coloraſſe, quasi quisquam ita insaniat, ut illi sine ullo scripturarum testimonio dare uelit, Accidentia panis & uini absq; suo naturali subiecto consistere. Prætereà cogitare debuit, nos non loqui de sensibus, qui non habeant secum coniunctam rationem. Itaq; dicimus, non tantùm accidentia, & proprietates rerum sentiri, sed per illa substantias ipsas, & naturas rerum sensibilium percipi. Atque ita philosophi dixerunt, ignem esse sensibilem, & alia corpora inferiora posse sentiri. Nec alia ratione Augustinus in eo Sermone, qui paulò suprà citatus est, ad Infantes, ita loquitur: Quod uidistis, panis est. Hoc ergo est, quod contendimus, Iudicium humanæ rationis, dum sequitur apprehensionem sensuum, de rebus familiariter notis non falli; modò ne accidat aut furor, aut in sensibus aliqua oblæsio. Neque enim aut natura, aut scriptura, aut ratione constat, deum uelle illudi nostris sensibus: aut rationem, dum sensibus integris, & sanis, & in suo obiecto uersantibus utitur, illorum ministerio decipi: etsi ex illis non semper rectè colligat. Rationem uerò cedere fidei, quòd attinet ad spiritualia, & diuina effecta, non dubitamus. In iudicandis autem rebus creatis, quæ subiecta sunt humano sensui, non uideo, cur cedendum sit fidei. Fides enim nusquam persuadet ex diuinis literis, panem & uinum, quæ sensu deprehenduntur, non esse panem & uinum.

Augustinus.

Pergit

Pergit Inconstantius: Sed ut ad istum argutatorem ueniam, qualis est ista consecutio, Articulus Transubstantiationis aliquid habet à reliquis articulis singulare: Ergo, cum fide pugnat, uel non est articulus fidei. Atqui Inconstanti, nos id non sumimus in argumento, quod tu putas. Non sumus ita stupidi, ut in articulis fidei dicamus nihil esse singulare, quo unus ab altero discernatur. Nam alioqui omnes articuli essent unus articulus. Vt autem sunt multi, ita uarias continent sententias: quarum tamen nulla inueniri potest, qua sensibus, & rationi cum illis coniunctæ illudatur. Fallitur quidem interdum ratio: at unà cum sensibus circa propria obiecta uersantibus coniũcta nõ fallitur. In Christo, inquit, fallebantur oculi carnis, qui nudi hominis, & in persona humana consistentis iudicia referebant: cum idem homo deus esset non duabus distinctis personis, sed in una persona. Imò uerò sensus, Inconstanti, in Christo nihil fallebantur. Ratio enim sensibus admonita iudicabat, illum esse uerum hominem: & in eo nihil fallebantur. An aũt esset purus homo, & an in una persona sustinerentur duæ naturæ, id non erat sensus iudicare. Et idcircò ratio in ea re fallebatur: nec mirũ, cum in ea à sensibus adiuuari non posset. Longè autem aliter habet de pane & uino. Ista enim uel pueri possunt discernere.

Ad extremum addit Inconstantius, quasi iam securus, profligata causa, se nimium diu hæsisse in hoc cauillo. Id autem cauillum si suum intelligat, uerissimè loquitur. At si nostram rationem, quam negare non potest probabilem esse, appellet cauillum, antiquum obtinet, ut rationes nõ rationibus diluat, sed cõuitijs.

OBIECTVM LXIIII.

SENSVS non decipiuntur circa substantiam uisibilem. Sensus autem iudicant, in Eucharistia unum solum corpus esse, nimirum panem. Non ergo corpus Christi in ea est, sed tantum panis.

GARDINERVS.

HOC *argumentum etsi propriè conclusionis nihil habeat, tamen argutatoris ineptiam obiter demonstrat, ne sit omninò otiosum.*

MARTYR.

QVid opus erat, argumenta ita minutim, & frustulatim cõcidere? Quid habet hoc argumentum aliud, quàm quod iam dissoluimus in superiori? Si quis Inconstantium ipsum ita secaret in frusta, ut ille incidit, & delumbat aliorũ rationes, nemo illum amplius agnosceret pro Inconstantio. Queritur, hoc argumentum nõ habere suam formam. Quid mirum, cũ ipse ille, qui tot sanctorũ hominũ corpora lacerauit, argumentũ nostrum conciderit, & forma sua spoliarit? Sed nos argumentũ nostrũ facilè in integrum restituemus. Sensus circa substantiam sensibilem nõ decipiuntur. Quæ aũt in Sacramento ostenditur, est substantia sensibilis. Ergo circa illam sensus non decipiunt. Panis aũt uidetur in Sacramento: Ergo re uera panis est. Iam opinor, non potes conqueri abesse formam.

Sed clamas, Sensus non penetrare in cuiusquam rei substantiam: sed tantùm hærere in suis obiectis: ad internam aũt naturam non pertingere. Nos uerò, ut suprà monuimus, sensus non dijungimus à ratione. Ea aũt adminiculo sensuum de rebus illis, quas philosophi appellant sensibiles, rectè iudicat: & in illis, quæ nobis familiaria & nota sunt, minimè fallitur. Necp deus uspiã testatus est, sp in Eucharistia illudi uelli nostris sensibus, ut uos confingitis. Nam Lothũ & Abra-

hamum deceptos fuisse pernegamus: etsi eos, qui erant Angeli, putarint fuisse homines. Neque enim aliter res habebat, quàm quomodò sensus renuntiabant. Corpora enim illa, quæ uidebantur, & tangebantur, humana erant. Eaq; ratio cum ita esse existimaret, non fallebatur. Quòd si argutari uelit, corpora illa, quæ Angeli induerant, non fuisse humana, quòd animo non essent prædita, sciat humanum corpus appellari, id etiam, quod anima non agitatur. Cadauer enim appellari solet corpus hominis. Idq; cum ratio ita iudicat ductu sensuum, non fallitur. Iam cum corpora illa, quæ Angeli sibi assumpserant, humana fuerint, quod Tertullianus contra Martionem firmissimè probat, quid nobis obijcit Inconstantius, sensus Lothi & Abrahami fuisse falsos? De Angelis uerò intus latentibus neque sensus, neque ratio quicquam potuit iudicare. Illæ enim naturæ non subjiciuntur sensibus. Ne autem ratio Lothi & Abrahami diutius falleretur, & ignoraret intus esse Angelos, illi sese ultrò, quinam essent, declararunt: idq; nobis scriptura testatissimum reliquit.

Corpora, quæ induerunt angeli, erant humana.

Tertullianus.

Primùm ergo Inconstantius relinquat nobis in Sacramento substantiam panis & uini: ita enim Angeli illi, quos obijcit, habuerunt uera, & solida, & ut Tertullianus ait, humana corpora: & nihil erit, quòd sensus, aut ratio decipiatur. Deinde luculẽter nobis probet è scripturis, intus in pane, aut si mauult, cũ pane re ipsa esse corpus Christi. Nam scripturæ perspicuè docẽt, in illis corporibus humanis re uera fuisse Angelos. Id si fecerit, nos statim in eius sententiam descendemus. Ego tamen nonnihil miror, ausum fuisse istum argumenta petere à Martionitis. Sic enim illi probare uoluerunt, Christum non habuisse uerum corpus, & sensus hominum ita in eo fuisse falsos, ut oculi Lothi, & Abrahami olim falsi fuerant in Angelis. De aceto uero & Chrystallo, quòd alterum interdum à uino, alterum ab aqua non discernatur, non laboramus. Ita enim comparatum est à natura, ut sensus sese mutuò iuuent, & corrigant: ut quod seorsim ab uno præstari non potest, præstetur ab omnibus. Nam si oculus non discernat acetum à uino, accedat gustus & odoratus: & facilè erit iudicium. Et Chrystallum non esse aquam, tactus iudicabit, si oculus non possit. Et idcircò Christus cũ sese Apostolis post Resurrectionem exhiberet uiuum, non dixit palpate tantùm, aut tantùm uidete: sed utrunq; coniunxit, Palpate, inquiens, et uidete: quoniam spiritus carnem & ossa non habet. Firmum igitur, & inconcussum est, quod erat propositum, rationem cum sensibus coniunctam non falli.

Transubstantiatores imitantur Marcionitas.

Sensus mutuo sese iuuant & corrigunt.

Quòd si dicas, rationem, cum argumentatur, & unum ex altero colligit, interdum falli, quamuis sensus habeat coniunctos, nihil repugno. Nam in concludendo, & colligendo non utitur sensibus, sed ipsa per se ratiocinatur. Verùm in apprehendendis naturis simplicibus, dum sensibus utitur, ijsq; pluribus, nec impedimentum aliquod interponitur, nunquam errat. Si hoc principiũ labefactetur, nihil certi supererit in rebus humanis. Omnia omnium patrum argumenta, quibus probare uoluerũt Christi humanitatem, imò etiam Christi ipsius eadem de re rationes concident. Neq; est, quòd mihi aut Inconstãtius, aut alius quispiam obijciat, herbas, lapides, gemmas & metalla, in quibus ratio nixa sensibus non rarò decipitur. Hęc enim ad rem præsentem nihil faciunt. Primum quidẽ & si deceptio aliqua primo aspectu uel occursu fiat, ea nõ diu durat, aut perpetuò, sed retegitur, idq; citò, uel paulò pòst, ut experientia docet. At uos istam deceptionem de pane ac uino, ut uultis, absentibus, perpepetuã, id est usq; ad finem sęculi, ponere cogimini. Deinde hic agimus de rebus uulgatis, & notis, uidelicet, de pane, de uino, de humano corpore: in quibus non est credibile, deum uoluisse sensus nostros, & rationem falli: præsertim cum nusquam testatus sit in omnibus sacris literis, panem & uinum Eucharistiæ, naturas suas abijcere.

Si sensuum fides tollatur, nihil certi erit in rebus humanis.

O 8.

OBIECTVM LXV.

PAPISTAE dicunt, Accidentia panis & uini pendula esse in aëre, sine aliqua subiecta substantia, qua possint sustineri. Quid autẽ stultius, quàm hoc, aut absurdius dici potest?

GARDINERVS.

QVOD *legitur ab aliquibus dictum, refertur hic per calumniam ad uniuersos.*

MARTYR.

FIngit sophista, id, quod nos dicimus, ab omnibus suis non dici, Accidẽtia uidelicet post consecrationem hærere pendula in aëre. Itaque iniuriam fieri, si quod ab aliquibus dictum sit, impingatur omnibus. Vtq; impetum obiectionis nostræ aliquo modo infringat, citat Magistrum Sententiarum. Illum enim referre, fuisse quosdam, qui crediderint, accidentia illa pro subiecto, quo sustententur habere aërem: idq; illum, ut parùm uerisimile, reiecisse. Sed Inconstantium oportuit cogitare, eos, qui hoc obijciunt, non dicere, aut omnes Papistas, aut partem illorum aliquam ponere aërem pro subiecto accidentium istorum panis & uini: sed id potius accipere, quod ab uniuerso istorum grege dicitur, & defenditur, Accidentia illa manere absq; subiecto: quod absurdum esse, Inconstantius ipse, si posset, neget. Non dicimus, Papistas statuere, proprietates illas panis & uini fieri formas accidentales aëris, quod tamen aliqui eorum dixerũt: sed illos eo maximè nomine coarguimus, quòd asserant ea absq; aliquo subiecto pẽdere in aëre. Nec Magister Senten. hoc negat: imò ea carere subiecto, in quo hæreant, clamat quantum potest: nam probare non potest. Et certè si Inconstantius noster id probare potuisset, nunquam ad miseram istam, & frigidam stropham se contulisset.

OBIECTVM LXVI.

PANIS & uinum Eucharistiæ alunt corpora nostra. Ea autem est ratio alimenti, ut in eius naturam conuertatur, quod nutritur. Quare statuendum est, uel corpus Christi & ista accidentia conuerti in substantiam humani corporis, uel in Eucharistia manere substantiam panis & uini.

GARDINERVS.

ACCIDENTIA *panis & uini pro uisibili & terrena materia sacramenti, & uim significationis pro ratione analogiæ, & nutriendi uirtutem per miraculum retinent.*

MARTYR.

NVnquam credidissem, tantam esse pertinaciam, & impudentiam Papistarum, nisi eam mihi Incõstantius, ut aliâs semper, ita hic maximè indicasset. Illum enim, ut Transubstantiationem suam aliquo modo tueatur, nec cogatur fateri panem & uinum in Eucharistia remanere, non pudet noua, & inaudita miracula comminisci. Deinde similia petit à natura, quæ ad hoc negotium nihil faciunt. Quæritur, quo pacto corpora eorum, qui sumunt sacramenta, illis physico alimento nutriantur: si, ut isti fabulantur, substantia panis & uini abierit. Primùm Inconstantius respondet, communicantes ipsis nutriri accidentibus.

Quo equidem non uideo quid aut impudentius, aut absurdius dici possit. Quis enim unquam audiuit, solida, & firma hominũ corpora uesci accidentibus? Sed fortasse istud miraculum aut scripturarum, aut Patrum aliqua authoritate confirmabitur. At nihil adfertur, ne gry quidem: scilicet nudæ, ac simplici Inconstantij authoritati credendum, & acquiescendum est. Quid iste nõ diceret, si nos ita sentiam nostram probaremus?

Corpora nostra cum sint firma et solida, non nutriuntur accidentibus.

Verùm omnia sibi licere putat: idq; ex eo maximè apparet, quod addit, fas esse credere, naturam panis & uini, quæ iam abierat, denuò redire. Vnde id tibi in mentem uenit? Quoniam par est, inquit, ut quod à grandi miraculo cœpit, exeat etiam in miraculum. Erit ergo miraculum, naturam panis & uini abire: & rursus aliud non minus miraculum, eam restitui. O fœcunditatem incredibilem miraculorúmne dixerim an mendaciorum? Quàm pulchrè mendacia è mendacijs proseminantur? Nõ satis erat istis finxisse Transubstantiationem: oportuit insuper accidentibus uim alendi dare, & naturam panis & uini, quæ, nescio quò extrusa fuerat, reuocare. Oportet huic homini os amplum esse, & mirabile: nihil enim loqui potest, nisi portenta, & miracula. Magnum semper uisum est, & singulare miraculum excitare posse mortuos. Quo tamen in opere corpus & anima, quæ adhuc extant, tantùm rursus coniunguntur. Non enim ea, cum mortè distrahuntur, in nihilum abeunt: ut isti de pane & uino somniant. Quare ista restituere, multò maius erit opus, & admirabilius, quàm si quis mortuum ad uitam reuocaret. Inconstantius tamen ista tanta, & tam stupenda miracula credi uult, sine ullo aut scripturæ, aut Patrum testimonio.

Atqui, inquit, simile quiddam uidemus quotidiè in natura fieri. Cedo: Quid istud tandem est? Corporibus, inquit, in matrum utero præparatis, animus à deo datur. Vnde agnoscimus, esse naturale, perfectionem accedere, cum præparatio summoperè idonea fuerit. Etsi stupere me facit huius hominis incredibilis furor, & amentia, tamen facere non possum, quin eum interrogem: Fœtus in utero scimus aliquando summoperè esse præparatos, & idoneos, ad animam suo tempore recipiendam. Sed in Eucharistia ubi erit ista tam insignis præparatio ad recipiendum denuò materiam illam, ex qua communicantium corpora possint alij? Credo equidem, eum ita responsurum, Accidentia illa, quæ diu iam fuerant absq; subiecto, discedẽte corpore Christi (fieri enim id non potest, quàm diu corpus Christi, ut isti uolũt, illis tegitur) fore præparata, utq; loquuntur, summoperè disposita ad pristinam substantiam recipiendam. Sed facito, nos uelle ad illa prodigia conniuere. Tamen adhuc percontabimur, quodnam spatium corpori Christi præfiniatis, quo illud uelitis sub accidentibus detineri? Omnes Transubstantiatores, quos quidem ego uiderim, contendere solent, Carnem Christi tantisper latere sub accidentibus, quoad qualitates illæ, aut species maneant. Illis enim corruptis, statim corpus Christi auolare. Quare si corpus Christi tum demum discedit, cum illæ naturæ corrumpuntur, &, ut Inconstantius ait, tum demum pristina materia redit, certè eo tempore restituitur, quo species illæ panis & uini minimè præparatæ, & idoneæ sunt ad eam recipiendam: nam tum temporis aut pereunt, aut prorsus iam corruptæ sunt. Vides ergo Lector, regulam illam, quã Inconstantius attulit de præparatione, & dispositione physica, ad hoc institutum nihil facere.

Huc adde, istam similitudinem ab hoc negotio longè disparem, & alienam esse. Nam cum animus præparato corpori diuinitus adspiratur, nihil sanè redit, quod anteà perierit. Mirari itaq; nõ debet Incõstantius, quod hic ei tantoperè aduersemur: nam ea, quæ ait diuina quadam ui, & potentia redacta fuisse in nihilum, subitò uult de integro refici, & redire, eaq; substantia sua communicantes nutrire.

nutrire: cum nec in sacris literis, nec à patribus, nec à Concilijs huius rei ulla unquam mentio facta fuerit.

OBIECTVM LXVII.

DOCENT historiæ, Victorem Papam ueneno hausto è calice perijsse: Henrichum quoq; Imperatorem, ueneno in pane Eucharistię sumpto, fuisse extinctum. At salutare corpus Christi, & eius sanguis non possunt esse uenenata, aut mortifera. Quare non tantùm accidentia panis & uini manent in Eucharistia, sed etiam illorum substantiæ.

GARDINERVS.

VICTOREM & *Henrichum, quoniam mortales fuerunt, nec iam supersunt, morte hinc ereptos fuisse, credibile est. Vnde uerò perierint, mera coniectura est.*

MARTYR.

RESponsum ad hoc argumẽtum duplex adfertur. Vnum est, Fabulosum esse, Victorem, & Henrichum ueneno hausto è Sacramento perijsse. Hoc autem quantum habeat pudoris, aut modestiæ, Lector facile potest per se ipsum iudicare. Sed mauult Inconstãtius fidem abrogare omnibus historijs, quàm ut uel latum unguem discedat à suis fictionibus. Quanquam credibile non est, quenquam ista referre uoluisse in historias illorum temporum, nisi uenefici sacrificuli confessione fuissent deprehensa & testata. At si fidem habere nolumus historijs, fingamus, hodie maleficum aliquem ita facere, ut uinum Eucharisticũ temperet ueneno. Quid futurum putas? An ut tu sine periculo ex illo poculo communices? Imò illud ipsum, quod ipse postcà subiecisti de casu aranei in sacrũ poculum, quo tandem pacto dissolues? An tu uinum illud audebis bibere, in quo araneus fuerit præfocatus? Vtrum proijcies, & combures sanguinem domini, an temet bibendo expones manifesto periculo? *De araneo præfocato in calice mystico.*

Alterum caput responsionis est, Id tantùm consecrari, quod ex instituto domini adfertur consecrandum, aptum ut consecretur; non quod stultitia, malitia, aut casus adiecerit à mysterijs alienum. Sed uelim, ut iste secum ea repetat, quę suprà commemorauit. Nam cum de uino & melle, quæ inter se miscerentur agret, ea dixit transire in aliam speciem, neq; amplius in prioribus suis naturis conseruari. Vt ergo uidemus paululum aquę, si uino misceatur, transire in naturam uini: ita paululum ueneni, si uino temperetur, transit in eandem speciem. Quare, nisi hic quoq; Inconstantius nouum aliquod miraculum fabricetur, necesse erit, uinum uenenatum consecrari. Suis ergo istis portentosis argutijs nondum sustulit uim argumenti: quod tamen author ipse non, opinor, adduxit, tanquam insuperabile, sed tantùm, ut eo unà cum alijs probabilibus rationibus Papistarũ imposturas oppugnaret. Et certè alij Sophistæ doctiores huic argumento aliter occurrissent: quod ideò obiter moneo, ne Inconstãtius unus omnium Papistarum doctissimus uideatur, & solus exclusis alijs, palmam ferat.

OBIECTVM LXVIII. ET LXIX.

RELIQVIAE Sacramenti olim igne cõburebantur: quemadmodum Origenes testatur in Leuiticum. Atqui impium

fuisset, si quis deum suum ita tractasset, & tanquam hæreticum in ignem coniecisset. Et interim, dum Sacramentum in igne absumitur, dicant transubstantiatores, quidnam comburatur? Necesse est, ut alterutrum horum respondeant, uel panem comburi, uel corpus Christi. Si dicant, panem, fatentur eius substantiam manere: atq; ita nulla erit Transubstantiatio: sin corpus Christi, negare nõ possunt, se eius esse combustores & carnifices. Argumentum autem firmum est: quoniam accidentia comburi non possunt.

GARDINERVS.

INGVAE est hæc petulantia, non argumentatio. Deus ignis consumens dicitur, &c.

MARTYR.

PErstringit iste linguas nostras, quasi petulantes in deum: cum tamen nos de uero deo, & seruatore nostro Iesu Christo nunquam audiat, nisi honorificentissimè, & cum summa ueneratione loqui. Tantùm in idolum illud ab ipsis imprudentissimè excitatum, & flagitiosissimè prostitutum inuehimur, idq; multò mitius, quàm illorum nequitia, & rei ipsius indignitas postulat. Ista autem, quæ hic adferimus, eò tantùm spectant, ut Lectores uideant, in quot & quanta absurda isti Transubstantiatores sese induant.

» Cæterùm his omissis huius in respondendo acumen audiamus. Primùm, cũ
» Sacramentum conijcitur in ignem, negat unà conijci corpus Christi. Quod ego non possum non uehementer mirari. Nam si re ipsa, & ut loquuntur, substantialiter corpus Christi sub illis reliquijs, & accidentibus continetur, quoad illa manent salua, & incolumia, fieri non potest, quin corpus domini unà cum illis mittatur in flammas. Alterutrum enim horum omninò necesse est, ut fateanturq; uel corpus Christi re uera sub illis accidentibus non latere: uel illud unà cum eis
» in ignem conijci. Ad hæc addit, Actionem comburendi ad corpus Christi
» non pertinere. Id nos quoque prædicamus. Dominum enim scimus semel tantùm passum esse & mortuũ. Sed ostendere tantùm uoluimus, quid horum fictiones, & ineptias consequatur: hoc nimirùm, ut sine modo ullo, aut modestia perpetuò noua miracula multiplicentur. Nam uelint, nolint, coguntur dicere, quoties antiquitùs reliquiæ Eucharistiæ comburebantur toties corpus Christi illæsum per ignes transiuisse. Quod si ita fuerit, mirum est, nullum ex omnibus patribus, quos isti tanquam maximos patronos sententiæ suæ citare solent, quicquam unquam de hac re prodidisse.

» Quod uerò iste obiter inculcat, profanos hæreticos iustissimè comburi, ne
» quid eorum supersit ad contagium, ipse aliquando uidebit ad tribunal Christi, quam id sibi sit patrocinaturum. Ipse enim non profanos hæreticos, sed sanctos confessores, & testes constantissimos ueritatis, & membra Christi crudelissimè flammis occidit. Cæterùm de hac re non est nunc dicendi locus.

» Sed pergit, &, quicquid, inquit, comburitur, id certum est posse comburi: &
» quarum rerum natura est, ut ignis possit consumere substantiam cum accidentibus, an non possit earum ipsarum accidentia sola consumere? Affirmat hoc posse fieri. Nec mirum. Fortassis enim nunquam audiuit, ordinaria naturæ regula oportere in his inferioribus causam efficiendi communicare materia cum ea re, quæ

quæ patitur: præsertim quod attinet ad motus, quos Generationẽ, & Corruptionem, & Alterationem uocant. Quare si ab accidentibus auferatur materia subiecta, non possunt ab igne pati: nisi fortè rursus Inconstãtius absq; ulla authoritate scripturarum inducere uelit noua alia miracula. Sed ait, non esse necessarium, ut Sacramentum, cum est in igne, & comburitur, sit idem, quod anteà fuerat: aut, ut, quod nunc est in igne, fuerit anteà in Sacramento. Ista uideri possunt ænigmata, nisi quis expendat ea, quæ antè dicta sunt, quæq; posteà in responsionis huius calce dicentur: nimirùm, in consumptione ipsa mysteriorum pristinam redire materiam. Hoc etiam nunc sibi uult Inconstantius, cum ait, Non esse idem in igne, quod anteà fuerat in Sacramento: uidelicet, quòd in mysterio accidentia fuerint sine subiecto: in igne autem, cum reliquiæ comburuntur, subiectum redeat, non ob aliud opinor, nisi ut comburatur. Sed quomodò redditur subiectum illis accidentibus, si illa, quoad manent in propria natura, contineant in se corpus Christi? Quòd si corpus Christi non discedit, nisi corruptis illis accidentibus, quibus obsecro, speciebus redditur illa pristina materia? Certè nullis. Nã, ut uos ipsi fatemini, illa iam corrupta perierunt.

Addit tamen, si quis hoc sentiat, eum nihil absurdi opinari. Atqui satis liquere arbitror, absurdum esse, rem eandem eodem tempore simul & esse, & non esse confiteri. Ait se permittere uelle naturæ id, quod agitur in igne. Sed cur eadem ratione non permittis naturæ, ut panis maneat in Sacramento? Imperat deinde, ut desinamus molesti esse quæstionibus. Sed cur potius ipse non desinit imposturas, & ficta miracula comminiscí? Ait se uelle potius ignorantiam suam fateri cum pijs, quàm in temeritatẽ incurrere cum impijs. O uulpem simplicem, & candidam. Velare uult obstinationem suam & peruicaciam specie aliqua modestiæ ignorantiæ. Sed si hæc, uti dicit, ignorat, cur id simpliciter non fatetur? Certè uertit se in omnes formas, & undecunq; accersit omnia miracula, ne uideatur quicquam ignorare. Cum est commodum, naturas panis & uini restituit accidentibus: eas rursus, cum libet, ita tollit, ut clamet, omnes iam sublatas esse illas confiteri, & credere oportere. Si deus illas abstulit, quomodò hic eas restituit? Aut si deus ipse eas restituit, quo iste id dei uerbo, aut promissione comprobabit? Infœlicissimi omninò sunt, qui patiuntur, se huiusmodi nebulis obcæcari.

OBIECTVM LXX.

NATVRA abhorret uacuum. At si panis & uinum non maneant in Sacramento, necesse est, locum illum, in quo illa prius fuerant, cum nulla substantia compleatur, manere uacuum. Ergo Transubstantiatio pugnat cum natura.

GARDINERVS.

AN dicet uas figulo, Cur me feciſti ſic? Et quiſquam naturæ patronus ineptus, in myſterijs diuina uirtute confectis de naturæ legibus uiolatis audebit conqueri?

MARTYR.

EXprobrat nobis ore fastuoso naturæ patrocinium: quasi uelimus tueri naturam contra instituta dei. Atqui Inconstanti, nos leges naturę præferimus uestris imposturis, & mendacijs, non uerbo dei. Christi conceptioni ex uirgine

nunquam obijcimus naturæ dogmata. Scripturę enim id asserenti credimus. Re surrectionem ex mortuis naturę uiolatione non oppugnamus. Videmus enim, eam affirmari uerbo dei. Miracula Christi, quæ discripta sunt ab Euãgelistis, sine omni dubitatione recipimus: neq; naturæ, quæ ui diuina superata sit, patrocinamur. Transubstantiationem autem istam uestram à uobis inuentam, & intolerabili arrogantia obtrusam Ecclesiæ, suscepimus istis rationibus confutandam; non tamen illis solis nitimur: nam & scripturis, & Patrum sententijs rectè ac sanè intellectis dimicamus. Neq; uobis leges naturæ alia de causa obijcimus, nisi ut omnes intelligant, quanta uos impudentia miracula miraculis, hoc est, mẽdacia mendacijs cumuletis. Si contra deum disputaremus, collatio ista de uase & sigulo posset in nos fortasse conuenire. Sed quando hoc tantum contendimus, ne sophistæ & impostores sint architecti & fabri nostræ fidei, uideat Inconstantius, quantum ista ad rem faciant. Nos certè non agnoscimus religionis nostræ tales fiteri. Atqui quæcunq; spiritus sanctus docuit esse credenda, ea in sacris literis reuelantur. Quare cum ista portenta ex illis ostendi non possint, non à spiritu sancto, sed à spiritu mendacij, & erroris, & uertiginis profecta uideri debent.

Quæ sunt credenda, spiritus sanctus in sacris literis reuelauit.

Sed ait, non rectè colligi, si discedat substantia panis & uini, spatium, quod diffunditur intra illorum superficies, relinqui uacuum. Rectè. Sed quomodò non erit uacuum, si nihil supersit, quo illæ impleantur? Imò, inquit, natura ipsa decedenti substãtiæ aliquid substituit: si deus partes aliquas in mysterijs illi permittit. Quid ni permittat? Visum enim, gustum, & tactum nónne adhuc illa symbola ui ipsa naturæ afficiunt, non minus, quàm anteà? Sed tu mihi, quæso, percontãti responde. Si natura substituit aliquid, quo uacuum repleatur in Sacramento, illud autem, quicquid est, præsentiam corporis Christi non impedit, cur illam impediat substantia panis & uini? Si corpus Christi illud ferre potest, cur ista non potest? Ostende nobis inter hæc aliquid discriminis, ut uideamus, quid panis natura ita grauiter peccauerit, ut cum aliud quoddam corpus aduẽtitium, quod illi decedenti successerit, cum Christi corpore possit in Sacramento consistere, illa non possit. Vertas te, quocunq; uoles: nihil unquam inuenies discriminis, quo temet explices.

At in nostro cauillo peccata multa esse cauillaris. Interim tamen in tuis istis portentis, & mendacijs absurda infinita esse, non uides. Quod aũt addis, argumenta nostra infirma esse, & nihil concludere, nihil miror. Nulla enim esse possunt ἀποδείξεις tam firmæ, quæ non facilè miraculis diluantur. Sed ad illa omnia hoc unum responsum accipito: nulla à fidelibus recipi miracula, quæ non aut scripturarum testimonio, aut sensuum experientia comprobentur. Deinde taxat authorem huius argumenti, quòd statuat, uacuum sequuturum, si substantia decesserit: cum tamen implere locum proprium sit, non Substantiæ, sed Quantitatis. Quasi substãtia panis, quæ corporea est, absq; corpore possit abire. Sed esto sanè, quemadmodum fingis, totam magnitudinem panis, abeunte substantia, remanere, & implere locum, uti prius. Corpus Christi accedens posteà, ubi, quæso, continebitur? Si, ut uos dicitis, sub accidentibus, iam in eodem spatio erunt duo quanta, duo, inquam, corpora ex genere quantitatis. Nam & magnitudo panis manet, ut tu dicis, quamuis substantia decesserit: & corpus Christi cum à sua magnitudine diuelli non possit, illam ibi secum necessariò coniunctã habet. Ostendum, aut, si fieri potest, etiam absurdiorem. Deinde si magnitudo panis, quam dicis remanere, spatium illud impleat, nec patiatur esse uacuum, nihil erat opus, cur anteà fingeres, substantijs decedentibus à natura quippiam substitui. Sed nolo

Nullæ sunt demonstrationes tam firmæ quæ istorũ miraculis non diluantur.

Ponunt duo quanta, siue duas magnitudines in eodem loco.

nolo in his ineptijs refutandis hærere longius. Iamdudum enim, opinor, uides, pie Lector, istorum mendacia quàm sint fœcunda portentorum.

OBIECTVM LXXI. ET LXXII.

CVM ex Eucharistia procreentur uermes, nutriantur sorices, & canes, fit generatio sine corruptione: & rursus corruptio sine generatione: quæ principijs naturæ, ac rationis aduersantur. Cumq; ex pane Eucharistiæ nascuntur uermes, iuxta istorum opinionem, substantia fit ex accidentibus.

GARDINERVS.

QVOD *ex terrena parte Eucharistiæ fiat, quicquid corruptione fiat, si quid uidelicet fiat, id ex naturæ proprietate accidit. Ex quo si consequitur substãtiam tũ adesse, non probat tamen, cum subseruiret elementum mysterio, tum adfuisse.*

MARTYR.

NVnc sese iste denuò recipit ad amissæ substantiæ restitutionẽ: quo uermes, & alia huiusmodi possint procreari. Vt aũt panem, nescio unde, redijsse fateatur, magis uermiculorũ generatione ducitur, quàm uerbo dei. Nam ut pro creationi uermium seruiatur, concedit, panem reuocari. Vt aũt seruetur testimonium uerbi dei, & analogia Sacramenti, panẽ in mysterio ferre non potest. Et garrit, nescio quid, hęc esse incerta experimenta naturæ. Quasi uerò ex naturali scientia non sit certissimè compertum, ea, quæ nutriuntur, substantia nutriri, non accidentibus: eaq;, quæ generantur, nõ ex accidentibus generari, sed ex substantia. Si hæc in natura incerta sunt, non uideo, quid in ea certi, aut firmi possit intelligi. Sed nostras istas naturæ leges, quas tu incertas uocas, cũ tua ista restitutione substantiæ semel amissæ conferto. Et tecum seriò cogita, quàm illa ueteribus patribus, aut etiam Scholasticis, qui illos longo post tempore sequuti sunt, comperta fuerit. Deinde, si libet, experientijs nostris insultato, easq; tanquam incertas explodito. Certitudo regularum physicarum immanè, ut tu soles dicere, uincet fictionum tuarum probabilitatem.

Quî potest sciri, inquit, canes, aut sorices nutriri illis speciebus? Et subijcit, nihil nos habere, quod possimus probabiliter respondere. Quasi nõ possimus illum etiam interrogare, an si multum panis & uini, ut ab ipsis in Paschate solet fieri, à ministro consecretur, homo aliquis possit ex illis nutriri, non tantum canes & sorices? Si sapiat, credo, non negabit. Et certè si hæc ita obijcerentur, non quòd fieri unquam uisa sint, sed quod fieri possint, non essent tamen ita scurriliter irridenda. Verùm, ne nesciat Inconstantius, ita aliquando à uiris doctissimis disputata sunt. Fuit aliquando presbyter quidam, qui biduum, aut triduum duraret absq; cibo, neq; quicquam interim comederet, nisi Eucharistiam. Hinc cœptũ est dubitari, an ille ex ea aliquid reciperet naturalis alimenti. Cur autem author huius argumenti soricũ, aut canum magis mentionem fecerit, q̃ hominũ, mea nihil refert. De uermibus & muribus Inconstãtius aliâs à se responsum ait. Sed cur illud nunc reticuit? Erat hic dicendi locus. Commentũ illud suum de Indiuiduo uago repetijt, inculcauit, ingeminauit, reuocauit ad nauseam usque. Nunc delicias facit: & quia semel respondit, cũ locus postulet, detrectat respondere. Id autẽ, mihi crede, non modestię causa facit: sed quòd eum restitutionem istam pristinæ substantiæ parùm plausibilem toties lectori obtrudere pudeat.

„ De uermibus tamen ad argumentũ 72. aliquid reſpondet. Ait enim, Vermes
„ aliquando in uiſibili elemento exiſtere, etiam qui non uidit ipſe, referenti nõ dif-
„ ficulter credet. Verùm unde uermes enaſcantur, ex craſſi aëris, ſitúsue ſubſtan-
„ tia, an ex ipſo, cui adhærẽt, uiſibili elemento, quoniam altioris eſt ſpeculationis,
„ non eſt cuiuis affirmanti temerè cedendum. Primùm uidetur ambigere, an uer-
mes interdum in pane illo aſſeruato diutius reperti, ex aëre craſſo ambiente, an
ex Euchariſtia ipſa ſcateant. Et quiduis potius paratus eſt comminiſci, q̃ quod
uerum eſt, confiteri, ſcilicet, ſubſtantiam panis relinqui in Sacramento: quod &
ſacræ literæ, & patres teſtantur. Sed quicqnid tergiuerſatur de uermibus, certè
cineres ex illo pane combuſto fieri, negare non poteſt. Quare ſi grauatur reſpon-
dere de uermibus, cogitare tamen debuit, fore aliquando aliquem, qui idem in-
„ terrogaret de cineribus. Iterũ repetit, Experientias incertas eſſe: & in eo abu-
„ titur Hippocratis teſtimonio, qui experientiã fallacem appellauit. Atqui Hip-
Hippocrates. pocrates non de hoc genere experientiæ agit eo loco, quod ſenſui ſubiiciat; ſed
de morborum uariis, & multiplicibus rationibus, de incertis curandi modis, &
dubiis medicamentorum uiribus. Hęc ille cum ſpectaret, experientiam fallacem
appellauit. Ille tamen certiſſimè uidit, & nouit id, quod ne ruſticos quidem late-
re poteſt, ex rebus putribus gigni uermes.

„ Inconſtantius autem quoniam nos putat argumentari tantùm à conuerſio-
„ ne naturali, quàm ſolùm opinemur, nõ autem certò teneamus, ideò nos magnæ
„ impudentiæ reos facit: qui re incerta conuellere uelimus tranſubſtantiationem
„ orthodoxa fide, & ſcripturarum teſtimonio confirmatam. Ita autem iſta uidetur
dicere, quaſi fides Orthodoxa, & ſcripturæ teſtimonia ſeiungi poſſint: aut quaſi
non omnia in ſacris ſcripturis contineantur, quæ ad fidem Orthodoxam perti-
neant. Sed ſi Tranſubſtantiatio iſta ueſtra cõſignata eſt uerbo dei, cur illud non
indicatis? Nos ſubſtantiam panis et uini retineri probamus è ſcripturis. Ea uerò,
quæ mutationem iſtam teſtificentur, cum uideatis obſcura eſſe, cur uos apertis
& euidentibus uerbis dei non patefacitis? Id niſi efficitis, mihi credite, porrẽtum
iſtud ueſtrum ab omnibus relinquetur, ut quod omnes facilè uidere poſſint &
cum Verbo dei, & cum ſenſu, & cum ratione pugnare.

Cæterum iſte ne fortè uideatur miraculorum copia deſtitui, ſi quis alterum
illud commentum probare nolit, ſubſtantiam panis, quæ abierat in nihilum, re-
„ dire, admonet, ſe poſſe adhuc aliud quoque nouum miraculum fabricari: uideli-
„ cet, ut deus accidentia illa, quæ finguntur eſſe abſq; ſubſtantia, idonea faciat ad
aliam quandam ſubſtantiam ex ſe ipſis procreandam. Quid huic homini facias?
Omninò miraculis diſputare decreuit, non ſcripturis. Et ita confidenter argu-
mentatur à potentia dei, quaſi illi aliquando fuerit à ſecretis, & ab eo audiuerit,
eum in hoc Sacramento omnia uelle facere, quæ poſſit, ne Papiſtarum grex uni
uerſus iure poſſit argui mendacij.

„ Ad extremum nihil à nobis afferri ait, quo catholicus cogi poſſit, ut myſterij
„ modũ, quem fides catholica tradit, neget. Commentũ ſuum & à ſacris ſcripturis,
& à fide alienum appellat fidem catholicã. Et iactat, ſe noſtris argumentis nõ co-
gi. Ita illa tamen te coegerũt, ut multis modis coactus fueris præſtigias illas tuas
exponere: quas, mihi crede, niſi tu ipſe prodidiſſes, nemo noſtrũ (ita ſunt inepræ
& putidæ) unquã tibi adſcripſiſſet. Sed ut eſt homo lautus & delicatus, ait, ſe
in his locis nimis diu inuitũ eſſe commoratũ. Quod equidem facilè credo. Nam
etſi multum luctaretur, tamen ſe nunquam potuit explicare. Deniq; ne pertina-
ciam ſuam fateatur, alios, ſi deo placet, appellat ſtultos. Ipſe tamen interim ſe in
omnia ſtultiſſima atque abſurdiſſima commenta induit potius, quàm ut uelit ab
inſaniæ patrocinio ſemel ſuſcepto diſcedere.

OBIECTVM LXXIII.

VINVM diutius asseruatum post consecrationem uertitur in acetum, & panis, ut experientia probamus, fit mucidus. At neq; corpus Christi, neque sanguis, neq; accidentia fieri possunt acetum, aut conuerti in mucorem. Manet ergo panis, & uinum post consecrationem, unde ista possint fieri.

GARDINERVS.

 ERTAM, *& fide receptam mysterij ueritatem incertis experientijs impiè impetis. Quod sentis esse acetum, & panem mucidum, rectè à sensibus pronuntias huiusmodi esse.*

MARTYR.

RVrsus occinit, experientias nostras incertas esse, & pristinam materiam restitui ui diuina. Quod insulsum commentum cum semel satis refutatum sit, pluribus uerbis non est opus. Iste autem ut nos perspicuè coarguere uideatur, Quis, inquit, non ita concluderet, fultus experientia: Vinum est: Igitur ex uite. At in nuptijs ope Christi uinum adfuit, nec tamen ex uite. Videri uult ista magna simplicitate obijcere: & ea, quæ à nobis adferuntur, illis, quæ ipse retulit, putari esse paria. Sed nemo est ita hebes, qui hic maximum discrimen non sentiat. Primùm enim, ne erremus, Euangelista perspicuè testatus est, uinum factum fuisse ex aqua. Et illi, qui aquam illam hauserant, id alijs facilè potuerunt indicare. Adhæc nihil sensus in ea re fallebantur. Nam, quod uinum erat, id usu, & gustu iudicabant esse uinum. Hic mihi uicissim tria ista membra considerato, Scriptura non ait, panem fuisse transubstantiatum: imò potius testatur, manere panem. Deinde nemo est mortalium, qui de ista conuersione quicquam possit testificari. Postremò, ut Augustinus ait, omnes sensus renuntiant, manere panem. Vestra ergo ista fabula nihil habet simile cum historia Euangelij. *Augustinus.*

Si quis, inquis, dixisset, Vinum est, igitur ex uite, fuisset falsus. Non mirum: nam & scriptura, & haurientium testimonium eum facilè refutasset. Illis ujs tu quoq; nos confuta, Inconstanti, si potes. Illud miraculum scriptura indicat: quæ tamen, quod sciam nusquam dicit acetum fieri ex accidentibus. Et quamuis tu suprà ex Patribus multa de hoc Sacramento miracula cumulaueris, tamen nullum ex illis omnibus adducere potuisti, qui diceret, ex accidẽtibus aut uermes, aut acetum, aut cineres, aut alimentum fieri, aut materiam anteà annihilatam reuocari. Queritur Inconstantius, se à nobis nimiùm urgeri quæstionibus. At nos, nisi tu, alijq; tui similes miraculis, & mendacijs uestris modum aliquem statuetis, ista perpetuò urgere, & quærere non desinemus. Nihil autem est, cur dicatis, uos istis fabulis tueri uelle fidem, & ueritatem mysterij. Illa enim facilè defendi possunt sine huiusmodi portentis.

OBIECTVM LXXIIII.

PAPISTAE dicunt, substantiam corporis Christi esse in Sacramento realiter, corporaliter, naturaliter, sine omnibus suis accidentibus. Atq; ita statuunt accidentia sine substantijs: & substantias corporeas, & creatas absq; accidentibus.

GARDINERVS.

IN uera corporis Christi præsentia confitenda, à ueritate corporis nihil excludunt Catholici: de modo præsentiæ, quoniam superat humanum captum, suam ingenuè continentur ignorantiam.

MARTYR.

„ NEgat Inconstantius, tolli à suis accidentia corporis Christi, aut quicquam
„ de illo detrahi, quamuis illud re ipsa præsens adesse fateantur. Tantùm ait se
„ suosq; ea negare, quæ comprehendantur sensu: qualia sunt præsentia secundum
„ naturam, & modus quanti, quòd ista locum aliquem ambientẽ exigãt. Tamen
quidam ex uestro grege mihi aliquãdo Oxonij, cum unà disputaremus, publicè
respondit, Corpus Christi in Sacramento non esse Quantum: neq; id me debere
mirari: Substantiæ enim prædicamentum prius esse omnibus prædicamentis ac-
cidẽtium: & idcircò ab illis posse separari. Qua in re quàm ille stupidè, & insulsè
falsus fuerit, nihil nũc disputo. Neminem enim arbitror ignorare, qui uel prima
Dialecticorum rudimenta gustauerit, magnitudinem etsi posterior sit substantia
corporata, tamen ab illa seiungi non posse, nisi prorsus corrumpatur. Ita etiam
homo quoq; est rationalis, ut ui illa, aut facultate rationis, quæ ad prædicamen-
tum qualitatis pertinet, sublata, desinat amplius esse homo.

Sed misso illo nugatore, ad Inconstantium redeo. Facito, neminem uestrum
id sensisse. Accipio id, quod ultrò largiris. Quid, quæso te, sibi uult Quantũ sine
modo Quanti? An uerò tu potes statuere numerum quaternarium sine modo
quaternarij: aut lineam sine modo lineæ: aut latitudinem, aut profunditatem sine
utriusq; modo? Quo modo ista à suis modis separari possint, tu uide, qui ea etiam
quæ nusquam, & nulla sint, uidere potes. Sed dispeream, si uos ipsi ea, quæ dici-
„ tis, intelligatis. Præterea contendis, corpus Christi adesse, idq; sub finitis & de-
„ terminatis accidentibus, & tamen absq; loco. Ita cuditis nobis noua dogmata
& sine sensu, & sine ratione, & sine authoritate scripturarum. Christum, qua ho-
mo fuit, scriptura fuisse testatur sine peccato: eadem illum ait non amplius esse
moriturum. Atqui illum, quod quidem ad corpus attinet, aut sine loco esse, aut
Corpora tollun tur, si locus eo= rum tollatur. modum quanti non habere, nulla unquam scriptura docuit. Imò quidam ex Pa-
tribus diserte scripserunt, eum, qui corporibus loca tollat, eadem opera corpora
ipsa tollere.

„ Deinde Inconstantius, cum dixisset, suos non adimere accidentia substan-
„ tijs, id excusat, quod tamen non minus est absurdum, licere accidentibus auferre
„ substantias: nimirùm quòd Ecclesia ita doceat. Quòd si Ecclesiæ nomine intel-
ligat antiquos Patres, unum saltem, aut alterum ex illis proferat, qui ita senserit,
recitet locum aliquem ex omnibus scripturis, quo ista portenta cõfirmet. Quod
si neutrum potest, fateatur suum istud, & suorum commentum esse, non inuen-
„ tũ Ecclesiæ. Aduerbia uerò illa Corporaliter, & Naturaliter ait adhibita fuisse,
„ non ad modum præsentiæ indicandum, sed ad præsentiæ ueritatem exprimen-
„ dam. Quòd si ego hic tacere uellem, tamen non dubito, omnes, etiam pueros in-
telligere, in his aduerbijs istos homines prorsus insanire. Nemo enim Gramma-
ticus unquam dubitauit, ea significare modum. Quid enim aliud est Clementer,
quàm clementi modo: aut seueriter, quàm seuero modo? Obijcietur fortasse
mihi locus ille ad Colossenses, Diuinitatẽ habitasse in Christo corporaliter: quo
aduerbio Paulus nihil aliud significarit, quàm uerè. At si prorsus eam loquutio-
nem excutias, uidebis, eam haud dubiè modum corporis indicare. Vt enim cor-
pus solidum quiddam est, & constans, & firmum, quod umbræ fluxę, & caduce
opponi-

opponitur: ita Paulus ait, diuinitatem fuisse in Christo, non eo modo, quo habitat in alijs hominibus. Paulus ergo in eo loco usus est metaphora ducta à corpore, quod opponitur umbris. Apparet ergo, quàm iste sit contumelioſus, qui impuro ore semper nos appellet calumniatores.

OBIECTVM LXXV.

CHRISTVS communicauit cum discipulis. Ergo, si uera sunt, quæ Papistæ dicunt, ipse se ipsum manducauit: & respectu eiusdem simul fuit, & agens, & patiens. Quod certè fieri non potuit.

GARDINERVS.

SI tam uerum esset, Christum pati Sacramento, quàm est idem falsum de Christo, atmen agens, & patiens non eodem respectu prædicarentur.

MARTYR.

INconstantius, cum ne specie quidem ulla ueritatis, causam suam tueri possit, confugit ad strophas. Amici isti nostri semper contendunt, corpus illud, quod Christus distribuit in cœna coopertum accidentibus, prorsus idem fuisse cum eo quod uersabatur in terris. Iste tamen audet dicere, comedere, & comedi: agere, & pati, relata non fuisse ad idem, cum Christus unà cum Discipulis reciperet Sacramentum. Sed quæ, malum, Inconstanti, est hæc constantia? Multa quidem tu sæpè dicis absurda, & secum pugnantia: tamen alia omnia præ hoc nouo commento tolerabilia uideri possint. Si ista contradicentia non sunt, Idem corpus esse, & idem corpus non esse, quæso, quæ possunt esse cõtradicentia? Equidem putabam, Inconstantium, & cum esset in aula, & cum in turri, & cum in castris, tamen semper eundem fuisse Inconstantium: quod tamen ipse ista sua noua strophа uidetur uelle inficiari. Certè si ipse se intelligeret, nunquam diceret, corpus Christi aliud esse in cœlo, aliud in cruce, aliud in mensa, aliud, ut isti loquuntur, sub accidentibus.

Posteà tamen colligit se utcunq;, & ait omnem passionem diuellendam esse à corpore Christi, quod ponit in Sacramento. Sed iste mirabilis Dialecticus eam solam intelligit passionem, qua substantia aut lædítur, aut corrumpitur. Quod haud dubiè nemo est, qui nolit de Christi corpore, ut nũc est, glorioso, immortali, & impassibili confiteri. Verùm si fateri uelit, Christum suũ ipsius corpus ore suo comedisse, quomodò negare potest, idem tum fuisse comedens & comestũ: continens & contentũ: percipiens, & perceptum? Atqui ista tam actionẽ, quàm passionem, etiam inuito Inconstantio, significant. Tamen istis hominibus nõ uidetur absurdum, totum atq; integrum corpus Christi fuisse in ipsius Christi ore. At cum idem seipsum comederet, fieri profectò non potest iuxta istorum sententiam, quin duplex fuerit.

Addit præterea, corpus Christi, cum distribuatur communicantibus in cœna, cum sit impassibile, nullas subire nouas qualitates: tãtùm relationes quasdam accedere: quæ quamuis uerbis passiuæ significationis efferantur, tamen nõ aliam passionẽ significent q̃ metaphoricã. Hic uidemus, istos ipsos acerrimos defensores realis & corporalis præsentiæ, tandem intelligere, quo denique sese trudant: nimirùm, ad relationes, & respectus, & metaphoricas perceptiones. Profectò si Christus ipse suum ipsius corpus percipiat, & comedat, hic admiscere me-

taphoram, uiderint ipſi, quàm ſit tutum. Primùm uolunt, manducationem iſtam eſſe realem & ſubſtantialem: deinde, quaſi obliti ſui ſubijciunt metaphoricam. Quoniam autem ſatis uidebat Inconſtantius ſe ex hoc Labyrintho nullum poſſe exitum inuenire, finxit, ſe uelle cauſam reddere, cur dominus diſcipulis ſuis præguſtare uoluerit Sacramentum: nimirùm, quemadmodum ait Chryſoſtomus, ut ſuos induceret ad comedendũ. Sed nos in argumento non quærebamus cauſam, cur Chriſtus uoluerit unà cum diſcipulis ſuis communicare, ſed qui fieri potuerit, ut Chriſtus ſe ipſum re uera, & corporaliter comederit. Hoc caput erat quæſtionis. Hoc expediendum erat Inconſtantio. Sed ille pro ſua conſuetudine alias res agere maluit: & hoc propemodùm totum diſſimulare. Chryſoſtomus quidem uera dicit. Dominus enim nulla aptiori ratione allicere potuit diſcipulos ſuos, ut comederent Sacramentum, quàm ſi ipſe illis præguſtaret. Ex eo enim facilè intelligere potuerunt, id quod agebatur, ſpirituale eſſe. Quanquam de hac re iam ſæpius dictum eſt.

Chryſoſtomus.

OBIECTVM LXXVI.

SI panis, quem Chriſtus dedit diſcipulis, fuiſſet tranſubſtantiatus in eius corpus, idem fuiſſet corpus & geſtans & geſtatum: idemq; agens & patiens, pro eodem tempore, & reſpectu eiuſdem: quod, ut dictum eſt, fieri non poteſt.

GARDINERVS.

GARO *Chriſti data in myſterio non patitur ipſa, ſed agit uiuifica nimirùm, & per ineffabilem cum ſpiritu unionem ſanctificans.*

MARTYR.

AB hoc argumento, cum nihil diſtet à ſuperiori, Sophiſta debuit abſtinere: præſertim, cum nihil aliud reſpondere poſſit, quàm quod iam anteà reſponderit. Sed uoluit, credo, implere chartas. Mirum autem eſt, quàm gaudeat unum, atque idem argumentum lacerare in partes, quò illud magis deformet, omniq; ſpecie ueræ concluſionis expoliet. Ait, corpus Chriſti effugiſſe omnem paſſionem, quæ corrumpat, aut lędat naturam. Rectè. Sed meminiſſe debet, actionem & paſſionem apud Dialecticos alia quoq; ſignificare. Sed quicquid eſt, quamuis multa nugetur, tamen cauere non potuit, quin diceret, idem hic eſſe mouens & motum. Chriſtus enim ipſe erat, qui manibus leuabat Sacramentum, cum illud porrigeret, & daret diſcipulis. Et quod Auguſtinus ait in Pſal. 33. Chriſtum ſe ipſum quodammodò geſtaſſe in manibus ſuis, id noſtram ſententiam maximè confirmat. Modus enim ille, quo ille ſe ipſum geſtabat, explicandus eſt, nimirum per Sacramentum. Chriſtus enim manibus ſuis geſtauit non naturale, ac proprium ſuum corpus, ſed Sacramentum, aut ſymbolum ſui corporis: quod tamen ſymbolum ſuo modo gerebat nomen rei ſignificatæ.

Auguſtinus.

OBIECTVM LXXVII.

SI totum corpus Chriſti concludatur in minimo pane, & in quauis eius minima particula, neceſſe eſt illud exui, ac ſpo

liari,

liari, & quantitate sua, & situ, & distantia partium. At sacrilegium esset, naturam corporis Christi ita cõfundere, & expoliare suis proprietatibus.

GARDINERVS.

HOC *argumentum ignorantia genuit, peperit stultitia. Et utriusq; parentis gerit imaginem.*

MARTYR.

INconstantius rationes, quas uerè diluere non potest, risu tamen, & maledictis exagitat. Quanquam & operæ, & oleo parcere potuisset, si hoc quoq; argumẽtum reticuisset. Eius enim summa, & uis uniuersa satis anteà explicata est. Sed ut est astutus, cum ista scriberet, uoluit non tantùm homines, sed etiam tempus fallere. Primo loco exprobrat nobis ignorantiam. Non enim ita loqui oportet, de isto Sacramento, inquit, ut dicamus, corpus Christi contineri sub pane. Docti enim, inquit, uiri utuntur alia formula, dicuntq;, corpus Christi adesse sub specie panis in mysterio: & illo mysterio, non pane contineri. O mirificum castigatorem. Quantum hic ponderis putat esse in leuissima mutatione uocularum? Nos Concludi diximus, idq; casu magis, quàm malitia. At iste, non licet, inquit, ita omnia peruertere. Oportet adesse dicere, & contineri. Nos fortè, panem, diximus: at ille contra clamat, speciem, dici oportere, & mysterium. Quasi uerò panis non æquè mysterium esse possit, atq; accidentia. Nam si Aqua in Baptismo mysterium esse potest, cur Panis in Eucharistia non potest?

Deinde istam loquutionem stultam esse ait, quòd uideatur, operationi diuinæ necessitatem attribuere. Equidem nullos unquam audiui, aut noui, qui Christo grauiorem necessitatem imponerent, quàm solẽt uestri Sacrificuli Papistici. Illi enim pertinacissimè defendunt & docent, corpus Christi post consecrationem omninò sub accidentibus contineri, quoad species, ut illi loqui solent, sint superstites: idq;, confecto semel sacramento, fieri aliter non posse. Sed ridiculum est, tantam Christo imponere necessitatem, deinde eam existimare uoce leniori molliri posse. Lector fortasse alicubi mirabitur acumen Inconstantij, nunquã tamen opinor, magis, quàm hoc loco, ubi ita callidè, & subtiliter uoces, & syllabas ponderat. Quis enim unquam suspicari potuisset, nisi iste nos docuisset, tantùm esse discriminis inter Concludi, & Contineri?

Addit, Corpus Christi, quod est in Eucharistia, esse Quantum: non autem dari populo per modum quanti. Id enim, inquit, esset humano modo dare. Ego quidem, quod ad me attinet, de modo nihil quærerem. Nam cum aduersarius dederit semel, illud corpus esse quantũ, id, quod sit quantũ, modum quanti habere nunquam dubitarem. Verùm cum Inconstantius fateatur, corpus illud dari diuino & spirituali modo, uidetur accedere uelle ad nostras partes. Et certè ita esset, nisi uocibus pro sua libidine abuteretur. Quæ posteà subiecit de admiratione Iudaica, ea satis iam anteà sunt refutata.

OBIECTVM LXXVIII.

SI corpus Christi, ut isti dicunt, adest realiter, aut adest cum tota sua quantitate, & integra statura, aut non: si ita, tum tam paruo pane concludi non potest: si non, tum suis proprieta-

tibus expoliatur. Quod tamen à uero alienum eſt. Nunquã enim reliquit, quod ſemel aſſumpſit.

GARDINERVS.

QVIN *adſit Chriſti corpus realiter, nulla eſt ambiguitas: & quomodò adſit, neſcitur ratio: qua diſceptatrice, & iudice conficitur hoc dilemma.*

MARTYR.

NEminem equidem tam cæcum eſſe arbitror, qui ſtudium huius nugatoris non uideat. Dilacerare uoluit argumenta, eaq; quæ erant coniuncta diſiparе, ac diuellere, & de induſtria, quàm potuit ineptiſsimè proponere: quò & diis derogaret fidem, & nugaciſsimis iſtis ſuis diſſolutionibus aliquam conciliaret authoritatem. Ait, Cornua huius dilemmatis diuinam operationem non
„ complecti. Nec uidet interim, inter Contradictoria ne fingi quidem poſſe ali-
„ quod medium. Rectè ergo iſtos præſtigiatores urgemus, ut reſpondeant, corpus Chriſti, quod ponunt in Euchariſtia, totam ſuam magnitudinem, & integram ſtaturam habeátne, an non habeat. Horum duorum alterutrum reſpondeant, neceſſe eſt. Sed deinde paulò ſe humaniorem præbet, quàm anteà. Videtur enim uelle donare nobis illam formulam loquendi, qua nos diximus, corpus Chriſti concludi ſub pane, quod tamen facit cum huiuſmodi exceptione, ut illam dicat non eſſe Catholicam. Hac noua ſpecie liberalitatis oſtentare uoluit, ſe reſponſionibus abundare: cum re uera nihil habeat, quod reſpõdeat. Sed hoc illi ideò ignoſci debet, quòd nihil eximium, aut ſingulare adferre poſsit. Satis habuit, ſi ad lo-
„ cum communem, & centies iam inculcatum & repetitum ſe reciperet: uidelicet,
„ nõ eſſe fas in operibus dei reijcere, quicquid humanæ rationi aduerſetur. Nemo Chriſtianus, tam impudens eſt, qui hoc negare auſit. Sed Inconſtantio ſolidè probandum erat, opus eſſe dei, ut corpus Chriſti contineatur ſub accidentibus. Id enim nos ueriſsimè humanum commentum eſſe dicimus, non opus dei.

„ Eſto, maius quiddam eſſe, corpus Chriſti ſimul, & eodem momento ab or-
„ tu ad occaſum tot locis exhiberi, quàm integra ſtatura in tã paruo pane cõcludi. Siue id dicat Bernhardus, ſiue nõ dicat, id tamen, quod ſumebatur, Inconſtantio probandum fuit: corpus Chriſti uno, atq; eodem momento realiter, & ſubſtantialiter præſens exhiberi, quibuſcunq; in locis hæc myſteria celebrentur. Hoc Inconſtanti, hoc inquam, tibi probandum erat: quod certè tam magnum, & incredibile eſt, ut credi non debeat, niſi illud, Adeſſe præſens, intelligatur ſpiritualiter: ut communicantes corpus Chriſti mente, ac fide complectantur. Nec ſanè alia de cauſa adductum eſt hoc argumentum, quàm ut animaduerſo abſurdo, quod ex eo concluditur, tollatur id, quod antecedit: nimirùm, corpus Chriſti, ut iſti fabulantur, in Sacramento realiter contineri.

OBIECTVM LXXIX.

SI CHRISTVS dedit corpus ſuum realiter in Cœna, neceſſe eſt, illud uel paſsibile fuiſſe, uel impaſſibile. Nõ autem potuit eſſe paſſibile: tale enim corpus non potuiſſet in fruſtulis panis cõtineri. Nec impaſſibile. Scriptura enim dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur.

GAR-

GARDINERVS.

VERVM *corpus dedit in mysterio: uidelicet, substantia ipsum, quod pateretur: quia uerè dixit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur.*

MARTYR.

ABsurdum illud, in quod nos docere uoluimus istos ruere, Inconstantius ultrò confitetur; uidelicet, corpus Christi semel, & eodem tempore & passibile fuisse, & impassibile. Sed putat, ista tam absurda, tamẽ sophistica stropha defendi posse. Itaque operæpretium arbitratus est se facturum, si modos existendi uariaret. Ait ergo, corpus Christi, ut erat specie uisibili, fuisse passibile: ut autẽ erat in mysterio, fuisse impassibile. Inconstantius, cum nos ita sæpè, ac liberè appellare soleat Figuratores, nunc uicissim ferre debet, si audiat se à nobis Modistam appellari. Videt enim iam eò rem deductã esse, ut ex istis laqueis, et uerissimis rationibus expedire se non possit, nisi uarietatem modorum cõminiscatur.

Sed putat etiam, exemplo nos posse confutari. Dominus, inquit, cum olim transfiguraretur in monte, corpus idem habuit, quod anteà, nimirùm passibile: cum tamẽ sub eo existendi modo pati non potuerit. At hoc exemplum cũ proposita quæstione quid habet, quæso, simile? Quod ad substantiam corporis Christi attinet, fatemur illud idem fuisse ante transfigurationem, quod cum iam immutatum esset in monte. Oppositas autem qualitates, quis sanus dixerit illud simul habuisse? Corpus quod tum in monte erat impassibile, non erat eodem tempore passibile. Non enim, ut tum erat, pati poterat: ut Inconstantius ipse confitetur. Deinde etiam antequam transfiguraretur, & postquam descendisset è monte, ita erat passibile, ut nõ esset simul impassibile. Vt autem breuiter dicam, istæ qualitates, Passibile, & Impassibile, rectè possunt sibi mutuò succedere in eodem subiecto, ut appellant, simul autem in eo esse non possunt: nisi dicere uelis, naturam contradicentium propositionum posse uiolari: ut idem eodem tempore & passibile sit, & non passibile. Quare cum Christus haberet cœnam cũ discipulis, nisi fortè corpus suũ geminauerit, ut alterũ passibile habuerit, alterũ impassibile, corpus suũ re ipsa uel in pane, uel, ut uos mauultis loqui, in accidentib. nõ dedit.

Post ista omnia Inconstantius cani palinodiam. Nam cum anteà dederit, corpus domini sub pane, aut sub accidentibus contineri, nunc refert pedem, & uocem illam, Cõtineri, prorsus damnat. Ait enim, catholicos hoc tãtùm dicere, corpus domini adesse accidentibus panis. Et posteà repetit, corpus illud Sacramento contineri. Equidem uidere non possum, quid iste discriminis esse putet inter id, quod dicit, Accidentibus panis contineri, & Sacramento cõtineri. Ea tamen iste ita putat immensum inter se distare, ut alterum recipiat, alterum planè explodat. Nec satis mirari possum, quid frustula panis cum tantopere offenderint: cum Cyrillus in Iohan. lib. 4. cap. 14. ita ea uocarit. Sic enim scribit: Credentibus discipulis Christus fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum. Quantum, quæso, Inconstanti, fragmenta differunt à frustulis? Sed iam uideo, quid te ita malè habeat. Videlicet, uolebas nos dicere, nõ panis, sed accidentium frustula. Verùm unum saltem ex omnibus patribus citare te oportuit, qui illas minutias diceret, non panis esse, sed accidentium. Interim dum id efficias, nos nostra loquutione uti patieris. *Cyrillus.*

OBIECTVM LXXX.

PASSIBILE & impassibile ita opponuntur, ut non possint simul & semel esse in eodem subiecto. Quare si hęc duo

oppoſita ponantur in corpore Chriſti, non amplius unum erit corpus, ſed geminum: aut duo contradictoria incomplexa erunt ſimul in eodem ſubiecto: ut corpus tradentis ſit paſſibile: traditum uerò impaſſibile.

GARDINERVS.

CONTRADICTORIA *incomplexa de eodẽ ſubiecto prædicari, filum rationis in rebus inferioribus non recipit. Et tamen in perſona Chriſti ex myſterij conditione paſsibile & impaſsibile de corpore Chriſti prædicant patres catholici.*

MARTYR.

REſpondet, rem longè aliter ſe habere in perſona Chriſti, quàm in rebus inferioribus, propter myſterium: itaq; eius corpus ſimul & paſſibile, & impaſſibile dici potuiſſe. Ita enim patres catholicos explicare: ut paſſibile dictum fuerit propter uoluntatem: impaſſibile uerò propter unionem. Sed cum nulla pateat rimula ad fugam, parietem fruſtrà fodit. Teneris Inconſtanti, teneris: nec potes elabi. Nos quoq; fatemur, & credimus, corpus domini factum fuiſſe patibile propter uoluntatem: fuiſſe enim diuinæ uoluntatis, ut corpus illud poſſet pati. Nam alioqui propter unionẽ diuinitatis potuiſſet eſſe impatibile. Quamuis ergo utrunq; potuerit eſſe, ſimul tamen utrunq; eſſe non potuit. Neceſſe enim fuit definitè, ac pro eodem tempore, ut ſemper alterutrum duorum eſſet, aut patibile, aut impatibile. Nam cum dominus uerſaretur in mundo, & pateretur, iuxta uoluntatem habuit corpus patibile: quod certè tum re ipſa, & actu non erat impatibile: potuiſſet tamen fieri impatibile, ſi uoluntas diuina ita ſtatuiſſet. Numquam ergo fuit re ipſa ſimul, & paſſibile, & impaſſibile. Definitè enim alterutram conditionem ſemper habuit.

Diuina uoluntate corpus Chriſti fuit patibile

Auguſtinus.

Quod autem ait, Auguſtinum dicere, Ipſum, & Non ipſum, longè aliter habet. Verba quidem illa non ſunt Auguſtini. Citantur à Gratiano de Conſecrat. diſt. 2. cap. Non. Vbi ſic ſcribitur: Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi eſtis: nec bibituri illum ſanguinẽ, quem effuſuri ſunt illi, qui me crucifigent: ipſum quidem, & non ipſum: ipſum inuiſibiliter, & non ipſum uiſibiliter. Vnde & ſubditur: Si neceſſe eſt, illud celebrari uiſibiliter, neceſſe eſt, illud inuiſibiliter intelligi. Hæc apud Gratianum. Quo in loco apparet, illa uerba, Ipſum, & Non ipſum, ab illo interiecta eſſe, non ſcripta ab Auguſtino. Et ea cauſa Gratianus poſteà adiecit, Vnde & ſubditur. Illa ergo uerba, Ipſum, & Non ipſum, Decretorum rhaſpodus adiecit, quaſi interpretationem uerborum Auguſtini. Quam ſortaſſis interpretationem ex epiſtola quadam Iuonis Beluacenſis accepit. Atq; hoc ne quis me fortè fingere arbitretur, ipſius Auguſtini uerba ſubijciam, quæ ab illa ſcripta ſunt in Pſal. 98. Non hoc corpus, inquit, quod uidetis, manducaturi eſtis: nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis cõmendaui. Spiritualiter intellectum uiuificabit uos. Et ſi neceſſe eſt illud uiſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Quid in iſtis uerbis habet Inconſtantius, quòd nobis inſultet? Quanquã etiam ſi Gratiani ſententiam & expoſitionem ſequi uelit, ea quoq; rectè poteſt cũ noſtra conſiſtere. Nam panis Euchariſtiæ, ſi ad corpus Chriſti referatur, & ipſum eſt, & non ipſum. Non eſt ita ut adſit præſens, & ut in illud dentes noſtros infigamus. Ipſum tamen eſt, quia ſymbolum habet nomen rei ſignificatæ: atq; ita panis ſuo modo eſt corpus Chriſti. Deinde etiã ſi illa intelligant dicta de corpore Chriſti, ita quoq; fatemur nos & ipſũ comedere, & nõ ipſum. Ipſum comedimus ſpiri-

Gratianus.

Corpus Chriſti quomodo in Euchariſtia dicatur ipſum, & non ipſum.

ſpiritualiter, hoc eſt, fide, atq; animo: non autem ipſum, quod ibi præſens exiſtat, & comedatur ore corporis. Id enim non corpori Chriſti cõuenit, ſed ſymbolis. Hæc autem uerba, ut leguntur apud Auguſtinum, nihil habent perplexi, aut impediti. Dominus enim, ut eum Auguſtinus loquentem facit, negat, illud corpus quod uidebatur, comeſtum iri: Sacramentum enim eſſe, quod illis commendaueri t. Eius autem Sacramenti ſignificat duas eſſe partes: unam, quæ uideatur, & adhibẽda ſit, cum celebratur memoria mortis domini: alteram autem ſecretiorem, quæ ſpiritu tantùm, & mente inſtructa fide comedenda ſit. Vt autem hæc pars eſt re uera corpus Chriſti, ita altera, quæ uideri, & tractari poteſt, panis eſt. Neq; uerò affirmat Auguſtinus, duas iſtas partes ita coniunctas eſſe, ut noſtri iſti ſophiſtæ prædicant. Nam ut ſenſum uerborum eius retineamus, ſatis eſt, ſi ſignificatione coniungantur. Neq; duo illa incomplexa Ipſum, & Non ipſum, contradictoria ſunt, cum ad diuerſa referantur. Quod enim in Cœna ſumitur, & ore, ac ſenſu comprehenditur, non eſt propriè corpus Chriſti, quamuis ſuo quodam modo ita & dicatur & ſit. At ſi ſpectemus opus fidei, uerum Chriſti corpus re ipſa in Cœna ſpiritualiter percipitur. Quare Ipſum, & Non ipſum, nõ de eodem prædicantur, ſed de rebus diuerſis.

Ipſum & Non ipſum, haud ſunt contradictoria in iam adducta ſententia.

In ſumma Inconſtantius reſpondet, Contradictoria quidem non prædicari abſolutè de eodem: nihil tamẽ prohibere, quò minus diſtinctis relationibus prædicentur. Nec abſurdum putat eſſe, idem corpus in ſpecie uiſibili natura eſſe paſſibile: & idem eodem tempore datum in Sacramẽto eſſe impaſſibile. Denicq; Paſſibile, & Impaſſibile non ueretur appellare relationes. Ego uerò hoc affirmo, controuerſiam nunc inter nos non eſſe de relationibus, ſed de paſſibilitate, ut ita loquar, & impaſſibilitate, quæ ſunt qualitates, ac pertinent ad naturalem potentiã & impotentiam. Non eramus nunc docendi, quotidie fieri, ut idem nunc dextrũ ſit, nunc ſiniſtrum reſpectu diuerſorum. Hoc potius expendẽdum erat, an idem ſimul & mortale ſit, & immortale: aut ſimul rationale, & irrationale. Hoc ubi Inconſtantius, declarauerit, intelligemus, an corpus Chriſti ſimul, eodemq; tempore potuerit & paſſibile eſſe, & impaſſibile.

Non contendimus de relationibus, ſed de qualitatibus.

Sed quis non miretur, Hieronymum citari hoc loco, qui in epiſtolã ad Epheſios lib. 1. cap. 1. ita ſcripſerit, Diuinam carnem dari manducandã, non eam, quæ fuerit crucifixa? Nam ea ſententia maximè pro nobis facit. Caro enim illa diuina nihil aliud ſignificat, quàm carnis Chriſti ſacramentum, quod diuinitùs eſt inſtitutum, & per fidem in mente noſtra fructum edit. Nam ſi dicas, Hieronymum eo loco ad carnem cum uerbo coniunctam reſpexiſſe, illa quoq; caro, quæ crucifixa eſt, diuina erat. Habet enim uerbum coniunctum ſecum in eadã hypoſtaſi. Poſteà citat locum Auguſtini in Pſal. 98. de quo paulò ſuprà ſatis diximus. Hoc tantùm nunc unum addam, Nec Auguſtini uerba, nec Hieronymi poſſe referri ad modos: quod iſti maximè contendunt. Nam, ut ipſi etiam confitentur, modus non efficit, quin res ſit eadem. At iſti Patres carnem Chriſti, quę affixa fuit cruci, fatentur non eſſe eandem cum ea, quæ nunc comeditur. Quæ tamen ſi realiter, & corporaliter comederetur, eſſet omninò eadem. Sed longè aliter habet. Nam ori quidem corporis noſtri datur corporis Chriſti ſacramentum: ipſum uerò corpus non recipitur, niſi ſpiritualiter, & per fidem.

Hieronymus.

Iſi Patres dicũt carnem domini quæ comeditur nõ eandem eſſe quæ cruci fuit affixa.

Quod uerò ultimo loco concluditur, corpus Chriſti & paſſibile fuiſſe, & impaſſibile, non eſt uerum: ſi de illo corpore, quod actu fuit, uelimus loqui. Semper enim, uti diximus, alterutrum iſtorum duorum erat. Nam cum moreretur, non potuit eſſe immortale. Eo autem tempore natura diuina, quæ cum carne Chriſti coniuncta fuit, uim ſuam cohibuit: & paſſa eſt dominum Ieſum, quatenus homo fuit, non tantùm mortalem eſſe, ſed etiam mori. Nec ſanè Inconſtantius in

tam graue absurdum unquam incidisset, ut diceret, Contradictoria simul posse esse uera, si, quod acutum sophistam in primis oportuit, actum & potentiam distinxisset. Nam potentia quidem corpus Christi & passibile fuit, & impassibile. Vtranq; enim conditionem subire potuit. Actu autem ita fuit passibile, ut non esset simul impassibile: aut ita impassibile, ut non esset eodem tempore passibile. Vtq; uno uerbo, quod res est, dicam, hoc argumento ita irretitur Inconstantius, ut, quocunq; sese uerterit, non possit effugere. Addamq; Iuonem Beluacensem, quem superius adduxi, statuere apostolos in Cœna corpus Christi mortale percepisse, nos autem nunc immortale sumere, unde ille à contradictoriis magis cauit sibi quàm hic noster.

OBIECTVM LXXXI.

CHRISTVS dedit tale corpus, quale habuit: sed habuit corpus passibile: Ergo dedit corpus passibile. Atq; ita prius passus est, cum edentium dentibus laceraretur, quàm affigeretur cruci.

GARDINERVS.

QVATENVS *illud (Tale) respondet exprimendæ qualitati, falsum est.*

MARTYR.

"ARgutè sibi uidetur Inconstantius philosophari de uocabulo Tale: quod si qualitatẽ significet, negat Christũ in ultima Cœna dedisse tale corpus, quale habuit. Idem enim illũ quidẽ corpus dedisse, quod erat passurum: sub tali tamẽ existendi modo, ut pati non potuerit. Atqui ut idem corpus simul contrarias, uel potius contradictorias qualitates habuerit, fieri non potest: non magis sanè, quàm idem corpus, eadem parte potest esse album, & nigrum: aut album, & non album. Ad hæc, nónne dominus disertè ait, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur? Ea certè uerba, si uera sunt, ut omninò oportet confiteri, facilè refutant illorum temeritatem, qui uolunt, Christum in Sacramento tale dedisse corpus, quod pati non potuerit.

OBIECTVM LXXXII.

VETERES eadem nobiscum habuerunt Sacramenta. Paulus enim ait, illos eandem escam nobiscum comedisse. Illi autem non habuerunt, nec etiam habere potuerunt istam realem præsentiam: Christus enim carnem nondum receperat: Ergo, eiusmodi præsentia non est statuenda.

GARDINERVS.

NEGABVNT *Veteres eadem Sacramenta significatione, quæ nos habemus: ut quæ omnia Christum respiciant.*

MARTYR.

SAcramenta Veterum, & nostra hoc inter se discrimen habent: quòd materia, & forma uerborum alia in illis fuit, alia in nostris: Res autem, quæ significan-

tur,

tur,& exhibentur in utriſq;,omninò ſunt eædem. Id Paulus apertiſſimè teſtatur. Petram enim unde illi bibebant, fatetur fuiſſe Chriſtum. Inconſtātius autem inter alia unum quoddam fingit diſcrimen,quod illi nullo modo dari poteſt. Ait enim, ueteres habuiſſe ſpiritualem comeſtionem, ut quibus ſemper licuerit in Chriſtum credere:nos aūt, nō tantùm in illum credere,ſed etiam unà cum ſignificatione habere corpus eius, quo ueſcamur, ut ſolido cibo. Et citat locū ex cap. 13.ad Hebræ.Habemus altare,de quo nō licet edere iſs,qui in tabernaculo deſeruiunt. Putat Inconſtantius,Paulum his uerbis excluſiſſe ueteres patres à ſolida manducatione corporis Chriſti.Sed non animaduertit, Paulum ibi non de quibuſuis Hebræis,aut patribus loqui: ſed de illis, qui externa tantùm in illis ſacris amplecterentur: Chriſtum autem reiſcerent: aut,ſi quid forte de illo cogitarent, non in eum,qui iam uenerat, crederent, ſed alium quendam expectarent:quem ſibi non perſuaſerant ex ſacris literis, ſed de ſuo capite confinxerant.Illis ita perſuaſis haud dubiè non licuit ueſci corpore Chriſti. Quanquam diſſimulare non poſſum, iſto etiam ipſo loco impetum, & pertinaciam Incōſtantij uehementer infringi. Nam ſi corpus Chriſti eſt realiter & ſubſtantialiter uel in pane, uel in accidentibus, cur Hebræis non licuit illud comedere? Facito enim, aliquem ex illis animo ficto ſeſe Chriſtianis communicantibus admiſcuiſſe, cum interim pergeret inſeruire tabernaculo, & haberet in animo Iudaiſmum ſuum retinere. Nonne ille iuxta ueſtram ſententiam corpus Chriſti uerum, quamuis indignè comediſſet? Verte te, quò uolueris,& nega,ſi potes.Nam illa uerba Apoſtoli liquidò ſignificant,neminem comedere corpus Chriſti, qui nō credat in Chriſtū.

Locus ad Hebræos.

Si Chriſti corpus eſt realiter ſub accidentib. panis, Hebræi potuiſſent illum edere.

Non tamen uelim Lectorem obliuiſci, nos quoq; ponere certa quædam diſcrimina inter ueterum Sacramenta,& noſtra.Noſtra enim apertiora ſunt,& luculentiora: illorum autem multis modis obſcuriora. Noſtra rem iam factam & præſtitam ſignificant: illorum autem myſteria Chriſtum uenturum & moritu-rum denuntiabant. Atque inde factum eſt,ut noſtra clariora ſint, quàm illorum fuerint. Sunt etiam alia quædam diſcrimina, quæ nos non grauatè recipimus. Quòd autem aiunt, nos corpus Chriſti habere præſens, quod illi nō habuerint, id Inconſtantius à nobis nunquam auferet.

Ad hæc, locum illum ex epiſtola Pauli ad Corinth. qui adducitur in argumento,negat ita accipiendum eſſe,quaſi ueteres habuerint nobiſcū communem eſcam & potum, & baptiſmum:id enim potius Paulum ſignificare uoluiſſe, ueterum Sacramenta inter ipſos fuiſſe communia, quòd omnes iſdem dei donis fruerentur,cum tamen deo in illis omnibus non fuerit beneplacitum. Hanc interpretationem fuſius tractaui in commētarijs meis in epiſtolam ad Corinthios. Nunc hoc tantùm addam,Si Paulus noluiſſet myſteria ueterum cum noſtris Sacramentis conferre,non oportuiſſe illum Baptiſmi facere mentionem: aut, cum de potu loqueretur, nominatim exprimere Chriſtum. At ille, Bibebant,inquit, de conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Sed cur iſte tantus alioqui patronus patrum, ut nobis contradicat, tam facilè diſcedit ab illis? Auguſtinum ſaltem audiat in Pſal. 77. ab initio. Is enim adducens iſtum ipſum locum Pauli ita ſcribit:Idem itaque in myſterio cibus & potus illorum,& noſter: ſed ſignificatione idem,nō ſpecie.Quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus,nobis in carne manifeſtatus. Nihil clarius dici potuit.Diſertiſſimis enim uerbis affirmat,eundem fuiſſe ueterum cibum, & noſtrum, nimirùm,Chriſtum. Duo tamen ponit diſcrimina: Vnum ab externa ſpecie:nos enim habemus panem & uinum,illi aquam, Circunciſionem, Sacrificia,& uaria genera oblationum,& ceremoniarum:quæ omnia illis eundem Chriſtum ponebant ob oculos,quem hodiè nobis noſtra Sacramenta referūt. Alterum,quòd illa figurarint Chriſtum,

Auguſtinus.

tanquam uenturum : noſtra uerò, tanquam qui iam uenerit, & paſſus ſit.

Auguſtinus. Audiat etiam Inconſtantius eundem Auguſtinum tract. 26. in Iohānem. Sa-
„ cramenta, inquit, illa fuerunt: in ſignis diuerſa ſunt: ſed in re, quæ ſignificat, pa-
„ ria ſunt. Apoſtolum audi. Nolo, inquit, uos ignorare fratres, quia patres noſtri
„ omnes ſub nube fuerunt: & omnes mare tranſierunt: & omnes per Moſen Ba-
„ ptizati ſunt in nube & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaue-
„ runt: ſpiritualem utiq; eandem: nā corporalem alteram: quia illi māna, nos aliud:
„ ſpiritualem aūt eandem, quam nos. Ex his perſpicuū eſt Auguſtini teſtimonio,
Paulum collationem facere inter nos, & patres. Quare nihil erat, cur Inconſtan-
tius interpretationem illam poſitā in argumento ita facilè contemneret. Quām
„ autem commodè huc rapiat illud, quod poſteà à Paulo ſubijcitur (Hæc omnia il-
„ lis in figura contingebant) facilè quiuis uidere poteſt, qui apud ſe uelit cogitare, il-
los noſtram conditionem adumbraſſe in eo, quòd abutentes ſacris myſterijs deſ
fuerint grauiſſimè caſtigati. Vnde Apoſtolus concludit, nos quoq;, ſi uerſemur
in ſimili peccato, eodem modo eſſe puniendos. Hæc illa figura erat, quam Pau-
lus uoluit indicare: quod ex ſubiectis exemplis facilè colligitur. Commemora-
tur enim uaria ſupplicia, quibus Hebræi, cū peccaſſent, afflicti fuerāt in deſerto.
Neq; illud tacēdum eſt, exempla illa parùm futura fuiſſe efficacia, niſi illi nobiſ-
cum habuiſſent eadem Sacramenta. Hoc enim Corinthijs in mentem uenire po-
tuiſſet: illa Sacramenta ueteres patres non potuiſſe liberare, quòd noſtris longè
fuiſſent inferiora, & infirmiora: ſua autem, cum eſſent longè potentiora, facilè ſe
poſſe defendere. Atq; ita nihil fuiſſe, cur Paulus ſe ueterū exemplis perterrefac-
ret. At ſi Sacramenta illa quod ad rem attinet, eadem ſtatuantur fuiſſe cū noſtris,
exempla ea oportuniſſimè poterunt ad noſtras res accommodari. Ad calcem
denicq; Inconſtantius ita claudit reſponſionē, eos, qui ſcripſerūt, Sacramenta ue-
terum eadem fuiſſe cū noſtris, ad ſignificationem tantùm reſpexiſſe: quod quàm
falſum ſit, Auguſtinus ipſe ſatis indicat. In eo enim loco, quem ſuprà commemo-
raui, loquitur de eſca ſpirituali, quam & illis, & nobis ait fuiſſe cōmunem. Illam
autem eſcam affirmat fuiſſe Chriſtum.

OBIECTVM LXXXIII.

CONSECRATIO eſt ſeparatio rei profanæ ad ſpiritualem & diuinum uſum. Ideò panis dicitur conſecrari, quòd ſepa-
retur à profano uſu ad figurandum & repreſentandum cor-
pus Chriſti, & ſpiritualem per Chriſtum nutritionem. Non
quòd panis poſſit eſſe corpus Chriſti: eius enim ſanctitatis
non eſt capax. Sed idcircò dicitur corpus Chriſti, quòd ſit
eius ſymbolum & figura.

GARDINERVS.

QVEMADMODVM *alia uocabula, ſic etiam Conſecrationis uerbum ſecundum modum eius, cui ſignificando adhibetur, ſignificationem uel remittit, uel intendit. Apud Iuriſconſultos legitur, res ſacras dici, quæ conſecrantur per Pontifices deo.*

MARTYR.

INficias ire non poteſt, adferri à nobis receptam notionem conſecrationis, uel
ſuorum Iuriſperitorum teſtimonio. Sed cauillatur, iſtam notionem interdum,
maximè

maximè uerò apud Theologos intendi, & illud significare, quod dicere ait Emis-
senum. At si quęras, quanam in re locum habeat hæc admirabilis notio, nusquam
eam inuenies nec in Veteri, nec in Nouo Testamento, nisi in una tantùm Eu-
charistia. Nam in Lege, uasa templi, Leuitæ, hostiæ, Nazaræi, & alia huiusmodi
multa consecrabantur. Sub Euangelio homines consecrantur in Baptismo, &
ministri Ecclesiæ dicuntur ad sacram functionem obeundam consecrari. Imò Pa
pistæ ipsi uolunt, aquam illam suam lustralem, & candelas, & aquam Baptismi
consecrari. Quæ tamen res omnes quamuis consecratæ, tamen pristinam natu-
ram suam retinent. In sola autem Eucharistia nouã istam suam notionem in-
ueniunt. Nos uerò eam, quoniam ab istis ficta est, nec ex sacris literis pro-
bari potest, illis solis relinquemus; & alteram illam notionem consuetam, & usi-
tatam retinebimus.

Sed nunc Emisseni testimonium audiamus. Inuisibilis, inquit, sacerdos pa-
nem & uinum in substantiam sui corporis & sanguinis secreta potestate conuer-
tit. Hæc mutatio, si, ut suprà docuimus, sacramentalem intelligas, nihil habet in-
commodi. Nam nos etiam damus, panem & uinum in Cœna domini fieri sacra-
menta corporis & sanguinis domini. Si aliam transubstantiationem, aut Emisse
nus, aut quisquam alius, etiamsi Angelus de cœlo sit, conetur obtrudere, cùm ea
apertissimè pugnet cũ sacris literis, nobis, ut Paulus monet, anathema erit. Ve-
rùm ex Inconstantio libenter audire uelim, quod nam uerbum in illo loco Emis
seni uideat, quo ille se dicat definire Consecrationem. Dicit, Sacerdotem inuisi-
bilem mutare panem & uinum: illa autem eum consecrare, nõ dicit. Sed uideo,
Consecrationem, & mutationem idem esse apud Inconstantium: sed ita tamen,
ut definitio illa, quam nos adducimus, sit generalis: ea autem, quam putat elici
posse ex Emisseno, specialis. O hominem callidum. Nemo unquã, præter Incon-
stantium, tantum sapuit, ut tantùm distinguendo genus & speciem, putaret
Transubstantiationem suam defendi posse. Sed prudens lector alia meliora, &
acutiora aliunde audiet.

Sunt, qui definiant, Sacramentum esse sacræ rei signum: quibus uerbis non
præscribitur Sacramẽtis nouæ Legis, ut nihil sint aliud, quàm signa. Addit, Ver-
ba inuenta esse, non quæ rebus tenebras inducant, sed quæ lucem afferant. Quis
istam tam grauem sententiam contemnat? Miror tamen non nihil, istum ipsum
sua lege, quam nobis tulit, teneri nolle. Ille enim passim res uerbis ita inuoluit,
ut eum de industria iures tenebras tibi uelle offundere, & caliginem, ac confu-
sionem quærere. Verùm relinquamus illi istas delicias: & hoc potius uidea-
mus, cum ageretur de definitione Consecrationis, cur deflectere maluerit ad de
finiendum Sacramẽtum: nec tamen illud ipsum pergat definire. Timuit fortasse,
ne, quemadmodum acceperat graue uulnus ex definitione Consecrationis, ita
Sacramenti definitione explicata, prorsus conficeretur. Nihil autem est cur nos
uereamur, ne nostra uerba non satis sint perspicua: tantam enim lucem rebus ad-
ferunt, quanta satis sit ad istorum errores indicandos.

Pergit Inconstantius, Non nego, inquit, id, quod signum est, induere nomẽ
signati. Ne subtilium distinctionum imprudens uideretur, naturam signorum
fecit bipartitam. Quædam esse ait, quæ res absentes referunt: quædam, quæ præ-
sentes indicant, quæ alioqui lateant, nec sensu deprehendi possint. Quatenùs igi-
tur, id, quod est in Eucharistia externum, & aspectabile, significat, & refert cor-
pus Christi, ait, fieri non posse, ut ab eo absit. Etsi eũ lateat, tamen præsens adest.
Nos uerò nunquam diximus, ex notione signi concludi absentiam rei significa-
tæ. Scimus enim, lac in mamillis mulierum signum esse conceptus præsentis:
& pulsum uenarum signum esse præsentis animi, & fumum præsentis ignis.

Ex notiõe signi non cõcluditur absentia rei significatæ.

Sed ea causa interdum urgemus definitionem Sacramenti, ut frangamus uestrũ quorundam pertinaciam: qui Eucharistiam, cum sit Sacramentum, tamen nolint ullo modo appellari signum: aut in ea ullam tropicam rationem admittere. Esse autem illud signum corporis Christi, quod ad propriam eius rationẽ attinet, absentis, alijs rationibus confirmauimus.

Iste uerò, ne suo iudicio parùm uideretur Papistarum de se expectationi respondere, uoluit aliquid etiam extra oleas philosophari. Fatetur, elementum panis propter munus illud significandi, induere nomen corporis Christi: ea tamen lege, ne ueræ rei præsentia minuatur. Cæterùm sepositа nunc ad tempus disputatione de præsentia, scire uelim, quidnam iste intelligat, cum dicat Elementum panis. Si intelligat panẽ ipsum esse elementũ, quo doceamur, corpus Christi actum fuisse in crucem, nostra causa, & esse fidelium spiritualem cibum, recte dicit. Sed cum manibus & pedibus tueri uelit suam Transubstantiationem, necesse est, ut per elementum panis, accidentia panis intelligat. Quæso ergo te, Inconstanti, ne graueris, etsi non mihi, saltẽ lectori ostendere, ubinam locorum, aut gentium unquam audiueris, accidentia appellari rei alicuius elementa. Certè præter te solùm, qui nobis ita uehemẽter author es, ut uerba rebus lucem adferant, nemo unquam mortalium inuentus est, qui ita loqueretur.

,, Posteà ait, se fateri, Panem non esse corpus Christi, quod à nobis sumitur in
,, argumento. Rationem tamen, qua id probatum est, contẽdit esse uitiosam. Hic
,, autem ita hebes est, ne quid in eum grauius dixerim, ut existimet, nos idcircò dicere, panem non esse corpus Christi, quòd non sit capax ullius sanctitatis. Atne mo unquam nostrum id ne per somnium quidem cogitauit. Verum ita Inconstantium legisse oportuit, panem eius sanctitatis, uidelicet, quæ est in corpore Christi, non esse capacem. Atq; id re uera ita habet. Et idcircò panis non est ipsa corpus domini, quòd sanctitatis, & præstantiæ eius corporis, non sit capax. Quod autem iure optimo detrahitur substantiæ panis & uini, id Inconstantius pro sua singulari doctrina intelligere debuit, accidentibus multò minus uel debere, uel posse attribui. Quare, cum hic sit sensus argumenti, frustra laborauit, ut tanquam per gradus quosdam, & lineas à deo, qui ipsa est sanctitas, multiplices, & uarias formas sanctitatis deduceret, quibus & Angeli, & homines, & etiã Sacramenta dicantur sancta. Quasi uerò nostri homines, cum agitur de Eucharistia, non soleant subinde panem illum sanctum appellare.

Sanctitatis corporis Christi panis non est capax.

,, Quod autem panem Eucharistiæ nõ tantùm sanctum uocat, sed etiam ipsam
,, sanctificationem, idq; testimonio Chrysostomi, id ita intelligendum est: Patres
sæpè id, quod rei est ipsius, attribuere Sacramentis: non autem sensisse, panem illum propriè esse corpus Christi, qui sit ipsa essentia sanctitatis. Hanc interpretationem iste affinxit de suo. Nã in illa 17. homilia Operis imperfecti, quod Chrysostomo tribuitur, non habetur. Sed cur ex eadem homilia, hæc uerba non adscripsit? Benedictus panis sancta sunt: propterea illis porrigenda sunt, qui capaces facti sunt benedictionis per fidẽ. Sed ista callidè præterire uoluit, quòd ea uideret dicere, in Eucharistia etiam tunc esse panem, cum porrigitur fidelibus: atq; ita Transubstantiationem suam tolli funditùs.

Chrysostomus.

Cyprianus. Posteà citat uerba ista Cypriani: Significata olim à tempore Melchisedech
,, prodeunt sacramenta: & filijs Abrahæ facientibus opera eius Summus Sacerdos profert panem & uinum, Hoc est, inquiens, Corpus meum. Priusquam longius ingredior ad huius loci expositionem, annotandam duxi esse illam clausulam, Profert panem & uinum: ijs uerbis Cyprianus respexit ad Melchisedechũ, qui Abrahamo redeunti à bello, & eius militibus cibum proposuit, quo fessi laboribus reficerentur.

Hæc

Hæc ideò dico, ut illos coarguam, qui & Christum clamitant sacrificasse in cœna, & Melchisedechum obtulisse deo panem & uinum: cum neuter illorũ nec in Genesi, nec in Euangelio legatur sacrificasse: uerùm, cibo tantũ prolato, Christum Apostolos suos pauisse, Melchisedechũ milites. Addit Cyprianus, Manducauerunt de eodem pane secundum formam uisibilem. Hæc quoq; docent, manere in Eucharistia naturã panis. Etsi enim corpus Christi percipiatur, quod certè non cernit, tamen id, quod specie uisibili, uidelicet ore, ac dentibus comeditur, disertissimis uerbis ait esse panem. Sequitur: sed ante uerba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & uitæ corporalis subsidium ministrabat: Sed ex quo à domino dictũ est, Hoc facite in meã commemorationem, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus, quotiescunq; ijs uerbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis uitam salutemq; proficit: simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas iniquitates, & purgãdas infirmitates existens. Hic libet mihi, admonere Lectorẽ, Verba illa, quæ appellant consecrationis, alia fuisse tempore Cypriani, alia nostro. Hæc enim uerba ille recitat: Hoc facite in meam cõmemorationem: Hæc est caro mea: &, Hic est sanguis meus: & addit, Quotiescunq; ijs uerbis, & hac fide actum est, &c. Quid igitur hic respondebunt illi, qui sua illa à Christo, & ab Apostolis ita tradita, & sacrosancta esse aiũt, ut ne apex quidem illorum minimus mutari possit? Certè, cum uerba ista, ut satis apparet, non sint eadem, necesse est, ut aut Cyprianus, aut isti aliquid immutarint. Atque ita minus erunt fixa, & certa illa uerba, quibus suam Transubstantiationem conficiant. Quod autem præterea Cyprianus ait, cibum hunc alioqui communẽ, post consecrationem facere ad salutem totius hominis, id nos quoque semper dedimus & docuimus. Et hoc illud est, quod dicebatur in argumento, separari à profano usu. Panis enim factus iam Sacramentum, non tantùm corpus alit, sed etiam animam. Ea enim communicando in sacra cœna corpus ipsum Christi per fidem sumit, & amplectit. Sed Inconstantius addit, Hæc Cyprianus de Consecratione scribit: ubi non tantùm ad spiritualem & diuinum usum fit rei profanæ separatio, sed ipsius rei mutatio: ut ex pane fiat corpus: ex uino sanguinis: quæ Cyprianus dicit medicamẽtum, & holocaustum. Mutationem symbolorum fieri, sæpè iam diximus, sed sacramentalem: quæ certè talis est, ut panis, uinique substantiam non auferat. Neq; sanè Cyprianus eam auferri, aut perire dixit. Eam aũt mutationem utrunq; sequitur: &, ut panis, ac uinum separentur ad usum sacrũ: &, ut efficiantur Sacramenta, & ad salutem nostram promouendã faciãt. Ea uerò eatenus dicimus fieri carnem & sanguinem Christi, & medicamentũ, & holocaustũ, qua tenus illa, quæ rei significatæ congruunt, signis & symbolis attribuuntur: deinde etiã, quatenus spiritus sanctus istis organis efficaciam carnis Christi, hoc est, ueri medicamẽti, & holocausti, exercet, & excitat in animis communicantiũ. Is enim dum sacramenta frequentamus, infirmitates nostras curat, & animos repurgat. Eius enim instinctu fides accenditur, quę carnem domini & sacrificium ex ea in cruce oblatum apprehendit: quam seriò, & uera fide complectentes absoluimur à peccatis, & corpore, animoq; ad æternam uitam instauramur. Pergit porrò Inconstantius inculcare, atq; urgere testimonium Cypriani.

Melchisedechus nõ deo panem & uinum protulit, sed Abrahamo & exercitui eius.

Verba consecrationis tempore Cypriani non fuerunt tantũ quinq;.

Quomodo Eucharistia fit medicamentum & holocaustum.

Christus, inquit Cyprianus, usq; hodiè hoc ueracissimũ & sanctissimũ corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit. Dum hæc expendo nonnihil desidero prudentiã Inconstantij, quam eius parasiti prædicare solent esse admirabilem. Non enim oportuit ea citare testimonia, quibus facilè uidere potuisset, causam suam iugulari. Deinde non uidet, aut uidere noluit, quibus tropis ista necessario exponẽda sint, ut aliquo modo possint uel ab ipso recipi. Certè corpus Chri

sti simpliciter,& absolutè creari,sanctificari,benedici nō potest. Cū ergo Cyprianus hic dicat, Christum creare, sanctificare, & benedicere corpus suum,uel Papistarū ipsorum in hac re iudicium non recuso. Nam ne illi quidem unquam ausi sunt Transubstantiationem suam creationem appellare. Corpus enim Christi prius extitit,quàm ista cōsecratio inuenta esset. Ad hæc,quis sanus dicat, Corpus Christi quotidie benedici,aut sanctificari? Illud enim nec benedictione, nec sanctificatione opus habet. Inconstantius ergo,cum nomine,atq; authoritate Cypriani uellet Veritatē opprimere,imprudens se ipsum induit in laqueū;& ea cōtra nos profert, quę ne ipse quidem possit ferre. Hic uelit, nolit, cogitur accedere ad nostros tropos: quos alioqui fugere,& horrere solet,ut hæreticos. Cyprianum ita tueri possumus: quia,quod est symbolorū,id usitato sermone rebus significatis adscribit. Idcircò,quia panis benedicitur,sanctificat,& fit Sacramentum, ideò corpus Christi,cuius panis est Sacramentū, sanctificari, benedici,& creari dicitur. Eadem loquēdi ratione Chrysostomus interdū dicit,corpus Christi palpari, tangi,uideri. Ita enim proprietates Sacramentorū ascribit rebus ipsis, quæ in illis repræsentant. Id aūt,quod ex his Incōstantius uult cōficere,minimè sequit: nimirū ea,quæ hic Cyprianus dicit,sub cōmuni definitione Sacramēti non comprehendi: qua dicimus,ea quæ consecrātur, ab usu profano traduci ad usum spiritualem & diuinū. Complexus est ea definitione Cyprianus benedictionem, sanctificationem, creationem: quæ nisi de pane,qui efficitur Sacramentum,intelligi non possunt. Nam ista tribuere corpori Christi magna est blasphemia.

Quomodo corpus Christi dici possit creari, sanctificari,et benedici. Chrysostomus.

» » Deinde testis adducit Basilius: qui in sua Liturgia ita precet, Vt sanctum,& » » impollutū corpus Christi et sanguinē pretiosum cōsecret. Has preces Basilij,qui simpliciter,ut sunt,intelligit,necesse est,ut ille se in magna absurda cōiiciat. Nam corpus Christi satis per se,superq; sacrū,et sanctum est: ut illi noua cōsecratione non sit opus. Quanti aūt ponderis illæ sint Liturgiæ,nūc non repetā: nam in ipso ingressu huius libri ea de re, quid mihi uideret, satis dixi. Admonet præterea » » Incōstātius,uerbis istis, ut existimat,Basilij mentionē fieri de gratia sacerdotij: » » quo uisibilis ministerij gradū intelligamus,cui hæc mādata sit cōsecratio. Quor sum aūt ista dicat,non intelligo. Mihi sanè uidetur,aërem uerberare. Nunquam enim nostrū quisquam Consecrationem,hoc est,mutationem illam spiritualem, aut ministerij dignitatem labefactauit. Ad hæc inducit Basilium suū,sed,ut fa » » cile est creditu,suppositiciū,qui in Liturgia sua oret Christū, quem ait huius mi » » nistratorij,& incruenti sacrificij consecrationē nobis tradidisse,ut deus omnium » » &c. quibus uerbis ait apertè doceri,Christum non mandasse omnibus, ut id face » » rent,sed illis tantùm, quibus dederit gratiā sacerdotij. Videat ipse in quos ista iactet. Ecclesiæ nostræ proprios ministros habent, neq; confusè, aut perturbatè quicquā agūt: nisi fortè hoc dicat, neminem se agnoscere pro ministro Ecclesiæ, qui rasus nō sit,& oleo delibutus. Id si sentit, cur Christum & Apostolos, ex altho ministrorū non expungit? Illi enim non tantùm uncti & rasi non fuerunt, sed negry quidem unquā de tantis mysterijs mandauerunt. Sed ut redeam ad Basilium, ille se fatetur consecrare incruentū sacrificiū. Hic mihi respondeat Incōstantius, utrū sacrificiū illud incruentum putet panem esse, aut accidentia. Negabit,scio. Grex enim uniuersus Papistarū incruentum sacrificiū appellat corpus Christi,quod aiunt latere sub accidentibus. Disputationis causa fateamur sanctū esse. Sed quomodò tādem euincet Incōstantius,corpus ipsum domini,quod incruentū appellāt sacrificiū,quodq; necesse est fateant,sanctissimū, sacratissimūq; esse, denuò à sacrificulo cōsecrari? Profectò, qd consecrat,id necesse est anteà sanctum fuisse profanū. Id aūt quēadmodū Christi corpori cōueniat, ipsi uiderint. Quare, nisi intelligāt de symbolis, nūquā ea poterūt omni sua sophistica dilucidè interpretari.

Si opus est unctione ad sacrū ministerium,tū neque Christus neque Apostoli fuerūt ministri.

Corpus Christi non potest denuo à sacrificulo consecrari.

Huc

Huc addit Hesychium ita scribentem lib. 2. cap. 8. in Leuiticum: Aaron & filij eius illud rectè comedunt. Nisi enim Christus rogatus ore sacerdotis ipse uenerit, & Cœnam sanctificauerit, & initiauerit, ea, quæ aguntur, nullatenus erunt, sacrificium domini. Hic mihi prius quiddam dicendum est de uniuersa ratione, Inconstantij, quàm ad singulos istos Patres excutiendos ingredior. His longis ambagibus hæc duo iacit fundamenta. Primùm, Consecrationem, qua de nunc agitur, non fuisse tantùm sacerdotibus, quorum est gradus inter homines honestissimus, committendam, neq; eam à Christo fuisse expectandam, quem Patres aiunt unà cum sacerdote consecrare, ut sine cuius ui, & præsentia nihil agi possit, nisi aliud quiddam ibi spectetur, quàm ut panis & uinum ab usu profano, ad diuinum, & spiritualem usum transferatur. Putat ergo hinc satis confectum esse, ista consecratione elementa terrena transubstantiari. Nam alioqui necesse non fuisse, ut ad eam conficiendam Christus cum sacerdotibus conueniret. Quàm autem ista ruinosa sit argumentatio, facilè ostendam exemplo Baptismi. Patres Orthodoxi solent dicere, eos qui in Baptismo tinguntur, consecrari deo: & ita consecrari, ut prorsus immutentur, et ex terrenis fiant cœlestes: & ex hominibus animalibus membra Christi: & ex filijs hominum filij dei. Et ijdem Patres ad istam Consecrationem, aut immutationem aiunt, non tantùm requiri uerba, ut interdum loquũtur, sacerdotis, quæ descripta habemus in sacris literis, sed ipsum etiam Christum. Idq; ostendunt ex Euangelio. Iohannes enim ait, se quidem baptizare aqua: Christum autem esse, qui tingat spiritu sancto, & igne. Hoc Inconstantius in omnibus sacris literis nunquam inueniet dictum de Eucharistia. In illis enim Consecratio ista, & immutatio panis non attingitur. Nec minus Christum uenire ad eam consecrationem ac mutationem perficiẽdam. Quare, si hæc duo, quæ iste tot modis amplificat, nimirùm actio Christi, & sacerdotis ministerium requirantur in Baptismo, idq; non tantùm Patrum testimonio, sed etiam ipsarum scripturarũ, quæ homines ibi ita testantur immutari, ut prorsus regenerentur, ita tamen, ut nulla uel aquæ ipsius, uel hominum interueniat Trãsubstantiatio, quid obsecro, his tot uerbis confecit de Eucharistia? Dicétne, sacerdotes non esse, qui baptizent? Atqui hoc illis à Christo mandatum est. An Christum negabit baptizare? At Iohannes ait, eum baptizare in spiritu sancto, & igne. An eos, qui baptizantur, negabit immutari? At scripturę clamant, esse hoc sacramentum Regenerationis. Quòd si hæc omnia sine ulla transubstantiatione possunt consistere in Baptismo, cur eadem non possunt in Eucharistia? Sciat ergo Inconstantius, probationem istam suam ostentationi non respondere, & prudenti Lectori non satisfacere.

Hesychius.

Nunc tutò accedere possumus ad testimonia Patrum, postquam quo ea consilio citata sint, ostendimus. Et certè multis uerbis non erit opus. Duo enim illa, quæ Patres probant, facilè recipio: nimirùm, sacramentum Eucharistiæ confici opera ministri Ecclesiæ, & potentia Christi: deinde, illa elementa mutari in corpus Christi. Panis enim ita cõsecratus, ut dominus instituit, fit suo modo Christi corpus, ut sæpè docuimus. Sed hoc mihi in Hesychio attendat Inconstãtius, quod ait, Sacrificium nullo modo in Cœna fieri, nisi Christus ore sacerdotis rogatus ueniat, Cœnamq; initiet, & sanctificet. Hæc nos nihil turbant: sed Papistarum ritus apertissimè condemnant. Illi enim omnia ea, quæ ad Consecrationem pertinent, premunt altissimo silentio, & magna religione cauent, ne ab astantibus audiantur. Hic si ille sacrificulus nebulo, ut sæpè fit, & sceleratus fuerit, quasitet, preces autem illas intermittat, quibus roget Christum, ut accedat, aut uerba illa, quæ uos Consecrationis appellatis, intermittat, quomodò, quæso, res ha-

bebit? aut quale uos ſacramentum adorabitis? Iſta ergo, quæ tu ita diligenter col legiſti è Patribus, magis ueſtra inſtituta conuellũt, & damnant, quàm noſtram il lam definitionem in argumento poſitam confutent.

Ambroſius. Deinde exultat mirabiliter ſophiſta noſter de loco illo Ambroſij, De ijs qui
» » initiantur myſterijs, cap. 9. Scribitur enim ibi ad hunc modum: Quòd ſi tantùm
» » ibi ualuit benedictio humana, ut naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa con
» » ſecratione diuina: ubi uerba domini ſeruatoris operantur? Primùm, Verba iſta Ambroſij non eſſe ad unguem exigenda, uel id oſtendit, quòd humanam bene-dictionem per quandam antitheſin opponit Conſecrationi diuinæ: quaſi mira-cula illa, quę edita fuerint benedictione, aut precibus prophetarum, humana uir tute facta fuerint. Atqui haud dubiè, cum Moſes, Elias, Elizæus ea efficerent, quæ uim naturæ ſuperarent, etſi illi uerba, & miniſterium ſuum ſuppeditarent, tamen aderat deus, & ſua ui, non ope aliqua humana, admiranda illa ſigna exci-tabat. Quam ergo ob cauſam Ambroſius illam humanam benedictionem, iſtam autem diuinam appellet, ipſe uiderit. Ego enim eandem planè benedictionem utrinq; uideo. Quod autem ad ſententiam pertinet, nos quoq; dicimus, ad effi ciendum ſacramentum requiri uim diuinam. Et quamuis nullum aſpectabilem mi raculum affingamus, quod ne uos quidem poteſtis oſtendere, eius tamen condi tionem maiorem, atq; ampliorem eſſe, quàm quæuis ſit naturæ potentia confite mur. Et idcircò, ut idem Pater ſcribit in eodem libro, cap. 9. Non aliam hic re-
» » quirimus dei uim, & facultatem, quàm, quæ effecit, ut præter ordinem Virgo ge-
» » neraret. Eundem enim illum ſpiritum, qui obumbrauit Mariam, ut conciperet,
» » non dubito adeſſe pani, & uino, ut efficiantur ſacramenta corporis & ſanguinis
» » domini. Neq; aliud ſibi uoluit Chryſoſtomus, cum in hom. 83. diceret, Non ſunt
» » humanæ uirtutis hæc opera, quæ tunc in illa Cœna confecit. Ipſe nunc quoque
» » operatur: ipſe perficit. Miniſtrorum nos ordinem tenemus. Qui uerò hæc ſan-
» » ctificat, & tranſmutat, ipſe eſt. Hæc appoſitiſsimè ſcribuntur: quòd ſolius dei ſit efficere ſacramenta. Sed cur ea uerba tacentur, quæ idem Chryſoſtomus in eã-
» » dem homelia paulò antè ſcripſerat? Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt Corpus
» » meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id per-
» » ſpiciamus. Nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto: ſed rebus ſenſibilibus
» » omnia, quæ tradidit, inſenſibilia ſunt. Sic & in Baptiſmo per aquam, quæ reſpo-
» » ſenſibilis eſt, donum illud conceditur. Quod autem in ea conficitur, regenera-
» » tio ſcilicet, & renouatio, intelligibile quiddam eſt. Hic uidemus Euchariſtiam conferri cum Baptiſmo: quæ comparatio ſatis erudire potuiſſet Inconſtantium, niſi ille ad ueritatem prorſus obduruiſſet, Tranſubſtantiationem iſtam ſuam nõ magis in Euchariſtia neceſſariam eſſe, quàm in Baptiſmo.

» » Quod autem Chryſoſtomus idem ſcribit, De proditione Iudæ, Hoc eſt cor-
» » pus meum: Hoc uerbo propoſita conſecrantur, id adduxit Inconſtãtium, ut con-
» » cluderet, Hæc eſſe uerba Conſecrationis. Verùm, ſi quis ita reſiſteret, ut dicere-
ſe neſcire, an ſola iſta uerba faciant ad conſecrationem, & ad eam ſententiam con firmandam diuinam ſcripturam exigeret, quid hic poſſet iſte reſpondere? Cre do equidem, cum poſtularentur uerba dei, opponeret Chryſoſtumum. At illi nos uiciſſim ea poſſemus ingerere, quę paulò antè notauimus ex Cypriano. Sed de Chryſoſtomo quoq; licet reſpondere, eum non dicere, Sola ea uerba, id eo poſſe intelligi alia permulta ſimul coniuncta efficere conſecrationem: etſi fatea tur, hæc eſſe præcipua. Si quis iſta obijciat, neſcio ad quem tandem idoneum au thorem Inconſtantius poſsit ſe conuertere. Hæc non idcircò ſcribo, quòd hu iuſmodi ſententia noſtram cauſam magnopere lædat. Nos enim i noſtris Eccle ſijs ſine illis uerbis Cœnam domini non celebramus; ſed ut doceam, quàm rem rationi

Miracula prophetarum, non ſunt humana benedictione facta.

rarium sit, de talibus rebus, quod Inconstantius, & alij similes faciunt, statuere noua dogmata.

Ad Hieronymi dicta ex eius epistola ad Heliodorum, non uideo, quid me oporteat respondere. Nam illis nihil aliud, quàm extollit dignitas sacri ministerij. Qua in re animus mihi non est, ea quæ à patribus magnificè dicta sunt, ulla ex parte imminuere. *Hieronymus.*

Neq; contra nos quicquam facit locus ille ex lib. 2. Fulgentij ad Monimum. Etsi enim dicat, Filiũ dei sanctificasse corpus suum, quod obtulit in cruce, ut nos redimeret, non tamen puto eum per sanctificationem intellexisse Transubstantiationem. Nam si ita sentiret, possemus rectè interrogare, quam in rem aliã Christus corpus suum transubstantiarit. Equidem credo, corpus Christi ita fuisse sanctificatum, ut destinatum fuerit ad usum sacrificij. Nam alioqui, quod ad corpus ipsum attinet, propter unionem eam, quam habuit cum diuinitate, etiam antequam moreretur, satis erat sanctificatum. Atque hoc modo profiteor, cœnã nostram & à patre, et à filio, & à sancto spiritu sanctificari, ut ex communi pane fiat Sacramentum uiuificæ carnis domini. Sed cur ista tam multis agimus? Certè Papistæ Baptismi etiam aquam consecrant, idq; tot exorcismis, tãto strepitu, tanto apparatu, salis, olei, aliarumq; ineptiarum, ut bis in annum satis longum tempus in huiusmodi spectaculis occupet. Et quis nescit ueteris quoq; Testamenti sacramenta fuisse consecrata? nec tamen in ullo istorum unquam intercessit transubstãtiatio. Quare Incõstãtius tot amplificationes, et ambages frustra perdidit. *Fulgentius.* *Quomodo corpus Christi dicatur fuisse sanctificatum.*

Cassiodori uerò sententia, quam adducit, Transubstantiationem appositissimè confutat. Nam eius uerba sic habent: Cui enim potest ueraciter, & euidenter aptari, nisi domino Seruatori, qui corpus & sanguinem suũ in panis & uini erogatione salutariter consecrauit? Nemini arbitror obscurum esse, dominũ in cœna discipulis suis perfectum Sacramentum distribuisse. Cassiodorus autem scribit, eum erogasse panem & uinũ. Quòd si nos captare uoluissemus testimonium ex isto patre ad refutandam Transubstantiationem uestrã, uix potuissemus aliud ex omnibus eius scriptis aptius inuenire. *Cassiodorus.*

Augustinum autem uideat Inconstantius, quo iure, quasi obtorto collo, huc attraxerit. Nam ille contra nos testimonium non dicit. Nam in libro sententiarum Prosperi de symbolis Sacramẽti ita loquitur: Fatemur, ante cõsecrationem panem esse, & uinum, quod natura formauit: post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit: ex istis quoque uerbis, si rigidè accipiantur, habemus carnem & sanguinem domini consecrari: cũ ea etiam antequam ueniatur ad cœnam, non dubitemus fuisse sacratissima. Panis ergo & uinum consecrantur, cum corporis & sanguinis domini efficiuntur Sacramenta. Neq; hæc uerba Augustini definitionẽ consecrationis in argumento positam euertunt. Aliquid autem coloris haberent commenta ista Inconstantij, si nos per consecrationem diceremus nullum genus mutationis accedere. Cum uerò dicamus, symbola ita mutari, ut fiant Sacramenta, quicquid iste garriat, aduersus nos nihil promouet. *Augustinus.*

Postremò captat alia quædam uerba eiusdem Patris ex lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 26. quibus Augustinus testatur, panem quoq; capacem esse sanctificationis. Id si nos negare uellemus, pugnaremus cum sacris literis. Illæ enim panes propositionis, & alias quasdam oblationes, & uictimas, non tantùm sancta uocant, sed etiam sancta sanctorũ. Non ergo omnem sanctitatem auferimus à pane Eucharistico, sed eam tantùm, quæ aut Christo, aut Angelis, aut sanctis hominibus conueniat. Ea enim attribui non potest pani, quod ille sit creatura, ut Epiphanius ait, undique insensibilis. Iam uerò ea, quæ ad extre- *Augustinus.* *Non omnis sanctitas à pane Eucharistico aufertur.* *Epiphanius.*

mum capitis adiecta sunt ab Inconstantio, non argumenta sunt, sed impudentissimi rabulæ conuitia, indignissima, quibus aliquid debeat responderi. Scripsit ea fortasse, non tantùm corporis uentriculo ieiuno, sed etiam animo ab omni pietate, & modestia uacuo. Doctrinę enim in nos nihil, fellis autem aterrimi uniuersum plaustrum effudit.

OBIECTVM LXXXIIII.

PAPISTAE nesciũt, quibus uerbis Consecratio illa sua fiat. Nam Scotus, & Innocentius tertius dicunt, Consecrationem esse in uerbo, Benedixit. Alij dicunt, eam positam esse in ijs uerbis, Iube hæc perferri: alij in ijs, Hoc est corpus meum. Hæc uarietas indicat ignorantiam. Quod autem incertum est, haberi non potest pro doctrina constanti. Et si incerti sunt de Consecratione, certè de præsentia non possunt esse certi. Quare præsentia illa realis corporis domini in Eucharistia, haberi non potest pro doctrina Christi.

GARDINERVS.

QVAE *est ista tandem ingeniorum peruersitas omnia rapere ad calumniam? & quod ueritatis argumentum sit candidis, illud ad infirmandam ueritatem citare?*

MARTYR.

ANtequam de Inconstantij responsione dico, uisum mihi est aliquid de hoc argumento præfari. Ego quidem illud, quomodo nunc proponitur, nusquam me legisse, aut audisse memini. Quare suspicio est, istam illud, ea qua solet, fide proposuisse. Non inficior, interdum à nostris esse dictum, Sophistas ipsos ignorare, quibus uerbis Consecratio illa, quam toties iactant, perficiatur: eorúmque morem esse, ea constanter affirmare, quæ nesciant. Quare mirum non esse, si realem præsentiam, & Transubstantiationem suam tam uehementer propugnent, cum utrunque, si uerum fateri uelint, prorsus nesciant. Hæc paucis monere uolui, ne Lector putet, nos argumenta ita malè nata peperisse. Ea enim de industria Inconstantius peruertit, ut illorum uis, & fides infringeretur.

„ Quod autem ad rem attinet, ait suos, etsi inter se non usquequaque consen„tiant, de uerbis Consecrationis, de re tamen ipsa, hoc est, de Consecratione & rea„li præsentia corporis Christi, nunquam dubitasse, & candorem illorum potius „nobis argumento esse debuisse, doctrinam istam puram, & simplicem non „fuisse humano astu, aut fraude confictam, cum authores eius tam liberi, „quod uidetur, profiteantur: cúmque omnes de summa, ut inquit, summè „inter se conueniant, istam uarietatem, præsertim ita paruam, non debere esse „tanti, ut ex ea possimus euincere, illos hoc mysterium ignorasse. Vt ad singula respondeamus, primùm Inconstantius hoc sibi sumit, tanquam certum, & constans, suos omnes de re ipsa consentire. Atqui nos illi hoc non damus. Fuerunt enim ex scholasticis, qui senserint, & scripserint, non esse firmam rationem, aut certum uerbum dei, quod Transubstantiationem necessario pro-

bet;

bet: nisi illa sententia ab Ecclesia, quam illi intelligunt Romanam, fuisset decreta, & stabilita. At alij omnino contendunt, eam apertissimè constare è sacris literis. Deinde alij ex illis extrudunt naturam panis: relinquunt autem sola accidentia. Non defuit tamen, qui etiam post ipsam Consecrationem Paneitatem, ut ipse loquitur, statuerit retineri. Huc adde, illa carnis Christi præsentia, uel qualis, uel quomodò sit, non omnes expediunt eodem modo. Necq; uerè dici potest, illos inter se de summa rei consentire, sed potius ad sellam Romanam fulciendam, & ad pontificiam tyrannidem confirmandam, omnes inter se iniquissimè conspirare. Certè si Græcos consulamus, illi semper à Transubstantiatione abhorruerunt: nec in Florentino Conciliabulo sub Eugenio 4. illi dogmati uoluerunt subscribere. Patrum etiam scripta, si pressius inspiciantur, ab isto errore, quem uos defenditis, longissimè absunt. Imò Tonstallus etiam uester non minus uanus, quàm recens author, tamen perspicua ueritate coactus, fatetur, ante Innocentium 3. licuisse hominibus Christianis fidem transubstantiationi non habere: quòd illa nondum fuisset ab Ecclesia constituta. Atq; ita suauis Episcopus arbitratur, fidem Christianam non à sacris literis pendere, sed ab Ecclesia. Quare cum scriptores uestri, & Ecclesiæ, quibus unicè fiditis, tantoperè inter se dissentiant, ubi illa est, quam toties crepare soletis, consensio?

Græci non admiserunt transubstantiationem.

Tonstallus.

Necq; ego facilè dederim, dissidium istud de consecratione ita leue esse, ut id uideri uult Inconstantius: non quidem, quod ita existimet, sed quòd uideat, se non posse aliter causæ susceptæ inseruire. Dicat enim mihi, cum de illis uerbis nihil adhuc sit certi, & explorati, si sacrificulus, dum missam facit, alia fortè quædã secum recitet, illa autem omittat, in quibus situm sit caput Consecrationis, quid fiet? Certè, si uerum fateri uultis, non consecrat: non magis, quàm si is, qui baptizat aliquem, cætera quidem dicat omnia, quæ ad illum ritum adiecta sunt, ea autem, in quibus uniuersum sacramenti pondus esse creditur, omittat. Vides igitur Inconstanti, quanti sit, de illis uerbis uestris ambigere: quod tamen de uestris Theologis negare non potestis. Hæc uobis non euenirent, si res ad pietatẽ pertinentes, non ex hominum commentis, sed ex uerbo dei petendas esse statueretis. Nihil igitur causæ est, cur consensum uestrum tantoperè efferatis. Veritas enim dei nulla hominum coniuratione mutari potest. Quare consentiatis pro uestro arbitratu, quantũ uoletis: pugnantia tamen cum uerbo dei, quales sunt uestræ istæ Trãsubstantiationes, & reales præsentiæ, nunquã ullo cõsensu euincetis.

Ad extremum, ne uideretur de tanta re titubare, quòd ad uerba consecrationis attinet, illud ait se obtinuisse, Cõsecrationem fieri illis uerbis, Hoc est corpus meum. Ego autem pro eo, quanti hoc sacramentum facio, quæro ex illo, quorum suffragio hoc obtinuerit. Hoc certè negare non potest, fuisse quosdam ex Patribus, eosq; non contemnendos, qui Consecrationem, non istis uerbis, sed precibus adscripserint. Mitto Hieronymum, qui requirit etiam sanctitatem consecrantis. Nam in cap. 3. Zophoniæ ita scribit: Sacerdotes quoq;, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem domini populis eius diuidunt, impiè agũt in legem Christi, putantes, Eucharistiam imprecantis facere uerba, non uitam: & necessariam esse tantùm solennem orationem, & non sacerdotum merita: de quibus dicitur, Et sacerdos, in quo fuerit, &c. Vt uerus sit consensus, oportet uel nullos, uel paucissimos, uel saltem primores Ecclesiæ proceres, & Doctores non dissentire. At nis, longè aliter, quàm isti solent, pronũtiasse. Ait enim, nõ, Hoc est corpus meũ: sed, Hæc est caro mea. Hæc ego, quoniam leuia sunt, non commemorassem hoc loco, nisi timuissem, ne magnificæ istæ iactationes Inconstantij indoctioribus fucum facerent.

Hieronymus.

OBIEC. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII.

si Papistica ista doctrina uera esset, deus Ecclesiã suam idololatriæ periculo obiecisset. Multa enim possunt euenire, quæ sacerdotis consecrationem impediant. Quod si fieret, populus pro corpore Christi adoraret idolũ. Vt si sacerdos non sit ritè consecratus, aut hæreticus, aut excommunicatus, aut simoniacus: aut, si uerba non fuerint perfectè pronuntiata, quod sciri non potest, cum illa tacitè, & in silentio mussitentur: aut si minister non intendat Consecrationem; aut si materia non sit talis, qualis præscribitur. Istis omnibus rationibus impeditur Cõsecratio. Deus autem omnibus modis reuocat Ecclesiam suam ab idololatria. Igitur hæc istorum doctrina non est uera. Ad hęc sacrificus malus, & impostor posset ea uerba reticere, aut immutare, aut peruertere. Et, quoniam uolunt, intentionem quoq; ministri necessariã esse ad consecrãdum, potest fieri, ut missificator prorsus aliena sit intentione, & de eo, quod agatur, nihil cogitet, aut fortasse re ipsa nolit consecrare. Quare statuendum non est, ui uerborum Corpus Christi realiter, & substantialiter adesse in Eucharistia, ne populus cõgatur idolum adorare pro Christo.

GARDINERVS.

QVOD *docuit nos Christus, de corde exire mala, significat, opinor, mala ex nobis oriri, non aliunde inferri: adeò error, qui extrinsecus obtingat, nec uitari per humanam imbecillitatem posset, capitalis non est, sed facilè à deo consequitur misericordiam.*

MARTYR.

IDcircò uisum est mihi tria ista argumenta coniungere, quòd eandem propemodum quæstionem contineant, & semper à nostris coniungi soleãt. Ea uerò nunc Inconstantius de industria distrahere, & lacerare uoluit, ut ita disiuncta mi
„ nus haberent roboris. Primùm respondet, errorem, qui extrinsecus obueniat,
„ nec per humanam infirmitatem uitari possit, capitalem non esse, sed à deo faci-
„ lem consequi misericordiam. Fingamus sanè id, quod Inconstantius dicit, ignaram, & rudem plebeculam non esse ita grauiter culpandam. Quid tamen dicemus de sacrificis, qui istas suas mussitationes impudentissimè potius tueri uolunt, quàm tanto periculo subuenire? Qua tandem illi excusatione, aut deprecatione uti possunt? Nam in illorum manu situm est, ut omnia ea, quæ dicuntur in sacra Cœna, aperta, & clara uoce recitentur, eaq; lingua, quam omnes possint intelligere. Illi uerò maluerunt Ecclesiam in grauissima pericula, & turpissimos errores obijcere, quàm uel unguem transuersum à sua pertinacia discedere. Sit populo, ut dicis, facilis erati uenia. Vobis tamen quomodò ignosci potest, qui iam decies millies admoniti, nunquam tamen uerbo dei cedere, & manus dare uo-

luistis?

luistis? Friuolum autem est, quod addit, adorationem ferri in Archetypum, et ita præstari, ut cõditio addatur, si omnia ritè, atq; ordine acta fuerint. Quod respondet de archetypo, non incommodè inseruire potest nostræ causæ. Nos enim in sacramentis corpus Christi in cœlo residens ueneramur. Vobis autem, cum realem istam, & crassam præsentiam omninò necessariam esse statuatis, quid potest ista ratio archetypi esse usui? Neque ita subtilis est popellus uester, ut cum Missis intersit, crustula uestra cum istis conditionibus adorare possit. Illi enim liberius & crassius uolunt agere, & perpetuò iactare, se deum suum uidisse in uestris laganis.

Post hæc Inconstantius magnum se facit patronum dei. Quærit enim an deo adscribenda sit idololatria Hebræorum, cum illi Serpentem æneum adorarent, quòd illum non nisi eius iussu fecerint. Non, inquit, deus populum suum expo= fuit idololatriæ: sed illi in eam sua sponte prolapsi sunt. Atqui homo argutus, dum ista nobis obijcit, uel non uidet, uel astutè fingit se non uidere, quãtum institutum istud Papistarum distet à consilio dei. Ille enim iussit, ut uulnerati à serpentibus respicerent ad serpentem æneum: ut autem illum adorarent, nunquam imperauit. Isti uerò in Missis suis idcircò panem attollunt, ut & spectetur à populo, & adoretur: & flammis crudelissimè persequuntur omnes, quicunque negare uelint, huiusmodi panaceum Christum esse adorandum. Quare, si uultis ali quo saltem colore unà cũ populo excusari, uel adorationem istam panis, quam uos populo nefariè obtrusistis, auferte: uel curate, ut omnia in templis à ministris uestris, maximè uerò ea, quæ ad Consecrationem pertinẽt, clara uoce, & lingua, quæ à populo intelligi possit, pronuntientur: uel denique, quod caput erit iustę emendationis, omnia ista uestra de Transubstantiatione, & reali præsentia, quibus nimium iam diu oculos hominũ excæcastis, repudiate. Néue strophas deesse putemus nostro Proteo, ait, Si deo extimescẽda fuissent huiusmodi pericula, nũquã illi fuisse committendum, ut filius eius humanã carnem indueret: ne alij se Christos facerent, & ita à populo adorarentur: cum essent alioqui utilissimæ creaturæ. Verùm hoc Inconstãti, aliquid fortasse ad rem faceret, si deus, quemadmodum author fuit incarnationis suæ, ita ea quoq; instituisset, quæ uos de Eucharistia commenti estis. Sed cum uos ea soli, iniussu dei, inueneritis, uidete, quemadmodum positis, non dico à culpa, sed à scelere liberari. Nemo debet tantũ sibi permittere, ut uelit inquirere in deũ. Nam deus, ut scripturæ testant, tentauit populum suũ. Et rectè. Quid enim illi non liceat? An ergo nobis quoq; fas erit proximum nostrũ tentare cũ periculo? Deus imperauit Abrahamo, ut filium suũ unicum sacrificaret. An ergo licebit cuiquam nostrũ eodem modo imperare alicui, ut cultus dei causa mactare uelit liberos suos? Apage ergo cum istis tuis exemplis, magis astutè, quàm fœliciter excogitatis. Huc adde, Filium dei semel tum susceptum fuisse carnem humanam, & ad illud opus admirabile & singulare, locum, tempus, stirpem fuisse diligentissimè à prophetis præstituta: deinde signa, genus doctrinæ, rationem uitæ, formam mortis ita clarè ac perspicuè fuisse præscripta, ut nemo nisi prudens, & sciens errare potuerit. Occasio igitur illa, quam tu ais deum ibi præbuisse, si qua tamen illa fuit, cum ista uestra nullo modo est conferenda. Neq; prætereundum est, fieri iure non posse, ut plures sint Christi, qui pro uno adorentur: etsi uos omninò uelitis eos, quod quidem ad corpus attinet, quotidiè multiplicare: idq; summa cum uestra, tum aliorum etiã pernicie. Addit Inconstantius, plebem, quæ loco est filiorum, parentis, hoc est, ministri sui, iniquitatem non portaturam. Verùm quidem id est, si filius ipse culpa uacauerit. At in eo, quo de nunc agimus, plebs non potest excusari: cum patiatur uos indignissimis modis cõtra apertissima præscripta diuinarũ legum pol

Nemo tantũ sibi debet permittere quãtũ deo.

luere, & temerare sacra. Non ergo nunc pro uestro, sed pro suo grauissimo peccato pœnas luet. Vos tamen, qui tam horribilium lapsuum causam dedistis, multò grauius puniemini. Ita autem Inconstantium nihil pudet, ut factum suorum sacrificulorũ cum dei operibus æquari uelit. Ea uerò prorsus satanica est superbia, quicquid deo liceat pro arbitratu suo facere, id hominem arbitrari, se quoq; facturum impunè.

,, Ad extremum exclamat, Ecclesiam à ministris suis congrua exigere: quæ si
,, illi contemnant, aut peruertant, non propterea ministerium cõtemnendum, aut
,, Christi mysteria neganda esse. Verè quidem ista dicuntur: sed extra locum. Et, ut paucis rem uniuersam ponam sub oculis, huius argumenti authores duo potissimùm spectauerunt. Alterum est, Adorationem Eucharistiæ, quam cum opinione ista de Transubstantiatione, & reali præsentia necesse est esse coniũctam, & prauam, & periculosam esse. Omninò enim creatura est, quam isti ibi uolunt adorari. Et confido, Lectori satis iam liquere, quàm hoc sit cum præsenti causa coniunctum. Alterum, illam mussitationem uerborum, quam Papistæ iniquissimè inuexerunt, & pertinacissimè retinent, fenestram maximo & grauissimo periculo aperuisse. Quam uerò idonea illa sint, quæ Inconstantius ad ista dissoluenda attulit, me tacente, res ipsa loquitur. Postremò fabulatur, in proposita ratione doctrinam Ecclesiæ non synceriter proponi: nec rectè exprimi, ea, quæ Ecclesia in ministris exigit. Id ego, ut, quod quidem ad aliquam partem attinet non dissimulo, ita id omne Inconstantij malitia, & deprauatione factum dico. Ille enim solidis rationibus semper aut admiscet, aut detrahit aliquid, uel ut ita deformatæ facilius contemnantur à Lectoribus: uel, ut ipse in eis facilius inuenire possit aliquid, quod exagitet.

,, AD 86. Obiectum ita respondet. Hoc genus argumenti generis est deli-
,, beratiui. Præter cæteras doctrinas, quibus Inconstantius sese excellere arbitratur, uenatur etiam laudem boni Rhetoris. Nam rationem istam ait, ad genus deliberatiuum pertinere. Quoniam autem non Rhetor est, sed Sophista, ideò argumentum istud, quo eius coniuratissimi sodales Papistæ, ad multa pernicioſa, & ad stultissima absurda perducuntur, in deliberatiuam probationem
,, transformare uoluit. Perinde, inquit, est ac, si quis adhortaretur, ut eo nomine
,, à rebus utilibus abstineamus, quòd euenire fortè possit, ut nobis inde grauis
,, periculum creetur. Quando mendacem, & fictam persuasionem à uobis nitimur prohibere, fructum uestrum, aut commodum nullum impedimus: quin potius id unum quærimus, & optamus, ut mens uobis uestra aliquando re-
,, stituatur. Huc addit etiam exempla. Quis, inquit, ferat ita deliberantem?
,, Caue carnes comedas, ne fortè coquus apponat crudas, aut uenenatas; cau-
,, ue bibas uinum importatum, ne fortè aliquid noxij liquoris admixtum sit. Mirum uerò est, hunc hominem ita ineptijs, & peruicacia errare. Nemo nescire potest, edere carnes, & bibere uinum, secum habere coniunctam utilitatem: modò in sumendo modus adhibeatur. Neque id potest uerti uitio, quod non tantùm concessum sit à deo, sed etiam in loco imperatum. Adorare autem Sacramenta, quî potest cuiquam sano aut frugiferum uideri, aut pium? Certè deus id nunquam fecit liberum: imò homines à tanto scelere omnibus modis uoluit coërceri. Ista autem Adoratio propter uestram Transubstantiationem, & realem præsentiam inuecta est in Ecclesiam. Quare non tantum eam, uerùm etiam eius radicem, ac matrem penitus oportuit profligari.

Deliberationi uerò isti à se confictæ, à nostris autem, quòd sciam, nusquam
,, institutæ Inconstantius ita respondet; Corpora quidem nostra pocillatoris, aut coci

coci uitio lædi posse, cibo, potúue infectis ueneno: sed non æquè cuiquam potestatem datam esse à deo, ut animo cuiusquam nocere possit: mala enim de corde cuiusq; exire, unde nata sunt; nõ autem ab alijs aut ui, aut dolo inferri. Inanis ista subtilitas, quamuis populi causam aliquantò leuiorem faciat, uestram tamen nullo modo iuuat. Nemo enim sapiens excusabit Pseudoprophetas, qui homines simplices inducunt in idololatriam: quòd uos non tantùm apertè, sed etiam impudenter facitis. Imò lapidibus potius uos agi, & obrui oportuit, si Lex, quę scripta est in Deuteronomio, obtineret hodiè inter Christianos. Populus uerò absolui posset, nisi uestræ impietati assentiretur, & stultè crederet inuentis hominum, & relicto iusto usu sacramentorum, ad ritus idololatricos concurreret.

Ad hæc Inconstantius, ne nimium uideretur indulgere sibi, ironicè castigare uoluit loquacitatem suam: quòd ita nobiscum egerit, quasi liberum sit Ecclesiæ ista reformare: quæ contendit instituta esse à deo, ideoq; fixa esse oportere, & immutabilia: Christum enim mandare, ne, quæ à deo coniuncta sint, separentur. Si hoc non tantùm diceret, sed etiam probaret, fortasse id alicui persuadere posset. Sed cum Transubstantiatio, & realis ista præsentia, nec uerbo dei, nec ratione constare possit, quo iure dicet, Eucharistiam esse adorandam? Aut quibus unquam uerbis adiunxit dominus adorationem ad sacramenta? Quare qui eam tollet, non à deo coniuncta disiunget, sed à uobis impiè conciliata rectè diuidet. At si, quoniam uideri uultis tanti facere coniunctiones à deo institutas, nihil hic audetis commouere, cur tam faciles, ut ne dicam præcipites, estis ad rescindenda matrimonia ministrorum? Christus enim, ne nescias, de coniugijs illud pronunciauit, Quod deus coniunxit, homo ne separet. Scio, respondebitis, illa matrimonia non fuisse coniuncta à deo: at quàm id uerè respondeatis, deus ipse uobis uestro tempore demonstrabit. Sed cur non eadem ratione patimini, adorationem remoueri à sacramento, cum eam deus cum sacramento non coniunxerit? Nos quidem facilè probare possumus, matrimonia ministrorum legitima esse, idq; authoritate sacrarum literarum, & firmissimis rationibus. Vos autem nunquam ostendetis ex uerbo dei, sacramentum esse adorandum.

Christus adorationem cum sacramento non coniunxit.

Postquam uidit, se iam peruenisse ad metam, ait, multò futurum fuisse consultius, ut studium nostrum conferremus ad preces, & imploraremus bonitatẽ dei, ut ministros probos, & idoneos largiatur Ecclesiæ, quàm ut authores essemus mutandorum consiliorum dei. Nos uerò, Inconstanti, non ita sumus alieni à pietate, quin patrem nostrum cœlestem per Iesum Christum assiduè oremus, ut sanctos, & idoneos ministros ad Ecclesiam suam legare uelit, & insanam, atq; obstinatam malitiam uestram emollire, & frangere: ut sacramenta summa uestra impietate uiolata, tandem aliquando in integrum restituantur, & populo Christiano iuxta consilium dei nobis in sacris literis patefactum dispensentur. Sed unà cum istis precibus officij etiam mei esse putaui, ut uim libefactatam optimorum argumentorum aliqua sophismatum confutatione restituerem.

AD 87. Cum scribat Paulus, inquit Inconstantius, Ministerium tuum implę, ijs uerbis exigit intentionem, ut rei, quam tractat minister, totus incumbat. Primùm grauissimè testatur, à ministro requiri summam attentionem. Et quoniam uerebatur, ne sua sententia non satis ponderis habitura esset ad persuadendum, cõfirmationem petijt ex uerbis Pauli. Rectè sanè, atq; ordine. Totus enim in eo est, ut ea probet, quæ nemo neget. Ab illis autem, quæ confirmatione alia egere uidebantur, callidè se abduxit. Sed uideamus, quid porrò post confirmatam istam ministri attentionem adferat. Ecclesia, inquit, requirit attentionem. Quòd si illam minister nõ adhibeat, aut de illis, quæ agit, nihil cogitet, aut prudens, & sciens auertat animum, hæc, inquit, hominis uitia sunt: quæ ad rem

,, ipſam infirmãdam ineptè adferuntur. Interim dum rationem iſtam conatur di-
luere, uerba multa iactat ad rem nihil pertinentia. Sed ne ea fruſtrà profuſa fue-
rint, & pereant, libet mihi illum interrogare: An ita Eccleſia exigit attentionem,
ut ſine ea Conſecrationem eſſe nolit? An ita potius eam requirit, ut etiam ſi ea
non adhibeatur, tamen ſequatur Conſecratio? Vide tu, quid reſpondeas. Quo-
cunq; enim te uerteris, teneris medius. Si miniſtri uitio panis fruſtratur Con-
ſecratione, uel uobis ipſis teſtibus, panis manet: & cum creatura ſit, tamen adora
tur à populo: nec uos ulla iuſta ratione poteſtis excuſari, qui tanto ſceleri prębue
ritis occaſionem. Eleuate peccatum iſtud, quantum poteſtis: nunquã tamen uos
probabitis eſſe innocentes: qui, cum poſsitis occurrere tanto periculo, tamẽ ma
litis præponere commenta ueſtra & ſaluti populi, & uerbo dei. Quòd ſi dicas,
Attentionem iſtam requiri tantùm ut congruam, & conuenientem, non autem,
ut ſine qua nulla eſſe poſsit conſecratio, hoc etiam percontabor, Si miniſter ſu-
per dolium uini, aut magnum aceruum panum uerba illa pronuntiet, quamuis
in animo non habeat ſacramentum conficere, an ſacramentum nihilominus ſit
confectum? Certè uobis arbitris, etiam remota intentione, tamẽ prolatis illis uer
bis efficitur ſacramentum. Vidésne, Inconſtanti, quàm hæc abſurda ſint, & à
pietate aliena, quæ miſero populo flamma, & ferro credenda proponitis? Quic
quid agis, aut magna contemptio Chriſti & ſacramentorum, aut craſsiſsima ido
lolatria ueſtrum iſtud dogma comitatur. Idololatriam autem ſatis te putas re-
mouiſſe, quòd dicas adorationem dirigi in archetypum. Sed hoc reſponſum
paulò antè refutauimus.

Quare nunc uidendum eſt, quid in ultima parte huius capitis Inconſtantius
,, adferat. Ait nos, cum ſuadeamus, realem præſentiam tollendam eſſe, ne uulgus
,, incurrat in hæc pericula, conſulere more Epimethei. Chriſtus, inquit, Sacramen
,, tum iam inſtituit: fruſtra monemur: confecta res eſt: ad nos non pertinet, ſacra di
,, uinitùs inſtituta reformare. Si iſta uera eſſent, quæ aſſumũtur, cauſa iſta Incon-
ſtantij ſtare poſſet. Sed nos plurimis, & clariſsimis argumentis docuimus, Cor-
poralem præſentiam, non à Chriſto inſtitutam, ſed à uobis nequiſsimè inuentam
eſſe. Non ergo nos Epimethei ſumus: ſed uos noui Phariſæi certè eſtis, qui ue-
ſtris inuentis deum uelitis colere. Profectò nec in Euãgelijs, nec in Epiſtolis, nec
in Actis Apoſtolorum uſquam poteſtis oſtẽdere adorationem Euchariſtiæ. Ve
ſtrum hoc inuẽtum eſt: ex eo nimirùm, quòd ſomnietis, Chriſti corpus realiter,

Apoſtoli ſacra-mentum Eucha-riſtiæ non ado-rarunt.

& ſubſtantialiter adeſſe. Quòd ſi Apoſtoli uobiſcum ſenſiſſent, ipſi quoq; ſuo
tempore haud dubiè Sacramentum adoraſſent. At illi nec ita feciſſe leguntur,
nec, ut fieret, imperaſſe. Quare ne leuiſsima quidem ſuſpicio ulla eſſe poteſt, il-
los aut credidiſſe, aut prædicaſſe, ſubſtantiam carnis Chriſti adeſſe realiter uel in
pane, uel in eius accidentibus. Quemadmodum igitur uos ab iſta commentitia
præſentia concluditis adorationem Sacramenti, ita nos contrà ab adoratione,
quam Apoſtolorum temporibus nuſquam legimus extitiſſe, conficimus ueriſi-
mè, præſentiam illam, quam uos fingitis, nõ fuiſſe uel à Chriſto ipſo, uel ab Apo-
ſtolis inſtitutam.

OBIECTVM LXXXVIII.

QVOD intrat in os, in uẽtrem uadit, & in ſeceſſum mittitur. Sed corpus Chriſti non abit in ſeceſſum: ergo, non intrat in os. Vel ita: Euchariſtia uadit in uentrem, & in ſeceſſum emit titur: quod experiẽtia docet. Homines enim poſſunt ad lon

gum

gum tempus alí ſolo pane & uino Euchariſtiæ. Ergo, Eucha riſtia non eſt realiter & ſubſtantialiter corpus Chriſti.

GARDINERVS.

CHRISTVS *ijs uerbis eſcæ corruptibilis uſum expreßit, & euentum: quippe cui per os ad uentrem iter eſt.*

MARTYR.

AB ore ad uentrem, & inde ad ſeceſſum, Incõſtantius inquit, progreſſum ſo
» lítum quidem eſſe, ſed non neceſſarium. Et Chriſtũ ait his uerbis non præ-
» ſcripſiſſe mandatum, quod non poſſit præteriri: multis etiam exemplis oſtendit
» interdum ſecus accidere. Primùm enim eſſe quoſdam, qui comedant, & non ege
» rant, & ex illo morbo moriãtur: deinde eſſe alios, qui cum cupiant, cibum ab ore
» traíjcere in uentrem, caſu aliquo lætali impediantur, & eum tranſmittant in pul-
» mones; eſſe etiam alios, qui quod ore hauſerint, gargariſmo reíjciant: eſſe item
» alios, qui tantùm ora díluant, deinde expuant. Neue eum, opinor, putaremus,
» parùm uerſatum eſſe in híſtoríjs, Demoſthenem etiam aít emendandæ pronun-
» tiationis cauſa lapíllos in ore dícentem tenuiſſe. Hęc reprehenſio ita prolixa ſi
eò ſpectet, ut ſententia uſurpata à Chriſto arguatur mendacij, ímpia & blaſphe-
ma eſt. At ſi ita contra nos texitur, ut domíni ſententía dextrè intellecta ſit in-
columis, quæſo, ut illam eandem expoſitionem míhi quoque uſui eſſe ſínat: néue
míhi magís ſit fraudí eam ſententiam uſurpaſſe, quàm Chriſto fuit. Animus
enim míhi eſt, nolle aliter ea utí, quàm quomodò Chriſtus ea uſus eſt. Míhi qui
dem non uídetur tam graue peccatum eſſe, uerba ea, quæ Chriſtus loquutus eſt,
uſurpare; præſertim, cum ea in alienum, & peregrínum ſenſum non traducam.
Quíuis autem facilè uídere poteſt, in íllís uerbís eam fuiſſe Chriſti mentem, ut
ſignificaret, ea quæ íntrent in os, & ad alendum hominem ritè fungantur mu-
nere cíborum, primùm deſcendere in uentrem, & deínde abíre in ſeceſſum.
Nam cum phariſæi uítio dediſſent Apoſtolís, quòd manibus íllotis grana ex ſpi
cís excuſſa comediſſent, Chriſtus, ut eos excuſaret, oſtendit, cíbos natura ſua ho
mines nec ſanctos, nec mundos reddere, ſed tantùm homines alere: ut prius co-
quantur in uentre: deínde egerantur per ſeceſſum. Quorſum ígitur, Incon-
ſtanti, ſpectant íſtæ tuæ exceptiones? Certè panis Euchariſtiæ nec in pulmones
traíjcitur, nec gargariſmo reíjcitur, nec ad curandum aut abluendum os recí-
pitur, aut perfunctus eo muneræ expuitur. Hæc ergo obiecta non aliò perti-
nent, quàm ut uulgare íllud prouerbium, quo Chriſtus uſus eſt, ad purgandos
ſuos diſcípulos, ineptum uídeatur eſſe, & infírmum. Pœnitet, credo Incon-
ſtantium, ipſum non interfuiſſe inter íllos Phariſæos aduerſus quos Chriſtus di-
putauit: quod enim illí omnes non potuerunt, íſtæ uno uerbo Chriſtum refutaſ-
ſet, & eius argumentum elumbe, atq; infírmum eſſe docuiſſet. Noua uerò erudí-
tionis iactatio, poſſe Chriſtum ipſum coarguere mendacij.

Chriſtus uſus eſt uulgari prouerbio.

Iure ígitur poſteà cœpit ſe colligere & dícere, Quíd ago? Serò enim ani-
» maduertit, non eſſe íſtud ſanum, aut uſitatum genus reſpondendi. Refert er-
go pedem, & alío occurrere inſtituit argumento. Corruptibilem cibum ait, non
eſſe cum díuíno & cœleſti cíbo cõferendum. Et citat Chryſoſtomum teſtem ex
homelía in Encæníjs: qui uídetur negare, hunc cibum abíre in ſeceſſum. Sed In-
conſtantius non attendit, Chryſoſtomum uti in eo loco ſermone figurato, ſeu hy
perbolico. Ad hunc enim modum ea dícuntur, non eſſe, de quíbus nos nõ opor
teat cogitare. Nam eo loco hæc etiam addit: Vídes panem? Vídes uínum? Ab-

Chryſoſtomus.

Augustinus. Origenes.

sit. Hæc dicit: quòd ea non oporteat nos attendere. Nam alioqui Augustinus ait, panem esse: quod etiam oculi renuntient. Et Origenes apertissimè ait, partes huius cibi, quæ pertinent ad materiam, auferri in secessum. Chrysostomum autem hoc loco usum esse hyperbolis, hæc duo clarissimè fidem faciunt. Primum est, quòd ait, sanguinem in sacro cratere hauriri ex latere domini. An hoc putamus ad uerbum uerum esse? Certè Christus, ut non amplius moritur, ita non amplius fundit sanguinem. Sed addit etiam, Ne uos putetis diuinum corpus sumere ab homine: sed ignem potius accipere forcipe ab ipso Seraphim. An ergo propter ista uerba negabimus, nos accipere Eucharistiam de manu ministri? Sed rectè sibi consuluit Inconstantius, ut sensum Chrysostomi uno tantùm uerbo attingeret: totam autem, atque integram eius orationem non exponeret. Sensit enim, lectorem non insulsum facilè olfacturum, quid ibi à Chrysostomo ageretur.

Sed obijcit nobis, Angelos assumptis corporibus comedisse: Christum etiam cum à morte reuixisset, unà cibum accepisse cum discipulis: impium autem esse, fingere, cibum illum, aut concoctum fuisse, aut egestum. Verùm uno uerbo respondeo, Sermonem hic de Christo post Resurrectionem glorificato non instituisse: neq; de Angelis, qui sibi aliquando asciuerint humana corpora: sed tãtùm de hominibus mortalibus, in quib. quotidiè talia miracula renouare, qualia in Christo aut in Angelis semel atque iterum acciderunt, sine scripturarum testimonio, non est necesse. Sed quali cum ingenio nos hic cogamur conflictare, lector facilè poterit uidere. Nam omissa ista disquisitione, an cibus Eucharistiæ, quòd attinet ad symbola abijciatur in secessum, ad aliud probandum sese conferat, nimirùm in sacra communione corpus Christi ore percipi: idq; se patrum testimonijs confirmaturum profitetur: quos ait nos facilè solere carpere: ob id, opinor, quòd ego aliquando citarim testimonium Origenis: quo ille apertissimè testetur, cibum Eucharistiæ, quòd attinet ad materiam, egeri in secessum. Quid uultis? Hoc quoq; tædium nobis deuorandum est: & census patrum iterum audiendus: quos Inconstantius putat loco omnium scripturarum esse oportere, & uerbi dei. Quodq; mihi molestius etiam est, quædam hic patrum testimonia repetuntur, quæ paulò anteà satis à nobis, superq; excussa sint. De quibus tamen lectorem paucis admonebo: ne uidear uelle, quod iste semper facit, inaniter implere chartas.

De loco ergo illo Irenæi, qui primus obijcitur, & uerbis Apostoli ad Ephesios, Vos estis caro ex carnibus eius, & os ex ossibus eius, nihil est quòd multa respondeam. Vtrunq; enim locum suprà satis explicui. Illud tamen unum diligenter expendendum est, quod Inconstantius adiecit de suo, nimirùm omninò
,, fatendum esse, dari in cœna communicationem substantiæ corporis Christi, ut sit
,, mus caro de carne illius spiritualis corporis Christi, spirituali nutrimento, quod
,, ipsa carnis unione nutrit, nõ ut reliqui cibi. Si ista ita accipiamus, quasi corpus & sanguis Christi corporaliter nobis per illam unionẽ coniungat, & ex illis corpora nostra nutriantur, necesse est, ut dicamus, corpora nostra iam glorificata cibo se, & spiritualia. Nutrimentum enim nunquam est eo, quod nutritur, melius. Apparet ergo, & in patribus, & in sacris literis, cum dicimur alí carne Christi, in illis uerbis esse metaphoram. Quare, cũ illa omnia necessariò intelligenda sint spiritualiter, ut animus, & corpus per usum Eucharistiæ reficiantur ad uitam æternam, non est necesse statuere substantialem præsentiam corporis Christi: quòd illud ore corporis percipi possit à nobis corporaliter. Alimur quidẽ, & reficimur eo, quãuis sedeat in cœlo, si illud pro nobis datũ in crucẽ uera fide cõplectamur.

Alimentũ nõ est melius re quæ alitur.

Tertullianus.

Sed nobis obstare uidetur Tertullianus, qui in libro de Resurrectione carnis ita

ita scribit: Caro corpore et sanguine domini uescitur, ut anima de deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit. Equidem uerba ista Tertulliani agnosco: & probè memini ea ab illo aduersus Marcionem esse scripta. Is autem carnem, ut malam, & à malo deo factam auersabatur. Eum errorem id abundè refutabat, quòd Christus, quem Marcion ipse fatebatur filium fuisse ueri dei, tantam carnis nostræ curam gesserit, ut eam sacramento suæ carnis uesci, & refici uoluerit, ut fructus eius mysterij ab animo ad corpus quoq; redundaret. Seruator autem noster rem malam, talemq; quæ patris sui creatura nõ esset, nunquam fecisset tanti, ut eam uitæ sacramentis ornare uellet. Hac ratione confutatus est Marcion. Ad hæc nemini nouum, aut mirum uideri debet, nomen rei ipsius attributum esse sacramento. Id enim Patres toto illo tempore fecerunt. Significare autem uoluerunt, carnem nostram proinde uesci corpore Christi, quòd nos eius sacramentum externo ore percipiamus. Sed agedum, aliquanto propius ad Inconstantium accedamus. Si corpora nostra aluntur nutrimento, & ut ita dicam, naturali & reali substãtia corporis Christi, cum substantia ciborum remaneat adiuncta ad corpora, quæ alũtur, cum illi in res alitas commutentur, an ita hic quoq; fieri dicemus, ut caro Christi cõuertatur in carnes nostras? Fortasse respondebit, secus fieri, ut caro nostra mutetur in carnem Christi. Esto, ut uelit: ego non laboro: at terutrum saltem fateatur. Nam siue caro domini mutetur in carnem nostram, siue nostra caro in carnem eius, fatendum erit, corpora nostra coniungi in eadem hypostasi cum carne domini. Res enim alita à cibo, quo alitur, non amplius hypostasi, ut anteà, distinguitur. Atque ita corpus Christi per uniuersum orbem terrarum in omnes homines Christianos dissipabitur: neq; euitari poterit, quin totidem sint Christi, quot sunt homines, qui alun tur eius corpore. Quare, nihil obstabit, quò minus illos & inuocemus, & adoremus. Si negabit eandem fieri hypostasin, mirabor: id enim à rei alitæ, & alimenti natura prorsus est alienum: & hoc genus unionis, qualecunq; id sit, ad malam causam tuendam confictum ab Inconstantio suspicabor. Verum his nugis omissis, quemadmodum dicamur uesci corpore, & sanguine domini, anteà satis non semel docuimus: neq; id hoc loco existimo esse repetendum.

Caro Christi non unitur substãtialiter cum carne nostra.

Sed Cyprianus quoq; ait, Carnem domini sumi à nobis ore corporis. Nam de Lapsis ita scribit: Sanctificata ora cœlestibus cibis post corpus & sanguinem domini profana contagia & idolorum reliquias respuerunt. Sed uerba ista Cypriani nostrã causam nihil lædunt. Nos enim ultrò confitemur, non tantùm animos, sed etiam ora ipsa, & corpora communicantium usu Eucharistiæ sanctificari. Quod idem de Baptismo quoq; statuimus: cum tamen id, quo corpora nostra eluuntur, aqua tantùm sit: ad quam ubi accesserit promissio, per eam sanctificatur etiam animus: & deinde ex animo repurgato sanctitas redit ad corpus: tanta est inter utrunq; coniunctio. At Inconstantius quærit, an panis triticeus & uinum sint corpus & sanguis domini. Maximè. Sed suo modo: uidelicet, ut sunt rerum istarum sacramenta. Sed ista, inquit, Cyprianus appellat cœlestes cibos. Non mirum. Vi enim cœlesti opus est ad sacramenta conficienda. Nam nulla uis humana potest ea constituere. Id tamen, quo sanctificantur ora, & corpora communicantium, facilè damus re uera esse corpus Christi. Dum enim externis istis elementis excitamur, illud mente, atq; animo per fidem propriè, ac uerè amplectimur: cumq; iam sanctificatus sit animus, nonnullus fructus eius sanctitatis haud dubiè redundat in corpus. Neq; Cyprianus nouam aliquam doctrinam, aut suam inuexit, cum eos reprehenderet, qui ab idolothytis ausi fuissent accedere ad Cœnam domini: sed Apostolicam potius doctrinam inculcauit, quã Paulus in priori epistola ad Corinth. consignauit.

Verum Christi corpus dicitur nostrũ corpus sanctificare.

Cyprianus. Cyprianus igitur succinens Apostolo ita scribit: A diaboli aris reuertentes ad
» » Sanctum domini, sordidis & infectis nidore manibus accedunt, mortiferos ido-
» » lorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum fauci-
» » bus, & contagia funesta redolentibus domini corpus inuadunt. Et mox: Aposto-
» » lus contumacibus, & pertinacibus denuntiat, dicens, Quicunq; ederit panem,
» » aut biberit calicẽ domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Spre-
» » tis his omnibus, atq; contemptis, uis infertur corpori eius, & sanguini eius. Plus
» » modò in dominum manibus, atq; ore delinquunt, quàm cum dominum negauc
» » runt. Et mox: In corpore, atq; ore uiolato Eucharistia permanere nõ potuit. San
» » ctificatus in domini sangnuine potus de pollutis uisceribus erupit. Tanta est po
» » testas domini: tanta maiestas. In istis sententijs Cypriani triumphare uoluit, non tantùm regnare Inconstantius: cum ista tamen uerba, si ad ueram amussim excu tiantur, eius errores magis multò oppugnent, quàm dogma nostrum: præsertim si pati uelit me ea rigidè, & ut sonant, interpretari. Rogo etiam, atq; etiam, ut meminerit, cum suprà multa de muribus, de uermibus, de combustione, de cor pore passibili, aut impassibili obijcerẽtur, se nobis multoties respondisse, corpus domini, ut est in Eucharistia, prorsus nihil pati. Quomodo hoc nunc non defen dit aduersus Cyprianum? Cur hic allegat ea uerba, quibus rescindat doctrinam suam? Ait præterea Cyprianus, ut eum citat Inconstantius, illos nefarios Chri stianę fidei abiuratores in domini corpus inuasisse: nec eo contentus addit, Vim illatam corpori eius, & sanguini eius. Quid ego audio? An docet ista Inconstan tius? Minimè. Cur ergo citat Cyprianum? Sed ille, ut amoliatur istam, ut haud dubiè appellabit cauillationem, dicet, hãc fuisse sancti Martyris piam quandam exaggerationem, aut hyperbolen: aut Cyprianum notasse, non quid fieri potue rit, sed quid illi facere tentauerint. Gratulor uerò Inconstantio nostro istam de xteritatem. Sed cur eam nobis quoq; non concedit? Cum permittat sibi tantum, cur non patitur, ut nos per corpus Christi sacramentum corporis Christi intelli gamus? De figura ubiq; nobis conflare studet inuidiam. Sed frustrà. Nos enim Sacramenti uocabulo utimur sæpius, quàm figuræ. Neq; cum sacramenta figu ras, aut signa appellamus, id sine exemplo grauissimorum, & antiquissimorum Patrum facimus. Vellem etiam, istum hominem ita acutum expendisse, Cy prianum, quem iactat esse patronum suum, in illis uerbis bis mentionem fecisse manuũ, quibus ait illos inuasisse corpus domini, illiq; uim intulisse: qd certè, nisi de symbolis, rectè intelligi nõ potest: aut, si quis superiorẽ Inconstantij sententiã sequi uelit, intelligatur sanè de ipso Christi corpore. Sed cur nunc ille cum suis tanto studio cauet, ne Sacramenta populo tradantur in manus? An dicet, se, & suos plura iam uidere, quàm Cyprianum? Nõ ero equidem molestus: modò nos quoq; pati uelit, aliquid uidere: & uerba Cypriani non quidem corrigere, sed iu sta expositione interpretari: si ille id sibi possit sumere, ut mutet, & corrigat facta Cypriani, qua fronte prohibere potest, quò minus nobis liceat eius uerba, quod æquissimum est, exigere ad Orthodoxã fidem, & uerbum dei? Vellem etiam ab Inconstantio doceri, an re uera existimet, uiscera illius puellæ, quæ adhuc per ætatem nihil posset intelligere, fuisse polluta, quòd ductu parentum, quodam modò ui impulsa gustasset idolothyta? Certè, si filius non portat iniquitatem pa tris, eo facto, quod parentum esset, non ipsius proprium, non potuit dici incur risse in pollutionem. Quid igitur? Mentitus est Cyprianus? Hoc ego non dixe rim. Verba enim eius ad puellæ parentes refero: & quid illi facere uoluerint, nõ quid fecerint, attendo. Nam quod ad ipsos attinet, uoluerũt illam idololatria pol luere: & deus contra illorum uoluntatem per corpus puellæ miraculum edidit. Quòd si istos ipsos oportet dicta Patrum toties dextrè, & candidè interpretari,

quid

quid queritur Inconſtãtius, ſi nos quoque, cum res ipſa & ratio id poſtulat, idem aliquando nobis permittimus?

Quod autem Cyprianus ad finem addit epiphonema, Tanta eſt poteſtas, tanta maieſtas, id Inconſtantius imperitè rapit ad præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti: quaſi ea ſignificet in Euchariſtia deliteſcere. Quòd ſi id neceſſariò ſequeretur, nos quoque poſſemus dicere, corpus Chriſti, aut in uelo, quod ſciſſum eſt, aut in petris, quæ ruptæ ſunt, aut in monumentis, quę reſerata ſunt, delituiſſe. Illa enim teſtimonium tulerunt poteſtati, & maieſtati morientis domini: quemadmodum Cyprianus hoc loco ait, ſacrum illum potum à puella reiectũ oſtendiſſe poteſtatem & maieſtatem domini. Verùm reſpõdeat iſte mihi paucis: Eſt'ne credibile, ſub cibis idolothytis dęmonẽ, cui illi oblati fuerint, habitare? Si fateatur, cur Paulus ad Corinthios permittit, fidelibus, ut liberè comedant, quicquid proſtet in macello uenale, modò ne quis indicet eſſe idolothytum? Tum enim ominò mandat, ut abſtineant, nõ quidem ſua cauſa, ſed propter conſcientiam indicantis. At ſi id aliquo modo ſciri poſſet, quãuis nemine præſente, aut indicante, tamen omninò abſtinendũ eſſet à cibo, in quo diabolus inuolutus latitaret. Si dicat, diabolum in illis cibis re ipſa nõ cõtineri, audiat id, quod Paulus ait, illos, qui talia comedũt, κοινωνὸς εἶν τῶν δαιμονίων. Quòd ſi in idolothytis communicat cum diabolo, quamuis ille in eis re ipſa non contineat, quid prohibet, quò minus nos poſſimus communicare cum Chriſto in Euchariſtia, & eius corpus recipere, & ſanguinem bibere, etſi ea re ipſa in ſymbolis non ſint inuoluta? Et ſi diabolus colitur, cum eius uictimæ cum honore percipiunt, cur nõ poteſt etiam Chriſtus affici dedecore, et cõtumelia, ſi eius ſacramẽta indignè conculcent? Omnia certè iſta uerba Cypriani eò ſpectãt, ut doceant, corpus dñi affici graui contumelia, cũ Euchariſtia recipit ab illis, qui deſciuerunt à fide. Id aũt nihilo minus uſu ueniet, etiam ſi corpus domini in Sacramento realiter non ponat. Fruſtrà ergo huc Inconſtantius tot Cypriani teſtimonia contulit. Quibus tamen, quantũ uideo, contentus eſſe non poteſt. *Cyprianus.*

Rurſus enim eundem citat ita loquentem: Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris: eundem ſine ſacramento manifeſtius edemus in cœlis: non miniſterio corporali ſæpè repetitis actionibus, ad eadem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio erit & permanebit perpetua & ſtabilis, implens & reficiens nos ſufficientia: quia proferet ſe palàm ſine ullis integumentis omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis. Ex his uerbis Inconſtãtius duo colligit: unũ, panem Angelorũ comedi miniſterio corporis, dum hic uiuimus: alterũ, de fide, aut manducatione mẽtis hic nihil dici. Quod ad primum attinet, attendere debemus, Cyprianũ appellare Euchariſtiã panem Angelorum: quem eundem cibũ affirmat nos comeſturos eſſe in cœlo. At neq; Angeli nunc in cœlo comedunt, neq; nos poſt hanc uitã comedemus corpus & ſanguinem domini. Nam, ut Paulus ait, Eſca uentri, & uenter eſcis: & hunc, & illas deſtruet dominus. Quemadmodũ enim auferetur uſus matrimonij, ita etiã auferetur cibus corporalis, poſtquã ſemel cœperimus uidere deũ facie ad faciem. Tum enim demùm ea erit uita æterna, ut perfectè agnoſcamus unum uerũ deum, & illum, quem miſit Ieſum Chriſtum. Quare, ſi iuſtã proportionem inter illum, & ciborum retinere uolumus, id reſtat, ut nunc, quemadmodũ tunc, ſpiritualem ac metaphoricũ eſum, quem claro intuitu habere in hac uita nõ poſſumus, fide ſaltẽ, et uelata quadã notitia complectamur: quã ad rem nihil haud dubiè cõduceret, corpus ipſum domini re ipſa in os immittere, utq; iſti ſtultè ſomniant, in uentrẽ deijcere. Ea de re Bernhardus Ser. 33. in Canti. Can. pulchrè ſcribit: & nos ſuperius adduximus. *In patria & uſus matrimonij & cibus corporalis auferetur.* *Bernhardus.*

Quod ad alterũ aũt attinet, fateor, Cyprianũ facere mentionẽ corporalis miniſterij. Quia Chriſtus ita uoluit nobiſcũ agere, ut rebus externis exci-

taremur ad cœleſtia. Senſus enim noſtri magno uſui, atq; adiumento ſunt ment.

Chryſoſtomus. Quamobrem prudenter ſcripſit Chryſoſtomus, deũ aliter acturũ fuiſſe nobiſcũ, ſi expertes eſſemus corporis. Quemadmodũ ergo magna & ſtupenda myſteria aſſequimur ſub diuinis literis: ita ſub ſacramento Euchariſtiæ, fide ac mẽte recipimus corpus & ſanguinem domini: quãuis re uera nec Euchariſtia, nec ſacræ literæ ea, quæ ſignificãt & proponũt, reali & corporali præſentia in ſe contineant.

,, Sed reclamat, Cypriánũ huiuſmodi meditationis animi, aut fidei nullam feciſſe
,, mentionẽ. Quaſi uerò idem pater in Sermone de cœna domini, non dicat, Hæc
,, quoties agimus, non dentes ad mordendũ acuimus: ſed fide ſyncera panem ſanc-
,, ctum frãgimus, ac partimur. Quid ergo Inconſtãtio prodeſſe poſſunt iſta mẽda-

Cyprianus. cia? Sed addit etiã eodem loco Cyprianus, Quod eſt eſca carni, hoc animo eſt fidei. Niſi hæc in eodẽ ipſo loco legerent, unde Inconſtantius iſta cõtra nos decerpſit, poſſet prætexere obliuionẽ. Nunc pręter malitiã & contumaciã, quid aliud uerè obtẽdere poſſit, nõ uideo. Eat ergo ſanè, & iactet, Cypriánũ mẽtionẽ feciſſe tm̃ corporalis miniſterij: cũ eũ uideat, bis feciſſe luculentiſſimã mentionẽ fidei.

Auguſtinus. De Auguſtino uerò, neſcio quid, uidet uoluiſſe potius aliquid dicere, quàm
,, quòd aliquid re uera dixerit. Quod tamen illũ, qualecunq; eſt, nihil iuuat. Locus
,, eſt in Ser. 2. De uerbis Apoſtoli. Quo ex loco quid iſte decerpſerit, nõ ſatis appa-
,, ret. Hoc tamen ego ibi annotaui, ad quod ſuſpicor illum alluſiſſe: Si quod in Sa-
,, cramẽto uiſibiliter ſumit̃, inquit Auguſtinus, id in ipſa ueritate ſpiritualiter man-
,, ducetur, & ſpiritualiter bibatur, tum fructuoſa iudicat̃ ſacra mãducatio. Hoc aũt nullo modo alienũ eſt ab eo, quod nos defendimus. Sed iſta uerba Inconſtantius attingere noluit: quòd uideret ea ſecum iuſtam adferre interpretationem.

Hilarius. De Hilario fuſius agendũ erit. Is in 8. lib. de Trin. ita ſcribit: De ueritate cor-
,, poris & ſanguinis domini nõ eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius
,, domini profeſſione, & fide noſtra uerè caro eſt, & uerè ſanguis eſt: & hæc acce-
,, pta, atq; hauſta id efficiũt, ut & nos in Chriſto, et Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc
,, ueritas nõ eſt? Contingat planè ijs uerũ non eſſe, qui Chriſtũ Ieſum uerũ eſſe deũ
,, negãt. Inconſtantius ueritus, ne quemadmodũ dicit, nos admiſceremus aliqua de
,, efficacia fidei, Hilarij uerba ſuſcipit interpretãda. Ait ergo, & domini profeſſio-
,, ne, & fide noſtra cibũ dominicũ eſſe uerũ corpus domini: Chriſtũ enim id oſten-
,, diſſe, cũ diceret, Hoc eſt corpus meũ: & fideles ita ſe rem habere, iam tũ omnes
,, credidiſſe. Cõcludit ergo, hunc eſſe ſenſum huius loci, Nos accipere cibũ Domi-
,, cum, qui uerè ſit corpus, & uerè ſanguis Chriſti. Atq; inde perſpicuũ eſſe, ad reci-

Ad communionem uſus oris et corporis adhibetur. piendum cœleſtẽ cibum requiri miniſteriũ corporis. Eſto ſanè. Non erat, cur in hac re Inconſtantius tantũ elaboraret. Nos enim fatemur, ad Communionẽ adhibendũ eſſe uſum oris, & corporis: idq; nõ minus, q̃ aurium uſum ad audiendam prędicationẽ Euangelicã. Sed nõ ſtatim damus, id quod ore recipit̃, eſſe realiter & ſubſtãtialiter corpus domini: quemadmodũ ne in ſonis quidẽ, & uocibus, quę tranſeũt per aures, propriè ac re ipſa inuoluunt̃ illæ res, quas mens fidelis ex illis haurit. Vtrinq; adhibet̃ miniſteriũ corporis: os in cõmunione, aures in cõcione.

Non ſimilitudinem. Et quemadmodũ per aures nõ tranſit realiter recõciliatio cũ deo, æterna uita, & condonatio peccatorũ, quãuis animus audientiũ iſta re uera complectatur per fidem: ita nec in ore noſtro propriè recipit̃ uerũ corpus, & uerus ſanguis Chriſti, etſi mens noſtra per fidẽ illa uſurpet, & ueriſſimè ſibi uẽdicet. Neq; Hilarius in illis uerbis, quæ iſte citat, neq; uſpiã alibi in eo libro dicit, corpus & ſanguinẽ domini uerè ac propriè accipi à Cõmunicantib. ore corporis. Inconſtantius ergo lauat, cũ plura uelit ex Hilario colligere, q̃ ipſe largiat̃. Quod aũt affirmat cibũ Dominicũ uerè eſſe carnẽ domini, & uerè eius ſanguinẽ, ne tantillum quidẽ noſtræ ſentẽtiæ aduerſat̃. Non enim ita accipimus Sacramentũ, ut ſymbola ſeorſim

ab eo,

ab eo quod significat, consideremus. Cū ergo caro & sanguis domini pane & uino significentur, illa à nobis fide, atq; animo hauriuntur, non secus, atq; externa symbola recipiuntur ore corporis. Cumq; fides, & mens nostra instituta diuino spiritu non fictam domini carnem, falsumue sanguinem cōplectatur, ideò quod sic apprehendimus, est cibus dominicus, & uerè dicitur corpus domini, uereq; eius sanguis In summa, Hilarius contendit, Christum uerum corpus, ueram carnem, & uerum sanguinem habuisse, per quę & ille nobiscum, & nos cum illo coniungamur, cum illa per ueram fidem haurimus, & quodammodò in nos recipimus. Quod etsi alibi quoq; fieri potest, tamen illustrissimè fit in Cœna, cum nostri corporis ministerio sacramenta corporis & sanguinis Christi percipiuntur. Nec dubitari potest, dominum, cum instituere Eucharistiam, professum esse ueritatem corporis & sanguinis sui. Ficta enim caro, aut falsus & commentitius sanguis ibi neq; significatur, neq; accipitur. Hæc de isto loco Hilarij dixisse, arbitror esse satis. Nam si Lector illius sententiam, non ex Inconstantij peruersa & coacta expositione, sed ex ipso uerborum filo uelit pendere, nihil aliud uidebit significari, quàm quod ego iam dixi.

Caro & sanguis Christi etiam extra sacramentū edun tur et bibūtur.

Sed istum dixeris, omninò decreuisse conscribere militem: ita prorsus corrogat ex omnibus Patribus quicquid potest. Verùm ut est imperitus rei militaris, in agendo delectu nullum delectum habet. Hic citat uerba Ambrosij, quæ operis illius forte fortuna occurrerunt in oratione funebri in obitu fratris Satyri habita. Referebat, inquit Ambrosius, gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantùm mysterij cœlestis inuoluti in Orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriet arcano? Quàm maius putabat fusum in uiscera, quod tātùm sibi tectum Orario profuisset? His uerbis Ambrosij Inconstantius, non aliam subijcit expositionem, quàm qualem ab illius fide, satis iam nobis nota, & explorata oportuit expectare. Nisi Christus, inquit, fuisset ibi præsens in Orario, uidelicet, colligatus, mera fuisset idololatria, inde auxilium petere. Et ideò, inquit, cum Ambrosius intellexerit ueram præsentiam Christi, sacramentum extra eius usum agnouit. Quin etiam ipsum Christum ore manducantium sumi testatur, & illac sub sacramento tectum nostrum ingredi. Cur Ambrosius factum istud fratris sui tantopere laudandum censuerit, non uideo. Cur autem illud factum iste noster confidat sibi profuturum, multò etiam minus uideo. Primùm iudicet quiuis pius Lector, an satis conueniat, Sacramentum institutum à domino ut edatur, & bibatur in sacra Cœna, inuolutum in Orario, aut sudario circumferri, idq; non tantùm ab homine laico, ut appellant, sed etiam à Catechumeno? Nam, ne nescias, Lector, Satyrus iste nondum baptizatus erat, sed tantùm Catechumenus. Vbi fuit religio illorum temporum in hoc sacramento? Nulla adhibetur pompa circumgestantium, nullus suffitus, non lampas ulla, non facula. Vah homines rerum diuinarum imperitos. Imò etiam, ut apparet, Eucharistiam suam ne sub claue quidem asseruabant. Nam uel Catechumenus eam sibi comparare, atq; auferre potuit. Et quis ferat, rem tantam exponi periculo naufragij? quodq; magis etiam horrendum est, in mare tempestuosum, & fluctibus maximis agitatum abijci? Sunt ista planè miranda, & quæ testimonium non leue ferre possint contra superstitiones, impietates, & idololatrias Papistarum. Si Ambrosius factum Satyri sui laudat, qui ita parùm honorificè tractarit Eucharistiam, certè Satrapicos istos uestros apparatus, & pueriles ludos, quos uos ad Sacramentum colendum adhibetis, acerrimè suo iudicio condemnaret, si Missas uestras, & scenica spectacula rediuiuus contemplaretur. De ipso uerò Ambrosio, si liceat præfari ueniam, & uera dicere, quòd ad istam fabulā attinet, in prædicando facto Satyri, quod haud dubiè oportuit reprehēdere, magis eum

Ambrosius.

Factum Satyri minimè laudandum.

Rhetorem, quàm Theologum, aut Episcopum fuisse uideo. Hac enim in re quã fidem uidit in Satyro suo, quæ uerè laudari potuerit? Nam fides petenda est ex uerbo dei. At dei uerbum nusquam docuit, auxilium in rebus aduersis implorandum esse ab Eucharistia. Fides autem quæ aut pugnat cum uerbo dei, aut eo destituitur, superstitio est, non fides. Satyrus fortasse excusari potest, ut Catechumenus. Ambrosius autem, ista suo iudicio comprobans, quemadmodum defendi possit, alij uiderint.

Credulitas destituta uerbo dei, est superstitio, non fides.

Sed ne Inconstantius de uerbis istis Ambrosij triumphet, ostendam paucis, quàm illa quoq; ut solet omnia, malitiosè, & callidè tractarit. Primùm hoc commiscitur, nisi Christus in illa Eucharistia uerè præsens adfuisset, Satyrum non potuisse excusari ab idololatria, qui ex ea præsidium petierit. Gratularer isti homini, qui quamuis serò, aliquam tamen habeat rationem de puro cultu dei: nisi uiderem, quàm obstinatè propugnet cultum, & adorationem imaginum. Cum Papistæ tui, Inconstanti, uel à suis imaginibus, coram quibus prosternuntur, uel à signo Crucis, quod adorant, uel ab ossibus mortuorum, quæ colunt, auxilium implorant, num aut Sanctos, aut corpus Christi, aut animos mortuorum, in imaginibus, in Cruce, in ossibus re ipsa præsentes adesse arbitrantur? Non opinor. Quid ergo illos fertis tam impunè cõmittere idololatriam? Satyrus in reliquijs Eucharistiæ, quas fortè fuerat alicundè suffuratus, spem salutis suæ posuit, male quidem, & superstitiosè, tamen posuit. Vestri à rebus mutis, & mortuis, eandem salutem expetunt. Quid interest? Cur non in pari causa est par crimen idololatriæ? Fortasse Christus uoluit miraculo aliquo ornare reliquias illas Eucharistiæ, ut ossa Elizæi: ut pallium Eliæ. Quid hoc ad substantialem præsentiam corporis? Naaman Syrus sanatus est, cum se lauisset in Iordane: Elizæus amarissima olera correxit adsperso farinula: idem infuso sale, aquas amaras dulces reddidit. In illis omnibus an dicemus, Elizæum ita fuisse præsentem, ut in Iordane, in farina, in sale delituerit? Hæc ego nunc tantùm commemoro, quæ mihi de his rebus cogitanti statim erant obuia. Prudenti lectori non erit difficilè mille similia ex historijs comparare. Ea tamen ipsa, quæ adduxi, satis indicant, quàm infirmum, & elumbe sit istud Inconstantij argumentum. Deinde quomodò colligit Inconstantius ex hac narratione, Ambrosium etiã extra usum Cœnæ agnouisse sacramentum? Reliquias illas fuisse sacramenti, ut opinor, non dubitabat. Fuisse autem sacramentum, cum ita iactaretur in fluctibus, cum teneretur à Catechumeno, cum esset colligatum in Orario, quomodò tandem probabit Inconstantius? Fateor, Ambrosium dicere, Satyrum promisisse sibi plus uirium, & auxilij ex illo pane, si eum ore sumpsisset in sacra Cœna, quando uerè fuisset sacramentum, quemadmodum dominus instituerat. Hoc autem quomodo, quæso, confirmat, illud extra Cœnam fuisse sacramentum? Id, quod erat in Orario, & posteà adhiberi potuit ad Cœnam, quod ad materiam attinet, idem erat. Sed accedente ritu sacramenti, forma longè diuersum æstimari debuit. Nam aquę quoq; materia eadem est, postquam aliquis in ea tinctus fuerit, quę fuit anteà, cum ad tingendum adhiberetur. Ea tamen peracto semel mysterio, non amplius habet rationem sacramenti. Et in Eucharistia quoque ita rem habere, satis indicant uerba domini. Ait enim, Hoc est corpus meum: sed anteà iusserat, ut ederent. Quandiu ergo non exhibetur ad edendum, non potest uideri sacramentũ. Postremò, id quod colligatum erat in Orario sumi potuisse ore corporis, non dubitamus. Atqui id fuisse substantiam corporis Christi, probandum erat Inconstantio. Satyrum autem, ut hominem Catechumenũ, ita secum arbitror cogitasse: cum illæ reliquiæ præsidio fuerint naufrago, multò magis illas profuturas, si, ut fit, in sacra Cœnã eas in uentrem suum recepisset. Αλεξίφαρμα enim remedia, quò interius applicantur,

tur, eò sæpè uideri solent efficaciora. Catechumeni enim non assequuntur plus, quàm ratio illorum eruditionis ferat. Atque hactenus de illa Satyri fabula satis multis.

Sequitur Chrysostomus hom. 27. in priorẽ ad Corinth. Et hoc facis, inquit, cum ad Christi mensam discubueris, in die illa, qua carnem eius lingua attingere dignatus es. Ne igitur hæc fiant, dexteram tuam, linguam tuam, labia tua considera, quo pacto uestibulum facta sint, ut ingrediatur. Facilè dabimus, labia & linguam Communicantium uestibulum esse domini, quo ille ad nos ingrediatur. Si enim uisum est deo officio istorum membrorum commonefacere pios, ut fides in illis excitetur, quemadmodum in concione sacra uerbum domini, uel ipse potius deus admittitur per aures: quomodò negare possumus, dominum per ista organa ad nos habere aditum? Sed, cum Inconstantius linguam & labia ita diligenter annotarit, miror, eum dextram ita callidè præterijsse. Quod tamen, uti satis uideo, homo simplex idcircò fecit, quòd meminisset, suos diligenter prohibere, ne quisquam ex populo manibus attingat Eucharistiam. Quo autem id iure faciant, ostendere non possunt. Vis tantùm quædam ista est impotens, & tyrannica, qua permiserunt sibi non solum uerbum dei, sed etiam patrum scripta peruertere. Chrysostomus hoc loco non tantùm os, & linguam, sed manum quoq; seruandam admonet: quòd ista facta sint uestibulum domini. Quòd, si dominus uelit ad nos intrare per manũ, cur uos illud uestibulum occluditis? Cyprianus quoq; paulò suprà mentionem facit de manibus: & Incõstantius ipse collegit ex eo, & manibus, & faucibus inuadi corpus Christi. Sed frustrà ista lamentor in tanta licentia Papistarum. *Chrysostomus.*

Sed citatur etiam idem Chrysostomus eadem de re hom. 29. in 2. epist. ad Corinth. Igitur, inquit, uestibula templi, & ingressum osculamur mutuum osculando, Nonne uidetis, quòd etiam uestibula templi huius osculantur, illi quidem flectentes, alij uerò manu continentes, & ori manum admouentes? Per has etiã ianuas & portas & ingressus est, & ingredietur ad nos Christus, quãdo communicamus. Scitis, qui mysteriorum estis participes, qui dicatur. Etenim non uulgarem honorem consequutũ est os nostrum accipiens corpus Dominicũ. Propter hoc maximè hic osculamur. Audiant, qui fida loquuntur, & conuitia; & horreãt, quòd tale os polluant. Vt approbandus non est superstitiosus ille mos osculandi parietes, & uestibula, & limina templorum: ita admonitio ista Chrysostomi iudicanda est pia, & salutaris: ut fideles linguam, & os, per quæ recepturi sint Sacramentum corporis domini, impolluta custodiãt. Quod Sacramentum qua ratione appelletur corpus domini, plus millies iam dictum est. Quare repetitione superfedebo: & procacitatem istam Inconstantij intolerabilem in præsentia dissimulabo. *Chrysostomus.*

Hoc unum addam, ne illud quidem grauare causam nostram, *Chrysostomus* quòd Chrysostomus in Liturgia bis iam citata, uerène autem, an falsò illi adscripta, non laboro, precatur dominũ Iesum Christum, ut dignetur ingredi animam suam, & corpus, licet pollutum. Nam quin id fiat spiritu, & natura diuina Christi, nihil obstat. Rectè etiam precatur, ut corporis & sanguinis domini fiat participes: quod nos, quoties cœnã domini celebramus, in nostris Ecclesijs nunquam præterimus. Nihil ergo opus est, ut hæc testimonia propulsemus. Ea enim minimè omnium nos oppugnant.

Videamus ergo, quid sequatur è Cyrillo. Nam ex eo fortasse Inconstantius *Cyrillus.* putat, se maiorem habere speciem ad fallendum. Quod hic citatur ex libro 4. in Iohannem cap. 14. non multum moror. Ita enim scribit: Oportuit certè, ut nõ solùm anima per spiritum sanctum in beatam uitam ascenderet, uerùm etiã ut rude ac terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem,

reduceretur. Ait, animam ascendere ad beatam uitam per spiritum sanctum. Hoc idem nos quoque confitemur. Vt autem spiritus ille in corpus etiam effundatur, & illud quoq; faciat capax immortalitatis, id ipso corporis ministerio efficitur, edendo, uidelicet, & bibẽdo in cœna domini. Eiusmodi enim gustu, tactu, & cibo ad fidem solidiorem excitamur: qua cum uehementer promissiones dei comprehendimus, non solùm animus reuiuiscit, sed etiam potentia diuini spiritus ex eo in corpus quoq; nostrum influit. Sed Inconstantius putat, nos aliis quibusdam uerbis eiusdem Cyrilli ab hac interpretatione prohiberi. Ea aũt sunt

Cyrillus.

,, in libro de recta fide ad Reginas. Quo in loco ita scribit: Deus incorporeus est:
,, neq; est esibile Verbũ, nisi secundũ dispensatiuam unionem naturarũ. Vnde &
,, mysterium ex carne Christi cõsistit: cuius quia est corporea substãtia, est propria
,, manducatio. In istis Cyrilli uerbis tria mihi libet indicare. Primùm, non ita simpliciter, nec in uniuersum admitti posse, Verbũ dei esibile nõ esse. Nam alioquin quomodò dici possemus, in cœna manducare panem Angelorũ? Hoc profectò haud aliter uerũ est, quàm q; Angeli filium dei, hoc est, uerbum patris pijs mentibus amplectunt, & tanquã uitam suam in se recipiunt: hoc enim est, uitæ suæ panem comedere. Quòd si fingas, illos non tantùm diuinitate aliquo modo uesci, uerum etiam corpore Christi, ut idem sit & illorũ panis, & noster, quæro tamen, an id sine tactu aliquo, & gustu fiat. Si fateris, quid obstat, quò minus id hominibus quoq; concedas? nimirùm, ut ore, et gustu externo symbola tantùm premãt: spiritu autem, & fide comedant carnem Christi? At si Angelis quoque gustum & tactũ dabis, ut comedere possint corpus Christi, eos iam efficies, non, ut sunt, natura spirituales: sed, quod nemo unquam somniauit, naturas crassas & corporeas. Ad hæc uideo, Cyrillũ dicere, manducationem propriã esse carnis. Quod etiam ipsum si ita accipias, ut uerba sonant, necesse erit, ut dicas, carnem Christi dentibus lacerari, & concoqui, & in aliam substantiam commutari. Nam hæc ad propriam ueramq; manducationem pertinent. Tertium est, quod ista iam adducta explicat, & conciliat; nempè, Verbum, id est, filium dei re uera commune esse panem, tam Angelis, quàm nobis. Inde enim uniuersa ratio & illorum, & nostra repetenda est: scilicet, à uerbo, per quod & illi, & nos conditi sumus. Id autem inter nos, & illos est discriminis, quòd illi nudo uerbo dei propter naturæ suæ tenuitatem, & spiritualem conditionem uesci possunt. Nos uerò uitam ex illo uerbo non habemus, nisi quæ transeat ad nos per carnem Christi affixam cruci. Hoc igitur est, quod Cyrillus ait, Verbum dei, hoc est, naturam diuinam Christi, non esse esibile: quia nos uitam ex ea sine aliquo medio non haurimus. Interponitur autem natura humana Christi, cui Cyrillus proprium esse dicit, ut à nobis comedatur: non quidem ut nos intelligimus carnali, & sensibili manducatione, sed esu spirituali fidei. Quia cum carnem Christi pro nobis mortuam fide complectimur, uita dei per illam in nos trãsmittitur. Et quia uestimur debili, atq; infirma natura lutei corporis, eius quoq; ministeriũ ad symbola panis, & uini iussu ipsius domini adhibetur in cœna: quò magis uehementius q; fides in Christum pro nobis traditum erigatur.

Verbum quoq; dei esibile est.

Angeli spiritu & mente comedunt non ore.

Cyrillus.

,, Sed illa iam spectanda sunt, quæ idem Cyrillus habet in Iohannem libro 12.
,, cap. 32. In quatuor, inquit, partes uestimenta diuisa sunt: & tunica sola indiuisa
,, remansit. Quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor ordinis partes ad salutem reductæ, indumentũ uerbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulis enim partibiliter transiens unigenitus, & anima, & corpus eorum per carnem suã sanctificans, impartibiliter, atq; integrè in omnibus est: cum unus ubique sit nullo modo diuisus. Pro clara sanaq; horum uerborum intelligentia, sciendum est, Iesum Christum & animam, & cor-

pus

pus noſtrum ſanctificare per carnem ſuam, cum nos fide apprehendimus, illum noſtra cauſa uitam ſuã in cruce poſuiſſe. Eſt igitur ſeruator totius hominis: nam utrícp hominis parti ſalutem attulit. At dices, id ad diuinam Chriſti naturam pertinere, ut hominem perfectè ſeruet: Cyrillum autem de carne Chriſti ſcribere. Fateor. Sed ſic habeto, carnem idcircò addi, quòd uerbũ dei per ſe ipſum, & ſolum ſalutem hominibus non attuliſſet: niſi crederetur carnem aſſumpſiſſe, eamcp noſtra cauſa in mortem tradidiſſe. Quòd autem ait, Chriſtum in ſingulis hominibus degere, idcp integrum, & non diuiſum, id, meo iudicio, dictũ eſt contra Neſtorium: quí humanitatem Chriſti prorſus à diuinitate ſeparauit: quod ſine grandi ſacrilegio fieri non potuit. Vbicunch enim eſt uerbũ, ſemper ſecum coniunctam habet naturam humanam: etſi non ſtatim quotcunch in locis illud eſt, eam ſecum habeat coexiſtẽtem. Dicemus ergo, Verbum dei, quod eſt ubicp, illud eſſe uerbum, quod coniunctam habet naturam humanam in eadẽ hypoſtaſi: quæ, ut uerum hominem oportet, finita eſt, & recepta in cœlum: ibicp retinebitur, ut Petrus ait, uſcp ad extremum diem. Et hoc illud eſt, quod Cyrillus ait de Chriſto: Cum unus ubicp ſit, nullo modo diuiſus eſt. Quod etiam Inconſtantius ipſe confitetur. Ita enim ſcribit: Vbicp unus eſt Chriſtus, ne perſonam diuidas. Naturæ maneant in ſua proprietate: ut diuina ubicp ſit: humana autem, ubi ſpiritus uult. Hæc ille. In iſta ſententia alia omnia uera ſunt: ſed in uno Inconſtãtius uehementer hallucinatur: quod alioqui dextrè, & cõmodè poſſet intelligi. Vera illa ſunt, perſonam Chriſti non eſſe diſcerpendam: & proprietates naturarum in primis eſſe retinendas: & diuinitatem ubicp eſſe. Iſta, inquam, omnia citra controuerſiam uera ſunt. Id autem, quod ſequitur, Humanã naturã eſſe, ubicunch uelit ſpiritus, ueriſsimum eſt, modò credamus, ſpiritum id uelle, quod re uera uult, corpus Chriſti uerè eſſe humanum corpus, nec diſcedere à natura corporis. Id autem eſt, finitũ eſſe, & certis quibuſdam ſpatijs terminatum: non per infinita loca, ut Papiſtæ nugantur, diſsipari. Id Inconſtãtius cum ſuis, ſine ulla fide, tantùm ex præiudicatis quibuſdam cõiecturis credit: idcp putat hoc loco Cyrillum uoluiſſe. Cum tamen ille in Dialogo ſuo de Trinitate lib. 2. ita ſcribat: Si uerè ſectionem, & partitionem diuina natura, ut illi dicunt, reciperet, intelligeretur & corpus: ſi autem hoc, & in loco omninò, & in magnitudine, & in quantitate: & ſi quantum eſſet, non effugeret circumſcriptionem. Si audis iſta, Inconſtanti, & Chriſtum corpus habere confiteris, fatere etiam, illum, quod ad corpus attinet, circumſcriptum eſſe, & certo loco cõtineri: quo in loco ſi ſpiritus illud uelit contineri, uerum eſt, quod modò dicebas, humanam naturam Chriſti ibi eſſe, ubicunch uelit ſpiritus. Quod ſi Cyrillus ſtatuat, carnem Chriſti realiter, & ſubſtantialiter eſſe in unoquoch noſtrum, ipſe ſecum euidentiſsimè pugnat. Sed nihil mi nus ſenſit. Nam carnem domini ita docet eſſe in unoquoch noſtrũ, quatenus noſtrum quiſch eam fide complectitur. At ſi quis pertinaciter pugnare uelit, carnẽ Chriſti ex ſententia Cyrilli realiter, & ſubſtantialiter in nobis eſſe, quid ſupereſt, niſi ut illi Cyrillo noſtrum Cyrillum opponamus?

Verbũ ubicũch eſt cõiunctum, habet ſecum humanitatẽ, licet ipſa non ſit ubich.

Cyrillus.

Sed redeo ad Inconſtantium. Ille omninò affirmat, corpus Chriſti ſimul in pluribus eſſe locis. Ne autẽ uideatur, id ſine aliqua authoritate dicere, citat Auguſtinum ex libro 22. cap. 30. de Ciuit. Dei. Qui motus illic, inquit Auguſtinus, talium corporum ſint futuri, temerè definire non audeo: quod excogitare non ualeo. Tamen & motus, & ſtatus, ſicut ipſa ſpecies, decens erit, quicũcp erit: ubi, quod non decebit, non erit. Certè ubicunch uolet ſpiritus, ibi protinus erit corpus: nec uolet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſsit decere, nec corpus. Auguſtinus de conditione corporum glorificatorum reuerenter, pro eo, ac debuit, ſcripſit. Sed ex eo Inconſtantius non ſatis prudenter colligit, aut ſanctorum, aut

Christi spiritum uelle corpora sua eodem tempore simul esse in diuersis locis.

Augustinus. Quod Augustino ita nunquam in mentem uenit, ut in epistola ad Dardanum, ne animę quidem Christi hoc dare uoluerit, ut eodem tempore & apud inferos esse potuerit, & in Paradiso. Imò ait, Corpus Christi in aliquo certò loco esse oportere.

Sed eò redit, ut doceat, corpus Christi in Communicantes per os ingredi. Et

Augustinus. primùm citat epistò. Augustini 118. ad Ianuarium, quo in loco ita scribitur: Ex
„ hoc placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius
„ dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per uniuersum orbem
„ mos iste seruatur. Ne autem nos dicamus, symbolum externum appellari cor-

Augustinus. pus dominicum, putat sophista, se posse nos excludere alio loco Augustini, exli
„ bro 2. Contra aduersarium Legis cap. 9. Sicut mediatorem dei, atq; hominum ho
„ minem Iesum Christum, carnem suam nobis manducandam, bibendumq; san-
„ guinem dantem, fideli corde, atq; ore suscipimus: quamuis horribilius uideatur
„ esse, humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem
„ potare, quàm fundere. Ex his uerbis iste noster concludit, Augustinum non de
„ symbolis, sed de rebus ipsis loquutum esse. Illum enim dicere, dominum Iesum
„ corde, atq; ore suscipi: atq; ita corpus nostrum in opere coniungere cum anima,
„ ne separentur in mercede. Sed intereà tamen pro sua incredibili simplicitate tacet, Augustinum in eodem loco dicere, quod certè non aspernandum, sed sapienter audiendum erat, Hoc genus loquutiones per figuras exponi oportere. Quod idem pluribus scripsit libro 3. cap. 16. de Doctrina Christiana. Affirmat enim in ijs locutionibus omninò figuram esse. Atq; hoc iacto uerissimo fundamento, satis liquet, quo sensu Augustinus dicat, corpus Christi ore, & corde nostro percipi. Vtraq; enim pars nostri, uidelicet, & os, & cor in opere cõiungitur; cum tamen opus utriusq; longè diuersum sit. Nam Cor ad rem ipsam sese conuertit, quæ significetur: Os autem, quod solum potest, symbolum externum arripit. Vtrinq; tamen uerè dicimus, sumi corpus domini.

Leo. Deinde citatur Leo, ita scribens in Sermone 14. de Passione: Nõ enim aliud
„ agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm, ut in id quod sumimus, trã-
„ seamus: & in quo commortui, & consepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per
„ omnia & spiritu, & carne gustemus. Ex his Inconstantius putat, se posse colligere,
„ nos id sumere in Eucharistia, in quod trãsimus. Neminem autem dicere, nos
„ transire in panem & uinum: imò Christum ipsum à Leone phrasi clarissima no-
„ tari, cum ita dicat, In quo commortui sumus, & consepulti, & cõresuscitati. Sed hæc nihil aliud sunt, quàm futiles, & inanes strophæ. In Christum enim non nisi fide ac reliquis cœlestibus donis transimus. Fideles enim prorsus mutantur in eum, cum credendo, & communicando, & corpus illorum, & animus qualitates Christi sibi uendicant. Quod autem Leo scribit, dominum gustari carne, uel uobis ipsis testibus metaphoricum omninò est. Nam lingua, & palato, non nisi panis & uini proprietates gustamus. Ea enim, quod experientia satis docet, sapores corporis & sanguinis domini non attingunt. Quamobrem, quæ Inconstantius iactat ita esse euidentia, ea ad extremum uidemus, aut hyperbolica esse,

Leo. aut metaphorica. Locum autem eiusdẽ Leonis ex Sermone 6. de Ieiunio men sis septimi, nõ oportet denuò interpretari. Eum enim iam antè exposuimus. Ait autem, id ore sumi, quod corde creditur. Nam panis, qui sumitur ore, suo quodã modo est corpus Christi.

„ Quod autem subijcitur ex eodem Leone ex 4. Sermone Quadragesimæ;
„ nempe, In sacramentorum communione ita se temperant, ut ore indigno cor-
„ pus Christi accipiant, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò decli-

declinent, uehementer miror: nam si Leo ea de rebus ipsis intelligat, quomodò potest corpus Christi accipi sine sanguine? Nam ea ita sunt coniuncta, ut, qui unum habeat, eum necesse sit, saltem, ut uos loquimini, ex concomitãtia, habere alterum. At si loquatur de symbolis, facit omninò nobiscum.

Ad hanc turbam testium aduocat Inconst. etiã Oecumeniũ: qui in ca. 11. prio ris ad Cor. ita scribit, Quod ait, Reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indi cat, & quemadmodũ Iudas eum tradidit, Iudei uerò in ipsum debacchati sunt: ita illum ignominia afficiunt, qui sanctissimũ eius corpus manib. impuris suscipiũt, ueluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrãdo admouẽt ori. Hæc iste uerba im portunè exaggerat: fingitq; se nunquã audiuisse ex suis patribus, uel Sacramẽta uendicare sibi nomina rerum significatarũ, uel contumeliam, et iniuriam illatam Sacramentis in Christũ authorem illorũ redundare. Sed cur aure ita surda audit, ueteres patres uel ad istius usq; Oecumenij tẽpora dicere, fideles manibus susce pisse Sacramenta corporis dñi? Cur ubiq; ita strenuè clamitat, nos cedere opor tere patribus, si ipse illorũ sententijs nolit subscribere? Videlicet, ibi demum eos amplectit, ubi aliquid cõtra nos uident dicere: at ubi à Papistis uel tantillũ dissen tiunt, ibi eos prorsus cõtemnit, & pro nihilo ducit. Adhuc etiam, si deo placet, opinor, ueritus ne testes nõ essent ad numerũ, Greg. Romanũ citat, omnium pe nè superstitionũ parentem & principẽ. Is in hom. Paschali 22. Iã, inquit, quid san guis agni sit, nõ audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrunq; po stem ponit, quãdo nõ solum ore corporis, sed etiã ore cordis hauritur. In utroq; enim poste sanguis agni positus est, quãdo Sacramentũ passionis illius, cũ ore ad redemptionẽ sumit, ad imitationẽ quoq; intenta mente agitat. Hic tamen ipse, Gregorius, qualis qualis fuerit, quidnã illud sit, quod dicit, sanguinẽ Agni acci pi ore corporis, explanat posteà istis uerbis: Quãdo inquit Sacramentũ passionis illius ore ad redemptionẽ sumit. Cur iste nõ elicit ex ijs uerbis, nos ore sumere realiter passionẽ domini? Nã Greg. ait, nos passionis Sacramentũ accipere. Cer tè à patribus appellatur nõ minus Sacramentũ passionis Christi, q; Sacramẽtum corporis Christi. Verũ Inconst. tanta rabie incitat aduersus nos, ut nec quid pro se, nec quid cõtra se faciat, possit cernere. Repetit denuò ex Tertul iano, corpus, & animã in eodem opere cõiungi. Id nos quoq; fatemur: etsi uerè dicamus, non eandem rem ab utroq; percipi: q̃d iam suprà satis fusè docuimus. Sed in ista co horte Beda etiam locũ habet. Verùm quoniã ille nihil habet, quod non anteà uel in Cypriano, uel in Augustino sit explicatum, idcircò accedo ad Theophylactũ.

Oecumenius.

Gregorius.

Tertullianus.

Beda.

Theophylact.

Is in 10. cap. ad Hebræos ita scribit: Multò magis scietis, deteriora mereri sup plicia, qui filium dei conculcauerit: Hæc enim de mystica ipsius perceptione di cuntur. Cum enim immaculati corporis eius & sanguinis communicando par ticeps fuerimus, carnem hanc ipsam, quæ corpus id, & sanguinem sumit, si cœ no impuritatis, & luxus, & Veneris sordibus inquinamus, nónne Dei filiũ con culcamus? Nam cœnum hoc, & terrenum lutum haudquaquam tam est diuino corpore indignum, quàm nostri corporis labes, & immunditia. Ea, quæ Theo phylactus hoc loco obiter inserit de mysterijs, non faciunt quicquam ad senten tiam Apostoli. Non enim ibi agebatur de Christo percepto in Eucharistia con culcando, sed de perfecta defectione à fide iam recepta. Paulus enim ibi eos di cit conculcare filium dei, qui se ipsos præscidissent ab Ecclesia, & uolentes, ac scientes omne sibi cum Christo, & Ecclesia commercium ademissent. Nec ue rum est, eos, qui propter unum, aut alterum lapsum minus dignè communicãt, esse statim salute desperata, ut nulla illis supersit hostia pro peccato. Quod tamen ibi Paulus maximè inculcat. Quare uerba ista Theophylacti, ita accipienda sunt, tanquam ab ipso dicta; non quasi ea Apostoli sensum explicent. Paulus enim ad

Corinth. ait, Eos qui indignè recipiunt Eucharistiam, iudicium sibi comedere, & bibere. Quale autem id iudicium sit, statim subijcit, Ideò, inquiens, multi inter uos infirmi sunt, & dormiunt multi. Dum enim castigamur, à domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ista satis ostendunt, huiusmodi lapsus non esse tales, ut nihil spei relinquant ad salutem. Nec tamen nos id penitus

Quomodo caro nostra dicatur recipere corpus Christi.

respuimus, quod Theophylactus ait, carnem nostram recipere corpus domini. Imò id bifariam interpretamur, & admittimus. Primùm enim caro nostra accipit symbolum, quod appellatur corpus domini. Deinde etiam cum uirtus, & efficacia corporis Christi nõ sistat in animo, à quo recipitur per fidem, sed etiam ad corpus nostrum pertingat, illudq; reficiat, & spiritualiter immutet, non absurdè dicere possumus, carnem nostram recipere corpus domini. Huc adde, eadem quoque ista dici posse in eos, qui animo ficto accedunt ad Baptismum. Illi enim, cum oporteret induere Christum, eum turpiter contemnunt, & conculcant. Non ergo ista ita peculiariter pertinent ad cœnam domini, quin ut ad alia quoque eiusdem generis trahi possint. Et si qui sunt, qui aut scripturas sacras, aut conciones contemnant, ne illos quidem negare possumus conculcare filium dei.

Bernhardus.

Vltimo loco Bernhardus quasi succenturiatus aduocatur ad partes. Is enim, ut putat Inconstantius, omninò statuit, carnem Christi corporis nostri ore percipi. Nam in Sermone de Vigilia Natiuitatis domini ita scribit: Tu ergo si diuini uerbi pabulo reples animam tuam, fideliterq;, etsi non digna, certe quanta potes deuotione, suscipias panem illum, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo, Dominicum uidelicet corpus, ut ueterem utrem corporis tui noua Resurrectionis caro reficiat, & sustineat, quatenùs nouum, quod intus est, uinum, hoc solidatus glutino ualeat continere, si denique ex fide uiuas, & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus es comedere panem tuum, Bethleem factus es, dignus planè susceptione Dominica: si tamen confessio non defuerit. Quid hic, obsecro, audimus ex Bernhardo, quod faciat ad Inconstantij institutum? Dicit primùm, corpus domini sumi: id nos quoque dicimus. Addit, utrem corporis nostri eo refici: id etiam nos non inuiti addimus: semper enim docemus ex corpore Christi nostra corpora refici, & instaurari. Quare, cum in omnibus Bernhardi uerbis nihil sit, quod nos inficiemur, magnæ uanitatis erat, Inconstanti, ea uerba ita in cassum perdere.

Quid Romæ de Gardinero dicatur.

Verum dum ista scribo, id mihi in mentem uenit, quod memini, me non semel Romæ audisse dici de isto Inconstantio. Cum enim ibi diuortium Regis Henrici magno studio procuraret, quod tamen posteà in gratiam eius Reginæ, quæ nunc potitur regno, mutata fortuna, cœpit pro sua constantia detestari, ego quoque fortè unà aderam. Ibi ille, ut causæ ac tempori inseruiret, ore promptissimo incredibilem uim legum allegabat. Mirari fortasse alij tantam in homine eruditionis magnitudinem, & confidentiam. Ego tamen tum ex hominibus iuris peritissimis audiui, leges illas, quas citauit, magna ex parte aut prorsus alienas fuisse, aut eiusmodi, ut causam eius læderent. Quod ergo ille tum fecit in legibus, mirari non debes, pie lector, si idem nunc faciat in patribus.

Argumentum certè nostrum, quod à principio allatum fuerat, adhuc manet indissolutum. Quod intrat in os, uadit in uentrem, & emittitur in secessum. Christi corpus non emittitur in secessum: ergo, non intrat in os. Maior propositio domini est: & uerissima est, si propriè, ut exposuimus, accipiatur. Minor uerò ne ab ipso quidem Inconstantio negari potest. Quare cum utraq; propositio concedatur, nulla sophistica efficere potest, ut conclusio impediatur. Cum ergo nullam aliam artem, aut machinam uideret superesse, ocu-

los

los lectoris à conclusione uoluit auertere, & eum uagum iam, & errantem per Patrum campos traducere: ita tamen ut per singulos saltus se ipsum grauissimè uulnerarit. Ad extremum autem loquacitati suæ conuitiorum fastigium imposuit. Hoc enim saltem uidit non decere, ut à toto ædificio manus extrema dissideret.

OBIECTVM LXXXIX.

CHRISTVS est spiritualis cibus, spiritualiter editur, spirituali nostri parte digeritur, & uitam dat spiritualem. Ergo non comeditur, deglutitur, digeritur, nostris dentibus, lingua, gutture, & uentre, carnaliter, naturaliter, & sensibiliter.

GARDINERVS.

IN *Christi corpore manducando, cum in Cœna porrigitur, adest quidem ex Christi instituto corporis nostri, & sensuum officium: quoniam integro homini dicitur, Accipite, Manducate.*

MARTYR.

RVrsus animus est Inconstantio bellum redintegrare, idq; ut semper, non ex scripturis, sed ex malè comparatis & conscriptis Patrum copijs. In ipso autem limine quædam præfatur: quibus uideri uult statim diluisse argumentum. Hoc primùm assumit, Christum integro homini dixisse, ut Acciperet, & manducaret: quasi uerò nos discerpamus homines, aut non relinquamus integros. Nos certè cuiq; duas partes tribuimus, quibus imperata faciat. Corporis enim ministerio comedit naturaliter symbola: animo autẽ per fidem corpus ipsum Christi: quod est comedere spiritualiter. Vt, præceptor interdum discipulis suis non discerptis, sed integris dicit, Attendite diligenter, quæ dico: & illi, ut morem gerãt, auribus quidem admittunt sonos, significata autem animis percipiunt: integri tamen, & incolumes præceptori monenti obsequuntur; non una tantũ, sed utraq; sui parte.

Meminisse etiam debes, pie Lector, Inconstantium quoquo modo uelle, qua est peruicacia, aduerbium illud, Sensibiliter, retinere: quòd illam uocem uideat extare in insana illa recantatione Berengarij: quam illi Romanus pontifex stultissimus, atq; insulsissimus Nicolaus præscripsit. Ait ergo, Sensibiliter, ita excludendum esse ab hoc negotio, quatenus notat, & refert iudicium sensuum: id q; dicit, quòd uideret sibi non licere pugnare, cum communi experientia. Nemo enim in sacra Cœna carnis, aut sanguinis saporem gustat. Quare contendit, ista penetrare quidem in nos per organa sensuum: iudicio tamen sensuum non percipi. Sed hic nobis, si deo placet, noua obtruditur philosophia & Grammatica. Quis enim unquam audiuit, aliquid fieri sensibiliter, quod non sentiretur? Nam sensibilia sunt, quę aut sentiuntur, aut sentiri possunt. Id q; dicitur, aut agere, aut pati sensibiliter, cuius uel actio, uel passio sentitur. Christum à nobis, ut decet, perceptum, & animo, & corpori uitam cœlestem afferre, extra cõtrouersiam est. Hoc autem absurdius est, quàm ut ferri possit, illam uitam ex corpore nostro in animum penetrare: contrà enim ab animo deriuatur in corpus. Ortum enim habet à fide, qua percipimus Christum. Neque tacere possum, nos ab isto sycophanta falsò, atq; iniustè insimulari; quasi uitam illam, quam Christus suis communicat,

Nihil fit aut geritur sensibiliter, quod non sentiatur.

ad unam tantum hominis partem uelimus contrahere. Nos enim cibum spiritualem carnis Christi nõ tantùm animo, sed etiam corpori prodesse confitemur: Christumq; huius uitę, quam nunc & animo, & corpore naturaliter uiuimus, autorem prædicamus. Primùm enim creauit nos, idq; beneficium non tantùm suis, sed etiam alienis impartitus est: deinde & animos, & corpora nostra ad uitã æternam instaurauit. Calumnia ergo est, quòd ait, nos naturalis, & cœlestis uitæ distinctionem confinxisse. Nemo autem tam crassus est, quin uitam spiritualem, à mundana uelit separare: & malè in sacris literis uersatus est, qui uitam corporum nostrorum spiritualem, à uita naturali, quam cum impijs habemus communem, non possit discernere. De ea enim Paulus ita monet cap. 12. ad Romanos, ut exhibeamus deo corpora nostra hostiam uiuentem, gratam, & bene placentem. Neq; aliud est, quod passim legitur apud Patres, Extra carnem in carne uiuere.

Iste uerò, qui nobis tam importunè obstrepit de utili & necessaria distinctione, quasi nos eam astutè confinxerimus, aliam adducit ipse & inutilem, & supervacaneam. Partim enim ait Christum à nobis ore manducari sub accidentibus panis & uini, quam propriè appellari uult manducationem: partim autem animo & fide recipi: idq; genus manducationis negat esse proprium: imò illud contemptim appellat allegoricum. Sed ista plena sunt impostura, & fraudibus. Quomodò enim, qui ore corporis comedit externa symbola, potest dici comedere corpus Christi, si uerba propriè intelligamus? Certè propriè comedere, est dentibus comminuere, & commolere, & in partes diuidere. Hanc significationem ita propriè acceptam accommodet Inconstantius ad corpus Christi, si potest. Quòd si nõ potest, & corpus Christi alio aliquo modo dicit comedi, necesse est, uelit, nolit, ut fateatur, se uerbo Comedendi, metaphoricam significationem attribuere. Quantò igitur nos & dilucidius, et commodius dicimus, panem quidem ac uinum in Cœna comedi naturaliter, ac propriè: corpus autem, & sanguinem domini, quæ significantur, animo & fide percipi? Quod genus perceptionis dominus Iesus nobis tropo comedendi, & bibendi commendauit? Membra tamen distinctionis propositæ ab Inconstantio, quorum alterum physicum esse uult, alterum allegoricum, equidem non reijcio: distributioni tamen eius minimè assentior. Naturalis enim, & propria manducatio symbolorum est: corporis autem Christi metaphorica. Eius enim caro humano modo comedi non potest.

Veri corporis Christi manducatio nõ potest esse nisi metaphorica.

Verùm iam tempus est, ut aliquãdo lustremus aciem istam Inconstantij. Pro Antesignano producit Origenem ex homilia 16. in librum Numer. Sed ille, ne erret, nostrarum partium est: & pro nobis pugnat. Attende enim diligẽter, quid

Origenes.

„ scribat: Bibere, inquit, dicimur sanguinem Christi, non solùm sacramentorum
„ ritu, sed etiam, cum Sermones eius recipimus, in quibus uita consistit. Sicut &
„ ipse dicit: Verba quæ loquutus sum uobis, spiritus, & uita sunt. Ex his uerbis Inconstantius duplicem colligit manducationem: unam in ritu mysteriorum: alteram citra mysteria. Et istas manducationes ait se inuicem non perimere. Nihil pro nobis dici apertius potuisset. Istæ enim duæ manducationes ita inter se congruunt, ut una sæpè cum altera cõiungatur. Nam dum uerba domini de promissione æternæ uitæ per mortem Christi audimus, & credimus, corpus eius manducamus, & sanguinem eius bibimus: etsi ad sacramentum externum non accedamus. Interdum autem præter istam attentionem, & fidem, quam exhibemus uerbis domini, panem etiam, & uinum comedimus in sacra Cœna: nec ea accessio symbolorum inanis est. Vt enim & paremus instituto domini, & mentis, atq; fidei nostræ comprehensio & uehementior fit, & fructuosior. Quamobrem

obrem si manducationem referas ad corpus domini, eadem est & cum symbolis, & citra symbola: quod etiam Origenes ipse dicit, cum scribat, sanguinem domini bibi non tantùm ritu sacramentorum, sed etiam cum fideliter attendimus uerbo dei. Inconstantius autem ita demùm aliquid effecisse uideri posset, si Origenes diceret, etiam illos, qui symbola sine fide recipiunt, uerè ac propriè comedere corpus Christi. Id autem non dicit. Hoc tantum ait, corpus domini comedi, & cum symbolis & sine symbolis. Quod quia nos quoque docemus & dicimus, Origenem non pro hoste habebimus, sed eum potius ad nostras copias adscribemus.

Origeni succedit Ambrosius ita scribens in Psalmos: Bibe Christum, quia pax est: Bibe Christum, quia flumina de uentre eius fluunt aquæ uiuæ: Bibe Christum, ut bibas sanguinem, quo redemptus es: Bibe Christum, ut bibas sermones eius. In duobus postremis membris huius orationis magnum puluerem Inconstatius excitat: sed ita subtilem, ut possit uideri fumus. Vult enim arguta quadam distributione, & proprium esum Christi, & metaphoricum insinuari: ut primùm Ambrosius agat de proprio, post de metaphorico. Priori enim loco ait, eum hortari ad proprium esum Christi sub ritu, & ceremonia Sacramentorum: posteà autem ad metaphoricũ, cũ iubeat, ut bibamus sermones eius. Quis istud acumen non admiretur? Nos autẽ homines hebetiores & crassiores, Ambrosij uerba simplicius intelligimus: ut ita dicat: Bibe Christum, hoc est, in Christum crede: & sanguinem eius bibe, hoc est, sanguinem eius pro te fusum fide complectere, & fructum ex eo cape: nam illo sanguine redemptus es. Rursus hortatur, ut Christum bibamus per fidem, nimirùm, in illum credendo. Quid aũt id sit, per interpretationem subijcit, ut credamus sermones eius. Illi enim dicuntur, Christum bibere, qui promissiones, & uerba eius uero cum affectu in sese transferunt. Ista plana sunt, & perspicua: neq; opus habent huius Sophistæ tam exquisita subtilitate. Verùm, quoniam in duobus posterioribus membris ita uoluit philosophari, cur non ad priora quoq; eandem adhibuit diligentiam? Bibe Christum, quia pax est: Bibe Christum, quia de uentre eius flumina erumpunt aquæ uiuæ. Cur non hic quoq; metaphoram, & ritum Sacramentorum excogitas? Abisis, quò dignus es, cum istis nugis tam puerilibus. Habent interdũ apud bonos authores huiusmodi Rhetoricæ distributiones nõ uulgarem suauitatem, & consolationẽ. Quæ tamen non ita persequendæ sunt, ut commisceri nõ possint. Saluo enim, & integro sensu possunt inter sese uariari. Idq; non tantùm in patribus & Rhetoribus, uerùm etiam in diuinis literis potest obseruari. Ita enim Paulus ait, Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Quis sapiens uelit ista ita distinguere, quasi mors Christi ad iustificationem nostram nihil fecerit? Idem alibi ait, Corde creditur ad iustitiam: ore aũt confessio fit ad salutem. An ergo credemus, fidem cordis nihil conferre ad salutem? aut cõfessionem alienam esse à iustitia? Sexcenta alia huius generis colligere possem ex Psalmis Dauidis, & Prouerbijs Solomonis. In exponendis patrum scriptis, & sacris literis simpliciter, & candidè, non autem ita uersutè & callidè agendum est.

Ambrosius.

Sed Cyprianus quoq; de duplici Martyrio contra nos citatur. Is ita scribit: Sanguis Abel clamans de terra loquebatur uindictam: at sanguis Christi clamãs de Cruce pacem loquitur, & reconciliationem. Qui idem sanguis, quoniã à nobis bibitur, si tamen dignè bibitur, clamat in cordibus nostris uerba pacifica, & solatij plena. Hic Inconstantius duo annotauit: primùm, Cyprianum indicasse proprium modum bibendi sanguinis Christi, cum dicat, si modò dignè bibitur. Nam cũ impropria, seu metaphorica mãducatione Bibere sit Credere, nullum

Cyprianus.

ait, locũ relinqui illi distinctioni, ut alij dicãtur dignè, alij indignè credere. Alterum est, eundem Christi sanguinem & dignè, & indignè sumi posse. Ad hæc duplici uia nobis occurrendum est: priori, quasi demus, libellum illum de duplici Martyrio cõscriptum fuisse à Cypriano; altera, qua doceamus illum ad sanctum Martyrem nihil pertinere. Quod ad primum attinet, nõ negamus, eundem illum sanguinẽ à nobis bibi, quem Christus pro nobis effudit in cruce. Fides enim nostra, qua illũ bibimus, non in alium fertur sanguinem, quàm quo redempti sumus. Quòd aũt alij dicantur dignè, alij indignè bibere, id uel ad symbola, uel ad rem ipsam referri potest. Si ad rem ipsam referatur, id ita concedemus, quatenùs inter credentes aliqui infirmi sunt, & aliquo interdum cũ lapsu, aut peccato communicant. Illi, cum non careant fide, non possunt prorsus exortes dici corporis Christi. Illiq; propter suam negligentiam ob rem diuinam indignè perceptã non fructum aliquem, sed potius quippiam damni reportant. Ita multi fuerunt in Ecclesia Corinthiorũ, quos Apostolus grauiter increpuit, eosq; dixit à domino castigari, ne cum mundo damnarentur. De hoc sanguine Cyprianus uidetur dicere, si dignè bibatur, illum uerba pacifica, & plena solatij in nobis clamare. Quod si hãc indignitatem ad homines impios, & prorsus à deo alienos referas, eos etiã in communione dicemus indignè bibere sanguinem domini, quãuis re ipsa symbolo tantũ fruant, quo ille sanguis repręsentat: quod tamen symbolum dicit esse sanguis, qui pro nobis in Cruce fundebat: quòd sit illius sanguinis Sacramentũ.

Liber de duplici Martyrio nõ est Cypriani. Erasmus.

Atq; hæc hactenus ita dicimus, quasi liber ille sit Cypriani. Nunc autem dico, illud opus Cypriano nullo modo esse tribuendum. Erasmus id uidit; & ideò illum librũ post alia omnia opera notha, & supposititia, quæ Cypriano adscribi solent, collocauit. Ita prorsus opusculum illud non tantùm Cypriani nomine indignum esse iudicauit, sed etiam, quod uel inter spuria eius patris opera censeretur. Huc etiam accedit χαρακτὴρ ipse, & ratio scribendi. Ita enim citat Euangelia, κατὰ Lucam, & κατὰ Iohannem. At Cyprianus ipse nunquam ita semigræcè, & semilatinè loqui solet. Illud aũt certissimo argumento esse potest, quod pagina 520. legitur: Si quis miles iuratus in uerba Cæsaris confugeret ad Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea, quæ sciret ingratissima esse Cæsari. Nam ætate Cypriani imperante Valeriano, aut Gallieno, ne auditũ quidem erat Turcarũ imperium. Quid hic respõdeat Incõstantius, nisi se alienis oculis uidisse, & alienis scripsisse manibus? At ego illi consulo, ne ita posthac faciat. Multò enim satius est paucioribus contentũ esse testibus, quàm eos undiq; sine delectu corrogare, quorũ postea te pudeat. Sed hoc illis usu uenire solet, qui sese plumis alienis cõtegũt.

Hilarius.

Cæterùm istum laruatum Cyprianum missum iam faciamus, & Hilarium audiamus. Is in Psal. 127. ita scribit: Ex hac igitur filij, qui erunt, tanquam nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ nostræ erunt. Non in conuiuij circuitu futuros ait esse, sed mensæ. Mensa enim domini, ex qua cibum sumimus, panis, scilicet, uiui, cuius hæc est uirtus, ut ipse uiuens eos quoque, qui se accipiunt, uiuificet. Est & mensa Lectionum dominicarum, in qua spirituali doctrinæ cibo alimur. Hæc uerba Hilarij etsi sint uera, quemadmodum ea esse profitemur, tamen hoc loco miserè perduntur, & profunduntur ab Inconstantio. Hic enim Hilarius duplicem esse probat manducationem domini: quam nos quoque ubiq; docemus: Vnam, qua nudis uerbis auditis, & creditis, recipimus, & manducamus Christum: alteram uerò, qua additis symbolis panis & uini, eundem Christum comedimus. Possemus etiam mensam sacræ lectionis hoc discrimine distinguere à cœna domini: quòd in scripturarum lectionibus præter passionem domini, qua nos redemit, cuiusq; etiam beneficij peculiaris memoria in Eucharistia suscipienda renouatur, permulta etiam alia continẽtur, quib. mente, ac spiri-

ac ſpiritu per fidem alimur. At in celebranda Cœna domini hoc unicum, & ſingulare beneficium potiſsimùm recolitur, & ſub oculis ſubijcitur. Hoc diſcrimen ſi Hilarius reſpexit, ut contra nos nihil facit, ita Inconſtantiũ nihil iuuat. Quod autẽ in Cœna utimur oris externi officio, quo in ſimplici ſeu omninò ſpirituali manducatione non egemus, quid nunc opus eſt repetere, cum iam anteà toties ſit expoſitum?

At Ambroſius in Pſal. 118. Sermone 5. ita ſcribit: Habes Apoſtolicum cibum: manduca illum: & non deficies. Illum autem manduca, ut poſt peruenias ad cibũ Chriſti: ad cibum corporis dominici: ad epulas ſacramẽti: ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus: ut lætitiam induat de remiſsione peccati, curas ſæculi huius, metum mortis ſollicitudinesq; deponat. Si Inconſtantius, cum iſta citet, non nugatur, equidẽ, quid nugari ſit, non uideo. Quis enim neſcit, hunc ſemper morem fuiſſe in Eccleſia, ut homines antè rectè inſtituerentur de fide, quàm aut ad Baptiſmum, aut ad Euchariſtiam admitterentur? Non eſt ergo difficile uidere, quid Ambroſius moneat: hoc ſcilicet, ut homines primùm credant prædicationi Apoſtolicæ: deinde ut accedant ad menſam domini. Sed dices, Cum homines Apoſtolica prædicatione inſtituuntur de corpore & ſanguine domini, quæ oblata ſunt pro noſtra ſalute, & iſti doctrinæ fidem habent, nonne comedũt & bibunt corpus & ſanguinem domini? Certè comedunt & bibunt: atq; etiam eadem illa, quæ poſteà recipiunt in Cœna: niſi quòd, cum accedunt ſymbola, ad eundem illum cibum magis, magisq; ſeſe accommodant, & corporis etiam miniſterium exhibent. Hoc, niſi quotidiè in humanis actionibus fieret, fortaſſe uideri poſſet obſcurius. Sed uidemus eos, qui fidem ſibi mutuò dederũt, & inter ſe ſanctè aliquid promiſerunt, quò illa pacta magis etiam confirmentur, iubere ſæpe cibum potumq; proferri: non quò accedat noua fides, ſed quò illa, quæ anteà data fuerat, teſtatior reddatur, & firmior. Hoc eodem ſimili Bernhardus quoq; uſus eſt, cum hac de re ageret: & annuli, & inueſtituræ mentionem fecit. Sed cur non animaduertit in hac ſua inutili diſtinctione Inconſtantius, eoſdem Apoſtolos utriuſq; cibi miniſtros eſſe? Non enim prædicationem tantùm, & doctrinam populo ſuppeditant, ſed etiam ſacramenta exhibent, nec minus in uno, quàm in altero miniſterio Chriſti uices gerũt. Neq; alia de cauſa Ambroſius iſta ſecuit, niſi quòd oportet unum alteri anteuertere. Nemo enim aditum habet ad poſterius, niſi qui uerſatus fuerit in priori. Atque illud etiam hic repetendum eſt, prius illud miniſterium multò latius patere, quàm poſterius. Illud enim omnia dei beneficia complectitur: hoc autem ad mortem Chriſti, & ad condonationem peccatorum per eam impetratam tantùm contrahitur. Illud uerò non tanti eſt, quod Inconſtantius de utilitate externę manducationis cõmemorat. Id enim nos non reuocamus in dubium, manducationem ſacramẽti ſuas quaſdam, easq; præclaras, & magnas habere utilitates. Realem tamen, & ſubſtãtialem eſum corporis Chriſti, quem iſti ori, & faucibus attribuunt, fictitium, & inutilem eſſe affirmamus. Ad hoc probandum incumbere debuit Inconſtantius, non ea fruſtrà ex tot teſtibus commemorare, quæ, modò rectè & ſanè intelligantur, nos poſsimus ſine ullo noſtræ cauſæ incommodo facilè recipere.

Ambroſius.

Bernhardus.

Apoſtoli nõ tantum prædicarunt, ſed etiam miniſtrarunt ſacramenta.

Sed Hieronymum etiam commemorat, qui in tertium caput Eccleſiaſtæ ita ſcribit: Porrò, quia caro domini uerus eſt cibus, & ſanguis eius uerus eſt potus, iuxta Anagogen hoc ſolùm habemus in præſenti ſæculo bonum, ſi ueſcamur carne eius, cruoreq; potemur: non ſolùm in myſterio, ſed etiam in ſcripturarum lectione. Verus enim cibus & potus, qui ex uerbo dei ſumitur, ſacra ſcriptura eſt. Quid hic aliud ſcribit Hieronymus, quàm eundem cibum & potum domini hauriri & ex ſcripturis, & ex myſterijs? Sed quoniam non ſemper poteſt co-

Hieronymus.

pia esse Sacramenti, idcircò Hieronymus monet, ut operam diligenter demus sacris literis. Vtrinq; enim cibum eundem posse capi. Hieronymus ergo nõ pro Inconstantio, sed pro nobis dicit testimonium. Quòd autem addit, manducationes istas, quas Hieronymus cõmemorat, sese mutuò non pellere, miror quorsùm dicat: quasi uerò nos dicamus, illas inter se pugnare. Dispeream, si iste, quid ipse dicat, intelligat. Nos enim duas istas manducationes dicimus sæpè in eandẽ Cœnam domini simul concurrere: tantũ abest, ut eas inter se dicamus dissidere. Mendacium autem est, quòd ait, Christum in scripturis sumi tantùm allegoricè. Illis enim edocti, & instituti Christum ipsum fide, & animo uerissimè complecti mur. Illa autem est manducatio Christi allegorica, cum sacramenta tantũ sumun tur ab illis, qui careant fide. Nam illi non alia ratione manducãt corpus domini, nisi quia sacramentum corporis eius comedunt. Admirabilis autem est ista conclusio, quam Inconstantius colligit ex uerbis Hieronymi. Si unus, inquit, esset perceptionis modus, mysteriorum perceptionem à lectione nõ diuisisset. Quod ad corpus Christi attinet, ô bone uir, idem omninò est utrinq; perceptionis modus. Id tantùm est discriminis, quòd in sacra Communione adduntur etiam symbola, quemadmodum in scriptura uel literæ proponuntur, uel uox recitantis auditur. Si nos ista semel tantùm dixissemus, existimari posset Inconstantius, forte tasse non intelligere sententiam nostram. Sed quoniam ista millies audiuit, iam non errare, sed uafrè, & callidè calumniari conuincitur.

Chrysostomus. Chrysostomum etiam citat ex homilia in Iohannem 45. Si quis manducaue
„ rit ex hoc pane, uiuet in æternum. Panem uerò, inquit Chrysostomus, siue do
„ ctrinam hoc in loco, & salutem, & fidem in se, siue corpus suum dicit. Vtrunq;
„ enim animam fortiorem reddit. Ecce, inquit Inconstantius, manducare doctri
„ nam, & manducare corpus Christi in Sacramento, Chrysostomus distinguit: &
„ utrunq; ait, animam fortiorem facere. Neq; potest, inquit, corpus hic significare
„ doctrinam, cum per disiunctionem ab ea secernatur. Primùm hoc mihi, Lector monendus es, ne putes ex omni parte doctrinæ, cum ei habetur fides, sumi corpus Christi. Dum enim aut recitantur comminationes de Gehenna, aut prouocamur ad misericordiam, aut narrãtur impiorum hominum res gestæ, aut orbis creatio commemoratur, nec nostra Cõmunio cum Christo, nec Christi nobilitas proponitur, nec corpus domini nostra causa ad mortem traditum describitur; cum tamen ex illa quoq; parte scripturarum lectores, & auditores plurimũ ædificentur. Atq; ita istæ quoq; partes aliquo modo dici possunt panis & cibus animorum, quemadmodum Chrysostomus ait: quamuis propriè non possint appellari corpus Christi. Et hoc illud est, quod suprà monui, corpus Christi minus latè patere, quàm sacras literas. Istæ enim, & corpus Christi, & alia permulta continent. Inconstantius autem hæc ita accipit, quasi retrò commeent, &, ut loqui solent, conuertantur. Chrysostomus ergo distinguit manducationem, qua corpus domini nudis uerbis proponitur fidei nostræ comedendum ad salutem, ab ea, qua præter uerba adhibentur etiam symbola: quæ etiam ipsa appellantur corpus domini: quod utrouis modo sumatur, animi nostri reddũtur fortiores. Quam quam nullo modo intelligere debemus corpus Christi à seipso diuersum esse. Proposui ergo duas rationes, quibus Chrysostomi uerba satis commodè exponi possint: Vna est, ut scriptura in uniuersum proposita distinguatur ab ea parte, ubi seperatim, & seorsim agitur de corpore Christi pro nobis oblato in Cruce. Vtrinq; est panis & cibus animi: etsi non utrinq; sit corpus Christi, sed tantum in ea parte ubi mors, quam obijt pro nostris peccatis, commemoratur. Altera est, ut manducatio ista corporis domini distinguatur à se ipsa: quòd ea interdum nudis uerbis perficiatur, interdum autem illustretur etiam symbolis.

Non in omni parte scripturæ corpus Christi licet spiritualiter comedere.

Deinde

Deinde citatur Cyrillus ex libro 11. cap. 27. in Iohannem. Vniuntur autem inquit, etiam deo: & modum ipse Saluator aperuit, dicens, Ego in ipsis, & tu in me; ut in unum sint consummati: corporaliter enim filius per benedictionem mystícam nobis ut homo unitur, spiritualiter autem, ut deus, sui spíritus gratia nostrum ad nouam uitam, & diuinæ naturæ participationem spíritũ redintegrans. Ex his uerbis Cyrilli Inconstãtius colligit, corporalem nostram unionem, quam habemus cum Christo, aliam esse à spirituali unione, quam habemus cum deo: ut illam corporalem fieri dicat per benedictionem mysticam, hoc est, per Eucharistiam. Sed ego hoc loco quæro ex Inconstantio, quónam modo intelligat ex istis uerbis Cyrilli, quibus declaratur unio spiritualis, quam habemus cum deo, spíritum nostrum effici participem diuinæ naturæ. An arbitratur, animum nostrum transire in substantiam dei? an potius conditionum eius, et proprietatum, & qualitatum effici participem? Primum, opinor, non dicet. Nam alioqui non tantùm stultus esset, sed etiam insaniret. Quòd si alterum dicet, quòd certè necessariò dicendum est, cur in priori membro statuit, nos aut aliter, aut magis fieri participes corporis domini? Satis illi profecto communicamus, cum participatione fidei etiam corpore illi símiles euadimus. Ad hæc uideo, Cyrillum idcircò hæc ita distinxisse, quòd symbola panis & uini, non propriè nobis diuinitatem referant, sed tantum humanam naturam Christi. Itaque duo illa aduerbia spiritualiter & corporaliter ita distribuit. Neque uerò dicimur per Eucharistiam Christo uniri corporaliter, nisi quòd ad illam coniunctionem, quæ habetur per fidem, oris etiam, & corporis nostri accedat ministerium, nimirum dum symbola comedimus.

Cyrillus.

Quomodo spiritus noster efficiatur particeps diuinæ naturæ.

Citatur etiam Augustinus tract. 27. in Iohannem. Hoc ergo, inquit, totum ad hoc nobis ualeat, dilectissimi, ut carnem Christi non edamus tantùm in sacramento, quod & multi mali faciunt: sed ut usque ad spíritus participationem manducemus: ut in domini corpore, tanquam membra, maneamus: ut eius spíritu uegetemur: & non scandalizemur, etiamsi multi nobiscum modò manducent temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine tormenta. Hinc Inconstantius colligit, quod illi haud dubiè dandum est, manducationem sacramentalem aliam esse à spirituali: ea uidelicet, qua uescimur corpore Christi usque ad participationem spíritus. Illud autem alterum, quod colligit, pernegamus, malos, uidelicet, quamuis in Sacramento uescantur eadem carne domini, tamen nõ peruenire usque ad participationem spíritus. Hoc Augustinus procul dubio simpliciter non dixit. Eius enim uerba, quòd attinet ad homines prorsus malos, qui careant fide, & à Christo sint alieni, ita accipienda sunt, ut per carnẽ domini symbola intelligamus: quæ eodem censentur nomine cum re significata. At si de Christianis aliquo peccato contaminatis, & quamuis non sine aliqua fide, tamen indignè Sacramenta sumentibus, uerba faciat, dicemus, eos unà cum alijs percipere carnem domini: etsi nullam ex eo utilitatem, sed potius damnum cõsequantur. Quare scire debemus, istas manducationes, spiritualem, scilicet, & corporalem, interdum coniũgi: nimirùm, in hominibus fidelibus & pijs cum accedũt ad cœnã domini: interdum aũt disiungi, idq; bifariã: aliquando enim externa symbola recipiuntur sine manducatione spirituali: aliquando spiritualis manducatio habetur sine symbolis. Quorum alterum in pijs accidit, alterum in impijs.

Augustinus.

Deinde spiritualis etiam manducatio, quæ fide percipitur, & corpus ipsum, sanguinemq; domini complectit, non est par in omnibus fidelibus. Nam qui sese de Pauli consilio probant, & cum uera, atq; efficaci pœnitentia accedũt, magno cum suo commodo manducant. Qui autem fide quidem aliqua prædíti, tamen cum uitijs negligenter & indignè adeunt ad Sacramentum, nõ quidem illi omni

prorſus carere poſſunt utilitate: nulla enim agnoſcenda eſt uera manducatio carnis Chriſti, quę non ſit ſalutaris. Attamen negligentię ſuæ qualiſcunq; pœnas dabunt: idq;, ut Paulus ait ad Corinthios, ne cum mundo damnentur. Huiuſmodi enim flagella ſunt organa dei, quibus illæ filios errantes reuocat in uiam. Et cum Auguſtinus tormenta illa, quæ indigne communicantes patientur, dicat fore æterna: aut ad infideles & fictos ea uerba referenda ſunt, aut ad iſtos negligentes: ſed cum ea conditione, niſi eos aliquando pœniteat indignitatis & negligentiæ ſuæ.

,, Poſteà Inconſtantius magnificè, atque impudenter nobis obſtrepit, Auguſtinum non dicere, malos nihil aliud nobiſcum ſumere, quàm panem: hoc illum potius dicere, illos carnem ipſam domini nobiſcum habere communem. Nos uerò, quid Auguſtinus intelligi uelit per carnem, ſatis expreſſimus: ſi quid homini importuno, & pertinaci poſſet eſſe ſatis. Verum ipſe Auguſtinus quid de impijs, & à fide alienis hominibus ſtatuat, ſatis ipſe aperte docuit lib. 21. de Ciuita. dei, cap. 25. Ita enim ſcribit: dicendum non eſt, eum comedere corpus Chriſti, qui in corpore non eſt Chriſti. Et addit: Nec iſti ergo dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quia nec in membris computandi ſunt Chriſti. Vt enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe membra Chriſti, & membra meretricis. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meũ, in me manet, & ego in eo. Oſtendit, quid ſit, non Sacramentotenus, ſed re uera comedere corpus Chriſti: hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Hoc enim ſic dixit, tanquam diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum, aut ſanguinem meum bibere. Idem habetur in Sentẽtijs decerptis ex eodẽ Auguſtino, Senten. 338. Nam qui diſcordat à Chriſto, nec panem eius edit, nec ſanguinem eius bibit: etſi tantę rei Sacramentum quotidiè ad iudicium ſuæ præſumptionis indifferenter accipiat. Hæc, opinor, oſtendunt luculenter, me nullum alienum ſenſum affingere Auguſtino, quem ex ipſo non hauſerim.

Auguſtinus.

Auguſtinus.

,, Ad hæc Inconſtantius pondus non uulgare putat in eo eſſe, quòd Auguſtinus dicat, Ne ſcandalizemur, etſi multi modò nobiſcum manducent, & bibant temporaliter Sacramenta. Non enim eſſet ſcandalum, inquit, ſi tantùm acciperent Sacramentum, & externũ ſymbolum. Hæc idcircò dicit, quòd ſacramenta, & ſymbola res quaſdam putet eſſe leuiſſimas. Quaſi uerò multi non poſſint offendi, quòd deus interdum homines fictos, & impios patiat baptizari, aut una cum pijs, & fidelibus uerba ſacrarum ſcripturarum audire.

Theophylact.

Ad hæc Theophylactus etiam citatur in 6. caput Iohannis. Vbiq; autem, inquit, uitæ meminit, & crebrò hoc nomen addidit: quia nihil ita ſuaue hominibus, ut res illa. Igitur & tu potes, non ſolùm ſecũdum myſticam benedictionem comedere & bibere corpus & ſanguinem domini, ſed & alio quodam modo. Etenim & carnem manducat aliquis, quando per practicen incedit. Caro enim operatiua eſt, ut & practice laborioſa. Sanguinem uerò bibit, ut uinum: quo cor contemplatiui lætificatur. Ecce, inquit Inconſtantius, Theophylactus notat alium modum à Sacramentali communione: neque modus manducationis, ut Figurantes, confundit. Hoc uerò plus quàm Sycophaſticum eſt, ab iſto præſtigiatore nobis attribui confuſionem, maximè cum ubique ſumma utamur perſpicuitate. Manducationem enim eam ſpiritualem, quę ſide perficitur, interdum ſolam, et nudam eſſe dicimus, interdum uerò cum externis ſymbolis copulatam. Quid, quæſo te, ſimplicius, quàm hoc, aut apertius dici poteſt? Noſtra non ſunt confuſa, obſcura, ſalebroſa, confragoſa, niſi quòd iſte ſpinas habet in lingua, & calamo, utq; dicitur, nodum in ſcirpo quærit. Verùm, cum confuſionem ita exti-

extimescat, id, quod tractat, tam superstitiose distinguit, ut nobis ex una manducatione geminam, tergeminamq; pepererit. Primam enim esse uult realem, aut, ut loquuntur, substantialem. Alteram, quæ sita sit in cognitione scripturarum. Tertiam uerò, si deo placet, appellat practicam: eamq; in uitæ innocentia sitam putat. Hæc primùm corrasit ex Theophylacto: eaq; postea confirmare uoluit testimonio Basilij. Is enim in epistola 141. ait, Carnem Christi significare omnem eam uitam, quam egit in terris: ut eius uestigia sequamur. Basilio relinquamus, ut par est, suam allegoriã: & nisi Inconstantius testibus melioribus, aptioribusq; utatur, præsertim ex diuinis literis, sinamus eum placere sibi, & lectorem obtundere blattologia sua.

Aduersarius ponit tres manducationes.

Basilius.

Vltimo tamen loco audiri uult Bernhardum, cuius testimonio loquacitati suæ fastigium imponat. Citat eius Sermonem De Cœna domini: quem ex inscriptione, quæ in multis exemplaribus circumfertur, apparet non esse Bernhardi. Sed quicquid est, ad hunc modum ibi scribitur: Comestio itaq; sacramentalis, quantum ad uisibilem speciem, & quantum ad corporis Christi ueritatem conuenit bonis, & malis communiter. Sed est alia comestio, sicut iam diximus, bonorum solummodò: quam per dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem, uitæ meritum efficit, & affectus mentiũ in cordibus percipientium, uel ministrantium, intercedente spirituali, & subtiliori quadam unione capitis, & membrorum. Si in ista oratione Bernhardi, quicũq; tandem ille fuerit, intelligamus malos, qui ita mali sint, ut tamen fide non careant, sed qui se nõ ita, ut par est, probent, uerùm aliquo uitio contaminati, sine iusta pœnitentia accedant ad sacram Cœnam, illorum quoq; manducationem, cum non careat fide, fatebor ad ueritatem corporis Christi pertinere: etsi illa non faciat ad eam coniunctionem, quam habere debemus cum Christo, sed potius propter negligentiam, et indignitatem accersat uindictam, & castigationem. At si malos intelligat homines fictos, & mentitos, & prorsus à Christo alienos: non tanti est apud me eius authoritas, quò minus ab eo liberè possim dissentire. Quę ad finem Inconstantius infarcit, quia nihil aliud sunt, quàm maledicta, & mendacia, ea nolo dignari responso. Latranti enim cani quò magis, ac magis resistas, eò ille magis, magisq; latrat.

Bernhardus.

OBIECTVM XC.

NVLLVM est discrimen inter spiritualem mãducationem, quæ describitur in 6. Iohannis, & illam quam dominus instituit in ultima Cœna: nisi quòd illi doctrinæ, & promissioni, quam tradiderat, in Cœna adiecit etiam symbola. Ergo, ponenda non est corporalis manducatio, nisi tantùm symbolorum.

GARDINERVS.

ANTECEDENS est asseueratio mera, quæ sola audacia nititur fortiter mentientis. Quod Christus in 6. Iohannis de carnis suæ esu generaliter docuit: tũ quod de danda carne sua in cibum specialiter promisit, utrunq; Christus ad Eucharistiam pertinere, ipsa sacramenti institutione ostendit.

MARTYR.

INconstantius, cum aliud, quod diceret, non haberet, assumptum in hoc argumento, solam ait esse asseuerationem, quę tantùm nitatur audacia hominis for

titer mentientis. Sed meminisse debuit, illud assumptum à nostris multis esse, & ueris rationibus confirmatum. Inter alia autem hoc dictum est, Iohannem Apostolum, cum scriberet Euangelium, & iam in sexto capite mentionem fecisset de spirituali manducatione, ad finem historiæ suæ mentionem, & institutionem sacramenti præterijsse: non alio sanè consilio, ut omnes fermè interpretes putant, quàm quòd in sexto capite rem eam ferè totam explicuisset. Quid autem ex eo rectè conficiatur, nemo est, præter unum Inconstantium, qui nō intelligat. Nam ille solus fingit, Christum in Cœna non dedisse corpus suum, ut in 6. Iohannis promiserat, per fidem, uidelicet, & spiritualiter manducandum: sed præsens inuisibiliter sub specie elementi, cum diceret, Hoc est corpus meum. Atque ita uult Christum satisfeciſſe illi suæ promissioni, Panis, quem ego dabo, caro mea est. De illa Christi promissione, nihil est, quòd hoc loco latius disputem. De ea enim
Locus Iohan. 6 suprà tantùm dictum est, quantum tum satis esse arbitrabar. Hoc tantùm unum repetam, prudenti lectori satis perspicuum esse, uocabulum illud panis apud Iohannem non esse ad symbola referendū: sed ad cibum spiritualem, de quo Christus haud dubiè tum agebat. Panis, inquit, ille, quo uos uesci oportet ad uitam, est caro mea. Nam illam uos oportet edere: hoc est, ut in me credatis, atq; ex me uitam hauriatis. Cum autem diceret panem, non significauit illum panem, quem posteà erat distributurus in Cœna. Et quamuis illud ipsum corpus suum re ipsa Apostolis proposuerit in Cœna comedendum, non tamē illud dabat panis operatum accidentibus, ut isti somniant. Et si locus ille Iohānis ita intelligendus esset, ut isti uolunt, maximè Transubstantiationem refutaret. Eo etiam illi confutarentur qui panem quidem retinēt, sed substantialem præsentiā corporis Christi defendunt, nam illi non dicerent neq; concederēt propria loquutione panem esse carnem Christi: sed cum pane, uel in pane, uel sub pane dari carnem Christi. At si dictum illud, Panis quem ego dabo, caro mea est, ad Eucharisticum panem refertur, tum panis esset caro.

„ Post hæc Inconstantius nos, ut solet, parùm modestè perstringit, quasi dica-
„ mus, Christum promissionem suam de carne danda ad manducandum in Cœna
„ neglexisse. Nos enim & apertissimè, & ubiq; docemus, uerum corpus Christi in Cœna communicātibus spiritualiter edēdum offerri. Omnes enim & uerbis, & symbolis, ad ueræ carnis Christi manducationem inuitantur. Neq;, quod ad uocationem attinet, inter bonos, & malos quicquam est discriminis. Omnibus enim eadem ex æquo proponuntur: etsi non omnes eadem sumant. Neq; tamen falsum est, quod nos Inconstātius ait docere, Christum, uidelicet, in Cœna refricuisse eandem doctrinam, quam docuerat in 6. Iohannis. Nam si diuersam instituisset, nec Iohannes ita eam præterijsset, neq; Patres ea, quæ scribuntur à Iohanne, ita pleno sensu ad institutionem Cœnæ transtulissent. Quid autem dominus sibi uoluerit, cum diceret, Hoc est corpus meum, satis iam superq; diximus: neq; opus est, ut eadem toties repetamus.

OBIECTVM XCI.

CHRISTVS in Eucharistia instituit sacramentum: Ergo, omnia ibi intelligenda sunt sacramentaliter, nihil autem realiter. Nec plus addendū est, quā sacramētalis ratio postulet.

GARDINERVS.

SI *Sacramenta Nouæ legis nihil aliud essent, quàm significationes, quod Sacramentarij sentiunt, rectè in illis opponerentur Realiter, & Sacramentaliter.* Mar-

MARTYR.

FRustrà Inconstantius captat hic distinctionem inter Sacramenta ueteris Legis & nouę. Nam eam ex diuinis literis probare non potest. Imò Paulus planè contrà statuit. Ait enim, ueteres Baptizatos fuisse, & eundem cibum comedisse, & potum eundem bibisse, quem nos hodiè comedimus & bibimus. Ex quibus uerbis liquidò apparet, non tantum discriminis inter ea esse constituendum, ut illorum Sacramenta tantùm obscurè significarint, nostra autem exhibeant res præsentes. Nam id si uerum esset, Baptismus quoque uerum in se corpus Christi contineret. Nam in eo, ut Paulus ait, Christum induimus: tantaq; inter nos & eum initur coniunctio, ut dicamur os ex ossibus eius, & caro ex carnibus eius: nisi fortè iste dicere uelit, istam coniunctionem in Baptismo non contrahi, sed differri usque ad participationem Eucharistiæ. At hoc Paulus non patietur: is enim ad Ephesios, cum huius tantæ unionis mentionem faceret, Baptismum tantùm commemorauit. Deinde si quis, ut sæpè fit, puerili ætate discedat è uita, antequam communicet ad mensam domini, non erit, ex istorum sententia, membrum Christi, nec ad eius corporis compaginem pertinebit. Quare commentitia ista, & inepta distinctio probari non potest. Partes enim eius neque in Euangelicis, neque in ueteris Testamenti Sacramentis constant. Veteres enim patres non minus participes erant Christi, quàm nos hodiè sumus. Consulo itaque Inconstantio, ut deinceps distinctionem sacramentorum, non ex Magistro Sententiarum, aut è Sorbona petat, uerùm è sacris literis. Quòd si ista se dicat habere ex Augustino, uideat, quo sensu illa Augustinus dixerit. Ille haud dubiè hoc significare uoluit, Sacramenta ueterum promisisse Christum uenturum: nostra uerò illum exhibere, aut ostendere iam uenisse. Quod autem ad perceptionem attinet, ea, quæ mente, & fide sumuntur, & fuerunt, & sunt utrinque eadem. Discrimen uerò est in symbolis, & in ratione temporum. Conditiones etiam perceptionis, ut aliâs dictum est, in nostris Sacramentis aliquantò sunt potiores.

OBIECTVM XCII.

NON est remissio peccatorum, nisi per fidem: Papistæ autem reali manducationi corporis Christi attribuunt remissionem peccatorum: Ergo eam tribuunt operi operato non fidei.

GARDINERVS.

SINE *fide impossibile est placere deo, cuius opus nostra causa in carne operatũ per mortem, non amplius operandum, & in nobis operatum uel in Sacramentis, uel extra Sacramenta, causa est & prima, & præcipua salutis.*

MARTYR.

SAlutis nostræ primam & pręcipuã causam Inconstantius facit opus dei, operatum in carne per mortem, operatum item in nobis uel per Sacramenta, uel extra Sacramẽta: & illi merito peccatorum nostrorum remissionem tribuit. Hic annotare debet prudens lector, Inconstantium non totam causam salutis nostræ, sed potiorem tantùm & præcipuam tribuere deo. Vult enim, ut solent alij de gregę Papistarum, contendere cum deo de finibus. Quamuis enim salus nostra dicatur opus dei, nos tamen partem in eo aliquam habere cum deo communem.

,, Quoniam autem conatus noſter, & omninò quicquid efficere poſſumus, ſi con-
,, feratur ad opus dei, tam exiguum eſt, ut penè nihil uideri poſſit, idcircò omnem
,, gloriam deberi uni deo. Vt enim lucernæ lumen obſcurat ad lumen ſolis, ita ope
,, ra noſtra obrui, & obſcurari gratia dei. Et quod infitis partibus ſit minus, conue
,, nienti loquendi forma prorſus negari eſſe aliquid. Ita enim Paulum dicere, Non
,, eſt uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis dei: cum tamen noſtrum uelle, & cur-
,, rere ſit aliquid; etiamſi nihil ſit, ſi cum dei miſericordia confutaſ: ab illa enim uni
,, uerſum noſtrum Poſſe currere, & Velle manare. Vult ergo, nos, cum credimus,
,, cooperatores eſſe operi operato dei: atq; ita etiam eſſe, dum baptizamur, & my-
,, ſtica benedictione fruimur, & aliorum Sacramentorum gratiam percipimus.

O deum immortalem, ſub iſtis paucis uerbis quot, & qualia uenena propinan-
tur? Primùm deo non uniuerſam cauſam ſalutis noſtræ, ſed præcipuam tantũ tri
buit. Ad hæc ex ipſo uſu Sacramentorũ affirmat dari gratiam: neq; interim con
ſiderat, Gratiam, ut Paulus ait, ſi conferatur ex opere non eſſe Gratiã. Deinde
uerba illa Pauli ad Romanos, Non eſt uolentis, neq; currẽtis, nõ ſimpliciter ex-
ponenda eſſe ait, ſed tãtùm ex collatione. Vult etiam opus noſtrum accedere
ad conſequendam uitam æternam, cum ea tamen, ut Paulus ait, ſit gratia dei. Et
cum ad iuſtificationem adiungat opus noſtrũ, neceſſe eſt, ut dicat, nos ex opere
operato iuſtificari. Addit enim opera, tanquam cauſam, quamuis non tanquam
præcipuam, aut maximam. Et quamuis hac in re maiorem partem gloriæ conce
dat deo, tamen hominibus quoq; aliqua ex parte relinquit meritũ. Quàm autem
peruerſè locũ illum ex 9. ad Romanos torqueat, ipſa luce clarius eſt. Hoc enim
ſolum Paulus ibi contendit, totũ, quicquid eſt, tribuendum eſſe gratiæ dei, & ele
ctioni. Neq; progreſſus ille orationis Paulinę patitur, ut lutum cũ figulo coo-
peretur, ut uas aliquod conſtituatur in honorem. Operamur quidem nos quoq;
bene: ſed poſtquam ſemel ſumus iuſtificati. Neq; in illum finem operamur bene,
ut per eiuſmodi opera, tanquam per cauſam, aſſequamur æternam ſalutẽ: uerùm
quò pareamus fidei, obediamus Chriſto, & in dies magis, magisq; renouemur.
Neq; eo contenti ſumus, quod largitur Inconſtantius, quòd aut Velle poſſimus,
aut Currere, id totum nos habere à deo. Tantundem enim poſſemus etiam à Pe
lagio impetrare. Nam ille quoq; docere ſolebat, facultates uolendi, & agendi eſ-
ſe à Deo. Illum enim eſſe authorem naturæ. Sed uerè cum Paulo dicendum eſt,
unum eſſe deum, qui in nobis operetur, & Velle, & perficere: idq;, inquit, non
pro noſtra, ſed pro ipſius bona uoluntate.

,, Deinde non minus lętale eſt, quod addit, illos rectè ſentire, qui docent, in Sa-
,, cramento ex opere operato conferri gratiam: ſi modò intelligant opus dei in illis
,, operãtis, etiamſi adiungãt opus noſtrum, qui uel cooperemur, uel nõ ponamus
,, obicem. Quid aſſeri, aut audiri poteſt alienius à ſacris literis, q̃ cõdonationem
peccatorum non adſcribi uni Chriſto: ſed nobiſcũ etiam, aut cooperantibus, aut,
quemadmodum loquuntur, non ponentibus obicem, cõmunicari? Sed dicito,
queſo mihi, Inconſtanti, quomodò poteſt quiſquam, qui adhuc nõ ſit renatus, ue
rùm alienus à Chriſto, & impius, ſanctis monitis, & cohortationibus nõ reſiſtere?
Eſt adhuc arbor mala: quicquid ex illa decerpas, neceſſe eſt, ut ſit uitioſum,
& malum. Hæc omnia eò ſpectãt, ut arbitrium liberum conſtituatur, quò homi-
nes poſſint ſe ipſos ſuis uiribus præparare ad gratiam. Sed quoniã iſta nõ pro-
priè faciunt ad præſentem quæſtionem, ideò de illis plura dicere ſuperſedeo.

Poſt hæc Inconſtantius, quantum poteſt, in nos inuehitur: ſtultos etiam uo-
cat: nec mirum, cum ipſe ſibi uideatur ſapientiſſimus. Solam fidem, inquit, oppo
nunt operi operato: cum ſit opus à deo operatum, ut credamus in illum. Ne pu-
tes, prudẽs lector, Inconſtãtium hoc dicere, Opus eſſe ſolius dei, ut credamus in
illum

illum. Appellat autem opus dei tanquam à prima, & præcipua causa. Nam, ut anteà se ipsum satis explicuit, statuit in unoquoq; nostrum satis esse facultatis ad credendum, si uelimus. Nos quidem non negamus, fidem esse opus dei: sed hoc ipsum cõtendimus maximè ualere aduersus Pelagianos nostrorum temporum. Atq; in argumento opponimus fidei opus operatum: quod permulti ex uestro grege satis intelligunt. Aiunt enim ex opere, quo Baptismus percipitur, aut Eucharistia sumitur, impetrari condonationem peccatorum. At si uerè ac dignè Sacramenta uelimus usurpare, necesse est, ut condonatio illa antecedat, nimirùm propter fidem, quam quisq; habere debet, priusquam rectè accedere possit ad Sacramenta. Ea enim sine fide nihil iuuant. Quisquis autem uerè credit, statim asse quutus est ueniam peccatorum. Quare illa condonatio non debet constitui tanquam fructus perceptionis Eucharistiæ, cum eam tempore antecedat. Hæc iusta est argumenti propositi explicatio. Illam Inconstãtius omnibus machinis oppugnat. Et sanè oppugnet, quantum uelit: modò pius lector hoc apud se unum cogitet, ea, quæ diximus de fide, per quam impetretur remissio peccatorum, ad adultos esse contrahenda. Nã de infantibus alia est peculiaris ratio: ad quam explicandam causa non est, cur nunc ingrediamur.

Post hæc minatur, uelle se omnes argumenti nostri partes prorsus excutere. Quod quàm fœliciter præstiterit, uideamus. Primùm hoc sibi sumit, Deum credentibus, aut fidei Sacramento initiatis remittere peccata, quasi qui dono fidei nos idoneos reddat ad amplectẽdam misericordiam: ut dici possit, remissionem peccatorum non contingere, nisi per fidem: hoc est, eam hominibus incredulis non contingere. Mira uerò declaratio: sed ita perplexa, obscura, tenebricosa, ut homini non satis attento possit imponere. Quid quæris? Omnia dicit potius, quàm ut illud unum dicat, quod sacræ literę, & omnes Patres incredibili consensu dicunt: uidelicet, homines sola fide iustificari. Iste autem noua quadam ratione ait, non iustificari nos fide, hoc est, ueniam peccatorum consequi, sed tantùm idoneos fieri ad amplectendam misericordiam. Nam in adultis aliud quiddam requirit præter fidem. Atq; ita, inquit, dici potest, nisi per fidem non contingere remissionem peccatorum. Nam, ne nescias, lector, fidem facit primum gradum, quo ad peccatorum remissionem sit perueniendum. Et idcircò ait, ad illam non perueniri nisi per eam. Néue ambigas illum ita sentire, declarationem suam ita postremò concludit: Quod est, incredulis eam non dari. Sed eadẽ ratione dicere potuisset, eam nõ dari illis, qui nondum nati sint, aut illis, qui animam nondum acceperint. Ita iuxta nouam istam philosophiam etiam per natiuitatem, & animam dicemur iustificari, aut habere remissionem peccatorum. Hæc eò pluribus dicere uolui, ut callidissimi aduersarij fraudes, & insidias patefacerem. Non enim uult, hominẽ iustificari sola fide: sed opera quoq;, & charitatem accedere, tanquam causas quasdam secundarias: cum ne ipsa quidem fides, ut est actio hominis, dici possit causa iustificationis. Sed nolo ista singillatim persequi: nã alius erit de his rebus dicendi locus.

Verùm huc addit Inconstantius illustrem sanè sententiam, Dignam mandueationem non posse esse sine fide. Hoc quidem uerum est: sed eius causam nihil iuuat. Nam cum dicat, eos, qui remissionem peccatorum adscribũt perceptioni Eucharistiæ, id de uera, & digna manducatione dicere: ad eam autem cum requiratur fides, opus in ea, quod deus in nobis operatur, comprehendi, cur ab isto sophista traducimur ad opus dei operantis, cum omnes sententiarij, contra quos disputamus, per Opus operatũ non aliud opus intelligi uelint, quàm illud, quod à nobis peragitur dum utimur sacramentis? Et si opus dei operantis in nobis fidem, illud est quo percipimus remissionem peccatorum, cur illam tribuitis per- Opus operatũ.

ceptioni Eucharistiæ? Si dicas, propter fidem, quam cum digna manducatione comprehendimus, cur id non aperte doces? Cur id non fateris, quod argumentum nostrum necessariò euincit, ueniam peccatorum antecedere externam communionem? Vt enim ea digna sit, necesse est, ut fides antecedat. Ait se nostra collectione nihil unquam uidisse stultius. Credo equidem. Est enim ita firmum, ut istum ex stulto insanum reddiderit. Firmitas autem collectionis in eo sita est, ut id iterum etiam repetam, quòd eum, qui dignè sit communicaturus, necesse sit prius habere remissionem peccatorum. Quare peccatorum remissio non potest esse effectum Cõmunionis externæ: nisi dicere uelimus, effecta tempore priora esse suis causis. Antecedens satis liquet. Fidem enim statim sequitur condonatio peccatorum. Vel pueri facilè uidere possunt uim huius rationis, quam sophista ueteranus fingit se non intelligere. Anteà cœpit comminisci, se nunquam legisse apud quenquam, peccata remitti ex manducatione Eucharistiæ. Posteà tamen se ipsum colligit, & ad sese utcunq; redit, unde iam diu fuerat peregrinatus, & fatetur, esse quidem quosdam, qui dicant, inde obtineri remissionem peccatorum uenialium. Quid iste peccatorum uenialium cõmemoratione leuatur? An peccata uenialia non sunt peccata? Si peccata non sunt, quid opus habent condonatione? At si re uera sunt peccata, omnes scripturæ dicunt, illorum stipendium esse mortem. Ista ergo uenialia, cum sint peccata, sua natura erũt mortalia. O singularem Dialecticum, qui ita res diducat in partes, ut membra, quę oportuit esse distinctissima, confundantur inter se, & in unum coëant.

Venia peccatorum antecedit externam manducationem.

Cõdonatio peccatorum statim sequitur fidem.

Peccatorum stipendiũ est mors siue fuerint uenialia, siue mortalia.

OBIECTVM XCIII.

HOC est manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, in Christo manere, & Christum manentem in se habere. At hæc manducatio tantùm spiritualis est. Ergo, corporalis manducatio carnis Christi nulla est. Neque mali manducant Christum: quia nec illi manent in Christo, neq; in illis Christus.

GARDINERVS.

NOTATVR *ijs uerbis, Hoc est manducare, &c. non tam modus manducationis, quàm effectus destinatus, & proprius: qui tamen uitio manducantium non semper consequitur.*

MARTYR.

AIt, illis uerbis notari effectum mãducationis destinatum, & proprium: qui tamen uitio aliquo manducantium non semper consequatur. Et addit, quamuis Gratia interdum conferatur extra sacramenta, non tamen esse eam iustam causam, cur Sacramenta abijciantur. Hæc omnia facilè damus. Neq; enim quiuis uidere potest, qua ex parte premant causam nostram. Nos enim post susceptam Gratiam usum mysteriorum non excludimus: imò ad fouendam, & augendam fidem & Gratiam, illis dei promissa obsignamus. Haud temerè dixi, non quemuis statim primo aspectu uidere posse, quid isto suo tam arguto prœmio contra nos Inconstantius moliatur. Illud mysterium ego nũc patefaciam. Hunc ait proprium esse effectum manducationis: uerùm non semper eam consequi. Hic nos ab eo longè, longeq; dissentimus. Sacræ enim literæ statuunt, manduca-

ducationem ueri corporis Christi, quæ nulla esse potest sine fide, ab illo effecto, quod illi Christus adiunxit, non posse diuelli: quamuis absque tali ulla coniunctione manducatio symbolorum esse possit: quod utique non aliter contingere potest, nisi uitio manducantium. At si loqui uelimus de propria, & uera manducatione corporis domini, nullo pacto potest ab ea effectus ipsius proprius removeri. Nam si remoueatur, non erit proprius. Quis enim unquam uidit hominem, cui attributa non esset facultas ridendi? aut solem, in quo non esset uis calefaciendi? Hæc est natura proprij, ut Dialectici tui te olim docuerunt: quorum tu nunc periculo uideris desipere, quasi illi te non rectè instituerint.

Proprium effectum perceptionis corporis Christi non potest ab ea separari.

Addit præterea, argumentum in eo esse uitiosum, quòd in disiunctione alterà propositione cõfirmata, alteram uelimus interijsse: id autem à Dialectica præceptione alienum esse. Vt si quis dicat: Corpus domini comeditur aut spiritualiter aut carnaliter. Comeditur autem spiritualiter: Ergo non comeditur carnaliter. Atqui hic, ut solet, egregiè fallitur. Hæc enim est uis rationis nostræ, non ea, quam iste somniat: Manducare carnem Christi, & in ipso manere, hæc, inquam, duo ita coniuncta inter se, & copulata sunt, ut nemo possit manducare uerum corpus Christi, qui in eo non maneat. Non enim colligimus, ut iste uel putat, uel calumniatur, ab altera disiunctionis parte confirmata ad alterius euersionem: sed potius à sublato proprio effecto ad euersionem causæ. Ita enim dicimus: Impij non manent in domino: ergo eius carnem non manducant. Christus enim ipse testatur, eos, qui manducant carnem suam, in se manere. Et Inconstantius fatetur, hoc esse effectum proprium, & destinatum huius causæ: etsi posteà, nescio quo pacto, oblitus sui addit, illud non semper cum ea coniungi. Tam autem firmum est argumentum nostrum, quàm si quis ita diceret, Lapis non habet facultatem ridendi: ergo, non est homo. Neque hic oportet memoriam Lectoris renouare, quantum Augustinus faueat huic sententiæ. Nam in superiori proxima obiectione quædam eius dicta, quæ mihi uehementer huc facere uidebantur, recensui. Errat etiam in eo Inconstantius, quòd putat nos argumentationem ducere à Definitione: quasi dicamus, in proposita ratione assumi definitionem māducationis carnis domini. Nos enim hic non ex definitione, sed ex effectu manducationis proprio concludimus. Quare ista somnia, cum à nostro consilio ita sint aliena, sine iniuria à nobis præteriri, & contemni possunt.

OBIECTVM XCIIII.

EX opinione ista aduersariorum sequeretur tam impios, quàm pios uerè comedere corpus Christi. Id autem falsum est: Christi enim corpus diuelli non potest ab eius spiritu. Quare cum infideles non habeant spiritum Christi, non possunt uerè eius corpus comedere. Impij autem non habent spiritum Christi: quia fide carent: quo instrumento omnia spiritualia recipiuntur.

GARDINERVS.

ILLA *ueritas ex catholica doctrina rectè sequitur, bonos & malos, id est dignos & indignos, cum Eucharistiam accipiunt, idem substantia sacramentum sumere.*

„ HVnc Inconſtantius ait eſſe ſenſum catholicæ ueritatis: Bonos, & malos: di-
„ gnos, atq; indignos, cum recipiunt Euchariſtiam, quod ad ſubſtantiam acti-
„ net, ſumere idem Sacramentum. Ait enim, dominũ idem dediſſe Iudæ, quod re-
„ liquis Apoſtolis: idq; non tantũ patres, ſed etiam Paulum ad Corinthios docuiſ-
„ ſe. Eum enim indignè manducantes reos facere corporis domini. Hucuſq; nihil
„ diſſidemus. Nos enim etiã fatemur, idem Sacramentum & bonis præberi, & malis: ſi modo per Sacramentum partem ſignificantẽ, hoc eſt, externum ſymbolum intelligas. Atq; ita, quod ad ſymbolum attinet, fatemur, Chriſtũ idem dediſſe Iudæ, quod reliquis Apoſtolis. Quod aũt attinet ad rem ſignificatam, dicimus Chriſtum non excluſiſſe Iudam à manducatione ſui corporis. Nam ſi ille fidem habuiſſet, idem ſumpſiſſet, quod alij. Chriſtus enim ex æquo mãdauit omnibus, ut corpus ſuum ederent, & ſanguinem biberent. Quare non inficiamur, Chriſtum, cum ſacram cœnam diſtribueret, idem ex æquo dediſſe omnibus. Ex eo tamen non ſequitur, Iudam tantum, quantũ reliquos Apoſtolos recepiſſe. Quemadmodum autem locus ille Pauli intelligi debeat, aliàs ſatis fuſè diximus.

„ Quod uerò Inconſtantius addit, Ethnicos ſi fortè incidant in Euchariſtiam,
„ & eam comedant, non ſumere corpus Chriſti, quòd illud libum, cum careant
„ omni fide, ab alijs panibus nõ diſcernãt, quodq; idem affirmat de animalibus bru-
„ tis, ſi illa fortè, ut fit, comedãt panem Euchariſticum, παράδοξον omninò eſt, & ab
„ alijs Papiſtis non recipitur. Vult ergo Inconſtantius, illas manducationes omni-
„ nò corporales eſſe, non aũt ſacramentales. At quæ, malùm, iſta eſt huius homi-
nis prærogatiua, ut ſuis legibus, non niſi quantum, & quàm diu ipſe uelit, tenea-
tur? Sæpè ſolitus eſt cum reliqua manu Papiſtarũ dicere, corpus & ſanguinem
Chriſti tantiſper ſub accidentibus panis & uini contineri, quoad illæ ſpecies ſint
incolumes, neq; ab illis omninò diſiungi. Nunc autem, quæ eius eſt conſtantia,
permittit ſibi, ut dicat, corpus & ſanguinẽ Chriſti ab illis ijſdem ſpeciebus non-
dum corruptis ſeparari. Quæſo uerò te, Inconſtanti, à quo tandẽ Papa, à quo-
ue Concilio, aut à quo magiſtro Sententiarũ hoc tuũ tam ſingulare priuilegium
impetraſti? Si Inconſtantius noua aliqua metamorphoſi mutandus eſſet, facilli-
mè mutari poſſet in Veſpertilionem: ut qui neq; cũ Papiſtis quadrupedibus, ne-
que cum Euangelicis uolucribus conſentiat: ab utraq; autem parte iure, ac meri-
to repudietur. Quoties enim ille cum alijs quibuſdam ſuis in nos detonat, Sacra-
menta integra eſſe, nec pendere à cõditione accipientiũ? Iſta uerò eſt noua quę-
dam, & inaudita palinodia. Formula enim illa, quam ſemper obtrudunt, hanc, ut
delicet, habet exceptionẽ, Niſi beſtiæ, aut Ethnici comedant Euchariſtiã. Sed
hoc ſcire uelim ab iſto nouo Theologo, homines fictos, & impios, & nulla fide
præditos, ſed nomine tantũ Chriſtianos, quo diſcrimine diſtinguat ab Ethnicis?
Equidem hoc tantũ intereſſe inter eos ſtatuo, quòd ſimulatos Chriſtianos multò
putẽ eſſe nequiores, & deteriores, q; eos, qui apertè, & publica profeſſione pro-
ſus à Chriſto ſint alieni. Nullius aũt momenti eſt, ſi dicas, illos ſcire, panem illum,
& uinũ in Eccleſia haberi pro Sacramento. Id enim apud eos pro nihilo habetur.
Inconſtantius, quod ſibi permittit de Ethnicis, id manibus pedibus reluctatur, ec-
reclamat, ne nos ſtatuere poſſimus de impijs. Nos quidem eos nihil aliud in Sa-
cramentis habere dicimus, q; ſymbola. Iſte cõtrà omnia turbat, & cœlũ terræ mi-
ſcet: cũ tamen nos iſta dicamus tantũ de impijs, qui fide careãt, & nihil diſſent ab
Ethnicis: niſi q illis fortè lõgè ſint deteſtabiliores. Illos tamẽ, qui ſalua, atq; inte-
gra fide, aliquo tamẽ cũ peccato, de quo adhuc pœnitentiã ſolidè, uereq; nõ ege-
rint, acceſſerint ad mẽſam dñi, fatemur accipere uerũ corpus Chriſti. Lętor equi-
dem, ea nũc ſtatuere Incõſtantiũ, q pro ſua rabie impotẽtiſſimè oppugnat in alijs.

Deinde

Deinde cuiuſdam, neſcio cuius, ſententiam probat, quem tamen uereretur nominare. Is autem, quiſquis eſt, ſcripſit, impios Chriſtianos, cum Euchariſtiam ſacramentaliter accipiant, per Concomitantiam accipere ſpiritum Chriſti: at non niſi in exteriorem hominem: in interiorem autem hominem eundem ſpiritum per Gratiam non admittere. Quiſquis iſte fuerit tam grauis author, cuius nomẽ Inconſtantius quaſi magnum quoddam myſterium nos celare uoluit, cum nobis alioqui Bernhardos, & Bedas paſsim obtrudat, quiſquis inquam fuerit, non ita diligenter uerſatus eſt in Paulinis epiſtolis, ut inter hominem interiorem, & exteriorem prudenter poſsit diſtinguere. Homo enim interior apud Paulum non ſimpliciter animum ſignificat, ſed animum iam regeneratum. Paulus enim ait, ſe delectari lege dei, quod attinet ad hominem interiorem: cum tamen interim in homine exteriori aliam legem experiretur. Quare iſte, neſcio quis, doctor ſine nomine, non ſatis commodè attribuit impijs interiorem hominem: illi enim, ſi cum Paulo loqui uolumus, homine interiori carent.

Homo interior & exterior.

Impij carent interiori homine

Addit Inconſtantius, ſpiritum ſanctum non diuelli à Chriſto: & eundem ſpiritum, cum eſſentia ſua impleat omnia, eſſe etiam in impijs: quos tamen non ſanctificet, nec per gratiam efficaciter iuuet. Sed iſtum conſiderare oportuit, ſpiritum ſanctum in argumento noſtro non ſignificare tertiam perſonam in Trinitate: ſed illius dona, & gratiam, & cœleſtem inſtinctum, quo homines renouantur, & ſanctificantur. Atq; ad hunc modum abſurdum eſſe iudicamus, ſpiritum ſanctum, cum ita intelligatur, in hominem impium ingredi, & illum non ſanctificare. Panem enim, ut iſti uolunt, non tantùm ſanctificat, ſed etiam tranſubſtantiat. Et putamus, hominem, cuius cauſa panis ille ſanctificatur, cum ab eodem ſpiritu attingatur, impurum, atq; immundum deſtitui? Vt autem ſpiritum ſanctum ita hoc loco ſumeremus, Chriſti ipſius uerba effecerunt. Nam ille in 6. cap. Iohannis, ait, eos, qui comedant carnem ſuam, in ſe manſuros eſſe, & omninò uitam eſſe habituros, nec morituros in æternum. Hæc effecta ſunt ſpiritus ſancti. Itaq; eos, qui comedunt carnem Chriſti, hæc in ſe ipſis ſentire, atq; experiri non dubitamus. Cum autem res iſtæ ſint ſpirituales, nec ſine ſpirituali inſtrumento fidei capi poſsint, ideò eos, qui uacent fide, nec carnem domini comedere, nec ſpiritus ſancti beneficia percipere poſſe concludimus. Quod autem Inconſtantius obijcit, eſſentiam ſpiritus ſancti etiam in malis eſſe, ad noſtrum argumentum nihil attinet. Nos enim in eo uocabulum illud ſpiritus ſancti in aliam ſententiam accepimus.

Sed, quoniam uidet ſe hac noſtra ratione non leuiter premi, alia uia conatur elabi: ſcilicet, ut oſtendat, impios quoq; habere ſpiritum ſanctum. Nam niſi in illis quoq;, inquit, aliquo modò eſſet ſpiritus ſanctus, Apoſtolus non diceret, eos illum contriſtare. Petit etiam, hoc ſibi à nobis expediri, quomodò fides, cum ſit effectus ſpiritus ſancti, inſtrumentum etiam ſit, quo ille idem ſpiritus poſsit apprehendi. Prius enim eſſe in nobis ſpiritum, quàm habere poſsimus fidem: illam enim ex eo naſci. Primùm id dicam, quod ſecũdo loco proponitur: Spiritus dei, hoc eſt, eius inſtinctus, & afflatus, quo mens illuſtratur, & uoluntas allicitur, unà cum fide nobis ſimul à deo liberè & gratuitò infunditur, ut illis utriſq; donemur eodem tempore. Inſtinctus tamẽ ille, & afflatus, fide natura prior eſt. Illam enim in animis noſtris parit. Sed poſtquam ſemel eam obtinuimus, per illam deinceps omnia reliqua dona, quæ nobis diuinis promiſsionibus offeruntur, apprehendimus. Quare, cum in argumento dicimus, ſpiritum apprehendi fide, nomine ſpiritus dona ſpiritualia, & beneficia, quæ nobis in diuinis promiſsionibus offerun tur, & à Chriſto, qui omnium promiſsionum caput eſt, auelli non poſſunt, intelligimus. Spiritus ſancti uero inſtinctum fatemur, fidem etſi non tempore, tamen

Inſtinctus ſpiritus ſancti natura prior fide, tempore uero ſimul.

Nota ordinem.

natura antecedere. Hęc ergo doctrina plana est, & perspicua: nullas habet tricas, nullos Labyrinthos, nullas ambages, quin ex illis te possis, cum uolueris, quàm facillimè explicare.

Quomodo spiritus sanctus contristetur.

Ad illud autem alterum, quod quærit, quomodò impij possint contristare spiritum sanctum, quem non habeant, ita respondeo: Primùm intelligere oportere Inconstantium, Paulum ibi de hominibus impijs, & à Christo prorsus alienis sermonem non instituere. Scribit enim ad Ecclesiam Ephesiorum: quam testatur admirabili sanctitate fuisse instructam: non ita tamen, quin ut illi possent, quæ est conditio humanæ uitæ, quotidiè fieri meliores. Itaq; Apostolus eos præclaris præceptis, & documentis informauit, & inter cætera monuit, ut ab obscœnis dictis temperarent, quòd spiritus sanctus, quo iam erāt præditi & obsignati, illis uehementer offenderetur, & quodāmodò è suo domicilio & diuersorio exturbaretur. Ea sanè Apostoli sententia, si quid ego iudico, Ephesios uehementer mouere debuit, ut nos etiam ipsos debet, qui sumus templa, atq; hospitia spiritus sancti, ut ab omni uerborum lasciuia, & turpitudine abstineamus. Prætereo alios, qui ita locum illum Pauli interpretantur, ut ea uerba putent ad audito-res, aut ad astantes pios pertinere. Illi enim, cum audiunt Sermones obscœnos, & impuros, tristitia non leui afficiuntur; & quoniam illi prædi ti sunt spiritu sancto, ex quo is affectus tristitiæ deriuatur, Paulus ait, eum in illis dolere, & affici tristitia. Habes, Lector, ad istas ita difficiles & admirādas quæstiones breuem, & dilucidam responsionem.

„ Sed ridet nos Inconstantius, quòd statuamus præsentiam fidei. Rideat sanè, quantum uelit. Nos quidem hoc genus præsentiæ habemus non solùm à Patribus obseruatum, sed etiam in diuinis literis consignatum. Nam in Euangelio Christus ait: Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Atqui Christus Abrahamo, quod ad natiuitatem, aut mortem attinet, non potuit adesse, nisi per fidem. Et Paulus ait, Christum proscriptum, & crucifixum fuisse ante oculos Galatarum: quod haud dubiè nisi de certitudine, & præsentia fidei intelligi non potest. Quanquam uocabulum illud, Proscriptus, significare etiam potest eo loco depictum, ut sit uehemens, & illustris ὑποτύπωσις, Christum illis propositum fuisse ante oculos. Quod etiam ad fidei præsentiam facit: ut alio loco ostendemus. Patrum de hac re testimonia supersedeo: partim quòd diuinarum scripturarū confirmatione contentus esse uelim, partim quòd ea malim ad alium locum oppor-„ tuniorem reseruare. Quòd autem ait Inconstantius, operari hic omnipotentiā dei, nihil reclamo. Per illam enim solam instituí possunt Sacramenta: ea, inquam Sacramenta, quæ ad uitam æternam adiumento esse possint. Nul a enim est res creata, quæ ad ea efficienda uim sibi ullam collatam habeat.

„ Contendit ad hæc Inconstantius, substantiam Eucharistię & bonis & malis „ eandem esse. Id nos quoq; confitemur. Sacramētum enim Eucharistiæ & signo, & re significata constat: neq; aut pietate, aut nequitia sumentium mutari potest. Quòd autem impij rem significatam non habeant, id ex eo fit, quòd il i fide careant. Sed hic isti turpiter hallucinantur, quòd cum Sacramētum dicatur constare ex duabus rebus, signo, uidelicet, & re significata, putent ea spatio & loco coniungi oportere. Id autem longè à uero alienum est. Vt enim à diuinis literis res in illis significatæ loco & spatio distant, ita etiam accidit in Sacramentis. Nec tamen sacræ literæ ea causa minus signo & re significata constant: sine terminis enim, qui ad relationem pertinent, neq; esse possunt, neq; intelligi. An autem „ uerba illa Pauli, Qui comedunt panem hunc indignè, iudicium sibi comedunt, pro nobis contra Transubstantiationem faciant, quoniam Inconstantius satis putauit esse, id sine ulla ratione negare, ego eius loci usura tantisper fruar, quoad secus demonstratum fuerit.

Nunc

Nunc uerò ad illud aliquando accedendum est, in quo iste noster cardinem causæ uersari putat: scilicet, An tam mali, quàm boni cõmunicando propriè accipiant corpus Christi. Id Inconstantius affirmat quidem: sed prorsus sine ullo diuinarum scripturarum testimonio. Tantùm citat patres: & eos ipsos quàm probè intellectos, mox uidebimus. Ante alios omnes in medium adfert Origenem ita scribentem in Psal. 37. Iudicium dei paruipendis: & commonentem te Ecclesiam despicis? Communicare non times corpus Christi, quasi purus & mundus: quasi nihil in te sit indignum. Et in omnibus his putas, quòd effugies iudicium dei? Non recordaris id, quod scriptum est, Propterea inter uos infirmi et ægri, & dormiunt multi? Quare multi infirmi? Quoniam se ipsos non dijudicãt, & se ipsos non examinant: neque intelligunt, quid sit communicare Ecclesiæ, uel, quid sit accedere ad tanta, & tam eximia sacramenta. Patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent: cum sanos cibos sumunt sibimet ipsis inferentes exitium. In istis uerbis hic sophista duo se dicit obseruare: primùm, hominem indignum accedere ad corpus Christi: alterum, eum, quamuis febricitet, tamen cibum eũdem capere cum sanis, & dignis. Sit ita: si Origenes intelligat indignum hominem prædituin quidem fide, & à Christo, atque ab Ecclesia non alienum, aliqua tamen impuritate laborantem, contra nos nihil facit. Tales enim fatemur accipere corpus Christi, non minus, quàm bonos, ac pios, Origenem autem de huiusmodi hominibus loqui, apparet ex eo, quòd Paulum testem citat: qui ita scripserit ad Corinthios, multos inter eos ægrotare, & multos etiam iam dormire: illósque ita correptos fuisse à domino, ne cum hoc mundo damnarentur. At si ea ad homines perfidos, & impios referat, nihil obstat, quò minus illi quoque accedere possint ad corpus Christi. Panis enim propositus in sacra mensa suo modo & est, & dicitur corpus Christi. Sumunt autem illi cibum eundem cum sanis, cum Sacramentum sanis, & pijs hominibus destinatum usurpant: quamuis suo uitio totum atque integrum non sumant. Non enim habent fidem, quam ad rem usque significatam, quæ in cœlis est, possint porrigere.

Origenes.

Idem Origenes hom. 5. in Diuersos, ita scribit: Quando sanctum cibum, iudóq; incorruptum epulum accipis, quando uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem domini, tum dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem: & dicito, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. Putat Inconstantius, Origenem certò certius à se facere: & ita apertè scribere, indignos accipere corpus Christi, ut impudens sit, qui hoc nolit credere. Ait enim, inquit, Origenes, domi-num ingredi sub tectum hominis indigni: & illud epulum, quod sumitur, sanctum uocat, & incorruptum. Sed iste non patitur sibi persuaderi, ut ea, quæ, propriè pertinent ad symbola, tribuantur corpori Christi: aut ea, quæ propriè referri tantum possunt ad carnem & corpus domini, communicentur cum symbolis. Atqui quemadmodum corpus domini frangi dicitur, cùm tantùm frangatur panis: ita panis uicissim dicitur sanctificare, & ad uitam æternam pascere, cum id tantùm ad rem significatam pertineat: nimirùm, ad uiuificam carnem Christi. Cumq; panis Eucharistiæ aut abijcitur, aut contemnitur, Christus ipse abijci dicitur, & contemni. Hoc pacto indigni, etsi tantùm recipiant symbola, tamen dici possunt recipere ipsum dominum, sanctum uidelicet cibum, atque incorruptibilem. Ita enim ea, quæ propria sunt rei significatæ, per ἀλλοίωσιν quandam transferuntur ad signa. Dissimulat tamen Inconstantius, uerba ista Origenis ad aliud genus hominum indignorum posse accommodari.

Origenes.

Communicatio proprietatũ inter signa & res quæ significantur.

Sequuntur etiamnum uerba Cypriani ex libro tert. epist. 15. Illi, inquit,

Cyprianus.

,, contra Euangelij legem, ueſtram quoque honorificam petitionem, ante actam
,, pœnitentiam, ante exhomologeſin grauiſſimi atque extremi delicti factam,
,, ante manum ab epiſcopo, & clero in pœnitentiam impoſitam, offerre pro il-
,, lis, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum domini corpus profanare audeant: cum
,, ſcriptum ſit: Qui ederit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit cor-
,, poris & ſanguinis domini. Colligit hic ſe nonnihil Incõſtantius. Videt enim, lo
cum iſtum Cypriani non poſſe rectè accommodari in homines prorſus malos, et
deſperatos. Agitur enim de illis, qui poſt lapſum redierant iam ad Eccleſiam, &
numerabantur cum pœnitentibus, & interceſſione Martyrum cupiebant recipi
Cyprianus. ad ſacram cœnam. Itaq; eundem Cyprianum rurſus aduocat ex alio loco. Nam
,, De Lapſis ita ſcribit: Iacens ſtantibus & integris uulneratus minatur: & quòd
,, non ſtatim domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto domini
,, ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Lumen aliquod mẽtis, quod
huic homini uidebatur utcunque redditum, rurſus ita conturbatur, ut cæcus, &
amens non intelligat ſe actum agere. Illi enim, de quibus Cyprianus loquitur,
erant homines prius lapſi: quos pœnitebat admiſſi ſceleris: quiq; iam redierãt ad
Eccleſiam. Cum autem nondum Eccleſiæ ſatisfeciſſent, nec pœnitentiam ſuam
ſatis euidentibus ſignis ſacro cœtui comprobaſſent, dilationem pacis, & ſanctæ
communionis ſatis patienter ferre non poterant, & miniſtrorum ſeueritatem ac-
cuſabant, quòd ad Euchariſtiam cum alijs non reciperentur: quod hodiè quoq;
interdum ab illis, quos abſtentos uocant, uidemus fieri. Illos ſanctus Martyr ad-
huc appellat pollutos, ſacrilegos, iacentes, uulneratos, illis nondum publicè ab-
ſolutis admiſſum ſcelus magna ſeueritate exprobrans: quò ab illis pœnitentiam
adhuc euidentiorem extorqueret. Quare non poſſumus ſuſpicari, illos pror-
ſus ab Eccleſia fuiſſe ſeparatos. Imò in ea, qualicunque pœnitentia multò magis
cum Eccleſia coniungebantur, quàm Inconſtantius, cum primùm egreſſus e
Incõſtantius nõ adhuc Eccleſiæ Romanæ reconciliatus, miſſam in Põtificalibus publicè fecit. Turri Londinenſi, ſtatim à morte Optimi illius Regis Eduardi, primus coram
Regina ſua Miſſam faceret. Hic ego eius ipſius appello, ſi quam habet, conſcien-
tiam. Ab Eccleſia Romana erat iam tum Apoſtata: nec illi erat adhuc reconcilia-
tus, neque à Papa, à quo defecerat, quemq; editis iam libris, publicè oppugna-
uerat, abſolutus. Si unam illam Eccleſiam & tum credebat, &, ut eius paraſitia
ſtant, ſemper crediderat, quomodò uulneratus, iacens, ſacrilegis manibus, qui-
bus in Papam contumelioſè multa ſcripſerat, & ore polluto, quo contra Roma-
nam Eccleſiam ſæpè multa loquutus fuerat, auſus eſt cõmunicare, & Sacramen-
ta contrectare? Si dicat, ſe intus, & in corde egiſſe pœnitentiam, & ea cauſa non
fuiſſe ab Eccleſia alienum: idem iſtis etiam lapſis largiatur, & intelligat, defuiſ-
ſe ſibi tum aliquem Cyprianum, qui illud ſcelus, ut omnibus Antichriſtianis ui
detur, grande & horrendum digna ſeueritate exagitaret.

,, Sed redeo nunc ad eius uafritiem. Ne mihi dixerint, inquit, Cyprianum
,, ſymbolis nomina rei dediſſe, hoc adducti argumento, quòd Chriſti corpus in
Chryſoſtomus. ,, Euchariſtia propriè non tangatur. Imò, inquit, ſecundum rationem myſterij
propriè tangitur. Idq; ait teſtari Chryſoſtomum in homelia in Encæniis ita ſcri-
,, bentem: Viſibilia eſſe pro fimbria. Et addit, ſub illis uiſibilibus adeſſe ueri cor-
,, poris ſubſtantiam: quod tamen à Chryſoſtomo non habet. Et quamuis haberet,
ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe ſub illis uiſibilibus, id uno uerbo reſpondere
Eſſe ſub aliquo ſigno, poteſt intelligi per ſignificationem. poſſemus, eſſe per ſignificationem. Ita enim patres ſæpè dicunt, ſub litera latere
ſenſus profundos, & ſalutares.

Sed quoniam per Cyprianum ſperat omninò fore, ut obtineat, impios ueré,
ac propriè ſumere corpus Chriſti, idcircò alium etiam eius locum recitat ex illo
Cyprianus. Sermone, qui inſcribitur De Cœna domini. Sacramenta quidẽ, inquit Cypria-
nus,

nus, quantum in se est, sine propria esse uirtute non possunt: nec ullo modo diui-
na se absentat maiestas mysterijs: sed quamuis ab indignis se sumi, uel cõtingi Sa-
cramenta permittant, tamẽ spiritus esse participes, quorũ infidelitas, uel indigni-
tas tantæ sanctitudini cõtradicit, non possunt. Ideoq; alijs sunt hæc munera odor
uitæ ad uitam: alijs odor mortis ad mortem. Quia omninò iustum est, ut tãto pri-
uentur beneficio gratiæ contemptores, nec indignis tantæ gratiæ puritas sibi fa-
ciat mansionem. Cyprianus cum dicit, Maiestatem dei non discedere à myste-
rijs, citra controuersiam id docet, quod nos sæpè diximus, spiritum sanctum illis
uti ad excuscitandam fidem in hominibus pijs, & religiose communicantibus.
Quibus autem machinis efficiet Inconstantius ex illis uerbis, corpus Christi esse
realiter, aut substantialiter in symbolis? Certè maiestas dei non discedit à uerbo
suo cum prædicatur: nec à Baptismi symbolo, cum credentes tinguntur. Non ta-
men ex eo euinces, corpus Christi propriè aut in Baptismo esse, aut in uerbo. Cy-
prianus ait, Sacramenta permittere, sese sumi ab indignis. Non tamẽ id ait, quod
Inconstantius peruersè colligit, impios recipere maiestatem dei. Quod etiamsi di-
ceret, tamen nullam ibi mentionem facit de corpore domini. Maiestatem autem *Maiestas dei*
dei, qui negat implere omnia, uehementer desipit. Quemadmodum autem pe- *omnia implet.*
culiari quadam ratione adsit mysterijs, iam diximus. Cyprianus quidem ait,
infideles homines, & penitùs indignos accipere sacramentum: sed idem illos ne
gat participes esse spiritus: quod mirificè congruit, & consonat cum doctrina no
stra. Nos enim unà cum illo Martyre dicimus, impietatem sumentium cum sa-
cramentorum & diuinæ maiestatis sanctitudine pugnare. Additq; Cyprianus,
ista munera, & sacra symbola pro eo, ac se sumentes gerant, uel uitæ, uel mortis
odorem esse. Istis enim ad salutem, illis uerò ad iudicium faciunt. Contemptores
enim Gratiæ rectissimè ait tanto beneficio priuari, quod alioqui ex iusto usu sa-
cramentorum fuissent consequuti. Illud autem beneficium erat, ut puritas in il-
lis, & sanctitas habitaret. Sumunt illi sacramenta sua quidem natura, hoc est, do-
mini instituto purissima: sed ex illorum usu nulla illis sanctitas affricatur. Satis
ergo ex his liquet, uerba Cypriani nostræ sententiæ nihil officere; imò potius
euertere, & coarguere errorem Inconstantij, quòd doceant, impios non posse
participes esse spiritus. Qui spiritus quoniam indiuulsè cohæret cum corpore
Christi, sequitur necessariò, eos ne corporis quidem domini posse esse partici-
pes, cum spiritus eius omninò sint expertes. Quemadmodum enim illorum in-
dignitas resistit spiritui, & puritati, ita etiam resistit corpori Christi, ne ab illis su-
mi possit.

Sequitur Arnobius in Psalm. 74. ita scribens: Sicut ignis iustis proficit ad *Arnobius.*
splendorem, ad usturam infertur iniustis, sex tamen calicis non exinanitur, ut bi-
bant, non pauci, sed omnes peccatores terræ: quòd uno eodemq; poculo alijs sa-
lus, alijs interitus adueniat: etiam hodiè, qui indignè gustauerint, unde salutem
dignè gustantes hauserunt, inde isti sibi, ut ait Apostolus, iudicium sumunt.
Quoniam Inconstantius satis uidit, uerba ista Arnobij ad suum propositum non
multum facere (nemo enim nostrum negat ex ijsdem mysterijs, & pios iuuari,
& impios lædi) idcircò prudenter subijcit, nõ fuisse necesse, ut illum huc citaret;
nisi ut Patrum Catholicorum consensus luculentius, & illustrius uideri posset.
Sed ut uerè, quod res est, dicam, idcircò illum adduxit, non quòd eum sibi spera-
ret ad uictoriam profuturum, sed ut ad speciem aliquam, & pompã aciem suam
testibus præuaricantibus, & nihil dicentibus impleret.

Citat deinde Hilarium in Psalmum 127. Habemus, inquit, hic cibum spiri- *Hilarius.*
tualem animam nostram in uitam alentem: bona, scilicet, opera misericordiæ, ca-
stitatis, patientiæ, tranquillitatis; in quibus nobis contra corporum nostrorum

,, uitia laborandum est. Horum laborum fructus in æternitate est: sed labor hic
,, æternorum fructuum anteà comedẽdus est, eoq; in uita hac corporali anima no
,, stra alenda est, per cibum horum laborum obtinentem panem uiuum, ab eo, qui
,, dixit, Ego sum panis uiuus de cœlo: quem, qui indignè secundum mandatum
,, Apostoli ederit, iudicium sibi acquirit. Hinc Inconstantius colligit, eos, qui in-
,, dignè comedunt, ex sententia Hilarij, accipere panem uiuum, qui descendit de
,, cœlo: ea autem uerba non posse intelligi nisi de corpore Christi, quod propter
,, unionem naturarum dici possit panis, qui descendit de cœlo. Allœosis ista, qua
nunc Inconstãtius utitur, nobis etiam plurimùm suffragatur. Ita enim dicimus,
sacra symbola appellari panem uitæ, quòd illi pani coniunctione sacramentali
sint unita. Non enim uulgari efficacia referunt nobis panem illum uiuũ, hoc est,
carnem Christi cum diuinitate coniunctam. Atque ita putet responsum esse sibi
duobus uerbis: nisi fortasse malit, Hilarium de illis loqui indignè sumentibus, de
quibus Paulus quoq;, ad cuius ille uerba alludit, scribit ad Corinthios.

Basilius. Sed nunc audiamus Basilium. Is in ultimo capite de Baptismo ita scribit: De
,, bemus ergo attendere, quod sit iudicium eius, qui indignè edit, & bibit. Nam si,
,, qui fratrem quoq; per cibum cõtristat, à charitate excidit, sine qua magna quoq;
,, Charismata, & iustificationes quoq; operantia nihil prosunt, quid de eo iudican-
,, dum est, qui otiosè, & inutiliter edere audet corpus, & bibere sanguinem domi
,, ni nostri Iesu Christi, & hac ratione plus aliquanto contristat spiritum sanctum,
,, dum sine socia charitate uescitur? His addit Inconstantius, Et uescitur tamen, in
,, quam ego: sed, ut inquit Cyprianus, spiritus, & tantæ gratiæ puritas non facit
,, mansionem: quod ipsum Basilius intelligit per contristationem spiritus: quòd ab
,, eo recedat. Citius dixeris, Basilium non attendisse, quæ scriberet, quàm non in-
tellexisse, quæ congruerent. Cum enim Basilius testetur, ista indigna mandu-
catione corporis Christi spiritum sanctum contristari, de illo haud dubiè spiritu
loquebatur, quem communicantes in se habebant. Qui quidem certè, cum ha-
beant spiritum sanctum, non possunt esse ex eo numero hominum, de quibus
nos nũc disputamus. Illos haud dubiè Basilius notauit, qui fide, ac spiritu essent
prædit: læsa tamen aliqua ex parte charitate, ad mensam domini accederent in-
dignè. Ita hic sophista, testes, quos allegat, non ex uerborum pondere, sed ex pri-
mo tantùm orationis aspectu ponderat. Nihil autem hoc loco aliud Basilius affir-
mat, quàm homines indignè communicantes grauius peccare, & spiritum san-
ctum contristare, quàm eos, qui in cibo offendunt fratres.

Basilius. Citatur idem Basilius in Regulis Interrogatione 172. qui cum ab eo quære-
,, retur, quanto cum timore, qualiue cum animo, aut persuasione, aut affectu, perci
,, pere debeamus corpus & sangnuinem Christi, ita respondit: De timore quidem
,, habemus Apostolum, qui ait, Qui mãducat, & bibit indignè, iudicium sibi man-
,, ducat, & bibit: fidem autem faciunt uerba domini, qui dixit, Hoc est corpus
,, meum, quod pro uobis datur: hoc facite in meam cõmemorationem. Quid ista
contra nos faciant, ne suspicari quidem possum. Nos enim quoq; perpetuò, &
diligenter hortamur communicantes, ut cum timore accedant ad mensam do-
mini, ne sibi iudicium comedant, & bibant. Fidem autem inculcamus, ut credãt,
dominum corpus suum illorum causa tradidisse in crucem. Nec minus frustra

Basilius. iste sudat in uerbis eiusdem, ut putat, Basilij: Fac, inquit in Liturgia, ut nemo no
,, strum ad iudicium & condemnationem sit particeps sancti corporis & sangui-
,, nis Christi tui: sed ut inueniamus misericordiam & gratiam cum omnibus san-
,, ctis. Omnibus equidem constare arbitror, tam ista uerba Liturgię, quàm ea, quę
afferuntur ex Regulis, de hominibus fidelibus, & ad Ecclesiam pertinentibus
esse scripta.

Huc

Huc etiam adducitur Hesychius ex 6. libro in Leuit. ca. 16. Sed ille quoq; ut uidebimus, facilè frustrabit spem Inconstantij. Sic enim scribit: Si quis templum dei uiolauerit, perdet illum deus: propter quod sanctuarium eius paueamus, ut neque corpus nostrum polluamus, neque ad corpus Christi, in quo est omnis sanctificatio, in ipso enim omnis plenitudo diuinitatis inhabitat, sine subtili diiudicatione nostri temerè accedamus: sed prius nosmetipsos probemus, reminiscentes eius, qui dixit, Quicunque comederit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Inconstantius ex eo colligit, Hesychiũ loqui de uero corpore Christi, quòd adscribat, In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Sed non uideo, quid ista eum iuuent. Symbola enim in Eucharistia uerum domini corpus, non fictum referunt: illud, inquam, corpus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Cumq; omnes isti patres ad uerba illa Pauli respiciant, quæ habentur in priori ad Corinthios, de indignè manducantibus, satis apparet, de quo genere hominum loquantur. Quanquam nostra nihil refert. Siue enim de istis, siue de illis intelligantur, nostram causam nihil grauant. *Hesychius.*

Huc adiungitur Ambrosius, qui in ca. 11. prioris epistolæ ad Corinth. ita scribit: Ideò multi in uobis inualidi, & ægroti, & dormiunt multi, ut uerum probaret, quia examen futurum est accipientium corpus domini. Iam hic imaginem iudicij ostendit in eos, qui inconsideratè corpus domini acceperunt, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur: ut in eis cæteri discerent, & pœnarum exemplo territi emendarentur, non inultum scientes, corpus domini negligenter accipere: & eum, quem hic pœna distulerit, grauius tractatum iri, quia cõtempsit exemplum. In his omnibus uerbis Ambrosij nihil offenditur, quod obstet, quò minus ista intelligi possint de symbolis. Deinde apparet, eum de illis scribere, qui non carebant fide; sed tantùm ad sacram cœnam accedebant negligenter. *Ambrosius.*

Sed idem rursus citatur in cap. 10. ad Hebræos ita scribens: Et quomodò conculcat quisquam filium dei? Quando enim eo indignè participatur per Sacramenta, nónne grande peccatum committit? nónne illum cõculcat? nónne illum contemnit? Si dicere uellem, non esse hanc interpretationem Ambrosij, adstipulatores haberem uiros doctissimos. Sed fingito esse. Quid aliud sibi iste uult, quisquis est, Ambrosius, quàm malos participare filio dei? Sed addit, per Sacramenta: non substantialiter aut realiter. Atq; hoc ipso nomine impij magnam iniuriam faciunt filio dei, quòd eius Sacramenta habeant ludibrio. *Ambrosius.*

Verùm, ut procedat catalogus, Chrysostomus etiam adducitur. Is hom. 83. in Matth. ita scribit: Cogita, quanta indignatione aduersus proditorem, aduersus eos, qui crucifixerunt ipsum, mouearis. Et caue, ne tu quoque reus corporis & sanguinis domini efficiaris. Illi acerbissimè trucidarunt: tu post tot, tantáque beneficia, sordida suscipis anima. Sophista iste, quoniam uidet, facillimam esse uiam, ut nos ista ad typum referamus, de industria anteuertit, atque occupat lectorẽ: ait enim, uerba ipsa Chrysostomi id non ferre. Illum enim simpliciter instituere ac docere populũ, eos tam uerè anima sordida recipere dominum, quàm uerum est, Iudæos eundem dominum ad mortem rapuisse. Atqui hoc Chrysostomus non dicit, Christum à nobis eadem ueritate suscipi, qua dedicatus est neci à Iudæis: præsertim si per ueritatem intelligas corporalem præsentiam. Hoc idcircò dico, quia alioqui fide, atq; animo illum eũdem Christũ, quem Iudæi trucidarũt, certissima ueritate apprehendimus: & quia illa symbola uerissimum Christi corpus nobis certissima ueritate referunt; illud, inquã, ipsum corpus, quod pro nobis datũ est in crucem. Quare siue Chrysostomus negligentes *Chrysostomus.*

moneat, siue impios & infideles redarguat, utrique cauere debent, ne anima indigna & sordida, siue uerè per fidem, siue tantũ in mysterijs, accipiant corpus Christi. Sed cur non eadem diligentia annotauit hoc loco Inconstantius, Chrysostomum cum Ecclesia sua loqui, & hortari homines fide præditos, ne indignè communicent: eam aũt communionem eum satis indicare per fidem fieri: cũ dicat, corpus Christi suscipi anima sordida, nõ aũt corpore, aut ore externo. Ista hic noster ita callidè dissimulare, & præterire uoluit, ac si ad rem nihil facerent. Sensus autem Chrysostomi est, Quemadmodum nos indignari solemus illis, qui Christum trucidarũt: ita nos uicissim cauere debemus, ne Christo faciamus iniuriam, aut illum anima fœtenti & sordida recipiamus. Quod siue ad symbola referas, siue ad ipsum Christi corpus uerè animo receptum, utroque modo uerum est.

Nec tamen satis mirari possum huius uiri nouum acumen, & prudentiã. Ait »» enim, si ista torquere uelimus ad symbola, fenestram à nobis aperiri illis hæreti»» cis, qui non Christũ, sed Simonem Cyrenæum in crucem adactum fuisse asseru»» erunt. Nos enim quoque statuere, panem in indignè sumentibus pro Christo pati. Et quæ tandem, Inconstanti, est ista connexio? An Chrysostomus fortè dicit, Christum pati aliquid ab eis, à quibus recipitur indignè? Hoc equidem antehac non audiui. Quòd si Christus, postquam semel est mortuus, nihil amplius patitur, quomodò tu somnias, panem, nescio quid, pati cum sumitur ab indigno? Panis certè non patitur quicquam: nisi id fortasse uelis dicere, eum in uentriculo concoqui, & in cibum naturalem conuerti. Irascitur quidem Christus & indignè negligenterque sumentibus corpus suum per fidem, & absque fide symbola sacra usurpantibus. Quare Paulo, & Chrysostomo parendum est, monentibus, ne id à nobis committatur.

Chrysostomus. Sed alia quoque uerba Chrysostomi Inconstantius allegat ex eadem homelia. »» Ira enim loquitur: Quòd si ipse pellere non audes, mihi dicas. Non permittam »» ista fieri. Animam potius tradam, quàm Dominicum corpus alicui indignè: san»» guinemque meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem »» præterquam digno, concedam. Hic uerò exultat Inconstantius. Ista, inquit, non »» ita uehementer dicerẽtur, si indignus nihil acciperet præter panem. Quæ ista est dissimulatio? ut ne dicam impudentia: Quoniam non damus, panem re ipsa esse corpus Christi, idcircò calumniatur, nos in cœna nihil statuere præter panem. Atqui plus millies audiuit à nobis, panẽ in Eucharistia effici Sacramentum: quæ mutatio multò certè pluris est, quàm inanis ista Transubstantiatio Sophistarum. Nam ea re uera nulla est. Sed cur eadem audacia non insultas aquæ Baptismi? Cur non clamas, eam aquam tantùm esse? Cur nõ eadem licentia, eos, qui ita humiliter de illa sentiunt, figuratores uocas? Cur pateris, ut quisquam dicat, illud sacramentum esse, aut externũ symbolum regenerationis nostræ, & Christi, quem induimus? aut ab hominibus infidelibus, & à Christo alienis ex ea lotione nec regenerationem, nec Christum percipi? Apagesis cum tua ista insolentia. Nimis oportet simplices & fatuos esse, quibus ita possis imponere.

Chrysostomus Excutiemus tamen eundem Chrysostomum, ut adfertur ex hom. 45. in Io»» hannem. Sicut magnum, inquit, est, atque admirabile, ita si purè accesseris, ad salu»» tem accessisti: si praua conscientia, ad pœnã, & ad supplicium. Qui enim manducat, & bi»» cat, & bibit indignè corpus & sanguinem domini, iudicium sibi manducat, & bi»» bit. Nam, si, qui regiam purpuram coinquinant, haud secus, quàm qui scindunt, »» puniunt: quid mirũ, si, qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem »» iudicium subeunt, quod, qui clauis eum affixerunt? Satis est Inconstantio, quòd putet, posse colligi ex his uerbis, corpus Christi suscipi immunda conscientia. Quoniam autem uidet, Chrysostomum duxisse simile à purpura Regia, & ex eo intelligi

intelligi posse, symbola quoq; ad Christum pertinere, quòd ea sint Christi, non minus, quàm purpura est Regis, atq; ita puniendos esse, qui contumeliam faciũt sacramento, etsi Christum ipsum non attingant, non minus, quàm illum, qui scindat, aut coinquinet Regiam purpuram, quamuis Regis ipsius corpori uim non adferat. Idcircò sese opponit in tempore, & cauillatur, Chrysostomum propterea usum esse isto simili, ut significaret corpus Christi nihil pati, etsi ab indigno contemetur: quemadmodum Regis persona non læditur, etsi fortè interdum eius purpura uioletur. Mihi crede, non erat necessaria Chrysostomo tam exquisita diligentia, ut id tam accuratè doceret Christianos, quod in Ecclesia omnibus & lippis, & tonsoribus notum esset, & à Paulo disertissimis uerbis publicatum. Ille enim ait, Christum mortuum esse semel: amplius autem nec mori, nec pati. Id ergo multò potius docere uoluit, quod nũc inter nos controuertitur, Panem, uidelicet, Eucharistiæ ita pertinere ad corpus Christi, ut purpura pertinet ad personam Regis: & quemadmodum purpura non est Rex, ita panem non esse corpus Christi: sed esse potius sacramentum Christi corporis: quo qui abutuntur, luent grauissima supplicia. Atq; id non est nouum in sacris literis. Arca fœderis erat symbolum: at ea indignè attacta causa fuit, cur Oza occideretur. Suffitus erat symbolum: at eum Rex Ozias faciens contra institutum dei, percussus est lepra. Nadab, & Abiu uiolarunt symbola: & statim miserè conflagrarunt. Bethsamitæ Arcam domini tantùm indignè conspexerunt: & grauissima clade affiicti sunt. Et Palæstini cum eandẽ Arcam captiuam asportassent, parum abfuit, quin plagis diris simis prorsus absumerentur. Heliodorus, ut est in historia de Machabæis, uiolauit symbola: & cæsus est. Et in 7. Leuitici scribitur, Animam eam, quæ sancta symbola, & sacramenta Veteris legis immunda comedisset, eradicandam esse. At in illis uerum fuisse Christi corpus ne Inconstantius quidem, quamuis alia omnia possit, comminisci potest. Eat modò, & figuratores fastuoso illo suo naso suspendat: & sciat, nos eiusmodi scommatis, & puerilibus ineptijs nõ moueri. Satis nobis esse debet, quòd uideamus, sententiam nostram ad sacras literas, & Orthodoxæ fidei dogmata conuenire.

Sed citatur etiam huc idem Chrysostomus ex homilia de Proditione Iudæ. *Chrysostomus.*
Nemo, inquit, sit Iudas in mensa. Hoc sacrificium spiritualis cibus est. Nam sicut
corporalis cibus cum uentrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, & amplius lædit, & magis nocet, & nullum præstat auxilium: ita iste spiritualis cibus,
si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet, nõ sua natura, sed
accipientis uitio. Pura igitur mens in omnibus: pura cogitatio: quia & sacrificiũ
purum est. Vix puto, lectorem ita hebetẽ esse posse, quin facilè intelligere queat,
quàm turpiter Inconstantius abutatur hac sententia. Putat nos his uerbis miserabiliter flagellari: cum tamen nihil hic sit, quod nos quoq; non asseramus. Panem enim Eucharistiæ, non pro communi cibo habemus, sed, ut est, pro eximio sacramento. Itaq; fatemur esse spiritualem, & purum cibum. Est enim organum spiritus sancti. Atq; hac eadem ratione diuinas literas & sanctas, & puras, & spirituales appellamus. Quod cum ita sit, causam non uideo, cur in hoc loco diutius immoremur.

Ea potius uideamus, quæ iste citat ex eodem Patre, ex hom. 24. in epistolam priorem ad Corinth. Ea sic habent: Quod si hominis uestem temerè nemo attingeret, quo pacto omnium domini corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturę particeps est, propter quod & sumus, & uiuimus, propter quod & portæ inferi fractæ sunt, & cœlorum apertæ, tãta cum ignominia accipimus? Quoniam in ijs uerbis Chrysostomus gradatione quadam transit à uestibus hominis ad corpus Christi, putat hic noster, ea, quæ dicuntur de corpore domini, *Chrysostomus.*

„ non posse intelligi de symbolis, quasi sint eius: ut uestis, & purpura Regis, & ho
„ minis alicuius dicuntur esse, cum tamen ab illorum naturis longè distēt. Nescio,
quænam intemperiæ hunc hominem exagitent. Quiuis enim facilè uidere po-
test, hanc esse Chrysostomi collationem: Si uestis hominis temerè nō est attingen
da, quantò minus corpus domini, hoc est, sacramentum Christi, qui omnium est
dominus? Aptissima est huiusmodi comparatio à minori ad maius, negando te-
meritatem esse adhibendam. Quemadmodum enim homo purus longè minor
est, quàm Christus: ita uestis multò minus ad hominem pertinet, quàm sacramen
tum ad corpus Christi. Quòd autem rerum ipsarum nomina imponat sacramen
tis, id non nouum, aut inusitatum uideri debet illis, qui aut in sacris literis, aut in
Patribus diligenter uersati sint.

Chrysostomus. Sed his non contentus Inconstantius citat adhuc eundem Chrysostomum ex
„ hom. 3. in epist. ad Ephesios. Tu uerò ad oblationem accedens, quam & An-
„ geli exhorrent, temporum circuitu rem tantam metiris? Et quomodò compare-
„ bis ante tribunal Christi, qui labijs, & manibus immundis ipsius aulis corpus at-
„ tingere? Et Regem quidē tuum nolles ore tuo fœtido adosculari: Regem uerò
„ cœli animo graueolenti oscularis? Cōtumelia est res ista. Hic iam, inquit Incon
„ stantius, non à Regis purpura, sed ab ipso Rege ducitur similitudo. Et ne à solo
„ animo graueolenti contumeliam dicas irrogari, & manus, & labia immunda no
„ minantur. Videtur iste mihi uix primoribus labijs sacras literas, & Patres attin
gisse. Nam Christus dicit, se affligi, persecutionem pati, fame ac siti necari in pau
peribus: cum tamen, quod ad corporis substantiam attinet, ne Papistæ quidem
dicere uelint, Christum in illis esse. Quid ergo mirum, si dicamus, Christum eo-
dem modo in sacramentis contemni, & conculcari? Sed dices, longè maius
esse: Christum enim panem illum appellasse corpus suum. Esto. Sed nos quoq;
dicimur esse corpus Christi. Quare, qui sacramenta spernunt, & afficiunt contu
melia, cum ea non minus Christi sint, quàm pauperes, ipsum domini corpus, cu
ius illa mysteria sunt, animo graueolenti, & manibus, labijsq; immundis oscula-
ri, & tangere dici possunt. Ad hæc uides, in uerbis istis Chrysostomi, manife-
stam esse hyperbolem. Ait enim manibus tractari corpus Christi. At reuera id,
quod tactu, & manibus usurpamus, aut panis est, ut ueritas sanctarum scriptura
rum docet, & sensus ipse, ut Augustinus ait, renuntiat: aut, quemadmodum so-
phistæ nugantur, panis accidentia. Sed si ita seuerè reuocandi sumus ad amussim
Patrum, Cur hodiè Papistæ ad eam se quoq; non patiuntur reuocari? Sancti Pa
tres dabant populo Eucharistiam in manus, ut sæpius annotaui. At Papistæ ho-
die nostri multò mallent Cœnam uniuersam abolere, quàm ita facere: quamuis
& Christum, & Apostolos, & sanctos Patres ita fecisse negare non possint. Ad
illorum metaphoricas, & hyperbolicas loquutiones tantùm respiciunt, easq; om
ninò uolunt esse proprias. Illas autem, quę re uera propriæ sunt, abijciunt, & con
temnunt, easq; in suis ceremonijs, & ritibus impudenter corrigunt.

Tertullianus. Huc aduocatur etiam Tertullianus ex libro de Resurrectione carnis. Ille
„ autem ait, corpus & animam iungi in opera, ne in mercede separentur. Ea uera
ba nihil opus est, ut rursus exponam. De illis enim satis à me dictum est suprà.

Chrysostomus. Vltimus autem locus Chrysostomi adducitur ex hom. 17. ad Hebræos: quo
„ Inconstantius nihilò magis iuuatur, quàm illis superioribus. Plurimi, inquit,
„ Chrysostomus, ex hoc sacrificio semel accipunt in toto anno: alij bis: alij sæpius.
„ Ad omnes ergo nobis sermo est: non ad eos, qui hic sunt tantùm, sed etiam ad
„ eos, qui in heremo sedent. Illi enim semel in anno participantur: fortassis etiam
„ & post duos annos. Quid ergo est? Quos magis acceptabimus? Eósne qui sę-
„ mel, an eos qui sæpius, an illos qui rarò accipiunt? Neq; illos qui semel, neque

illos

illos qui sæpius, neque illos qui rarò: sed eos, qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, qui cum uita irreprehensibili. Isti semper accedunt. Qui uerò tales non sunt, neque semel. Quid ita? Quia iudicium sibi accipiunt, & damnationem, & supplicium. Hic Inconstantius ait, Chrysostomum falsam eorum opinionem reprehendere, qui putant, corporalem præsentiam impedire frequentiam communionis. Eam autem ait, Chrysostomum non exigere, sed tantùm mundítiem conscientiæ. Haud equidem scio, iste noster somniansne an uigilans hæc uerba huc adduxerit. Nihil enim in illis est, quod nostræ professioni, & doctrinæ peculiariter aduersetur. Quod autem ait, quosdam ex nostris dicere, præsentiam istam corporalem impedire frequentiam communionis: id ego sic accipio, hæc illos dixisse, cum in Missas priuatas Papistarum inueherentur. Nam propter fictitiam illam opinionem de præsentia corporali, quidam satis sibi putauerunt fore ad salutem, si Christum, uel, ut uulgò adhuc loquuntur, factorem suum uidissent, uel pane indutum, uel, ut uos dicitis, accidentibus, et si ad communionem nunquam accessissent. At si uos illos, pro eo ac debebatis, instituissetis, hunc unum esse usum Eucharistiæ, ut comedatur & bibatur, nunquam passi fuissent illa falsa imagine Christi in accidentibus conspecti, se à uobis circumueniri: sed omnino communicassent, & ex Sacramento iustum emolumentum percepissent. At cum illi se maxima parte pietatis defunctos esse imaginentur, si adoratione & honore aliquo Christi corpus, ut putant, affecerint, ibi incipiunt sistere gradum, nec de edendo, aut bibendo Sacramento quicquam cogitant. Atque ea causa pij uiri errorem istum uestrum iustè, ac meritò damnauerunt: Videbant enim ex eo non tantùm ad idololatriam, sed etiam ad negligentiam aditum aperiri. Vt autem Chrysostomus ita loqueretur, in causa fuit, quòd monachatui, & Heremitarum solitudini nimium fauerit. In quo genere uitæ id cum sanctimonia & pietate Christiana pugnare uidebatur, quòd studio solitudinis, quam sibi absque ullo monitu, aut uerbo dei colendam statuerant, ab eo se continerent, quod Christus in sui commemorationem fieri, & frequentari iusserat. Hic itaque Chrysostomus suscepit, & defendit suos monachos: quàm iustè, ipse uiderit. Certè, dum uult illis plus, quàm par est, suffragari, à se ipso manifestissimè dissentit. Alibi enim iustis propemodum lachrymis mensæ Dominicæ solitudinem deplorat. Apparet ergo, quàm parùm attentè Inconstantius legerit Chrysostomum, qui non meminerit, eum alibi ad frequentiorem communionem populum cohortari. Mũditiem quidem ubique requirit: at unà frequentiam etiam exigit. Nam in hom. 3. ad Ephesios, & 61. ad populum Antiochenum, ne plura loca commemorem, grauiter reprehendit eos, qui rationem haberent temporis, & Pascha, aut Epiphaniam obseruarent, & illis diebus uel immundi communicarent, alijs autem temporibus, cum inuitarentur ad mensam, & possent accedere, salutares admonitiones contemnerent.

Chrysostomus uitæ monasticæ nimis studiosus

Chrysostomus alioquin frequẽtiam dominicæ cœnæ requirebat.

Verùm, istis omissis, Hieronymus etiam adducitur contra nos ex libro 2. contra Iouinianũ. Opponis, inquit, mihi Gomer mannæ, unamq; mensuram, & uestitum, & capillos, & barbam, & calciamẽta ex equo fuisse Israelitarum: quasi non & nos Christi corpus æqualiter accipiamus. Vna est in mysterijs sanctificatio domini, & serui, nobilis, & ignobilis, Regis, & militis: quanquã pro accipientium meritis diuersum fiat, quod unum est. Qui enim indignè manducauerit, & biberit, reus erit uiolati corporis & sanguinis Christi. Nunquid quia & Iudas de eodem poculo bibit, de quo & cæteri Apostoli, unius erit cum reliquis meriti? Sensus istorum uerborũ Hieronymi facilis est, & cuiuis obuius. Nam, quod ad fideles attinet, quisque eorum, cum communicat, corpus domini æqualiter par-

Hieronymus.

ticipat: quamuis eius effecta pro rata parte fidei non ab omnibus æqualiter sentiantur. Sin autem promiscuè intelligatur multitudo communicantium, tam fidelium, quàm perfidorũ, qui uidentur pertinere ad typum Iudę, omnes ex ęquo comedunt ex eodem pane, & bibunt ex eodem calice: & cuique illorum tantum dem sacri mysterij distribuitur: quandiu quidem impij sunt eo loco, ut excommunicatione non sint resecti ab Ecclesia.

Hieronymus. Cæterùm ab eodem isto Hieronymo in primum caput Malachiæ Inconstantius nostram sententiam planè uictam, & iugulatam esse putat. Sic enim scribit:
» Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, &
» sordidi mundum sanguinem bibimus. Et dicimus, Mensa domini despecta est:
» non quòd aliquis audeat dicere, &, quod impiè cogitat, scelerata uoce proferre.
» Sed opera peccatorum despiciunt mensam dei. Hic nos Inconstantius medios teneri putat, quòd Hieronymus panem, quẽ polluunt indigni, diserta, propriaq; uoce exponat corpus Christi. Non autem animaduertit, illam uocem, quæ terminum relationis mysterij declarat, idcircò esse adiectam, quò panis ille, de quo agitur, à communi, & profano pane distingueretur. Et eadem ratione distinxit poculum: illudq; mundum Christi sanguinem appellauit. Inconstantium uerò Hieronymus manifestissimè iugulat. Iste enim transubstantiat, & abijcit panẽ in mysterijs: Hieronymus autẽ & agnoscit in illis panem, & illum scribit pollui abindi
» gnis. Sed dicet, Hieronymus appellauit, panem, uel quòd anteà fuerit panis,
» uel quod ipsum corpus domini metaphoricè uocetur panis. Hoc etiam putet Inconstantius sibi responsum à nobis, Hieronymum idcircò interpretari panem corpus Christi, quòd panis significet corpus Christi. Quòd si has loquendi formas non permittet nobis, uideat, quo iure eas usurpet ipse.

Hieronymus. Addit huc etiam eiusdem Hieronymi uerba in Psal. 54. in illa uerba, Qui simebi mecum dulces capiebat cibos. Cum mandatis uitæ, inquit, & uoluntate patris
» plerunq; refectus es. Cibus enim dulcis est, patris facere uolũtatem: ut illud, Qui
» intingit mecum manum in paropside, leuabit contra me calcaneum suum. Vel
» cibus dulcis, corpus & sanguis Christi: quod ipse suscepit indignus. Primùm, oportuit istum rhapsodum cogitare, Commentaria illa in Psalmos, quæ adscribuntur Hieronymo, notha esse, & supposititia. Quanquam in hac re operę magis Inconstantij castigandæ sunt, quàm ipse. Non enim ipsi licuit patrum sententias euoluere. Sed cum in Turri propter suam inconstantiam, & nequitiam alseruaretur, id tantùm operam dedit, ut ex frustulis, quæ in singulos dies ab illis operis adferebantur, ipse centones consarcinaret. Atque rem ita se habere, ex ipsius uerbis planum facia. Librum istum conscriptũ fuisse in Turri, satis constat. Verùm, cũ in ius adductus esset, et in magna frequentia populi Londinẽsis, ad articulos propositos respondere iubereť, multa, pro suo ingenio, astutè & calidè cœpit excusare: Non mirũ uideri debere, si imparatus ad dicendũ accederet: se enim ibi iã diu fuisse conclusum, ubi uix aërem liberũ spectare potuisset. Ad alia aũt incommoda hoc etiam accessisse, ꝙ penitus esset destitutus libris. Hæc ille. Iam si ita erat prorsus destitutus libris, necesse omninò est, ut fateať, loca ista ex patribus, non se, sed operas suas collegisse. Verum, ut ad institutũ redeam, fingamus, uerba illa esse Hieronymi. Nihil ex illis aliud potest rectè colligere, ꝙ dulcis illius cibi duplicem esse manducationẽ in Ecclesia: unam diuinorum eloquiorum, alterã mysteriorum. Sed mysteria, inquit, si tantùm symbola spectemus, quæ sola uos uultis Iudã accepisse, non potuerũt appellari dulcis esca. Quid ita? Certè ut instituta sunt à Christo, non minus dulcia sunt, quàm uerba dei. Sed impij suauitatem illorum non sentiunt, nihil mirum. Nec febricitantes uoluptatem capiunt è dulcissimo uino. Verùm id illorum uitio fit. Nam alioqui uinum

Gardinerus per se ipsum ista loca patrũ non collegit.

Symbola ut instituta fuerũt à Christo, sunt dulcissimus cibus.

uinum generosum & dulce saporem suum non omittit. Pijs quidem hominibus sacramenta Christi suauissima, & iucundissima sunt. Hauriunt enim ex eis fructum spiritus, quem oportuit. Neq; infitiari possumus, spiritum sanctum hoc instrumento sacrorum symbolorum omnibus ex instituto domini communicantibus corpus Christi fide percipiendum offerre. Quo cibo spirituali quid dulcius esse potest, aut amabilius? Quare cum sacramenta dulcis appellantur cibus, ab illorum ingenio & natura nihil aberratur.

Nihilo meliori fide posteà citat Hieronymum in caput 11. prioris ad Corinthios. Illa enim Commentaria nemine docto possunt uideri Hieronymi. Ita tamen eum adducit Inconstantius in illa uerba Pauli, Probet se ipsum homo: Si in lintheum, inquit, aut uas sordidum illud mittere nõ audes: quantò minus in corde polluto: quam immunditiem deus super omnia execratur: & quæ sola iniuria est eius corporis? Nam & Ioseph ille iustus propterea sindone munda inuolutum in sepulchro nouo corpus domini sepeliuit, præfigurans corpus domini accepturos tam mundam mentem habere, quàm nouam. Hic sophista non tantùm friget, sed etiam penitus cõglaciat. Author autem, quem citat, allegoria quadam tolerabili, id suadet, quod nos fatemur uerũ esse, & ulnis ambabus amplectimur: nimirùm, oportere mentem, quę suscipiat corpus Christi, & mundam, & nouam esse: quam illi habent soli, qui fide illustrati sunt à spiritu sancto. *Hieronymus.*

Post Hieronymum Augustinus adducitur: quem non sine magno apparatu, & strepitu Inconstantius producit in scenam. Ait enim nos abuti sententijs quibusdam huius Patris, dissimulantes interim ea, quæ contra nos faciunt. Sed, Lector, ut spero, prudenter audiet, & expendet ea, quæ iste nos clamat astutè, & ua frè celauisse. Contra literas Petiliani lib. 2. cap. 47. ita scribit: Non dicunt ista, nisi qui de mensa domini uitam sumunt, sicut Petrus: non iudicium, sicut Iudas. Et tamen ipsa utriq; fuit una: sed non utriq; ualuit ad unum: quoniam ipsi non erant unum. O cæcum, & tenebrosum Labyrinthum: non possumus opinor, sine artificiosissimo filo nos hinc unquam explicare. Dabimus tamen operam: & fortasse aliquando aliqua ratione emergemus. Nónne nos, quæso, fatemur, in templo mensam unam, eandemq; proponi omnibus tam bonis, quàm malis? & bonis malisq; idem offerri sacramentum? Nam ex eodem pane & Iudas accepit, & Petrus. Illa tamen mensa, cum esset una, potuit nihilominus intelligi non una: quoniam bonis malisq; non ualebat ad unum. Illi enim neq; inter sese sunt, neq; cum Christo uno spiritu, eademq; fide coniuncti. Hic iam nihil superest ambigui, aut obscuri. Tenebræ illæ in oculis Inconstantij sunt, non in uerbis Augustini. *Augustinus.*

Ille tamen adhuc, ne sibi ipsi deesse uideatur, citat hæc quoq; uerba Augustini ex epistola eius 162. Tolerat ipse dominus Iudam, diabolum, furem, & uenditorem suum sinit accipere inter innocentes Discipulos, quod norunt fideles, pretium nostrum. Hic Inconstantius, ac si prorsus iam debellatum esset, exclamat triumphali uoce, nihil unquam ab Augustino dici potuisse significantius. Et addit, An symbola quoq; dicturi sunt, esse pretium nostrum? Certè, si ut diuinæ literæ testantur, ut Patres uoluerunt, ut tu quoq; Inconstanti, quemadmodum & iam audiuimus, & posteà audituri sumus, confiteris, signa sæpè obtinent nomina rerum, qua ratione Panis appellatur corpus Christi, & uinũ sanguis: quid, obsecro, obstabit, quò minus sacramentum eadem ratione pretium etiam nostrũ possit appellari? Profecto, qui certo quodam modo statuit symbola esse corpus & sanguinem Christi, is ea illis attribuit, quæ corpori & sanguini Christi ascribi solent. Sed iste tanquam percussus à deo iustissimo animi furore, ut solet, palpat in meridie. *Augustinus.*

Sacramẽtum ut potest uocari corpus Christi, sic etiam potest dici pretium nostrum.

Augustinus. Rursus allegat eundem Augustinum contra Cresconium Grammaticum
„ lib. 1. cap. 25. Quid, inquit, de corpore ipso, & sanguine domini, unico sacrificio
„ pro salute nostra, quamuis ipse dominus dicat, Nisi manducaueritis carnem filij
„ hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, nónne idem
„ Apostolus docet, & hoc perniciosum fieri malè utentibus? Ait enim, Quicunq;
„ manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis &
„ sanguinis domini? Ecce, quemadmodum obsint diuina, & sancta malè utẽtibus.
„ Cur non eodem modo Baptismus? Hoc Augustinus sibi probandũ proposuit, quod etiam noster iste non dubitat, Res sanctas obesse malè utentibus: & argumentum ducit à Sacramento Eucharistiæ. Quod cum appellat corpus & sanguinem domini, & unicum sacrificium salutis nostræ, id pro consuetudine diuinarum literarum, & pro more Ecclesiasticæ loquutionis facit. Et tandem concludit, Baptismum quoq; eiusmodi esse, ut quamuis bonus sit, & legitimè adhibeatur, tamen non prosit, sed obsit malè utentibus. Atq; ista cõclusione occurrit Cresconio: qui docere solebat, eos, qui accederẽt ad partes Donati, esse ibi baptizandos: quòd ne nos quidem negare auderemus esse ibi Baptismum. Respondet Augustinus, illos quidem Baptismum habere bonum & legitimum: sed talem tamen, qui noceret tam habentibus, quàm percipientibus. Expediat nunc Inconstantius, quomodò constet ista similitudo inter Baptismum et Eucharistiam, nisi ista duo sacramenta eodem modo se habeant ad impios. Haud dubiè, ut ipse statuit, erit similitudo aliena, & dissimilis. Vt ergo sacramenta ista inter se conueniant, & sacris literis respondeant, necesse est, ut etiam inuitus fateatur, impios ita sumere elementa Eucharistiæ ad iudicium suum, quemadmodum ficti, & sceleratí ex Baptismo nihil referunt, nisi externam lotionem. Si quis fortè sit, qui inter hæc duo sacramenta hanc collationem ab Augustino fieri non credat, legat ille & 25. & 26. caput eiusdem libri. Quod autem Inconstantius dicit, Augustinum nihil confecisse argumento suo, nisi dicat, impios, & sceleratos comedere uerum & proprium corpus Christi, id illi non tantùm dicendum, sed etiam docendum erat. Neq; quicquam eius causam iuuat, quod Augustinus externis symbolis Eucharistiæ attribuat nomina corporis Christi & sacrificij salutis nostræ. Quare nihil erat opus, ut iste hoc genus iniuriæ deprecaretur, quòd nimiũ diu in rebus clarissimis immoretur. Illam potius iniuriam suam purgare debuit, quòd fucum faciat lectori, nec ea adferat loca, ex quibus constare possit, non licere imponere symbolis rerum nomina. Nam eo argumenti genere posset fortasse aliquid promouere. Nunc uerò cum nostrum nobis principium, assumptum q; integrum relinquat, quod ex sacris literis depromptum, & Patrum auctoritate confirmatum, conuelli non potest, magno sanè temporis dispendio infinita Patrum dicta coaceruat. Nam ea omnia, quod lectori obscurum esse non potest, in eodem cardine uersantur. Nec tamen Inconstantius modum adhuc ullum, aut finem facit.

Augustinus. Vult etiam, ut Augustinum in libro post Collationem cum Donatistis au-
„ diamus. Nam in eius libri cap. 7. ita scribitur: Cum boni, & mali idem uerbum
„ dei audiunt, & simul dei sacramenta percipiũt, & tamen dissimiles habent actuũ
„ suorum causas, & dissimiles gerunt uoluntatis diuersæ personas, eundem cibum
„ sanctum alijs manducãtibus dignè, alijs indignè: nec causa causæ præiudicat, nec
„ persona personæ. Hic Inconstantius ait, se non uulgare pondus agnoscere in illa dicendi formula, quod Augustinus dicat, eundem cibum sanctum dari tam bonis, quàm malis. Necesse omninò est acutissimos esse sensus huius hominis, qui uidere non possit, externa symbola Eucharistiæ posse appellari cibum sanctum: cum scripturæ ipsæ, & uerba dei ubiq; apud Patres appellentur epulæ sanctæ.

Non

Non possum equidem non mirari, non puduisse istum nugas ita pueriles prodere. Iste uerò locus Augustini ita consentit cum uniuersa nostra ratione, ut nihil dici possit conuenientius. Confert enim uerbũ dei cum Sacramentis: quod idem nos quoq; facimus. Idemq; uerbum tam pijs, quàm impijs proponi dicit: quemadmodum nos quoque dicimus, & pijs, & impijs idem proponi Sacramentum. Quicqd ergo hoc loco dictũ est ab Augustino, id nos summo cõsensu recipimus.

Sed homilia 2. Augustini in Apocalypsim aliquid haud dubiè Lynceus iste reperit, quo nostram causam prorsus uno ictu possit iugulare. Sic enim ibi legit: Vincenti dabo manducare de manna abscõdito, id est, de pane, qui de cœlo descendit: cuius figura fuit manna in heremo: quã, sicut dominus dicit, multi manducantes mortui sunt. Sed & nunc, quicũq; mãducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Hoc tantũ ex hisce uerbis Inconstantius arripit: Panem, qui de cœlo descendit, comedi ab indignis. Quasi uerò is, qui audit concionẽ sacram, non etiã unà rectè dicatur, audire uoluntatẽ, & sensum dei: cum tamen ea quæ aures externas feriunt, uerba tantũ, & soni sint. Ea tamen uocant uoluntas, & sensus dei, quòd eius uoluntatẽ, & sensum exprimant, & significatione nobis referant. Eo genere loquendi Paulus usus est, cũ diceret, Euangelium esse potentiam dei ad salutem. Sí autẽ scire uelis, Lector, an ille liber in Apocalypsim sit Augustini, consule Erasmum. Quòd idcircò dico, quoniã Inconstantius nec ruminat quicquã, nec fissam habet ungulam. Omnia enim, quæcunq; occurrũt, arripit & deuorat: nec inter legitima patrum scripta & spuria quicquam discernit.

Augustinus.

Liber adscriptus Augustino in Apocalyp. est nothus. Erasmus.

Imò ne id quidẽ à pudore suo putauit esse alienũ, si Sermones illos ad fratres in Heremo sub Augustini titulo huc adferret. Putauit em̃, Lectores omnia mundа, immundaq; susq; deq; habituros, neq; magnoperè curaturos quo pabuli genere uescerent. Quanquã ne ex illis quidẽ uerbis quicquã inuenire potuit, quo ipsius causa leuaretur. Ita enim ibi scribit Sermone 28. Corpus domini, quod bonum est, malis est malum. Quod idem & de Baptismo, & de sacra scriptura dici potest. Et illud in Psal. 48. Manducant de corpore domini mali: sed non saturantur; & illud de Baptismo cõtra Donatistas lib. 5. ca. 8. Corpus domini & sanguis nihilominus erat illis, quibus Apostolus dicebat, Qui mãducat, et bibit indignè, iudiciũ sibi manducat, & bibit: nihil aliud docent, quàm panem Eucharistiæ suo quodam modo esse corpus Christi: nẽpè quòd illud significet, & referat, & quantum ad ipsum attinet, illud communicantibus promiscuè sumendum offerat.

Sermones Augustini ad Heremitas omnino spurij.

Augustinus.

Citare etiã uoluit aliquid ex undecimo Sermone De Verbis domini. Ibi em̃ Augustinus sic scribit: Illud etiam, quod ait, qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodò intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus ait Apostolus, Qui iudicium sibi manducant, & bibunt? Nunquid & Iudas, Magistri uenditor & traditor impius, quamuis primum ipsum manibus suis confectum Sacramentũ carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euãgelista declarat, comederet, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique uel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, uel, cũ manducauerint, & biberint, apostatæ fiunt. Nunquid manent illi in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem: quo modo qui manducauerit, & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunq; modo quis manducauerit carnẽ Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus: sed certo quodam modo: quem modum uticq; ipse uidebat, quando ista dicebat. Quàm parùm iste locus inseruiat Inconstantio, ex eo facile uidere potest pius, & prudens lector, quod Augustinus statim à principio dicit, Iudam proditorẽ, carnis

Augustinus.

& sanguinis domini Sacramentum, ipsius domini manibus primùm cõfectum comedisse, & bibisse. Nam ea certè loquendi formula satis indicat, quid Augustinus senserit, cum toties posteà inculcaret, Manducare carnem, & Bibere sanguinem. Hoc, inquam, te, Inconstanti, docere potuit, ut carnem intelligeres Sacramentalem, hoc est, carnis & sanguinis Sacramẽtum. Debes ergo colligere, illius mysterij, aut Sacramenti, aut externi symboli, quod appellatur caro Christi, duplicem esse mãducationem. Nam à pijs magno cũ fructu, ab impijs uero magno
„ cum dispendio comeditur. Cæcutit ergo nonnihil Incõstantius, qui putet, car
„ nem Christi quocunq; modo uerè, & simpliciter sumi: quasi uarietas nõ in re sit, quę percipitur, sed in effectu. Est quidem id, quod ait, non prorsus à uero alienum, si totum illud, quod complectitur, Augustini more ad Sacramentum, non aũt sua imaginatione ad ueram, propriamq; carnem referre uelit. Fatetur ipse,
„ Impios nõ uerè sumere, non re uera manducare. Sed id ita interpretaẽ, Non ue-
„ ro modo comedere. Id ego illi tanquã rectè dictum gratularer, nisi statim non satis prudenter subijceret, uerum, & propriũ corpus, & à pijs, et ab impijs comedi. Sacramentũ quidem tam bonis, q̃ malis dari fateor: idq; utrisq; ex æquo uerum Sacramentũ esse contendo. Significatio enim eius uera est, à quocunq; tandẽ recipiatur: neq; ulla ratione effici potest falsa. Non enim ab hominibus inuenta est, sed instituta à Deo. Deinde fictitia illa sua distinctione id satagit, ut locum Au-
Augustinus. gustini ex libro 21. cap. 25. De Ciuitate dei nobis è manibus extorqueat. Ibi enim Augustinus apertè testatur, impios non uerè manducare corpus Christi. Quasi
„ uocabula illa uerè, & re uera, modum tantùm manducationis definiant, non au-
„ tem id, quod mãducatur, auferant. Atq; ita omninò statuit, impios comedere ue-
„ ram, & propriam carnem Cyristi: quod et à uerbis, & à mente Augustini alienissimum est. Nostra uerò sententia & cũ uerbis eius, & cũ sententia appositissimè cõuenit: Impios re uera non comedere carnẽ Christi, & destituti sint fide, & spiritu Christi, quibus instrumentis caro Christi percipi possit: cũ tamen ore externo corporis, comedant Sacramentũ, non minus, q̃ pij: idq; Sacramentum haud dubiè uerũ est, quod Christus ad hominũ salutem instituit: etsi ipsorum culpa im-
Augustinus. pijs fiat exitiosum. Quærit posteà pro sua simplicitate Incõstantius, quis nam
„ tandem ille sit edendi modus, quo corpus Christi ore corporis comedatur à pijs.
„ Et illi quæstioni satis respõsum arbitraẽ uerbis alijs Augustini, quæ habent tract.
„ 26. in Iohannem. Sic enim scribit: Videte fratres, panẽ cœlestem: spirituali ore
„ manducate. Innocentiã ad altare apportate: peccata etsi sint quotidiana, uel non
„ sint mortifera, antequã ad altare accedatis, attendite, quòd dicatis, Dimitte nobis
„ debita nostra. Vide, quæso, pie Lector, quid iste moliatur: Dignã manducationem in eo sitam putat, ut cum proximis conueniamus, omnemq; illis iniuriã remittamus. Hoc ego sat scio, & uideo, agi hoc loco ab Augustino. Alterũ autem caput, in quo totũ propè situm est, præterit, & dissimulat: nimirùm, ut instructi uera fide accedamus ad mensam domini. Cur hoc Sophista noster tacuit? Dicã:
Gardinerus hostis infensissimus fidei. Quia hostis est infensissimus fidei, quæ summa est nostrę iustificationis, & instru-
Augustinus. mentum, quo uerè, ac dignè percipimus corpus Christi. Nam alioqui quomodò id tacere potuisset, cum Augustinus in eodem ipso tractatu dicat, Credere enim
„ in eum, hoc est manducare panem uiuũ: & paulò antè in tractatu 25. Quid pa-
ras dentem, & uentrem? Crede, & mãducasti. Vera quidem illa sunt, quæ Inconstantius retulit de charitate. Fidem tamen omittere eum non oportuit: præsertim, cum ille sit modus præcipuus, quo res huius Sacramenti percipiatur. Et ne quis existimet, nos aduersari Augustino, cũ negemus, impios comedere corpus Christi, præter ista, quæ iam diximus, legat etiam 26. tractatum in Iohan-
Augustinus. nem. Sic enim ibi scribit: Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo nõ ma-

net

net Christus, proculdubio nõ manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem: licet uisibiliter, & carnaliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit. Hæc luculentissimè docent, sacramentum quidem premi dentibus, etiam ab infidelibus: rem tamen ipsam ab illis non haberi. Quòd si ne adhuc quidem credis, Augustinum ista docere & tradere, audi eundem in eodem tractatu ita loquentem: Huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidiè, alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præparatur: & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad uitam, quibusdam ad exitium: res uerò ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit. Stupidum, & cæcum esse oportet, qui non intelligat, rem sacramenti, hoc est, corpus & sanguinem Christi, à nemine sumi posse ad exitium. Quare qui ex eo mortem sibi asciscũt, illi sacramentum tantum recipiunt, non autem rem ipsam sacramenti. Si ista adiungas ad loca illa de Ciuitate dei, facilè intelliges, quid sibi Augustinus uelit. *Augustinus.* *Res ipsa sacramenti à nemine recipitur ad exitium.*

Sed iste noster addit: Qui spiritualiter non manducat, non potest dignè sacramentaliter manducare: utranq; autem manducationem in bonis coire: sacramentalem autem sine spirituali exitiosam esse: spiritualem sine sacramentali angustiorem: iuncta uerò illa uberiorem esse, & augustiorem. Hæc si rectè, & dextrè intelligantur, nemo nostrum repudiauerit. Non enim dubitamus, spiritualem manducationem externa & sacramentali manducatione nonnihil adiuuari. Iste autem cum sacramentali manducatione semper copulat mãducationem ueræ carnis Christi. Quod ut à uero alienissimum est, ita ab isto nulla scripturarum authoritate, aut ratione confirmatur.

Sequitur Eucherius. Is in librum 2. Regum cap. 6. ita scribit: Sacerdos, qui arcam inconsiderata temeritate attigit, ausus sui reatum immatura morte purgauit. Vbi intueri necesse est, quantum delinquat, qui ad corpus domini reus accesserit. Si deuotus ille sacerdos morte mulctatur, qui Arcam illam, dominici uidelicet corporis figuram, minori, quàm debuit, ueneratione corripuit, &c. Ex eo, quod Eucherius dicit, Arcam fuisse figuram corporis Christi, Eucharistiam autem, corpus ipsum Christi uocat, & addit, utrunq; ab impijs indignè tractari, & sumi, Inconstãtius putat confici, non tantùm symbola, sed etiam ipsum uerum, & proprium corpus Christi sumi ab indignis. Alioqui enim collationem Euchrij alienam, & absurdam esse. Nos autem respondemus, in symbolis & Veteris & Noui Testamenti fuisse, & esse figuras corporis Christi: eumq; qui neget, nostra symbola Eucharistica esse signa, & typos, liquidò prodere, quàm parùm in Patribus, & in Orthodoxis scriptoribus sit uersatus. Quòd autẽ Eucherius symbola nostrorum sacramentorum appellat interdum nomine corporis & sanguinis Christi, hoc unà cum antiquis scriptoribus facit. Id autem, quòd non legamus dici de sacramentis Veteris legis, idcircò usu uenit, quia illa Christum uenturum, & eius corpus in crucem dandum esse significabant: nostra uerò id iam perfectum, & completum esse indicant. Ex eo igitur orta est diuersitas huius appellationis, quòd nostra sacramenta propius rem attingant, quàm illa. Dabimus autem Eucherio, hodiè Christianos homines grauius peccare in sua sacramenta, quàm olim Iudæos in sua: quòd hodiè multò maior sit lux ueritatis, quæ ex personarum, & temporum circunstantia peccatum atrocius reddit. Videt improbus sophista, quæ responsio, quámq; uera, & iusta ad omnia ista reddi possit. Ille tamen, ea dissimulata, & præterita, totus in eo est, ut testimonia infinita eiusdem farinæ coaceruet. Sed quid agas? Prorsus obfirmauit animum, uictoriam non rationibus, aut uerbo dei, sed pertinacia parandam esse. *Eucherius.* *Cur sacramẽta ueterum nõ fuerint appellata corpus & sanguis Christi.* *Abusus nouorũ sacramẽtorum, grauior est quã ueterum.*

Oecumenius. Huc accedit etiam Oecumenius. Is in epistolam priorem ad Corinth. cap. 11. ita scribit: Quod ait, Reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indicat, quòd quemadmodum Iudas eum tradidit, Iudæi uerò in ipsum debacchati sunt: ita eũ afficiunt ignominia, qui sanctissimum ipsius corpus manibus impuris suscipiũt, ueluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori. Et rursus addit idem Oecumenius, Per hoc, quod frequenter ait, corporis & sangnuinis domini, manifestat, quòd non sit nudus homo, qui immolatur, sed ipse dominus, & sator omnium: ut uidelicet per hoc ipsum exterreat à perceptione corporis & sanguinis domini, ac si ipse illud effudisset. Siquidem ipsi illum occiderunt, hic uerò per indignitatem nunc eum uidetur interimere. Hæc postquam retulit Incon stantius, uirulenta quadam ironia interrogat, an hic quoq; futurum sit, ut consue tam de symbolis cantilenam occinamus? Id autem addit, non licere. Interpretes enim animo sedato, & composito ueritatem tractare, nec uelle eam figuris obscurare. Sed hoc quoq; ille nobis uicissim respondeat: Hanc interpretationem, qua dicimus, nomina rerum imponi sacramentis, ipsine de nostro finximus, an accepimus aliũde? Si nostrum hoc inuentum esse dicat, & nos ualdè audaces fecerit, & se ipsum prodiderit rudem esse, & imperitum Patrum: quos tamen uideri uult unicè profiteri. At si, quod uerissimum est, quodq; negare non potest, ab ipsis Patribus nos ista accepisse dicat, cuius tandem, quæso, peccati potest nos reos peragere, si Patrum sermones interpretamur illis ijsdem formulis, & legibus, quas ipsi nobis præscripserunt? Ita certè Augustinus sexcentis in locis nos docuit, ita Cyprianus, ita Theodoretus, ita alij ferè omnes. Quid tu istis obgannis? An contra eos quoq; tuam illam cantilenam repetes? An illos quoq; figuratores appellabis? Cur tu ipse hoc loco non credis Oecumenio tuo simpliciter, & sine ullo tropo, cum dicat, Christum in Cœna immolari? Sed, quæ tua est impudentia, dices fortasse, te id simpliciter credere. At si id dicas, necesse est, ut omnium risu, etiam tuorum exagiteris. Nihil enim uiuens propriè immolatur sine cæde. Clamabis, immolationem ibi esse incruentam. At nos infinitis Patrum testimonijs euincemus, esse ibi memoriam, monumentum, exemplar, commemorationem, gratiarum actiones de immolatione Christi iam olim in cruce facta: deinde sacramentum obtinere nomen rei: nec posse fieri, ut ibi propria immolatio Christi concedatur. Quod si in illo uerbo Oecumenij tui, & eiusdem etiam mei moderationem huiusmodi recipis, quid, quæso, obstat, quò minus ea in alijs quoq; uerbis eius possit fieri? Quòd autem dicis, Oecumenium animo sedato ista tradidisse, ego quoq; non dubito Cyprianum, Augustinum, Theodoretum, aliosq; Patres animo satis composito fuisse, cum illa sua scriberent.

Verum, ne in isto Oecumenio prolixior sim, quàm sit opus, accedo nunc ad

Gregorius. Gregorium. Is lib. 2. cap. 1. in primum Regum ita scribit: Valdè ergo saturantur famelici, quia in donorũ plenitudine super humiles spiritus sanctus requiescit. Quod tamen contra negligentes sacri altaris ministros, & audaces dominici corporis susceptores dici non inconuenienter potest. Repleti uerò prius sunt, uitio rumq; cibo saturati, qui pro pane se locant: quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparant: qui nimirum comedunt, & saturari non possunt: quia etsi sacramentum ore percipiunt, uirtute sacramenti nequaquã replentur. A uirtute ergo sacramenti ideò ieiunant, quia prius repleti fuerunt. Salutis quippe fructum nõ percipiunt in comestione salutaris hostiæ: quia ea, quibus se repleuerant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo, nisi famelici: qui à uitijs perfectè ieiunantes, diuina sacramenta percipiũt in plenitudine uirtutis. Ecce, inquit, Inconstantius, Gregorius testatur, malos accipere hostiam salutarem. Id autem, inquit, nõ potest referri ad nuda symbola, præsertim cum paulò anteà malos appellauerit domi-

dominici corporis susceptores. Sed cur iste hic non annotauit, Gregoriũ suum: non enim eum ego facilè appello meum, cum infinitarum propè superstitionum in Ecclesia princeps, & author fuerit: cur illum, inquam, non annotauit ita scribere, Malos ore suo percipere Sacramentum: uirtutem autem Sacramenti non percipere? Rem autem, & uirtutem Sacramẽti, quid aliud intelligere possumus, quàm carnem ipsam Christi fide perceptam? Ista duo Gregorius non ineptè distinxit: etsi, quod alij etiam passim fecerunt, proprietates rei attribuat Sacramentis. Et addit, pios recipere Sacramenta, id est, externa symbola cum uirtutis plenitudine. Vnà enim corpus & carnem domini fide ac spiritu suscipiunt.

Deinde descendit ad Bedam: non ut aliquod nouũ argumentum ab illo petat, sed ut maiorem turbam testium habere, ac nos, cum pondere non possit, saltem numero opprimere uideatur. Et idcircò, ne nescias, lector, duos testes, Augustinum & Bedam, tanquam duos parietes eadem uerborum fidelia dealbare uoluit. Verba Augustini sunt tractatu 62. in Iohan. Quid miraris, inquit, si da tus est Iudæ panis Christi, per quem mãciparetur diabolo, cum uideas Paulo datum Angelum diaboli, per quem perficeretur Christo? Ita bonum malo obfuit, & malum bono profuit. Recordamini, unde sit scriptum, Quicunq; manducauerit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Et de ijs erat sermo, cum Apostolus hoc diceret, qui domini corpus, ueluti quemlibet alium cibũ indiscretè, negligenterq; sumebant. Hic si corripitur, qui non dijudicat, hoc est, non discernit à ceteris cibis Dominicum corpus, quomodò non damnatur, qui ad eius mensam fingens amicum accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia conuiuantis, qua pœna percutitur uenditor inuitantis? Hic uerò clamat Inconstãtius, Augustinum, & Bedam ijsdem uerbis testari, Impios comedere corpus domini: & eo nomine condemnari eos, qui non dijudicant, sed irreligiosè, ut cæteros cibos comedunt. Ex isto tanto aceruo arenæ, quam totam Inconstantius uult uideri auream, exiguum admodum quæsum faciet. Nam & Augustinus, & Beda symbolum illud, quod & boni, & mali recipiunt in cœna, appellant panem domini. Dicunt esse Bonũ, appellant Corpus Dominicum, & hoc nomine impios damnari affirmant, quòd eiusmodi cibum ab alijs profanis, & communibus cibis non discernant, aut ad illum inimicũ accedant. In summa hoc totũ est, quod ex istis uerbis possit elici. Ad quod si adiungas doctrinam nostram, nihil inter ea uidebis pugnæ, aut controuersiæ. Inconstãtius autem suis astutijs, & uafris interpretationibus, ea, quæ maximè sunt concordia, & consentientia, inter se committit, & testes alioqui rectè loquentes, in alienam sententiam obtorto collo, & inuitos detorquet.

Beda.

Videamus enim in Theophylacto, uiolento alioqui authore, quid aucupetur. Ille in cap. 11. prioris ad Corinthios ita scribit: Ita, quicũq; manducauerit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Arguit Corinthios, quòd inopes aspernarẽtur, ueluti indignè mysterijs participassent. Nec secus, qui id indignè sumpserit, sceleri erit obstrictus, quàm qui sanguinem ipsum domini fuderit. Nam quemadmodum constat, qui tunc dominũ pupugerunt, non potandi gratia pupugisse, sed ut domini sanguinem funderent: sic, qui indignè hunc hauserit, nullum ex eo fructum adeptus, frustrà ac temerè Christi sanguinem fudit. Atqui Iudæi Regis clamydem diuiserunt: qui uerò immerito sanguinis particeps fuerit, in cœnum animã suam mergit. Ita fit, ut non æquale ob id & Iudæis, & indignè Christi sumenti sanguinem obueniat ignominia. Vnde & corporis hic & sanguinis domini reus efficitur, eritq; tanto obnoxiùs crimini. Et rursus eiusdem Theophylacti ex eodem loco aliud subijcit testimoniũ. Qui enim, inquit, manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit,

Theophylact.

„ Nec sanè propter mysteriorum naturam hoc dixerim. Vitam enim in se habent,
„ & largiũtur: sed ob mysteria adeuntium indignitatem: quibus haud secus illa of-
„ ficiunt, ac solent oculorum ualetudine laborantibus solis radij officere. Super-
„ riori illo testimonio Theophylacti, Inconstantius ait, nihil esse posse apertius: eũ
„ enim disertissimis uerbis affirmare, sanguinem domini hauriri ab impijs: & illo-
„ rum peccatum grauius esse, quàm Iudæorum, qui sanguinem Christi per contu
„ meliam, & inuidiam effuderunt. At cum nos uinũ Eucharistię fateamur suo mo
do esse sanguinem Christi, quid obstat, quò minus fateamur, eos, qui illud indi-
gnè bibunt, eo modo bibere sanguinem domini: nimirùm, quòd eius sanguinis
Sacramentum bibant? Quod autem Inconstantius tenere se non potuit, quin
insultaret nobis, & nos petulanter irrideret, nihil præter naturam & consuetudi-
nem suam fecit. Eos omnes, qui in isto Sacramento agnoscunt figuram, hoc est,
omnes patres, appellat figuratores: eosq; adesse iubet, cum omnibus suis machi-
nis, hoc est, cum catholicis, & orthodoxis interpretationibus, ut hunc locum ex-
pediant, si possint. Aderunt, Inconstanti, aderunt: ne dubita: & Mysteria, quæ à
malis comeduntur, in se quidem uitam habere, concedent: quamuis uitam ipsam
à malis comedi, nõ fateantur. Dicent, Symbola quidem ipsa offerre uitã, quodq;
ad illa attinet, quoniam sunt organa spiritus sancti, si rectè sumantur, conducere
ad uitam, non minus, quàm aquam Baptismi ad salutem, aut etiam diuinas lite-
ras, si rectè, & cum fide audiantur. Quid hic garris? Opus ne, quæso, fuit tot ma-
chinis? Figura una ἀλλοίωσις aut μετονυμία, id, quod tibi uidebatur fieri nullo mo-
do posse, uno propè confecit uerbo. Sed deus, inquies, utiť creaturis, ut orga-
nis, quibus dona largiatur: nihil tamẽ habere uitam potest, præter ipsam uitæ es-
sentiam. Certè, nulla res creata uitã in se habere potest, ut fons, aut seminariũ, aut
principium uitę: at ut organum, & instrumentũ habere potest. Atq; adeò nega,
si potes, uerba sacræ scripturæ, & præsertim sancti Euãgelij, uitã esse, aut, ut Pau
lus loquiť, potentiam dei. Cur ita uociferaris, & cœlũ terræ misces? Christus ipse
dicit, uerba sua, ea uidelicet, quæ habemus expressa in sacris scripturis, spiritũ es
se, & uitã. Perfrica frontem paulùm, Inconstanti, & nega, illa uerba fuisse creata.
Neq; uerò negare potes, multò maius esse & præstãtius, esse uitam, q̃ uitam ha-
bere, aut continere. Moses in Deut. ca. 30. ait, deũ dedisse populo mandata, & Le
gem, eaq; non ueretur appellare uitã et mortẽ: uitã quidem, si ea obseruent: mor
tem aũt, si contẽnant. Tempus me deficeret, si omnia, quæ apud Dauidẽ, aliosq;
prophetas in hanc sententiã extant, uellem persequi. Quòd si queras, quónã pa-
cto Lex, aut Euangeliũ possit esse uita, aut eã in se habere, aut cõtinere: ueni tu cũ
omnibus tuis machinis, & omni uafricie Sophistica, & effice, si potes, aliam cau
sam ullam esse, quàm q̃ significet, aut mõstret uitã, aut ad eam impellat, atq; inui
tet. Id si dari potest uerbo externo: quã iniuriã deo facimus, si idẽ tribuimus sym
bolis, & Sacramẽtis, q̃ re uera sunt uerba quędã dei sensibilia? Hic ego pij lecto-
ris, atq; etiã Incõstantij ipsius, quãuis pertinacẽ & induratã, appello conscientiã.

Quomodo uerba scripturæ sint uita.

Bernhardus.

Sed mitto ista: & eò accedo, ut uideam utrũ ex Bernhardo huic sophistę scio-
„ cius, q̃ ex Theophylacto processerit. Comestio, inquit, Sacramentalis, quantum
„ ad uisibilem speciem, & quantũ ad corporis Christi ueritatem, cõuenit bonis, &
„ malis cõmuniter. Sed est alia comestio, quæ, sicuti iam diximus, ad bonos tãtùm
„ pertinet: quam per dei gratiam, & fidem per dilectionem operantem uitæ meri-
„ tum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium, uel ministrantium:
„ intercedente spirituali quadam, & subtiliori unione capitis, & membrorũ. Lo-
cum istum totidem uerbis suprà retulit Inconstantius 83. Obiectione. Quid au-
tem ego tum responderim, non est necesse hoc loco repetere. Hoc tantum mo-
nebo, Sermonẽ illum supposititiũ esse, quod ex eius inscriptione, quæ in multis

exem-

exemplaribus extat, probari potest. Sed illi, quicunq; demum fuerit, ego oppo-
nam uerum Bernhardum in Cantica Canticorum. Neq; dissimulare possum, *Bernhardus non puram doctrinã tradidit, & uixit diu post Berengarij negotium.*
multa esse à Bernhardo parùm syncerè, pureq; scripta: ideoq; nec in re sacramen
taria grauissimum esse eius iudicium. Vixit enim diu post Nicolaũ Papam, qui
Berengarium adegit ad stultissimam illam palinodiã. Quare nihil est, cur in eius
uerbis expendendis magnoperè sudemus. Quod tamen si faciendum sit, ad illa
me prorsus refero, quæ suprà, cum idem istud ageretur, exposui.

Ista autem tam longa serie testium, euersa nec ne sit causa nostra, non stabi-
mus huius Thrasonis aduersarij nostri iudicio. Ille enim canit triumphum ante
victoriam. Qui sacras literas, & fidei nostrę articulos pressius, & diligentius con
siderabit, & ueterum Patrum dicta prudenter expẽdet, & rationes illas, quibus
ueritas à nobis propugnatur, ponderabit, ille haud dubiè, si quid ego iudico, In-
constantium, & omnes istos Paparum parasitos deseret, & in nostram sentẽtiam
pedibus descendet.

OBIECTVM XCV.

VT diabolus est cibus impiorum, quos nutrit omni iniqui-
tate ad damnationem: ita Christus est uerus cibus uiuorum
membrorum sui corporis, quos nutrit ad uitam æternam.

GARDINERVS.

DIABOLVS *nutrit suos, non ut obsonator, sed ut Coquus: qui operam tantùm ac-
commodat, non suppeditat materiam.*

MARTYR.

VT summatim dicam, tota Inconstantij responsio his paucis capitibus conti-
netur: Diabolum nutrire impios, non tanquam obsonatorem, sed potius
tanquam illorum coquum. Diabolũ enim nõ suppeditare hominibus peccata:
illorum enim principia quenq; habere in se ipso: ad ea autem diabolum instigare
tantùm, & incitare natiuam hominum cupiditatem: ipsaq; peccata condire, &
uariare, & arte sua quodammodò sapida efficere: non posse autem illum malum
aliquod nobis inserere, quod ex nobis ipsis non pullulet. Christum autem ait &
Obsonium esse nostrum, & obsonatorem, & Coquum. Eum enim esse omnia in
omnibus: & omne bonum de sursum esse: et dominum ipsum dixisse, Sine me ni
hil potestis facere. Et addit, nihil dissimilius dici posse, quã est ista collatio Christi
cum diabolo: eamq; blasphemiam etiam redolere. Diaboli uerò nullam se agno-
scere manducationem nisi hyperbolicam. Hæc ille. Sed eius ego fidem in hoc ar
gumento referendo, ut in alijs plærisq; desidero. Proposuit enim illud concisum,
lacerum, mutilum, & absq; ulla etiam certa conclusione. Eo tamen ego non du-
bito nostros nihil aliud uoluisse conficere, quàm ex collatione participationis,
quam homines habent uel cum Christo, uel cum diabolo, ostendere Transub-
stantiationem, & realem præsentiam superuacaneam esse. Istam autem commu- *Communicatio impiorum cum diabolo.*
nionem impiorum cum diabolo, quam Inconstãtius ita contemptim ridet, Pau
lus ad Corinthios, cum de idolothytis loquitur, agnoscit. Ostendit enim, eos om
nes, qui participant de mensa, & sacrificijs idolorum, communicare cum diabo-
lo. Quare, quemadmodum ad illam communionem non exigitur, ut idolothyta
transubstantientur, nec ut substantia diaboli sub qualibet parte illarum carnium
realiter claudatur: ita eadem illa non esse necessaria in pane & uino. Et certè nisi

uáldè oſcitanter iſte legiſſet ſacras literas, iſtam communionem impiorum cum diabolo non ita temerè reiecíſſet. Chriſtus enim Phariſæis ait, Vos ex patre diabolo eſtis. Et de Iuda Diſcipulis ſuis, Vnus ueſtrũ diabolus eſt: &, Qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Et Iohannes 1. cap. 3. Manifeſti ſunt filij dei, & filij diaboli. Hæc ſanè oſtendunt, diabolum multò arctius cõiunctum eſſe cum impijs, quàm coquũ cum obſonio: quãtumuis iſte ſophiſta de ſuo illo ſimili ſibi placeat. Libenter tamen accipio, quod ait, peccata noſtra non pendere à diabolo, ut bona opera pendent & deriuantur à Chriſto. Quanquam non poſſum non mirari, iſtum ita in hanc ſententiam uoluiſſe deſcendere, ut illud huc referre uellet, Chriſtum eſſe omnia in omnibus: & illud, Sine me nihil poteſtis facere. Hæc ego ex iſto libenter audio. At ſi hęc uera eſſe putat, quid faciet miſer poſthac de ſuo libero Arbitrio? Scio, quid ſit dicturus, Noſtras uidelicet partes in eo quàm minimas eſſe, ſi in æſtimandis initijs bonorum operum cum gratia dei conferantur. Eſto. Tamen, quod hic confitetur, huiuſmodi mitigationem non patitur. Obſonatoris ,, enim eſt, non partem aliquam obſonij parare, ſed totum. Prætereà non conſtat, ,, inquit, an diabolus ita ſit intimus impijs, ut Chriſtus pijs. Atqui Paulus ait, Qui adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur: quemadmodum, qui adhæret Chriſto, unus efficitur cum eo ſpiritus. Sed iſta miſſa facio. Satis enim erit argumenti propoſiti ſententiam expoſuiſſe. Quàm autem non ſit abſurdum, diaboli eſſe aliquo modo cibum impiorum, metaphora illa ſatis docet, qua Chriſtus uſus eſt, cum diceret, Cibus meus eſt, ut faciam uoluntatem patris mei. Quemadmodum enim Chriſtus, cum faceret uoluntatem patris, paterno cibo ueſcebatur: ita qui faciunt uoluntatem diaboli, dici poſſunt eo ali, & ita ali, ut aliquando euadãt eius membra. Et in libro Geneſeos appellatur ſemen ſerpentis: quod aduerſus Euæ ſemen bellum perpetuum gerit. Quare in hoc argumento nulla eſt nec blaſphemia, nec hyperbole, quæ ab analogia ſcripturarum diſſideat.

Peccata non ita pendent à diabolo, ut à Chriſto noſtra bona opera.

Quomodo diabolus impiorũ cibus dicatur.

OBIECTVM XCVI.

QVAERO utrum peccator impœnitens ſumens ſacramentum habeat in ſe corpus Chriſti nec ne? Si negas, habeo propoſitum: uidelicet, malos, etſi accipiant ſacramentum corporis Chriſti, ipſum tamen eius corpus non ſumere. Sin affirmas, tum quæro, utrum impij habeant in ſe Chriſti ſpiritum an non? Si negas, diſſoluis Chriſtum: ſeparas enim corpus eius à ſpiritu, & humanitatem à diuinitate. At ſi fateris, aduerſaris ſcripturæ: illa enim ait, Qui nõ habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius. Ita qui habet in ſe Chriſtum, uiuit: quia iuſtificatus eſt. Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in uobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtũ à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in uobis.

GARDINERVS.

AGNO *hic conatu nugatur in tanto myſterio excutiendo. Quis enim non omninò inſanus fateatur peccatorem impœnitentem habere in ſe corpus Chriſti?*

Mar-

MARTYR.

IN Obiectione 94. satis de hac re diximus. Quare si ad ea, quæ illo loco dicta sunt, lectorem remitterem, possem huius Obiectionis labore supersedere. Pauca tamen addam breuiter: ea scilicet, quæ ad hanc rem iudicabo fore satis. Hoc argumentum primùm magna cum contemptione, deinde pro Inconstantij nostri fide, rude quodammodò proponitur. Explicatio eius argumenti est huiusmodi. Per spiritum Christi non intelligimus tertiam personam: ea enim est ubique, non minus quàm pater, & filius: est enim uerè deus: Sed sumitur pro afflatu, instinctu, dono iustificationis, & gratia. Ista indiuulsè coniuncta sunt cum corpore Christi, ut sumitur in Eucharistia. Et idcircò Christus ait, eum, qui manducat se, in se manere, & uiuere propter se. Hæc est sententia argumenti, quam si Inconstantius intelligere uoluisset, nihil nobis in eo tuendo fuisset laborandum. Quiuis enim uidere posset, ad quemcunque dona ista perueniant, non posse fieri, quin eum sanctificent, & immutent, & in ipso Christo manere faciant. Neque uerò consentire potest cum uerbis domini, quod iste ait, impios sumere quidem corpus Christi, sed nõ habere. Christus enim ait apud Iohannem, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et ridiculum est, quod inquit, corpus Christi repentè auolare, ubi os peccatoris attigerit. Armentum enim totum Sorboniſtarum, quorum iste uestigijs insistit, docet, corpus domini tantisper manere sub accidentibus, quoad species, ut loquuntur, illę maneant incolumes. Manebit ergo corpus Christi aliquandiu uel in ore, uel in uentriculo peccatoris.

In argumento tamen nostro quæritur, Quî fiat, ut qui ita comedat corpus Christi, eius spiritu non fruatur, cum Christus id futurum promiserit. Iste clamat, id fieri uitio comedentis. Atqui illud uitium tolli oportuit præsentia Christi. Quî enim potest fieri, ut iustitia non iustificans, aut sanctitas non sanctificans in aliquo inueniatur? Quare uel illa propria, quę deus unicè & arctissimè copulauit, ab eo sunt distrahenda, uel illud homini impio, & in scelere suo iacenti non est dandum. Sed quod ad hanc rem attinet, remitto lectorem ad Obiectionem 94. Ibi enim satis de hoc argumento fusè & copiosè diximus.

OBIECTVM XCVII.

ADVERSARII nostri mirifici sunt præstigiatores, qui efficere possint, certis conceptis uerbis, & deum, & diabolum simul uersari in eodem homine: & eundem simul & templum dei esse, & templum diaboli. Tam autem cæci sunt, ut non possint discernere mensam dei, à mensa dæmoniorum; si uerum sit, quod affirmant, hominem subditum peccatis, atque ita templum diaboli, tamen interim habere in se & carnem & sanguinem, & animam Christi, & spiritum sanctum, & diuinitatem.

GARDINERVS.

MENDACIVM *est, quod adfertur, manifestarium. Nemo enim catholicus dixerit, Christum habitare in peccatore.*

NEgat Inconſtãtius, Chriſtum habitare in peccatore. Atqui hoc negari non poteſt, quin corpus Chriſti in homine impio tam diu ſaltem maneat, quoad illæ ſpecies & accidentia conſeruẽtur. Quare neceſſe eſt Chriſtum, & diabolum tantiſper ſaltem unà eſſe. Quod ego non dico, niſi de Scholaſticorum, & Sophiſtarum ſententia. Diuinæ enim literæ ſtatuunt, eum, qui manducat carnem Chriſti, in Chriſto manere, & Chriſtum in eo. Sed Inconſtantius ecſtaſi etiam pugnat, aitq; ſolem etiam oriri ſuper bonos & malos. Itaq; Chriſtum quoque, & in bonis, & in malis eſſe poſſe. Sed hoc ſimile nihil efficit. Non enim ea eſt uis ſolis, ut in animos aut bonorum, aut malorum quicquam poſſit. Nam ſi de uirtute, aut prauitate loquaris, tales relinquit, quales inuenit. Chriſtus autem natura ſua diuina, ſanctitate, iuſtitia, gratia, & uiuifico afflatu, quemcunque attingit, immutat, ſanctificat, uiuificat: idq; ſe carnem ſuam comedentibus facturum recepit. Quare collatio iſta ſolis, & Chriſti, quod quidem ad hanc rem attinet, nihil concludit.

Falſum etiam eſt, quod ait, argumentum noſtrum ductum eſſe partim ab abſurdis, partim à non conceſſis. Nos enim illud colligimus, & concludimus è uerbis Chriſti. Et ſequimur authoritatem ſacræ ſcripturæ: quæ manducationem carnis Chriſti inutilem, aut damnoſam non agnoſcit. Sed iſte tamen alia ratione occurrit nobis: Deum ipſum per potentiam, & eſſentiam ubique eſſe, neq; malos ab eius præſentia prohiberi: itaque corpus Chriſti eodem modo & in bonis, & in malis eſſe poſſe. Verum ſcire debuit, præſentiam eam, de qua nunc loquimur, quæq; ad Sacramentum pertinet, communionis eſſe, non, ut ille ſomniat, cuiuſuis contactus aut adſiſtentiæ. Paulus hominibus pijs & uerè credentibus, nam ad illos ſcribit, ait, fractionem panis, & benedictionem calicis eſſe communionem corporis & ſanguinis domini. Satis autem conſtat, impios huiuſmodi communionem cum Chriſto non habere, quantumuis externa Sacramenta aut ſint cum alijs ſumere. Atq; illa eſt res Sacramenti, quam Auguſtinus, Origenes, alijq; patres, ut ſuprà monuimus, ab impijs remouerunt. Quàm autem nõ conueniat ratione communionis aliquẽ & diabolum, & Chriſtum in ſe habere, Paulus planiſſimè docet, cum ita ſcribit ad Corinthios, eos non poſſe ſimul & domini calicem bibere, & calicem dæmoniorum. Et rurſus, Quod eſt conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? aut quę cõmunio luci cum tenebris? aut quæ cõcordia Chriſto cum Belial? aut quę pars fideli cum infideli? aut quid cõuenit templo dei cum ſimulachris? Atqui illi ſe parùm modeſtè opponit Inconſtantius, cum dicat, impium & diabolum in ſe habere poſſe, & ſanguinẽ Chriſti re ipſa bibere. Nam ſi ita eſſet, iure poſſet reſponderi Paulo, Imò Corinthij, quamuis impij ſint, & diabolum habeant, tamen nõ tantùm Sacramenta externa, ſed etiam ipſum ſanguinem domini poſſunt percipere: neq; diabolus impedire poteſt, quò minus Chriſtus in os illorum ingrediatur: neq; enim dominus diabolum præſentem auerſabitur. Vide, Lector, quantum inter Inconſtantium, & Paulum diſtet. Nam quod ille negat, id iſte conſtanter affirmat. Vtri autem magis credendum ſit, tu facilè pro tua pietate iudicabis.

Chriſtũ & diabolum ſimul habere in ſe ratione communionis, minimè conuenit.

OBIECTVM XCVIII.

SENSVS, & ratio non pertingunt ad corpus Chriſti. Illud enim ſola fide percipitur. Impij autem non habent fidem: ergo nihil habere poſſunt, niſi ſymbola.

GAR.

GARDINERVS.

SENSVS *& ratio ad mysteria obstupescunt, quando sola fide, quod agitur, intelligatur, & sine fide cum fructu non peragatur.*

MARTYR.

VBi nos dicimus, corpus Christi fide percipi, eximius Dialecticus, ut uitet ambigua, scilicet, distinguendum censet, & uidendum, uerbum illud, Percipere, utrum ad corpus referamus, an ad animum. Si ad animũ, fatetur, corpus Christi percipi sola fide. Sola enim, inquit, fide illud præsens adesse cognoscimus. At si ad corpus, negat propositionem. Non enim sola fide recipi corpus domini ait, sed ore quoq; & manibus, hoc est, externo corporis ministerio. At in ista tam subtili, & exquisita distinctione magnus sophista bis peccauit. Primùm, quòd ore, ac manibus sumi dicat corpus Christi: deinde quòd fidem nudam tantùm, & simplicem notitiam interpretetur. Fides enim uera ad istam notitiam tantum efficaciæ addit, ut corpus ipsum Christi spiritualiter complectatur, cum omni gratia & uniuerso fructu mortis eius. Imò etiam tertiò quoq; peccat, cum Sola fide dicat corpus Christi intelligi præsens esse in Eucharistia. Id enim cum uanum, & falsum sit, non potest apprehendi fide. Mendacia enim etsi ad opinionem fortè aliquam pertineant, tamen aliena longè sunt à fide. Patres autem ita prorsus agnouerunt, manducationem corporis Christi opus esse fidei, ut Augustinus dicat, Quid paras dentem & uentrem? Crede, & mãducasti. Fingit præterea uafrè, & sophisticè in Antecedẽti positum à nobis esse uerbum, Percipere, in conclusione autem uerbum, Habere. Verum, ut sciat, secum agi liberaliter, liceat illi sanè per nos uerbum illud, Percipere, in conclusione reponere. Non eñ est nostrum, mihi crede, de uerbis nugatoriè contendere. Deinde addit, omnino falsum esse, corpus Christi recipi sola fide: ad id enim necessarium etiam esse officium corporis. Illud quidem nos fatemur adhibendum esse edendis symbolis dum habetur Cœna, non ita tamen, ut ministerio corporis nostri recipiamus corpus Christi, uel quasi non possimus id citra symbolorum manducationẽ percipere. Nihilominus tamen excipit Ethnicos: De quibus, inquit, si loquamur, ea, quæ aliàs dicta sunt, repetenda essent. Ea aũt ipsa, quæ dixit aliàs, ita pugnant cum ipsius principijs, atq; adeò cum sententia aliorum omnium Papistarum, ut ab illis nulla ratione defendi possint. Nam si, ut illi docent, corpus Christi post consecrationem ita est sub illis accidentibus, ut ibi perpetuò futurum sit, quoad illa incolumia conseruentur, cum Eucharistia comeditur ab Ethnico, quomodo potest non comedi corpus Christi? Quod si dicat, edi quidem ab Ethnico corpus Christi, sed in eo non manere, at idem de perfido quoq;, & ficto Christiano perpetuò inculcat. Quid igitur tandem inter eos erit discriminis? Quoniam autem uidit postremò, se necessariò cogi, ut fateatur, impios quoq; aliquandiu habere in se corpus Christi, ut est diues stropharum, aliud commẽtum reperit. Ait enim illos non habere in se corpus Christi, ut dominus uerbum illud, Habere, interpretatus sit. Eum enim, qui fruatur indignè, nõ uideri habere. Imò illud ipsum, quod habet, tolletur ab illo. Magnæ mihi uoluptati est, nõ extare aliud ullum testimonium, quo Inconstantius sua ista cõmenta confirmet, quàm illud ex 13. Matthæi. Nam illum locum omnes ita intelligunt, auferendum esse à malis, quod habere uidebantur. Itaq; ex illis uerbis non potest concludere, impios habere corpus Christi, sed tantùm uideri posse habere: illis uidelicet, qui eorum hypocrisin non intelligunt, & tamen illis uerbis parùm, uel nihil potius, leuatur istius causa. Ibi enim nec de carne Christi, nec de comedendo eius corpore, nec de Sacramento

Vera fides non est tãtum nuda & simplex notitia.

Mendacia nullo modo ad fidem pertinent.

Augustinus.

Eucharistiæ agebatur. O suauem aduocatum, qui eas mihi Leges citet, quæ ad propositum nihil faciant.

OBIECTVM XCIX.

QVICQVID dominus instituit, id fecit, ut nobis esset salutare. Sed carnalis manducatio impijs non facit ad salutem: Ergo Christus eam non instituit.

GARDINERVS.

QVOD *dominus salubriter instituit, pijs quidem est salutare: & idem impijs peroccasionem in grauiorem condemnationem cedit.*

MARTYR.

RAtio ista, ut hic refertur, hebes, & obtusa est: neq; id concludit, quod quæritur. Sensus tamen, qui ab Inconstantio supprimitur, est, Manducationem corporis Christi, quàm quidem scripturæ tradunt, semper esse manducanti salutarem. Istam uerò, quàm Papistæ tribuunt impijs, damnosam esse: Ergo scripturas eam non agnoscere. Quare aut ostendāt nobis è uerbis dei, manducationem carnis Christi esse pernicioſam: quod certè nunquam facient: aut desināt dicere, corpus Christi manducari ab impijs. Itaq; illa de sacra doctrina, & de Lege structa ab Inconstantio adferuntur. Ille enim, ut apparet, utq; solet, à iusto sensu argumenti de industria deflexit. Componatur ergo ratio ad hunc modum: Omnis manducatio carnis Christi ex ipsius instituto salutaris est: Ista uerò manducatio Christi carnis, quam tribuitis impijs, non est salutaris: Ergo non est instituta à domino. Maior colligitur ex uerbis Christi: Minor ponitur ab aduersarijs.

OBIECTVM C.

QVOD impij comedunt in Sacramento corporaliter, non debet dici corpus Christi, nisi uelis nomen rei tribuere symbolo. Ergo corporalis manducatio carnis Christi in Sacramento nulla est.

GARDINERVS.

QVOD *in Christi Cœna comedit impijssimus Iudas, idem erat substātia cum eo, quod comedit pijssimus Petrus.*

MARTYR.

QVod Petrus, quodq; Iudas comedit, substātia idem fuisse nō dubitamus. Vterq; enim comedit sacra symbola. Quod autem ad Christum ipsum attinet, utriq; porrexit quodāmodò corpus suum. Iisdem enim uerbis, ijsdem symbolis, eadem promissione utrunq; illorum inuitauit ad corpus suum fide, & spiritu comedendum. Non tamen idcircò uterq; illorum idem sumpsit. Iudas enim fidem, qua carnem Christi comederet, non habebat. Neque Catholici Patres, ut iste clamat, cum nostra sententia quicquam pugnant. Conclusionem autem à nostris positam, nihil uideo, cur facere debeam euidentiorem. Id tantùm Lectorem

rem moneo, me non putare, apud ullum noſtrum extare rationem huius formę, in qua conſequens ab antecedenti uerbis tantùm diſcrepet.

OBIECTVM CI.

CHRISTVS ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: & habet uitam æternam. At impij non manent in Chriſto, nec Chriſtus in illis, nec habent uitam æternam: Ergo non manducãt carnem Chriſti, nec bibunt eius ſanguinem.

GARDINERVS.

QVONIAM *ſecundum Paulum eiuſdem Sacramenti non ſimplex eſt effectus, ſed uitio manducantium alius, atq; alius, non poteſt argumentum conſiſtere, quod ab alterius effectuum deſtitutione inferat nobis totam negationem cauſæ.*

MARTYR.

PErſuadere conatur Incõſtantius, duo eſſe effecta manducationis carnis Chriſti: quorum Chriſtus alterum tantùm explicet: quod ea ſit peculiaris, & propria uirtus huius Sacramenti. Illud enim in hunc finem inſtitutum eſſe, ut profit omnibus. Alterum autem effectum ait à domino reticeri: quòd illud non ex rei proprietate, ſed ex hominum uitio contingat. Quod tamen ipſum ait expoſitum eſſe à Paulo. Sophiſta iſte pro ſuo iure inuertit alienum argumentum. Nam qui illud confecit, non poſuit duo effecta manducationis corporis Chriſti: quorum altero euerſo, alterum confirmetur. Ridiculus enim eſſet, qui iſta faceret. Sed à proprietate indiuulſa & perpetuò inhærenti argumentum colligimus. Quare, Inconſtanti, niſi probes, æternam uitam, & coniunctionem cum Chriſto ſeparari poſſe à manducatione corporis Chriſti, nihil agis. Chriſtus alterum effectum, nimirùm exitioſum non oſtendit. Neq; ſanè id Paulus oſtendit. Ait enim, Qui manducauerit panem domini, non qui manducauerit carnem domini indignè. Per panem autem non aliud intelligit, quàm Sacramentum. Supereſt ergo, ut iſtud alterum effectum ad manducationem ſymbolorum tantùm referatur.

Deinde iſte noſter rationem etiã Baptiſmi conatur huc traducere, & mirum eſt, quàm in illo ſimili ſibi placeat. Et certè Lectori rem leuiter conſideranti poſſet in eo uideri acutulus. Simon, inquit, Magus baptizatus eſt: qui tamen ſaluatus non eſt ſuo uitio: imò potius ex Baptiſmo damnum retulit. Habet itaque, inquit, Baptiſmus duo effecta: unum damnoſum, alterum ſalutare: cum tamen dominus tantùm alterius, nempè ſalutis meminerit. At ego reſpondeo, Chriſtum non pronuntiaſſe, illos fore ſaluos, qui tantùm tingerentur: ſed etiam ad Baptiſmum adiunxiſſe fidem. Qui enim, inquit, crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quod autem ueritas ipſa pronuntiauit, id non poteſt non eſſe uerum. Salus enim ſemper ſequitur Baptiſma coniunctum cum fide. Tamen addit, Simonem credidiſſe. Vnde id nouit Inconſtãtius? Aut quæ id ſcriptura teſtatur? Ego quidem eum puto nũquam uerè credidiſſe. Paulus enim ad Romanos ait, Quos uocauit, eos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, eos & glorificabit. Hic Paulus apertiſſimè docet, ſemel iuſtificatos perducendos eſſe ad gloriam. Cæterùm in præſentia nolo ita rigidè agere cum Inconſtãtio. Eſto, Simonem in Baptiſmo credidiſſe. Eo poſito, hoc etiam addo, neceſſe eſſe concedere, illum pro eo tempore ſalutem habuiſſe: quam ego interpretor condonationem peccatorum: &,

Qui ſemel iuſtificati ſunt, perducẽtur ad gloriam.

quàm diu fides in eo salua mansit, eum salutem retinuisse. Ita ex hoc simili de impio quoq; comedente corpus Christi dicere oportuit: illum, uidelicet, tam diu habere salutem, quàm diu in seipso retinet corpus Christi. Id autem, cum ille fide careat, nullo pacto potest conuenire. Neque tamen id tacendum est, non leue argumentum ad nostram sententiam confirmandam ex eo duci posse, quòd Christus dicat tantùm, Qui manducat meam carnem, nec addat, Credendo, aut credens. Nam cum ita loquitur, significat, carnem suam sine fide non posse comedi. E diuerso autem, quia fieri potest, ut aliquis Baptismum suscipiat sine fide, idcircò salutem Baptismo sine fide non adscripsit. Et Paulus cum de symbolis ageret, quoniam illa quoque comedi possunt sine fide, idcircò commínatione iudicij deterruit Corinthios, ne id admitterent. Quod autem posteà Inconstantius addit, Sacramenta duplicem habere effectum, id ego non inuitus dabo. Adferunt enim uel salutem, uel exitium, pro eo ac uel dignè, uel indignè suscipiuntur. At si idem traducat ad manducationem carnis Christi, non assentior. Neq; ita consecutio argumentum, ut iste arbitratur: Iste non habet uitam: ergo non accepit corpus Christi. Sed ita potius: Illa manducatio non dedit impio uitam: ergo, nõ fuit propria manducatio carnis Christi. Illa enim semper, aut saltem iuxta sententiam aliorũ ad aliquod tempus dat uitam manducantibus. Et unà cum Augustino de Verbis domini Sermone 11. fatemur, esse quendam modum manducationis carnis Christi, secundum quem qui manducauerit, habeat uitam. Is autem modus est per fidem: qua sola caro Christi sumitur. Neque unquam Augustinus aliud sensit.

Cur Christus nõ dixerit, Qui crediderit & manducauerit meam carnem.

Sacramẽta possunt habere duplicem effectũ.

Manducatio ipsius carnis Christi nõ potest exitiosa esse. Augustinus.

OBIECTVM CII.

CARO Christi semper est uiuifica, dans uitam omnibus eam sumentibus, & curans naturæ nostræ morbos. Ergo ea non comeditur ab impijs; nisi aduersarij nostri uelint eam sua dignitate spoliare.

GARDINERVS.

CHRISTVS *non uenit perdere, sed seruare: unde nomen impositum est suauissimum Iesus. Et tamen idem de se ipso dicit, Si eis locutus non essem, peccatum non haberent.*

MARTYR.

,, HVic propositę rationi obijcit Sophista, Christum ipsum, quamuis ad seruandum, non ad perdendum uenerit, tamen hominum uitio interdum nocere. ,, Ipsum enim de se dicere, Si nõ uenissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non ,, haberent: & Simeonem de illo dixisse, Eum positum esse in ruinã, & resurrectionem multorum. Ita etiam de carne eius censendum esse, illam salutarem esse pijs, ,, ut Christus testatur in Iohanne, & noxiã impijs, ut Paulus scribit ad Corinthios.

Ea, quę hic afferunt de Christo, lõgè diuersa sunt ab eo, quod nos disputamus de esu carnis Christi. Fatemur em̃, dominũ uenisse, ut seruaret: at nõ omnes: sed eos tantũ, qui eum reciperent. Iohannes enim ait, Quotquot receperũt eum, dedit illis potestatem filios dei fieri. Verã autem manducationẽ corporis docemur esse sine ulla exceptione uiuificã. Illa enim, ut sæpè iã diximus, nisi uera fide nõ peragitur. Neq; Paulus unquã dixit, carnẽ domini edi ad iudiciũ: sed eũ, qui panem domini, et calicẽ usurpet indignè, iudiciũ sibi comedere ac bibere. Et Augustinus annota-

Christus nõ uenit ut seruaret omnes citra distinctionem.

Augustinus.

annotauit, magnum discrimen esse inter Panem domini, & Panem dominum. Sit igitur hoc argumentum: Quisquis edit carnem domini, uiuificatur: Impij autem non uiuificantur, cum accipiunt sacramentum: Ergo, impij non comedunt carnem domini. Ratio, quemadmodum ostendi, ducitur ab indiuulsa & propria conditione carnis Christi manducatæ.

OBIECTVM CIII.

SI Transubstantiatio intelligatur fide, oportet eam doceri ex uerbo dei. At eam uerbum dei non agnoscit. Ergo, apprehendi non potest fide.

GARDINERVS.

VERBVM *dei est, qui, excussis syllabis, emanat sensus: qui Verbi medulla Hieronymo appellatur.*

MARTYR.

ISte, quasi controuersia sit de syllabis, affirmat, uerbum dei esse sensum, qui ex diuinis literis possit elici. Hoc illi sine ulla exceptione cõcedimus. Illud autem alterum, quod addit, prorsus inficior. Ait enim, Verum scripturæ sensum exprimere uocabulum Transubstantiationis. Id enim quî possit esse uerum, cum scripturæ in Eucharistia panem agnoscant, & fateantur? Quòd si habes, Inconstanti, scripturas, quas præ te fers à te stare, cur eas tam diligenter supprimis? cur nobiscum non communicas? cur nobis nõ uerbum ullum dei, sed tantùm Patrum quædam dicta, eaq; malè à te intellecta, allegas? Hoc certè non est ad interrogata respondere. Nos dicimus, Transubstantiationem uestram non posse pertinere ad fidem: quòd fides sit ex auditu: auditus autem ex uerbo dei. Quòd si fides nostra constaret ex Patrum sententijs, uideri posses aliquid saltem dicere. At cum Patrum ipsorum testimonio, fides pendeat tantùm ex uerbo dei, tuum erat, primùm honorem suum deferre diuinis literis: non autem ab illis ita temerè ad Patrum testimonia confugere. Sed cum nihil haberes, ut solent mali pharmacopolæ, ubi destituuntur ueris medicamentis, Quid pro Quo nobis obtrudere uoluisti.

Primùm obijcis nobis uerba Cypriani: cum ais scribere, Panem non effigie, sed natura mutari. Memini ego me aliâs ostendisse, Naturam apud bonos scriptores, non semper substantiam significare, sed sæpè proprietatem. Nunc de alijs authoribus dicere supersedebo: & tantùm diuinarum literarum testimonio contentus ero. Paulus ad Galatas cap. 2. ita scribit, Nos natura Iudæi, & nõ ex Gentibus peccatores. Non dices, opinor, Sanctos homines & peccatores, Iudæos & Gentes differre forma, aut substantia, sed tantùm proprietatibus. Deinde 2. ad Ephesios, Sumus, inquit, natura filij iræ, sicut cæteri? Ne hic quidẽ dices, nisi fallor, si sapias, naturam ipsam, et substãtiam, quam deus creauit, illi inuisam esse. Illud enim odium dei tantùm ad uitiosam proprietatẽ, qua omnes à primo ortu ad mortem usq; laboramus, referendum est. Petrus ait, nos factos esse consortes diuinæ naturæ. An tu eum putas uelle dicere, nos participes esse diuinæ substantiæ? Certè dei substantia cum substantia nostra non miscetur. Communicat tamẽ nobis deus pater noster proprietates suas, nosq; sui quàm simillimos reddit. Ita Panis, cum adhibetur ad Eucharistiam, induit aliam proprietatem: quam Cyprianus rectè uocauit naturam.

Cyprianus.

Odium dei non fertur in naturam, sed in uitium.

Emissenus. Huc additur etiam Emissenus, qui ita scribit in Oratione de corpore domi-
„ ni; Nec dubitet quisquam, primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiesta
„ tis, in dominici corporis transire posse naturam: & mox, Quanta itaq; & quàm
„ celebranda officia uis diuinæ benedictionis operatur? Et quomodò tibi nouum,
„ & impossibile uideri non debeat, quòd in Christi substantiam terrena, & morta-
„ lia commutantur? & mox, Inuisibilis sacerdos uisibiles creaturas in substantiam
„ corporis & sanguinis sui secreta potestate conuertit. Si Emissenus iste, quis-
quis est, uocabulis illis, transeundi, mutandi, cõuertendi, intelligat, panem & uinum, cum alioqui sint communis & profanæ naturæ, effici sacramentum Eucharistiæ, ne tria quidem uerba cum eo cõmutabimus. At contrà, si substantias ipsas panis & uini abire statuat, & illorum loco carnem ipsam, sanguinemq; Christi substitui, cum id & cum sacris literis, & cum Orthodoxorũ Patrum uerbis perspicuè pugnet, dabit ueniam, si uideat in ea re sibi à nobis non haberi fidem. Quanquam ex multis uerbis, quæ idem Emissenus admiscuit, in Obiectione 62. ostendi, eum non sensisse, substantias pristinas panis & uini aboleri. Illa si lector cupiat regustare, eò se recipiat. Mihi enim eadem repetere non usum est esse necessarium. Deinde cum dicat, ista conuerti in substantiam, & naturam carnis & sanguinis domini, si ita intelligat, mutationem fieri in sacramentum substantiæ carnis & sanguinis domini, nihil inficiamur. At si ita omninò rigidè sentiat, ut uerba sonant, non possumus ullo modo assentiri. Antiquiores enim apud nos diuinas literas oportet esse omnibus Emissení hyperbolis.

Hesychius. Huc etiam attrahitur Hesychius in Leuiticum lib. 2. cap. 9. ita scribens: Vt
„ ergo gloria domini uideretur, id est, ut aduentus celebraretur spiritus, iste est ser
„ mo, inquit, quem præcepit dominus, facite. Sermonem autem Legislator ex con
„ suetudine illud uocat: quia plus sermone subsistit huius dispensatio mysterij: ma
„ ximè dominico uerbo ea, quæ apparent, in aliud quiddam maius, & intelligibile
„ transferente. Ea quæ apparent, hoc est, panem & uinum, in aliud quiddam ma-
ius, quod intelligibile sit, & sub sensus non cadat, transferri, rectè dicitur. Efficiuntur enim, ut sæpè dictum est, sacramenta: quemadmodũ homines quoq; qui ea dignè usurpant, efficiuntur membra Christi, cum tamen nemo, qui ea recipiat, transubstantietur.

Hesychius. Addit idem Hesychius lib. 6. cap. 22. Sanctificationem my-
„ stici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem, siue commutatio-
„ nem ei, qui uerus est sacerdos uidelicet, Christo, oportet dari, id est, ipsi de eis mi
„ raculum cedere, & imputare. Quia per eius uirtutem, & prolatum ab eo uerbũ,
„ quæ uidentur tam sanctificata sunt, quàm cunctũ carnis excedunt sensum. Duo hic occurrunt silentio non prætereunda. Primum est, miraculum interdum esse apud Patres, quod effici ui humana non possit. Atq; hac ratione supra dedimus, Eucharistiam, & Baptismum posse uocari miracula. Alterum est, hanc mutationem panis & uini in sacramentum carnis & sanguinis excedere omnem sensum. Humana enim ratio, cum ad significata sacramentorum non pertingat, necesse est, ut sacramẽta ipsa habeat pro rebus ludicris. Itaq; fidem accedere necesse est, si sacramentis ritè, atq; ordine uelimus uti. Cum autem Hesychius non dicat nominatim corpus & sanguinem domini, sed tantũ scribat, externa illa trãsferri in maius quiddã, & intelligibile, ne hic hæreremus, primũ id Inconstantius excusat: quòd Veteres tanta de re tectè, atque occultè loqui uoluerint. Hoc ego commentum non possum non magnoperè mirari. Nam si Patres ita tectè, & occultè loquuti sunt, quomodò isti ex illis cæcis nutibus, non enim dicam, uerbis, Transubstantiationem suam tam confidenter eliciunt, atq; confirmãt? Eam scriptura sacra non tradit: & Patres, ut ipse fateris, non nisi obscurè & tectè docent. Restat igitur, ut, quemadmodum uiri docti certò sciunt, ita simplices quoq; & in-

indocti, cum hæc audiant, suspicentur, uestrum tantùm id esse commentũ. Hæc illa est ars mirabilis Inconstantiȷ, ut quæ uelit maiorem in modum confirmare, ea maximè labefactet.

Sed operæpretium est audire, quid idem Hesychius subiiciat. Israel, inquit, addens, populum fidelem per hoc significauit, hoc est, eum, qui per mysticũ hoc sacrificium deum uidet, & propterea propriè Israel nominatur. Hi, quæcũq; consecrant domino, id est, quæ ex semetipsis in Dominicum sacrificium offerũt, sancta sanctorum fiunt. Corpus enim ex eis conficitur Christi: qui, quia primitię est nostræ consperſionis, rectè ex nostris primitijs constitit. In his uerbis quiddam occurrit in primis annotandum: nimirùm, oblationem Ecclesiæ, quam isti semper clamant esse oblationem corporis Christi, apud patres sæpè fuisse, cibum & potum, quæ in usum ministrorum, & pauperum à singulis accedentibus ad sacrum cœtum offerebantur: ex quibus certa quædam portio seponebatur ad Sacramentũ Eucharistiæ. Quod idem Cyprianus, alijq; patres uarijs in locis testati sunt. Atque hinc à recepta, & simplici significatione oblationum, quarum adhuc etiam mentio fit in compluribus Missarum collectis, Ecclesiastici scriptores delapsi sunt paulatim ad periculosam loquendi formulam: ut dicerẽt, Ipsum corpus domini offerri à sacerdote. Quam tamen phrasin, quoniam erat insolens, & dura, patres ipsi non rarò interpretantur. Appellant enim sacram cœnam oblationem Christi: hoc est, ut ipsi se interpretantur, Christi oblati semel in cruce repetitam recordationem. Sed multò simplicius, & satius fuisset, genuinam illam priorem significationẽ oblationis retinuisse. Ex pane autem, & uino ita oblato à fidelibus Hesychius ait, confici corpus Christi: quemadmodum alij etiã patres loqui solent: quia per sacrum ministerium ex illis rebus corporis Christi Sacramentum conficitur. Idq; ait rectè congruere. Quemadmodum enim munera illa oblata dicuntur nostræ primitiæ: ita Christus quoq; naturæ humanæ deo patri offerendæ primitiæ fuit. Possumus etiam colligere ex istis uerbis, panẽ Eucharistiæ antiquitus fuisse communem: eum, scilicet, quem homines domi adhibebant ad mensam. Fideles enim, suos, non alienos panes adferebant ad Ecclesiam. Hodiè autem amici isti nostri, quasi qui omnia antiquæ simplicitatis uestigia uoluerint prorsus abolere, pro communi pane, nescio quæ, crustula, & lagana commenti sunt, in quibus imaginem domini nostri crucifixi exprimunt. Inconstantius ergo, cum ex uerbis Hesychij uelit Transubstantiationem suã, quam ille nunquam somniauit, confirmare, euidentissimè prodit, se, suosq; Papistas ab instituto Christi, & à ueterum patrum ritu desciuisse.

Hesychius.

Oblatio Ecclesiæ quib. ex rebus antiquitus constiterit.

Panis Eucharistiæ antiquitus fuit cõmunis.

Posteà inducitur Liturgia Basilij: quæ, ut aliàs monui, nõ pluris facienda est, quàm meretur. In ea autem sacerdos ita precatur: Fac panem hũc ipsum pretiosum corpus Christi tui: quod autem est in calice, ipsum pretiosum sanguinem domini dei, et seruatoris nostri Iesu Christi, mutans spiritu tuo sancto. Huc etiã adijcitur Liturgia Chrysostomi, in qua ita scribitur: Benedic, Domine, sanctum panem: fac panem hũc pretiosum corpus Christi tui: quod autem est in hoc calice, sanguinem eius pretiosum, mutãs spiritu tuo sancto. Hic quoq; si corpus, & sanguinem Christi, earum rerũ intelligas Sacramenta, nullus relinquetur ambigendi locus. Contra Inconstantium autem id in primis facit, quod in utroq; legitur, Panem fieri corpus Christi: non autem, ut iste uult, illud ex pane fieri. Sacerdos enim orat, non ut substantia panis abijciatur, sed ut panis ipse manens integer efficiatur corpus Christi, hoc est, Sacramentum corporis Christi. Quam ad mutationem illi nobiscum aiunt requiri uim spiritus sancti.

Liturgia Basilij

Citantur etiam uerba Chrysostomi ex homilia de Encæniijs, Panẽ & uinum abſumi præsentia corporis. Locus ille totus hyperbolicus est: & illum Inconstan-

Chrysostomus.

,, tius, ut ſolet, pro ſuo more peruertit. Sic enim ſcribit Chryſoſtomus: Puta myſte-
,, ria conſumi præſentia corporis. Et addit, Propter quod & accedentes, ne putetis,
,, quòd accipiatis diuinũ corpus ab homine, ſed ex ipſius Seraphim forcipe ignẽ.
,, Et præterea, Reputate, inquit, ſalutarem ſanguinem quaſi è diuino, & impolluto
,, latere effluere. Quàm ergo uerũ eſt, nos non ab homine accipere corpus Chri-
ſti, ſed è forcipe Seraphim cœleſtem ignem: tam uerũ eſt, præſentia corporis ab-
ſumi panem & uinũ: & quemadmodum ſanguis, quem bibimus, effluit quotidiè
è latere domini, ita ſubſtantia panis & uini aboletur. Sunt ergo iſtæ loquutiones
figuratæ, quibus Chryſoſtomus populũ traducere uoluit à ſymbolis ad conſide-
randa rerum ipſarum ſignificata. Cogitationes enim noſtras ait nõ aliter uerſari
oportere in ſymbolis, q̃ ſi illa à rebus ſignificatis prorſus deleta, & extincta eſſẽt.
Eadẽ dicẽdi forma Paulus ait, ſe miſſum nõ fuiſſe ad baptizandũ: cũ alioqui ba-
ptiſmus nõnulla ſit portio Apoſtolici muneris: & ipſe ſe fateaꝫ nonnullos bapti-
Ambroſius. zaſſe. Ambroſius quoq; huc attrahitur ad dicendum teſtimoniũ contra nos
,, ex Libello, De illis, qui initiantur, cap. 9. Is autem ita ſcribit: Quòd ſi tantum ua-
,, luit humana benedictio, ut naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa Conſecra
,, tione diuina, ubi uerba domini Seruatoris operantur? Nam Sacramẽtum iſtud,
,, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quòd ſi tantum ualuit ſermo Eliæ, ut
,, ignem de cœlo deponeret, nónne ualebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elemen
,, torum? Non ita obcæcatus eſt errore Inconſtantius, quin ut uideat, alios ſuæ
ſectæ homines cum Ambroſio non conſentire. Illi enim dicunt, ſpecies tantùm
panis & uini manere: naturam autem & ſubſtantiam aboleri. Ambroſius autem
,, ait, ſpecies ipſas immutari. Fingit autẽ iſte, Ambroſium ſpecies hic poſuiſſe non
,, pro accidentibus, ſed pro natura, & ſubſtantia. Sed quomodò tãdem nobis hoc
probabit? An ſatis Inconſtãtio eſt hoc dixiſſe? Non oportet Lectorem huius So-
phiſtæ authoritate magnopere commoueri. Vult enim pro ſua libidine uocabu-
Quomodo in Euchariſtia ſpecies panis mutentur. la ſine diſcrimine ſignificare, quicquid ipſe uelit. Ego uerò dico, Ambroſiũ hoc
ſenſiſſe, mutari ſpecies, quia accedunt nouæ proprietates ſacramentales, quæ in
pane anteà non fuerunt. Et ſiue ſpecies illas accidentia, ſiue ſubſtãtias eſſe uelis,
propius multò accedam ad ſententiam Ambroſij, quàm Inconſtantius. Nam
Ambroſius. idem in Libro de Sacramentis cap. 4. ſic ait: Si ergo tanta uis eſt in ſermone do-
,, mini Ieſu, ut inciperent eſſẽ, quę nõ erant: quantò magis, operatorius eſt, ut ſint,
,, quæ erant, & in aliud commutentur? Quid his uerbis dici poteſt apertius? Nam
ſi panis & uinum manent, quę erant, ubi eſt iſtorum portentoſa Tranſubſtantia-
tio? Mutationem quidem Ambroſius ſtatuit: ſed Sacramentalem, qua non ſit ne
ceſſe, ut rerum naturæ abſumantur. Idq; euidenter apparet ex luculentiſſimo ſi-
Ambroſius. mili, quo idem Ambroſius uſus eſt eo loco. Tu ipſe, inquit, eras: ſed eras uetus
,, creatura. Poſteaquam conſecratus es, noua creatura eſſe cœpiſti. Audis, Incon-
ſtanti? Dic ſodes: Cum efficimur noua creatura, an abijcimus priſtinam ſubſtan-
tiam? Non es, opinor, ita ſtultus, ut id dicas. Ergo iuxta tuam ſentẽtiam Ambro-
ſij ſimile nihil probat. Nam ſimilitudo à minori ducta affirmando nihil ualet. A
maiori autem, aut ab æquali ducta ualet. Noli ergo poſthac ita glorioſè uocifera-
ri, Ambroſium in iſta cauſa tecum facere.

Euthymius. Nunc audiamus Euthymium. Is in Matthęum ita ſcribit cap. 64. Sicut uetus
,, Teſtamentum hoſtias & ſanguinem habet: ita & Nouũ, Corpus uidelicet & ſan
,, guinem domini. Non dixit autẽ, Hæc ſunt ſigna corporis mei: ſed, Hæc ſunt cor
,, pus meum, & ſanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ pro-
,, ponuntur aſpicere, ſed ad uirtutem eorum. Quemadmodum enim aſſumptam
,, carnem ſupernaturaliter deificauit, ſi ita loqui liceat, ita hæc ineffabiliter tranſ-
,, mutat in ipſum uiuificum corpus ſuũ, & in ipſum pretioſum ſanguinem ſuum,

& in

& in gratiam ipsorum. Hic se Inconstantius fingit credere, ijs uerbis omnes figuras, utcp contemptim loquitur, figuratores profligari. Verũ non sic abibit. Euthymius enim contra ipsum multò plura, quàm contra nos scribit. Nã quod negat, Eucharistiam figuram, aut signum esse, id non est simpliciter intelligendum: nisi istum uelimus solum cum innumeris penè alijs Patribus pugnare. Alij enim sacramenta nostra figuras, signa, symbola, typos, antitypa appellarunt. Euthymius autem negat, nostra sacramenta esse figuras, si ad sacramenta Veterum conferantur: non quòd utrinq non sint figuræ, sed propter alium, atq alium modũ significandi. Illa enim, quia Christum uenturum adumbrabant, propriè dicebantur figuræ & umbræ. Nostra uerò, cum Christus iamdatus sit, & uenerit, non propriè dicuntur figuræ, quòd futurum, aut uenturum Christum non adumbrent: & multò facilius nomina rerum ipsarum sibi uendicant, quàm sacramenta Veterum. In illis enim non erat ea certa notitia rerum significatarum, quæ hodiè est in nostris. Quod Augustinus quoq, ut aliâs diximus, sua quadam loquendi formula non semel exposuit. Illud uerò, quod Euthymius addit, non naturam earum rerum, quæ proponuntur, sed uirtutem spectari oportere, mirificè pro nobis facit. Nos enim docemus, non attendendam esse naturam panis & uini, sunt enim res uulgares, sed significationem, & uirtutem. Nam uirtus illa in efficacia significandi ex diuino instituto sita est. Sunt enim nobis instar uisibilium uerborum: per quæ ui spiritus sancti fides in nobis excitatur, qua corpus & sanguinem domini cum summo fructu complectimur. Hæc, ut quius uidere potest, est iusta, & sana interpretatio.

Abstrahendus animus à rebus propositis.

Sed ut cominus etiam pedem conferam, obsecro, Inconstanti, ut mihi explices, quænam illa tandem sint proposita, quę Euthymius iubet ne attendamus. Omninò necesse est, uelis, nolis, ut respondeas, ea uel accidentia esse, uel panem & uinum, uel corpus Christi. Si panem dicit non esse attendendum, ex eo efficitur adesse panem, à quo uelit nos oculos auertere: sed ita, ut eius uirtutem consideremus. Corpus uerò Christi esse illud, quod proponitur, ne fingi quidem potest. Illud enim in primis oportet habere ob oculos. Si proposita illa dices esse accidentia, id non satis congruit cum illis, quæ subijciuntur. Accidentia enim panis nullam tantam, quod sciam, uirtutem habent, quæ ita utilis sit spectatu. Sed consideremus simile, quo Euthymius istã symbolorum mutationem expri-
,, mit. Quemadmodum, inquit, dominus, carnem suam supernaturaliter assum-
,, ptam deificauit, ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum uiuificum corpus
,, suum. Hic ego appello, obsecro, atque obtestor Inconstantium, ut respondeat,
,, Vtrum in Christo caro deificata carnis naturam abiecerit. Certè, nisi uelit cum Eutyche aperte facere, dicet, naturam substantiamq carnis in Christo manere, non autem in diuinitatem abijsse. Satis ergo constat ex isto Euthymij simili substantiam panis & uini in Eucharistia non aboleri. Gratulor nobis, has copias auxiliares submitti ab Inconstantio. Nã ista loca fortasse potuissemus præterire, nisi ille nobis aurem uellicasset.

Caro Christi deificata non abiecit naturam carnis.

Sequitur Iohannes Damascenus, qui lib. 4 cap. 14. ita scribit: Neq & hoc etiam dicit promptum, quomodò naturaliter per comestionem panis, & uinum & aqua per potionem in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmu-
,, tatur: & non fit aliud corpus præter illud, quod erat ipsius. Sic & propositionis
,, panis, uinumq, & aqua per inuocationem, & aduentum spiritus sancti superna-
,, turaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi. Et non sunt duo: sed unũ
,, & idem. Non est animus de Damasceno multa dicere. Illud satis constat, doctri-
,, nam eius non ita esse puram. Quantum enim ille imaginibus: quantum ossibus mortuorum tribuit: ut alia interea taceam. Quare cum ille multis in alijs dogma

Iohannes Damascenus.

tis dissentiat à sacris literis, nihil uideo, cur ego in hoc dogmate cum eo debeam conuenire. Quòd tamen ad hunc locum attinet, uideo esse in eo quædam, quæ Transubstantiationi apertè aduersentur. Primùm enim confert negotium istud Eucharisticum cum ea mutatione, qua panis & uinum transeunt in substantiam comedentis. Quòd si ita est, tota natura panis in Eucharistia non abijcitur. Quemadmodum enim aliqua substantia cibi conuertitur in carnem & sanguinem eius qui uescitur (nam si uniuersa periret, non aleretur) ita necesse est in Eucharistia aliquam partem panis remanere. Ad hæc in alimento forma & accidentia pereunt: materia uerò aliqua saltem ex parte manet. Papistæ autẽ in ista sua Transubstantiatione uolunt, materiam, aut substantiam abijci, sola autem retineri accidentia. Quid, malum, te oportuit, Inconstanti, tantoperè de hac similitudine gloriari? Certè ea ex omnibus ferè partibus prodit uestigia non obscura uestri mendacij. Nos quidem cum Damasceno non consentimus, nisi per conuersionem, mutationem intelligat sacramentalem. Quod ego eum non affirmo cogitasse: & permulta sunt, quæ huiusmodi de illo suspicionem mouere possint.

Theophylactus Theophylactus uerò in 6. cap. Iohan. ita scribit: Attẽde autem, quòd Panis,
» qui à nobis in mysterijs manducatur, non est figuratio quædam carnis domini,
» sed ipsa caro domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura est carnis,
» sed caro mea est. Transformatur enim arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti spiritus in carnem domini. Et ne quem conturbet, quod credendus sit panis caro. Etenim in carne ambulãte domino, & ex
» pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ illius carni, & in augmentum, & sustentationem
» conferebat. Quæ modò respondi ad Damascenum, eadem huc quoq; transferri possunt. Vterq; enim eodem modo scribit, & utitur eodem simili. Nihil autem dico, Theophylactum damnatam sententiam de processione spiritus sancti defendisse, & Latinis Ecclesijs nominatim refragari. Prætereò etiam aliquot eius sententias, quibus à Trãsubstantiatoribus dissentit, & in nostram propemodum sententiam descendit. Ea omnia infrà opportuniori loco commemorabo.

Bernhardus. Catalogum autem istum suum Inconstantius, ut solet, claudere uoluit authoritate Bernhardi. Is in Sermone de Cœna domini ita scribit: Species ibi uidentur, quarum res, uel substantiæ esse non creduntur. Sic res ueraciter, & substantialiter creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & uini, & substantia panis & uini non creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi: & tamen species non cernitur. Proponitur igitur species panis & uini, ut doceantur, plenam & perfectam esse refectionem in sumptione corporis & sanguinis Christi. Plena refectio cibi & potus. Cibi autem & potus substantiæ principales sunt panis & uinum. Si Bernhardus ista dixisset, nihil esset mirum. Ille enim in fece Papistarum, & monachorum uixit, idq; ea iam tempestate, cum Transubstantiatio ubiq; ferè in Latinis Ecclesijs obtinuisset, & Berengarius de sua sententia deiectus esset. Deinde etiam non omnia semper syncerè, ac purè scribit: multa interdum corrupta, & superstitiosa admiscet. Sed, ut suprà monui, Bernhardus eius Sermonis nõ erat author. Deinde spero, nondum excidisse lectori illos locos Bernhardi ipsius, quos suprà commemorauimus: ex quibus ille uideri potest à ueritate, & à nostra sententia nõ abhorruisse. Sed est iste mirabilis sophista, qui cum audiuerit in argumento testimonia nominatim peti ex uerbo dei, ex quo uno fonte fluit omnis nostra fides, nos prorsus reiecerit ad dicta quædam Patrum: quasi uerò ex illis nascatur uera fides. At longè aliter nos docuerunt sacræ literæ: Fidem esse ex auditu: auditum autem ex uerbo dei. Firmum ergo est argumentum nostrum; Quicquid non hauritur ex uerbo

uerbo dei, non est credendum: Transubstantiatio non hauritur ex uerbo dei: Ergo, non est credenda. Maior propositio est Pauli: Minorem satis probat Inconstantius, cum ne syllabam quidem unam citare possit è sacris literis.

OBIECTVM CIIII.

AVGVSTINVS ait, Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum. Non autem dicit, Tollatur elementũ. Est ergo cõtra naturam Sacramenti, ut altera eius pars auferatur.

GARDINERVS.

SVBSERVIT *elementum conficiendo Sacramento: &, qui omnia portat uerbo uirtutis suæ, de mysterio Eucharistiæ sic pronunciat, Hoc est corpus meum.*

MARTYR.

PRædicat Inconstantius, substantiam panis & uini auferri propter illa uerba Christi, Hoc est corpus meum. Quàm autẽ appositè ista sententia ex illis uerbis eliciatur, prudens lector facilè potest intelligere. Id tamen, quod erat elementi, manere fingit, & retineri ad significationem. Atqui ita manere accidentia sine subiecto, nec ratio sinit, nec sancta scriptura usquam docuit. Quodq; longè etiam magis est ridiculum, ait in Transubstantiatione substantiam panis & uini non tolli. Quòd si non tollitur, cur per uos nõ licet, eam manere, atq; adesse confiteri? Christus, inquis, utitur hoc elemento. Rectè. Sed, si utit̃, certè manet. Nemo enim uti potest eo, quod esse desijt. Quæ istæ sunt ambages, & uerborum tenebræ? Deinde audes etiam uiolare sensum uerborum Augustini. Ais enim, Augustinum non requirere, ut elementum maneat totum: sed tantùm ut Sacramento conficiendo adhibeatur. At, si elementum ipsum, ut Augustinus docet, accedente uerbo fit Sacramentum, non potest Sacramentum esse, si elementum auferatur. Ex hac breui responsione facilè uidere potes, pie Lector, quàm nutet, & fluctuet Inconstantius. Non habet locum aliquem solidum, ubi possit pedem figere. Modò ait, sola manere accidentia: modò negat, à se, aut à suis tolli elementũ: modo clamat, esse satis si elementũ tantùm ad conficiendũ mysterium adhibeat̃. Sed cur non uno potius uerbo ingenuè fatet̃, se non posse se ipsum ex hoc Labyrintho explicare? Omninò in omni Sacramento oportet certũ esse elemẽtum, quod ui uerbi dei fiat Sacramentũ. Eucharistia autẽ, ut omnes confitentur, est Sacramentum: Ergo, necesse est, ut certũ in eo ostendi possit elementum.

Nemo potest uti eo quod desijt.

OBIECTVM CV.

OMNIA Sacramenta constãt materia, & forma. Forma est uerbum dei. Materia est elementũ: ad quod accedit uerbum. Ita panis est elementum in hoc Sacramento. Quod autẽ componitur ex duobus, non potest alterum abijcere: ita præsertim, ut nihil ex eo remaneat, præter accidentia. Quare oportet in Eucharistia substantiam panis remanere.

GARDINERVS.

VOD *in Sacramento Eucharistiæ speciale est, non potest ad generalem Sacramentorum normam exigi.*

FIngit Inconstantius, quiddam peculiare, &, ut loquitur, speciale accidere in Eucharistia, quod aliis Sacramentis non sit tribuendum. Hanc autē ille prærogatiuam Eucharistiæ non diuino iure dedit, sed suo. At Christus, inquit, disertis uerbis pollicitus est, se daturum substantiā corporis sui. Ille ergo magis consulendus est de pane, quàm sententiæ magistrales. Sed cur tu, Inconstanti, tuis legibus nō teneris? Quódnam hoc nouum genus est argumenti: Christus dat corpus suum: Ergo non dat etiam panem? Hoc certè Christus ipse non docuit: sed, tui Magistri confinxerunt. Nihil enim obstat, quò minus corpus Christi spiritualiter dari possit, ut fide, uidelicet, percipiatur, & tamen ore corporis panis etiam unà comedatur. Imò illi ipsi, qui statuunt substantialem præsentiā carnis Christi, nihil causę uident, cur substantia panis sit abijcienda. Et Iohannes Scotus, anteſignanus alioquí inter Scholasticos, uidetur hoc dogma tātùm Ecclesię, quam haud dubiè intelligit Romanensem, acceptum referre: cum tamen præsentiā corporis Christi acriter defendat. Leue ergo, & friuolum est, quod Inconstantius cauillatur, Christum esse consulendum. Atq; utinam uerè, & sine hypocrisi hoc diceret. Vniuersa ista his tribus uerbis posset componi.

Scotus.

Posteà comminiscitur, alia Sacramenta in usu esse posita: idcircò in illis materiam certam posse constitui, & uerbum dei pro forma. Quasi uerò Eucharistia extra actionem bibendi & edendi sit Sacramentum. Qui hoc dicunt, prętereà quòd aduersantur uerbo dei, quo Christus dixit, Accipite, & manducate: accipite, & bibite: idololatriam etiam fouent, &, ut dictum est suprà, cōmunicandi frequentiam imminuunt. Sed audiamus priuilegium istud Eucharistiæ. Eucharistia, inquit, iam consecrata, quia Sacramentum est permanens, habet pro forma uisibilem speciem: & ipsum Christi corpus pro materia. Cum dicit, Eucharistiam esse Sacramentum permanens, nō animaduertit, Sacramentum illud non tantùm constare pane, & uino, & uerbo dei, sed etiam requirere distributionem, manducationem, & potationem. Id nos non finximus de nostro, sed planè hausimus ex uerbo dei. Christus enim ipse, cū egisset gratias, distribuit panem, atq; addidit: Accipite, edite. Deinde calicem tradidit accumbentibus, atq; addidit: Accipite, bibite ex hoc omnes. Et imponens summam manū, Hoc, inquit, facite. Cū Christus hæc omnia fecerit, & iusserit, ut nos eadem omnia faceremus, nō possumus dubitare, ea omnia ad mysterij rationem pertinere. Sed quis hic risum teneat, cum uideat, istum ita incogitanter dicere, species uisibiles in hoc Sacramento esse pro forma: corpus autem & sanguinem Christi esse pro materia? Ego semper audiui, materiam à forma longè dignitate superari. Verum iste, quantum uideo, præceptorum suorum non leui periculo desipit: qui eum tanto tempore nihil sapere docuerunt. Nam si saperet, corpus & sanguinē Christi, res duas longè omnium pretiosissimas, uisibilibus formis, hoc est, leuibus & caducis accidentibus non postponeret. Noli Inconstanti, si me audis, inter philosophos, aut etiam inter Scholasticos ista dicere, ne te gradib. illis tuis, quos tu fortè inter eos aliquando accepisti, spolient. At ille fortasse ista nobis ex uerbo dei confirmabit. Minimè uerò. Hoc tantùm addit: Vnde uisibilibus Sacramentis corruptis, quia forma desinit, desinit etiam Sacramentum. Mira esse ista necesse est, quæ Papæ sacrificulis tantopere placeant. Sed eadem ratione probari potest, cor esse animantis formā. Illo enim exempto, animal illicò moritur, &, quod prius erat, esse desinit. O Sorbónistas fungos, & stipites, qui istam tam exquisitam, & subtilem philosophiam nunquam didiceritis. Transmitte in Angliam, & à nouo isto Magistro sententiarum discite ea, quæ neq; ex Lombardo uestro, neq; ex aliis omnibus Doctoribus discere hactenus potuistis.

Materia superatur à forma dignitate.

Tamen

Tamen iſte, ne prorſus negare uideatur, materiam Euchariſtię eſſe panem & uinum, formam autem eſſe uerbum dei, hoc ait de Conſecratione eſſe intelligendum, quam tantùm annumerat ſacramentalibus: neq; enim eam patitur eſſe ſacramentum. Iſte, ut uideo, nõ tantùm in res, ſed etiam in uoces poteſtatem obtinet. Quis enim diceret, Panem conſecrari, cum è rerum natura atq; è mundo exterminetur? Ego certè nolim ita conſecrari. Si uerum eſt, quod Inconſtantius ſomniat, Execratio ea panis erit, non Conſecratio. Addit, Conſecrationis ipſius formam eſſe uerba ſacra: panem uerò eſſe materiam. Atqui nunquam nec uiſum hactenus, nec auditum eſt, formam, quæ datur ad perficiendam materiam, illam è rerum natura profligare, ac perdere. Non ſunt, mihi crede, Lector, iſta ſani hominis cogitata: ſed deliria, & ſomnia inſanientis. *Forma non perdit materiam.*

Vnum tantùm mihi nunc ſupereſt explicandum, quo ratio à noſtris propoſita illuſtretur. Cum dicimus, ſacramentum conſtare ex materia & forma, & addimus, uerba dei eſſe formam, id intelligendum non eſt de ſonis, & uocibus, ſed de uerborum illorum ſignificatis: nimirùm, de corpore & ſanguine Chriſti: quę, ut non tranſeunt unà cum uocum ſtrepitu, ſed conſiſtunt, & manent, ita etiam pane & uino infinitis partibus ſunt perfectiora. Dicimus autem, ea habere rationem formæ, quoniam ſi definiendum ſit ſacramentum Euchariſtiæ, illa ſignificata omninò neceſſe ſit adiungi. Relatiua enim non poſſunt ſine ſuis terminis definiri. Cumq; ea, uti dixîmus, pane ac uino longè ſint præſtantiora, non iniuria formæ locum obtinent. Potiores enim partes definitionis ad formam magis, quàm ad materiam ſpectant. Summa igitur argumenti eſt: Materiam ſacramenti à ſua forma non aboleri: Materiam autem Euchariſtiæ eſſe panem & uinum. Quare, Ea à uerbo dei, quod eſt eius forma, non aboleri.

OBIECTVM CVI.

NATVRA, & definitio accidentium eſt, eſſe in ſubiecto: ut, ſi non ſint in aliquo ſubiecto, non ſint omninò. Ergo, cũ accidentia panis & uini maneant, ea quoq; manere eſt neceſſe. Ita nulla erit Tranſubſtantiatio.

GARDINERVS.

SI *definitionem accidentis ſpectemus ſeorſim, non eſt, Ineſſe ſubiecto, ſed aptitudinem habere, ut ineſſe poſſit.*

MARTYR.

PRimùm magnus Dialecticus negat, eam eſſe definitionem accidentis, Ineſſe in ſubiecto: ſatis eſſe, ſi aptum natumq; ſit, ut eſſe poſsit in ſubiecto. Cæterũ, ut largiar, cum res generatim definiuntur, eam propenſionem, ſeu aptitudinam intelligi in definitione, quòd ſæpè res definiantur, quę re uera non exiſtant, eoq; neceſſe ſit, ea illis attribuere, quæ in illis eſſent, ſi exiſterent: tamen, cum ea, quæ definiuntur, re ipſa ponantur, omninò neceſſe eſt, ut ſub definitionis conditionẽ cadant. Nam alioqui definitio aliena eſſet, & uitioſa. Quare quamuis maximè Accidens in uniuerſum definiatur, ut Inconſtantius putat, tamen poſteà, cum quippiam oſtenditur re uera eſſe accidens, neceſſe eſt, ut hæreat in ſubiecto. Quod autẽ addit, Non ſi quid eſt accidens, neceſſe eſt, ut inhæreat: dicit quidem id, ſed non probat. Quare eadem authoritate licebit nobis id negare, qua illi id li

,, cuit sine ratione affirmare. Deinde quod addit, Ipsum Inhærere accidentibus,
,, dum existunt, non esse substantiale, aut necessarium: id nemo sapiens unquam
dixit. Vulgò receptum est, Accidens esse, quòd sit entis: nec esse accidentia, nisi
Aristoteles. quatenùs inhæreant. Aristoteles quoque hoc maximè argumento inuehebatur
Ideæ Platonis. contra ideas Platonis, quòd eas formas esse statuerat, & interim à sua materia di
straheret. Quòd si ille ne substantialibus quidem formis hoc dare uoluit, quantò
minus daturus erat accidentibus? Ad hæc cogitare oportuit Inconstantium,
non minus essentiale esse accidenti, Inesse in subiecto, quàm substantiæ est, Non
Accidens necessariò inhæret. inesse. Substantia autem necessariò non inhæret: Ergo, Accidens necessariò in-
hæret. Hæc idcircò commemorare pluribus, & diligentius uolui, ut Lector in-
telligeret, istos commenta sua pluris facere, quàm naturæ conseruationem. Om-
nia potius perire uult Inconstantius, quàm ut fictiones, & ineptias suas interci-
dere patiatur.

,, Sed addit, Primam causam per se ipsam, & solam tantundem posse, quantum
,, secunda potuit. Quare cum substantia, quæ est secunda causa, possit accidentia
,, sustinere, nihil obstare, quin deus, hoc est, prima causa, detracta substãtia, eadem
,, sustinere possit. Hic aliquis fortè respondeat, Potentiam quidem dei admiran-
dam, & summam esse: illam tamen ea, quę Contradictione pugnant, efficere non
posse: nõ quidem debilitate sua: sed quòd res ipsæ eiusmodi sint, ut fieri nequeãt.
Dicere autem, aliquid esse accidens, quod non sit in subiecto, nihil aliud est, quã
dicere, idem & accidens esse, & non accidens. Eò isti sua importunitate rem de-
ducunt, ut prorsus omnia confundantur. Hæc, inquam, alius fortasse quispiam
respondeat. Ego uerò dico, Quid isto scuto diuinæ potentiæ semper tegitis
mendacia uestra? Esto, deum hoc posse facere. An ex eo statim sequitur, illum id
uelle facere? Cum igitur, quod ad hoc quidem attinet, de uoluntate dei non pos-
sitis fidem facere, salua eius potentia, satis tutò possumus istam uestram confusio
nem, & perturbationem rerum irridere. Quicquid de diuina uoluntate ab homi
nibus sciri potest, id uniuersum peti, & hauriri oportet è uerbo dei. Quare cum
aliquid uelitis contra naturæ ordinem constituere, inde oportet deducere argu-
menta. Atqui ubi, quæso te, unquam audisti è sacris literis, Accidentia esse in
Eucharistia sine subiecto? aut primam causam ibi subire locum substantiæ? Si tu
ista legisti unquam, pro eo, quanti fidem, & authoritatem tuam facis, locum no-
bis aliquem indicato. Alioqui Papistæ etiam tui dicent, te ista impudenter com-
mentum esse.

Verùm ne deus cogatur in istis accidentibus Eucharistícis sustinendis per-
,, petuò laborare, ait, posse fieri, ut aliquando panis substantia redeat: idq; addit nõ
,, sine summa dei ope fieri: ne, cum uermes, & cineres ex Eucharistia nascantur, re
,, gula naturæ, quæ uiolata est in Transubstantiatione, eadem rursus in uermium,
,, & cinerum procreatione perturbetur, si ea dicerẽtur procreari ex accidentibus.
,, At philosophus, inquit, miraretur Eucharistiæ mysterium, in quo accidentia ma
nerent sine subiecto, neq; illud ex sua definitione carperet. Certè, qui nihil aliud
sit, quàm philosophus, Sacramentum Eucharistiæ non mirabitur, utpote qui de
eo nihil credat. Vestram autem stultitiam, qui ista portenta in animum induxe-
ritis credere, & miraretur, & irrideret. Et sanè, qui rem secum uelit prefsius co-
gitare, haud dubiè numerabit uos inter ἀσόφους philosophos, & ἀλόγους Theolo-
gos: qui ita & naturæ leges, & uerbum dei susq; deq; peruertatis. Vide autem,
Inconstanti, qua fronte nos appelles Theologastros. Tu enim, tuiq; ne umbram
Augustinus. quidem habetis boni Theologi. Tamen, si nos ita fastidis, at Augustinum sum-
mum Theologum audire debes, quid de hac re sentiat. Ille cum docuisset, subla-
to loco à corporibus, ipsa quoq; corpora tolli, subiecit posteà de illorũ etiam acci-
den-

cidentibus. Tolle, inquit, ipsa corpora qualitatibus corporum: non erit, ubi sint: & ideò necesse est, ut nō sint. Non est, opinor, Theologaster Augustinus: tamen audacter pronuntiat, accidentia esse non posse, si illorum auferantur substantię. Et statim addit, Si moles ipsa corporis, quantacunque, uel quantulacunque sit, penitùs auferatur, qualitates eius non erit, ubi sint. Hæc Augustinus. Et dubitamus adhuc, ueros Theologos, ea, quæ à nobis in argumento posita sunt, nobiscum sentire & confiteri?

Si subiectū aufertur ab accidentib. nō erūt.

OBIECTVM CVII.

SOLENT dicere, corpus & sanguinem Christi uelari accidentibus, ne uideamur uesci crudis carnibus. Sed si uera dicunt, hæc ratio nihil prohibet, quò minus uescamur crudis carnibus. Quomodò enim coquantur, neque per eos, neq; per scripturas ratio redditur.

GARDINERVS.

HESYCHIVS *celebris author, Corpus Christi in Sacramento nobis exhibitum appellat Sacrificium de Sartagine, quod illud non crudum nos, sed in ara crucis tanquam de sartagine assum comedamus.*

MARTYR.

HIc Inconstantius, quòd uideret se non posse aliter consistere, recipit sese ad allegoriam. Ait enim Hesychium dicere, corpus Christi nobis exhibitum in Sacramēto esse sacrificium de sartagine. Ego iam didici id, quod semper antea ignorauí: scilicet, argumenta, allegorica intelligentia uel sensu dilui. Si Hesychius diceret, corpus Christi uerè assatum fuisse in cruce, non nihil mirarer. Id enim cum Euangelica narratione uideo pugnare. Putarem tamen Inconstantium occasionem aliquam fuisse nactum, ut hoc testimonium adduceret. Verùm cum sacra historia hoc nusquam tradat factum, & Hesychius dicat, corpus dominí non re uera fuisse coctum, sed tantùm tanquam in sartagine assatum in ara crucis, nullam uideo rationem, cur id, quod Inconstantius adfert, probabile uideri possit. Nam cum Christus diceret, Iudæos exijsse ad se, tanquam ad latronem, an docere uoluit, se re uera latronem esse? Et cum Esaias prædicat, illum ducendum esse ad occisionem tanquam ouem, an illum dicit fore re uera ouem? Sophista uerò iste noster nouo quodam artificio, ex eo, quod Hesychius dicit corpus Christi tanquam in sartagine fuisse assum, illud re uera coctum, atq; assum fuisse colligit.

Deinde postulat nos irrisionis: quasi ausi simus Sacramento Eucharistiæ ore profano illudere. Hoc autem dissimulat, nos, saluo mysterio, quod Christus instituit, Papistarum tantùm præstigias & fucos irridere: ut doctrina ficitia, & ad idololatriā ab hominibus excogitata, ab omnibus aliquando exibsletur. Verùm seriò agat aliquando Inconstantius, neque putet rationes cōuitio dissolui posse. Huc addit, Cacolycos de crudis carnibus loqui ad sensum carnalem, qui mysteria nō intelligat. Atqui ego ea putabam dici hominibus fidelibus, & statim communicaturis: ut omnis illis tolleretur admiratio, cur corpus Christi, cum ibi adesset realiter, tamen oculis hominum non ostenderetur. Nunc autem audio, ista dici tantùm infidelibus, qui sacra mysteria non intelligant. Sed subijcit, id, quod

diuinum sit, & spirituale, non posse fidelibus uideri crudum. Quid ista sibi, quæso, uolunt? Corpus Christi diuinum, & spirituale, quod sola fide comeditur, nihil necesse est, ut dicamus aut coctum, aut crudum comedi. Nam hic in uerbo, comedendi, apertissimus est tropus. Isti autē, quia corpus domini statuunt ore corporis, ac dentibus comedi, non iniuria à nobis urgentur, ut alterutrum de illo cibo pronuntient, coctus ne sit, an crudus. Atq; eò iustius à nobis hoc interrogationis genere premuntur, quia carnem illam accidentibus panis, tanquam in artocrea inuolui uolunt. Et sanè uelint, nolint, cibum, qui corporis ore, ac dentibus percipiatur, aut crudum, aut coctum esse, necesse est. Caro autem Christi, ut isti somniant, ore corporis, ac dentibus sumitur: quare de illa non iniuria crudáne, an cocta sit, quærimus. Nihil ergo habet Inconstantius, quod de nostra interrogatione queri iuste possit.

OBIECTVM CVIII.

IN corpore, quod pro nobis tradebatur, non erant accidentia panis: Sed in Sacramento sunt accidentia panis: Ergo, Sacramentum non est corpus Christi.

GARDINERVS.

IN *corpore Christi in Eucharistia præsenti non sunt accidentia panis: nemo id dixerit.*

MARTYR.

REspondet quidem paucis, sed non minus leuiter, & nugatorie, quàm solet. Primùm quæritur de forma syllogismi. Sed ne quid meritò possit amplius expostulare, argumētum in formam reuocabo. Ponamus ergo ob oculos dominum discumbentem in cœna, & coram Apostolis instituentem Eucharistiæ Sacramentum, ostendamusq; corpus eius, quod tum oculis corporis ab assidentibus cernebatur: ac dicamus, Hoc corpus non est sub accidentibus panis & uini: deinde digito indicantes panem cōsecratum, dicamus: Hoc est sub accidentibus panis & uini: itaque, Hoc corpus non est illud. Sensus enim ipsi docebant, alterum corpus esse sub accidentibus panis & uini, alterum non esse. Quid hic negatur Sophista de forma? Nulla esse potest forma euidentior: ut ad quam omnes propemodum aliæ formæ reuocentur. Appellatur enim in scholis syllogismus expositorius. Sed, quia uidet se ui argumenti uehementer premi, concedit, Sacramentum non esse corpus Christi. Quid ergo nobiscum tam diu litigat? Cur nos traducit pro hæreticis? Cur nobis perpetuò obtrudit uerba illa Domini, Hoc est corpus meum? Certè dominus ostenso sacramento, quod tenebat in manibus, dixit, Hoc est corpus meum. Tandem fatetur, Sacramentum per tropū esse corpus Christi. Quomodò ergo queri potest, si audiat, se à nobis appellari Inconstantiū? Nam hactenus semper ad rauim usq; clamauit, uerba illa Christi intelligenda esse sine tropo: nunc autem, nescio quo pacto, cum tropo rediit in gratiam. Et sanè in eo & nobiscum conuenit, & cū Augustino aliisq; patribus. Nā Augustinus in Psal. 98. ita scribit: Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis: nec bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis commendaui. Hic ergo Inconstantius cū Augustino agnoscit tropum. Quare nos posthac, cū idem dicamus, nō debet appellare hæreticos. Nos enim etiā dicimus, panē Eucharisticū, hoc est, Sacramentū, figu-

Augustinus.

figurata loquutione appellari corpus domini. Desinat ergo nobis obstrepere. Noster enim tropus magis multò conuenit, & cum diuinis literis, & cum doctrina Patrum, & cum ratione sacramẽtorum, quàm ille, quem iste comminiscitur. Quem autem, ut appellat, Rabbinum, authorem huius argumenti notet, & Atlantem faciat, qui solus hanc machinam sustineat, ipse uiderit. Sed caueat, ne rabie sua incitatus doctum aliquem, & sanctum uirum, & longè se meliorem Rabbinum uocet. Nostræ autem causæ sciat nullo alio Atlante opus esse. Ea enim satis uerbo dei sustinetur. Suæ autem causæ censeo ut robustum aliquem, & bene firmum Atlantem paret, qui accidentia illa sine subiecto, pendula, & uolatica, & haud dubiè alioqui ruitura sustineat; idq; eò magis, quòd illa nullo præsidio uerbi dei fulciri possint.

OBIECTVM CIX.

SI panis mutatur, & fit corpus Christi, certè generatur. At non generatur. Ergo non mutatur in corpus Christi.

GARDINERVS.

QVOD *uirtute diuina conficitur, mysterium, quoniam modum suum habet, quem mente, & cogitatione non assequimur, tantùm abest, ut ἀκριβῶς explicemus ore, non est in uerbis hærendum, & de syllabis mouenda controuersia.*

MARTYR.

MYsterium istud suæ confectionis modum, qui diuinæ sit uirtutis, habere garrit: ideoq; mirum non uideri, si ille ore ἀκριβῶς explicari nequeat. Itaq; non esse hærendum in syllabis. Ista ferri possunt: non enim est cuiusuis facultatis instituere sacramenta. Neq; etiam modum facilè intelligimus, quo spiritus sanctus sit in illis efficax. Quæ autem addit, ferenda omninò non sunt. Sic enim ait, Istud fieri corpus Christi in sacramento, nihil aliud est, quàm exhiberi: & fit corpus ex pane exhibendi ordine. Quid ista sibi uolunt? Quas tenebras iste loquitur? Quis unquam mortalium audiuit, fieri, esse exhiberi? Si cuiq; licebit pro libidine uerborum significata mutare, redibimus breui ad Chaos antiquum, aut ad Confusionem Babylonicam: ut cum unum petatur, aliud longè diuersum porrigatur. Quod nos dicimus Fieri, iste nos intelligere uult Exhiberi. Et addit, corpus ex pane fieri exhibendi ordine. Nisi malè diuino, hoc illum puto uoluisse dicere, postquam panis eiectus est, succedere corpus Christi. Atqui Christus non ait, extrudi panem: sed de ipso pane ait, Hoc est corpus meum. Quod iste dum negat, ex absurdis, quibus obruitur, se ipsum explicare non potest. Hæc enim natura est mendaciorum, ut se ipsa uehementer impediãt. Quare iste, cum ueritati perspicuæ, ac dilucidæ nolit assentiri, mutationis genus inauditum cogitur statuere.

Transubstantiationem autem suam ait, à modis mutationum in natura usitatis longè dissidere. Hic enim, id, quod mutatur, nõ supereſſe. Sed, cum nec sacræ literæ, nec Patrum sententiæ in istos te laqueos necessitatis conijciant, ut cogaris leges naturæ uiolare, istas fictiones tuas, eò, quò dignæ sunt, remittemus. Illud autem hominis est supra modum impudentis, nos accusare ignorantiæ, quasi modos mutationum physicarum nesciamus: & putemus, omnes contineri sub generatione. Nec uidet, in argumento proposito mentionem tantùm de generatione fieri. Hæc autem mutatio ab uniuerso grege Papistarum ad corpus hu

Cur ista transubstantiatio dici debeat generatio.

manum, id est, ad corpus Christi finitur, & absoluitur. Neq; præter generationē alia forma est mutationis, quam substantia finiat. Nam si uel ad quantitatem, uel ad qualitatem, uel ad locum Transubstantiationem suam uellent terminari, nos nunquam uocabulo generationis fuissemus usi. Nostrum enim esse iudicamus, uti significatis uocum, ut uulgus solet: non autem, quod sibi permittit Inconstantius, pro nostro arbitratu abuti uocabulis.

Postremò in calce explicat: imò, quid dixi, explicat? obscurat potius, & tenebris obducit sententiam, quam profitetur. Mutatur, inquit, panis, quia non est quod erat. Si roges, quod genus hoc sit mutationis, procul dubio non habebit, quid respondeat. Non uult eam esse corruptionem: quia ea sine generatione nō potest intelligi: nec ostendere potest, quid generetur. Tantùm hoc ait, perire substantiam panis, cuius contra omnes naturæ leges seruentur accidentia. Corpus inquit, Christi fit: quia in mysterio sub panis accidentibus iam adest: quod anteà erat, sed non aderat. O portentosam, atq; inauditam implicationem uerborum. Nunc fieri, nihil aliud est, quàm adesse. Quoties ergo Inconstātius aderit in conuiuio, ubi prius non erat, dicetur fieri. Prius enim erat: sed cum illis suis in conuiuio non aderat. Quod si uerum est, Inconstantius eodem die potest fieri bis centies. Quotidiè enim multis locis potest incipere adesse, ubi anteà nō fuerit. Oportet istos prorsus omnem pudorem exuisse, qui putent sibi ita portentosa loquentibus homines posse conniuere. Citra omnem controuersiam mutatio ea, quæ terminatur ad corpus humanum, est generatio. Transubstantiatio uerò, ut isti dicunt, est mutatio, quæ corpus Christi habet pro termino: est ergo generatio. Superest ergo, ut nos Inconstātius doceat, quidnam ibi generetur. Quod cum non possit: necesse est, ut fateatur, Transubstantiationem esse negotium ambulans in tenebris: & eos, qui illam sequuntur, re uera nescire, quò eant.

OBIECTVM CX.

SACERDOTES, inquiunt aduersarij, conficiūt id, quod in Cœna domini comeditur, & bibitur: idq; aiunt esse Christum deum, & hominem. Ergo sacerdotes Papistici conficiunt deum, & hominem. O blasphemias.

GARDINERVS.

A *uerbis conficiendi, & faciendi non abstinuerunt Patres Catholici.*

MARTYR.

VIdetur mihi Inconstantius arbitrari, authorem huius argumenti uerbum illud, Conficere, posuisse pro Occidere, aut perdere. Nā in eum sensum optimi scriptores Latini uerbo illo interdum uti solent: ut sentētia sit, sacerdotes Papisticos in suis Missis Christum occidere, aut perdere. Quod si ita putarit, miror eum ista uerba inter argumēta numerare uoluisse. Est enim alluſio potius ad uerbum Conficere, & faceta irrisio Papisticarum ineptiarum, quàm argumentum. Sed liberemus sophistam hac suspicione. In proposita ratione sit uerbum illud Conficere, positum pro perficere, complere, efficere. Nónne malè merebitur de Christo, qui dicat, eum à uestris sacrificulis perfici, compleri, efficiⁱ? An, cum eorpus Christi ante annos mille quingentos factum fuerit, illud nūc quoq; dicemus quotidiè efficiⁱ? Sed Patres ita loquuti sunt. Scio: atq; utinā illi suis ἀπυγελασμοῖς multis erroribus non dedissent occasionem. Verùm illi, quoniam sunt extra telorum

Patres persæpe dederunt occasionē erroribus improprijs loquēdi formis quibus usi sunt.

lorum iactum, quantum quidem possunt, per uerbum dei excusentur, & iusta, ac sana interpretatione intelligantur. Certè, quod negari non potest, illi per corpus Christi sæpè Sacramentum corporis Christi intellexerunt. Atque hoc pacto Hieronymus, aliíq; patres, corpus Christi confici, rectè dicere potuerunt. Ministri enim re uera ex instituto domini efficiunt eius corporis Sacramentum. Verùm uos hoc prætextu uestram loquutionem defendere non potestis. Dicitis enim non Sacramentum corporis, sed ipsum uerum, propriumq; corpus Christi fieri, & adesse incipere sub accidentibus panis. Quare, si Latinè uelitis loqui, cum uerbum illud, Conficere, non ad Sacramentum, sed ad rem ipsam referatis, non potestis effugere, quin dicatis, sacrificulum uestrum efficere, complere & perficere ipsum corpus Christi. Quam blasphemiam ut euitetis, altera significatio illius uerbi uobis magis fortasse conueniret: ita enim sensus esset, sacrificum uestrum in Missa corpus Christi, quantum in ipso est, occidere, & perdere. Quoniam enim blasphemijs tantoperè delectamini, hanc posteriorem, quoniam est aliquantò illustrior, debetis illi alteri anteferre. De Emissení autem sententia satis iam suprà diximus. Hæc ergo est argumenti nostri sententia: Quicunque dicunt, se conficere corpus Christi, nisi id intelligant de symbolis sacramentalibus, sunt blasphemi: Sacerdotes Papistici dicunt, se conficere corpus Christi, neq; id referunt ad Sacramentum. Quare fieri nõ potest, quin sint blasphemi.

Quomodo Ecclesiæ ministri dicãtur corpus Christi conficere.

OBIECTVM CXI.

CORPVS Christi crucifixum nõ erat factum ex pane: sed corpus, quod sumitur in cœna, fit ex pane, ut aduersarij nostri dicunt. Ergo, corpus, quod sumit̃ in cœna, non est idem, quod fuit crucifixum.

GARDINERVS.

NVGATORIA *est & fallacia in ambiguitate.*

MARTYR.

O Candidum disputatorem. Non minus detestatur Inconstantius sophisma-
ta, quàm ebriosus uinum. Vt apertius nobiscum agat, distinguere uult am-
bigua: sed ita, ut diligenter sibi caueat, ne fortè impingat in ueritatem. Ait enim,
Si illud, Fieri ex pane, accipiatur pro eo, quod est, In Sacramento exhiberi, lo-
quutionem eam posse recipi, qua dicimus, Christum crucifixum fieri ex pane.
At si, Fieri ex pane, sit, Ex pane generari, negat ita Christum crucifixum ex pa-
ne fieri: eum enim tantùm factum esse ex uirgine. O subtilitates exquisitas.
Tanta est profunditas huius nugatoris, ut ego me fatear, nondum eò peruenis-
se. Meis enim auribus inauditum, & nouum est, ut, Fieri, apud homines Lati-
nè loquentes, sit aliquid sub accidentibus exhiberi. Et sanè, quid mirum, si ista
nesciam? A quo enim ea, quæso, didicerim? Si uel unus quispiam ex omnibus
Grammaticis, Rhetoribus, Dialecticis, Philosophis unquam ita loquutus sit, sit
Inconstantius, ut sibi semper uisus est, sapientissimus. Sed quid uerbis opus est?
Tantisper, dum iste nouum suum modum, faciendi, nobis probauerit, non erit
nefas opinor, si eum repudiamus, ut ineptum, & confictum, & nugatorium.

Quod autem addit, Cum corpus Christi crucifixi fieri dicitur ex pane, Ecclesiam id accipere in hanc sententiam, Panem Christi uerbis in eius corpus con-

uerti, uelim, curet, ut hic ſenſus ſubſidio aliquo uerbi dei fulciat. Eccleſia enim, cum & appelletur, & ſit ſponſa dei, tantum ex eius ore, & uerbo loquitur: neque uoces peregrinas, aut ſenſus alienos facilè admittit. Sed ut res efficiatur magis perſpicua, poſſumus etiam hic uti ſyllogiſmo expoſitorio. Nam ſi demonſtremus corpus Chriſti pro nobis crucifixum, & Sacramentum Euchariſtiæ, & de iſto dicamus, Hoc factum eſt ex pane: de altero uero, Hoc non eſt factum ex pane: ſequetur neceſſariò, Hoc non eſſe illud. Atque hæc erit Dialectica, & rectè, atque ordine facta concluſio. Iam uerò diuinæ literæ teſtantur, corpus Chriſti ſumptum eſſe ex Virgine: Inconſtantius autem negare nō poteſt, Sacramentum fieri ex pane. Quare non uideo, quid amplius poſſit cauillari.

OBIECTVM CXII.

SI corpus Chriſti crucifixum non ſit factum ex pane: & corpus Chriſti crucifixum idem fuit cum eo, quod ſumebatur in cœna: ſequitur, corpus Chriſti, quod ſumebatur in cœna, non fuiſſe factum ex pane.

GARDINERVS.

ISTVD eſt *uerbis ludere, ut tam ſublimi myſterio illudatur.*

MARTYR.

AIT, Factū eſſe, nō ſemper ſignificare generationē. Eſto. Id enim familiaris hominū ſermo ſatis docet. Poteſt enim aliquis fieri aſſentator, aut ſophiſta, cum tamen interim non generetur. Hæc omnia facilè largimur. At ſi ſtatuas corpus, quod eſt in genere ſubſtantiæ, eſſe terminum factionis, ea uelis, nolis, erit generatio. Deliberet nunc Inconſtantius, quem terminum ſuæ Tranſubſtantiationi uelit ponere. Sed quid quæro? Ipſe diſertis uerbis teſtificatur, eam eſſe mutationem qua panis uertitur in corpus Chriſti. Quare, etſi factio pertinere poſſit ad uaria genera mutationum, tamen, quoniam ipſi dicunt, ex pane fieri corpus Chriſti, ea mutatio non potèſt non eſſe generatio. Terminatur enim, ut dixi, in ſubſtantiam. Mox Inconſtantius pro ſua humanitate authorem huius argumenti uirulentiſſimo dente proſcindit. Nam idem, inquit, qui iſtis impiè luſit, ex catholico factus eſt hæreticus, non generatione quidem reficus, ſed malitia occæcatus. Atqui fieri poteſt, ut Inconſtantius, qui oculis iam defecatiſſimis uiuit in Papatu, neq; ſe patitur ab Euangelio Chriſti occæcari, non uideat, eum, qui ex orthodoxo, & catholico factus ſit Papiſta, mutari nō quod attinet ad ſubſtantiam, ſed quòd ad animi qualitates: eoq; illum, ut loquuntur in Scholis, alterari magis, quàm generari. Sed cum ipſe dicat, panem, qui eſt ſubſtantia, mutari, & corpus Chriſti fieri, quod etiam ipſum eſt ſubſtantia, neceſſe eſt, ut fateatur, aut eam eſſe generationem, aut, ſe ignorare, quid ſit generatio. Quare aut terminos Tranſubſtantiationis ſuæ mutet, aut fateatur eſſe generationem.

Exemplum uerò, quod adfert, tam alienum eſt ab hac re, quæ nunc agitur, ut ne ipſe quidem id potuerit diſſimulare. Veritas inuitum traxit, coëgitq; confiteri, ſe exemplo à cauſa, quam ſuſceperat, alieno uſum eſſe, ſatis tamen conuenienti ad hominem deſignandum: in quo, Factum eſſe hæreticum, qualitatis mutationem ſignificet, eadem manente ſubſtantia: ut alius ſit factus abſque generatione

tione noua. Ego uerò, Inconſtanti, ſemper audiui, oportere in cauſis agendis iocos, & ſales eius eſſe generis, ut in eum ipſum, qui iecerit, retorqueri non poſſint. Nam & ſuperuacanei ſunt, & riſum in authorem mouent, & cauſam lædunt magis, quàm iuuant. Hoc cõſilium quàm tu prudenter ſequutus ſis, mecum paulùm perpendito. Pium, & ſanctum uirum, qui hoc argumentum confecit, dicis ex Catholico factum eſſe hæreticum. At ille eius criminis, cuius à te iniuſtiſsimè accuſatur, te ueriſsimè poteſt cum ſummo bonorum omnium conſenſu inſimulare. Tu Diuortium Henrici Regis, quod non ita pridem probauiſti, & Romæ ut firmum, ratumq; haberetur, pro uiribus curauiſti: illud nunc in huius Reginę gratiam deteſtaris. Tu tyrannidem Antichriſti Romani, quam ante uiginti annos non tantùm conſilijs, ſed etiam edita publica declamatione exagitaſti, eandem nunc reſtituis, & quibuſcunq; potes rationibus, & artibus corroboras. Tu ergo nunc ipſe uide, in tene magis illa exempla conueniant, an in authorem huius argumenti. Noſtra autẽ ratio, ut magis perſpicua uideatur, eſt huiuſmodi: Corpus, quod fuit crucifixum, nõ erat factum ex pane: At corpus, quod erat crucifixum, ſumitur in Cœna: Ergo, corpus, quod ſumitur in Cœna, non eſt factum ex pane. Eſt ſyllogiſmus in tertia figura: & uim habet ſyllogiſmi expoſitorij. Singulare enim quiddam eſt corpus Chriſti crucifixum, quod in utraq; propoſitione demonſtratur.

Qui ioci & ſales non conueniant in cauſis agendis.

Inconſtantia Gardineri.

OBIECTVM CXIII.

SI corpus Chriſti, quod ſumitur in Cœna, ſit idem cum eo, quod crucifigebatur: & illud corpus, quod ſumitur in Cœna, factum ſit ex pane: neceſſe eſt, corpus Chriſti, quod crucifigebatur, factum fuiſſe ex pane.

GARDINERVS.

OTIVM *hominis beatum, in quo iſtis cauillis concinnandis uacetur.*

MARTYR.

NOn eſt, mihi crede, otioſorum hominum, errata ita craſſa contra uerbum dei ad populum traducere, eaq; omnibus ex partibus excutere, & patefacere, ut homines turpiter decepti, & ſeducti redeant aliquando in uiam, & profanas loquutionum deformitates, quas ab iſtis magiſtris didicerunt, agnoſcant, & fugiant. Alioqui cur nõ Orthodoxos etiam Patres dicis fuiſſes otioſos, cum tot formis, & generibus argumentorum idem re ipſa ſignificantibus Arrianos confutarunt? Et certè error iſte ueſter de Tranſubſtantiatione, multò propius accedit ad Arrianorum dogma, quàm quiſquam facilè putet. Vt enim illi ui maxima contendebant, Filium dei, hoc eſt, naturam diuinam Chriſti factam eſſe ex non extantibus: ita uos hodiè clamatis, corpus Chriſti affixum cruci factum fuiſſe ex pane. Non eſt igitur otij Inconſtanti, ſed Eccleſiaſticæ curæ, & ſollicitudinis, peſtes iſtas, quantùm maximè poſſumus, ex animis hominum fidelium eripere. Sed iſti ſententiæ ueſtræ, qua dicitis, corpus Chriſti fieri ex pane, pulchrum, ſi deo placet, commentum obducis, & commodè ad tuum illud, Exhiberi, redis: ui delicet, corpus Chriſti crucifixum exhibuiſſe ſe Diſcipulis in Cœna ſub accidentibus panis & uini. Ego uerò illam exhibitionẽ, quæcunq; ſit, miſſam facio. Hoc dico pluſquam abſurdiſsimũ eſſe, Corpus Chriſti, quod olim ex humore, ac ſubſtantia Virginis factum fuerit, nunc rurſus ex pane generari: quodq; olim geni-

Tranſubſtantiatio accedit ad Arrianorum dogma.

tum fuerit, id nunc denuò uera & ſubſtantiali mutatione regigni. Nam ſi panem corpus Chriſti, hoc eſt, ſacramentum eius corporis fieri diceres, facilè ad ſententiam tuam accederemus. At cum uelis ueram, & realem Tranſubſtantiationem defendere, non poſſumus in eo errorem tuum, tam craſſum præſertim diſſimulare. Dicis enim corpus Chriſti factum eſſe ex pane: ex quo ſequi neceſſe eſt, corpus Chriſti non fuiſſe uerum corpus. Non eſt enim humani corporis, fieri ex pane.

Sed ridiculo uſus es exemplo, quo nos putabas facilè poſſe confutari. Ais enim, hoc argumentum, Corpus, in quo Chriſtus uerſatus eſt cum diſcipulis, idē erat cum corpore Chriſti crucifixo; ſed corpus Chriſti, in quo uerſabatur, transfiguratum eſt coram diſcipulis: Ergo, corpus Chriſti crucifixum transfiguratum eſt: hoc, inquam, argumentum ais eſſe non diſſimile noſtri. Primùm hoc te ſcire uelim, & in crucifixione, & in transfiguratione idem fuiſſe ſubiectum. Eadem enim ſubſtantia corporis Chriſti & affixioni, & trāsfigurationi pro diuerſis rem poribus ſuberat. At in ueſtra Tranſubſtantiatione longè aliter accidit. Nam panis, unde fieri dicitis corpus Chriſti, prorſus aufertur, &, quod ad ſubſtantiam attinet, ad nihilum redigitur. Deinde affixio ad crucem, & transfiguratio, ſine controuerſia ſunt qualitates: itaq; mutatio, quę in illas dirigitur, alteratio appellatur. Ea pro temporum ratione, & uarietate ſuas habet uiciſſitudines. In Tranſubſtantiatione autem nec quātitas, nec qualitas, nec locus notatur pro termino, ſed ſubſtantia ipſa corporis Chriſti. Exemplum ergo iſtud, quod tu ita ſimile putabas, uides nunc diſſimile longè eſſe, & alienum. In ſumma, nos non ambigimus, idem corpus quadam ſucceſsione recipere poſſe diuerſas qualitates. At, ex pane fieri, & ex pane non fieri, conſtanter affirmamus de eadē re non poſſe dici. Neq; temporis diuerſitas cauſam tuam quicquam iuuat. Idem enim corpus, utiq; dicere ſoletis, numero idem, ut modo ex ſubſtantia matris, modò ex pane generetur, nulla ratione dari poteſt. Ea enim, quæ ſunt eadem numero, eadem etiam habent generationis ſuæ principia. Hoc igitur eſt argumentum noſtrum: Corpus, quod ſumitur in Cœna, ut uos ipſi dicitis, fit ex pane: Corpus Chriſti crucifixum ſumitur in Cœna, quod uos etiam affirmatis: Ergo corpus Chriſti crucifixum fit ex pane. Iam ſi uos abſurdæ concluſionis pudet, id remouete, unde ea neceſſariò conficitur.

Quæ ſunt eadē numero, habēt eadem generatiōis principia.

OBIECTVM CXIIII.

SI corpus Chriſti in ſacramento ſit ex ſubſtantia panis & uini, & idem corpus conceptum fuerit in utero Virginis: neceſſe eſt, ut corpus Chriſti in utero Virginis factum fuerit ex pane & uino.

GARDINERVS.

IACTAT *hic ſophiſta, quantum ualeat reductionibus.*

MARTYR.

QVæritatur Inconſtantius, rem indignam eſſe, quæ toties uentiletur: & ait hic à nobis, neſcio quas, reductiones, & ſophiſmata iactari. Sed longè erat. Digniſsimus enim erat tā fœdus error, qui omnibus modis ab omnibus oppriméretur; ut quàm maximè omnium oculis patefieret, quàm abſurdum ſit, quod

quod uos igne, ferroq; (nam scripturis non potestis) defenditis, Verum Christi corpus inuolui, & latere sub accidentibus. Quare nulla hic, ut tu calumniaris, ostentatio quæritur: sed tantùm eiusdem rei exhibetur uaria & dilucida tractatio: ut uestris latibulis, & suffugijs nullis relinquatur locus. Deinde id etiam cauillaris, quòd, Fieri ex Virgine per generationem, confundamus cum eo, quod est, ex pane fieri per conuersionem. Sunt, inquis, isti duo modi longè diuersissimi. Quare distinguere eos oportuit, non permiscere. Nam quando corpus Christi à se, atque à suis dicitur fieri ex pane, non agitur, inquis, de materia ex qua consistat, sed tantùm ordo conuersionis attingitur: quoniam ex conuersione materiæ illud corpus fit nobis præsens. Non sumus adeò rudes uestrarum fictionum, Inconstanti, ut non intelligamus, quid uelitis. Et ex physica disciplina olim pueri didicimus, id, quod generatur, fieri ex materia subiecta, & ex priuatione: & particulam Ex, ut adiungitur priuationi, ordinem tantùm indicare, quo forma, quæ in lucem editur, sequi post sui priuationem demonstretur. Hæc nos dei beneficio non nescimus. Cur ergo, inquis, ista non distinguitis? Dicam: quia forma illa uestra loquendi hoc non patitur: idq; duplici de causa. Primùm, quia non dicitis, corpus Christi fieri ex non corpore Christi, ut intelligatur ex priuatione fieri, & præpositionem illam Ex, tantùm notare ordinem. Sed dicitis, corpus Christi fieri ex pane: quæ loquutio indicat, panem esse materiam. Ita enim dicimus, ex ligno ignem, ex uaporibus pluuiam, ex sanguine carnem fieri. Et tamen, cũ ita loquamini, materiam panis uultis abijci. Omnes sciũt, ex indocto fieri doctum: ex inopi diuitem: & his loquutionibus ordinem solùm ostendi. Eum enim qui prius inops, aut indoctus fuerat, intelligimus diuitem, & doctum fieri. At ex pane si fiat caro, nemo dicet panis materiam abijci, sed retineri. Quòd si uos non uultis ita loqui, ut nos loquimur, cur requiritis, ut nostras distinctiones ad uestras loquendi formulas adiungamus? Deinde etiam si ita facere uelimus, inepti etiam habendi simus? Quicquid enim distinctione aliqua in partes diducitur, si id extet uspiam, & in rerum natura inueniatur, id in ea, quæ sint, non in fictiones distribuitur. Quis enim animal distrahat in Centaurum, Chimæram, auem, piscem? Nemo, opinor, sanus. Nam Centaurus, & Chimæra, cum nihil sint, partes animalis esse non possunt. Ita nemo debet à me exigere, ut mutationem, qua res una in alteram uerè conuertitur, ita diuidam, ut dicam, unum eius genus esse, quod habeat materiam subiectam: alterum, quod non habeat. Quis huiusmodi diuisionem non rideat? Nam mutatio illa sine subiecto, quam pono pro altero membro, nusquam extat. De ea loquor, uti proposui, qua dicitur quippiam in aliud conuerti. Scio enim creationem, subiectam materiam non habuisse: sed ea non est mutatio, qua quippiam in aliud conuertatur. Quare nos hic omissæ distinctionis culpam sustinere non debemus. Ratio uerò proposita syllogismo expositorio comprehenditur. Sic enim instituemus argumentum: Hoc factum est ex pane: Hoc factum est in utero uirginis: Ergo, quod factum est in utero Virginis, factum est ex pane.

Nota de Præpositione Ex.

Quid requiratur ad iustam distinctionem.

OBIECTVM CXV.

CORPVS Christi in utero Virginis non erat factum ex pane & uino: sed corpus Christi in Sacramento fit ex pane & uino: Ergo corpus Christi in Sacramento nõ est idem, quod conceptum est utero Virginis.

GARDINERVS.

QVAS *fallacias ſcholæ in homine, & aſino ſolebant exprimere, puerorum uidelicet progymnaſmata, hic in dei, & hominis myſterio expugnando referuntur, non ferenda certè licentia ſi uigerent mores.*

MARTYR.

NOn eſſet ferendũ, inquit, ſi uigerent mores, ut ſcholarum fallacię ad illudendum ſacro myſterio adhiberentur. Illi ego duo reſpondeo: Primùm, nos ſacro myſterio non illudere, ſed illud eo honore, quo debemus, proſequi. At ſi Paſtarum fictiones, impoſturas, & audacias liberius quidẽ, et apertius interdum, multò tamen patientius & mollius, quàm oportuit, exagitamus, non debent ita moleſtè ferre. Hoc potius cogitent, quanta ſit nequitia, hominum commenta, &, ut leniſſimè dicam, meras nugas obtrudere populo pro uerbo dei. Quid non auſi ſunt ſancti prophetæ in idola? Quam acerbe iocatur Elias in Baalem? illum aut peregrinari, aut eſſe in diuerſorio, aut fortè etiam dormire? Itaque clamoribus maioribus opus eſſe. Quoties idololatriam appellant fornicationem & adulterium? Quoties idola illa dicunt habere oculos, manus, pedes: tamen nec uidere poſſe, nec tangere, nec ambulare? At Inconſtantius ferre non poteſt, ut quiſquam contra commentitiam, & idololatricam illam ſuam Tranſubſtantiationem mutiat. Argutias Dialecticas, ſi deo placet, calumniatur. Atqui eas, ſi uelit excutere, inueniet ueritate niti, & uerbo dei. Quid multa? Nos non ſanctæ Euchariſtiæ, ſed iſtorum mendacijs & otioſiſſimis commentis illudimus, aut oculos piorum hominum, quod ſemper hactenus fecerunt, ne amplius poſſint occæcare. Alterum eſt, ſi mores uigerent, quorum iſte ſeueritatem tantopere uidetur optare, nihil minus liceret, quàm Eccleſiam peregrinis, et conſectis dogmatis onerare. Ea enim, ſi quo fortè malo genio, aut triſti caſu naſcerentur, omnes pij ſtatim coniunctiſſimis animis, & ſententijs exibilarent. Id enim eſt, ut Paulus ait, malum è medio tollere. Quare Inconſtantius ſuis iſtis puerilibus quiritationibus nihil promouet.

Prophetæ multa falſa & ridicula dixerũt in idola.

» Sed uideamus porrò, quid ſolidi afferat. Poſtulat nos intolerabilis inſcitiæ, » qui contorqueamus ſcripturas, & uidere non poſſimus uarietatem, & diſcrimen » eiuſdem uerbi: nos enim uerbum illud, Facere, ſemper trahere ad generationem. Reſpondi iam anteà, nos non ita cæcos eſſe, ut non uideamus, quod nam diſcrimen in illa uoce fabricentur. Sed eiuſmodi diſtinctio non poteſt dari, niſi illi alterum eius membrum, de quo nunc altercamur, probauerint. Partitiones enim perſpicuitatis, non tenebrarum cauſa inuentæ ſunt. Statuere autem mutationem ex pane, quæ exeat in corpus Chriſti, non eſſe generationem, quomodò tandem poſſumus? Rurſus, talem ponere mutationem, quæ ſubiectum ſuum profliget, & ridiculum, & alienum eſt. Adhæc exemplo ſuo ruſus inſanit, eaq; euertit, quæ anteà poſuerat. Sumit enim ſibi, in iſta ſua beata » Tranſubſtantiatione ſubiectum non manere. Et citat illud Pauli: Dicentes ſeſe » eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Hic ait, homines manere eoſdem, qui cum ſibi uideantur ſapientes, facti ſint ſtulti. Exemplum placet. Sed cũ in illa ſententia Pauli homines ijdem maneant, cur iſti panem abijciunt? Deinde iſtius mutationis, quam adfert ex Paulo, uidemus finem eſſe ſtultitiam, hoc eſt, qualitatem. At iſti terminum Tranſubſtantiationis eſſe uolunt ſubſtantiam, hoc eſt, corpus Chriſti. Quatenus ergo hunc mutationi ſuæ ſtatuunt terminũ, neceſſe eſt, ut eam dicant eſſe ge-

esse generationem: quatenus autem eam uolunt carere subiecto, iniquè ferre nō debent, si eam nos appellamus fictionem: præsertim cum terminum, ex quo fiat, fateantur esse panem. Néue longiores simus, quàm sit opus, hoc illud est, in quo superiora aliquot argumenta consumuntur: ea, quæ sint eadem, fieri etiam eodem modo: præsertim si de illis, quæ numero sint eadem disputetur. Et certè, quod quidem ad substantiam attinet, quomodò potest res eadem numero fieri non eodem modo? Neq; enim potest nostra disputatio transferri ad mutationes accidentium: cum istorum Transubstantiatio habeat pro termino substantiam.

OBIECTVM CXVI.

CHRISTVS natus ex utero Virginis secundum corpus, & ex nulla alia substantia factus est, quàm ex substātia matris. Sed corpus Christi in Eucharistia factum est ex alia substantia, nimirùm, ex pane: Ergo, est alterum corpus Christi, non autem idem, & unum.

GARDINERVS.

ON uidet hic argutator, quantum interſit, fieri ex alia ſubſtantia, quaſi anteà non ſit, & fieri ex ſubſtantia, quæ conuerſione deſinat.

MARTYR.

RESpondet Inconstantius, nos non uidere, quid inter sit inter fieri ex aliqua substantia quippiam, quod anteà non fuerit: & fieri ex substātia, quæ ex conuersione desinat: ut quod antè factum erat, nunc nō esse incipiat, sed adesse. Deinde istam distinctionem accommodat ad Christum. Is, inquit, ut esset homo, factus est ex substantia Virginis integro homine assumpto. Vt uerò factus iam ex muliere fiat nobis præsens, conuersio fit admirabilis substantiæ panis, non ex qua fiat, sed quæ in illum transeat. In his uerbis tria paucis annotabimus. Primùm, nos istam distinctionem rectè intelligere, sed illam nolle dare, nisi alterum eius membrum ab Inconstantio probari possit, aliquid uidelicet, fieri ex substantia, quæ prorsus conuersione esse desinat. Hic enim modus mutationis, cum ab istis suffugij causa proponatur, nullo autem uerbo dei, aut exemplo, aut Patris cuiusquam testimonio comprobetur, irridendus potius est, quàm credendus. Et sanè, cum scripturæ toties dicant, Christum factum ex muliere, natum ex Virgine, ortum ex semine Dauid, mirum est, nūquam illas dixisse, Christum factum ex pane. Quod haud dubiè dixissent, neq; enim erat ita difficilè dictu, si id inter ueritates Christianas fuisset numerandum. Quod autem ultimo loco dicit, Panem transire in corpus Christi, qua constantia dicat, ipse uiderit. Nam, quod esse desinit, quomodò abit in corpus Christi? Profectò si Papistarum delirium sequi uolumus, Panis non in corpus Christi abit, sed id in nihilum. Nam si abiret in corpus Christi, eius substātia non periret, sed corpore Christi succedente manens perficeretur: quemadmodum accessione formę materia fit perfectior, & melior.

Scripturæ nusquam dixerunt Christum factū ex pane.

OBIECTVM CXVII.

SACRAMENTVM non est Transubstātiatio: sed id, quod accipimus in Cœna, est sacramentum: Ergo id, quod sumimus in Cœna, non transubstantiatur.

GARDINERVS.

QVI *sacramentum Eucharistiæ, quoad eius potest, explicant, sacramentum, & rem sacramenti, quæ in hoc mysterio est, uerum corpus Christi notant.*

MARTYR.

Cicero. CIcero scribit ad Trebonium, sua facetè dicta illo narrãte fieri uenustissima. Ego uerò dicere possum, argumenta, quæ à suis authoribus, rectè fuerant proposita, Inconstantio referente, fieri ineptissima. Ausim enim dicere, neminem unquam nostrum, usum esse hac propositione, Sacramentum non esse Transubstantiationem. Potest autem fieri, ut aliquis ita dixerit, Sacramentum non esse rem transubstantiatam, cum id nec natura sacramenti probet, nec scriptura testetur, nec Patres doceant, nec sensuum experientia coarguat; aut ita fortasse, Ad efficiendum Sacramentum non esse opus transubstantiatione. Atque ita rectè, ac ordine concluditur: Sacramentum, quod sumimus, nec constat, nec factum est Transubstantiatione: Ergo, panis, quem sumimus, non transubstantiatur. Minorem uerò propositionem ait esse mutilam: Catholicos enim dicere, eos, qui communicent, rem ipsam sacramenti manducare. Non dubito, Inconstantium rem sacramenti corpus Christi appellare: quod nec ore corporis, nec omninò à malis recipi suprà satis fusè probauimus. Quoniam autem queritur, nescio quid, de forma argumenti, illud quoq; quàm sit efficax, sic ostendo. Quicquid nec fit, nec constat transubstantiatione, id non transubstantiatur: Sacramentum, quod sumimus in Cœna, non constat, nec fit Transubstantiatione: Ergo sacramentum, quod in Cœna sumimus, non est transubstantiatum. Maior propositio est satis clara. Minorem, nisi quis eam nobis extorqueat è scripturis sacris, retinebimus, ut uerã. Conclusio ergo nostra rectè, & Dialecticè conficitur.

OBIECTVM CXVIII.

SI Accidentia panis manere unà possunt cum corpore Christi, cur non potest etiam substantia? Quid enim dignitatis, aut priuilegij habent accidentia, quod substantiæ non possit conuenire? Certè substantia creatura dignior est, quàm accidentia.

GARDINERVS.

ISTA *sunt irridentis, & Mysteriſmo insultantis in Catholicam fidem.*

MARTYR.

AD hanc rationem, qua se uidebat ualde urgeri, Inconstantius duo respondet. Primùm, non esse adscribendum gratiæ, aut dignitati elementorum, quòd ad usum sacramentorum assumantur. Et idcircò uideri mirum non debere, si corpus Christi maneat cum accidentibus potius, quàm cum substantia. Alterum est, substantiam panis, quæ elementum est mysterij, non ob id subire deteriorem conditionem, quàm accidentia, quòd admirabili conuersione cedat corpori substantiæ corporis Christi. Accidentia enim, quamuis maneant, tamen innumerabilibus exponi casibus, scilicet, ne aut à muribus, aut à canibus deuorentur. Panem autem illos casus, quoniam cedit corpori Christi, facilè euitare.

Hoc

Hoc primùm nobis cum aduersarijs conuenit, non esse disputãdum cum deo ex dignitate creaturarum, cur ad Sacramẽta hanc potius uoluerit admouere, quàm illam. Postquam autem Christus iam panem adhiberi iussit ad Eucharistiam, & eius panis natura constet & substantia, & accidentibus, nõ à deo, sed à uobis, qui hæc iniussu dei distrahitis, quærimus, cur uobis accidentia magis placuerit retinere, quàm substantiam. Hanc autem quęstionem tibi ita molestam, aut grauem uideri non oportuit: præsertim, cum patres non grauati sint rationes assignare, cur hoc Sacramentum constet magis pane & uino, quàm ullo alio rerum genere: nimirùm, quòd illorum substantia constet multis frumenti granis, & uuarum acinis: quodq; illis maximè alamur, confirmemur, exhilaremur. Istas uos illorum rationes, cum excluditis substantiam, & sola retinetis accidentia, eneruatis, & euertitis. Quare cum uos, uos, inquam, soli authores sitis huius distractionis, non immeritò à uobis quærimus, cur hoc potius, quàm illud statuere uoluerit is.

Non est ex dignitate creaturũ quòd adhibeantur ad Sacramenta conficienda.

Ad alterum autem quod attinet, miror, si quis tibi uelit assentiri, aut melius, aut saltem par esse, redigi in nihilum, atq; uarijs casibus & periculis exponi. Ita enim melius multò esset statim emori, quàm in istis calamitatibus, quibus uita humana iactatur, relinqui: quamuis de altera uita spes omninò nulla esset. Vnde sapiens Ecclesiastes ait, meliorem esse canem uiuum leone mortuo. Ego quidem neminem esse arbitror, qui non iudicet, res multò meliori statu esse, dum sunt, quamuis periculis aliquibus non uacent, quàm cum prorsus perierint, & omninò nihil sint.

Postremò uidendum esse ait, quid ex mysterij huius ueritate confiteamur re, uera manere. Quasi uerò ille ex ratione mysterij duxerit argumenta, quibus, Transubstantiationem suam confirmaret. At ego Lectorum prudentiæ ita non diffido, ut quenquam illorum unquam futurum putem, qui non uideat, in hoc argumento aquam hæsisse Inconstantio. Is enim cum nihil quicquam haberet, quod ad percunctationem solidè responderet, ad alia quædam prorsus παράλογα, & ad institutum nihil facientia, ut solet, deflectere uoluit. Ex illis autem uerbis, quæ nuda tantùm proposuit, huiusmodi conficimus argumentum. Ea quæ adiuuant rationem Sacramenti, nihil autem impediunt, ab eo non debent remoueri: Substantia panis adiuuat rationem Eucharistiæ, nihil autem eam impedit: Ergo non debet remoueri. De Maiori non potest ambigi: Minor ex eo confirmatur, quòd accidentia panis nihil efficiant in Eucharistia, quod eius substantia non possit præstare multò cumulatius.

OBIECTVM CXIX.

CHRISTVS uocauit panem corpus suum, quòd corpus illius repræsentet: nõ quòd sit ipsum realiter, aut in eius corpus transubstantietur.

GARDINERVS.

ISTVD *commentum cum simplicitate uerborum Christi non cohæret.*

MARTYR.

VIderi uult Incõstantius studiosus simplicitatis uerborum. At quorum? Horum, uidelicet, quinq; tantùm, Hoc est enim corpus meum. Reliqua uerò omnia ita cõtorquet, delumbat, incidit, infringit, ut ne umbram quidem ueri, ac

simplicis sensus reliquam faciat. Quàm autem isti nobiscum agant simpliciter, noua ista commenta Transubstantiationũ, Concomitantiarũ, Accidentium sine subiecto, Quanti sine modo Quanti, Corporum sine loco, & alia multa similia, satis indicant. Hæc omnia quantam simplicitatem, & candorem præ se ferant, Lectorem secum ipsum cogitare malo, quàm ex me audire. Deinde armat se uerbis Chrysostomi ex homilia 83. in Matthæum. Is autem ait, Christum nihil dedisse sensibile. Atqui si Christus, id manibus porrigebat, quod erat uisibile, ut ipse confiteris, & si in rebus sensibilibus tradidit spiritualia, ut Chrysostomus ait, quẽ tu locum simpliciter & candidè præteristi, quomodò absolutè ais, illum nihil tradidisse sensibile? Deinde, si uerba illa Chrysostomi necessariò euincant Transubstantiationem, cum eadem statim accommodet ad Baptismum, necesse est, ut dicas, ibi quoque aquam transubstantiari. Audi enim Chrysostomum ipsum, quid dicat. Nihil, inquit, sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus. Omnia uerò, quæ tradidit, insensibilia sunt. Sic & in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur. Quid tibi iam uidetur, Inconstanti? Delibera paulùm, utrum in Baptismo quoque uelis aquam transubstantiari. Si nolis, id enim te puto responsurũ, desine posthac nobis ista uerba Chrysostomi obiectare. Illa enim ex æquo non minus ad Baptismum pertinent, quàm ad Eucharistiam. Quid autem Chrysostomus sibi uoluerit, cum ita loqueretur, non est difficile exponere. Non ita utitur uocabulo illo Nihil, quasi significare uelit plenam uniuersitatem. Id satis ostendit, cum addat, In rebus sensibilibus. Nam illæ unà tradebantur. Sed illud Nihil, ad præcipuum scopum actionis refert: spectatq; significatum illorum uerborum, Hoc est corpus meum: quibus nihil aliud significatur, nisi res ipsa: quæ cum præsens non adsit, sentiri non potest. Ea tamen & uerbis, & symbolis indicatur, ut eam communicantes fide atque animo complectantur. Non ergo hoc sensit Chrysostomus, Panem in cœna non dari, non magis, quàm aquam non dari in Baptismo; sed mentem nostram ad scopum præcipuum actionis, & ad symbolorum, uerborumq; significata esse attollendam. Nam illi certè nihil sensibile traditur in mysteriis percipiendum. Quare sententia ista Chrysostomi, nisi eam ad animũ & ad fidem referas, uera esse non potest. Corpus enim, & os Communicantium indubitatò sumit panem & uinum. Animo autem, & fidei nihil sensibile porrigitur.

Chrysostomus.

Quomodo Chrysostomus utatur particula Nihil.

Quoniam autem Chrysostomus paulò antè dixerat, Verbum Christi non fallere, quamuis sensus sæpissimè fallantur, ait Inconstantius, illa uerba prorsus esse otiosa, & intempestiua, si in pane nihil aliud sit, nisi corporis Christi significatio. Imò opportunissima erat illa admonitio. Noluit enim, quenquam arbitrari Sacramentalem significationem esse superuacaneã, aut uanam, sed efficacem, et magni momenti, ac ponderis. Illam enim magno cum fructu illud ipsum exhibere menti, quod promittit: nimirùm, corpus Christi, quod nostra causa traditũ est in crucem. Addit præterea, Si Christi uerba intelligenda essent per significationẽ, Christum ipsum uoluisse nos ab errore liberare, & uerba illa, Figuram, aut Signum disertè exprimere. Quod cum ille non fecerit, nihil esse, cur nos ista nobis fruſtrà fingamus. Idq; ait patres diligenter annotasse, Christum, scilicet, non dixisse, Hoc est figura corporis mei. Quòd si Christus, quoties habuit sermones, qui per significationem essent intelligendi, admonuisset ea de re auditores, speciem fortasse aliquam habere posset commentũ istud Inconstantij. At cum id alibi sæpè præterierit, quid miramur, si idem hoc etiã loco fecerit? Ego, inquit, sum uitis: Ego sum ostiũ: Vos estis palmites: Vos estis sal terræ: Vnus ex uobis diabolus est. Et quod ad patres attinet, multo ex illis plures sunt, & antiquitate, doctrinaque longè præstantiores, qui figuram in illis uerbis Christi agnoscant, quàm

quàm qui negent. Quiq́ figuram negant, quo illi id animo, & sensu dixerint, alibi docuimus. Et si ita ad amussim exigere uultis uerba Christi, cur uos ab ea tantopere disceditis? Christus enim non dixit, Panem transubstantiari: non dixit, accidētia sine subiecto remanere. Quid quòd ne Patrum quidem quisquam ista unquam docuit? Vos soli omnia huiusmodi commentis impleuistis. Sed quoniam tanti facitis uerba Christi, permittite nobis uicissim dicere: Si Christus uoluisset nos ista portenta credere, ea disertè, & apertè docuisset, & nos ab istis erroribus liberasset. Aufer ista argumenta, quæ non tibi magis, quàm nobis inseruiant. Sacramentum autem istud à primis statim incunabulis Ecclesiæ ita fuisse abditum & reconditum ab oculis fidelium, quis tandem possit credere? Scimus enim, omnibus initiatis rem eam ita fuisse notam & familiarem, ut Patres in popularibus concionibus contra Martionem, Nestorium, Eutychetem, & alias eiusmodi pestes non aliunde probabiliora duxerint argumēta. Id autem, unde, tanquam à principio, rationes ducuntur, præsertim ad populum, non debet esse obscurum. Fructus quidem, & efficacia, & uis spiritus sancti multos fortasse latere potuit. Natura tamen mysterij omnibus semel baptizatis perspicuè in Ecclesia proponebatur.

Hic autem sycophanta ita nos traducit, quasi mysterium redigere uelimus, in ordinem communis sensus, quod sola, nuda, & exquisita fide possit comprehendi. Ego quidem istum arbitror, nō satis quid dicat intelligere. Quî enim uideri possunt illi Eucharistiam redigere ad communem sensum, qui statuunt corpus Christi non percipi à communicantibus, nisi sola fide? Fides enim non omnium hominum est, sed paucorum tantummodò. At si dicat, se illud intelligere de præsentia significationis, quam certum sit sensus humani captum non superare, ego uicissim respondeo, hoc genus significationis, quod efficaciam, & actionem spiritus sancti coniunctam habeat, ad communem rationem, & sensum non pertinere. Nam alioqui, cur non hoc quoq́ dicit Inconstantius sacras literas nō superare humanum sensum? Nam illæ quoq́ res diuinas, & æternā uitam significant, quam homines ex illis haurire possint. At certè facultas ista significandi dignitate sua sacras literas non spoliat, quicquid somniat Inconstantius.

Addit ad hæc quædam, quibus non probet, sed tantùm uerbis asserat Transubstantiationem: quæ quàm eius instituto probè inseruiant, prudens Lector facilè iudicabit. Sic enim scribit: Quare cum substantiam panis triticei, quam acceperat in manus, consecratione effecerat corpus, ut iam, quod daret, substantia esset corporis, quam benedictio consecrarat, &c. Si Christus substantiam panis fecit corpus suum, unde, obsecro, factum est, ut uos eam excluderetis? Nam si semen efficitur homo, nemo ea causa dicet, materiam seminis excludi. Ea enim est, quæ mutationem, siue generationem sustineat. Anteà solebas dicere, ex pane fieri corpus Christi: nunc contrà, panem ipsum ais fieri corpus Christi. Qua cum sententia si congrua & consentanea uelis dicere, necesse est, ut fatearis substantiam panis remanere, accidentia autē eius cedere. Oedipus huc aliquis aduocādus est, quantum uideo, qui ista nobis ænigmata dissoluat. Nam Inconstantius, quantò magis, magisq́ quærit enatare, tantò magis magisq́ immergitur.

Quod autem longè adhuc durius est, & quodammodò intolerabile, ait substantiam corporis domini benedictione consecrari. Atqui nemo sanus id, quod sit omnium sanctissimum, & per quod omnis ad nos sanctitas deriuetur, dicet posse noua aliqua benedictione consecrari. Sed ut ista per se perspicuè falsa sunt, ita quod addit, Transubstantiationem esse uocem ad hanc rem maximè aptam, & cōuenientem, multò etiam est uanius, & impudentius. Nunquā enim hactenus demonstrari potuit, cui rei uox ea conueniret; nec locus ullus ostendi

aut ex sacris scripturis, aut ex Patribus, unde sit profecta. Tamen ea, si deo placet, apta, & competens esse dicitur. Cæterum ne hoc quidem prætereundum arbitror, id, quod hoc loco pro obiectione proponitur, neq; speciem habere argumenti, neq; unquam à quoquam nostrum allatum fuisse pro ratione. Est quidem ea summa eius doctrinæ, quam defendimus. Cur autem illud Inconstātius argumenti instar adferre uoluerit, equidem uidere non possum. Tamen ut speciem aliquam argumenti præ se ferat, ita illud in formam redigemus. Quod per significationem, & figurato sermone appellatur corpus Christi, id in illud ipsum non transubstantiatur: Panis Eucharistiæ per significationem, & figurato sermone uocatur corpus Christi: Ergo in illud non transubstantiatur.

OBIECTVM CXX.

SI CHRISTVS non annihilet panem, ut aiunt aduersarij, sed ex eo faciat corpus suum, cõiungit sibi panem in unitate & naturæ, & personæ. At hoc est, Christum impanari, et inuinari. Sed ea coniunctio est multò arctior, quàm incarnatio. Nam ea est unitas personæ tantùm, non etiam naturæ.

GARDINERVS.

NON *intelligit hic argutator, medium quiddam esse inter Annihilationem, & Impanationem.*

MARTYR.

„ INter Annihilationem, & Impanationem Inconstātius tertium quiddam esse
„ fingit. Neq; enim ferre ullo modo potest, ut panis remaneat, & efficiatur cor-
„ pus Christi, aut contrà, ut prorsus annihiletur. Tertiũ autem fingit genus muta-
„ tionis, quod pro termino non habeat nihil, sed substantiã ipsam corporis Christi.
„ Iste nouus color nec poëticus est, nec oratorius. Cuiusmodi ergo est? inquies.
Certè sophisticus: ne dicam etiam hæreticus. Dic dum, queso, mihi: Si panis mutatur, quod attinet ad substantiam, & prorsus esse desinit, quod attinet ad materiam, & formam, quomodo tandem eum dicis non redigi in nihilum? Nam si non annihiletur, aut materiam eius, aut formam necesse est superesse. Vos autem nihil omninò relinquitis; cur ergo eum non dicitis annihilari? Nam quod garritis de corpore Christi succedente, id est planè nihil. Cũ enim ex ligno fit ignis, physici corruptionem quidem ligni concedunt: annihilationem tamen eam esse nolunt: quia materia ligni non aufertur, sed manet, & subit nouam formam. At cum & materia, & forma, ut uos dicitis funditùs hic aufertur, quis eam annihilationem esse neget? Quid enim id pani extruso, atq; abiecto prodest, si illi succedat corpus Christi? Facito enim ita esse: quod tamen est uanissimum. Tamẽ aduentus eius naturam panis non sustentat. Sed agendum est, quantum uideo, paulò apertius. Quamuis ea ipsa, quæ iam dixi, ita sunt conspicua, ut penè à nostra uideri possint. Verum responde mihi; Substantia panis post Consecrationem uestram aliquidne, an nihil est? Aliquid negatis esse: Est ergo nihil. Antea non erat nihil: nunc autem per transubstantiationem uestram in nihilum redigitur: Ergo, uelitis, nolitis, panis in Transubstantiatione annihilatur. Sed fortasse Inconstantius naturam panis remotam ab accidentibus, ne annihiletur, in cœlum trãsfert, eamq; inter ideas Platonis collocat, ut inde curriculò redire possit, si quando

si quando ex illis accidentibus aut uermes, aut cineres incipiant progenerari: uidelicet, ut ex ea nouæ istæ substantiæ efficiantur: ne Inconstantius redargui possit, quasi qui dicat, substantiam nasci posse ex accidentibus. Argumentum autem nostrum ita contexitur: Si quæ substantia in suppositum intelligens trāsmutetur ita, ut ipsa non pereat, unitur ei & natura, & persona: Panis, ut isti dicunt, mutatur in corpus Christi, quod est suppositum intelligens, & non annihilatur: Ergo panis unitur cum corpore Christi & persona, & natura. Maior certa est: Minor est aduersariorum.

OBIECTVM CXXI.

TRANSVBSTANTIATORES aperiunt fenestram hæresi Marcionis. Videtur enim, inquiunt, panis, cum panis non sit. Quod idem Marcion dicere solebat de carne, & corpore Christi: ea, uidelicet, non re uera fuisse, sed tantū apparuisse.

GARDINERVS.

CATHOLICORVM *simplicitas, etsi pia prudentia à uerbis interdum abstinet, quæ malè intellecta promoueant errorem, sensus tamen ueritatis integros nihil ueretur apud fideles ubiq; profiteri.*

MARTYR.

FAtetur pios interdum ab illis uerbis abstinere, quæ perperam intellecta audi-
torem possint inducere in errorem: Sensus tamen ueros ubique apud fide-
les profiteri: neq; ea causa deterreri, quòd Hęretici benedicta calumniētur. Idq;
se putat è diuinis literis planissimè posse ostendere. Illæ enim Angelos appellant
eos, qui Lotho, Abrahamo & alijs patribus humana specie apparuere. Neque ta-
men ibi periculum esse, ne quis Martionita id arripiat, & stulta collectione, hoc
est, Dialectica Hæreticorum inferat: Ergo, Christus non est uerè homo. Et infir-
mitatem consequutionis ex eo prodit, quòd aliquid interdum ita singulare sit,
ut id non liceat extendere ad alia: ut dicamus, Quod ibi, igitur hic: &, Quòd se-
mel, igitur semper. Quòd primo loco dicit, propter hæreticos non esse desisten-
dum à confessione ueritatis, id facilè largimur: modò illa, quæ uolumus uideri
uera, re ipsa uera sint, & scripturarū authoritate comprobata. At si ea nostra tan-
tùm inuenta sint, in primis uidendum est, ne quid hæreticorum errores possint
promouere. Deo quidē in sacris scripturis licuit loqui ut uoluit. Et qui eas phra-
ses, & dicendi rationes retinebit, nō potest iustè reprehendi. Tamen qui peregri-
na dogmata, & loquutiones inauditas in Ecclesiā inuehit, ex quibus hæretici in-
uenta sua possint utcunq; constituere, non potest carere doctorū, & prudentium
hominum reprehensione. De Angelis uero, qui ab Abrahamo, Lotho, alijsq;
patribus conspecti sunt, satis luculenter & copiosè suprà disputauimus: ut super-
uacaneum sit eadē hoc loco repetere. Hoc solùm uel addā, uel potius repetam in
præsentia, scripturas illos, qui uidebant, re ipsa uocare Angelos, ut errare ea de re
non possimus. Et patres etiam ipsi, à quibus conspecti sunt, ad extremū, quinam
essent, intellexerunt. Vos identidem hoc nobis præstate, & expressum alicubi,
aut certè obscure significatū ostendite in sacris literis, abire substātiam panis, &
sine subiecto sola manere accidentia, illisq; inuolui, & tegi corpus domini. Hoc
si effeceritis, ut illos credimus fuisse Angelos, ita hic quoq; credemus, accidentia
manere sine subiecto. Meminisse autem debet Lector, quod nos suprà docui-

mus, nullam in illis angelis fuisse deceptionẽ sensuũ: qualem uos esse in pane, & uino, nisi ab errore uestro uelitis discedere, nullo modo potestis inficiari.

„ Adhæc nos nõ profitemur Sophisticen, neq; proficiscimur ad singularia con
„ firmanda ex alijs, ut tu dicis, singularibus. Illud enim genus collectionis leue ad
modum, & infirmum est. Sed hoc potius dicimus, cum posita sint duo menda
cia, ab eo, qui unum illorum asserat, non iniuria posse extorqueri, ut alterũ quo
que, quod consimile sit, concedere ne grauetur. Si Inconstãtius nullam hic pro
babilitatem uidere possit, non dubito tamen uisuros alios. Nam qui speciem tan
tùm, &, ut ita dicã, apparentiam panis defendit esse in Eucharistia, maximè cũ sa
cræ literæ secus doceant, qua fronte potest ille coarguere Marcionem, qui dicat,
Christum non habuisse uerum corpus, sed tantùm externam speciem, & imagi
nem corporis? De stulta autem Dialectica, & infirmis collectionibus, si quis
quam alius mortalium, certè Inconstantius in primis monendus est. Illum enim
passim uideas principium petere, & idem per idem confirmare: utq; uno uerbo
dicam, ex illis, quæ temerè, nescio, an rectè uigilanti, ad phantasiam aduolent,
quamuis ea nusquam prorsus gentium, nec in omni rerum natura existant, ta
men quiduis audacter concludere. Hæc Dialectica in eius scriptis passim occur
„ rit. Epicurus meritò explosus est, cũ diceret, solem esse bipedalem, ne sensibus
„ abrogaret fidem. Primùm enim ille ratione reuincebat: deinde de proprijs, ut lo
quuntur, sensibilibus, non disputabat: adhæc longa illa distantia, impediebat iu
dicium sensuum: deniq; uera principia philosophiæ sursum, deorsum confun
debat. Nunc nostra conferto cum illis: Primùm ratione non uincimur: deinde
accidentia illa, quæ sentimus in Eucharistia, propria sunt, nõ cõmunia sensibilia:
adhæc ita non longè absumus, ut panem & uinũ ore ipso, & digito usurpemus:
postremò à principijs Theologię, hoc est, à sacris literis, ne latũ quidem unguem
discedimus. Eat nunc Inconstantius, & nostram causam cum Epicuri causa con
ferat. Verùm nisi me pudor cohiberet, facilè ostenderẽ, mancipia ista Papæ, non
tantùm sentire cum Epicuro, sed etiam prorsus Epicurum uiuere.

„ Sed iste, opinor, ne nihil nobis uideretur regessisse, Marcionẽ ait nostris ma
„ gis uestigijs, quàm suis institisse. Marcionem enim inquit acta Christi ad natu
„ ræ modum excutere uoluisse: ea autem, quæ diuina ui fiebant, ab illis, quæ ordi
„ ne naturę agebantur, non distinxisse. Quæsisse uerò illum, quomodò corpus na
„ turale, & solidum ambulare potuerit supra aquas, ianuis clausis intrare, et ex ocu
„ lis euanescere. Ita nos quoq; ait quærere de exhibitione corporis Christi in my
„ sterijs: uelle autẽ nos, quod ibi sit modo speciali, ad inferioris naturæ leges & iu
„ ra expendere. Sed Inconstãtius debuit nobis ex antiquo aliquo, & probato scri
ptore probare, illud, quod nobis exẽpli, credo, causa proposuit, fuisse argumen
tum Marcionis, eoq; illum pro firmamẽto suæ doctrinæ uti uoluisse. Quod cum
non fecerit, nec facere etiã potuerit, quid supereſt, nisi ut eũ cum suo commento
dimittamus? Id potius Marcion uidet prætexisse errori suo, indignũ fuisse, na
turam diuinam tale corpus, quale humanum est, uile, sordidum, abiectum assum
psisse. Itaq; Tertullianus, & alij, qui contra eum scripserunt, carnem non modò à
labe, turpitudine, & indignitate uendicant, sed etiam luculenter ostendũt, quan
ta illa præstantia, perfectione, & honore ornata, & insignita fuerit. Quare aut ar
gumenta Marcionis ab humilitate naturæ humanæ ducebantur, aut patrum con
tra eum responsa omninò fuerunt ἀπροσδιόνυσα. Deinde patres toti in hoc erãt,
Christum fleuisse, timuisse, esurijsse, nõ simulanter, & fictè, sed re ipsa, & uerè, ut
eum probarent ueram hominis naturam subijsse, & refutarent Marcionem, qui
hæc omnia in Christo simulata, & ficta esse garriebat. Quare non possunt uideri
discedere à uestigijs patrum, qui Transubstantiationem uestrã aiunt nõ obscurè
suffra-

Fundamentum Hæreseos Marcionitarum. Tertullianus.

ſuffragari Marcioni. Vos enim id negatis eſſe panem & uinum, quod ſenſuum iudicia ſine ulla dubitatione panem & uinum eſſe renuntiant.

Sed apertiſsima iniuria nos perſtringit Inconſtantius, quaſi Chriſti miracula reſpuamus, quæq; ille ui tantùm diuina fecerit, ea naturali ratione facta fuiſſe contendamus. Quis enim noſtrum Chriſtum aut à mortuis reſurrexiſſe, aut in cœlum aſcendiſſe non credit? Si legas ſcripta, & conciones noſtrarum Eccleſiarum, inuenies nos fateri, Chriſtum natum ex Virgine, cæcis lumina reſtituiſſe, mortuos etiam ad uitam reuocaſſe: nihil deniq; negare, quod eum feciſſe, prodi-tum ſit diuinis literis. Imò etiam ad Trāſubſtantiationem ueſtram recipiendam paratos nos eſſe denuntiamus, ſi ea ex uerbo dei poſsit nobis demonſtrari. Sed, addit præterea, nos Marcioni non tantum feneſtras, ſed etiam ualuas, & portas aperire, cum uerba Chriſti de ueritate corporis ad figuram tantùm traducimus, & in uerbis inaniter ludimus, & corpus Chriſti non corpus, ſed tantùm figuram eſſe dicimus. Itaq; uerendum eſſe ait, ne religio noſtra figuris, & ſignificationibus tota euaneſcat, & ſolidi nihil habeat, ſed mera tantùm phantaſmata. Oratio iſta tam magnifica Inconſtantij ſpeciem ſaltem ueri aliquam habere poſſet, ſi nos uerum Chriſti corpus umbram tantùm, aut figuram, aut phantaſma eſſe crederemus. Sed cum nos illud & uerè humanum eſſe, & ſolidum, & quantū, & membris diſtinctum, & certo aliquo loco comprehenſum prædicemus, iſta tam importuna calumnia non poteſt ullo pacto nos attingere. Nam quod panem docemus ueri corporis domini figuram eſſe, id ſacrarum ſcripturarum authoritatem ſequuti facimus: ne aut corporis eius ueritatem confundamus, aut illud uel per omnia, uel per innumera loca diffundamus. Nō ergo abolemus corpus Chriſti, cum uniuerſam eius molem ſub accidentibus panis concludi denegamus. Veſtra potius ea culpa eſt: qui phantaſmatis, & ſomnijs ueſtris omnia impletis, carnem domini prorſus omni ſua ueritate priuatis. Qui panem ait eſſe ſacramentū ueri corporis Chriſti, ille certè uerum Chriſti corpus cōfitetur. Nam ſi illud nuſquam, aut nullum eſſet, panis eius ſacramentum eſſe non poſſet. Ad hunc modum Patres à myſterijs noſtris contra Martionem argumenta ducunt. An ergo, qui carnem & ſanguinem Chriſti in ſuis naturis integra, ſyncera, & uera eſſe confitentur, quiq; monimenta mortis domini, & dona ſpiritus ſancti iuſtiſsimis, ueriſsimiſq; laudibus in cœlum tollunt, dicentur uniuerſam Chriſti religionem umbratilem, phantaſticam efficere? Vos potius, uos, mihi credite, linguis peregrinis, mutis ritibus, ijſq; abſurdis & non intellectis, ceremonijs & inuentis Phariſaicis, ſuperſtitione & hypocriſi omnem ſyncerítatem religionis noſtræ in obſcuriſsimas, & plus quàm Cymmerias tenebras, qualesq; antrum Platonis nullas unquam habuit, conieciſtis. Argumentum autem noſtrum eſt huiuſmodi: Qui naturas rerum exiſtentes non eſſe, ſed apparere dicunt, proximè accedunt ad dogma Marcionis. Tranſubſtantiatores naturas rerum exiſtentes, panem nimirùm, & uinum non eſſe, ſed apparere tantùm, & uideri dicunt: ergo, Tranſubſtantiatores proximè accedunt ad dogma Marcionis. Maior ex eo liquet, quòd Marcion corpus Chriſti non uerum & humanum corpus fuiſſe docuit, ſed tantùm phantaſticum, & ſimulatum. Minor neceſſariò ſequitur ex doctrina Papiſtarum.

Non negamus Chriſti miracula.

OBIECTVM CXXII.

DANT etiam Papiſtæ nonnullam occaſionem, ut reuocetur hæreſis illorum, qui dicebant, Chriſtum non fuiſſe crucifi-

xum, sed eius loco Simonem Cyrenæum: etsi oculis populi astantis Christus uisus fuerit crucifigi.

GARDINERVS.

NON *tam hæresis illa, quàm mera dementia fuit, quæ hunc etiam uexat, qui excellentissimi Eucharistiæ mysterij ueritatem ideò non plenè confitendam censet, ne omnia non tribuantur iudicio oculorum.*

MARTYR.

AIt nos nolle fateri ueritatem Eucharistiæ, ne non omnia tribuantur iudicio oculorum. Atqui ego respondeo, quemadmodum non omnia tribuenda sunt oculis: ita ea, quæ illorũ sunt propria, non esse illis temerè auferenda. Tum quidem fas est illis aliquid detrahere, cum id faciendum esse admonent sacræ literæ. At cum illi ualidi sani & sint, nec ulla re impediantur, propria & ut ita dicam, illis obiecta subijciantur, spatium autem medium, quod interponitur, nec nimis remotum sit, nec à propria constitutione alienatum, qui eis quippiã, quod eorum sit muneris, sine ullo uerbo dei uelit imminuere, ille se satis prodit ratione, & iudicio esse imminutum. At Christus, inquis, non agnoscebatur in uia ab Apostolis, cum iret Emaunta, sed illis peregrinus uidebatur. An ergo, inquis, expungemus hanc ueritatem ex Euangelijs, ne dementes pergant credere, Simonem Cyrenæum pro Christo fuisse crucixum? Valere fortasse utcũq; posset hæc Instantia, si Christus in uia Apostolis suis uisus fuisset panis, & in eiusmodi specie cum illis fuisset collocutus. Sed cum homo, sicuti erat, uisus fuerit, & tãtùm præ se tulerit speciem peregrini, quæ potuit ibi esse deceptio sensuum? Huc adde, oculos illorum ui quadam diuina fuisse impeditos, ne illum agnoscerent. Nam id scriptura ipsa testatur. Ex illa eadem scriptura ostẽdat nobis Instantius, omnium Communicantium oculos diuinitùs impediri, ne uideant, nõ esse panem, qui panis esse uideatur: & uicerit. Ostendant hoc saltem, Christum sub accidentibus panis esse inuolutum: ut scripturæ docent, Christum occurrisse illis discipulis sub specie peregrini: & assentiemur. Quodq; Christus homo fuerit, Apostoli uerè iudicarunt, tametsi peregrinum esse crediderunt, qui eorum erat & præceptor, & seruator. Dent isti similiter panem esse, quem oculis cernimus, & cuiusmodi sit panis, utrum domesticus, an pistorius, an cibarius, an similagineus, patiemur nos ambigere, aut si oporteat decipi.

Quantũ sit oculis & sensibus alijs tribuendum.

De Christo cũ uideretur peregrinus.

Si expungendum non est factum Christi, quærit, cur oporteat istam ueritatem dissimulare, Christum in mysterijs uerè dedisse corpus suum. Equidem in quos ista dicat, non uideo. Nos enim fatemur, uerum Christi corpus dari, sed mẽti, & per fidem: non autem ori corporis sub panis, ut isti somniant, accidentibus. Fatuum est etiam, quod percunctatur, si adesse corpus Christi oculis nescientibus confitemur, cur abesse substantiam panis insciis, aut reclamantibus oculis, profiteri dubitemus? Hoc, inquam, omne fatuum, & insipidum est. Corpus enim Christi, eo modo, quo isti uolunt, nec conscijs, nec inscijs oculis adesse credimus. Et tamen si adesset, non statim necesse esset substantiam panis abijsse. Nec Catholica doctrina mysterium istud ita explicat. Neutrum enim istorum in sacra scriptura traditur.

Ad hæc quærit, an par sit, ita uereri insanos, ut sanam doctrinam proferre, & profiteri non audeamus? Primùm, si sanam doctrinam habes, cur eam diuina scriptura non confirmas? Nam illa uerba, Hoc est corpus meum, quibus pessimè

pessimè intellectis tu aures nostras perpetuò personas, non significant extrudi substantiam panis, aut corpus Christi abstrusum esse sub accidentibus. Ad extremum autem ait, se planè insanire, qui ista tam multis tractet. Incostantius etsi aliâs uel errare, uel splendidè mentiri soleat, tamen hic tandem imprudens incidit in ueritatem. Prorsus enim fatuum, & insanum oportet esse, qui tam absurda, tam ridicula, tam & cum scripturis, & cum ratione pugnantia uelit defendere.

OBIECTVM CXXIII.

CHRISTVS probauit à sensibus, se non esse phantasma, sed uerum habere corpus, cum diceret, Palpate, & uidete: & proprium se corpus recepisse ostendit ex fixuris clauorum. At si locus detur Transubstantiationi, ut aliud sit, aliud appareat, Christi argumentum infirmum erit. Et dici posset, Christum esse præstigiatorem, & sensibus nostris illudere: quod impium est dicere. Ergo nulla est Transubstantiatio.

GARDINERVS.

CHRISTVS *suorum infirmitatem crasso sensuum testimonio subleuans, non hoc agebat, opinor, ut de sensibus axioma confirmaret nobis.*

MARTYR.

SI Christus, inquit Inconstantius, crasso sensuum testimonio uoluit infirmitatem suorum subleuare, non tamen ita uoluit semper sensibus haberi fidem, ut ne quis eos credat falli posse. Quemadmodum sensus nostri falli possint, iam diximus: id philosophi accuratè & diligenter tradiderunt. Non debemus autem eos decipi arbitrari, nisi facultas illorum impediatur: nisi fortè cum Academicis omnem prorsus scientiam è mundo sublatam uolumus. Quare de hallucinatione sensuum, quam iste semper obijcit, non debemus esse sollíciti. Sed iste crasso, inquit, sensuum testimonio Christus uoluit suorum infirmitatem subleuare. Atqui si Christus, qui summa est ueritas & constantia, falsi testimonio utebatur, sibi ipsi fidem abrogauit. Sed dic mihi, sodes: An credibile est, Christum rem ambiguam, & de qua passim dubitetur, qualis est Resurrectio mortuorum, inconstanti & incerto testimonio uoluisse confirmare? Certè quo res quæq; magis dubia & incerta est, eò certioribus, & firmioribus argumentis est persuadenda. Oculatis autem testibus magis, quàm auritis creditur. Si Apostoli infirmi erant, eorum morbus non quouis remedio curandus erat, sed opportuno, & commodo. Non tollitur autem dubitatio, nisi firma, & certa probatione. Ea enim si fallax & dubia est, hærentem & dubitantem non confirmat. Quare cum Christus sit eximius, & perfectus medicus, non esi credibile, eum discipulis suis infirmis, & languentibus parùm idoneam fecisse medicinam. Memini, & scio, Chrysostomum hom. 83. in Matthæum monere suos, ne in hoc negotio fidant sensibus. Sed uidendum est, quò ille spectarit. Rapere autem ille uoluit suos ab omni sensuum contagione ad spiritualia, ad uim & rem ipsam Sacramenti, ad corpus, uidelicet, ipsum Christi affixum cruci, de-

Christus resurrectionem suã uoluit confirmare testimonio quàm certissimo.

Chrysostomus.

níque ad omnes fructus, qui ex illo capiuntur. Non tamen illa ſua admonitione decernit, non oportere credi ſenſibus, cum teſtentur, nos in Euchariſtia edere & bibere panem & uinum. Deinde etiam, quod ſatis conſtat, uerba illa Chryſoſtomi non minus ad Baptiſmum pertinent, quàm ad Euchariſtiam. Nam in Baptiſmo quoque ſpiritualia chariſmata aciem oculorum, & omne ſenſuum iudicium fugiunt. Non tamen ſi ſenſus ibi deficiunt, idcircò ſtatim illis abrogan da eſt fides, ſi teſtentur, ibi proponi, & eſſe aquam.

„ Ait Inconſtantius, Chriſtum Reſurrectionis ſuæ ueritatem à ſenſibus non
„ probaſſe: ſed tantùm per miraculum ſenſibus infirmorum exhibuiſſe ſui corpo-
„ ris ueritatem, ut Reſurrectio omnifariam inclareſceret. Quódnam, obſecro, dicis miraculum? An tibi uidetur miraculum, ueram carnem, ſolidumq; hominis corpus uideri & tangi? Miraculum fuiſſe fateor in reſurgendo, quodq; oſtia clauſa uenienti ultrò ceſſerint, quodq; ille gloriam ſuam ita repreſſerit, ne infirmitas diſcipulorum eius a ſpectu obrueretur. Quod autem corpus humanum uiſum, & contactum fuerit, id non habeo pro miraculo. Sed quicquid eſt, de hac re pluribus non diſputo. Illud potius quæro, Vtrum Reſurrectio Chriſti illo uiſu & tactu potuerit inclareſcere, ſi nulla uis ueræ probationis fuerit à ſenſibus. Quòd ſi ſenſus fidem non faciunt, rem adhuc relinquunt dubiam. At ſi illi re uera fecerunt fidem, non uideo, cur dici non poſſint, probaſſe Chriſti Reſurrectionem.

Non fuit miraculũ quòd Chriſti corpus poſt reſurrectionem tangeretur.

„ Adhæc putat, dominum omnem ſenſibus probationis prærogatiuam ade-
„ miſſe, cum diceret, Quia uidiſti me Thoma, credidiſti: Beati, qui non uiderũt &
„ crediderunt: ut deinceps, non renuntiatione oculorum, ſed annuntiatione uerbi
„ conſtaret fides, cui certi & ſecuri auſcultemus. At Chriſtus non abiecit fidem Thomæ, quo ille hominem ſenſit, & deũ credidit: ſed eam fidem illi prę fert, quæ ſine ullo ſenſuum adminiculo cœleſtia dogmata complectitur. Non tamen idcirò illud genus probationis à ſenſu arguit falſitatis. Etſi enim ut credamus requirendum non eſt hoc argumentũ à ſenſibus, tamen contra illud, quaſi falſum, aut mendax ſit, nihil à Chriſto dicit. Imò ſi illi id renuntiant eſſe corpus, & carnẽ domini, quod uidetur, & tangitur, nõ præcipit uel Thomæ, uel cuiquam alij, ut ne credat ſenſibus. Hoc autem omninò requiritur ab omnibus, ut Chriſtũ uerè reſurrexiſſe à mortuis, credamus etiã ſine ullo teſtimonio ſenſuum: ita in ſacra cœna, ſi ſenſus renũtient, id eſſe panem & uinũ, quod comedimus & bibimus, non iuſſit unquam dominus, ut fidem illis abrogemus. Vult tamen, & iubet, ut corpus pro nobis traditũ in crucem, & ex eo innumera dona ſpiritualia partim iam data nobis eſſe, partim expectanda, certò, & firmiter credamus etiam citra adiumenta ſenſuum: quòd id nobis ſatis conſtare debeat ex uerbo dei. Sed ex eodem illo uerbo dei ſcimus, naturam panis in Euchariſtia remanere, quemadmodum ſenſus indicant. Quod ſi illi in uno, aut altero communicantium falli dicerẽtur, minus eſſet mirum. Vt autem in omnibus decipiantur, non poteſt fieri: niſi deus id abſoluta quadam potentia ſua præter naturæ ordinem uellet facere. Verùm id cum in ſacris literis nuſquam ſe facturum receperit, non eſt illis facilè habenda fides, qui id nobis ſua tantùm authoritate uolunt obtrudere. Neque enim ea cauſa Chriſtus uenit in mundum, ut ſenſus noſtros hebetaret: ſed potius, ut hominem totum inſtauraret. Proinde dubitare non debemus, omnibus dominicis probationibus fidem habendam eſſe: Chriſtus autem ſenſuum teſtimonium induxit probationis loco: Ergo, fides habenda eſt teſtimonio ſenſuum, niſi ſorte illorum facultas interpoſita re aliqua impediatur; idq; tantò magis, ſi ſenſuum iudicia conueniant cum ſacris literis.

O B.

OBIECTVM CXXIIII.

QVEMADMODVM in Sacramẽto Baptiſmi confertur ſpiritus ſanctus, ut omnes confitemur, nec tamen quiſquam dicet aquam eam tranſubſtantiari: ita in Euchariſtia etſi communicantibus detur corpus Chriſti, tamen non eſt neceſſe, ut panis tranſubſtantietur.

GARDINERVS.

TRANSVBSTANTIATIO *in Sacramento Euchariſtiæ ſecundum ueritatem myſterij docetur, propter uerba Chriſti, Hoc eſt corpus meum.*

MARTYR.

QVoniam in Baptiſmo non dicitur, Hic eſt ſanguis meus: aut, Hic eſt ſpíritus meus, ídcircò ait, aquam non tranſubſtantiari. At quoniã in Euchariſtia dicitur, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, & panis & uinum neceſſariò tranſubſtantiatur. Hoc diſcrímine Inconſtantius arbítratur, ſe argumentum noſtrum facilé poſſe refutare. Sed uidetur non meminiſſe, Paulum dicere, illos, qui tinguntur, induere Chriſtum, & illi per Baptiſmum inſeri, & carnem ex carnibus eius, & os ex oſsibus eius fieri. Mítto, Patres, qui ferè cum agítur de Euchariſtia, ſubíiciunt ſtatim de Baptiſmo, & eadem propemodum de eo quoq; affirmant. Ac ſanè ſi uolumus effecta expendere, longè maius eſt homínem in Chriſto regenerare, & membrum eius efficere, quàm illum ex corpore Chriſti, tanquam ex cíbo paſcere. Forma autem uerborum, quam ſophiſta cauíllatur utrinq; non eſſe parem, inter iſta duo ſacramenta non tam magnum diſcrímen conſtituit quàm iſte uult uideri. Nam ſi forma uerborum efficit Tranſubſtantiationem, oportet uírginem Maríam tranſubſtantiatam fuiſſe in matrem Iohannis: & Iohannem ipſum in Chriſtum. Nam dominus de illa diſertè dixit, Ecce mater tua: & de Iohanne, Ecce filíus tuus. Ea autem ego uerba non temerè huc transferre uolui. Quemadmodum enim Chriſtus cum eſſet moriturus, & migraturus ad patrem, nec ſe matri, ut ſolítus fuerat, præſentem, & obſequentem amplíus exhibíturus, Iohannem apud illam ſuo loco eſſe uoluit, qui eam aleret, & ſuſtentaret: ita cum, peracto redemptionís noſtrę munere, corpus ſuum eſſet ablaturus in cœlum, eius loco relinquere nobís uoluit ſacramentum corporís & ſanguínis ſui, quò per fidem íllorum ſymbolorum admonitione inſtitutã, & excítatam, æternæ uítæ alimenta ex illís, quę ibi ſignificantur, hauríremus. Mítto, dominum dixíſſe de Iohãne Baptiſta, Ipſe eſt Elías: &, Agnum paſchalem dictũ fuiſſe Paſach. Iſtæ formulæ loquendi nunquam cuiquam uíſæ ſunt adferre neceſſitatem tranſubſtantiatiónis. Conficitur ergo, ad ſubſtantias rerum è ſua natura deturbandas requiri certum dei mandatum, non quamuis nudam uerborũ pronuntiationem.

Addit Inconſtantius, uídendum eſſe, ut ſuis quíbuſdam modís, & terminis conſtet quodq; ſacramentum, neq; ea ínter ſe noſtra ratiocinatione adæquemus: ita fore, ut particulæ íllæ ſimilítudinis, Vt, &, Quemadmodum, nullum locum habeant. Sacramenta ſuis quæq; límitíbus diſtingui, nos non diffítemur. Sunt enim uaria ſigilla, quíbus dei promíſsiones obſignantur. Id uidelicet ſibí uolunt aqua in Baptiſmo, & panis & uinum in Euchariſtía. Ibi enim Regeneratio, hic autem Paſtus cœleſtis obſignatur. At ſi rem ipſam ſacramenti ſpectemus, eam diuinæ literæ teſtantur utrinq; eandẽ eſſe, Illæ enim aíunt, nos in Baptiſmo Chri

Sacramẽta ſuis limitibus diſtinguuntur.

ſtum induere, in Euchariſtia autem nos in Chriſto manere, & illum uicíſsim in nobis. Et idcircò Paulus 12. ad Corinth. utraq; coniunxit. Ait enim, nos uno ſpiritu baptizatos eſſe, & uno ſpiritu potatos. Duo illis uerbis Apoſtolus notauit ſacramenta: quibus pro re ſeu effectu aſſignauit participationem ſpiritus Chriſti. Nos ergo ſacramentorum diſcrimina non tollimus, neq; illorum effecta ſine teſtimonio ſcripturarum copulamus. Quare cum ea ita diſtincta ſint, ut coniungantur in effectu, nõ abſurdè ab eorum mutua inter ſe ſimilitudine argumentum ducimus. De ſimilibus ſimile iudicium ferri debet: Baptiſmus, & Euchariſtia ſunt ſimilia: Ergo, de illis ſimile iudicium ferri debet. Quare ſi elementum uiſibile in altero illorum tranſubſtantiatur, idem neceſſe eſt fieri etiam in altero. At nulla eſt Tranſubſtantiatio aquæ in Baptiſmo: Ergo, nulla eſt Tranſubſtantiatio panis in Euchariſtia.

OBIECTVM CXXV.

SI ulla ſit per Conſecrationem conuerſio panis in corpus Chriſti, ea eſt uel ante prolationem illorum uerborum, uel poſt, uel ſimul. Si poſt, tum illa propoſitio pro tempore prolationis eſſet falſa: quia quod tum oſtenditur, non eſt corpus Chriſti: Si ante, tum conuerſio non fit ui uerborum: ea enim conſequuntur. Dicant ergo iſti, ſi poſſunt, cuius alterius rei ui conuerſio illa fiat. At ſi ſimul exiſtat cum prolatione uerborum, conuerſio ea erit ſucceſsiua, non autem in inſtanti, quemadmodum prædicant.

GARDINERVS.

GREGORIVS *Nazianzenus, cum ad tam ineptа reſpondere cogeretur, uerbo notauit* ἐρωτημάτων παίγνια: *quum huiuſmodi Quæſtioniſtæ nihil aliud, quàm ludant quæſtionibus.*

MARTYR.

MIratur Inconſtantius ἐρωτήματα noſtra, tanquam inania quædam quæſtiuncularum παίγνια. Nos uerò idcircò ea proponere, & quærere uoluimus, quòd Tranſubſtantiatorum fatuitatem, & inſulſitatem miraremur. Et idcircò, quantò dicta & reſponſa fatuorum abſurdiora ſunt, quàm ludi pueriles, tãtò noſtra admiratio iuſtior eſt, quàm Inconſtantij. Iterũ autem Lectorem uolo meminiſſe, quod ſemel, atq; iterum ſuprà monuimus, nos nec Chriſti ſacramentis illudere, nec ueritati diuinarum literarum, ut iſte calumniatur, inſidias tendere. Nam, ſit gratia deo patri domini noſtri Ieſu Chriſti, in eius ueritatis defenſione mori poſſumus: quod ſatis iam orbi terrarum re ipſa teſtatum eſt: cum interim Inconſtantius tanquam chamæleon pro ſua conſtantia, dignitatis retinendæ cauſa in omnes formas ſeſe uerterit. Iſtorum autem putidiſſimis commentis, & fictionibus fateor nos interdum inſultare. Illi uerò cum ſe uident Labyrinthis mendaciorum ſuorum implicari, & ſe non poſſe expedire, clamant, ſibi fieri inſidias. Qua in re nobis ſpectaculum & mirandum, & flendum exhibent. Quãto enim magis, magisq; ſe conantur explicare, tantò ſe in huiuſmodi ineptias magis magisq; inuoluũt. Nobis ergo nunc, non de operibus dei, ſed de ſua fictione reſpondeant. Nam quod ipſi ſibi intriuerunt, par eſt, ut ipſi comedant.

Primùm,

Primùm, ait se consecrationem nec ante, nec potest uerborum prolationem fieri responsurum: uerùm ea uerba proferri à ministris, quando sacerdos inuisibilis ea, quæ proposita sunt, secreta, ut Emissenus ait, potestate consecrat, & conuertit. At si hæc responsio constabit, sublata iam est consecratio illa Quinqueuerbia. Cornuta autem dilemmata ita odit, ut ea propria Hæreticorum instrumenta esse contendat. Idq; docere uult duobus exemplis: altero Arrianorum, quo illi uexabant æternam filij generationem: alterũ eorum, qui, cum malè sentirent de Incarnatione domini, Verbũ factũ esse carnem negabant. Rectè. Sed ista dilemmata non ita abierunt. Diligenter enim dissoluta, & refutata sunt à patribus. Quod si quis non credat, præter alios legat Basilium. Certè patres propter ista dilemmata Hæreticorum nunquam iustum usum Dialecticæ damnarunt. Imò ipsi potius dilemmata similia uicissim in Hæreticos contorserũt. Nam Dialectica est præclarum donum dei: neque aliud ullum artificium est, quod ad refutandos errores magis ualeat. Eam autem Inconstantius idcircò tam acerbè insectatur, quod suis fictionibus infestam, & inimicam esse sentiat. Nihil autem erat, cur nos cum illis Hæreticis compararet. Nam ueritates, quas illi oppugnabant, nimirum æternitas, seu natura diuina filij dei, & eius Incarnatio, in diuinis literis tam apertè proponuntur, ut, quamuis sexcenta dilemmata ita firma, ut dilui non possent, obijcerentur, tamen ea omnia fidem nostram concutere, & commouere non debeant. Isti uicissim Transubstantiationem suã, pro qua tantopere pugnant, proferant nobis è diuinis literis: & nos dilemmata nostra dimittemus. Sed cum suis tantùm inuentis, & somnijs credi uolunt, æquitas ipsa postulat, ut ipsi dilemmata sibi obiecta dissoluant. Neq; enim si Hæretici ea forma argumentorum abusi fuerint, idcircò Fideles ab ea abstinere debent: maximè si uideant, errores ea ratione posse coargui.

Patres nõ dãnarunt iustum usum Dialecticæ

Huc addit testimonium Iustini in Expositione fidei: Ait autem simplicitate fidei uitari captionem, ut credas nihilominus, quod nequeas explicare. Illud nos sancti Martyris dictum candidè, & simpliciter amplectimur. Sed uideat Inconstantius, an Iustinus in sua illa Expositione fidei, hoc etiam adiungat, in conficienda Eucharistia panem abijci, aut carnem Christi sub panis accidentibus delitescere, aut illa accidentia sine subiecto conseruari. Quod si ista Iustinus nusquam dicat, desinat Inconstantius locum illum nobis obijcere. Nam alioqui nos quoq; multa credimus, & profitemur scripta in sacris literis, quæ nulla possimus oratione explicare. Et certè iste de nobis peruersè, & malitiosè iudicat. Quoniam enim nolumus omnibus eius fictionibus credere, statim clamat, nos omnia reijcere, quæ humanæ rationis captum superent. Sed calumniæ istæ meræ sunt, Inconstanti, non rationes. Nos enim non tantùm sacras scripturas summa cum ueneratione complectimur, sed etiam unà Nicenum, Apostolicũ, & Athanasij symbolum libenter recipimus. In quibus omnibus quoniam neq; Transubstantiatio uestra, neq; realis Christi præsentia continetur, sed ab illis potius apertè refellitur, idcircò nos quoque eam repudiamus.

Iustinus.

Addit, Distributionem temporis in nostro dilemmate, id potissimũ spectare, ut momenta ipsa operũ dei excutiantur. Atqui id uerum nõ est. Nos enim non operum dei, sed mendaciorũ uestrorũ momenta quærimus. Scimus enim, mendacibus nihil accidere posse molestius, quàm si cogantur ea omnia iusto ordine exponere, quæ mentiuntur. Cum autem dixisset, consecrationẽ à summo Sacerdote, nimirùm, à Christo arcana quadam potestate fieri, uidit à se quæri posse, Cur illa uerba appellentur Consecrationis, si res se ita habeat. Huic occupationi, statim ipse respondet, id idcircò fieri, quòd illis uerbis Christus nos certos reddat, se consecrasse, dum à ministro, uel ab ipsius ore profertur, Hoc est corpus

,, meum. Quod quoniam ante plenam uerborum prolationem fides nõ certò con
,, cipit, cum ea nitatur uerbo dei, sanam esse doctrinam, de ultimæ syllabæ pronun
,, tiatione expectanda: nõ quòd uis ultimæ syllabæ maior sit, quàm aliarum, sed ut
fidei nostræ sit solidum fundamentũ, quæ uerbis Christi superstruitur. Primùm
scire uelim, quo authore dicat, nos certos effici illis quinq; uerbis Christum con-
secrasse? Nam sacra scriptura hoc nusquam dicit. Superest ergo, ut id iste ex sua
tantũ imaginatione nobis prompserit. Neq; uerò ista ipsa uerba significant, sub-
stantiã panis discessisse. Tamen si ita esset, uos nihilominus grauiter peccatis, qui
ea uerba clam populo mussitetis. Nã si ea, uti dicitis, certos nos reddunt de con
secratione, & ea causa illorũ exigit recitatio, ut fides illis niti possit, ubi, obsecro,
erit fides populi, qui ea uerba non audiat, aut si audiat, quoniã peregrina lingua
recitantur, non intelligat? An fides sacrificuli debet omnibus esse satis? Non opi
nor: Iustus enim sua fide, non aliena uiuit. Adhæc miram esse oportet Christi
patientiam, qui ultimæ syllabæ pronuntiationem expectet: seq; tantisper sustenta-
tet, dum presbyter extremam illam syllabam expediat. Mirum uerò est, uos ad
ista tam arcana unquam potuisse peruenire. Sed quoniam in uobis ipsis hæc na-
ta sunt, optandum est, ut ea aliquando in uobis ipsis etiam emoriantur.

,, Subijcit, Fecisse Christum, quæ dicit, certò scimus: cum sermonem efferat,
,, non indicatorium, sed operatorium. Quis autem te docuit, sermonem istum do
mini esse operatorium? Sacræ, opinor, literæ. Minimè omnium. Nihil enim in il
lis tale proditur. Forma autem loquendi, cum non sit Imperatiui modi, nihil hu-
iusmodi exigit. Et multas Christus tales sententias pronuntiauit, quę non fuerint
operatoriæ. Quo ergo discrimine possunt huiusmodi sententiæ internosci? Non
Ambrosius. debetis nobis scientiam tam utilem inuidere. Sed ex Ambrosio, uidelicet, hęc ha
betis. Nos quidem Ambrosio, modò rectè intelligatur, non refragamur. Di-
cemus ergo, Christum, cum ea diceret, & gratias deo ageret, operatum esse, non
Transubstantiationem, sed Sacramentum. Hoc & nobis, & Ambrosio satis est.
Vos autem, qui portenta præterea inuehitis, authorem eorum prodatis oportet
ex diuinis literis: nam alioqui uobis nemo credet. Huc etiam addit aliorum
sententiam, qui Christum pũtauerunt benedicendo consecrasse: & quamuis il-
lorum prædicet pietatem, tamen ait eos admodum fuisse rudes: & alijs uerbis,
quod sentirẽt, eloquutos. His uerbis iste significat, illos orationem eam, Hoc est
corpus meum, appellasse benedictionem. Quicquid sit, id illi satis est, eos de my
sterio non mouisse quæstionem. Sed, ne nescias, Lector, quis notetur istis uer-
Innocentius 3. bis, scias eum esse Papam Romanum Innocentium 3.

Postremò agit interpretem Scholasticorum, eorumq; hanc ait esse senten-
,, tiam: Illa uerba, Hoc est corpus meum, esse signa sensibilia, à deo instituta, ceu
,, quoddam instrumentum ad Consecrationem, quo plenè prolato, uirtus dei ad-
,, hærens, & uerbis assistens in ultimo instanti efficiat consecrationem: quoniam
,, loquentis ministri intentio plenam etiam uerborum prolationem spectat, & ad
,, absolutam prolationem uerba præcedentia refert, nõ ut ueritas successione pro-
,, lationis accrescat, sed quasi uno momento prolatis, si fieri posset, omnibus, pro-
,, tinus à prolatione integra, ueritatem totius sententiæ pluribus uerbis enuntiatę,
,, deo operante, subesse intelligat & credat, atque etiam cum deo, tanquam mini-
,, ster, in instanti cooperetur: dum quod est dei instrumentum, semel efferre, &
,, pronuntiare conetur. Si uerba illa, Hoc est corpus meum à deo instituta sunt
signa sensibilia, cur uos ab illis sensum astantium prohibetis? Cur ea sentiri
non permittis? Hoc non est ritè, & religiosè colere institutum dei: sed potius il-
lud impudenter transgredi.

Adhęc uultis uirtutẽ dei assistere, atq; adhęrere illis uerbis, et illa cõsecrationẽ
perfici.

perfici. Interea tamen rationem nullam affertis, cur illa uirtus magis iſtis uerbis, quàm aliis, quę ibi recitantur, affigi debeat. Nam ex ſacris literis ne mica quidem pro uobis afferri poteſt. Nec tamen nego, uirtutem dei uerbis ipſius aſsiſtere: nam ea Paulus ait eſſe potentiam dei. Et Chriſtus ait, uerba ſua ſpiritum eſſe, & uitam. Cur autem maior in iſtis uerbis uis ſit ad conſecrandũ, quàm in aliis, quæ eodem tempore recitantur, non uideo. Et ſi illam rationem probamus, cur Conſecratio dicatur fieri in ultimo inſtãti prolationis, quòd intentio miniſtri ſpectet plenam prolationem, quid futurum eſt, ſi ille nihil tale cogitet? Certè ſi uagetur animo, & alias res agat, iuxta ueſtram ſententiam nulla erit conſecratio. Sed addit, miniſtrum illum ad abſolutam prolationẽ referre præcedentia. Sed illa ipſa miniſter ſtupidus, & aliud cogitans ſæpè omittit: eaq; quæ dicit, magis ex conſuetudine, quàm ex ullo ſenſu pietatis, aut rectæ rationis inſtituto dicit. Iſta forſitan uideri poſſunt argutè, & ſubtiliter dici ab Inconſtantio. Sed ſi ea preſsius conſideres, uidebis ea ſua ſponte diſsilire, nec poſſe inter ſe cohærere. Suprà omninò uoluit, hæc uerba eſſe operatoria: nunc uis omnis conſecrationis tribuitur uirtuti dei: uerba autem iſta uiſibilia, tantùm ſunt ſigna Cõſecrationis. At ſi ſunt operatoria, uim habent tranſubſtantiandi: Et ſi tranſubſtantiationis ſunt ſigna, eam certè non efficiunt. Vtq; aliquando finiam, audimus quidem iſta te dicere, Inconſtanti: ſed quoniam ea nec uerbo dei ullo, nec ratione firmare potuiſti, mirari non debes, ſi tibi non habemus fidem.

Vim diuinam uerbis dei aſsiſtere, non eſt negandum.

OBIECTVM CXXVI.

DICVNT conuerſionem panis in corpus Chriſti fieri in ultimo inſtanti prolationis horum uerborum, Hoc eſt corpus meum. Ergo hæc ſyllaba, Vm, quæ in recitatione eſt ultima, totam uim habet, & uirtutem mutãdi, & deificandi panem. O præſtigias, & mera incantamenta.

GARDINERVS.

HOC *argumentum dilueretur contraria exclamatione, O uanitatem, & mera mendacia.*

MARTYR.

POteſt quidem hoc argumentum rideri ab Inconſtantio. Sed nihil fingi poteſt, tam ioculare, aut ludicrum, quod iſtorum ineptijs non longè ſuperetur. Quanquam huius rationis authores nihil aliud quærere uoluerunt, quàm ut ſuperſtitioſam Papiſtarum uanitatem, & meras ineptias perſtringerent. Illi enim ui illorum quinq; uerborum uolunt Tranſubſtantiationem ſuam confici: & ita confici, ut niſi ultima ſyllaba pronuntietur, Conſecratio nulla ſit: & ita ſequi neceſſariò, ultimam illam ſyllabam uim omnem habere tranſubſtantiandi. Simile autem illud, quod afferunt de uerbis Baptiſmi, Papiſtas fortaſſe urgere poteſt: nos autem non attingit. Non enim dicimus, ui uerborum ſacramenta fieri. Requiruntur illa quidem: ſed ſacramenti res non habetur, ut ait Auguſtinus, quatenus uerba illa dicuntur, ſed quatenus creduntur. Et idcircò cum in Baptiſmo dicitur, Baptizo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ultima ſyllaba non habet uim id efficiendi quod Baptiſmo ſignificatur. Videant autem aduerſarij noſtri, ne tantundem contra eos de Baptiſmo quoq; dici poſsit, quantum de Eu-

Quomodo uerba dei ſacramentum efficiant.

charistia. Neq; nos hoc argumento domini sacramentum impetimus, ut iste queritur, sed Papistarum fictionem.

„ Ad hæc nos mendaces esse clamat, qui Papistis adscribamus deificationem „ panis: ait enim, neminem ex suis dicere, panem deificari. Deinde etiam arguit „ nos inconstantiæ, quòd interdum queramur auferri panem, interdum fieri deũ. Quibus uerbis hoc uidetur significare, panem non posse simul & deificari, & auferri. Hæc inter se pugnare, satis per nos ipsos intelligimus. Cæterùm, quoniam hæc pugna ex ipsorum uerbis, non ex nostris oritur, meminerint sui officij esse, ut illam uel concilient, uel tollant. Nam cum dicunt panem transubstantiari, naturam, & substantiam panis auferri dicunt: idq; ipsi non tantùm dicũt, sed etiam incredibilibus imposturis, & mendacijs contendunt. Ex altera autem parte clamant, panem non annihilari, sed effici corpus Christi: & idem illud corpus Christi aiunt fieri ex pane. Quod si est uerum, sequitur necessariò, panem illum deificari. Non ergo nos hæc illis adscribimus: sed ipsi utrunq; arripiunt, & asserunt: nos autem utrunq;, ut falsum, & commentitum oppugnamus. Huc etiam accedit, quod ad deificationem panis plurimum facit, quòd uos illum adoratis: &, quasi id non sit satis, alijs insuper adorandum proponitis. Atqui id uni tribuendum est deo. Cum ergo uos panem adoretis ut deum, quomodò dicitis, uos eum non deificare? Sed fingitis abesse panem, & eius loco supponi corpus Christi: id autem, quod manu sustinetis, & populo ostenditis, iubetis adorari. Quod cum sit panis, rectè dicimus, panem à uobis deificari.

„ Dolet item Inconstantio, uerba illa, Hoc est corpus meum, quæ tantam ha„ beant in se inhærentem uim transubstantiandi, à nobis appellari incantatoria. Verum dum ipsi instar Incantatorum uerba illa mussitant, occasionem offerunt, ut quiuis suspicari possit, uerba ea ab illis conferri ad incantationem. Christus enim neq; ita uerba sua mussitauit, neq; ita uos facere docuit. Vt autem putaremus, uos existimare, orationi illi quinqueuerbię uim quandam adiunctam esse transubstantiandi, uos ipsi eratis in causa. Semper enim clamatis, sermonem illum domini esse operatorium. Nam, si ita est, aut sermo ille uim habet operandi, aut uos quid operatorium sit, non intelligitis.

„ Similitudo uerò illa à conceptionibus animi, quæ postremo loco adducitur, „ eas minimo momento comprehendi, cum tamen uideantur ex prolatione uer„ borum longo tractu extrahi, & tum demùm dici à nobis egredi, cum ultima syl„ laba effertur, ad quem modum Inconstantius ait, Consecrationem Christi, absolu„ tam demum pronuntiatione sacerdotis, posse dici absolutam: ea, inquam, simili„ tudo duo habet incommoda. Primum, quia non congruit cum eo, quod agitur. Nam uerba notionum, quæ longo tractu producuntur, tantùm significant id, quod in animis occultatur. Vos autẽ ista uerba, Hoc est corpus meum, omninò uultis esse operatoria, & transubstantiationem efficere. Quare etsi ante extremã prolationis ministet anticipet fortasse animo uerborum significationem, tamen, si ea uerba sint operatoria, ut uos uultis, adhuc restat probãdum, illam operationem illorum carere successione.

„ Alterum incommodum est ex eo, quod Inconstantius dicit, non posse de„ prehendi, utrum Christus re uera transubstantiationem efficiat posti ultimam syl„ labam prolatam. Potest enim, inquit, dici absoluta prolatione, id, quod intenderat, effecisse. Non quærebatur, quid possit dici, sed quid re uera sit statuendum. In calce uidetur, nescio quid, dicere uoluisse de illis, qui habeant authoritatem edendi doctrinas. Id omninò ad Pharisæorum, & scribarum supercilium pertinet: quasi Papę tantùm, & Episcopi, & magni Doctores cognoscendi nobis sint: alij autem, quicunq; sint inferioris notæ, sint relinquendi. Hoc est gradibus, & cathe-

cathedris alligare spiritum dei: quæ semper fuit grauissima pestis Ecclesiæ. Sed antequam finio, hoc unum pius Lector obliuisci non debet, nunquam Medeam ita fratrem suum miserè membratim concidisse, atq; iste nostrorum hominum argumenta lacerauit. Nam quod hic seorsim recitat pro singulari argumento, appendix erat eius, quod præcesserat. Sed iste ita se iam diu assueuit, ut nihil syncerè & uerè nihil possit facere.

OBIECTVM CXXVII.

TRANSVBSTANTIATIO uenit Roma: ea est synagoga Satanæ. Ergo abijcienda est, ut error abominabilis: non amplectenda, ut ueritas. Scholastici enim aiunt, id tenendum esse in Sacramentis, quod tenet Ecclesia Romana, etiamsi uerba Christi facilius, uerius, & conuenientius scripturæ exponi possint.

GARDINERVS.

SCOTVS è *Scholasticis primus agnoscit, scripturas non esse priuatæ interpretationis.*

MARTYR.

SCotum facit primum è Scholasticis. Id, si spectes tempus, non consistit. Per-multi enim ante eum tractarunt Scholastica. At si respicias doctrinæ præstantiam, etsi ea fuerit satis celebris, tamen alijs omnibus anteponendam esse, non omnes, qui in eo studij genere uersati sunt, facilè dabunt. Quare Inconstantius, aut falsò, aut, ut solet, parùm circumspectè de hac re pronuntiat. Quod si dixerit, se non facere illum ordine aut dignitate primum inter Scholasticos, sed primum qui sententiam illam pronuntiarit, Scripturam non esse priuatæ interpretationis, ipse uiderit, quantam iniuriam alijs faciat, qui ante Scotum inter Scholasticos annumerati sint. Quodq; in primis eo nomine laudat Scotum, quòd uiderit, scripturam non esse priuatæ interpretationis, attendẽdum est, quàm recte aut quo sensu faciat. Verba illa sunt ex secunda epistola Petri, quo in loco agitur de prophetia. Eius autem loci sensum Inconstantius pro suo more peruertit. Nam ex illis uerbis id colligit, quod Petrus nũquam sensit, non esse priuatorum hominum, interpretari scripturas. Id enim ad Ecclesiam, hoc est, ad Papas, Concilia, Episcopos & Doctores bene graduatos pertinere. At Apostoli uerba hæc sunt, Si illud prius noueritis, quòd omnis prophetica scriptura non est ἰδίας ἐπιλύσεως: ea uerba alterum horum duorum significant: Aut scripturas non esse priuatæ interpretationis: quam lectionem si sequimur, uidendum est, quæ nam illa sit priuata interpretatio. Eam autem nos priuatam dicimus, quæ à carne, & à nostris præiudicijs proficiscitur, quamq; ipsi, dum nobis arrogamus acumen intelligentiæ, ingerimus, non autem è sacris scripturis elicimus. Atque ad hoc genus priuatæ interpretationis pertinet Transubstantiatio. Ea enim nec elicitur ex uerbis domini, nec cum alijs locis scripturarum conuenit: sed tantùm ultimis istis temporibus à Papis quibusdam, & Sophistis, & Scholasticis nugatoribus intrusa est in Ecclesiam. Certo autem certius est, nunquam id Petro ueniisse in mentem, ut hominis priuati interpretationem repudiaret. Illis uocibus, ἰδίας ἐπιλύσεως, nihil aliud excludere uoluit, quàm humanam rationem,

An Scotus inter Scholasticos habeat primum locum.

Locus Petri.

Quæ sit priuata interpretatio.

& noſtræ carnis, atq; ingenij confidentiam. Nam alioquí ſi id ſenſiſſet, quod Papiſtæ colligũt, qua fronte potuiſſent aut Petrus, aut eius collegæ Apoſtoli Scribis & Phariſæis ſe opponere? Apoſtoli enim priuati tantùm erant, & ſcripturas longè aliter, quàm Scribæ & Phariſæi, qui tum gerebant nomen, & authoritatem Eccleſiæ, exponebant. Quare illa Papiſtarũ ſententia Petrus ſe ſuosq; haud dubiè condemnaſſet.

Alia autem ratio eſt, ut id, quod Petrus ſcribit, ἰδίας ἐπιλύσεως, interpretemur, motus, inſtinctus, impetus proprij. Neque enim exiſtimare debemus, ea, quæ in diuinis literis patefacta ſunt, ex humano affectu, aut priuato hominis cuiuſquam conſilio orta eſſe. Certò enim ſcimus, ea omnia prodita eſſe à ſpiritu dei. Et ex eo Petrus id conficit, quod inſtituerat ſuadere, uidelicet, ſumma attentione & reuerentia uacandum eſſe ſacris literis, quòd illæ ſint, non inuenta hominum, ſed afflatus ſpiritus ſancti: illo enim impellente, atque inſtigante hominum corda, ſcripturas ait fuiſſe proditas. Et idcirco ſubiecit: Non enim uoluntate humana allata eſt olim prophetia: ſed à ſpiritu ſancto impulſi loquuti ſunt ſancti dei homines. Huic autem expoſitioni non minus uox Græca ἐπιλύσεως, quàm contextus ipſe ſuffragatur. Quod ſi eſt uerum, fruſtrà ſudat Inconſtantius, ut interpretationem ſcripturarum ad Eccleſiam, hoc eſt, ad Papas quoſdam, & Epiſcopos reuocet: priuatis autem hominibus, & fidelibus facultatem illas intelligendi eripiat. Et quamuis hoc loco, cum dicat Eccleſiam, non aliam intelligat, quàm Romanam, eam tamen apertè nominare non eſt ausus. Anglus enim cum eſſet, & in Anglia ſcriberet, Anglorum animos, quos tum ſciebat abhorrere à Papa, offendere noluit. Nam unà cum alijs omnibus illam Eccleſiam abiurauerat, & publicè de ea re librum etiam ſcripſerat. Quamuis enim Papam in oculis ferret, & in corde gereret, tamen illi ad tempus hoſtem ſe uoluit profiteri, ne epiſcopatus ſui, & tantarum opum iacturam faceret. Nunc tamen loco Romanæ ſynagogæ ſuppoſuit Patres: quos ait Scotum priuatæ ſuæ interpretationi antepoſuiſſe. Atqui illi Tranſubſtantiationem nunquam aſſeruerunt, nec docuerunt, panem, neſcio quò, fugere, aut accidentia ſine ſubiecto retineri.

Quare diuinis literis uacandũ quàm maxime.

» Cumq; Scotus dicat, ſcripturas in apparentia potuiſſe facilius, ac uerius intelligi ſine Tranſubſtantiatione, ait, ex eo oſtendi captiuam illius hominis mentem, quæ iudicio ſpiritus, magis, quàm hominum authoritati cederet: & ſuo exemplo alios prouocaret, ne facilitati, & apparentiæ ueri confidentes à uero deficiant. Hic ego te appello, Inconſtanti: ſi ſcripturæ abſque tranſubſtantiatione facilius, & uerius in apparentia poſſunt exponi, ubi ſunt illæ tuę plus quàm Thraſonicæ iactationes, quibus hactenus ſemper uſus es, uerba domini torqueri, & impudenter uiolari, ſi aliter, quàm per Tranſubſtantiationem exponantur? Illa enim ais, nec præ ſe ferre, nec pati poſſe alium ullum ſenſum. Apparentia autem illa, qua uoce Scotus uſus eſt, nihil aliud eſt, quàm ueriſimilitudo, aut probabilitas, aut euidentia. Quod idcircò moneo, ne quis putet cum Inconſtantio, Scotum non ſenſiſſe ſcripturas facilius & uerius exponi poſſe citra tranſubſtantiationem. Ne id quidem, ait, Inconſtantius ille ſenſit, ſed quaſi per conceſſionem etiam ſi ita eſſet, ſequendum tamen Eccleſiæ conſenſum. Et mox: Confeſſus ergo eſt Scotus, facilitatem & ueri apparentiam tranſubſtantiationi obſtare. Adhæc queritur nos omiſiſſe uerbũ, Apparentia, quod ita detrahit uerbo Verius cui annectitur, ut prorſus reddat pro uero ſignificare falſum. Quicquid enim apparentia uerum dicitur, innuitur re ipſa uerè falſum ac ſimulatum eſſe. Hic eſt ſenſus quẽ noſter Scoto adſcribit, de quo nolim contẽdere. Qui tamen hęc affirmare auſim, ſi hoc ſenſu ille ſcripſiſſet, id eum auribus dediſſe Romanę Eccleſiæ

siæ: nam illum cum alijs Canonistis, & Sententiarijs pro temporrũ ratione adulatum esse Papæ, negari non potest. Id autem cum faceret, non sanè iudicio spíritus, sed hominum, & quidem impurissimorum authoritati, uel potius libidíni concedebat.

Sed Inconstantius, quia uidebat, uerba Scoti non parùm obesse causæ suæ, qui semper odiosè obstrepat, uerba illa, Hoc est corpus meum, nullum alium sensum, quàm istum, quẽ sophistæ de Transubstantiatione excogitarũt, ferre posse, modum quendam excogitauit, quo illa à se posset amoliri. Nõ intelligit, inquit, Scotus scripturas re ipsa facilius, & uerius in apparentia absq; Transubstantiatione posse intelligi: sed id tantùm per Concessionem protulit: quasi diceret, etiamsi ita esset, tamen sequendum esse consensum Ecclesiæ. Hanc non rei ueritatem, sed astutissimam stropham esse, uerba ipsa Scoti indicant, Ait enim, ex uerbis ipsis scripturæ Transubstantiationem necessariò non inferri, sed tantùm ex decreto Ecclesiæ. Sed quid allego uerba Scoti? Ipso potius utar teste Inconstantio. Is enim, ut qui perpetuò strenuè secum pugnet, ita subijcit: Confessus est, ergo Scotus, facilitatem, & ueri apparentiam obstare Transubstantiationi. Certè qui tantùm dat aliquid per concessionem, quicq; dicit, Etiam si ita esset, non potest dici confiteri. At Scotus, ut ais, apertè dedit, & confessus est facilitatẽ & ueri apparentiam obstare transubstãtiationi. Quare cum tu illum in Theologia scholastica tanti facias, ut illi primam laudem uidearis tribuere, desine aliquando clamare, ut soles, uerba illa Christi ita esse perspicua: desine uocare nos contortores uerbi dei: desine iactare, quinqueuerbiam illam orationem sensum uestrum præ se ferre, & insuperabili necessitate conficere. Ille enim ipse, quem tu in cœlum propemodum extulisti, contra te dicit testimonium. Quòd autem in argumento uocabulum Apparentia sit omissum, nõ est quod multis purgem: ibi enim, ut uideo, non uerba Scoti, sed sensus adfertur.

OBIECTVM CXXVIII.

INNOCENTIVS 3. primus inuenit, & decreuit Transubstantiationem in Concilio Lateranensi: Ergo, ea doctrina est Papistica, non autem Catholica. Inaudita enim fuit omnibus Patribus, qui uixerunt ante istum Innocentium.

GARDINERVS.

VIabditas ueritates alijs, atq; alijs uerbis, sed sensu consono iam expressas, in unam uocis consonantiam redigit, quomodò rerum, quasi ab eo nunc primùm inuentarum, author dicitur?

MARTYR.

FIngis, Innocentium, non rei ipsius fuisse authorem, sed tantùm uocabulum Transubstantiationis addidisse: id autem nõ aliter eius authoritate fuisse decretum, quàm quòd ille Concilio præsideret. Itaq; id factum fuisse instinctu spiritus sancti, qui regit Concilia, & scientiam habet uocis. Quàm uanum sit, quod ais, Concilia semper regi à spiritu sancto, locus postularet, ut à me diceretur fusius. Sed quoniam prolixitati parcendum est, ea tractatione in præsentia supersedeo. Fictionem autem istam suam Inconstantius simili exemplo conatur ostendere. Patres, inquit, in Nicena Synodo non possunt dici inuentores Consubstantialitatis: etsi illam Catholicam ueritatem, quæ sanctorum consensu firma,

,, satis erat, uerbo uno, sed apto extulerint, & ὁμοούσιον filium patri appellandum ,, primùm decreuerint. In utraq; historia par & similis est error Inconstantiæ. Pu-

Historia Socratis. tat, ὁμοούσιον, nouum fuisse nomen, & Nicena Synodo primùm natum. At Socra-

De uocabulo Homousion. tes lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ita scribit: Quandoquidem, & ex ueteri-

Augustinus. bus doctos quosdam, & illustres Episcopos, ac Cõmentatores, de Patris, & Filij ,, diuinitate differentes, Homousij dictione usos esse cognouimus. Et Augusti-

,, nus contra Maximinum lib. 3. cap. 14. ita scribit: Hoc est illud Homousion, quod ,, in Niceno Concilio aduersus Hæreticos Arrianos à Catholicis Patribus ueritatis ,, authoritate, & authoritatis ueritate firmatum est. Non ait, uerbum illud tum nouatum fuisse, aut ab illis Patribus primùm inuentum, sed firmatũ. Nam usurpabatur quidem anteà, sed non recipiebatur ab omnibus. Confirmatum autem, & constitutum fuit primùm in Synodo Nicena. Quod idcircò commemoro, quòd in exemplo plurimum uideo esse discriminis. Verbũ illud, ὁμοούσιον, in usu fuit apud quosdam etiam ante Concilium Nicenum. Ostendat uicissim Incon stantius uocem illam, de qua contenditur, Trãsubstantiationem, fuisse in ullo usu apud Patres ante Innocentium 3. & Concilium Lãteranense: & fortasse exemplum aliquo modo quadrare poterit. In summa, Lector scire debet, nos hic non

De uoce Transubstãtiationis non disputamus, sed de re. tam de noua uoce Transubstantiationis, quàm de re ipsa disputare. Nec Innocentius ea causa conuocauit tot episcopos & monachos, ut tantùm de uoce statuerent (ridiculum enim fuisset in tam celebri conuentu rixari de uocabulo) sed potius, ut de re ipsa decernerent. Ea cum iam approbata esset multis potius, quàm ueris suffragijs, uoluerunt illi rei nomẽ, ut iste putat, aptum, ut autem ego iudico, ineptissimum, & absurdissimum imponere De re autem ipsa actum fuisse in

Innocentius. illo Concilio id testimonio esse potest, quòd Innocentius ipse 3. Librum conscripsit de Sacramento Eucharistiæ: in quo Transubstantiationem, nõ tantùm quòd ad uocem, sed etiam quòd ad rem ipsam attinet, explicat, quantum potest, & persuadet. At si de re ipsa, ut iste putat, iam anteà constitissset, nihil fuisset causæ, cur ille tantoperè laboraret. Cumq;, quod sæpè iam dixi, nullus ex omnibus Patribus scribat, accidentia in Eucharistia manere sine subiecto, omnes autem & nominent, & fateantur panem, satis apparet, ipsam rem illorũ temporibus fuisse inauditam, & incognitam. Et quamuis Consubstantialitas nota fuisset fidelibus, & sæpè ac multùm agitata antè Concilium Nicenum, quemadmodum in historijs de illo Concilio traditur, tamen cum res ipsa Patrum iudicijs, & suffragijs esset comprobata, confirmatum est postremò, ut Augustinus loquitur, uocabu-

Concilium Ephesinum. lum ipsum Homousij. Et in Synodo Ephesina prius disputatum est contra Nes-

Ἱστορικῶς. storium de unica hypostasi naturæ diuinæ, & humanæ in Christo, & constitutũ, naturas illas nullo modo posse diuidi: deinde consensum est de uocabulo, θεοτόκῳ, quod Virgini matri imponeretur. Quare non malè à nostris dicitur, Innocentium 3. in suo illo Conciliabulo primum statuisse, substantias panis & uini re ipsa mutari in corpus & sanguinem domini: & postea magna cum Ecclesiæ, & religionis pernicie nouum uocabulum, Transubstantiationis, adiecisse.

OBIECTVM CXXIX.

PATRES argumentabantur, Christum fuisse uerum homi nem, ex eo, quòd esurierit, dormierit, passus fuerit. Similiter licet nobis colligere de pane. Eadem est figura, idem sapor, idem color, quem conuenit esse panis. Est ergo re uera substantia panis. Alioqui hæretici dicere potuissent, famem, som-

somnum, passionem potuisse habere locũ in Christo, quanuis abesset illorum substantia, uidelicet, natura humana.

GARDINERVS.

ARGVMENTORVM *uaria est ratio. Quædam, uidelicet, ueritatem euincunt, & reluctantem aduersarium trahunt inuitum.*

MARTYR.

RESpondet, duplicem esse argumentorum formam. Alia enim prorsus euincere, & aduersarium reluctantem, atq; inuitum trahere: alia autem animos pronos, & sponte sequentes in cognitionem ueritatis, quasi manu ducere. Ego istam distinctionem argumentorum non reijcio. Sed cum Inconstantio hoc iure optimo expostulo, quòd nostra quoq; argumenta partiri noluerit eodem modo: neq; ita apud se cogitauerit, quædam ex illis firmissima esse, & ineluctabilia: quædam autem in hunc tantùm usum facta esse, ut errorem iam conuictum magis, magisq; retegerent, et uehementius urgerent, ac premerent, quò magis perspicuè à simplicioribus intelligeretur. Si ita distribui uis argumenta, cur tu omnia nostra uis omninò esse ἀποδεικτικὰ. Cogitare debebas, nos quoq; interdum aliqua argumenta adducere uoluisse, quæ non tam ad pugnam, quàm ad explicationem erroris uestri patefactionem facerent: quem nos errorem alioqui satis firmis & certis rationibus explosimus, & confutauimus. Hanc distinctionem Inconstantius ad propositum argumẽtum accommodat. Ergo, inquit, dormire, sitire, esurire, defatigari, & quicquid est à corporis affectione argumenti, hactenus ualuerunt, ut ueritatem humanitatis Christi receptã explicarent, nõ ut euincerent apud Hæreticos controuersiam, qui hæc simulari potuisse, contenderent. Vnde Marcionitæ cum frequenter hæc in scripturis legerent, non tamen sunt à sua insania reuocati. Patres non ita sensisse de hoc argumentorum genere, ut putarent, ea tantùm posse ueritatem receptam credentibus explicare, & tantùm spontaneos, & pronos trahere, uel id satis indicat, quòd illis utuntur nõ tantùm cum sanctos moneant, aut populum fidelem doceant, sed etiam cum contra Hæreticos ipsos disputent. Non ergo uolebant illis argumentis tãtùm sequentes ducere, sed etiam Hæreticos aduersantes cogere.

Nota distinctio nẽ argumentorum.

Quanti autem ponderis ea ratio sit, quam subijcit, nunc uidebimus. Marcionitæ enim, inquit, cum ista in scripturis legerent, non tamen potuerunt reuocari: quasi uerò pertinacia, qua homines addicũt se certis quibusdam opinionibus, non auferat iudicium. An enim Arriani uerissimis argumentis potuerunt reuocari? Non multi, opinor. Non tamen idcircò argumenta, quæ illis obijcieban tur, minus firma, & robusta erant. Et ne à causa discedamus, uos contenditis, firmissimum argumentum, quo probari possit Transubstantiatio, esse illa uerba, Hoc est corpus meum. Nos illa legimus quotidiè, & in Ecclesijs nostris recitamus, & audimus à uobis sæpissime nobis obiectari, non tamen ea causa à nostra sententia quam scimus esse ueritissimam, reuocamur. Noli ergo posthac iactare, illam rationem ita firmam, & inuictam esse.

Pertinacia iudicium aufert.

Postremò concludit, Vt sensus non possunt explicare ueritatem, seu controuersiam inuolutam: ita illos multò minus posse iam receptam, & constitutã improbare. Cum autem argumentũ nostrum non possit uerè, ac solidè diluere, ludit suo more, & nos ait sensibus contulisse tribunitiam potestatem, ut, scilicet, illorum iniussu nihil possit de aliqua ueritate constitui. Erras, Inconstanti, erras, si nos istis ludis, & ineptijs moueri existimas. Patrum testimonia sunt in medio,

quos quiuis facilè uidere potest hoc genere argumenti, tanquã ualidissimo, contra Hæreticos usos esse. Et dominus ipse discipulis, non sanè pronis aut sequentibus, sed hærentibus & dubitantibus ait, Palpate, & uidete: quoniã spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. De sensibus autem, quando firmum, & rursus, quando infirmum testimoniũ ferant, suprà satis multis diximus. Nunc formam rationis explicabimus. Si probetur ex proprietatibus, & accidentibus, Christum habuisse uerè humanam naturam, panis quoq; naturam manere in Eucharistia, porbari potest ex proprietatibus eius & accidentibus. Patres autem rectè confirmarũt ex proprietatibus & accidentibus, Christum habuisse naturam humanam: Ergo, eadem ratione rectè probari potest, naturam panis manere in Eucharistia.

OBIECTVM CXXX.

PATRES probant, esse in Christo duas perfectas naturas per simile ductũ ab Eucharistia. Ergo licebit nobis ita argumentari: ¶Sicut in Christo sunt duæ naturę nõ mutatæ, sed distinctæ sine alterutrius cõfusione: ita in Eucharistia sunt duę naturæ, panis, uidelicet, & corpus Christi, distinctæ, non autem unius in alteram permutatione confusæ.

GARDINERVS.

SI is, qui hæc proponit, illa ipsa persuasa habet, quomodò, obsecro, illos fert, qui Eucharistiam ex pane, & corporis Christi figura constare dicunt?

MARTYR.

QVoniam hoc argumento conficitur, duas esse naturas in Eucharistia, panem, uidelicet, & corpus Christi, id Inconstantius putat, maximè contra sententiam nostram facere, qui dicamus, Eucharistiam constare pane, & figura corporis Christi. Nemo enim dixerit, figuram esse perfectam naturam eius corporis, cuius est figura. Hæc ipsa satis docent, quàm ille procul absit à nostri dogmatis intelligentia. Nos quidem dicimus, Eucharistiam constare pane, & Christi corpore: non tamen pane, & figura corporis Christi. Ipse enim panis est figura corporis Christi. Hoc in primis oportuit Incõstantium attendere, quod ille, quantũ intelligo, aut nõ uidit, aut uidere noluit, Relatiua duab. rebus potissimũ cõstare, fundamẽto, ut Dialectici loquunt, et termino: ut interim relationẽ ipsam omittã. Tanta aũt est relatiuorũ inter se coniunctio, ut alterũ nec intelligi, nec definiri, nec esse possit absq; altero. Quare, cũ Sacramentum Eucharistiæ sit quidam relatiuum, necesse est, ut constet fundamento, nimirùm significãte, hoc est, pane: & termino, hoc est re significata, quæ, uidelicet, est corpus Christi. Quãuis autem hæc inter se ita sint coniũcta, ut alterutro illorũ sublato, natura Sacramenti non possit consistere, non tamen id necesse est, ut unà sint coniunctione locali, aut ullo contactu. Possunt enim ita coniungi, quamuis longissimis locorum spatijs distinguantur. Etsi enim necesse sit filium comprehendi in ratione patris, nec alter illorum uel intelligi, uel definiri possit sine altero, fit tamen sæpè, ut quòd ad locorum coniunctionẽ attinet, alter illorum sit in Italia, alter uersetur in Germania. Sed utemur exẽplo alio, magis etiã ad id quod agimus accõmodato. Omnes fatentur, Sacramenta esse uerba quædã uisibilia. Nos naturã illorũ ipsorum uerborũ, quæ nobis in usu sunt, cõsideremus. Omnes facilè uidẽt, sermones nostros duabus

Nõ dicimus Eucharistiam constare pane & figura corporis Christi.

Quomodo Eucharistia duabus rebus constet, symbolis et re significata.

bus rebus constare: sonis, uidelicet, hoc est, elementis, syllabis, dictionibus, quæ non aliud sunt q̃ signa, & rebus significatis, aut sensibus cõuenientibus. Nam si sensus, & significata subtrahantur, quicquid garrias, nec sermo erit, nec uerbum. Sermones ergo nostri constant & sono uocum, & significato. Quod tamẽ significatum non necessariò semper cum sermone loco cõiungitur. Sæpè enim uerè, & rectè loquimur de rebus, quod ad loci rationem attinet, à nobis remotissimis. Quare, cum de toto perfectoq; sacramento loquendum est, statuimus, illud constare pane & uino, & corpore ac sanguine domini: sed ita, ut Panis & Vinum significent: Corpus autem & Sanguis significentur. Hoc nos & dicimus, & profitemur. Iste autem putat nos dicere, Sacramentum constare ex pane, & figura corporis Christi, quod nos nunquam potuimus somniare. Panem enim, quem scimus esse figuram corporis domini, dicimus esse alteram partem sacramenti: quem tamen Panem, communem, & profanum esse prædicamus, antequam ad sacram Communionem ex instituto domini accommodetur. At postquam eò peruentum est, adhibito uerbo dei, & promissione, eum iam dicimus transferri ad sacramentalem dignitatem, quòd effectus sit altera pars sacramenti: ut iam nõ amplius pro creatura communi aut profana haberi debeat, sed pro electo instrumento spiritus sancti, ad fidem excitandam in animis communicantium. Dicitur autem iam sacramentum, non quòd totum sit, sed quòd sit altera pars sacramenti. Desiperemus haud dubiè mirum in modum, si ex pane, & figura tertium quiddam putaremus posse fieri. Cum sacramentalis figura sit relatio, idq; eius generis, ut constet tantùm beneplacito diuinæ uoluntatis, & nostra fide apprehendatur. Ita lapis in agro tam diu est limes, aut terminus, quoad uicini uoluerint. Et sanè panis & uinum ad sacram Cœnam adhibẽtur ex pacto inter Christum, & eius mẽbra: nec aliter dicuntur, aut sunt signa carnis & sanguinis eius. Non tamen eo inficias, sacramentum nonnunquam seorsim accipi pro ipso signo. Sed ea usurpatio non est integra: Signum enim rem significatam semper complectitur, nimirum quod ad ipsam referatur. Hunc tamen abusum orationis qui sequuntur, panem ipsum, & uinum appellant sacramenta. Atq; ad hunc modum Patres aliquando loquuti sunt: cum tamen ea re uera sacramenta dici non possint, nisi quatenus terminum, hoc est, res ipsas significatas respiciunt. Hæc me pluribus præfari oportuit, & ut uis, ac sensus propositæ rationis intelligeretur, & ut Lector uideret, quàm sint extra oleas, quæ Inconstantius hic commisci uoluit. Qui illud argumentum confecit, non sensit, sacramentum constare ex pane, & figura corporis Christi. Neq; existimauit, solam figuram corporis habendam esse pro præsenti corpore. Nullam enim agnoscit realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia: sed eam tantùm, quam dicere possumus præsentiam fidei: nimirùm, quòd piè communicantes corpus & sanguinem Christi uera fide percipiant. Itaq; ineptissima est illa collatio: Vt figura ponitur pro corpore, ita accidentia poni posse pro pane. Illud enim, quod nos dicimus, usitatum est, nec quicquam habet absurdi: uidelicet, ut figura seorsim statuatur ab eo cuius est figura. Accidentia autem hærere posse uspiam absq; substantia, neq; sancta scriptura, neq; quisquam ex omnibus Patribus unquam docuit. Nihil ergo est in hoc simile, quod uel speciem ullam habeat iustæ proportionis.

Sacramentum cuius generis relatio sit.

Præterea etiam errat, quòd putet nos extitisse primos authores, qui docuerimus, duas perfectas naturas in Eucharistia cõseruari oportere, quemadmodum retinentur distinctæ in Christi corpore. Patres hoc ante nos dixerunt: quos tu semper uociferaris tuos esse, & pro te facere. Nam Gelasius contra Eutychetem ita scribit: Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ: & tamen

Gelasius.

„ esse non desinit substantia, & natura panis & uini. Et certè imago, & similitudo
„ corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur. Satis ergo no-
„ bis euidenter ostenditur, hoc in ipso domino Christo sentiendum, quod in eius
„ imagine profitemur, celebramus, & sumimus: ut, sicut in hanc, scilicet, diuinam
„ transeunt spiritu sancto perficiente substantiam, permanent tamen in suæ pro-
„ prietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam,
„ ueritatemq; ueraciter repræsentat, ex ijs, quibus constat, propriè permanẽtibus,
„ unum Christum, quia integrum, uerumq; permanere demonstrat. Hic Gelasius
perfectas naturas intelligit, quæ non desinant esse, aut confusione pereant, sed id
habeant, quod ad illarum essentiam, & definitionem pertineat. Hoc ideò di-
„ co, ut Inconstantij nubes, & meros fumos disijciam. Is enim animam, & corpus
„ perfectas naturas esse negat, quòd una perficiat alteram: quodq; corpus habeat
„ suum pondus, & corruptionem. Sed hoc quid mea refert? Corpus, ut nunc lo-
quimur, dicitur perfecta natura, quod habeat ea, quæ ad eius definitionem perti-
neant. In Christo autem, etsi humana natura careat propria subsistentia, non ta-
men ea propterea quicquam imminuitur. Subsistentia enim, aut hypostasis neq;
ad definitionem hominis, neq; ad eius essentiam pertinet. Hoc autem solum in
præsentia contẽdimus, duas naturas integras ita relinquendas esse in Sacramen-
to, ut in homine sunt duæ naturæ distinctæ, corpus, & anima: in Christo autem
diuinitas, & humanitas: quanquam de anima & corpore, & hominis compositi-
one in argumento nostro nulla facta est mentio. Sed iste de industria multa mi-
scere, & turbare uoluit, ut oculos atq; animum Lectoris à ui argumenti, quo se
uidebat premi, auerteret. Hoc tamen unum intereà me non pigebit admone-
re: tam nos, quàm Papistas in ista similitudine retinere oportere quiddam uarie-
tatis in modo & forma cõiunctionis. Natura enim diuina, & humana aliter con
iunguntur in Christo, quàm signum, & res significata in Eucharistia. Nam in
Christo duæ illæ naturæ in una hypostasi uniuntur: in sacramento autem panis
& uinum, ut nos dicimus, per significationem, ut Papistæ mentiuntur, per con-
uersionem substantiæ panis & uini in corpus & sanguinem Christi. Quod pro-
pterea dico, ne, si Inconstantius contra hoc simile diuersitatem coniunctionis no
bis obijciat, putetur statim obtinuisse. Ipsius enim, & Papistarum opinio uel in
eadem, uel certè non multùm in dissimili diuersitate uersatur.

„ Sed iste constanter negat, Patres id agere istis similitudinibus, quæ uel ab
„ Eucharistia, uel ab hominis constitutione petuntur, ut eam perfectionem natu-
„ rarum, quæ est in Christo, ostendant, sed tantùm naturarum diuersæ conditionis
„ consistentiam. Hæc, uidelicet, est huius hominis uersutia, ut uocem, illam, Perfe
ctas, ex hac collatione expungi uelit: nimirùm, ut intelligamus, diuersas esse na-
turas in Eucharistia, quemadmodum sunt in Christo. Diuersas autem naturas
in Eucharistia uult esse corpus Christi, & accidentia panis, & pro pane satis esse
putat, si retineantur accidentia. Atq; ita in Christo, & Eucharistia aliquam uult
esse disparitatem: quòd in Christo sint duæ naturæ integræ: in Eucharistia autem
natura panis perfecta non sit: ex illo enim post consecrationem nihil superesse
præter accidentia. Hæc autem ab illo incredibili obscuritate obuoluuntur: quod
eo, opinor, consilio facit, ut Lector defatigatus iam in eius subtilitate consecta-
da, desinat de ui argumenti cogitare. Sed uideamus, acutissimè uir, an Patres
sic illa sua uerba intelligi uoluerint, quemadmodum tu interpretaris. Illi certè,
quemadmodum in Christo ponunt duas naturas, diuinam, et humanam: ita etiã
in Eucharistia duas perfectas naturas constituunt, panis, & corporis Christi: na-
turas, inquam perfectas in suo genere. Sed quoniam Inconstantius rixatur de
pane, non ego iam, sed illi audiantur. Gelasius ita scribit, ut recitaui: Et tamẽ esse
non

non desinit natura uel substantia panis & uini. Quid ergo ex Gelasij sententia deest pani & uino in Eucharistia, quod ad illorum integritatem faciat? De accidentibus dubitari non potest. De substantia, & natura tu moues controuersiam. At Gelasius decreuit, ne ista quidem in pane desinere. Quid aliud quærimus? Fortasse hoc non est satis. Audiamus ergo, quid idem pater subijciat. Permanēt, inquit, in suæ proprietate naturæ. Et statim simile illud accommodat ad Christum: Sic, inquiens, illud ipsum mysterium principale, cuiusmodi efficientiam, ueritatemq; ueraciter repræsentant, ex ijs, quibus constat, propriè permanentibus, unum Christum, quia integrum uerumq;, permanere demonstrant. Quid clarius dici potuit? Sic, inquit, se habere mysterium principale, nimirùm, Christi constitutionem ex duabus naturis integris, quas ait propriè permanere, quemadmodum se habet Sacramentum Eucharistiæ: in eo enim panem & uinum manere in suæ proprietate naturæ. At si rebus auferre substantiam, nō sit eas à proprietate suæ naturæ deturbare, atq; euertere, quid id aliud sit, uidere equidē non possum. Certè si Inconstantij sententiam sequi uolumus, uicit Eutyches. Nam ipse quoq; accidentia humanæ naturæ in Christo reliquit. Nam eius substātiam conuersam iam in naturam diuinam statuit esse desijsse: quemadmodum isti somniant de pane in Eucharistia, substantiam eius conuersam esse in corpus Christi, & sola superesse accidentia. Huic errori Eutychetis patres ut occurrerent, simile duxerunt ab Eucharistia. Atq; ita colligebant: Mysterium Christi necesse est suæ imagini respondere. Eius autem imaginem Gelasius uult esse Eucharistiam; in qua quemadmodum panis manet in sua natura & substantia, ita ait in Christo retineri naturam humanā. Qui dubitat, patres hoc pacto egisse contra Eutychem, aut eos non legit, aut cōmuni sensu destituitur. Inconstantius autē ea, quæ per se satis sunt perspicua, perturbat, & infuscat: et, quò nobis negotium faceſſat, Eutychetis partes adiuuat. Nam apud Theodoretum Eutychiani ad hunc mo dum argumentantur: Panis efficit corpus Christi: Ergo, humana natura Christi transiuit in diuinam. At Theodoretus negat assumptū. Nam panem ait nomen quidem accipere corporis Christi; interim tamen eius naturam, & substantiam non mutari. Sic enim loquit in primo dialogo, quē inscripsit Immutabilis: Atq; item seipsum nominauit idem ipse etiā ea, quæ uident symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit: non equidem naturā ipsam transmutās, sed naturæ adijciens gratiā. Rursus in 2. Dialogo, quē inscripsit Inconfusum, ita loquitur: Captus es ijs ipsis retibus, quæ tetenderas. Neq; enim post sanctificationem mystica illa symbola è natura sua egrediunt. Manent siquidē in sua propria substantia, & figura, & specie. Ideoq; & uidentur, & palpantur, quemadmodū & antea. Intelliguntur autem, quæ facta sunt, & creduntur, et adorantur, tanquā existentia, quæ creduntur. Confer itaq; cum archetypo imaginem, & uidebis similitudinem. Oportet enim figurā conuenire cū ueritate. Etenim illud ipsum corpus habet sanè priorem suam speciem, & figuram, & circumscriptionem, & ut simplicius dicam, etiam ipsam corporis substantiam. Immutabile autem factum est post Resurrectionem, & supra corruptionem, & dignum habitum est sede, quę est ad dextram dei, & ab omnibus creaturis adoratur, tanquam existens corpus domini ipsius naturæ. Hęc alia interpretatione nō egent. Satis enim sua sponte indicant, quemadmodum patres collationem faciāt inter Eucharistiam, & corpus domini. Et ex his apertissimè patet, Eutychetem, eiusq; assecias, ut suū errorem defenderent, sic intelligere uoluisse negotiū Eucharistiæ, ut hodiè à Papistis intelligitur. At illis Gelasius, & Theodoretus, quemadmodū iam audiuimus, obstiterunt, & Ecclesiæ sententiam de Eucharistia explicauerunt. *Theodoretus.*

Sed istis operæpretium erit adijcere etiam Chrysostomum. Is ad Cæsarium *Chrysostomus.*

„ monachũ, tempore ſecundi ſui exilij, ſcripſit contra Apollinarem, & alios, qui di
„ uinitatem, & humanitatem in Chriſto confundebãt. Et deus, inquit, & homo eſt
„ Chriſtus: Deus propter impaſſibilitatem, homo propter paſſionem: unus filius,
„ unus dominus: idem ipſe procul dubio unitarum naturarum unam dominatio-
„ nem, unam poteſtatem poſſidens, etiamſi non conſubſtantiales exiſtant: & una-
„ quæq; incommixta proprietatis conſeruat agnitionem, propter hoc, quòd incon
„ fuſa ſunt duo. Sicut enim antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, di-
„ uina autẽ illum ſanctificante gratia, mediante ſacerdote, liberatus eſt quidem ab
„ appellatione panis, dignus aũt habitus eſt dominici corporis appellatione, etiãſi
„ natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum filij corpus prædi-
„ catur &c. Hic Chryſoſtomus quoq; fatetur manere in Euchariſtia naturã panis. Quòd ſi iſta dices intelligi tantũ de accidentibus, id non patietur relatio ad Chriſtum de natura diuina & humana. Hæc enim Chryſoſtomus ſcripſit contra eos, qui ita tollebant naturam Chriſti humanam, ut hodiè tranſubſtantiatores in Euchariſtia tollunt ſubſtantiam panis.

Iſta quę citauimus tam plena ſunt, tãq; perſpicua, ut ſine ulla alia declaratione poſſint eſſe ſatis ad omnes illas ineptias, quæ ab Inconſtantio in hunc locũ conie-ctæ ſunt refutandas. Tamen ne quis queri poſſit, ſibi non factum ſatis, omnia eius commenta excutiam. Prius tamen quiddam in uerbis Gelaſij arbitror expendendum. Ita enim ſcribit: Vt, Sicut in hanc, ſcilicet, in diuinam tranſeunt, ſpiritu ſancto perficiente, ſubſtantiam, permanent tamẽ in ſuæ proprietate naturę. „ Sic illud ipſum myſteriũ principale, &c. Hoc, inquam, nobis expendendũ eſt, quomodò ſymbola tranſeant in diuinam ſubſtantiam. An id eſt, ut Inconſtantius fingit, tranſubſtantiari? Non, opinor. Id enim Gelaſij ipſius uerba non ſinũt. Ait enim, naturam, & ſubſtantiam panis eſſe non deſinere, ſed manere in ſuæ proprietate naturæ. Hoc idem Theodoretus non patitur. Ait enim ea non mutari: quod idem confirmat etiam Chryſoſtomus. Quid ergo reſtat, niſi ut, Tranſire in diuinam ſubſtantiam, intelligamus eſſe, per ſignificationem coniungi cum diuina ſubſtantia? Id enim anteà non habuerunt, cum eſſent adhuc res profanæ. Nanciſcũtur tamen hoc ex diuino inſtituto, cum opera ſpiritus ſancti aſciſcuntur ad uſum Sacramenti. Neque enim quiſquam, ne Papiſta quidem, diceret, ita ſymbola tranſire in diuinam ſubſtantiam, ut cum ea coniungantur in eadem hypoſtaſi. Nam Papiſtæ ipſi aiunt, ſubſtantiam panis deſinere, & accidentia ita coniungi cum corpore Chriſti, ut nec illud afficiant, nec ab illo afficiantur. Quòd ſi illis licet illa fingere, quæ nec habentur ex ſcripturis, nec ullo modo poſſunt intelligi, nihil eſt, quòd quiſquam nobis iraſcatur, ſi tranſitum iſtum per ſignificationem, & ſacramentalem gradum uel unionem intelligamus. Et ſanè Theodoretus nihil aliud uoluit, cum in primo Dialogo ita ſcriberet, Illa quidem non mutari, ſed naturæ adijci gratiam. Ibi enim non eam intelligit gratiam, qua iuſtificamur, uel qua ad uitam æternã dirigimur: ſed eminentiam quandam, & donũ, ſeu gradum ſacramentalem, quò illa ſint inſtrumenta ſpiritus ſancti. Idem in ſecundo Dialogo apertius declarauit, cum diceret; illa nõ egredi è propria ſua natura: manere autem in priori ſua natura, & ſubſtantia: ut uideri poſſint & palpari, non minus cq; anteà. His uerbis conditionem deſcribit ſymbolorum in Sacramento. Quomodò aũt illa tranſeant in ſubſtantiã corporis Chriſti, poſteà ſubijcit: Intelliguntur, inquiens, quę facta ſunt, & credũtur, & adorant, tanquam ea exiſtentia, quæ credunt. Hic eſt ille tranſitus: quòd cũ elementa facta ſint quodã modo corpus & ſanguis Chriſti, illa in eis intelligantur, credantur, & adorẽtur: ita enim illa reſpicimus, ac ſi eſſent ea ipſa, quæ ſignificãt, quæq; ſuo quodam modo dicuntur facta. Imò etiam nomen illorum accipiunt, ut idem paulo poſt Theodoretus teſta-

Gelaſij declaratio.

Quomodo ſymbola tranſeant in diuinam ſubſtantiam.

teſtatur, & Chryſoſtomus in eo libello, quem ſuprà citaui, ad Cæſarium monachum. Ait enim, ſymbolum liberatum iam eſſe appellatione panis: etiamſi natura panis in eo permaneat. Ex his apparet, qualem nam mutationem Patres adſcribant ſymbolis: illam nimirùm, quæ non excludat priſtinam ſubſtantiam: ſed per quam res ipſæ ſignificatæ in ſymbolis intelligantur, credantur, & in honore habeantur, ſiue adorentur, modo nimirum expoſito ac rurſus explicando, & per quam nomina illorum immutentur, & certo quodam modo ea credantur fieri, quæ ſignificant. Iſta uerboſius, & aliquantò fuſius dicere uolui, cum ut Patrũ ſenſus, tum etiam, ut ſententia iſta ueriſsima, quam propugnamus, à Lectore intelligeretur. Illam enim Inconſtantius pro ſuo more ita inuoluit & obſcurat, ut oculis legentium uertiginem facilius ingerat, quàm lucem adferat.

Cæterùm iam ad eius reuertor nebulas. Multa nugatur de compoſitione hominis ex animo & corpore: quæ hoc loco prorſus ſunt ἀπροσδιόνυσα. De huiuſmodi enim compoſitione in argumento noſtro nihil dicitur. Tantùm mentio fit de compoſitione Chriſti ex duabus naturis, diuina, & humana: quas duas naturas perfectas eſſe, non dubitamus. Quid iſte mihi nunc de anima & corpore mouet quæſtionem? Quoniam, inquit, anima, & corpus non ſunt duæ perfectæ naturæ: cum una perficiat alteram. Atqui ego in argumento neq; de anima quicquam, neq; de corpore loquutus ſum. Perficiatur tamen corpus, ut uolueris, & in ſuæ grauitatis, & corruptionis conditione maneat. Tamen eius natura perfecta dicitur in ſuo genere. Nam & ſua definitione continetur, & ſuis membris & partibus, tam quòd ad eſſentiam, quàm etiam quòd ad ſingularum partium diſtinctionem attinet, perfectum eſt. Sic ergo loquuntur Patres: Vt homo conſtat anima, & corpore: ita Chriſtus conſtat natura diuina, & humana. Quod cum ita ſit, ego quoq; unâ cum Patribus uos oro, ut, quemadmodum duæ naturæ manent in homine, & in Chriſto duæ naturæ relinquuntur: ita etiam in Euchariſtia duas naturas eſſe patiamini. Cur enim panem & uinum è ſacramento tollitis, cum in homine totum corpus, & in Chriſto totus homo conſeruetur? Quòd ſi hic non uultis exorari, fruſtrà de perfectione naturæ litem nobis intenditis.

Sed deinde ait Collationem iſtam hominis cum Chriſto, aliquò tantùm uſq; ueram eſſe, non autem omnibus numeris conuenire. Niſi enim ita eſſet, Chriſti myſterium, inquit, non eſſet quiddam ſingulare: quod tamen eſt ſingulariſsimũ. In ſumma, non uult urgeri uerba ultrà quàm ſit fas. Ea enim, inquit, myſterio ſeruire debent, non præiudicare. Hæc iſte uerba miſerè, & fruſtrà perdidit. Nam ad propoſitam quæſtionem nihil faciunt. Nos enim uel à pueris hoc ſciuimus, collationes non eſſe longius urgendas, & perſequẽdas, quàm ille uoluit, qui eas inſtituit. Neq; uerò oſtendi poteſt, nos hic modum transgreſſos eſſe. Quoniam hic nõ fatagimus, ut panis Euchariſtiæ tam ſit perfectus, quàm eſt diuina natura in Chriſto: aut ut uiuat, quemadmodũ illa in Chriſto uiuit. Illud tantùm nos contendimus, quod Patres urgent: quemadmodum in Chriſto non deſinit eſſe humana natura, ita in Euchariſtia panem non deſinere eſſe panem. Quid nos hic aliud ſtatuimus, quàm quod Patres ipſi, qui hanc collationem primi excogitarunt, ſtatuerunt? Aut quid iſta uerba, quæ Patres urgent, præiudicant ſacramento? Veſtram quidem ea Tranſubſtantiationem apertiſsimè euertunt: Sacramẽti autem uim, & efficaciam nihil imminuũt. Hinc iſtæ ſunt ambages ueſtræ, & uerba ſubuentanea.

Rurſus nodum in ſcirpo quæris, & ais, nos docere, Chriſtum eſſe perfectum hominem: cum alioquí negemus, illum aſſumpſiſſe perſonam hominis, ſine qua perſona cæteri homines non ſint perfecti. Hic, ſi deo placet, lepidè nugaris, quaſi quiſquam ſit noſtrorum, qui dicat, Chriſtum aſſumpſiſſe humanam hypoſtaſin,

aut perſonam. Rixare cum Neſtorio, & alijs huiuſmodi peſtibus, quantum uoles. Noſtra quidem id nihil refert. Quod autem ad rationem loquẽdi attinet, qui rectè loqui uolunt, non dicunt, naturam diuinam filij dei aſſumpſiſſe perfectum hominem, ſed potius perfectam naturam humanã. Quæ, ut ſit perfecta, ſatis eſt, ſi aliqua perſona aut hypoſtaſi ſuſtẽtetur. Ea autem hypoſtaſis ſiue diuina ſit, ſiue humana, nihil intereſt. Neq; enim uel iſta hypoſtaſis, uel illa in definitione naturæ ponitur. Ad panem autem Euchariſtiæ hoc prorſus nihil facit. Is enim perſonam nullam habet. Maneat ergo ſanè eius natura, quemadmodũ & Patres, quos citauimus, & ſacræ ſcripturæ teſtantur.

Hypoſtaſis non ponitur in definitione naturæ

Poſtremò poſt longam σκιομαχίαν Inconſtantius ait, ſe uelle uenire ad Euchariſtiam. Sed rurſus alias tenebras inducit, easq; multò denſiores. Ait enim, Euchariſtiæ panis & uini naturas adhiberi quidẽ perfectas: idq; intelligit ante conſecrationem. Sed addit, Vnde ex uiſibili elemento, & uero Chriſti corpore ac ſanguine dicitur conſtare. In his uerbis animaduertere debes, Lector, huic homini elementum uiſibile nil eſſe aliud, quàm accidẽtia ſine ſubiecto. Quod cum ipſe admonere noluerit, cogita, quanta obſcuritate, uel potius nequitia & fraude illudat legentibus. Nemo enim ferè eſt, qui, cum audiat elementum uiſibile, non intelligat primo aſpectu naturam ipſam panis & uini. Sed addit, id, quod in iſto ſacramento eſt terrenum, à ſuæ naturæ proprietate non recedere. Sed, bone deus: quî hoc fieri poteſt, ut natura panis non recedat à proprietate ſua, cum eſſe omninò deſinat? Nam quod non eſt, certè proprietatem nõ habet. Non ferchantur Hæretici, qui dicerent, naturam humanã Chriſti poſt Reſurrectionem abiiſſe in diuinitatem, ſed ita, ut ſolæ proprietates eius, & accidentia remanerent. Neq; intelligere quiſquam poteſt, quomodò ſubſtantia terrena non recedat à proprietate ſua, cum panis & uinum in ſacramento, ut iſti uolunt, proprietates illas relinquant, & abeant. Quomodò autem, cum panis iam abierit, tamen terrenum elementum retineatur, ita declarat: Quod antea uiſibile erat, manet etiam nunc uiſibile: & quod erat palpabile, manet etiam palpabile. Iſta, mihi crede, Lector, indigna ſunt, quibus reſpondeatur. Nam quod Patres in illa ſua collatione dicũt de pane, id iſte totum refert ad accidentia: quaſi hoc illi ſtatim ſit concedendum, ea, ſublato ſubiecto, uideri à nobis, aut palpari. At iſtis, inquit, accidentibus natura corporis Chriſti non afficitur. Proferatur ergo natura aliqua, quam afficiãt. Ais, non eſſe corpus Chriſti: nec panem, nam eum uis prorſus tolli: nec aërem, is enim nec albus eſt, nec rotundus. Cur ergo hoc nõ dicis, quidnã illud ſit, quod fateris eſſe album, dulce, rotundum? Verùm hic rurſus audienda ſunt noua alia prodigia: nempe, album, & non album: rotundum, & non rotundum: leue, & nõ leue. Vocabula iſta rem abſtractam, ut loquuntur, non ſignificant, ſed concretam. Dic ſodes, quid nam tandem illud eſt in Euchariſtia, quod iuxta ueſtram ipſorum ſententiam rotundum, & album appellatis? Sed ridiculum eſt expectare, quid muti uelint reſpondere. Altera, inquit, natura, qua parte manet, ab altera non extinguitur, neq; confunditur. Hoc idem reſponderent Hæretici Eutychiani, alteram naturam, uidelicet, humanam, qua parte in Chriſto manet, à diuina parte non extingui, neq; confundi. Quid ſit cum Patribus apertè pugnare, & cum Hæreticis colludere, & præuaricari, niſi hoc ſit, equidem non uideo. Vobis licet dicere, Panem in Euchariſtia manere tantùm, quod attinet ad eius proprietates, & accidentia. Cur idem non liceat Eutychi dicere, de corpore Chriſti, nempe illud eſſe in Chriſto poſt Reſurrectionem tantùm quod attinet ad eius proprietates, & accidentia: non autem quod attinet ad ſubſtantiam? Scio reclamabitis. Pati ergo debetis, ſi nos uobis aut eadem, aut æquè abſurda dicentibus reclamamus.

Huc

Huc addit, quod ad perfectionem, & integritatem naturarum attinet, ſuam eſſe cuiuſq; myſterij propter diuerſum conſtitutionis modum peculiarem ratio-
nem. Ideoq; ait, in Chriſto duas perfectas naturas extare adunatas: in Euchari-
ſtia uerò ſubſtantiam panis eſſe deſinere, ut adſit ſubſtantia corporis Chriſti, quæ
ibi anteà non erat. Non enim, quod in Chriſto factum eſt, dici poſſe, Chriſtũ aut
aſſumpſiſſe, aut ad ſe adunaſſe panem. Quòd ſi conſtitutio Sacramenti habet
hunc modum, quem iſte fingit, cur id è ſacris literis non probatur? Cur nos ex il-
lis non docemur, deſinere naturam panis, ut locum cedat corpori Chriſti? Nam
de modo, quo inſtituuntur myſteria, nihil hominibus credendum eſt. Deũ opor-
tet eſſe, qui de illis teſtetur ex uerbo ſuo. Sed eſto: Audiantur etiam patres. At il-
li hanc partem collationis maximè urgent, ut duæ naturæ diſtinctæ ſeruentur in
Euchariſtia, quemadmodum ſeruantur in Chriſto. Verum, & ex iſtis ſomnijs In-
conſtantij poſſumus rectè concludere, ſubſtantiã corporis Chriſti in pane nõ ad-
eſſe. Nam ſi ita eſſet, Chriſtus uel aſſumpſiſſet naturã panis, uel eã ſibi adunaſſet.
Quorum neutrum, cũ, ut ipſi Papiſtæ confitentur, poſſit fieri, patresq; dicant, natu-
ram, & ſubſtantiã panis remanere, ſequitur neceſſariò, corpus Chriſti in myſterio
cõmunicantib. tantũ exhiberi, hoc eſt, ſignificari, & mẽte, animo, & fide percipi.

Deinde, hoc mihi uelim aliquando perſpicuè exponi, ſi daretur iſta præſentia,
quam iſti à nobis tantopere cupiunt extorquere, quidnam illi obſtaret conſerua
tio naturæ, & ſubſtantiæ panis? Si præſens natura humana nihil impedit in Chri
ſto præſentiam naturæ diuinæ, cur poteſt ſubſtantia panis impedire præſentiam
carnis Chriſti? Dicet fortaſſe, Quoniam ita in Sacramento eſſent ſimul duo cor-
pora: quod in Chriſto ipſo nõ accidit. Nam diuina natura non eſt corporea. Re-
ctè. Sed, cũ neget fieri poſſe, ut duo corpora ſimul in uno loco collocentur, miror, *Vt duo corpora nequeũt eſſe in eodem loco: ita idem corpus nõ poteſt ſimul eſſe in pluribus locis.*
eum ita confidenter docere, unũ corpus ſimul eſſe in infinitis locis: & præſertim,
cum idẽ alibi doceat, corpus domini clauſum in ſepulchro penetraſſe magnũ la-
pidem, & per fores clauſas ita tranſijſſe, ut illæ tranſeunti nõ ceſſerint. Ex his ap-
paret, eos iſtius impedimenti, quod nobis obijciunt, nullam certã, firmãq; ratio-
nem poſſe reddere. Poſteà ſeſe eò refert, non poſſe dici, ſubſtantiã panis annihi-
lari. Eam enim in tantã iam efferri dignitatẽ, ut illi ſuccedat corpus Chriſti. Ergo
ex huius hominis noua, & admirabili ſapientia, humor terræ, cũ tranſijt in herbã,
non dicetur corrumpi: quia tranſit in aliã naturam nobiliorem. At eũ corrumpi
omnes fatentur, quamuis eius materia eſſe non deſinat. Multò ergo iuſtius dice-
mus in Euchariſtia corrumpi panem. Eius enim iſti non tantùm formam auferri uolunt, ſed etiam materiam. O præclara dogmata Papiſtarum: eſſe ſcilicet mu-
rationem, in qua terminus, à quo, ut phyſici loquuntur, nõ pereat. Verùm ad-
huc urget, in Chriſto nõ oportere ita urgere perfectum hominem, ut tollatur ratio
myſterij: ita in Euchariſtia quoq; non eſſe altius quærendã naturam panis, quàm
ratio myſterij patiatur. Hic ego nihil aliud regero, niſi patres uelle, & ſcribere,
tantum ſupereſſe panis in Euchariſtia, quantum eſt in Chriſto humanæ naturæ.
Itaq; iſte, quicquid philoſophatur, patrum rationes apertè damnat.

Verùm non ita cæcus erat, quin ut uideret, cauſam aliquam fuiſſe adferen-
dam, cur natura panis non poſſit manere in Sacramento. Et quoniam aliam me-
liorem non habebat, huiuſmodi quãdam cõminiſcitur. Quoniam, inquit, Chri-
ſtus unum quid entis in ſubſtantia, quod in manibus habebat, corpus ſuũ eſſe de-
finiuit, quod effecerat conſecrando id, quod anteà fuerat panis, propter illa ſanè
Chriſti uerba Eccleſia docet, panis haud quaquam manere ſubſtantiam, licet ac-
tidentia eius retineantur ad ſignificandum, & uelandum Chriſti corpus. Ma-
ter facilius obliuiſci poteſt filiorum, quàm Inconſtãtius Chimeræ ſuæ. Excuſſus
miſer alijs præſidijs redit ad ſuum individuũ uagum. Et Chriſtum ait, habuiſſe in

manu unum quid Entis: quasi uerò ea, quæ mentis opera, atq; intellectu abstracta sunt, manibus tractari, aut teneri possint. Profecto, quicquid tractari, et teneri potest, id, uel inuitis omnibus Sophistis, certę alicuius, & distinctæ naturæ esse oportet. Ego ergo id, quod Christus habuit in manibus, & substātiam certam, & corpus & panem fuisse dico: idq; unà cum antiquissimis, & orthodoxis patribus dico. Quare cum iste noster in re tam perspicua, tam apertè, tamq; impudenter mentiatur, quid illi in alijs rebus obscurioribus habendum sit fidei, prudens Lector facilè potest per se ipsum iudicare.

» Adhæc negat, naturas perfectas in Christo ulla similitudine ostendi posse. Li» tiget ergo nunc non mecum amplius, sed cum patribus. Illis enim hæc similitu» do de Eucharistia uisa est ad id ualere. Sed iste Patres, quòd non ita circumspe» ctè loquuti sint, putat ad hunc modum posse excusari. Ea gratia, inquit, hoc si» mile attulerunt, ut demonstrarent, corpus Christi non incipere esse spiritum, li» cet cum spiritu consistat in Christi persona: quemadmodum in Eucharistia duę» naturæ in ipsa consistentia, se non afficiunt, sed manent in suæ proprietate natu» ræ: neq; corruptibile desinit esse corruptibile, etiamsi cum cœlesti natura consi» stat in Eucharistia. O patronum singularem. Magnifica quidem ista sunt: nec tamen prorsus falsa: sed à patrum ipsorum sensu longè, longeq; abhorrentia. Illi enim disertissimis uerbis alteram naturā, quæ manet in Eucharistia, panem esse dicunt: quam Inconstātius, quantumuis turbet, & clamet, frustrà, & ridiculè traducit ad accidentia. Certè hoc argumentum nulla unquam Stropha, aut commentatione potest eludere: Si accidentia panis, loco panis ipsius in Eucharistia esse possunt, in Christo quoq; accidentia humanæ naturæ loco ipsius naturę iam à diuinitate, ut Eutychiani docebant, absorptæ esse possunt.

» Deinde addit, ex argumento nostro hoc tantùm posse conficí, naturarum di» stinctionem in Eucharistia esse sine confusione: eamq; omninò fatetur esse dam» dam. Et ex eo nos ait hallucinari, quòd putemus, panem ipsum trāsire in corpus» Christi, & manere. At id ait non posse fieri: non magis, quàm illud ceræ, quod in
Chrysostomus. igne absumptum sit, manere possit in igne. Atq; eo simili ait, Chrysostomū Tran» substantiationem confirmasse. Sed dic mihi ingenuè, bone uir, si ista similitudo de cera docet transubstantiationem, cur uos in Eucharistia accidentia retinetis, cum in cera, quæ in igne consumitur, accidentia quoq; ipsa pereant? Et quamuis in igne nihil ceræ remaneat, ignis tamē ab illa nōnihil afficit. Impinguatur enim, olet ceram, reddit suffitū, & luculentius, quàm antè, emicat. Cur ergo corpus Christi aliquo modo non afficit panem? Adhæc, quomodò tādem nobis prosabit Inconstantius, ceram liquefactam non abire in ignem? Denicq; materia cerę non tollitur, ut isti nugantur de materia panis: sed aut in uaporem transit, aut in aërem. Quare cum tot sint dissimilia in isto exemplo de cera, illudq; cum transubstantiatione tot modis pugnet, non est credibile, Chrysostomum eam huiusmodi simili uoluisse cōstituere. Quid autem ille sibi uoluerit, cum alibi satis à me fusè dictum sit, hic non iudico esse repetendum.

In calce uerò Inconstantius, quasi qui emerserit ex altissimo aliquo gurgite, » cauillatur, argumentum nostrum cœpisse à perfectis naturis, & exijsse in con» fusionem. Id autem alienum esse arbitratur à re præsenti: cum in Christo natu» ræ distinctæ maneant: in Eucharistia autem iuxta ipsius sentiam nulla sit consu» sio. At qui illud argumentum confecit, non curauit, quid Inconstantius sentiret. Tantùm ex illo simili patrum intelligi uoluit, oportere in Eucharistia duas naturas integras, distinctas, & non confusas retineri. Tu autem, si panem, uti dicis, cum Christi corpore non confundis, tamen illum multò maiori iniuria afficis. Aufers enim eū prorsus è medio. Atq; ea in re multò omnes Eutychianos supe-

superas impudentia. Illi enim humanam naturam Christi sic aiebant transisse in diuinam, ut in ea esset: uos uerò nihil omninò de substãtia panis in corpore Christi manere uultis. Itaq; panis in Eucharistia uestra ista sententia prorsus perit. Sed quia multa diximus, ut ratio adducta euidentius intelligatur, ita eam contexam: Vt natura humana est in Christo, ita panis est in Eucharistia: At natura humana in Christo est integra, & perfecta: Ergo, natura panis perfecta est in Eucharistia. Minor est ex articulis nostræ fidei. Maior colligitur ex dictis Patrũ, quæ iam adduximus.

OBIECTVM CXXXI.

PER Transubstantiationem impeditur præcipuus finis Eucharistiæ, uidelicet, cõmemoratio mortis Christi, & Christi ipsius. Hic enim tota mens, atq; omnis animus istorum occupatur. Et sacrifici, cum ad Communionem uenitur, alijs omnibus præteritis, hoc unum urgent.

GARDINERVS.

VI *rerum ueritatibus assentitur per fidem, animum ille profectò fixum, & tranquillum habet, nullis argumentorum insultibus, aut rationum procellis obnoxium. Vnde D. Iacobus opponit fidei hæsitationem, & fluctuationem.*

MARTYR.

ANimus credentium, inquit Inconstantius, satis tranquillus, & fixus est: & fides fluctuationi, atq; hæsitationi opponitur. Quare ait ineptè à nostris assumi, animum totum occupari in credenda Transubstantiatione. Mirum uerò est, istum hominem, quasi rabie quadam, & furore percitum, quicquid à nostris aliquo modo in Transubstantiatores dicitur, id statim arripere pro argumento: & in eo diluendo, credo, ne parùm magnus artifex uideretur, tãtopere laborare. Verùm ut res melius intelligatur, considerare debes, pie Lector, quod res est, rudiores quosq; in Papatu, si penitùs excutiantur, aut nihil, dum communicant, aut non multum de morte Christi cogitare. Nam cum sacrifici, & monachi nihil ferè aliud urgeant, quàm ut populus credat, panem transubstantiari in corpus Christi, illudq; ipsum corpus sub accidentibus panis & uini in os ingeri, illi se egregiè communicare, omniq; pietate defunctos arbitrantur, si rem credant ita se habere. Quare, cum nostri dicunt, animum populi totum esse in eo occupatũ, sensus est, eos in hoc uno totos esse postpositis illis, quæ re uera commemoratu, & creditu erant utilia, quęq; à Christo ipso, non autem ab istis impostoribus, fuerant institura, quæq; ad hoc Sacramentum propriè pertinebant. Hæc est prospositæ rationis sententia: quam utinam magno nostrorum, & superiorum temporum damno non experiremur, esse nimis ueram: quantumuis Inconstantius latret, nos de hac re iniustè conqueri: dicatq;, persuasa semel Transubstãtiatione, ea, quæ nos dolemus omissa, ultrò consequi. Hoc uerò est ingenium hypocritarum, ut ea, quæ sunt præcipua, maximiq; ponderis, habere uelint tantùm loco comitum: mendacia autem sua in arce collocent. At diuinæ literæ, sanctiq; Patres ne mentionem quidem faciunt ullam Transubstantiationis. Passionem autem, & mortem domini in sacra Cœna perpetuò, & assiduè inculcandam esse docẽt.

Ad hæc fingit, animum credentium fixum, & tranquillum esse, nec ullis obnoxium argumentorum procellis, aut insultibus rationum. Quod quàm uanum

sit, pij omnes plus satis in se ipsis experti sunt. Aliud autem est, non cedere, aliud non impeti. Impij insultus rationis non patiuntur: quia omnia susq; deq; habẽt, & nihil curant, quocũq; modo se res habeat. Et fides quidem iam adepta & parta, hæsitationem & fluctuationem tollit. Anteà autem, quàm illa fixa, & constituta sit, quomodò potest animus certus, & firmus esse? Neq; in hac uita illã tam firmam habemus, quin aliquando nostro uitio & labare & nutare sentiatur. De Transubstantiatione autem, quæ tandem fides esse potest? Vera enim fides non aliunde nascitur, quàm ex uerbo dei. Quare si de illa nulla possit esse fides, animos oportet, quod nostri dicunt, in ea credenda uehementer occupatos esse.

Putat iste, fieri non posse, ut homines credant, Christum sibi præsentem esse, nisi etiam de eius morte cogitent. At Apostoli cum dominus in terris cum illis uersaretur, illiq; eum filium dei faterentur, & crederẽt, sibiq; adesse nullo modo dubitarent, tamen de eius morte, & cruce ne somniare quidem potuerunt. Ad hæc sophista non cogitat, requiri à cõmunicantibus non leuem aliquam, aut perfunctoriam commemorationem de morte Christi, sed exquisitam, fructuosam, bene perspectam, & cognitam: qualis ea certè nõ est, quam putat leuiter, & sponte se offerre. Ad extremum, cum iam deesset quod obijceret, & ueritate ipsa opprimeretur, cauillari uoluit, otiosum esse argumentum. Sed quicquid dicat, querimonia ista magis his temporibus necessaria est, quàm uellemus. Quod si quis non credit, eum uelim simpliciores Christianos paulum examinare.

OBIECTVM CXXXII.

EX Transubstantiatione aliud etiam falsum dogma nascitur: uidelicet, post usum sacramentorum adhuc in reliquijs corpus Christi realiter contineri. Id autem falsum esse, ostenditur ex aliorum sacramentorum collatione: ea enim omnia consistunt in actione: post quam sacramenta esse desinunt. Quare idem dicendum est de Eucharistia.

GARDINERVS.

QVAE *ueræ reliquiæ sunt, quas hic argutator esse fatetur, eius, cuius sunt reliquiæ, conditionem retinere eas omninò necesse est, ut congrua appellatione reliquiæ esse dicantur.*

MARTYR.

„ QVoniam, inquit, ea, quæ supersunt, dicuntur reliquiæ sacramenti, nos„ ea reliquias esse confitemur, necesse est, illa eandem naturam cum sacra„ mento retinere. Quod quàm uanum sit, expendant alij: ego enim id ne explica-

Reliquiæ nõ retinent naturam rei cuius reliquiæ sunt.

tione quidem arbitror indigere. Hoc tamen unum obiter dicam, Cadauer esse reliquias hominis: quod tamen certum est, hominis naturam non retinere: Cineres etiam ignis & carbonum esse reliquias: quos tamen nemo prudens aut ignes appellabit, aut carbones. Eat nunc Inconstantius, & reliquias, quæ supererant ex Eucharistia, dicat esse Eucharistiam, quòd dicantur eius esse reliquiæ. Atq; hoc etiam addam: Si ea putabantur olim esse sacramenta, cur mulierculis, pueris, Catechumenis committebãtur? Nam id solitum esse fieri in primitiua Ecclesia, & Eusebius, & Nazianzenus, & Cyprianus, & Ambrosius, & Nicephorus testantur. Deinde, hoc etiam uelim, ut mihi Inconstantius respondeat, Cur Eucha-

Reliquiæ Eucharistiæ non sunt sacramẽta Eucharistiæ.

ristia

ristia, quod ad hanc conditionem attinet, à lege & proprietate aliorũ Sacramen torum sit eximenda. Quis autem ferat, ut semper instantia detur de ea ipsa re, de qua disputatur? Si uestram istam conficiam exemptionem à nobis uelitis admit ti, eam æquum est, ut probetis è sacris literis. Sed fabulatur lepidè, Sacramen tum præparatum esse ad esum, & tantisper esse Sacramentum, quoad totum co medatur. Nec uidet ex uerbis, mysteriũ simul & pręparari oportere, et comedi. Dominus enim ante dixerat, Accipite, & Mãducate, quàm diceret, Hoc est cor pus meum. Accipite, inquam, dixit, & manducate: nunquam autem dixit, Asseruate, Circumferte, Adorate. Vnde Origenes in Leuiticum Homilia 5. cap. 7. *Origenes.* ait, Dominus panem quem discipulis dabat, dicens omnibus, Accipite, & Manducate, non distulit, nec seruari iussit in crastinum.

Sed huc allegat Inconstantius, Cyrillum ad Calosyrium, qui dicat, Sacramentum asseruatum uim suam nõ amittere. Nos scripturam quęrimus: iste, ut solet, dicta quædam patrum nobis offert. Et qualenam tandem, obsecro, est dictũ istud Cyrilli? Nam illud in eius scriptis nunquam hactenus potui inuenire. Extare tamen illud ab alijs relatum & citatum non ignoro. At nos ostendere possumus, morem in Ecclesia fuisse, ut huiusmodi reliquiæ aut statim post sacram cœnam à clericis comburerentur, aut mulierculis, pueris, & Catechumenis traderentur. Qui abundant lignis, ad alendum ignem non utuntur foliis. Quod si Inconstantio suppeterent meliora testimonia, non emendicaret unum tantùm, eundemq; incertum testem. Liber enim ille non extat, unde illa uerba dicuntur sumpta. Deferebantur, inquit, reliquiæ ad ægrotos. Quid tum? Certè, cum deferebãtur, non erant Sacramentum. Sed deferebantur, inquit: erant ergo Sacramentum. Quasi uerò apud ægrotũ ipsum, cũ essent sumẽdæ, nõ potuerint fieri Sacramẽtũ. *Cyrillus.*

Adhæc multa cõtendit esse discrimina, quibus Eucharistia ab alijs Sacramentis differat. Forma, inquit, Baptismi pronuntiatur nomine ministri: ait enim, Ego te baptizo: hic autem ex ore Christi dicitur, Hoc est corpus meum. Miror uerò, Inconstantium, qui omnia se solum scire putat, nescire, totam Ecclesiã Græcam in Baptismo ita pronuntiare, Baptizetur seruus Christi. Addit alterum discrimen, quod arbitror ne ipsum quidẽ intelligere. In alijs, inquit, Sacramentis usus materiæ in conferendo Sacramento exigitur. Quasi uerò in conferenda Eucharistia certus usus materiæ non requiratur. Quod enim, obsecro, est Sacramentum, quod suam aliquã materiam non habeat, et suum usum? Hic autẽ, inquit, materia ante usum Sacramenti præparatur. Sed an iste oblitus est incantationũ, & impreca tionum, quibus uti solent ad aquã Baptismi, & rancidum illud suum oleum consecrandum? Istis superstitiosis, & ridiculis ritibus nisi aquã & oleum, quæ uolũt esse materiam Sacramenti, præparent, quare ludunt operã, & tam operoso apparatu se ipsos torquent? Adhæc, inquit, in alijs Sacramentis Sacramentũ ipsum, & perceptio tẽpore non distinguũtur. Hic uerò Sacramentũ consecratione confectum integrũ proponit, & manet ad futuram perceptionem. Hic item illud ipsum petitur, quod erat probandum: quo in genere deceptionis Ioconstantius uidetur posse artificium quoddam profiteri. Hic enim disputat, An Eucharistia in usu tantùm sit Sacramentũ. Iste autem, si deo placet, ita esse omnino decernit, & statuit: idq; tanquam confessum, & datum sumit. Fingit uerò, se ignorare, nos dicere, & docere, Panem & uinum in cœna Sacramenta esse corporis & sanguinis domini: in cœna, inquam, hoc est, interim, dum illa comeduntur & bibũtur. Quam sententiam, nisi iste alia ratione, q; magnificè loquendo expugnet, nos ut uerissimã, sicuti est, retinebimus. Tandem ait, In alijs Sacramentis res Sacramenti est gratia domini. Hic autem, ut inquit Augustinus, panis est dominus. At quomodò tandem in Baptismo quoq; non est dominus? Nam Pau- *Quibus uerbis Ecclesia Græca baptizet.* *Vnumquodq; sacramentum propriã habet materiam.*

Augustinus. lus ait, Omnes, quicunq; baptizantur, induere dominum. Scio equidem, Augustinum dicere, alium esse panem domini, alium panem dominum. Sed quorsum ea nunc huc torquet Inconstantius? Nam, ut Augustinus sensit, panis domini est externum symbolum: cuius etiã Iudas potuit esse particeps. Panis autem dominus, est ipsum corpus Christi, quod tropicè appellatur panis: quemadmodum satis apparet ex sexto capite Iohannis. Verùm isti homini fortasse non suppetebat aliud, quod adferret. Itaq; abuti uoluit nomine Augustini, quamuis sciret, illud ad rem nihil facere: ut inter tot umbras, & meras nugas nomẽ saltem illustris alicuius patris audiretur.

,, Posteà connexionem nostrã insimulat fraudis. Ait enim, ubi sit ratio specia-
,, lis, ibi nos uti uoluisse regula cõmuni. Sed quãuis Eucharistia habeat quasdam notas speciales, quibus ab alijs mysterijs differat, tamẽ generis sui, hoc est, Sacramenti proprietates non amittit. Ita homo, quamuis multis modis, & proprietatibus differat à Leone, in illis tamẽ proprietatibus, quæ ad genus uniuersum, hoc est, ad animal pertinent, cum illo communicat. Vtrunq; enim sub animali, tanquam sub proprio genere comprehenditur. Itaq; quęcũq; uerè propria sunt animalis, ea & homini, & leoni communiter conueniunt. Nos igitur, cũ à communi ratione Sacramenti, & eius proprietate rationẽ ducimus, rectè, atq; ordine concludimus, Eucharistiam non esse Sacramentum, nisi cum re ipsa, atq; actu, ut loquuntur, usurpatur. Neq; Inconstantius in tota ista sua σκιομαχίᾳ probare potuit, hanc proprietatem Sacramento, quatenus **Sacramentũ est**, nõ esse insitã. Quare, ratio nostra ita componitur: Quicquid est **Sacramentũ**, **habet secum** cõiunctum usum: Eucharistia est Sacramentũ: Ergo, **necesse est, ut secũ habeat coniunctum usum.** Maior ducitur à proprietate Sacramenti, **Minor conceditur ab omnibus.**

OBIECTVM CXXXIII.

PANIS in ueteri Testamento erat figura huius Sacramentalis panis: ut panis Melchisedech, et panis propositionis: & illud Hieremiæ, Mittamus lignum in panem eius. At aduersarij hunc panem Sacramentalem auferunt, & figuram tantum relinquunt. Statuunt ergo figuram figuræ, (nimirũ accidentia ut figuras panis subducti, qui est figura corporis Christi.) Sic enim intelligo eos relinquere figuram figuræ, ubi nihil subsistat solidi.

GARDINERVS.

VETERIS *Testamenti figuræ, quæ tum in pane materiali exprimebantur, umbræ erant, non panis materialis, qui in Noua Lege pro ueritate exhiberetur, &c.*

MARTYR.

HOc ego primũ affirmo, me tale argumentũ, **neq; ipsum feciſſe unquã**, neq; unquam apud quenquam nostrorũ scriptorũ legisse. Iste autem, quicquid à nostris uspiam fortè aut dicitur, aut scribitur, id statim suspicatur esse argumentum. Cumq; illud, quicquid sit, specie saltem aliqua solidæ rationis conatur inducere, & nobis facit grauem iniuriam, quos uideri uult niti friuolis tantùm probationibus, & sibi ipsi campum latiorem aperit, ut ne in nos, sed in suas ficiones possit inuehere. Cæterùm nos illi studium suum relinquemus, & dere

de re proposita, quantum necessarium uidebitur, dicemus. Nostri illi, quicunq; sunt, qui hæc fortasse aliquando scripserunt, etsi non eo modo, aut sensu, in quem ab isto uerborum contortore deprauãtur, quantum quidem ego iudicare possum, in hanc sententiam loqui uoluerunt: Veteres in sua lege habuisse quædam mysteria, quæ Christum ipsum finem absolutionemq; legis præcipuè significarent. Illorum autem quædam fuisse, quę non tantùm significarent Christum, sed etiam locum sacramentorum Euangelicorum, quæ illis erant successura, obtinerent, & illa aliquo modo adumbrarent. Illi rei nobis exemplo esse potest Circuncisio, & multiplex, uariusq; usus lauacrorum, quæ in Lege Mosaica præscribebantur. Circuncisio enim, & illæ lotiones, non tantùm fœdus cum deo per Christum initum, & peccatorum expiationem per eundem redemptorem nostrum credentibus dandam, sed etiam nostrum Baptismum tempore Euangelij sibi aliquando successurũ adumbrabant. Quod idem statuere possumus de prophetis, & sacerdotibus illorum temporum: in quibus non tantùm significabatur Christus, omnium prophetarum maximus, qui aliquando excitandus erat è medio suorum fratrum, & unicus Sacerdos, qui semel in Sancta sanctorum per proprium sanguinem esset ingressurus, sed etiam Apostoli, & ministri nostrarũ Ecclesiarum, sub Euangelio. Vtq; ad illud ipsum, quod agitur, propius accedam, Panes propositionis, & panes, qui offerebantur in Sacrificijs, nõ tantùm corpus Christi, uerum, uidelicet, & cœlestem panem significabant, & suo quodam modo credentibus spiritualiter comedendum exhibebant, sed etiam typi quidam erant Eucharistiæ nostræ: quod Patres Orthodoxi non rarò testantur: maximè uerò, cum exponunt locum illum de pane Melchisedechi, & uerba illa prophetæ Hieremiæ, Mittamus lignum in panem eius. Quæ cum ita sint, hoc uidetur esse consentaneum, ut, quemadmodum nulla fit Transubstantiatio in Baptismo, aut in ministris Ecclesiæ, aut in Apostolis (nam & aquæ, & ministrorũ substantia integra conseruatur, non minus, quàm in ueteri Testamento) ita in Eucharistia quoq; panis, & uini substantia retineatur. Proinde si ueterum sacramenta erant figuræ, atq; umbræ nostrorum, nihil rationis est, cur à nostris mysterijs symbolorum suorum naturas, & substantias adimamus. Id enim cum in alijs sacramentis, ut diximus, non fiat, nihil causæ est, cur fieri debeat in Eucharistia.

Inconstantius autem, ut fucum nobis de more faciat, sumit sibi, sacramenta ,,
Veterum tantùm res ipsas adumbrasse, nimirùm, Christum ipsum, panem uitæ. ,,
Sed interim non attendit, Patres, quos fingit, se tantoperè obseruare, passim dicere, in illis ritibus & cultibus Veterum etiam sacramenta nostra fuisse adumbrata. Id nostri, quicunq; tandem illi fuerint, in hac Obiectione attigerũt. At si ,,
panis ille Mosaicus, inquit Inconstantius, umbra fuit nostri panis Eucharistici, ,,
idem erit & umbra, & corpus, nec quicquam intererit inter figurã et rem ipsam. ,,
Quoniam utrinq; re ipsa erit panis materialis. Nunquam putassem, ingenium ,,
huius sophistæ tam fuisse præfractum, & pertinax, ut perpetuò contenderet, nullum esse discrimen inter rem materialem, ut seorsim & simpliciter accipitur, & eandem, ut iam facta est sacramentum, & inseruit rei diuinæ. Nos ergo saniori, & magis pio sensu dicemus, & panem, quo Veteres utebantur in sacris, fuisse, et nostrum esse sacramentum: quæ quamuis genere conueniant, tamen specie, & forma differunt. Discrimen autem illorum, cum sint relatiua, petendum est à termínis. Christus quidem utrinq; significatur. Sed alia eius ratio est, quà iam uenit: alia erat, quà expectabatur aliquando uenturus. Sacramenta autem nostra, quæ sunt quodammodò corpus, tantò præstant sacramentis Veterum, quæ quodammodò erant umbræ, quantò res, quæ iam existat, antecellit rem eã, quæ sub promissione speratur exhibenda. Atq; hoc illud est, quod quidam ex nostris solent

dicere, nos ſpiritu ac fide comedere corpus Chriſti ſubſtãtialiter: quod nolint dicere de Veteribus; non quòd ad illos idem fructus, quẽ nos habemus, nõ rediérit: ſed quòd corpus ipſum Chriſti, quod nunc exiſtit, tum temporis nõ extiterit. Nec tamen noſtri qui ita loquuntur, ſignificare uolunt, corpus Chriſti in ſua ſubſtantia realiter adeſſe cõmunicantibus. Verũ hoc uolũt referri cõmunicantibus corpus, quod re ipſa iam ſubſiſtat, et datum ſit, nec amplius dandum expectetur.

Hieronymus.

„ Sed iſte noſter addit, Veterum typos fuiſſe figuras corporis Chriſti uerè ſub „ ſpecie panis exhibendi. Atque huc allegat Hieronymum in epiſtolam ad Titum. Verùm, ut eſt apertus, & ingenuus, locum non indicat: ut qui uelit ſententiam Hieronymi intelligere, cogatur totum illum librum euoluere. Verba autem „ Hieronymi interpretantis conditiones Epiſcopi, in epiſtola illa ad Titum, & uo„ cem illam Græcam σώφρονα exponentis, hæc ſunt: Tantum intereſt inter panes „ propoſitionis, & corpus Chriſti, quantum inter umbram, & corpora: inter ima„ ginem, & ueritatem: inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exẽplaria „ prę figurabãtur. Iſta uerba ut ſcriptoris inſtituto inſeruiant, nõ ad corpus ipſum Chriſti, quod in Euchariſtia ſignificatur, ſed ad panem, qui, ut ſæpè diximus, ſuo quodam modo eſt corpus Chriſti, referenda ſunt. Neq; nos inficiamur, Veterum ſacramenta inferiora fuiſſe noſtris, quæ Chriſtus ipſe per ſe inſtituit. Id autem ut dicamus, pluribus inducimur argumentis: inter quæ unum eſt, quod ducitur à termino relationis: quem illi in ſuis myſterijs habuerunt cum certitudine quidem promiſsionis, ſed imaginatum, adumbratum, ſignificatum: nos autem eundem habemus, ut iam datum, & exhibitum, & re ipſa in cruce pro nobis oblatum. Iſte uerò nos ita ſemper adoritur, quaſi ſacramentum noſtrum uelimus tantùm eſſe figuram. At nos Cœnam ſacram abſq; uero Chriſti corpore non docemus. Agnoſcimus, fatemur, prædicamus, à fidelibus communicantibus fide, mente, ac ſpiritu ipſum domini corpus re ipſa percipi. Tantùm autem abſumus

Nec ſacramẽta Hebræorũ fuerunt nudæ figuræ.

ab hoc errore, cuius iſte nos arguit, ut ne Hebræorum quidem Veterum ſacramenta dicamus fuiſſe nudas figuras. Illi enim eo modo, quo tum pro temporis ratione licuit, eandem nobiſcum eſcam comederunt: quemadmodum Paulus docet. Figuras tamen ea aliquo modo fuiſſe noſtrorum, non negamus: Patres enim fatentur, Veterum myſteria certo quodam modo noſtra ſacramenta ſignificaſſe, quibus illa poſt aduentum Chriſti erant conceſſura.

„ Cum autem in Obiectione dicitur, aduerſarios noſtros ponere figuram figu„ ræ, idq; habetur pro abſurdo, Papiſtarum impudẽs fictio perſtringitur. Illi enim dicunt, accidentia panis & uini figuras eſſe, quæ non tantùm corpus & ſanguinem Chriſti referant, ſed etiam panem & uinum, quæ iam per Tranſubſtantiationem abierunt. Atq; ad hunc modum putant, analogiam inter panem & uinum, & corpus & ſanguinem Chriſti conſeruari, uoluntq; accidentia illa figuram eſſe figurę, nimirum panis, quæ figura ſit corporis Chriſti. Nos igitur in ſacramentis Veterum figuram figuræ ſimpliciter concedere non dubitamus: quatenus quidem illa noſtra ſacramenta præfigurabant. Sed hoc negamus, myſteria illa Legis, accidentia panis & uini præfiguraſſe, quæ ipſa rurſus figuræ ſint panis & uini in Euchariſtia. Hoc nos habemus pro abſurdo, & intolerabili mẽdacio. Ad„ hæc Inconſtantius negat, noſtra externa eſſe cum Veterũ externis conferenda. Id autem quàm ſit uanum, & ridiculum, quiuis uidere poteſt ex Patribus. Illi enim ſæpiſsimè panes propoſitionis conferunt cum Euchariſtia: & cum eadem conferunt Panes Melchiſedechi: & ablutiones Legales cum Baptiſmo: & ſacerdotes Veterum cum miniſtris Eccleſiæ, & altare Moſaicum cum menſa ſacræ Cœnæ. Hæc autem ita inter ſeſe conferunt, ut noſtra illis iure meritoq; ſemper præferant.

Vltimo

Vltimo uerò loco iſte nos inſectatur, quòd ſubſtantiã corporis Chriſti, quam, ipſe cum ſuis pani ſubſtituit, & inuoluit accidentibus, pro nihilo ducamus. At nos ueram ſubſtantiam corporis Chriſti, pro eo ac debemus, plurimi ſemper faci-mus: eius enim uel Sacramentum magno honore proſequimur: quam tamen, ut iſti ſomniant, contectam, & obuelatam accidentibus, quoniam mera eſt impoſtura, ne caſſa quidem nuce coemeremus. Et quamuis callidè omnia ſimulẽt, & diſſimulent, tamen iſtos ipſos intus, & in animo, non dubito, quin huius tam putidi dogmatis uehementer pudeat: magnoq; haud dubiè redimerent, ne à ſuis Papis decretum iſtud unquam fuiſſet promulgatum. De illis enim omnis poſteritas ita factura eſt iudicium, ut tantam impudentiam nemo unquam ſit ſatis admiraturus. Rationis forma, quam iſte de induſtria diſſipauit, ut ſolet, ita poteſt reſtitui: Si Baptiſmus, miniſterium ſacrum Euangelij, & menſa domini, quæ ãritibus ueteris Teſtamenti aliquo modo figurabantur, ſubſtãtiam ſuorum ſymbolorum nõ amiſerunt, Ratio nõ eſt, cur panis & uinum in menſa domini ſubſtantiam ſuam debeant perdere. At ea in illis erat integra: ergo, integra etiam eſt in Euchariſtia.

OBIECTVM CXXXIIII.

EODEM modo ſe habet fractio panis ad paſſionem Chriſti, quo ſe habet panis ad corpus Chriſti. Fractio enim eſt ſymbolum paſſionis, ut panis corporis. At fractio non mutatur in paſſionem, ita, ut illam uerè ac realiter præſentem faciat. Ergo nec panis ita mutatur in corpus, ut illud realiter, & carnaliter efficiat præſens.

GARDINERVS.

DE elemento panis in conſtitutione Euchariſtiæ quid fiat, illud propter uerba Chriſti ſecundum fidei regulas intellecta, creditur à fidelibus, panis ſubſtantiam cum ſubſtantia corporis Chriſti non manere: ne incidat abſurdum Impanationis.

MARTYR.

HIc Inconſtantius noſter noua ſe quadam ratione adduci ait, ut dicat, panem in Euchariſtia non manere: uidelicet, ne incidat in abſurdum Impanationis. O columen Sophiſtarũ. Sed reſpondeat mihi, cũ ſoleat unà cum ſuis dicere, corpus Chriſti tranſiſſe per tabulas oſtij clauſi, & per lapidem clauſi ſepulchri (quod ipſum tamen, ut alia infinita, falſò aſſumunt) quomodò poteſt effugere abſurdum Intabulationis, aut Illapidationis? Si ad hoc abſurdum in ligno & lapide poteſt conniuere, cur idem tantoperè formidat in pane? niſi fortè, cum uideret ſe habere cor lapideum & ligneum, cognatę materiæ uoluerit pluſculum tribuere. Lutherus tamen nihil eſt ueritus hoc abſurdum. Contendit enim utrãq; naturam in Euchariſtia ſaluam eſſe, & integram. Cuius ego etſi ſentẽtiam in hac re non ſequor, nec probo, tamen eius ingenium multis Inconſtantijs antepono.

Addit præterea, fractionem per figuram reſpicere præteritũ, ne credatur in Chriſti corpore preſenti fieri. Nam ita, inquit, quotidiè Chriſtus pati uideretur. Quid hoc aliud eſt, quàm uelle per tenebras ſe ipſum è medio ſubducere? Non enim hoc nunc agitur, fractio illa utrum in corpore Chriſti fiat, an alibi. Sed hoc dicitur, ita manere poſſe in Sacramento panem & uinũ ſine corpore & ſanguine Chriſti, quorum ſunt ſymbola, ut eorũ fractio eſſe poteſt ſine præſenti morte

domini. Fractio enim non minus est signum passionis & mortis Christi, quàm panis & uinum signa sunt corporis & sanguinis. Et sanè, si rationem absurdi habere uolumus, non minus est absurdum, corpus humanum, cuiusmodi fatemur illud esse, quod induit filius dei, eodem tempore simul & in cœlo esse, & in terris, atq; adeò in infinitis locis, quàm est, Christũ quotidiè pati & mori. Non minus enim est articulus fidei, Credere, Christum uerum esse hominem, quàm credere, eum nõ esse amplius moriturũ. Non ergo reuerẽtia ulla regulæ fidei, ut tu, Inconstanti, dicis, sed mendacij uestri pertinax defensio in hæc delira nos detrudit. Sed iste, quoniam uidit, iustam sacrificandi rationem coniunctam habere mortem eius rei, quæ sacrificatur, ne quis fortè putet, in Ecclesia Papistica Christum sæpius mori, quòd isti eum dicant à se quotidiè sacrificari, mitiori quadam interpretatione uoluit mendacium suum colorare. Ait enim hoc genus sacrificij in cœna fieri ἀθύτως. Hic ego hoc primum dico, Missam Papisticam non rectè posse appellari Cœnã. Nam Cœna indicat cõmunionem: in Missa autem sacrificus solus omnia deuorat. Huius rei testimonium illustre habemus è Chrysostomo in epistolam priorem ad Corinth. hom. 27. Sic enim scribit: Quod dominicum est, priuatum faciunt. Quoniam dominica cœna, hoc est, domini, debet esse communis. Quę enim domini sunt, non sunt aut huius serui, aut alterius; sed omnibus communia. Nam quod dominicum est, commune est. Hæc Chrysostomus. Et sanè etymon uocis Græcæ idem indicat. Cæterùm, quod ad istam excusationem Inconstantij attinet, sic respondeo: Si per sacrificium intelligat memoriam, gratiarum actionem, & celebrationem redemptionis nostræ factæ per Christum, nihil refragamur. Verùm hoc sibi persuadeat oportet, hoc genus sacrificij offerri etiam à plebe, nec solius sacrifici esse opus. At si hoc intelligunt Papistæ, non recta utuntur loquendi formula. Non enim est re ipsa corpus Christi, quod offertur. Sed potius laudes, & gratiarũ actiones de corpore Christi pro nobis in crucẽ tradito, publicè ab omnibus offerũtur. Etenim cõmemoratio potius sacrificij dici debet, quàm uerum sacrificiũ: quod Chrysostomus quoq; docuit in Epistolam ad Hebræ. hom. 17. Per singulos, inquit, dies offerimus: offerimus quidem, sed ad recordationẽ facientes mortis eius. Et mox: Hoc, inquit, sacrificium exemplar est illius. Et addit: Hoc autem, quod nos facimus, in Commemorationem fit eius, quod factum est. Et posteà, Idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur. Quare si rectè intelligat, hoc genus sacrificij plebi quoque commune faciat. Nam si somniat, se, suosq; oblationem aliquã facere posse deo patri, quæ sit propriè ipsius corporis Christi, sciat, se, suosq; peregrini, & fictitij, & mendacis dogmatis impudentes esse assertores.

Missa Papistica non potest dici Cœna. Chrysostomus.

Quodnã sacrificiũ in cœna dari posit. Chrysostomus.

Sed redeo ad Inconstantium. Ille negat se eodem loco habere panem, & fractionem panis. Panem enim omninò uult auferri, & eius loco præsens substitui corpus Christi: Fractionem uerò, cum signum sit passionis domini, eam præsentem non ostendere. At nos arbitramur, similitudinem constare ex Christi uerbis: qui, quemadmodum Paulus ait, utrũque horum in eadem sententia complexus est. Ait enim, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frãgitur. Corpus ergo Christi, & eius fractio, ea, nimirùm, quæ facta fuit in cruce coniunguntur: & panis est signum corporis, non aliter quàm fractio panis est signũ passionis. Quare rectè concludimus, utriusq; signi eandem esse oportere efficaciam. Deinde sugillat loquendi formulam, quam ipse in Obiectione posuit: Fractionẽ, uidelicet, nõ mutari. Nam si mutaretẽ, inquit, instar panis, esse desineret. Hæc ille: quasi uero mollissima, et decentissima sit loquutio, quam ipse passim iactare solet, panem Transubstantiari in corpus Christi: cum ea nihil cogitari possit ineptius. Sed nulla est bestia tam deformis, quæ suos catulos, quãuis sint fœdissimi, non putet esse pul-

pulcherrimos. Esse, inquit, desineret, si mutaretur. At panis, ut uos uultis, esse desinit. Quid obsecro grauius peccaretur, si esse desineret etiam fractio? & eius loco subijceretur mors, aut passio domini? Fortasse dicet, id absurdum fore in Fractione, quòd, cum tota discedat, non sit relictura accidentia sine subiecto. In pane enim, quamuis substantia esse desinat, tamen eius accidentia salua manent, & incolumia. Quid tibi uidetur, Lector, de tam arguto stupore? Si dicat, Fractio nem uniuersam esse desinere, mendacium quidem illud erit magnum, & impudens: sed tamen unum. Cum autem dicunt, panem abire, & eius accidentia manere sine subiecto: duo dicunt egregia mendacia uno spiritu. Sed ignoscendum est Inconstantio, si minus putet absurdum esse bis mentiri, quàm semel. Cũ enim sæpè mentiri soleat, satis uidet, mendacia, nisi mendacijs cumulentur, non posse consistere.

OBIECTVM CXXXV.

QVI tollunt ex Eucharistia nutritionẽ corporis nostri, quæ fit per uerum panem, ijdem auferunt rationem sacramenti. Nam, ut corpus Christi pascit animum: ita panis pascit corpus. Qui igitur grana, & granorum compositionem auferunt, nutritionemq; tollunt, & substantiam panis, meo iudicio sunt Sacramentarij: quia rationem, & ἀναλογίαν sacramenti auferunt.

GARDINERVS.



ERQVAM *ille est iniquus rerum æstimator, qui eos potius dicat Sacramentarios, qui uerbis auferunt substantiam panis, quàm qui ipsam corporis Christi substantiam tollant.*

MARTYR.

PRimùm iste nos facit reos eius criminis, cuius in primis tenetur ipse. Nos enim uideri uult Sacramentarios, quòd substantiam corporis Christi ab Eucharistia separemus. Sed interim uidere non uult, quàm grauiter hoc sacramentum uioletur ab illis, qui corpus & sanguinem domini reali præsentia coniunctum uolunt esse cum symbolis. Illud enim merum est somnium, & ueritatẽ humanitatis Christi labefactat. Nos uerò à pane & uino res significatas non magis auellimus, nec eas uicissim magis cum eis coniungimus, quàm earum natura, & sacramentorum ratio patiatur, & literæ diuinæ doceant. Non omnem presentiam corporis & sanguinis Christi tollimus: neq; sacram Cœnam, quod ad fideles attinet, salutari perceptione corporis & sanguinis domini mutilamus. Quòd autem minus credamus, res ipsas corporaliter, & realiter coniunctas esse cum symbolis, obstat uera humana natura corporis Christi, & sacra testimonia, quibus docemur, Christum ascendisse in cœlum, ibiq;, quà homo est, usq; ad extremum diem detineri. Iam uerò, proferãt uicissim isti causas, quibus adducti sint, ut panem ex Eucharistia tollerent. Nullam certè habent.

Quod autem in Obiectione à nobis dicitur de analogia retinenda inter res significatas, & symbola, id ita est firmum, ut, cum ne species quidem ulla iustę infirmationis ab Inconstantio adferri posset, eum prorsus in furorem coniecerit. Nam cum uideret, ea, quę attulisset, quamuis multa essent, nihil posse proficere,

,, putauit omninò experiundum esse conuitijs. Ait authorem huius argumenti to
,, tum esse in nutritione corporis: eumq; corporis sui causa similitudinem inue-
,, tisse, atq; ita dixisse: Quemadmodum Christi corpus pascit animum: ita panis pa
,, scit corpus humanum. Quasi, inquit, probandum sit, quomodò panis nutriat cor
,, pus: quod ipsa uidemus experientia. Atqui, mihi crede, Inconstanti, nõ est hoc
argumentum situm in nutritione corporis. Sed hoc potius contendit, panẽ opor
tere & sacramento, & eius significationi inseruire: uos autem nec rectè, nec or-
dine facere, qui improba, & peruicaci temeritate illum uelitis auferre. Neq; ille
uideri debet discedere à uero, qui, cum uim analogiæ explicet, initium collatio-
nis faciat à spirituali nutritione corporis Christi: & posteà adiungat alimoniam
eam, qua corpus nostrum reficitur in pane. In mysterijs enim res, quæ significan
tur, potiorem locum obtinent, & signis ac symbolis omninò debent anteponi.
Non enim sensus argumenti est, ut explicetur ratio nutritionis, qua corpus no-
strum reficitur pane. Sed idcircò necessariò euincitur, retinendum esse panem
in Eucharistia, ut uis quædam alendi sit in symbolis, quemadmodum est in cor-
pore domini, quod significatur. Nec ita hebes fuit Inconstantius, ut non uideret
scopum argumenti. Sed ita planè furit, ut quiduis uelit arripere, ne nihil uidea-
tur habuisse, quod responderet.

,, Cauillatur de uocabulo nutritionis: & de actu, & potentia multa inaniter iu
,, gatur: quasi uerò magnoperè obscurum sit, quid agatur. Sensus est, Oportere ma
teriam huius sacramenti esse panem, quo ali, & sustentari solent humana corpo-
Cyrillus. ra. Quid hic restat scrupuli? Nónne Cyrillus in Iohannem libro 3. cap. 24. ita
,, scribit: Vt enim panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens,
,, atq; conseruans: ita & ipse per spiritũ sanctum spiritũ nostrũ uiuificat, & corpus
,, nostrum à corruptione liberat? Necesse est itaq;, ut panem huiusmodi conceda-
tis, tanquam partem alteram huius sacramenti: nisi uelitis, ut soletis, & à diuinis
literis, & ab Orthodoxis Patribus dissentire.

,, At non est, inquit, eundum ad philosophos, cum de sacramentis disceptetur:
,, sed potius theologicis rationibus agendum. Rectè sanè. Sed cur tu hoc ipse non
,, præstas? Vnde enim, quæso te, sunt uoces illæ, Actus, & Potentia, nisi à philoso-
,, phis? Quid autem illud refert, si corpus eius, qui recipiat Eucharistiam fortè sit
,, ægrotum, ut illo pane ali non queat: aut si illa symbola homini moribundo in os
,, imponantur? Hoc unum nos contendimus, & affirmamus, talem oportere pa-
nem esse, qui usui esse possit ad alendum corpus. Neq; nos, ut iste impudenter
conuitiatur, uẽtris saturitatem quærimus. Volumus enim idoneam esse alteram
partem sacramenti: eam, uidelicet, quam scripturæ diuinę, & Patres Catholici re
,, quirunt. Quare nihil erat, cur Inconstantius criminaretur, nos Niceni Concilij
,, decreta rescindere. Quod autem Chrysostomus ait, nihil hic quærendum esse
Chrysostomus. simile alijs cibis, rectè dicit, modò rectè, & sobriè intelligatur. Ille enim cibus est
iam consecratus in mysterium: est instrumentum spiritus sancti: & sublatus iam
ad parem dignitatis gradum cum uerbo dei. Longè ergo, lõgeq; superat omnes
communes cibos. Non tamen ita prorsus discessit à natura sua, ut desierit iam
aptus esse nutriendis humanis corporibus: quicquid iste sine pudore ullo, aut
fronte clamet.

,, Porrò autem, quod addit, analogiam illam de nutriendo corpore, quæ osten
,, dat, animum nostrum ali spiritualiter corpore Christi, satis seruari, si tales natu-
,, ræ antè Consecrationem adhibeantur, quæ præditæ sint hac alendi potestate: nõ
,, tamen necesse esse, ut illæ posteà integræ conseruentur: hoc, inquam, ego non
,, possum iudicare, nisi ualdè ridiculum. Ex eo enim sequitur, symbola huius sacra-
menti analogiam, & uim significandi maiorem habere antequam consecrentur,

quàm

quàm postquam iam facta sint mysteria. Quis hoc sanus unquam diceret? Deinde patres, qui de hac analogia scripserũt, nihil unquam huiusmodi somniasse, loca ista clarissimè ostendent, quæ subijciã. Irenæus lib. 4. cap. 34. Panis, inquit, in quo gratiæ actæ sunt, corpus est domini. Gratijs actis, & Consecratione perfecta, ait, panem esse corpus domini. Ridiculum est ergo, Inconstanti, confugere ad tempus illud, quod Consecrationem antecessit. Deinde idem eodem libro ca. 32. & 33. Ait, panem illum esse creaturam secundum nos. Creaturas autem, quibus nos utimur, nemo dixerit esse transubstantias. Adhæc idem ait libro 5. Fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Hic apertè ponit eã partẽ Eucharistiæ, ex qua alantur carnes & corpora communicantium. Atqui illa nutritio nõ potest referri ad corpus ipsum & sanguinẽ domini. Ea enim in substantiã carnis & sanguinis nostri non transeunt. Huc adde Cyprianum. Is lib. 1. Epistolarũ, Epist. 6. ad Magnum ita scribit: Nam quãdo dominus corpus suũ panem uocat de multorũ granorum adunatione congestum, populum nostrũ, quẽ portauit, indicat adunatũ; & quando sanguinem suũ uinũ appellat, de botris & acinis pluribus expressum. Hic audimus, panem illum, qui iam est Sacramentũ, & uocatur corpus Christi, congestum esse ex multis granis. Quorsum ergo iste cõmemorat uel accidentia, uel tempus, quod Consecrationẽ antecessit? Idem lib. 2. Epist. 3. Quomodo, inquit, nec corpus domini esse potest farina sola, aut aqua sola: nisi utrũq; adunatũ fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatũ: quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus. Non ait, corpus Christi nõ adfuturũ: sed utitur præsenti tempore, aitq;, non esse corpus Christi, nisi sit panis: neq; comminiscitur accidentia, quod isti faciunt: sed disertè nominat farinã, aquam & panem ipsum, quem ait esse oportere corpus Christi. Chrysostomus quoq; hom. 24. in Epistolam 1. ad Corinth. ita scribit: Quid nam, inquit, est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui accipiunt? Corpus Christi. Non multa, sed unum corpus. Nam quemadmodũ panis ex multis granis unitur, ut grana minimè appareant, sed tamen grana sunt, uerùm incerta discretione coniuncta, inuicem Christo coniungimur. Si hanc loquutionẽ Inconstantius pressius consideret, nõ reprehendet nos, si dicamus, ipsos cũ sua Transubstãtiatione auferre grana ex symbolo Eucharistiæ, cũ nihil aliud intelligamus, q̃ ab illis auferri materiam granorum. Si Chrysostomus dicat, panem ex multis uniri granis, quãuis grana iam in eo conspici nõ possint, insulsè iste nos ridet, cum dicat, grana iamdudum abijsse in mola, priusquã panis pinseretur. Nõ enim ita cæcus erat Chrysostomus, quin ut hoc uideret. Tamen non ineptè loquitur, cũ dicat, panem constare ex multis granis. Cum enim dicit grana, intelligit granorum materiã & substantiã. Augustinus quoq; tractatu 26. in Iohannem ita scribit: Hunc itaq; cibum & potũ societatem uult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, uocatis, iustificatis, glorificatis. Et mox: Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad unum aliquod rediguntur ex multis. Nanq; aliud ex multis granis in unum conficitur, & constat: aliud in unum ex multis acinis cõfluit. Quòd si corpus et sanguis domini in ijs rebus credentibus cõmendantur, illa haud dubiè Sacramenta sunt, quæ ex illis granis & acinis conficiũtur, & cõstant. Sed quia tempus me deficeret, si Theodoreti, aliorũq; multorum patrum uellem hac de re testimonia recensere, desistendum arbitror. Inconstantium tamen oportuit unum saltem ex antiquis scriptoribus adducere, qui diceret, aut accidentia panis & uini manere absque subiecto: aut hanc analogiam symbolorum, & rerum non post, sed ante Consecrationem esse intelligendam. Quòd si hoc in omnibus illorum scriptis ne minima quidem uocula doceri

Irenæus.

Irenæus.

Irenæus.

Cyprianus.

Cyprianus.

Chrysostomus.

Augustinus.

poteſt, acquieſcat in illis, quę nos citauimus: præſertim cum uideat, ea à ueſtigijs diuinarum ſcripturarum non diſcedere.

Iſte uerò, ut nos aliquo ſaltem colore coarguere uideat, id repetit, quod à nobis aliquando ſcribitur, In ſacra cœna non eſſe hærendum in ſymbolis: mentes enim ad cœlum potius tollendas eſſe: id enim Eccleſiam ipſam monere, cum dicere ſoleat in myſterijs, Surſum corda. Nunc uerò ſi ita eſt, inquit, cur uos tam rigidè & morosè litigatis de integritate panis & uini? Atqui nec nos fruſtrà iſta diſputamus, nec Eccleſia ſine iuſta ratione canit Surſum corda. Chriſtus em̃ in pane quærendus non eſt. Retinenda tamen eſt natura panis, quò nobis ex inſtituto Chriſti ſua ſignificatione inſeruiat, ut mentes noſtræ ui ſpiritus ſancti attollantur ad cœlum. Ita literæ quoq;, & uocum ſoni nos iuuant, quamuis in illis non ſit hærendum, ſed potius tota mente, atque omni animo ad res ſignificatas connitendum. Verùm iſte ne nimium pertinaciter uideatur à ſignificationis analogia diſcedere, ait, etiam facta in pane tranſubſtantiatione, tamen Euchariſtiam retinere uim nutriendi corporis. Miraculo enim quodam fieri, ut accidentia illa, quamuis careant ſubiecto, tamen alere ac nutrire poſſint humana corpora. Si ſacræ literæ hoc docent, manus damus & cedimus. At ſi Papiſtæ hoc ſibi de ſuo cerebro confinxerunt, ignoſcere debent nobis, ſi ipſorũ inuentis & ſomnijs nõ credimus. Verùm ſacræ literæ hoc nuſquã docent: Patres aiũt, uinũ eſſe & panem, quæ nutriunt. De accidentibus autem, quæ ita inſtituta ſint à deo, ut ſine ſubſtantia poſſint alere, nemo unquam præter iſtos ſolos ſomniauit. Non ſumus, Inconſtanti, ita leues, ut cuiuſq; Sophiſtæ uerbis & inuentis uelimus aſſentiri. Neque uerò nobis philoloſophis opus fuit, ut tu conuitiaris, à quib. diſceremus, accidentia nõ nutrire. Id enim ipſa experientia magiſtra, quiuis facilè poteſt intelligere. Non enim odore aut ſapore uini alimur: nec panis figura aut colore nutrimur, niſi ſubſtantias ipſas harum rerũ in uentriculum traijciamus. Quòd ſi indignaris iſta tradi etiam à philoſophis, cur tu teſtimonijs theologicis, hoc eſt diuinæ ſcripturæ, experientiam uulgarem, & philoſophorum argumenta non confutas?

Hactenus uerba tantùm audiuimus huius hominis & conuitia. Vt autem, ea uno uerbo repetam quæ dicta ſunt, ſic habeat: nos cũ quæramus rem Sacramenti, pati nolle, ut Chriſti ſymbola pluſquam dimidia parte mutilentur. Alioqui & Cypriano, & Chryſoſtomo, & Epiphanio idem potuiſſet obijci ab Aquarijs: cur illos oportuerit adeò ſollicitos eſſe de uino, cũ aqua ſola ſine uino tãtundem poſſit ſignificari. Neque tamen dubito, quin ad ſignificandum multò plus poſſit aqua ſola, quàm accidentia uini. Illa enim non tantùm accidentia habet, uerùm etiam ſubſtantiã. Sed fruſtrà agimus cũ pertinacibus: qui uidere nolint, quãuis ſolem in manu geras. Sed iſti, inquit, myſteria nec è ſcripturis, nec ex Eccleſiaſtica traditione æſtimant, uerùm tantùm ex ingenio ſuo. Poſtremò, ut eſt liberalis in conuitijs, ait, nos planè nihil credere. At cur tandem nõ profert aliquid uel è ſcripturis, uel è ſymbolo fidei, q̃d à nobis nõ credatur? Certè qui ſcripturas uniuerſas, & omnia ſymbola complectitur, non rectè dicitur nihil credere. Imò, ſi uerum quærimus, ille minus multò credit, quàm nos. Nos enim ex authoritate diuinarum literarũ credimus, & cum Orthodoxis patribus profitemur, panem manere in Euchariſtia: quod iſti ſe dicunt non credere.

Addit præterea, nos prauo iudicio eos appellare Sacramentarios, qui panem tollũt ex Euchariſtia. Atqui ego id iudicio grauiſſimo, atq; optimo fieri arbitror. Nam ut qui uitiant, aut ſubijciunt teſtamenta, appellantur Teſtamentarij: ita qui Sacramenta corrũpunt, aut adulterant, iure optimo dicendi ſunt Sacramentarij. Quòd ſi contendat, nos quoq; eodem iure appellandos eſſe Sacramentarios, qui ex ſymbolis myſterij detrahamus corpus Chriſti, intelligat, nos illud adimere non

non potuisse, cum ibi corporaliter, & realiter præsens nunquam fuerit. Ad extremum addit, de substantia symbolorum id se docere cum fide, quod ex fide acceperit. Si ea fides est, cur uerbo domini nõ confirmatur? Eo enim solo nititur, & constat fides. Nam fides, inquit Paulus ex auditu: auditus autem per uerbum dei. Sed ait, se ista habere ex doctrina Ecclesiæ. At quæ, malum, est illa Ecclesia, quæ dogmata sua probare non possit è scripturis? imò, quæ ne Patrum quidem testimonijs possit decreta, quæ importunè, & impudenter obtrudit, constituere? Quid isti facias Ecclesiæ malignantium, quæ longè ditior est uanissimorum miraculorum, quàm bonorum testium? Ea dico miracula, quę fugiunt oculos, & uideri aut non possunt, aut nolunt, nec fidem facere possunt, nisi homini nimium simplici, ac stupido.

Non est Ecclesia, quæ sua dogmata è scripturis non potest probare.

OBIECTVM CXXXVI.

EVCHARISTIA est sacramentum non tantùm corporis Christi, sed etiam corporis mystici. Vnde Paulus ait, Vnus panis, unum corpus multi sumus. Sed panis non transubstantiatur in corpus Christi mysticum. Ergo, nec in corpus Christi uerum. Nam utriusq; corporis ex æquo prædicatur esse sacramentum.

GARDINERVS.

CORPVS *quidem mysticum hoc sacramento significatur: iuxta Paulum, cum dicat, Vnus panis, unum corpus multi sumus.*

MARTYR.

ARgutus, scilicet, disputator ab initio distinguere uoluit, corpus Christi aliud esse naturale, aliud mysticum. Dominum autẽ ait, cum diceret, Quod pro uobis tradetur, intellexisse naturale: itaq; iuxta illam domini restrictionem necesse est, ut dicamus, substantiam panis transire in naturale corpus Christi, nõ autem in corpus mysticum. Nos & distinctionem istam, & Christi restrictionem admittimus. Neq; enim dubitamus, illum in Cœna de suo naturali corpore loquutum esse. Scimus enim illud traditum pro nobis esse in crucem. Sed addimus, illa quoq; uerba, quæ Paulus scripsit de hoc mysterio, & Christi esse, & spiritus sancti, qui loquebatur in Paulo, & prorsus eadem ueritatis efficacia pollere. Quare, quemadmodum sine Transubstantiatione uerba illa Pauli possunt esse, & sunt uera, Nos esse unum panem, aut nos esse corpus Christi: ita etiam sine Transubstãtiatione potest rectè intelligi, quod Christus ait, Hoc est corpus meũ, si de pane, ut sæpius docuimus, pronuntiatum intelligatur. Et sanè hoc genus argumenti inuictum est, efficacissimeq; probat, & rationem sacramenti, & uerba domini posse esse salua sine ullo commento Transubstantiationis.

Quod uerò addit, corpus Christi mysticum in Eucharistia tantùm significari, corpus autem naturale & significari, & in ea contineri, uanum & fictitium est. Nam in uerbis Christi, & Pauli, nullum apparet tale discrimen. Iam ita conficimus rationem: Si nos sumus unus panis, & corpus Christi, sine Transubstantiatione: etiam panis Eucharistiæ erit corpus Christi sine Transubstantiatione. Nos autẽ absq; Transubstantiatione sumus corpus Christi, & unus panis. Ergo etiam panis Eucharistiæ absq; Transubstantiatione est corpus Christi. Maior

propoſitio ex eo apparet, quòd utrinq; ſint uerba ſpiritus ſancti, nec minus ue
ritatis in iſtis collocandum ſit, cum de eadem re prolata ſint, quàm in illis. Mino
rem experientia ipſa docet. Nos enim ſubſtantiam eandem retinemus, quam ha-
buimus antequam crederemus, aut accederemus ad Communionem.

OBIECTVM CXXXVII.

EVCHARISTIA inſtituitur in pane & uino, ut ſignificetur nobis ſpirituale nutrimentum ex corpore & ſanguine Chri ſti. At ſi corporale illud nutrimentum ſit fictitium, ſpirituale quoq; erit fictitium, & expers ueritatis.

GARDINERVS.

NVTRIMENTVM, *quod accidentibus panis & uini in Euchariſtia manentibus fit, uerum, non phantaſticum dici debet.*

MARTYR.

NVlla ratio erat, cur hoc argumentum à priori reuelleretur. Arbitror autem Inconſtantium putaſſe, hoc loco numero tantùm eſſe inſeruiẽdum. Quòd ad rem ipſam attinet, ſatis iam ſuperq; dictum eſt. Hic iſte unum tantùm quidd̃ „ affert, illudq; fucatum, & fictum alimentum, quod fabulatur, ab accidentibus ad „ corpora Communicantium deriuari, non eſſe phantaſticum, ſed uerum, idq; ex „ miraculo. Ita non tantùm diues miraculorum eſt, ſed etiam profuſus, & prodi- gus. Certè tam uerum eſt, ex illis accidentibus haberi alimentum, quàm uerum eſt, illa ſine ſubiecto conſiſtere. Quod autem dicit, illud alimentum nõ eſſe phan taſticum, facilè credo. Re enim uera nullum eſt, & nullum apparet.

Denicq; collatio etiam inducitur ab iſta re, quam nunc agimus, alieniſſima, de „ de multis illis millibus hominum, quos dominus paucis panibus ſaturauit. Illud equidem alimentum non dubito fuiſſe ueriſsimum, neq; phantaſiam ullam, aut illuſionem interceſsiſſe. Verùm hoc nihil habet ſimile cum horum fictionibus. Nam in illo Chriſti conuiuio fuit panis, auctus & multiplicatus potentia dei. A uero autem pane dubium non eſt, alimentum poſſe deriuari. At iſti ex Euchari ſtia ſapientes, ſcilicet, uiri, panem tollunt, et ex eius accidentibus corpora nutriri uolunt. Augent miracula in immenſum, quòd confidant, mendacia ſua propter ἀκρασίαν facilè latere poſſe. Forma rationis eſt huiuſmodi: Si à ſymbolis alimen tum non poteſt exhiberi niſi phantaſticum, ſpirituale quoq; alimentum, quod à re ſignificata deducendum eſt, erit phãtaſticum. At è Papiſtarum ſymbolis, cum inania ſint, & ſubſtantia careant, nullum deriuari poteſt alimentum, niſi phanta ſticum. Ergo ex illorum ſententia illam quoq; alimoniam neceſſe eſt eſſe phanta ſticam, quæ à rebus ſignificatis deriuatur.

OBIECTVM CXXXVIII.

HOMINES, cum tinguntur, deponunt ueterem hominem, & rurſus generantur: nec tamen in illis ulla fingitur Trans ſubſtantiatio. Quòd ſi dicant, illam nouam generationẽ eſſe ſpiritualem, cur idem nolunt fieri in Euchariſtia? et cur ad ſpi ritualem manducationem omnia non traducunt?

GAR.

GARDINERVS.

ECCLESIA *nihil fingit, & ſpiritus, quo authore ducitur, & docetur, odit omne fictum: quod ſatis eſt & cauſæ, cur Chriſti inſtitutum non abroget.*

MARTYR.

PRætexit iſte magnum uidelicet ſtudium religionis, quaſi qui uereatur aliquid fingere: cum tamen dogmata iſta, quæ defendit, prorſus redundent fictionibus. An enim accidentia eſſe ſine ſubiecto iſti non fingunt? An non ſubſtantiam panis & uini aboleri fingunt? An non homines ali accidentibus mentiuntur, & fingunt? Vt in Laica cõmunione Sacramenta diſcerpant, nónne iſtorũ eſt uaniſſima fictio? Tẽpus me deficeret, ſi uellem omnia illorũ commenta cõmemorare. Tamen iſte ſe iactat nihil mentiri aut fingere. Sed ſacramentalem illã manducationẽ corporis Chriſti realiter preſentis, ait, dominũ ipſum inſtituiſſe. Id uerò longè eſt uaniſſimum. Sacramentũ quidem à domino traditum eſſe, fatemur, & ſcimus. Necꝙ nos domini inſtitutũ conuellimus, aut abrogamus. Vnà enim cum manducatione, quæ merè ſit ſpiritualis, poſſunt etiã comedi Sacramenta: non minus, ꝙ cũ ſpirituali regeneratione cõſtare poteſt externũ Baptiſmi Sacramentũ.

Quod autem nos obiicimus, hominem, cũ tingitur, non tranſubſtantiari, nec in ſpiritum, nec in aquam, cum tamen nihilominus regeneretur, iſte iocũ eſſe dicit hominis otioſi: quaſi uerò, quòd dicunt, panẽ tranſubſtantiari in corpus Chriſti, non ſit mendacium hominum impoſtorũ. Collationẽ iſtam inter Baptiſmum & Euchariſtiã nos planè habemus ex omnibus patribus. Ideoꝙ in pane uel nullam omninò dare uolumus mutationem, uel illam tantùm, qua panis dicatur fieri Sacramentum: nõ autem, qua eius auferatur ſubſtantia. Adhæc eius mutationis, quam uocamus nouam regenerationem, teſtimonium habemus ex diuinis literis: de ueſtra autem iſta mutatione ne apicem quidem unum ex omnibus ſcripturis unquam audiuimus. Adhæc quis dubitet, hominum fideliter communicantium maius multò eſſe commercium cum carne & ſanguine Chriſti, quàm panis aut uini? Quod cum ita ſit, nemo inficiabitur, firmum eſſe argumentum negando à maiori ad minus. Vt ita poſſit rectè colligi, Homines ui Sacramenti non tranſubſtantiantur in corpus Chriſti: Ergo multò minus ui Conſecrationis, panis & uinum tranſubſtantiantur in corpus Chriſti. Necꝙ enim eſt conſentaneum uerba Conſecrationis plus poſſe in panem & uinũ, quàm Sacramentum Baptiſmi poteſt in eos, qui tinguntur.

Addit, in hominibus ſubſtantiam priorem remanere, & feces quoꝙ peccati originis: quamuis reatus iam ablatus ſit: ut in illis expurgandis homines regenerati militent, & ſeſe exerceant: quod ad rem quid faciat, non uideo: niſi forte, ut uim Baptiſmi præ potentia Euchariſtiæ nimium extenuet. Non tamen, quod dicit, nego uerum eſſe. Remanet enim in hominibus renatis eadem ſubſtantia: remanet etiam fomes, ut appellant, peccati originalis, & corruptio, cõtra quam oporteat pios homines aſſiduè dimicare. Sed uiciſſim cur nõ fatentur in Euchariſtia manere panem, & eius naturales qualitates? Ita enim & ſubſtãtia eſſet, quæ poſſet nutrire: & materia corruptioni & generationi uermium & cinerum: & ſubiectum, quod recipere poſſet accidentia.

OBIECTVM CXXXIX.

VT nos mutamur in Chriſtum, ita panis mutatur in corpus Chriſti. Sed nos non tranſubſtantiamur in Chriſtum: Ergo nec panis in corpus Chriſti.

GARDINERVS.

QVOD *hic proponitur ut nullis ſcripturis conſtat, nulla patrum authoritate traditur, ita à ratione eſt alienum.*

MARTYR.

HOc quoq; argumentũ numero potius ſeruit, quàm rei ipſi aut ponderi. Satis enim & propoſitum eſt prius, & explicatũ. Primùm ait, hanc rationem nec è ſcripturis conſtare, nec tradi à patribus. Atqui utrunq; horum falſum eſt. Nã, quod ad ſcripturas attinet, Paulus ait, Vos eſtis corpus Chriſti: &, nos Chriſtum induere: &, nos eſſe carnem ex carnibus eius. Et Chriſtus ad Nicodemum amplißimam habet concionem de regeneratione. Patres etiam, cum loquuntur de ſacra Cœna, inculcant ſæpißimè mutationem noſtram in Chriſtum: Chryſoſtomus, inquam, Ambroſius, Auguſtinus, Theodoretus, Damaſcenus, Theophylactus. Nam Theophylactus ait, nos in Chriſtum etiam tranſelementari. Iſta ergo collatio, non tantùm è ſcripturis, ſed etiã è patribus confirmatur. Sed ait, non eſſe uerum, quod nos ſumimus, ita homines mutari in Chriſtum, ut panem. Fateor, id quod aſſumitur, minus eſſe uerũ. Sed excuſo dictum, quòd cũ conteneretur cum iniquis aduerſarijs, minus petebatur, quàm dari debuit: ut aliquid ſaltem æqui auferret. Re enim uera homines magis mutãtur in Chriſtum, quàm panes. Sed, quod minimum eſt, dent ſaltem utrinq; parem mutationem. Omnino ſequetur neceſſariò, nullam eſſe tranſubſtantiationẽ. Homines enim, qui non minus mutantur, quàm panis, priſtinam ſubſtantiam non abijciunt. Iſte autem, ſi deo placet, magis uult panem mutari in Chriſtum, quàm homines. At ſi uerba ipſa ſacrarum literarum ſequi uelimus, quemadmodum dicitur de pane, Hoc eſt corpus meum: ita dicitur de fidelibus, Vos eſtis corpus Chriſti. Cur ergo nolunt, utrinq; parem eſſe ueritatem?

Pij homines magis mutantur in Chriſtum quàm panis in corpus Chriſti.

Verùm iam audienda eſt grauis Inconſtãtij querimonia. Indignè, uidelicet, patitur ita à nobis deijci humanam naturam, ut cũ pane conferatur. Imò nos, Inconſtãti, dicimus, & prædicamus, homines magis mutari in Chriſtum, quàm panem. Verùm, cum id ab aduerſarijs pertinacibus impetrare nõ poſſumus, id ſaltem poſtulamus, ut fateantur, parem eſſe utrinq; mutationẽ. Præterea ex illis locis diuinæ ſcripturæ oſtendimus, quid ex huiuſmodi loquendi formulis conſequatur, niſi uelis adhibere tropum. At miratur, nos iſta dicere, cum ſoleamus eos deridere, qui corpus Chriſti in pane collocant. Id fateor eſſe uerum: neque nũc peto, ut de eo aliquid ſtatuatur. Sed argumentor ex hypotheſi Papiſtarum. Si omninò uolunt, panem tranſubſtantiari, id multò magis dicendum eſſe de hominibus. Illos enim ſcripturæ dicũt eſſe corpus Chriſti, nõ minus, quàm panem. Reprehendat Inconſtantius iſtam connexionẽ, ſi poteſt. Quod ad rei ueritatem attinet, ne in hominibus quidem, quantumuis fidelibus ipſam corporis Chriſti ſubſtantiam collocamus, ſi, ut uulgo iſti ſolent, realiter & ſubſtantialiter loquimur. Sed quia corpus habemus eiuſdem formæ, ſeu ſpeciei cum corpore Chriſti, & quia per ſpiritum Chriſti earundem qualitatum participes efficimur, idcirco nos corpus Chriſti, & carnem de carnibus eius eſſe dicimus. Iſta autem nullo prorſus pacto tribuenda ſunt pani. Pecus autem iſtud Papiſticum quis non optimo iure rideat? Ab eo enim plus infinitis partibus pani datur, quàm hominibus. Iſtis enim mutationem tantùm qualitatum tribuunt, illi uerò ſubſtantialem. Nos uerò aliam pani mutationem nõ damus, quàm ut ex re profana fiat Sacramentum. Poſtremò, dico, hoc argumentum non poſſe à quoquam mortalium dilui. Nam altiſſimas habet radices, & in ſcripturis & in patribus. Rationẽ iſtam reſoluere non eſt opus. Nam & anteà explicata eſt, & ſatis eſt per ſe perſpicua.

Quomodo Chriſti corpus in hominibus fidelibus ſit, aut non ſit collocandũ.

OBIECTVM CXL.

IN omni ſacramento ponēda eſt analogia ſignorum ad res, quæ ſignificantur. Vt in hoc ſacramento confectio ex multis granis, ſignificat corpus Chriſti myſticum: & operatio panis in alendo, confirmando, ſuſtentando, ſignificat fructum ueri corporis domini. Sed niſi maneat natura, & ſubſtantia panis, ea analogia tollitur: non enim poteſt tribui accidentibus. Ergo, non eſt ponenda Tranſubſtantiatio.

GARDINERVS.

QVI Patres ſacramentorum rationem pia conditione tractātes analogias huiuſmodi obſeruauerunt, illi ijdem in ſacramento Euchariſtiæ tranſubſtantiationem, aut uerbis expreſſis tradiderunt, aut certè eius, quod in myſterio agitur, explicatione inſinuarunt.

MARTYR.

CAuſa nulla erat, cur hoc argumentum iſto loco repeteretur. Sępè enim iam tractatum eſt anteà. Sed cum Inconſtantius intelligeret, ſe id anteà non potuiſſe diluere, conſcius ſibi operæ malè nauatæ, eandem arcem iterum uoluit oppugnare. Noua quidem tela comminiſcitur: ſed fruſtrà. Iſta enim quoq; ut illa ſuperiora, leuiſsimo repulſu hebetantur. Patres, inquit, qui hanc analogiam dilucidè & copioſè tractarunt, ijdem Tranſubſtantiationem quoq; docuerunt. Et qui nam tandem illi, quæſo? Cyprianum ait dixiſſe, Hic panis, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus eſt caro. Effigiem panis non mutari, utrinq; conſtat. Naturam autem, id eſt, proprietatem eius mutatam eſſe, non dubitamus. Panis enim ad eam iam dignitatem transfertur, ut ſit ſacramentum, & inſtrumentum ſpiritus ſancti. Omnipotentia ergo uerbi panis iam factus eſt caro: quoniam ſine ui diuina non potuiſſet effici ſacramentum carnis domini. Neque enim creatura ulla poteſt ſacramentum condere. Sed cur non auditur idē Cyprianus lib. 2. epiſt. 3? Nam eo in loco ſic ſcribit: Nec poteſt uideri ſanguis eius, quo redempti, & uiuificati ſumus, eſſe in calice, quando uinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur.

Cyprianus.

Cyprianus.

Poſt Cyprianum, eumq; perperam intellectum, quoniam nihil habuit prætereà, quod afferret, ait, ſcholam quoq; omnium Theologorum ſecum facere. Sed ne quis ſpecioſo nomine Theologorum decipiatur, eos intelligit Theologos, quos multò uerius Papiſtas, aut Sophiſtas dixeris. Poſtremò recurrit ad illa tria, quę anteà dixerat: Primùm, materiam panis ſatis eſſe ad analogiam, cum ea ante conſecrationem adhibeatur: Deinde ait, totam, ueramq; proprietatē elementorum in accidentibus retineri: Poſtremò, uim nutriendi à deo ſubminiſtrari per miraculum. De quibus portentis, & ineptijs, quoniam ſuprà dictum eſt ſatis, nunc plura dicere ſuperſedeo.

OBIECTVM CXLI.

MAIOR eſt coniunctio corporis Chriſti cum ijs, qui communicant, quàm cum ſymbolis. Ea enim coniunctio pro-

pter iſtam inuenta eſt. Quare cum in Cõmunicantibus nulla neceſſaria ſit Tranſubſtantiatio: ea multò minus erit neceſſaria in ſymbolis.

GARDINERVS.

QVANTVS *hic ſe prodidit hominis error? qui ſic argutatur, quaſi Tranſubſtantiatio ſit quidam coniunctionis modus corporis Chriſti cum pane.*

MARTYR.

HOc etiam argumentum ſatis erat excuſſum anteà: niſi iſti libuiſſet hic quoq; paulò ineptius inſaniam ſuam uenditare. Sophiſtæ cum à firmis, & ſolidis defenſionibus deſeruntur, deflectere ſolent ad argutias. Id Inconſtantius hoc loco impudenter, & ſatis inſulsè facit. Cauillatur enim, ſe, ſuosq; nõ ſtatuere ullam coniunctionem panis cum corpore Chriſti. Se enim panis ſubſtantiam abijcere: nullam autem coniunctionem fingi poſſe cum ijs rebus, quæ non exiſtãt. Et nos inſanos uocat, quæ iſta obijciamus. Sed quicquid iſte clamat, hoc unum debuit ſibi anteà perſuadere, conuitijs rem iſtam tranſigi non oportere, ſed argumentis. Si tantam uolunt eſſe coniunctionem corporis Chriſti cum ſymbolis Euchariſtiæ, ut id illorum abſumat ſubſtantiam, ſic enim interpretantur Chryſoſtomum, nónne illud minus coniungitur cum hominibus, cum eius aduentu illorum ſubſtantia non abſumatur? Quam, quæſo, habet natura humana tantam uim, aut efficaciam, ut corpori Chriſti accedenti ad ſe reſiſtere poſsit magis, quàm ſubſtantia panis? Vos ſoletis iactare, quoties ſumitur Euchariſtia, corpus Chriſti eſſe inter dentes, eſſe in palato, eſſe ſuper lingua Cõmunicantium. Sed cur illud iſtarum rerum ſubſtantiam minus abijcit, atq; extrudit, quàm ſubſtantiam panis? Cur illud ſub accidentibus humanæ naturæ non deliteſcit, expulſa ſubſtantia, quod fieri toties & tam impudenter clamatis in pane? Deinde uos in ueſtra Euchariſtia uultis ſymbola eſſe accidentia panis & uini. Hoc ipſum ſatis aſſerit argumentum noſtrum, uos magis unire corpus Chriſti cum ſymbolis, quàm cum illis, qui communicant. Quare neceſſe eſt, ut id fateamini, modò ueſtram ſententiam uelitis retinere: aut ut neceſſariò dicatis, corpus Chriſti ſub accidentibus humanæ naturæ communicantium deliteſcere, atq; illos tranſubſtantiare, quemadmodum dicere ſoletis de pane ac eius accidentibus. Nihil ergo erat, quod Inconſtantius aut de cõiunctione, aut de diſiunctione calumniaretur. Hæc eſt uera, & ſimplex intelligentia argumenti noſtri: Nos, cum non tranſubſtantiemur in corpus Chriſti, minus mutari, quàm panem, ſi horum ſequamur ſententiam. Iſti enim tantam eſſe uolunt mutationem panis, ut nihil aliud ſub illis accidentibus retineatur, quàm ſubſtantia carnis Chriſti. Nemo autem noſtrum illos arguit, quod corpus Chriſti coniungant cum ſubſtantia panis. Tum enim non Papiſtæ eſſent, ſed Lutherani. Non ita cæci ſumus, quin ut ſterquilinium illud uidere poſsimus, in quo ſeſe toto corpore uolutant. Scimus, inquam, ſymbola eorum eſſe accidentia. Proinde uos Inconſtanti hoc nomine coarguimus, quòd cõ ueſtris iſtis fictitijs ſymbolis corpus Chriſti magis coniungi uelitis, quàm cum hominibus. Idq; ex eo probamus uos committere, quòd præſentia illa domini, quam ſemper falsò inculcatis, ſubſtantiam panis abſumi dicitis: quod idem in hominibus non uultis uſuuenire: in quibus ſi ponatis corpus Chriſti, duas ſubſtantias uno in loco collocatis. Ita, qui ſuprà uerebamini impanationem, nunc nouam inuehitis carnis Chriſti incarnationem. At ſi eodem modo dicetis carnem domini ad noſtram naturam accedere, quo ad panem: omninò dicetis, illam ſub

accidẽ-

accidentibus naturæ noſtrę contineri. Quod niſi ſtatuitis, ſupereſt, ut affirmetis, corpus Chriſti leuius cum communicantibus, quàm cum ſymbolis coniungi. In ſumma: Vel aliquam eſſe uultis coniunctionem corporis domini cum ſymbolis, hoc eſt cum ueſtris accidentibus, uel nullam. Si nullam dicatis, quomodò in illis corpus Chriſti realiter continetur? Sin autem dicetis aliquam, eam neceſſe eſt maiorem eſſe, quàm eſt illa, quam nos ipſi habemus cum corpore Chriſti. Nos enim illud non habemus ſub noſtris accidentibus occultatam.

Neque uerò ſilentio prætereundum eſt, quod ait, ſymbola cum cœleſti natura unum conſtituere Sacramentum: cum tamẽ in eis nulla fiat, ut in nobis, unio naturarum. Iſta mihi duplici de cauſa uidentur non ſatis conſideratè dici. Primùm, quòd ſymbola, quæ appellat accidentia, paulò antè aſſeruit cum corpore Chriſti non coniungi. Hic autem oblitus, credo, ſui, ea ait ita coniungi, ut ex illis, & cœleſti natura unum fiat Sacramentum. Cum autem coniungi & non coniungi ita inter ſe pugnent, ut quæ maximè, nullo modo negari poteſt, iſtum, ut ſemper eſt conſtans & ſui ſimilis, dicere pugnantia. Alterum eſt, quòd ait inter nos & carnem Chriſti eſſe coniunctionem naturarum. Id autem etſi aliquo modo eſt uerum, tamen ut à Papiſtis, maximè uerò ab iſto Inconſtantio accipitur, eſt falſiſſimum. Nos quidem ſumus participes naturæ Chriſti, quia uerbum dei in Virgine ſuſcepit hominem, atq; ita cum hominibus forma ſiue ſpecie communicauit. Sed hoc genus coniunctionis, ut ſæpe diximus, leue & ieiunum eſt. Ita enim non magis cum Petro & Paulo, quàm cum Iuda & Mahumeto natura coniungimur. Nam illi quoq; non minus erant homines, quàm nos ſumus. Per fidem autem, & potentiam ſpiritus caro noſtra & uniuerſa natura ita mutatur, ut efficiamur iam participes proprietatum humanæ naturæ Chriſti, ſanctitatis, inquam, puritatis, innocentiæ, æternitatis, & immunitatis ab omnibus noxijs, & omnium uirtutum.

Atq; hæc eſt fœlix illa communio, quam habemus cum Chriſto in hac uita, quoad in fide eius inſiſtimus: in altera autem uita multò arctiorem expectamus. Quò autem aut audiendo uerbum dei, aut Sacramenta fideliter percipiendo fides noſtra magis, magiſq; roboratur, eò iſta communio in nobis redditur opulentior. Inconſtantius autem, & Papæ mancipia, neſcio quam, aliam naturarum communionem inter nos & Chriſtum comminiſcũtur, quod attinet ad naturam humanam: quaſi caro Chriſti re ipſa cum carne & corpore noſtro miſceatur: quod tam alienum eſt à uero, quàm fieri non poteſt, ut corpus Chriſti per diuerſa loca, et ſuppoſita multiplicetur: quamq; fieri non poteſt, ut Chriſtus denuò patiatur & moriatur: quod tamen neceſſariò accideret, cum omnium noſtrũm carnes, & corpora, & morbis uarijs, & mortibus afficiantur: quamq; poſtremò fieri non poteſt, ut nos, tanquam Chriſti quidam colamur & adoremur. Quod autem Inconſtantius ait ad extremum, nos hoc argumentum habere pro inuicto, nihil mentitur. Neque enim aut ipſe, aut alius quiſquam illud adhuc rectè diſſoluit.

OBIECTVM CXLII.

PAPISTAE neſciunt, quid fiat de corpore Chriſti, poſtquam ſumatur in Cœna domini, aut poſtquam corrupta ſint accidentia. Quidam illorum dicunt, illud auolare in cœlum: quod alienum eſt. Ibi enim & fuit anteà & ſemper eſt. Non autem audent dicere, illud corrũpi, aut mutari in ſub-

ſtantiam noſtrorum corporũ, aut animarum etiam noſtrarum. Ergo, quid de eo fiat prorſus neſciunt. Quare præſentia huiuſmodi corporalis non eſt ponenda.

GARDINERVS.

ADEON' *huic mirum uidetur, ſi uias domini non norunt homines, cum ab ipſo domino per Prophetam dicatur, Non ſunt uiæ meæ ſicut uiæ ueſtræ?*

MARTYR.

,, SVmma reſpõſionis eſt, nihil eſſe, quòd pudeat nos ignorationis noſtræ in operibus dei. Ea ſententia ut eſt uera, ita hoc loco nõ ita cõmodè, aut appoſitè afferetur. Illa enim realis & corporalis præſentia corporis Chriſti, quam iſti ſibi fingunt in Euchariſtia, non eſt opus dei. Tantum enim ad iſtorum architecturam pertinet. Quare nihil eſt, quòd nobis indignentur, ſi ab illis eius rei requirimus rationem. Nam ſcripturæ, quæ teſtantur, uerum Chriſti corpus fuiſſe in terris, dum ille cum hominibus uerſaretur, eædem apertè docent nos, quò illud ablatum ſit, cum ille aſcenderet in cœlum. De iſto uerò diſceſſu ab Euchariſtia nullam unquam faciũt mentionem. Neq; de ea re quicquam in patribus ſcriptum reperies. Rectè ergo iſtos de hoc nouo diſceſſu percontamur: maximè uerò, cũ ipſi mendaciſſimum eius aduentum ita impudenter prædicẽt. De corpore Moſis, quem admodum latuerit, diuina ſcriptura diligenter tradidit: cum tamen illud corpus Chriſti longè dignitate fuerit inferius. Deinde citat quoſdã, neſcio quos: quos tamen ualdè obſcuros fuiſſe, ex eo licet ſuſpicari, quòd illorũ nomina ſupprimat. Quicunq; tamen illi fuerint, eos ait dixiſſe, corpus Chriſti & deferri & auferri ab Angelis: quaſi uerò Chriſtus iam aſcendere, aut deſcendere non poſſit ipſe per ſeſe. Deinde, nos non quærimus, utrum auferatur, an abeat: ſed quò diſcedat. Ad quod interrogatum ſi reſpondere non poteras, Inconſtãti, quid oportebat de Angelis uel auferentibus, uel deferentibus teſtes citare ſine nomine?

,, Sed addit, & Delationẽ, & Ablationem eſſe uoces metaphoricas. O hominem ſuauem & troporum prodigum, ubi nihil eſt opus: qui tamen ubi tropum res ipſa, & locus poſtulat, ibi eſt troporũ hoſtis acerrimus. Addit præterea, nullum intercedere motũ localem, dum ita corpus domini miniſterio Angelorum aufertur, aut defertur. Fingit enim, uerum corpus abire alicunde, aut redire aliquò ſine mutatione ulla locali. Vtq; breuiter, quod res eſt dicam, quot hic uerba fecit, totidem fudit miracula, ſeu potius mendacia: neque ea ſanè uulgaria, ſed ſuprà modum portentoſa.

,, Adhæc ait, nos ita colligere: Si corpus Chriſti deferẽ in cœlum ab Angelis: ,, ergo, ibi nõ erat. Atqui nos in argumẽto cõtra colligimus, Corpus Chriſti non deferri in cœlum, quòd ibi fuerit antea, & ſemper ſit. Quis enim eò ſe conferat, ,, ubi iam anteà actu, ut aiũt, & re ipſa uerſetur. Poſteà ait, nos eſſe homines anmales, qui nihil intelligamus eorum, quæ pertineant ad ſpiritum Chriſti. Quaſi uerò omnia ſpiritualia peruia ſint, & facilia impoſtoribus. Si quoties Euchariſtia uel conſecratur, uel diſſoluitur, toties manibus Angelorum deferatur, atque auferatur corpus Chriſti, oportet multa corpora domini, alia uenientia, alia redeuntia ex omnibus orbis partibus ſibi per aërem fieri obuiam, & illis huc, illucq; diſcurrentibus totum aërem eſſe plenum. Scio iſta, pie lector, tibi, ut ſunt, ridicula uideri. Mihi tamen dicenda hoc loco uidebantur, quò ſtultorum commenta omnibus modis detegantur.

Sed

Sed huc allegat Gregorium Nazianzenum: eum, quid dicat, audiamus. Is autem ait, nostrorum uerborum occasione fieri, ut ingerant se sæpè humana diuinis: fiatq; ut de deo cogitans, etiamsi mente se, & cogitatione à uisibilibus segreget, nõ arceat tamen omnem uisibilium similitudinem. Nam uix est, inquit, ut spiritum esse deum cogitanti, non obrepat simul de fusione, & aliquo lationis motu cogitare. Equidem quorsum ista spectent, non uideo. Nos enim non agimus de uerbis. De re potius ipsa percontamur, quid fiat de illo corpore Christi, quod uos uerè, & substantialiter esse dicitis sub accidentibus panis & uini. Nihil hic de spiritu, aut de natura diuina litigamus. De Christi carne, & corpore quærimus: quod quoniam est humanum, nemo existimare debet, ita diffundi, ut omnia impleat. Quare cum Gregorius loquatur de natura diuina, & de spiritu, non rectè facit Inconstantius, qui illius uerba, quæ aliorsum dicta sint, ad hanc disputationem transferat. Addit præterea, Cum Angeli leguntur, aut deferre, aut auferre corpus Christi, non intelligendum esse, motũ esse in opere dei, quo præsentiam, aut absentiam efficiat. Iste rem offuscat, quantum potest. Sed quicquid ille nugetur, nos uerissimè dicimus, Corpus humanum, quod abfuerit alicunde, non posse intelligi præsens fieri sine motu. Nam diuinæ literæ nunquam iusserunt, ut huiusmodi portenta crederemus: neq; cum nobis proponerent Christi ascensionem in cœlum, motum, quo ferretur, aut ascenderet, sustulerunt. Ista disputatio non alia causa suscipitur, nisi ut facessant aliquando fictiones. Iste autem fictiones suas tueri non potest, nisi alijs recentibus, & inauditis, & longè etiam, quàm illæ priores fuerant, absurdioribus fictionibus. Ita perpetua nube mendaciorum sese pulchrè tectum, & armatum putat. Quòd ego de natura, atq; adeò de animo meo permulta ignorem, non est adeò mirum. Ista enim, ut ab initio dictum est, sunt opera dei. Substantialis autem ista præsentia, uestrum opus est, non dei. Vestra ista intrita, æquum est ut à uobis comedatur. Cumq; iubemini uestræ fictionis rationem reddere, non est, quòd uestram culpam in deum conferatis.

Gregorius Nazianzenus.

Ad hæc negat Catholicos sentire, Christi corpus conuerti in nostra corpora. Neq; tamen eum negare audio, corpus Christi cum nostris corporibus misceri. Nam paulò suprà dixit, inter nos, & Christum esse unionem naturarum. Quam sententiam cuperẽ mihi uel ab ipso, uel ab alijs eius similibus explicari. Ad extremum, opinor, ne intelligeremus, quid uellet, ait, Christum & in cœlo regnare apud patrem, cum suo corpore, & cum eodem corpore præsens adesse in Sacramento. Dicit quidem ille ista: sed pro suo solenni more nihil probat. Nos uerò, quia ueritatem humanæ naturæ in Christo defendimus, idem eius corpus simul & in cœlis, & in terris esse pernegamus. Ratio nostra, quam iste luxauit, ad hunc modum reponi potest. Quodcunq; corpus desinit esse præsens, id aut aliò transfertur, aut corrumpitur, aut in aliud mutatur. Corpus autem Christi desinit esse præsens in Eucharistia, cum species incipiunt corrumpi, ut isti uolunt. Ergo uel aliò trãsfertur, uel corrumpitur, uel in aliud commutatur. At ista tria ita sunt absurda, ut Papistæ nullum eorum ausint affirmare: Ergo alteram propositionum necesse est falsam esse. Maior falsa non est: Ergo minor: ea uidelicet, qua dicitur, corpus Christi desinere adesse uerè præsens. Mendacium enim est, quod aiunt, illud adesse realiter præsens in terris.

OBIECTVM CXLIII.

CORPVS Christi est ubiq;: Ergo, est in sacramento tam ante Consecrationem, quàm posteà: itaq; nulla fit mutatio panis

post Consecrationem: non magis, quàm fiebat anteà. Antecedens ita probatur: Diuinitas & humanitas Christi inseparabiliter sunt coniunctæ; sed diuinitas est ubiq; ergo humanitas est ubiq;.

GARDINERVS.

CHRISTVS *ita assumpsit naturam nostram, ut nec ille desineret esse deus, nec natura assumpta desineret esse humana.*

MARTYR.

HOc ego argumentum ingenuè fateor non esse meum. Me enim illis omnibus, qui corpus Christi uolunt ubiq; esse, profiteor esse aduersarium. Neq; sanè apud quenquam nostrarum partium illud unquam legi. Quare facilè adducor, ut putem, commentum esse Inconstantij. Quo cum tamen, quod attinet ad finitam naturam corporis Christi, unà cum Basilio, Didymo, Augustino, Vigilio, Cyrillo, aliisq; omnibus antiquis Patribus ego manibus, pedibusq; facio. Et fateor, atque affirmo, ubicunq; corpus Christi est, ibi adesse etiam naturam diuinam. At non è diuerso, ubicunq; est Christi diuinitas, ibi quoq; dico adesse Christi corpus. Ita enim humana natura assumpta est à uerbo, ut illud de infinita, atq; immensa latitudine nihil amiserit.

Corpus Christi non est ubiq;.

Quòd autem Inconstantius ita defendendam esse putat ueritatem humanæ naturæ in Christo, ut deus illam exhibere possit realiter præsentem in omnibus mysterijs, ibi ego illum, aliosq; similes planè repudio. Etsi enim diuinam potentiam nullo pacto arbitror, & statuo esse uiolandam, tamen rem ipsam sua natura dico non posse fieri. Vt enim idem sit humanum corpus, & eodem tempore non sit humanũ corpus, nullo modo potest fieri. Ista enim duo Contradicentia sunt, & sese mutuò perimunt. Et si dare uelimus, corpus Christi simul in multis locis esse posse, nihil obstabit, quò minus idem ubiq; quoq; esse possit. Qua de re nolo hic plura. Suprà enim de hoc argumento satis copiosè disputauimus.

OBIECTVM CXLIIII.

TEMPVS humilitatis, & demissionis Christi transijt. Ergo non oportuit illum per Trãsubstantiationem se demittere, quod attinet ad corpus, in fauces & in uentriculum Communicantium. Quod, etsi inde non lædatur, parùm tamen decet, corpus domini tam diu sub accidẽtibus detineri, quoad illa fuerint dissoluta, & corpus tanquam liberum à carcere in cœlum auolet.

GARDINERVS.

TEMPVS *humilitatis Christi in conuersatione uisibili & terrena præstandæ planè præterijt. Sed humilis dispensationis tempus eò usq; manet, donec tradiderit regnum deo patri.*

MARTYR.

„ REspondet Inconstantius, humilis dispensationis tempus adhuc manere, &
„ mansurum esse, quoad Christus tradiderit regnum deo, & patri. Sed cum
suam

suam istam sententiam nullo testimonio confirmet, non iniuria eum possum interrogare, Quid tu de hac humilitate, quam adhuc adscribis domino, nosce potes: Certè in corpore Christi, de quo nunc loquimur, nihil potes ostendere, quod non sit glorioſum. Quare, quod ad illud attinet, nulla est in eo amplius humilis dispensatio. Nam Paulus de illo ita scribit: Propter quod et deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est supra omne nomen. Quòd si obijcias, nondum omne genu flecti in eius nomine, meminisse debes, id ad gloriam corporis Christi non pertinere, ad eam, inquam, gloriam, quæ illi inhæreat: sed ad eius manifestationem, quam adhuc factam non esse, satis nouimus. Corpus autẽ Christi iam obtinere illam gloriã, nemo pius debet dubitare. Apostolus enim ad Philippenses ait, nos id expectare, ut Christus configuret corpus nostrum corpori suo glorificato. Et 1. ad Timoth. 3. Deus, inquit, manifestatus in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria. Quare nihil est, quod in præsentia corpori Christi assignemus tempus humilitatis. Etsi enim eius gloria nostris oculis nõ sit conspicua, ea tamẽ ille fruitur opulentissimè. Neq; uerò id nos mouere debet, quòd ille nos regat & ædificet, qui sumus eius corpus. Id enim facit prorsus absq; ulla corporis sui deiectione. Nam Regnum suũ, quod est Ecclesia, Spiritu regit, & Verbo: ad quod uerbum accensenda etiã sunt eius Sacramenta. Quibus, quòd isti aiũt, eum adesse reali prẽsentia sui corporis, uanum & nugatorium est.

In corpore ipso Christi nulla humilitas modò potest ostendi.

Posteà conqueritur, nos faucium, uentriculorum, carcerum, detentionum, mentionem facere, tantùm ad concitandam inuidiam, non quòd res ipsa ita se habeat. Atqui nos syncerè, uereq; dicimus, ea, quæ commemorauimus, ad corporis domini deiectionem & humilitatem pertinere. Neq; alio consilio ea referimus, quàm ut istorum fabulæ, & deliria omnibus modis, quàm maximè pateant. Ita enim fabulis, & nebulis, & sophismatis suis perstringunt oculos simplicium, ut illi de istis rebus ne cogitare quidem ausint.

Postremò ita concludit: Corpus Christi nihil patitur in Sacramento, sed agit in nobis sanctificationem modo mirabili & ineffabili. Sanctificationem, quæcunq; in nobis est, deriuari ex Christi corpore, facilè damus: sed ea causa corpus eius uel Sacramento, uel nobis ipsis præsens adesse oportere reali, corporaliue præsentia, id Inconstantius nondũ probare potuit. Quod nisi ostendat, nos permaximè uerò, cum eius nec sacræ literæ nec patres ullam unquam faciant mentionem. Argumentum ita formari potest, Quicquid non decet corpus Christi, & ad eius demissionem, & humilitatẽ pertinet, à tempore glorificationis eius est explodendum. Sed detineri sub accidentibus, quasi quodã in carcere, transire per fauces & uentriculos hominum, Christi corpus non decet, & ad eius demissionem, atq; humilitatem pertinet: Ergo ista de eius corpore, ex quo ille receptus est in gloriam patris, non sunt statuenda. Maior propositio probata est testimonio Pauli. Minorem non negabit, quisquis rem pressius considerabit.

OBIECTVM CXLV.

HOC Sacramentum, ut isti dicunt, est uerè corpus Christi. Iste panis est hoc Sacramentum: ergo, iste panis est uerè corpus Christi. Tum ulterius: Iste panis est corpus Christi: Ergo iste panis est, & panis manet: & ita simul est panis & corpus Christi.

GARDINERVS.

FALLACIA *est ex pluribus terminis in ambiguitate.*

MARTYR.

„ CAusatur iste Sacramentum in maiori & minori propositione nõ accipi eo-
„ dem modo. Vocem enim illam in maiori ad materiã, in minori ad formam
„ pertinere. Non enim spectare uoluit argumentum ea formula, qua est propositum: sed ita illud accepit, ac si in tertia figura dictum esset: Hoc Sacramentum est corpus Christi: Hoc Sacramẽtum est panis: Ergo, Panis est corpus Christi. Deinde ait, Maiorem concedendam esse per Synecdochen, quòd corpus Christi sit altera pars materiæ Eucharistiæ. Minorem autẽ, qua dicimus, Hoc Sacramentum est panis, prorsus negat, ut falsam. Negat enim, panem esse formam Sacramenti. Mauult enim, uidelicet, Sacramenti formã esse accidentia. Verùm hoc perfugium multiplices errores complectitur. Primùm enim, quis ferat corpus Christi dici materiam Eucharistiæ? Nam cũ forma longè sit præstantior, & materia, oportebit Inconstantium aliquid in hoc Sacramento indicare, quòd corpus Christi dignitate antecellat. Sed quódnam tandem illud erat? Verùm ignoscendum, opinor, est isti homini. Nam de materia, & forma tantum nouit, quantum à uulgari, nescio quo, leguleio haurire potuit. In eo uerò turpissimè, ut solet, hallucinat, quod putat nos habere panem pro forma Sacramẽti. Nemo enim id nostrũ ne somniauit quidem. Scimus enim, formæ munus esse, ut perficiat materiam. Nemo aũt sanus unquam dixit, Sacramentũ Eucharistiæ perfici à pane.

Corpus Christi non potest esse materia Sacramenti si cum pane uel accidentibus cõferatur.

Panis nõ potest esse forma Sacramẽti huius.

Postremò uerò peccat intolerabiliter, uiolatq; suorũ decreta scholasticorum. Dicit enim, accidentia panis esse formã Eucharistiæ. Cũ species illæ non sint res integræ, sed admodum imminutæ: destitutæ enim sunt proprio subiecto, cui inniti possint. Hoc etiam mitto, istum, ut scias quàm sit acutus Dialecticus, non potuisse uidere huius rationis fundamentum. Argumentum sumit pro Maiori propositione, Papistarum sententiam, qua passim dicunt, illud Sacramentũ esse uerum corpus Christi. Quod dictum etsi Inconstãtius hic respuat ut synecdochicum, tamen apud illos est usitatissimum. Neq; ille de alia re ulla in hoc toto libro pugnat, & sanè tropicas propositiones tam leuiter non oportet fastidire. Imò nos etiam ipsi eam dicendi formulam non inuiti admitteremus, Sacramentũ Eucharistiæ esse corpus Christi, idq; uerè, modò quis totum uelit spectare Sacramentũ, quod & signo & re significata constet. A Papistis aũt nos in eo dissidemus, quòd illi signum, & rem significatam re ipsa coniungũt, uoluntq; corpus domini substantiali præsentia adesse symbolis: quod nos iustissimis de causis negamus. Dicimus enim eã esse significationis & sacramentalem coniunctionem. Quanquam eam ipsam significationem inanem, aut uulgarem esse nolumus. Verùm hac de re aliâs. Nunc illud affirmo, Maiorem propositionem in argumẽto accipi, tanquam confessam ab aduersarijs: etsi illi eam perperam interpretentur. Altera autem propositio, Hoc Sacramentum esse panem, sumitur & è scripturis, & è patribus. Christus eñ de pane dixit, Hoc est corpus meũ. Et Irenæus, Tertullianus, Augustinus, alijq;, quos aliâs diximus, quosq; nũc recensere infinitũ esset, agnoscunt in hoc Sacramento esse panem. Ex eo sequitur, datis duabus propositionibus, quas negare non possunt, id, quod concluditur, manere panem, uerum esse, illũq; ipsum panẽ esse corpus Christi: ea uidelicet ratione, quòd sit mysteriũ corporis Christi. Cum aũt Inconstãtius admittere nolit Conclusionẽ, necesse est, ut alterutram duarũ istarũ propositionũ inficietur. Minorem nõ potest. Est enim petita & è scripturis, & è patribus. Quare necesse est, uelit, nolit, ut neget Maiorem, aut quemadmodum iam diximus, ut eam rectè & commodè interpretur.

OBIECTVM CXLVI.

DEVS non destruit naturam impeccabilem, nec confundit notitiam naturaliter nobis datam: nisi subsit maior utilitas, & maior probabilitas. Ergo cum panis nihil peccauerit, nõ destruitur à deo.

GARDINERVS.

Ἄτοπος est ridicula, quasi destruatur, quod in usum tanti mysterij desijt esse.

MARTYR.

HOc argumentum, ut malè recitatur, ita malè diluitur: quod utrunq; huic homini familiare est. Neq; hoc à quoquam nostrum unquam pro solida ratione adductum est. Fieri potest, ut aliquis per iocum dixerit, quodnam tandem ob peccatum suum miser panis è medio tollitur? & addiderit, non esse uerisimile, deum uoluisse naturalem notitiam, quam hominibus dederit, euertere: ut, quod uideant, & sentiant esse panem & uinum, id cogantur credere, non esse. Atq; hæc paucis de sententia argumenti. Nunc uenio ad responsionem. Ait iste, Panem non destrui, cum in hoc Sacramẽto esse desinat. Hoc planè sophisticum est. Neq; enim est aliud, quàm oleo mendacij uerborum asperitatem uelle lenire. Quid enim, quæso, aliud est, rem euerti, quàm eam excindi, & auferri, & esse desinere? Christus certè non uenit, ut perderet, sed ut restitueret, atq; instauraret. An autem panis tunc instauretur, cum eius aufertur, & perit substantia, ipse iudicet Inconstantius. Certè panis ipse, si loqui posset, hoc nunquam diceret. Nec tamen hoc ita dico, quasi nesciam, dominum ficum uiridem conuertisse in aridam: aut aquam in uinum. Sed ibi nec aqua, nec ficus redacta sunt ad nihilum. Forma enim sola mutata est: cum materia maneret eadem. Sed nos, ut dixi, hoc pro solido argumento nunquam adduximus. Recitare tamen illud Inconstantius uoluit inter argumenta: quòd nos cuperet haberi ludibrio.

Verùm miser incurrit in pœnam talionis. Ita enim absurda sunt, quæ respondet, ut se potius ipsum propinet omnibus deridendum. Ait enim panem per Transubstantiationem non destrui: & blasphemum esse, reprehendere uelle id, quod fiat opificio dei. At nos non opus dei, sed nequissimorum hominum mendacia reprehendimus. Postremò ait, ex Transubstantiatione summam ad nos utilitatem peruenire: quam tamen ostendere nullam potest, quæ sine huiusmodi portentis haberi non queat. Neq; uerò nunc dicendi locus est, quantum damni istæ impostura importarint in Ecclesiam. Forma argumenti, quam iste deinstruxit, hæc est: Quicquid sine ulla utilitate perit, id non destruitur à corpore Christi. Panis si transubstantiaretur, sine ulla utilitate periret: Ergo à corpore Christi non destruitur. Maior est clara. De minori aduersarij nostri non possunt ambigere. Illi enim utrunq; affirmant: & panem in Eucharistia esse desinere, & illum à corpore Christi absorberi.

OBIECTVM CXLVII.

TRANSVBSTANTIATORES ea, quæ deus creauit, statim destruunt: quia materiam primam, quam deus ordinauit esse perpetuam, destruunt; & ex ea nihil innouant, aut

producunt in mundo, præter hoc, quòd mentiuntur, se facere inaudita mirabilia: quæ deus procul dubio non potest: & sicut fingunt, faciunt nouum mundum.

GARDINERVS.

QVANTA *est hæc sermonis uanitas? Verba hominũ nihil aliud, quàm uerba sunt, à rebus disiunctissima, nisi quatenus ueritati innitantur.*

MARTYR.

RAtiones bonæ, & ueræ non mirum, si, narrante Inconstantio, fiant uanissimæ. Nam si fideliter recitaret, non grauaretur indicare locum, unde illas accepisset. Sed meminisse debes, Lector, nihil tam commodè, aut uerè dici, quin malè narrando possit deprauari. Sensus argumenti, quod iste pro sua fide multis modis obscurauit, hic est: Eos, qui docent, materiam primam aboleri, & accidentia manere sine subiecto, secq; huiusmodi monstrorum ministros prędicant, quantum quidem in ipsis est, orbem totum destruere. Nouam enim rationem rerum, formamq; inducunt longè diuersam ab ea, quam deus instituit. Deus enim uoluit materiam subiectum esse succedentium formarum, & mutationũ: accidentia autem hærere uoluit in subiectis: unde concluditur, eos naturam rerum peruertere. Quòd autẽ respondet, Transubstãtiatores, quòd iudicio nostro mentiantur, non posse re ipsa uniuersitatem rerum euertere, ineptum est. Non enim id agimus, quid illi faciant: sed, quid sua opera fieri, hominibus uelint persuadere. Ita Stoici dicebantur, suo illo fato res omnes necessarias facere, & contingentiam ex rerum natura tollere; non quod ita re ipsa facerent, sed quod id ex illorum doctrina sequeretur.

Ad hæc blasphemum esse putat, dicere, Deum ea, quæ Transubstantiatores dicant, non posse facere: præsertim cum id, quod illi asserunt, & uerè dicatur, & sine ulla dei contumelia. Nos uerò nec conuitium deo facimus, nec eius potentiam aut minuimus, aut uiolamus. Defectum enim istum, nõ in deo, sed in rebus ipsis esse dicimus, quæ natura sua non possint fieri. Quale est, humanum corpus eodem tempore esse in multis locis: quod non est aliud, quàm illi terminos suos, & lineamenta eripere. Et eadem ratione dici posset, illud ubiq; esse: idq;, quod proprium est soli deo, etiam humano corpori conuenire. Pugnat etiam cum natura rei ipsius, accidentia posse existere sine subiecto. Hoc enim nihil aliud est, quàm dare posterius, & illud, quod prius est, & à quo alterum dependet, subducere. Vt si quis uellet numerum quaternarium absq; ternario constituere. Tolle

Augustinus. substantiam à qualitatibus, inquit Augustinus, & nihil erunt. Cur etiam non habent pro blasphemia, quod passim iactatur, Ea, quæ semel facta sint, non posse

Hieronymus. infecta fieri: aut, quod Hieronymus scribit, Deum, cum omnia possit, tamẽ non posse uirginem restituere post ruinam? Praxeas etiam hæreticus, cum defenderet, deum patrem sibi ipsi esse filium, obijceretur autem à pijs, id non posse fieri, tanquam ad firmissimum præsidium confugit ad omnipotentiam dei. At illi

Tertullianus. Tertullianus prudenter respondet: Planè deo nihil est difficile. Sed si ita abrupte

» in nostris præsumptionibus utamur hac sentẽtia, possumus inquit, de deo quidui-

» uis confingere. Non debemus igitur pro nostra libidine quæuis monstra induce-

cere, ut ea, cum negentur, defendamus omnipotentia dei. Argumentũ uerò, quod iste mirabiliter dissipauit, ita potest refici. Sententia, quæ statuit, ea fieri, quæ dei potentia non possunt fieri, falsa est. Opinio ista Papistica de Trãsubstantiatione statuit ea fieri, quæ uel dei potentia fieri non possunt: Ergo, Opinio de Transubstantiatione falsa est.

OBIECTVM CXLVIII.

QVAMVIS Christus uocatus fuerit homo austerus à seruo pigro, nunquam tamen tam seuerè alicui significabili maledixit, quin, ut eius substantia remanserit: ut in ficu Matthæi 16. Isti autem in Consecratione suæ hostiæ benedicunt panem & uinum in nihilum, & benedictione sua destruũt creaturam dei. Sed laudemus Iesum Christum, quòd author huius mendacij non sit ille, qui dixit, & facta sunt: sed ille potius mendax, qui dixit, & destructa sunt.

GARDINERVS.

AD *nihilum deductus est in conspectu eius malignus, inquit Psalmista, non dei austeritate, sed impietate sua.*

MARTYR.

HAec etiam ratio, quàm ineptè referatur, nihil opus est explicare. Res enim ipsa id satis loquitur. Nam quid, obsecro, illud est, alicui significabili maledicere? Qui studiosus est ueritatis non debilitat argumenta narratione sua, sed ea potius ita exponit, atque explicat, ut possint intelligi: aut saltem indicat, unde ea transtulerit, ut Lector ea possit cognoscere. Sed cum ista facit Inconstantius, non aduersariorum argumentis respondet: sed, quod facillimum est, sibi ipsi. Quam quam hic quoque ita se obscurè gerit, ut nemo, quid uelit, possit intelligere. Sic enim scribit: Hic malignus argutator in mysterijs irridendis sibi uidetur festiuus, alludens ad maledictionem, in qua explicanda suam iustitiam proponit irridendam. Quam hic dicat nos proponere nostram iustitiam irridendam, equidẽ non intelligo. Quod enim re uera iustitia est, id nullo iure licet irridere. Sed fortasse scribendum erat, Inscitiam. Cur ergo id in posteriori editione non restituit? Sed iste procul dubio me irridebit, qui in summo Cancellario totius Angliæ, cui propter ciuilem functionem otium non sit de Episcopali munere cogitandi, requiram tantum in libris edendis diligentiam. Verùm, quicquid sit, non erit spero, difficile, authorem huius argumenti ab inscitiæ crimine liberare. Neq; enim, ut iste cauillatur, ille sensit, mortuam ficum in specie, seu forma sua remanere. Neq; pro ijsdem rebus habuit canem uiuum, & canem mortuum. Hoc tantùm dixit, & uerissimè dixit, materiam eandem subesse & aridis plantis & uigentibus: & uiuentibus canibus, & mortuis. Quam materiam uos in consecrando uestro pane redigitis in nihilum.

Addit etiam ille, quem tu arguis inscitiæ, deum ab orbe creato materiam ipsam rerum nunquam, quod cõstare possit è scripturis, in nihilum redegisse: quod tamen uos per uestram Transubstantiationem quotidiè infinities fieri prædicatis: ut si quis uelit rationem subducere ab Ascensione Christi in cœlum ad hunc usque diem, ex uestra sententia incredibilem inuenturus sit molem huiusmodi materiæ abolitæ & perditæ. Sed quando tibi uisum est, ita suauiter in nos illudere, quasi plantas, & aridas, & uirides dicamus easdem esse, cur te ipsum quoque, ac tuos non castigas eodem modo, qui accidentia, siue habeant subiectum, quo nitantur, siue non habeant, ita importunè clamatis esse eadem? Nam formæ hærentes in materia plus quàm cœlum & terra distant à formis à materia

Formæ quæ sũt in materia, & quæ sunt absq; materia, inter se plurimum distant.

ria absolutis. Postremò dolet Inconstantio, Papistas suos, & sacrificiculos dici authores Transubstantiationis. Eam enim multò mauult referre in deum: nec ueretur impostura rũ & mendaciorum suorũ deum authorẽ & parentem facere.

OBIECTVM CXLIX.

OBIICITVR ex Ignatio ad Philadelphinenses. Rogo uos, ut instetis uni fidei, uni prędicationi, una gratiarũ actione utentes. Vna est caro domini Iesu, & unus eius sanguis, qui pro nobis effusus est: unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesiæ. Hic uide, remanere panem, qui frangatur.

GARDINERVS.

SI ipse se audisset hic disputator, dum hæc Ignatij uerba ad infirmandam Ecclesiæ catholicæ fidem proferret, fidem profectò in Eucharistia non deseruisset suam.

MARTYR.

HAec responsio prorsus tenebricosa est. Quæ autẽ in ea ita scribuntur, ut possint utcunq; intelligi, non obscuros errores continent. Putat iste, uim argumenti in ea tantùm uoce sitam esse, quæ fractionem significat. Atqui hoc potius attẽdere oportuit, Ignatium postquã fecisset mẽtionẽ de carne Christi, adiecisse, unum etiam panem pro nobis fractũ esse: quo cũ coniungit unũ calicem. Ex quo apparet, eum primùm cõmemorasse res significatas: deinde adiecisse signa sacramentalia. Quæ cum dicit, nominatim exprimit panem, qui frangatur. Iste uerò, ut solet, offuscat etiam uerba Ignatij. Ait enim ab illo fractionẽ significari mysticam. Tamen ea fractione si uelit significari mortem domini, nihil pugnabo. Atsi dicat, in cœna non substantiam panis, sed accidentia tantùm frangi, patiar eum cum suo stultissimo commento insanire.

„ Addit porrò, illam fractionem fieri in elemento sensibili. Quid apud istum sit elementum sensibile, non est pluribus explicandum. Satis enim iam liquet, illum dicere, Accidentia sine substantia esse elementum Eucharistiæ. Mirum autem est, quomodò illi in mentem ueniat, Accidentia illa frangi posse: cũ sine materia nec actio, nec passio ulla possit existere. Deinde isti, qui ferre possunt, fractionem in Sacramento significare mortem Christi, pati non possunt, ut panis in Sacramento significet, aut repræsentet corpus domini. Adhæc ne sibi quidem ipsi noster iste constat. Vnum enim panem ait esse corpus Christi: cum tamen paulo anteà dixerit, fractionem fieri in elemento sensibili. Atque huius posterioris sententiæ suæ hanc rationem adfert: quòd alioqui unus externus panis, non possit toti orbi esse satis: quasi uerò corpus ipsum Christi, si re ipsa, & substantialiter manducetur, possit esse satis. Id uerò non tantùm ratio auersatur, sed etiam, ut suprà docuimus, Athanasius quoque negat. Nec putassem ita tardo ingenio esse Inconstantium, quin ut posset intelligere, multa frustula panis, quæ in templis distribuuntur, unum esse panem, præsertim cum pertineant ad idem Sacramentum. Et re quidem uera, si naturam speciei, partes panis, quæ à cõmunicantibus accipiũtur, eiusdem sunt speciei & formæ. Et uulgaris hominum sermo idem indicat. Eos enim, qui in eadem familia simul educantur, dicimus uesci eodem pane. Quare quàm friuolum sit, quod iste iactat de uno

Neq; actio, neq; passio proprie locũ habent absque materia.

Athanasius.

Quicunq; communicãt, ex eodem pane comedunt.

de uno pane, qui sufficere non possit toti orbi, satis iam liquere arbitror. Addit, unum panem fractum significare unum corpus Christi. Quod si ita est, nihil uideo, cur non possimus rectè cõcludere, panem in Eucharistia remanere. Nam quod non sit, nec extet, quomodò id potest aliquid significare?

Cur autem Ignatius dixerit, panem fractum, non autem fractam carnem, Inconstantius adducit hanc causam: quòd alia sit caro Christi crucifixa, alia autem, quæ detur manducanda, nec sit uisibilis: quasi panis quoq; intelligi nõ possit multis modis esse fractus, nimirum in cœna, uel ad conuiuium, uel ad distribuendum pauperibus, uel metaphora quapiam. Distinctionem autem illam carnis Christi, qua Hieronymus utitur, libenter recipimus. Re enim uera alia est, quam scimus affixam crucí, alia, quæ dicitur spíritualis: non quidem quod ista alia sit, aut diuersa à priori, sed quòd à nobis alio modo percipiatur, nempè fide, mente, & spíritu. Inuisibilem autem carnem domini Hieronymus nunquam, quod sciam, dixit. Et certè si Inconstantius locum ullum Hieronymi haberet, illum non grauaretur indicare. Locus autem ille, ad quem alluſit, est in epistolam ad Ephesios. Quid autem Augustinus in Psalmum 98. scribens sibi uoluerit, clarius est, quàm ut egeat expositione. Quòd si, ut tu dicis, panis ille, qui frãgitur, substantia dominus est, ipse haud dubiè frangitur. At, si id negas, & signum tantùm frangi dicis, quid illud est, quod ais, dominum nunc in se ipso pati, quod in cruce non pertulerit? Nam huc nihil attinet de corpore Christi crucifixo loqui, quasi illud fractum sit: siquidem tu frangí tantùm uis accidentia. Nã quod Chrysostomus annotauit, accipi debet tanquam hyperbolicè dictum, uel quà elemẽta rerum significatarum nomen habent: quod abs te, cum panem ipsum, quod ad substantiam attinet, dicas esse corpus domini, satis commodè usurpari non potest. Tuum autem commentum ab Ignatij sententia idcircò dico esse alienum, quòd ille seorsim & rei ipsius mentionem fecerit, & signi.

Hieronymus.

Augustinus.

Chrysostomus.

OBIECTVM CL.

EX Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. habetur: Pontifex apertum panem, & indiuiduum aperit, & in frusta concidit. Panis ergo manet, siquidem aperitur, & conciditur.

GARDINERVS.

NIMIA profectò est hominis impudentia, qui ueritatem corporis Christi in Eucharistia neget, eundem audere, Dionysium istum tantum uirum laudare authorem.

MARTYR.

HOc est sophisticum artificium, ab eo, quo agitur, ad aliam rem quampiam orationem traducere. Hic disputatur, an panis maneat in Eucharistia: quod satis apparet ex conclusione. At iste in eo laborat, ut probet, Dionysium istum, quicunq; fuerit, credidisse præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Id autem ad rem nihil facit. Quasi enim non multi hodiè sint, qui credant, corpus Christi adesse, cum tamen ijdem Transubstantiationem istam Papisticam non ferant. Ego tamen uenio eò, quò me uocat Inconstãtius. Quæ tandem tibi uidetur esse causa, cur putes, Dionysium credidisse, corpus Christi adesse realiter in Eucharistia? Quoniam, inquis, appellat sacramentum salutarem hostiam, & ad illam

Pontifex exclamat. Hic si dicam, Pontificem facere apostrophen ad res, quæ per sacramentum significantur, quid tandem habebit Inconstantius, quod obijciat? Quoties enim in templis Papistarum uideas homines procumbere ante signa, & statuas, & ad illas exclamare, quasi aut Beata Virgo, aut Petrus, aut Paulus præsens esset? Non dices, opinor, illos ea causa arbitrari, Diuos præsentes adesse in imaginibus. Tamen inficiari non potes, Sacramenta longè efficaciora rerum significatarum signa esse, quàm uestras statuas. Sentisne, Inconstanti, quàm inepta sit ista tua collectio? Deinde uerbum illud, Litare, quod tu addis, in oratione Dionysij non habetur. Panem autem ab eo uocari hostiam, mirum uideri non debet. Appellatur enim etiam corpus Christi.

,, Sed addis, Dionysium dicere, multiplicari unitatem, ut integrum, & unum
,, Christum insinuet dari multis. Verùm nihil opus erat ad istas ambages diuertere. Nam cum unus panis in multa frusta diuiditur, omnes intelligunt, unitatem multiplicari. Id enim, quod erat unum, in multas partes diuiditur, quarum quælibet iam separatim sit una. Quamuis ego nunquam negauerim, omnibus fideliter communicantibus dari unum Christum. Nullus enim ex illis est, qui sua fide corpus ipsum Christi non apprehendat, modò ne fictè seu perfidè communicet. Neq; aliud sibi uolunt uerba Dionysij, quæ posteà subiecit: Precatur Pontifex mysterium sanctissimum, id est, Christum illo sacramento significatum, ut se patefaciat, illucescatq; credentibus, uti signa uisibili aspectu cernuntur. Nemo enim est, qui fideliter communicet, quin optet, ut suæ fidei salutis nostræ mysteria magis magisq; illucescant.

Posteà Inconstantius redit ad propositam quæstionem, & eam putat à se uno
,, tantùm uerbo satis esse explicatam. Appellatione, inquit, panis, quod est uisibile
,, sacramenti notat. An uerò potest fieri, aut cuiquam uideri potest uerisimile, Patres, si hoc sensissent, nunquam scribere, aut significare uoluisse, se, cũ panem dicerent, uerum, & proprium panem non intellexisse, sed panis tantùm accidentia? nunquam monere uoluisse populum, panem ipsum non frangi, sed accidentia? nec panem esse, quod uidetur, sed tantùm accidentia? An illo sæculo ita inusitata fuerunt illa uocabula, Quantitas, Qualitas, Accidẽs, ut Patres illa, quamuis essent doctissimi, in hoc sacramento explicando nunquam usurpare ausi fuerint? Credat id Inconstantius, si uelit: nunquam id cuiquã persuadebit sapienti.

Patres nusquã dicũt, uisibilem partem sacramẽti esse accidentia.

OBIECTVM CLI.

IVSTINVS in Apologia 2. ita scribit: Panis, aqua, & uinũ in hoc sacramento non sunt sumenda, ut cæteri cibi, & potus communes: sed sunt cibi ordinati ad hoc ut gratias agamus deo: & ideò uocatur Eucharistia. Vocantur etiam corpus & sanguis Christi: & quòd fas sit nemini ex illis comedere, & bibere, nisi qui profiteatur Christum, & uiuat secundum Christum. Et tamen idem cibus, & potus, ait ille, mutatur in carnem & sanguinem nostrum, & nutrit corpora nostra. Vnde apparet, Iustinum credidisse, panem & uinum remanere. Alioqui enim non possent mutari in carnẽ, & sanguinem nostrum, & corpora nostra nutrire.

Gar-

GARDINERVS.

MALI *& nequam homines fide mala & dolis Catholicam fidem adoriuntur.*

MARTYR.

IN ista uersione Inconstantij ego duo errata iudicaui esse annotanda. Fortasse plura etiã sunt: sed ea alijs potius relinquo consideranda. Vnum est, quòd minus dicit, quàm Iustinus Græcè expresserit. Id aũt est, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς χριστὸς παρέδοκεν. Id iste ad hunc modum reddidit: Et ad eum modum uitã instituit. Totum illud omittit, ὡς ὁ χριστὸς παρέδοκεν. Neque mirum, illum obliuioni dedisse istam particulam. Animum enim magis occupatũ habuit in alio loco peruertendo. Mitto ergo hunc lapsum & ad alterum erratum uenio: in quo non incogitantia hallucinatus est, sed data opera, & summo studio à Iustini sententia discessit. Vidit enim illa sententia Transubstantiationem suam planè iugulari. Itaq; quod Iustinus sic scribit Grecè, καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα, καὶ σάρκου κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκεῖνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι, Hoc, inquam, iste ad hunc modum conuertit, si deo placet: Etiam cibum illum ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationẽ nutriunt̃, postquam per uerbũ precationis fuerit ab eodem benedictus, edocti sumus, esse carnem et sanguinem illius Iesu, qui pro nobis fuit incarnatus. Verba illa, Ex quo sanguis & carnes nostræ nutriunt̃, à Iustino ponunt̃ post illa uerba, postquã per uerbum precationis fuerit ab eo benedictus. Iste autẽ ordinem totũ peruertit, & ea anteà alieno prorsus in loco collocauit. Casũne aũt hoc, an consilio, & astu fecerit, Lector ipse optimè existimabit. Vidit Iustinũ apertissimè dicere, panem & uinum, postquã iam consecrata sint, & facta sint Sacramenta, per naturalem sui mutationem alere sanguinem & carnes nostras: & ex eo necessariò euinci posse, substantias rerũ illarũ remanere. Itaq; cœpit secum cogitare, huic uulneri faciẽdam esse medicinam: id aũt satis callidè fieri non posse, nisi huius sententiæ partes omnes laceraret & confunderet. Sic aũt posse fieri, ut ista nutritio adscribi uideatur pani & uino, antequã consecrẽtur, & per benedictionem facta sint mysteria. Hęc uerò fides illa est, & synceritas Inconstantij, qui nos ab initio huius responsionis sine ulla fronte ausus est appellare nequam homines, & malos, qui fide mala, & dolis fidem Catholicam adoriamur, qui nihil synceri afferamus, qui corrũpamus omnia, qui Iustinum inducamus non suis uerbis loquentem, sed alienis, aut loco motis, in eum uidelicet finem, ut sententiã à mente Iustini alienã eliciamus. Itáne Inconstanti, in uersione, quam simplicem, & candidam uis uideri, ordinẽ uerborum, quo nihil est ad intelligentiam magis necessarium, uiolas, & tanta seueritate nos condemnas, qui dum nequitiæ uestræ nos opponimus, Iustini uerba, non quidem profitemur Latina facere, sed tantùm summam quandam illorum uerè & sine fuco colligimus, quæ scimus pro nobis maximè facere. Sic etiam Paulus alijq; Apostoli damnari possent pro falsarijs, quòd non semper ad unguem sequuti sint ueritatem Hebraicam: uerùm aliquando siue ad Gentiũ commoditatem sequuti sint Septuaginta interpretes, cũ illi ab Hebraico sensu nihil differrent, quamuis uerbis per omnia non congruerent: siue summam tãtùm rerum comprehenderint, relictis sæpè uerbis compluribus, quæ in Hebræo haberentur. Sed Apostoli non sumpserunt sibi nomen intrerpretum Mosis & Prophetarum. Hic autem noster professus est, se uelle Iustini uerba Latina facere: & tamen pro sua synceritate, ac fide sententiam totam immutauit. Posset etiam hoc illi condonari, nisi destinato consilio id fecisset. Ita autem uelle statuere sententiam suam, ut Iustini sententiam prorsus sustulerit, nescio, quo pacto ferri possit.

Sed dicet fortasse quispiam, me testem esse parùm idoneum, quòd cum Inconstantio ex professo contendam. Sed res ipsa per se satis loquitur: Apologia Iustini est in medio: nisi ea ita habeat, ut ego dico, uerè conuerterit Inconstãtius. At non omnes Græcè norunt. Hic ego nõ habeo, quid agam, nisi ut eos, qui mihi non credent, remittam ad alium interpretem, uirum utriusque linguæ, Latinæ, inquam, Græcæq; peritissimum, Sigismundum Gelenium. Is Iustinum uertit fœlicissimè: & hunc locum ita reddidit: Et per uerbum precationis, & gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Audis, Inconstanti, panem & uinum, alimoniam, inquam, illam, mutari, & nutrire sanguinem, & carnes nostras post benedictionem, cum iam ex uerbo dei gratiæ actæ fuerint? Non agit in præsentia Iustinus de eo, quid anteà aut ex pane, aut ex uino fiat: sed quid potius fiat ex illis, cum iam facta sint Sacramentum. Eucharistia, inquit, uocatur, cum tamen re uera panis non sit gratiarum actio. Verùm ab effectu, uel potius à re coniuncta ita appellatur. Est corpus & sanguis Christi: sed suo modo: nimirùm, ut sæpè iam diximus, sacramentaliter. Non enim id tantùm dicimus, quod à te sub nostra persona scribitur, panem uocari corpus Christi: quod tamen antiquissimi patres sæpissimè scripserunt. Esse etiam eum conce dimus corpus Christi: non tamen simpliciter, sed ea loquendi forma, quæ in Sacramentis est usitatissima: nimirùm, ut symbola notentur nominibus rerum.

Elemẽta Eucharistiæ etiam cũ Sacramẽto sunt adhibita, nostra corpora nutriunt.

Irenæus.

Et mihi quidem Inconstantius, qui adeò contendat, corpora nostra non alui pane Eucharistiæ, parùm uidetur, quid patres scribant, considerasse: quamuis illorum nomina ubique crepet. Cur enim non audit Irenæũ, qui libro quinto ita scribat: Eum calicem, qui est creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit uerbum dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Quomodò carnem negant capacem esse donationis dei, quæ est uita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutriuntur? Et mox agens de dispositione hominis ita scribit: Quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius, & de pane, qui est corpus eius augetur. Deinde rursus, Corpus & sanguis Christi ex eo nutrita, & reposita in terram, & resoluta in ea resurgent suo tempore. Respondeat hic mihi Inconstantius, quódnam illud corpus, aut quisnam ille sanguis Christi sit, qui bus corpora nostra nutriuntur, aluntur, consistunt, augentur. Mirabor, si corpus illud Christi naturale esse, & sanguinem esse Christi naturalem uelit dicere. Nihil enim nos propriè alit, quod attinet ad carnem & sanguinem, nisi quod in naturam nostram conuertatur. Quod cum carni & sanguini domini uerè ac propriè adscribi non possit, hoc tantùm superest, ut Irenæus illud de pane & uino intellexerit: quæ suo quodam modo non solùm dicuntur, sed etiam sunt corpus & sanguis Christi. Neque uerò dubitari hic potest, Irenæum loqui de ijs elementis, postquam iam consecrata sint, & facta Sacramenta: quæ quemadmodum corpora nostra nutriant ad Resurrectionem, & ad æternam uitam, etiãs diximus, tamen hic quoque paucis perstringam. Qui uiua, & efficaci fide communicant, mente ac spiritu uerum Christi corpus, et uerum eius sanguinem apprehendunt. Ex eo animus renouatur, & gratia, qua animus repletur, redundat in corpus, efficitq; illud aptum organum spiritus sancti, & in dies magis, magisq; capax æternæ uitæ, & summæ fœlicitatis. Panis autem & uinum effecta iam Sacramenta, unà cum spiritu, & gratia cooperantur, & corpora nostra, & carnes alendo materiam illi præparant, quæ diuinitùs instauretur. Hoc alij cibi naturales quamuis faciunt, nõ tamen de illis, ut de symbolis Eucharistiæ, dicitur.

Corpus & sanguis Christi naturalis non potest nostra corpora propriè nutrire.

Quomodo Eucharistia nutriat corpora nostra ad resurrectionem.

Hæc

Hæc enim uis peculiariter tribuitur pani & uino in Eucharistia, quòd illa cum rebus significatis habeant sacramentalem coniunctionem. Alunt ergo, nutriunt, augentq; corpora nostra naturaliter. Alunt autem ad æternam salutem, quatenus sunt instrumẽta spiritus sancti ad fidem in animis nostris excitandam, per quam dona renouationis ad corpus & carnem nostram transfundantur.

Quorsum ergo tantoperè sudauit Inconstantius, ut uerba Iustini peruerteret, ut ille dicere uideatur, panem & uinum alere corpora nostra ante Consecrationem, non autem postquam iam facta sint sacramenta? Sed & operam, & oleũ perdidit. Non enim potest suis istis artibus prudẽti lectori ita fucum facere, quin ut ille facilè uidere possit, quid Iustinus dicat. Deinde etiam si Iustini sententiã potuisset nobis extorquere, tamen hoc certè efficere non potest, quin alij Patres nobiscum disertis uerbis, & apertè sentiant. Postremò, cum Patrum dicta studet ita malitiosè deprauare, necesse est, ut in posterum omnem amittat authoritatem. Sed ne hoc quidem silentio prætereundum est, Iustinum scribere, illam alimoniam per sermonem precum benedictam, seu cõsecratam fuisse à domino. Id cum Papistis omnibus apertissimè pugnat. Illi enim uolunt, Consecrationem suam fieri excantatione illa tantùm quinqueuerbia.

Iustinus benedictionem Eucharistiæ precibus adscribit.

Adhæc Inconstantius fallere uult lectorem in eo, quod ait, Iustinum uti similitudine, uel potius collatione, qua ostendat, carnem & sanguinem domini tam uerè esse in Eucharistia, quàm uerè Christus illa susceperit, cum ex Virgine nasceretur. Aduerbium illud, ὡς, similitudinis est, non æqualitatis. Imò ad significantiam eius satis est, panem & uinum aliquo modo, eo, uidelicet, qui conueniat sacramento, esse corpus & sanguinem domini. Paulus ait, Tum cognoscam, sicut & cognitus sum. An Apostolus æquali, & pari notitia cognoscet deũ, qua à deo cognoscitur? Non, opinor. Iustinus ergo idem facit, quod alij Patres: qui, ut, quoties oblata esset occasio, perstringerent Hæreticos, probabant ex sacramento Eucharistiæ, Christum habuisse ueram carnem, & uerum sanguinem humanũ: non autem, ut illi somniabant, assimulatam, & phantasticam. Nam nisi Christus uerè habuisset carnem & sanguinem, hæc sacramenta nostra falsa essent. Non enim haberent ueram repræsentationem: nec id uerè possent significare, quod nunquam fuerit. Hoc sibi uoluit Iustinus, cum diceret, Sicut Christus habuit ueram carnem & sanguinem, ita hæc alimonia uerbo precum eius consecrata est caro & sanguis domini. Quare, quod iste iactat de potentia dei, qua Verbum indutum est humana carne, quasi eadem potentia panis quoq; & uinum transubstantientur, quiuis uidere potest, quàm sit nugatorium. In illis enim uerbis Iustini nulla mentio fit de potentia dei, aut omninò de ullo miraculo. Quod non eò dico, quasi negem ullam esse potentiam dei in conficiendis sacramentis. Sunt quidem sacramenta opera dei: non tamen, ut isti fingunt, miracula, aut metamorphoses, aut portenta.

Aduerbium ὡς, similitudinẽ dicit, non semper æqualitatem.

Ruit etiam aliud mendacium Inconstantij: quod tamen putauit esse subtilissimum: Iustinum tacitè ait, mentionem fecisse Transubstantiationis, cum diceret, Panem & uinum per mutationem nutrire carnem & sanguinem nostrum: ac si diceret, Quemadmodum ista transmutantur in carnes & sanguinem, quando nos alunt, ita in Eucharistia transeunt in carnem & sanguinem domini: quasi ex mutatione naturali ostendere uoluerit Transubstantiationem miraculosam. Sed quî tandem potuit hoc Iustino uenire in mentem, cum dicat, Panem & uinum manere post consecrationem, & ita manere, ut nutriant, & alant nostra corpora? Ad hæc inutile non erit, audire, quid idem Iustinus dicat alibi. In colloquio cum Tryphone ita scribit: Simila, quæ pro mundatis à lepra solet offerri, ex more figuratè significans panem Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suæ

Iustinus.

,, purgantis ab omni peccato animas hominum, Iesus Christus dominus noster
,, tradidit posteris. Ex ijs uerbis duo colliguntur. Primùm, oblationes Veterum

Sacramẽta ueterum umbræ fuerũt nostrorum sacramentorum.

fuisse umbras nostræ Eucharistiæ: quod Inconstantius suprà fortiter negauit. Alterum est, Christum Eucharistiæ panem tradidisse posteris in mortis suę commemorationem: quod satis indicat, eum dicere panem, non qui ante Consecrationem adhibetur: sed illum, quem dominus in mortis suæ commemorationem tradidit. Sed non ita multò post in eodem Colloquio ita scribit: Cæterùm de sa-

Iustinus.

,, crificio, quod offertur in omni loco, à nobis Gentibus, id est, Eucharistiæ tum pa-
,, ne, tum poculo. Hic quoq; appellat panem, quod offertur in sacrificium. Quo-
modo autem Iustinus hic seruet rationem sacrificij, posteà uidebimus. Mihi nũc
ad uincendum satis est, panem esse, & appellari, eo ipso tempore, cum uocatur sa-
crificium: ne Inconstantius confugiat ad tempus, quo panis adhibetur ante Con-

Iustinus.

secrationem. Et posteà in eodem Colloquio, de Christianis in uniuersum ita lo-
,, quitur: Sordidis uestibus, hoc est, peccatis, exuti, ignitiq; per uerbum uocatio-
,, nis eius, uerè pontifices dei reddimur: sicut ipse deus testatur, dicens, quòd ubiq;
,, gentium offerendæ sint sibi puræ gratæq; uictimæ. A nemine autem deus uictimas
,, mas nisi per sacerdotes suos accipit. Vndè certò constat, quòd huius nominis sa-
,, crificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est, Eucharistia panis & poculi, ubicũq;
,, terrarum apud Christianos fiant. Hinc quoque præterquam, quòd ait, panem

Quæ sit nostra oblatio in Eucharistia.

fuisse, quem Christus in Eucharistia tradidit, elicitur, oblationem intelligi actionem gratiarum, & preces: quæ nõ solùm à ministro, sed etiam ab omnibus astantibus offeruntur: qui cum sint Christiani, non tantùm sacerdotes, sed etiam pontifices dicuntur esse. Quod non eò dico, quasi iustum ministerium ex Ecclesia tollendum censeam. Illud enim omninò manere oportet, & haberi in pretio. Illos tantùm his uerbis confuto, qui sacrificium in Missa esse uolunt, in quo sacrificus filium dei offerat patri suo. Hoc impium, & blasphemum est, & in Veteri Ecclesia inauditum. Hic sacrificium est laudis, & gratiarum actionis: quod est

Iustinus.

opus totius Ecclesiæ: non tantùm unius Missatorculi sacrifici. Id Iustinus ipse
,, paulò post ita exponit: Equidem & preces, & gratiarum actiones, si per homines
,, dignos fiant, solas pro perfectis, & deo gratis habeo. Hæc enim sola sacra Chri-
,, stiani facienda acceperunt: ut alimento sicco, atq; humido admoneantur, quæ
,, propter eos deus dei filius perpessus esse narratur. Hic item audimus in Eucha-

In Eucharistia siccum & humidũ alimentũ.

ristia siccum, & humidum alimentum. Quomodò autem illud sit sacrificium, luculenter explicatur, uidelicet, quòd per illud admoneamur beneficiorũ Christi Iesu, quodq; oblationes precum, & gratiarum actionis faciamus: quę Iustinus

Quæ sint sola sacra Christianorum.

asserit, sola esse sacra Christianorum. Nam mortificatio carnis, & eleemosyna ad ista duo capita referuntur. Atq; ita in Cœna domini nos ipsos quoq; fatebor esse sacrificium. Impia autem illa cogitatio de offerendo filio dei, nisi mortis eius commemorationem intelligas, penitùs ex omnium animis ejicienda est. Satis

Iustinus nõ sentit panem & uinum esse realiter corpus Christi.

ergo iam constare arbitror, quid Iustinus senserit. Verba eius satis ostendunt, panem & uinum non esse realiter corpus & sanguinem domini. Ista enim nõ commutantur in sanguinem & carnes nostras, nec ea nutriunt.

Hoc etiam considera, pie lector, Inconstantium cum sua ista interpretatione rem adduxisse in magnum discrimen, cum ita torqueat uerba Iustini, ut uelit ita uerè, ac propriè panem transire in corpus & sanguinem Christi, ut panis & uinum per mutationem sui fiunt caro & sanguis noster. Ex hoc enim necessariò sequeretur, sanguinem & carnes Christi quotidiè nouas gigni: quemadmodum
,, ex illis alimentis sanguis & carnes nostræ quotidiè recentes, & nouæ fiunt. Ab-
,, sit, inquit: Saluæ sunto regulæ fidei: Vnum esse corpus Christi, quod ista dispen-
,, satione nec augetur, nec minuitur. At si regulam fidei uultis esse incolumem,

quare

quare perpetuò dicitis in ueſtris Miſſis, fieri corpus Chriſti. Dicite aliquãdo ingenuè, aut fieri illud, aut non fieri. Si dicetis fieri, ut certè dicitis, cur non fatemini illud prius non fuiſſe? Nam quod prius fuerit, quomodò dici poteſt fieri? Vel ergo totum Chriſti corpus ueſtra ſententia fit quotidiè in Miſſis, uel ſaltem nouæ illi carnes, nouuſq; ſanguis illi ex pane & uino, quæ in illum tranſubſtantiantur, accedunt. Quòd ſi non placet dicere, Corpus Chriſti fieri, deſinite aliquando tandem, illud nobis toties ebuccinare. *Quod prius fuit, nõ poteſt dici fieri.*

Hoc quoque annotandum puto, panem poſtquam factus eſt Sacramentum, & eſſe corpus Chriſti & Euchariſtiam, & corpus Chriſti & Euchariſtiam appellari: cum tamen quiuis ſcire poſſit, illa ſymbola non eſſe gratiarum actionem, ſed monimentum potius, quo ad agendas gratias excitemur. Ita etiam quamuis panis uerè propriéq; non ſit corpus domini, tamen eſt corpus domini Sacramentum, quo in eius memoriã adducimur. Vtraq; autem appellatione, animi, mentisq; cibus indicatur: quamuis res ipſę, quibus ille cibus ſignificatur, re uera pertineant ad corporis noſtri alimoniam. Quæ ſi quemadmodum cõuertitur in carnem noſtram, ita etiam per Tranſubſtantiationem mutaretur in corpus Chriſti, quemadmodum noſter iſte clamat, omnis ratio Tranſubſtantiationis funditùs euerteretur: & Inconſtantius maximis laudibus à ſuis omnibus afficeretur: ut qui, quo argumento uelit aliquid confirmare, eodem illud prorſus refellerit. Quod ut clarius uideri poſſit, reſpondeat mihi, Materia panis & uini, cum à nobis comeditur, nónne retinetur, & in carnem & ſanguinem noſtrum abit? Non poteſt hoc negare, ſi uelit. At ille in Euchariſtia panem uinumq; cum uniuerſa illorum materia extrudit, neque ea conſiſtere patitur cum corpore domini. Nam illud paulò ſuprà teſtatus eſt non augeri. Cur ergo ita leuiter diſcedit à ſimilitudine Iuſtini, quam anteà tantopere iactabat? Adhæc reſpondeat, proprietates & accidentia panis & uini retineantúrne, cum nos alunt, an non? Reſpondet, non manere ea, nec retineri poſſe. At iſta uos eadem in Euchariſtia conſeruare uultis, eaq; magno quodam miraculo ſine ſubiecto conſtare contenditis. Vbi nunc eſt, Inconſtanti, tua illa Iuſtini ſimilitudo? ubi tua illa manuductio? ubi tua illa tacita demonſtratio? Crede mihi, pudet me tui; etſi te iampridem depuduerit.

OBIECTVM CLII.

OBIICITVR ex Irenæo aduerſus Valentinianos lib. 4. cap. 34. Panis, inquit, terrenus accepta uocatione à Verbo dei, non amplius eſt communis panis: ſed efficitur Euchariſtia, quæ conſtat ex duabus rebus, terrena, & cœleſti. Primùm Irenæus non negat, Euchariſtiam eſſe panem: niſi quis fortè panem communem eſſe uelit. Deinde addit, eam conſtare ex duabus rebus: quarum altera ſit terrena, ut eſt panis: altera uerò cœleſtis, ut eſt corpus Chriſti. Quemadmodum autem ex una parte ueritas retinetur, nimirùm, de corpore domini: ita ex altera parte oportet eandem ueritatem retineri de uero & terreno pane. Poſteà addit Irenæus ſimilitudinem: Ita corpora noſtra illam ſumentia non ſunt amplius corruptibilia.

GARDINERVS.

QVATENVS *dicit Irenæus, ex duabus rebus constare Eucharistiam, quarum altera terrestris est, altera cœlestis, cœlestem autem esse corpus Christi, improbat apertè eos, qui figuram corporis Christi statuunt.*

MARTYR.

,, NOster iste arripit, ut solet, id, quod prima fronte occurrit: & ex eo, quod Ire
,, næus ait, Eucharistiam constare ex duabus rebus, quarum altera sit corpus
,, Christi, persuadet sibi, Irenæum uelle corpus Christi in cœna omninò realiter ese
,, se præsens. Sed non attendit, longè aliud esse, Sacramentum constare corpore Christi, & symbolis, quàm corpus Christi re ipsa, & corporaliter præsens esse in Eucharistia. Nam sermo noster & uoce constat, et re significata, aut sententia. At sententia non est realiter in uoce, sed in mente uel dicentis, uel audientium: & res significata à uoce sæpissimè longè abest. Sacramenta etiam ueteris Testamenti Paulus testatur, constitisse & externis elementis, & corpore ac sanguine Christi. Ait enim, patres sub Mose eundem cibum, potumq; spiritualem sumpsisse nobiscum. At corpus ipsum domini tam longè ab illis abfuit, ut ne natum quidem adhuc fuerit. Adhæc, cum dicimus Sacramentum Eucharistiæ, ipsum totum simul comprehendimus: signa, inquam, unà cum rebus significatis. Et quamuis res significatæ reali, ut loquuntur, præsentia non adsint, nihil tamen ea causa imminuitur de integritate Sacramenti. Illarum enim rerum etiam absentium uera, & realis apprehensio, quæ fide, ac spiritu perficitur satis est ad communicantes ædificandos. Nam, ne ab ipso Cœnæ mysterio discedamus, quis unquam dubitabit, illud mortis etiam Christi esse Sacramentum? Nam dominus illud instituit potissimùm ad commemorandam & testificandam mortem suam. Nemo tamen, ne stupidissimus quidem Papista, ita insanit, ut dicat mortẽ Christi in Cœna præsentem esse. Quare Sacramentum Eucharistiæ duplici re constare, terrena, & cœlesti, non dubitamus: non tamen idcircò necesse est corpus Christi in cœna adesse realiter.

Eucharistia Sacramentum est non tantum corporis Christi.

,, Quomodò autem ex eo, quod Irenæus ait, Eucharistiam non esse commu
,, nem panem, sequatur necessariò, mutari panem, atq; ita mutari, ut ille prorsus auferatur, nescio, quibus oculis Inconstantius uiderit. Nam alium neminem id unquam uidisse arbitror. Quis in ueteri Testamento dixisset, carnem Agni paschalis communem esse carnem? An idcircò colligemus, carnem illam transubstantiatam fuisse, & ita transubstantiatam, ut non existeret? Sed, ut in Nouo Testamento, in quo degimus, cõsistamus, Quis aquam Baptismi aut communem, aut profanam dixerit? Tamen ne Inconstantius quidem, opinor, eam dicit esse transubstantiatam. Quare patiemur, istum suis cogitationibus, quibus ita multum delectatur, solum frui. Rem terrenam apud Irenæum dicit esse panis accidentia: quod Irenæo nunquam in mentem uenit. Is enim, quemadmodum supra in explicando Iustino docuimus, & panem nominat, & eo corpora nostra nutriri dicit. Et quid tandem illi obstitit, quò minus dicere posset, accidentia, & qualitates eas panis esse, quæ tamen magno miraculo consisterent absque subiecto, & corpora communicantium alerent: nullo autem modo esse panis substantiam? An, credo, uerba illi deerant, ut, si ita sensisset, tam grandia mysteria effari non potuerit? At ille nunquam commemorauit ista accidentia, quæ nunc Inconstantius tanti facit: Panem & uinum suis nominibus perpetuò diserte appellauit. Videat nunc Lector, utri malit credere, Irenæóne an Inconstantio?

Caro Agni Paschalis in ueteri Testamento nõ erat communis caro.

Aqua baptismi nõ est cõmunis aqua.

,, Addit, accidentia illa retineri ad significationem terrenæ naturę. Atqui ego hoc

hoc apud Theologos inauditum, quod sciam, esse arbitror, accidentia adhiberi, quæ panem significent, qui iam abierit. Ego certè semper credidi, spectabilia illa signa in mysterijs Christum ipsum, & eius mortem, & spirituale nostrum alimentum designare. Nunc autem ex Inconstantio longè aliud intelligo, illa nobis referre panem & uinum, quæ discesserint. Sed addit etiam, illa, quòd specialem quandam uim habeant alendi corpora, idcircò appellari panem. Sed eodem modo saccarum quoq; & mel, & ficus, & cepa, & alliũ posset appellari panis. Nam ista quoq; omnia nutriunt instar panis. Naturæ autem integritatem in symbolis iste noster hoc argumento probat non esse requirendam: quòd aqua, postquam commista est cum uino, propriam naturam amittat. Ea enim iam unà cum uino confunditur. At si uelit istam rationem esse ueram, materia panis relinquenda etiam est in Eucharistia: nam in uino aquæ materia conseruatur. Extinguenda etiam sunt in Eucharistia accidentia panis & uini. Aquæ enim accidentia in uino pereunt. Miror uerò, Inconstantium huiusmodi similibus delectari, quę cum eo, quod probare uult, ita apertè pugnent. Deinde quid mirum est de aqua, si eius substantia integra, & perfecta non existat. Nam ea ex uerbo dei non additur ad Eucharistiam. Christus enim de illa miscenda cum uino nihil præcepit: Euangelistę nihil scripserunt: Paulus eam suo testimonio non agnoscit. Patres quidem de ea faciunt interdum mentionem. Tamen cum eius usum probare uolunt, nihil proferunt è sacris literis.

Aqua ex uerbo dei Eucharistiæ non additur.

Ait porrò Incõstantius, ueritatem in natura terrena retineri: sed eatenus tantùm, quatenus ea consentire possit cum ueritate mysterij. Sed quæ tandem, obsecro te, ueritas ibi retinetur, cum illa signa præ se ferant, se esse panem & uinum, cum nihil aliud sint, quàm illarũ rerum accidentia? An uerò putaret Inconstantius, ueram esse auream monetam, quę non substantiam auri haberet, sed tantùm eius colorem, & pondus? Præterea uelim hoc mihi explicari, cur uera substantia panis, cum mysterio Eucharistiæ nõ consentiat? Si agamus de significatione, natura panis multò melius inseruit mysterio, si præsens adsit, quàm si abijciatur. At si istam causam uelint esse, quòd dicãt realiter adesse corpus Christi: age sanè, ut illis aliquid dicis saltem causa concedamus, sit ita, ut uolunt: adsit realiter corpus Christi. Quid hic obstat panis? Nolumus, inquiunt, duo corpora esse simul in eodem loco. Itáne uerò? Cur ergo in lapide monumenti, & in foribus clausis ista ponitis? Et in accidentibus panis cur magnitudinem relinquitis? Illa enim est, quæ obstat, quò minus alia quãtitas corporis domini possit esse eodem loco. Nam quod ad substantiam ipsam attinet, si quantitas tolleretur, nihil esset impedimenti, quin unus, atq; idem locus complecti posset duo corpora. Consulo igitur tibi, Inconstanti, nisi uelis corpus Christi sua expoliare magnitudine, ut eam potius pani detrahas, cuius iam substantiam sustulistis. Et quemadmodum imprudenter dicitis, id, quod habetis in manibus, non esse panem: ita id eadem fronte dicite, non esse quantum. Qua enim facilitate negare potestis, panem & uinum in Eucharistia, eadem potestis negare, ea, quæ uidentur, esse accidentia. Nam si quis uobis obijcere uellet testimonium sensuum, uno uerbo, ut soletis, possetis discere, in mysterijs nihil fidei tribuendum esse sensibus.

Cogũtur aduersarij duas magnitudines simul ponere in eodem loco.

Christus, inquit, dixit, Hoc est corpus meum. Fateor. Hoc enim unicum est telum Papistarum: cuius tamen de uulnere sanguis non sequitur. Sed quorsum nũc citat hoc testimonium? An fortè, quod Christus ibi de Corpore tantùm mentionem fecerit, non etiam de pane? At Euangelista, quod nobis satis esse debet, testatur, Christum in manus accepisse panem, benedixisse panem, fregisse panẽ, dixisse de pane, Hoc est corpus meum. Paulus etiam non semel, sed sæpius mentionem facit panis. Sed hic repetit Inconstantius præclaram, uidelicet, senten-

,, tiam, Myſterij modum rei ueritatem non imminuere: nec imminui naturam pa-
,, nis, etiamſi accidentia tantùm eius relinquantur. O, utinam ueſtræ pecuniæ ac
uaſa illa tua, Inconſtanti, aurea, argenteaq;, nõ alio modo uobis eſſent incolumia,
atq; integra, quàm ueſtra iſta ſententia natura panis in Euchariſtia integra & in-
columis retinetur. Et ſanè nonihil uereor, ne illi, qui hæc mendacia uenditant, ita
uerè ſint Chriſtiani, ut eorum iudicio Euchariſtia uerè ſeruat naturam panis: ne,
ut quemadmodum dicunt, ibi ſpeciem tantùm panis & uini ſupereſſe, ita ipſi
quoq; ſpeciem tantùm, & aſsimulationem aliquam ueræ pietatis præ ſe ferant.

,, Poſteà fingit Irenęum dicere, ſubſtantiam corporis Chriſti adeſſe in Euchari
,, ſtia, quod ille minimè ſcripſit: additq; illum abuti appellatione panis ad acciden-
,, tia, quæ res terrenæ ſint, ſignificanda. Irenæum abuti uocibus, niſi alia meliora
forte afferat Inconſtãtius, mihi liberum erit credere, quantum libeat. Equidem,
quod ab eo ſimpliciter dictũ eſt, ſimpliciter credo. Quodq; Irenęus ultimo loco
,, ſcribit, Ita corpora noſtra illam ſumentia nõ ſunt amplius corruptibilia, id Incon
,, ſtantius ita interpretatur, quaſi noſtra mutatio tenuem quandam adumbrationẽ
,, præ ſe gerat Tranſubſtantiationis: nõ autem ut effectus adæquetur. Hoc autem
quàm uanum, & ineptum ſit, diſputatum eſt ſuprà. Vtq; nunc uno uerbo dicam,
Abſurdũ eſt corpus Chriſti magis in ſacramento eſſe, quàm in nobis.
Abſurdum omninò eſt, corpus Chriſti magis adeſſe ſacramento Euchariſtiæ, q̃
nobis ipſis, propter quos inſtitutum eſt ſacramentum. Deinde quòd particulam
illam ſimilitudinis, modò ſummam rerum æqualitatem, modò leuem aliquam
tantùm adumbrationem notare uolũt, id non tantùm ridiculum eſt, uerùm etiã,
quod iſte maximè fugit, argumentum magnæ inconſtantiæ. Nam ſuprà ex illis
uerbis Iuſtini, Quemadmodum Ieſus Chriſtus ſeruator noſter per uerbum dei fa-
Inconſtantij magna inconſtantia
ctus caro, carnem & ſanguinem habuit noſtræ ſalutis cauſa: ita etiam cibum illũ
poſtquam per uerbũ precationis fuerit ab eo benedictus, ex quo ſanguis, & car-
nes noſtræ per mutationem nutriuntur, edocti ſumus eſſe carnem & ſanguinem
illius Ieſu, qui pro nobis eſt incarnatus, &c. In his, inquam, uerbis ſuprà pugna-
bat Inconſtantius, notam illam ſimilitudinis omninò ueritatem adæquare. Ele-
menta enim externa tam uerè, ac propriè in ſe habere realiter corpus Chriſti, q̃
uerè, proprieq; Chriſtus ab incarnatione ſua habuit in ſe carnem & ſanguinem.
Nunc autem ſimilitudinem illam pro ſuo cõmodo extenuat. Non enim uult cor-
pora noſtra ita mutari participatione rerum diuinarum, ut panis mutatur in Eu-
chariſtia. Sed in ea re uehementer errat. Oſtendam enim poſteà ſuo loco, Patres
ſæpè dicere, Quemadmodum corpora noſtra manent eadem, quamuis facta ſint
incorruptibilia: ita ſubſtantiam panis manere eandem, quamuis iam ex illo ſa-
ctum ſit ſacramentum.

OBIECTVM CLIII.

OBIICITVR ex Irenæo eodem loco: Quid intelligitur per cœleſtem rem, niſi ſanctificatio, quę uenit per inuocationem nominis dei? Et quid per terrenam rem, quæ uenit ex terra, niſi uerus panis? qui etiam, ut ait Irenæus, ita nutrit corpora noſtra ut communis panis.

GARDINERVS.

NON *ex uerbis Irenæi, ſed ex ſententia, quam iſtis libet colligere, conſtat hæc obiectio.*

Mar.

MARTYR.

QVantum fidei in proponendis noſtris argumentis, & referendis noſtris Obiectionibus habendum ſit Inconſtantio, hic locus inſigniter oſtendit. Verba iſta, cum ad ſuperiorem Obiectionem pertineant, nec ſine ea poſſint intelligi, tamen iſte à priori ſententia Irenęi auellere uoluit, & tanquã nouam Obiectionem proponere. Neque uerò noſtri unquam ea uerba retulerunt, tanquam deſcripta ex Irenæo, ſed potius tanquam explicationem aliquam Irenæi. Non enim in eo loco mẽtio fit Sanctificationis, quaſi ea ſit altera pars Euchariſtię. Sed tantùm poſt illa uerba, quæ in ſuperiori Obiectione retulimus, ita ſubiungit: Offerimus autem ei, non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi eius, & ſanctificantes creaturam. Quæ ergo ita allata ſunt à noſtris, quaſi expoſitio aliqua uerborum Irenæi, iſte ita accipit, ac ſi nos ea diceremus eſſe uerba Irenæi. Deinde clamat, hæc non haberi ex eius uerbis, ſed ex ſententia, quam nobis libuit ex Irenæo colligere. At cur non adſcripſit, Hęc uerba Irenæi ſic ab iſtis exponuntur. Hoc quid aliud eſſe dicam, quàm pueriliter nugari, & ludere, & non tantum charta, & atramento, ſed etiam lectoris patientia abuti?

Sed ad rem potius ipſam uenio. Propoſitum erat ex uerbis Irenæi, Euchariſtiam conſtare duabus rebus, terrena, & cœleſti. De terrena ſatis dictũ eſt. Et nos iuſtiſſimè Papiſtas reprehendimus, qui panì, quem pro natura terrena accipiendum eſſe oſtendimus, ſola ſupponi uolũt accidentia. Supererat, ut de altera parte, uidelicet, de re cœleſti diceretur. Illam autem rem in ſuperiori reſponſione fatebar eſſe corpus Chriſti. Hoc tamen addidi, nõ poſſe probari, illud ea cauſa prędicti, Meminiſti, pie Lector, non dubito, hanc à nobis interpretationem allatã eſſe. Quoniam tamen multi uolunt, per Euchariſtiam ea, quæ in cœna realiter præſentia ſunt, ſignificari, idcircò in iſta Obiectione, quæ nunc affertur, alia expoſitio uerborum Irenæi interponitur: ut ſcilicet, in illis rebus, quæ in cœna eduntur, & bibuntur à Communicantibus, duo conſiderentur: Primùm natura panis & uini, quæ uocantur res terrenæ: deinde benedictio, conſecratio, ſiue ſanctificatio, qua efficitur, ut illa iam Sacramenta ſint, non autem res communes, aut profanæ, ſed efficacia inſtrumenta ſpiritus dei. Atq; ita hac quoque ratione Euchariſtiam conſtare duabus rebus: ex quibus altera, uidelicet ſanctificatio, dicatur res cœleſtis, quæ corporis Chriſti nomen habere poſſit, & ſępè ita appelletur. Hoc certè panì, uinoq;, quàm diu adhuc cõmunia, & profana ſint, nemo attribuerit. Hæc illa eſt interpretatio, quam nunc Inconſtantius tãto conatu oppugnat: quam tamen neceſſe eſt, ut fateatur eſſe uerã, ſi noſtra corpora Corpore & ſanguine Chriſti ali, conſiſtere, augeri uelit. Ne hoc quidem tacendum eſt, Irenæum, quo loco dicit, Euchariſtiam conſtare duabus rebus, diſertis uerbis non facere mentionem ullam de corpore Chriſti: quãuis id alibi faciat, eoq; corpora noſtra ali teſtetur.

Cauillum autem merum eſt, quòd iſte ait, nos in Euchariſtia, non ipſam ſanctificationem, ſed eius effectũ debere attendere. Illa enim, inquit, corpus Chriſti præſens efficitur. Ita, quod probãdum erat, id ſibi ſumit tanquam conceſſum. Efficí tamen corpus Chriſti per ſanctificationem eo ſenſu, quo iam diximus, non inficior: id autem nego, uel excludere ſubſtantiam & naturam panis, uel ſubſtantialem & realem corporis Chriſti præſentiam ſtatuere. Irenæum autem dicere, rem cœleſtem eſſe corpus Chriſti, affirmat quidem Incõſtantius, Irenæus tamen ipſe, cui maximè fides habenda eſt, non dicit. Poſteà redit ad uſitatam illam ſuam, uel potius tritam, & obſoletam cantilenam. Panis quidem, inquit, ad conficiendum Sacramentum adhibetur: ſubſtantia tamen eius in myſterio non ma-

net. At nos iam & ex Iustino, & ex isto ipso, de quo nũc agimus, Irenæo, panem existere in Eucharistia etiam post Consecrationem demonstrauimus. Quam sententiam Inconstantius nullis unquam strophis poterit euertere. Vanum etiam
» illud est, quod ait, Irenæum, cũ dicat, Eucharistiam non esse communem panem,
» innuere, illum ita mutatum esse, ut transubstantiatus sit in corpus Christi. Hoc nihil opus est refutare. Satis enim superq; iam anteà à nobis est explosum. Sed magna est istorum hominum iniquitas: qui, cum uerba patrum nolint ipsi recipere, tamen nos ad omnes illorum nutus uelint adstringere, & ad leuissima commenta, quæ ipsi per somnium patribus assuerunt, adigere.

» Huc addit, Corpus Christi alere corpora nostra instar ciborum aliorum, ab
» surdum esse. Eo tamẽ uel hoc nomine nutriri corpora nostra putat, quòd ea cum
» sint corruptibilia, ita præparentur ad incorruptionis conditionem. Corpus enim
» domini nobis tanquam semen quoddam incorruptionis inspergi. Hoc nos iam dedimus, aliquo modo uerum esse. Sed præter istum apparatum ad incorruptionem, & æternã uitam, Irenæus hoc etiam expressè scribit, Sanguinem & carnes nostras ali, & augeri corpore Christi: quod nisi ad panem & uinum referatur, uerum esse non potest. Quemadmodum autem uerũ est, alimentum atq; augmentum corporis nostri non posse haberi ex Eucharistia sine substantia panis & uini: ita etiam uerum est, corpora nostra posse præparari ad uitam æternam ex corpore & sanguine Christi, etiam sine illorum reali præsentia.

OBIECTVM CLIIII.

RVRSVS obiicitur ex Irenæo: Quomodò iustè dominus, si alterius patris existit, huius conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem suum corpus confitebatur: & temperamentum calicis suum sanguinem confirmauit? lib. 4. cap. 57. Irenæus hic planè ostendit, dominum, cum accepisset panem, confessum esse, illum esse corpus suum: & uinum mixtum in calice esse sanguinem suum.

GARDINERVS.

NISI Christum, omnis ueritatis fontem, per blasphemiam mendacij arguere uelimus, quod confessus est esse, uerè effecit fieri.

MARTYR.

» CHristus, inquit, non est arguendus mendacij. Hoc enim blasphemum est. Is
» ergo cum confessus sit, panem esse corpus suum, uerè effecit, ut ille corpus
» ipsius fieret. Sed agè. Rem paulò exquisitius cõsideremus. Nónne qui confitei, Gardinerũ Vintonienſem episcopum esse Anglum, uult istam propositionẽ ueram esse, Gardinerus est Anglus? Quiq; confitetur, Gardinerũ Papistã esse, aut ueritatis proditorẽ, nónne hãc propositionẽ uult esse ueram, Gardinerus est Papista, aut proditor ueritatis? Cũ ergo Irenæus dicat, dominũ confessum esse, panem esse corpus suũ, profectò uult, propositionẽ istam uerã esse, Panis est corpus domini. Id etiã Cyprianus asserit in Sermone de Vnctione Chrismatis. Vt expo
Cyprianus. » neret, inquit, Gentibus, quomodò uinũ & panis caro esset, & sanguis. Modum etiã ibi Cyprianus exponit: nempè q; significãtia, & significata ĩsdẽ nominibus censeantur. Verũ ergo est, Christũ efficere, ut panis sit ipsius corpus. Quoniam panem

panem fecit sacramentum, quod corpus ipsius significaret. Ambrosius quoq; de Sacramen. lib. 4. cap. 4. ita scribit: Quomodò potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Quid istis uerbis potest esse clarius? Consecratione inquit fieri, ut, qui est panis, fiat corpus Christi. Alia multa adducere possem in hanc sententiam. Sed ea præstat referre aliâs. Nunc uerò non est magnoperè laborandum, ut exponam, quemadmodum utrūq; sit uerum, idem & panem esse, & corpus Christi. Quiuis enim id ex illis, quæ iam dicta sunt, potest facilè intelligere. Christus ergo cum confiteretur, panem esse corpus suum, fecit panem sacramentum corporis sui. Verba uerò Irenæi ita clara sunt, ut nullis Inconstantij nebulis possint obfuscari. *Ambrosius.*

OBIECTVM CLV.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo lib. 5. Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit uerbū dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi: ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Ex hoc loco apparet, Christum, cum accepisset panem uerè materialem, appellasse illum corpus suum, cum diceret, Hoc est corpus meum: & uinum etiam, quo nutrimur, eum appellasse sanguinem suum.

GARDINERVS.

HOC *planè docet Irenæus: Cum mixtus calix, & fractus panis percipit uerbum dei, fieri Eucharistiam corporis et sanguinis, ne quis contendat sanctificationem esse rem cœlestem sacramenti, quum ipsum sit corpus & sanguis.*

MARTYR.

EX eo, quod Irenæus scribit, panem fractum, & calicem mixtum fieri Eucharistiam corporis & sanguinis domini, Inconstantius è uestigio concludit, rem cœlestem, qua Eucharistia constat, non esse sanctificationem, sed corpus ipsum Christi, & eius sanguinem. Quod, quemadmodum dari possit, iam suprà exposuimus. At ego uicissim quæro, quomodò panis fiat Eucharistia. Nā paulò antè, cum de uerbis Iustini ageretur, iste noster ualdè atrociter clamauit, alimoniam illam esse carnem & sanguinem Christi: uocari tamen Eucharistiam: quasi, quod ad hanc tractationem attinet, magnum quoddam sit discrimen inter esse, & uocari. Dicat mihi nunc uicissim ipse, quomodò panis fiat Eucharistia. Nam Eucharistia est gratiarū actio. An ergo dicet, panē fieri gratiarum actionē? Aut si dicat, quis illi credet? Quemadmodū ergo tropicè dicimus, panē fieri actionē gratiarū: ita etiā tropicè dicimus, panē fieri corpus Christi. Ex carne autē, sanguineq; Christi consistere, atq; augeri substātiam carnis nostræ, dicit iste aliquo modo uerum esse. Ego uerò id contendo, omnibus modis falsum esse: modò pro priè accipias corpus & sanguinē Christi, propriéq; accipias nutriri & augeri.

Quomodo panis fiat Eucharistia.

Ex carne et sanguine Christi cōsistere & augeri substātiam carnis nostræ, propriè loquendo nō est uerū.

Posteà Inconstantius confugit, ut solet, ad naturam panis & uini extra usum sacramenti: aut ad illud tempus, quo ea primùm adhibētur ad Consecrationem. Verborum etiam ordinem, & proprium orationis sensum prorsus cōfundit. Nā Irenæus quidem loquitur de pane & uino, postquam iam perceperunt uerbum dei, & facta sunt Eucharistia. In Iustino, quemadmodum audiuimus, conatus est uerba peruertere: in Irenæo sensui, atq; intelligentiæ insidiatur. Ad hæc suum illud solenne inculcat, & repetit, Cum panis & uinum à natura mutētur in carnes

& sanguinem communicantium, par esse, ut credamus eadem mutari à deo in corpus Christi. Hæc suprà, cum Iustini sententiam exponeremus, refutauimus: nec opus erit, credo, ea nunc repetere. Hoc tantùm unum dicam: Consilium Irenæi in eo loco fuisse, ut doceret, creaturas panis & uini bonas esse, & à bono, & uero deo patre domini nostri Iesu Christi conditas. Id enim Valentiniani & Marcionitæ negauerunt. Vtitur autem hoc argumẽto: Christus, boni & ueri dei filius, usus est pane & uino ad conficienda sacramenta: ergo non res alienas usurpauit, sed suas: & ad rem bonam, quale est sacramentũ, adhibuit res bonas. Pergit porrò, & probat, corpora quoq;, & carnes nostras bonas res esse, quòd sacramentis, quæ citra controuersiam bona sint, alantur. Ex isto progressu, & contextu rationum Irenæi, facilè uidere possumus, quàm procul Inconstantius uagetur extra oleas: cum somniet, nos ali non pane, aut uino, quæ sunt creaturæ naturales, & existunt in sacramentis, sed miraculo: aut, cum fingit, Irenæum hoc loco agere de natura panis & uini, quam habebant, antequam fierent sacramenta. Certè si panem tollas ab Eucharistia, non oppugnatur Marcion, qui illas creaturas negabat esse bonas, sed potius adiuuatur.

Explicatur argumentum Irenæi.

OBIECTVM CLVI.

OBIICITVR præterea ex Irenæo lib. 4. cap. 32. Eum, qui est ex creatura, panem accepit, & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum: & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quę est secundum nos, suum sanguinem confessus est: & Noui Testamenti nouam docuit oblationem. Hinc apparet, creaturam panis dictam esse corpus Christi.

GARDINERVS.

VI ex ijs uerbis argumentantur, Christum secundũ Irenæum uocasse panem corpus, quid inferunt posteà, nisi Christum id, quod consecrando effecerat, uocasse, & cum re mutatione mutasse nomen?

MARTYR.

IN hac responsione nihil habetur, quod non sit dictum anteà. Vis autem argumenti in eo sita est, quòd Christus panem & uinũ, creaturas, ut dicitur, secundum nos, fassus sit esse corpus & sanguinem suum. Accidentia autem panis & uini, præsertim existentia sine subiecto, nemo sanus dicet esse creaturas secundum nos. Sunt enim portenta, & quiduis potius, quàm creaturæ ab hominibus usurpatæ. Hinc tamen Inconstantius elicere uult, aquam, uidelicet, è pumice, panem & uinum simul cum mutatione rei mutasse nomẽ. Sed quam mutationem rei nobis narrat? Transubstantiationem, scilicet. Atqui de ea, quod sciam, non meminit uspiam Irenæus. Quòd si mutationem spiritualem diceret, qua panis & uinum fiant sacramenta, cum anteà fuerint res profanæ, possemus illi assentiri. Verùm cum se in omnia absurda ita abijciat præcipitem, quę potest esse spes concordiæ? Fugit id, quod est in controuersia: & se ad aliam transfert quæstionem, de sacrificio Noui Testamenti. At hoc non est ordine disputare. Verùm hoc, inquit, idcircò facio, ut intelligas, in nudo pane nullam posse esse nouã oblationem, quam tamen Irenæus dicit Christum instituisse. Nam in illis, inquit, creaturis Melchisedech obtulit præfigurans Christum. Mitto nũc communem errorem

errorem illorum, qui dicunt, Melchisedechum obtulisse panem & uinum deo in sacrificium. Id enim ab historiæ ueritate alienum est. Protulit enim illa potius exercitui Abrahami redeunti à prælio, ut milites lassos reficeret. Sed ignoscendum, opinor, est Inconstantio, si pro more suo errare malit cum patribus, quàm recte sentire cum scripturis. Hoc ergo omisso, illud dico: Veteris & Noui Testamenti oblationes in hoc differre, quòd ibi res aliquando exhibenda proponebatur, hic autem iam facta & exhibita commemoratur; ibi Christus uenturus & moriturus ostendebatur, hic mortuus pro nobis fide percipitur. Inconstantius uerò, cum nouam oblationem in Nouo Testamento offerri iactat, illud sacrificium appellari uult uiuificum propter ueram præsentiam corporis Christi. Quid ita? Nónne etiam doctrina Euangelij est uiuifica? At in illis uerbis, quibus Euangelium explicatur, corpus Christi realiter non inuoluitur. Baptismus quoque est Sacramentum uiuificum. At in eo non adest realiter corpus Christi.

Addit, Sacrificium cœnæ incruentũ esse: & in eo non iterari, sed tantũ commemorari mortem Christi. Quòd si ita est, quę ergo illa est oblatio, in qua dicitis deo patri offerri à sacrifico corpus & sanguinem Christi? Quare enim ea offert? Quis iussit? Christus quidem iussit, memoriã ibi fieri mortis suæ. Quam memoriam si appelles sacrificium gratiarum actionis, libenter accedo. Verùm ad nihil opus est reali præsentia corporis Christi. Nec Christus unquã promisit, se corpus suũ quotidiè omnibus in locis exhibiturũ esse præsens, ut deo patri quotidiè offeratur. Hic Inconstãtius ut offuscaret quæstionẽ, uerba Iustini interposuit. Sed ea causam eius nihil iuuãt. Ille enim sibi consentiens oblationẽ, quæ à Gentibus in omni loco iuxta Prophetæ uaticinium offertur, dicit esse panem & poculum εὐχαριστίας. Nemo est, qui nesciat, εὐχαριστίαν esse gratiarum actionem. Hoc Sacrificium offerri in cœna domini, nos nunquam negauimus. Imò Iustinus quoq; quemadmodũ suprà annotauimus, testatus est, hæc sola esse genera nostrorum sacrificiorum. Et Tertullianus contra Iudæos, & Hieronymus in Malachiã, cum interpretentur locum illum, ad quem alludit Irenæus, affirmãt, illa sacrificia esse uerba laudum, & precum. Imò Irenæus quoq; ipse, ut id obiter attingam, lib. 4. cap. 34. ad finem ita scribit: Ideò nos quoq; uult offerre munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ, & oblationes nostræ diriguntur: & ad templum, quemadmodum Iohannes in Apocalypsi ait. Preces & gratiarũ actiones appellat nostras oblationes, quæ ad cœlum, ubi nostrum altare est, deferũtur. Quare, quid Iustinus senserit, tam ex illis, quæ modò diximus, q; ex obiectione, qua uerba eius exposuimus, satis liquet. An autem senserit, Eucharistiã tam uerè esse sanguinẽ & carnes Christi, q; uerè Christus sanguinẽ & carnem susceperit de uentre Virginis, suprà abundè docuimus.

Christus nõ promisit oblationẽ de corpore suo faciendam, cum in cœlum ascendisset.

Iustinus.

Tertullianus.

Hieronymus.

Irenæus.

OBIECTVM CLVII.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo lib. 4. ca. 34. Quomodò, inquit, constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus domini sui, & calicem sanguinem eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium esse dicant? Hic quoq; uocat panem corpus Christi.

GARDINERVS.

HAEC *uerba Irenæi ostendunt, magnum quiddam, & admirabile illis uerbis, Hoc est corpus meum, Christum expressisse: quod nisi in propria significatione uerborũ intelligi non potest.*

MARTYR.

NEceſſe eſt, ut Inconſtantius fateatur, ſe, cum uellet huic Obiectioni reſpondere, aut egregiè mentitum eſſe, aut uerba Irenæi nõ intellexiſſe. Voluiſſe mentiri ſe, quoniam turpiſſimum eſt, etſi apud eum uſitatum eſt, nunquam fate-
,, bitur. Quarè illum uerba Irenæi nõ intellexiſſe, ſic oſtendo. Putat, Irenæũ illo lo-
,, co rem difficillimam, & ſummè admirabilem, quãcp nemo, niſi filius dei fabrica-
,, toris huius mũdi facere potuerit, proponere uoluiſſe: nempè, ut panis uerteretur
,, in corpus Chriſti. Ego uerò, etſi ad facienda Sacramenta nõ dubito requiri uim diuinam, tamen affirmo iſta ab Irenæo longè alio animo, alioqꝫ cõſilio ſcripta eſſe. Valentinus & Marcion, cõtra quos Irenæus ſcribit, dicere ſolebãt, Chriſtum eſſe quidem filium dei, at non eius dei, qui eſſet huius mundi fabricator. Interim tamen ijdem illi recipiebant cœnã domini. Ab ea Irenæus contra illos arripit argumentum: non poſſe conſtare, dominum uoluiſſe panem, qui ad alium deum pertineret, ſui corporis facere Sacramentum. Nam, cum illud Sacramentum inſtitueret, patri ſuo gratias egit. At, ut illi Hæretici ſomniabant, illa creatura ad patrem non pertinebat. Id ergo fuiſſet non rectè gratias agere. Iuſtitia enim hoc potius poſtulaſſet, ut de uſu illius creaturę, gratias ageret potius fabricatori mundi, qꝫ patri ſuo. Nã eũ illi dicebant à mundi authore alienũ eſſe, & cõtra illũ inimicitias gerere. Vides ergo, pie Lector, Inconſtantiũ turpiter hallucinari, & id referre ad potentiã dei, quod Irenæus ſcripſerit de poſſeſſione rerũ, & uera gratiarum
,, actione. Addit adhęc, in illis uerbis, Hoc eſt corpus meũ, omninò propriã ſi-
,, gnificationẽ retinendã eſſe: qꝫ tropica ſententia ſit ita facilis, ut ad ſui ueritatẽ di-
,, uinam potẽtiam non requirat. Imò, inquit, quiuis nudus homo poteſt ſignũ ſui
,, ipſius, quicquid uelit cõſtituere. Quare ut panis ſignificaret corpus Chriſti, id
,, ſine ulla magna dei potentia potuit fieri. Verũ iſte, aut neſcit, aut, quod magis credo, fingit, ſe neſcire, panẽ à nobis dici tale eſſe ſignũ corporis domini, ut ſit Sacramentũ: quod fidẽ ueritatis habere non poſſet, ſi à nudo homine proferretur. Nec mo enim ſine uoluntate, atcꝫ authoritate dei inſtituere poteſt Sacramentũ. Vtautem corpus Chriſti ſubſtantialiter ſit in Euchariſtia, quod Papiſtę fingũt, ne deus quidem ipſe poteſt efficere: non quidẽ ſua ulla infirmitate, ſed quòd ipſa res naturæ ſuæ fieri nequeat. Nos de ſenſu Irenæi ſumus certiſſimi: quem nõ aliũ eſſe poſſe, cꝫ qui à nobis traditũ, qui loca illa attentè legerit, nullo modo poterit dubitare. Fictitiũ ergo eſt, quod Inconſtãtius dicit, tantũ miraculum nõ potuiſſe effici, niſi â filio dei. Neqꝫ enim id agebat Irenæus, ut fidem faceret miraculis, ſed tãtùm, ut probaret, Chriſtũ eſſe filium fabricatoris mundi dei. Idcꝫ, uti diximus, probauit ab inſtitutione Sacramenti. Non enim eſſe ueriſimile, Chriſtũ rebus alienis, idcꝫ à malo deo, & patris ſui inimico profectis in inſtituendo Sacramẽto uti uoluiſſe.

Tertullianus. Idem agit Tertullianus libro primo aduerſus Marcionẽ. An, inquit, putẽ impu-
,, dentiorẽ, cꝫ qui in aliena aqua alij deo tingit: ad alienũ cœlum alij deo expandit:
,, in aliena terra alij deo ſternit: ſuper alienũ panem alij deo gratiarũ actionib. fungitur? Quomodò autem panis, in quo gratię actæ ſint, ſit corpus Domini noſtri, & calix eius ſanguis, cum toties iam dictum ſit, hic repetendum non exiſtimo.

OBIECTVM CLVIII.

OBIICITVR ex Irenæo libro 1. de Marco quodam impoſtore, qui in hoc Sacramento Euchariſtiæ mirificè illudebat hominibus ſimplicibus. Immutabat enim colorem uini, ut prorſus uideretur eſſe cruor. Et uinum ipſum ita augebat præſtigijs ſuis, ut magnum poculum impleret de paruo cyatho, &

tho, & ita impleret, ut redundaret. Ex hac impostura satis liquet, illa miracula, quę iactantur à multis, non confirmare errorem istum de reali præsentia, sed esse meras præstigias.

GARDINERVS.

INCIDIT *impostor in impostorem: in hæreticum hæreticus: quomodò prouerbium sonat, Semper deus similem ducit ad similem.*

MARTYR.

PRimùm non puto alienum fore, aut inutile, admonuisse Lectorẽ, idcircò inductam esse hãc Obiectionem, quòd multi hodiè substãtialem istam præsentiam putent probari posse ex eo, quòd aliquando Christus ipse in illo pane conspectus fuerit instar pueri, aut quòd in calice apparuerit forma sanguinis. Hæc omnia, & alia similia ex hac historia probatur fuisse præstigias: cum Marcus quoque impostor talia fecerit, & multos, præsertim simpliciores, hac arte deceperit. *De miraculis quæ in Eucharistia interdum apparuerunt.*

Sed Inconstantius hoc argumentum putat se in nos posse retorquere. Magus enim, inquit, non fuisset auditus, neq; ille hoc genus impostura tentasset, nisi hæc fides iam peruasisset Ecclesiam, uerum sanguinem esse quidem in calice, sed non apparere. At non uidet, quàm ista infirma sit, uel potius nulla consequutio. Satis enim magna occasio dabatur huic impostori ad illudendum populo, quod Ecclesia tum publicè crederet, sacramentum sanguinis Christi cõtineri in calice. Quare cum iste credi uellet, suo ministerio plus fieri, quàm passim crederetur, quamq; ab alijs ministris fieret, ipsum Christi sanguinem uideri uolebat in calice præsentem exhibere, non tantùm eius sanguinis sacramentum: atq; ita sua sacramenta longè aliorum sacramentis perfectiora, & augustiora esse uoluit persuadere, quò maiorem populi multitudinem ad se alliceret. Hæc fuit uera ratio impostura. Quoniam autem sapientiores uidebant, id non posse fieri, ut sanguis Christi alibi, quàm in corpore, ac uenis eius, et in cœlo inueniretur, idcircò huiusmodi præstigijs non fallebantur. Et Irenæus ait, simplices tantùm homines deceptos fuisse, & mulierculas. Quòd si uera sit regula ista Inconstantij, oportebit ea, quæ indicio aliquo monstrantur, eadem omninò esse cum illis, quæ monstrant. Ex eo enim uult Ecclesiam credidisse, sanguinem Christi esse in calice, quòd Marcus id cruore ostendisset, Homines enim non fuisse credituros impostori, nisi sanguinem re uera in calice cõtineri credidissent. Quid ergo? An Christum putamus fuisse stellam, quoniam illum Magis stella indicabat? aut, An deũ putamus propriè fuisse Arcam fœderis, quoniam per illam Arcam ostendebatur? aut, Agnus paschalis erátne re uera trãsitus domini, quoniam per Agnum eiusmodi transitus indicabatur? Certè neq; Dominus credebatur esse stella, neq; Arca deus, neq; Agnus transitus: quãuis per illa ea omnia ostenderentur. Quare non est necesse, Ecclesiam tum temporis credidisse, uerum Christi sanguinem fuisse in calice, quamuis malis artibus illius impostoris efficeretur, ut color sanguinis in calice uideretur. Hoc autem certissimè ex omnium Patrum dictis deprehẽditur, Ecclesiam tum publicè credidisse, uinum illud, quod proponebatur in calice, sacramẽtum fuisse sanguinis Christi pro nobis effusi. Id autem agebat, & ambiebat Marcus, ut deus crederetur in ipsius gratiam talem colorẽ uoluisse ostendere, uel potius rem ipsam præsentẽ exhibere, quò ipsius sacramenta longè omnibus aliorum sacramentis præstare existimarentur. Telum ergo hoc totum Inconstantius in se recipiat: nam in nos quidem non potest retorqueri.

OBIECTVM CLIX.

OBIICITVR ex Tertulliano aduersus Iudæos. Sic, inquit, Christus reuelauit panem corpus suum appellans, cuius retrò corpus in panem prophetes nuntiauit. Hic uides, Christum uocasse panem corpus suum.

GARDINERVS.

QVOD *propheta corpus Christi panis figura significauit occultè, Christus re ipsa præstitit, & impleuit.*

MARTYR.

DE sensu Hieremiæ prophetæ capite illo 11. hic multis non est agendum. Impij dicebant, Mittamus lignum infectum ueneno in panem, hoc est, in cibum eius: quò eum perdamus mortifero aliquo esculento. Hæc est sententia Hebræorum. Multi ex Patribus per lignum intellexerunt crucem, quæ uideri possit aliquo modo immissa fuisse in corpus domini, cum ille pro nostra salute in ea immolaretur. Hanc interpretationem inter primos amplexus est Tertullianus. Sed eum probare oportuit, corpus domini à propheta appellatum fuisse panē. Illud autem ait Christum ipsum reuelasse, cum panem appellaret corpus suum. Verba Tertulliani ita habent: Vtq; in corpus eius lignum missum est. Sic enim „ Christus reuelauit panem corpus suum appellans: cuius retrò corpus in panem „ prophetes nuntiauit. In Obiectione ergo colligitur, nō esse dissentaneum à uero, ut, quemadmodū in propheta panis & significat, & appellatur corpus Christi: ita panis in Eucharistia & significet Christi corpus, & corpus Christi appelletur. Id enim Tertullianus uidetur testari. Nec tamen ille solus hoc dicit, sed etiam, uti iam audiuimus, Irenęus, alijq; multi ex Patribus: nempe, Christum aut appellasse, aut confessum esse, panem esse corpus suum. Id autem Euangelistæ narrant eum fecisse, cum institueret sacram Cœnam. Et Paulus dum Cœnam describit, persæpè utitur uocabulo panis. Mitto, Christum in 6. Iohannis corpus & carnem suam metaphora quadam appellasse panem. Quemadmodum autem Christus, cum diceret, Ego sum panis, non statim mutatus est realiter in panem: ita, cum diceret, Hoc, panis uidelicet, est corpus meum, nō erat necesse, ut panis in eius corpus transubstantiareur.

„ Hic Inconstantius interponit de suo: Vt miseram hanc uitam absq; cibo car„ nali non possumus sustentare, ita neq; cœlestem uitam absq; cibo spirituali uale„ mus retinere. Hæc ut uera sunt, ita ad rem nihil faciūt. Pergit porrò, aitq;, oportere, cum audimus sermones Christi, credere, illos esse ueros. Christum autem „ reuelasse in Cœna, panem esse corpus suum. Idq; Tertullianum alibi declarasse, „ cum diceret, Christum fecisse panem corpus suum. Hoc quoq; nos libenter recipimus. Neq; enim unquam inficiati sumus, panem esse corpus Christi, aut fieri corpus Christi: modò huiusmodi loquutiones rectè intelligantur. Sed palàm est, Inconstantium, cum ista dicat, obtrudere uelle nobis Transubstantiationem suam. Eam autem nos, quoniam ne uno quidem uerbo ex omnibus sacris literis probari potest, reijcimus. Nam ex Tertulliano ne leuissimam quidem eius suspicionem mouere potest.

Addit præterea, Nisi intelligamus, Christum uerè dedisse corpus suum, non „ reuelauit ille propheram, sed potius prophetę obscuritatem imitatus est. Cui ego „ uicissim regero, Si Christus, cum diceret, corpus, aut carnem suam esse panem, illa

illa uerè non transubstantiauit in panem, nihil adiuuat Inconstātium, sed potius conatus eius Sophisticos uniuersos euertit. Huc addo, mendacium esse Sycophanticum, quòd ait, nostros figuram solam agnoscere in Sacramento. Deinde, cum uerba Christi de corpore suo tradendo in crucem, ita sint perspicua, quî potest dici, illa ita esse obscura, ut illa sunt, quæ leguntur apud Hieremiam: præsertim, si quis interpretationem adductam sequi uelit? Sed inopia argumentorū impulit Inconstantium ad ista παράφρονα. Cumq; se fingat esse hostem obscuritatis & figurarum, singularem autem amatorem perspicuitatis, testatur corporis Christi substantiam, eiusdemq; ueram præsentiam in Eucharistia. Sed quomodò? Adhibita, inquit, panis figura in externis uisibilibus, quam uidemus. Apage sis tenebrio, cum ista tua figura, quam in alijs tantoperè detestaris. Cum possis panem solidum retinere, quid nobis obtrudis figurā panis? Nos quidem, si posse mus corpus Christi uerè habere præsens in Eucharistia, figura nunquam utere mur. Sed quia ueri corporis humani modus, quē esse in Christo, necesse est confiteri, id non patitur: proximum est, ut utamur figura panis. Vobis aūt, cum sitis ita locupletes miraculorū, nihil potest resistere. Potentia dei, ad quam, tanquam ad omnium absurdorum, & mendaciorum uestrorum patronam semper confugitis, rectè potest & corpus domini, et panem simul copulare. Cur ergo figuram panis, ac non potius uerum panem statuitis in Sacramento? Miror, uos ita facilè à uestro instituto discedere. Pati non potestis Prophetæ obscuritatem in uerbis Christi. Cur ergo dicitis, corpus eius latere sub figura panis? Hoc potius contendite, corpus illud non latere, sed extare, atq; apparere conspicuè. Neque uereamini, sensuum iudicium repudiare. Iam enim frontem ad ista perfricuistis. Omninò enim negatis, in ijs rebus quicquam tribuendum esse sensibus. Quare asseuerate fortiter, pugnate, clamate, corpus Christi uideri, tangi, gustari: etiamsi id millies sensus negent.

OBIECTVM CLX.

OBIICITVR ex Tertulliano lib. 1. contra Marcionem. Ait ille, deum non abiecisse panem creaturam suam, illo enim eum repręsentasse corpus suum. Hic animaduerte poni repręsentationē corporis Christi, non aūt uerā præsentiā.

GARDINERVS.

NON *loquitur Tertullianus de abiectione creaturæ: sed sensit istius artificis in uerbi adulteratione uim, & fraudem.*

MARTYR.

PRimùm uerba ipsa Tertulliani ponēda esse arbitror. Sic enim de illis Lector facilius iudicabit. Ille quidem, inquit, usq; nunc nec aquam reprobauit creatoris, qua suos abluit: nec oleū, quo suos inungit: nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat: nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat: etiam in Sacramētis propris egens mendicitatib. creatoris. Hic locus, ne hoc interim pręteream, idem docet, quod Irenæus: nimirùm, Iesum Christū uerè Creatoris mundi dei fuisse filiū. Non enim uerisimile esse, Iesum uerī dei filiū uoluisse materiā suorū mysteriorū, tanquam egenum, & inopem, à malo deo, & huius mūdi Creatore emendicare. Hæc de tota summa, & de consilio Tertulliani. Nunc Inconstantij querelæ refutādæ sunt. Duo in primis nobis obijcit, eaq;, pro suo more, nō

,, abſq; cõuitijs. Primùm huius authoris uerbis nos uim & fraudem adhibuiſſe cla
,, mitat: & huiuſmodi adulterationes nullo pacto ferẽdas eſſe. Tertullianum enim
,, nõ ſcripſiſſe, Nec aquam abiecit; ſed tãtùm, Nec aquam reprobauit. O grauem
corruptelam. Tertullianus ait, Has creaturas non reprobauit, ſed illas myſterijs
ſuis inſtituendis adhibuit. Quantũ, quæſo, peccauit ille, qui dixit, Has creaturas
nõ abiecit? Ad ſenſum authoris quid intereſt? Ea, quæ, uel ut nõ adhibẽda, uel ut
non commoda, uel ut non utilia reprobamus, cur non dicamur abieciſſe? Certè
utrũuis horum dicatur, uos utrinq; perſtringimini. Vos enim panem & uinum,
quod ad ſubſtantiã attinet, ab Euchariſtia extruditis; quaſi ea digna non ſint, quę
maneant unà cũ corpore & ſanguine Chriſti. Nã niſi ea putetis indigna, cur abij
citis: aut, quoniam tu eo uerbo delectaris, cur ea reprobatis? Rurſus ſi ſunt indi-
gna, cur ea ab initio adhibetis? Cur nõ Chriſtum potius ſequimini? Is enim ut ea
adhibuit ad conficiendũ Sacramentũ, ita etiam ea in Sacramẽto retinuit: quem-
admodum ſatis docent ſacræ literæ. Vtrunq; ergò uerè dicitur, Chriſtum nec re-
probaſſe, nec abieciſſe creaturas. Tu autem, Inconſtãti, qui omnia ita ſyncerè tra
ctari uis, utinam alios non metireris tuo pede. Aliud enim nihil dico. Deinde
uidẽ conqueri, pronomen à nobis eſſe præteritũ. Sed illud, quãdo ita uult, bona
cum gratia reponat. Nam ad rem pręſentem nihil momẽti habet. Fatemur ergo,
dominũ pane ipſum corpus ſuũ repręſentaſſe. Cauſa noſtra eadem eſt, ſiue tollas
pronomen illud, ſiue addas. Sed dic mihi, Inconſtanti, Quomodò dicis, domi
num non abieciſſe, aut reprobaſſe ſubſtantiã panis & uini, cũ eam dicas illum ex-
,, Euchariſtia excluſiſſe? Quoniã, inquis, utitur ea ad corporis & ſanguinis ſui ex-
,, hibitionem in myſterio. At ſi facit, ut eſſe deſinat, illa non utit. Nam ſi uti uellet,
eam haud dubiè retineret. Nimis iſta inepta ſunt, atq; abſurda. Aufert Chriſtus
ſubſtantiam à pane. Et tamen utitur ea ad corpus ſuum exhibendum? Ego uerò
contrà concludam, Chriſtus utitur pane in Sacramento; ergo panis in Sacramen
to manet: ueſtroq; ipſorum teſtimonio ueſtram Tranſubſtantiationem refutabo.
,, Sed addit, nos uerbum illud, Repræſentare, perperam exponere. Nos enim
,, uelle, Repræſentare, referre eſſe; cum uox ea ſignificet, rem ipſam præſentẽ exhi
,, bere. Et ad id probandum adducit locũ Columellæ, & conſuetudinem Iuriſperi-
,, torum. At nos etiam uiciſſim ſcimus, Repræſentare aliquando poſitũ eſſe pro

Verbũ Repræſentare. Tertullianus.

referre. Idq; cũ ex multis bonis authoribus poſſimus oſtendere, tamen malumus
huic labori ſuperſedere, & ipſius in hac re Tertulliani teſtimonio uti. Is enim in
libro de Pœnitentia, numero 4. ſic ſcribit: Cum adulterum nõ eum ſolum defi-
,, nit, qui cominus in alienum matrimonium cecidiſſet, uerùm etiã illum, qui aſpe
,, ctus concupiſcentia contaminaſſet: adeò quod prohibetur adminiſtrare, ſatis pe
,, riculoſè animus ſibi repræſentat, & temerè per uoluntatem expungit effectum.
Hic, opinor, non eſt ambiguum, illum, qui tantùm concupiſcentia mœchatur,
actionem adulterij præſentem re ipſa non habere. Animus tamen, inquit, eã ſibi

Imaginatio uel cogitatio, nõ facit rem propriè præſentem.

repræſentat, idq; periculoſè. Quæro ex te, Inconſtanti, an cogitatio, aut imagina-
tio faciat re uera rem præſentem. Negabis, ſcio. Tamen hoc dices, Cogitatio-
nem poſſe referre rem, & ita referre, ut ea, quamuis abſit, tamen quodammodò
præſens eſſe uideri poſſit. Si Tertullianus ita aliquando loquutus eſt, non mul-
tum errauit, qui eum hic quoque ita loquutum putauit. Sed dices, Cum uer-
bum illud utrunque ſignificet, ex ambiguo non licet aliquid certi concludere.
Imò licet, & præſertim ſi author ipſe alibi mentem, & ſententiam ſuam expreſ-

Tertullianus.

ſerit. Id uerò citra controuerſiam Tertullianus apertè facit. Nam in libro quar-
to Contra Martionem ita ſcribit: Acceptum panem, & diſtributum diſcipu-
lis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum, dicendo: id eſt, figura cor-
poris mei. Hic audis, quid Tertullianus de hac re ſentiat. Nec ignoras, figuræ

pro-

proprium esse referre id, quod significat. Verba ergo eius in Obiectione optimè sunt exposita. Etsi enim uerbum illud utrunq; possit significare, ad eam tamen significationem contrahendum fuit, quam mens, & sentētia scriptoris exigebat. Hoc etiam uelim scire, quomodò Tertullianus dicat, pane repræsentari corpus Christi, si panis esse desinat, & substantia eius adesse non possit. Nam si quid re aliqua conficiendum est, ea certè re sublata, nihil efficitur. Sic ergo rectè concluditur in Obiectione: Pane corpus Christi repræsentatur: ergo, adest, & manet panis. Tanta est huius argumēti uis, & perspicuitas, ut nulla re possit ab Inconstantio infirmari.

Sed cum quęro, Cur pane corpus Christi repræsentetur, attende, obsecro te, piè Lector, quid Inconstātius uelit esse, Repræsentare corpus Christi. Id ait esse, perinde ac si dixeris, Ex pane fieri præsentiam corporis Christi, mutata quidem substantia, cuius tamen accidentia significent corpus Christi. Si tanta ferenda sit in interpretando licentia, ego ex quibusuis uerbis quiduis possem elicere. Deliū autem natatorem oportet esse, qui intelligat ea, quæ sequuntur. Sic enim scribit: Vt uisibilis natura panis figura sit corporis: quod ex latente eius substantia conuersa repræsentatur. Quæ, obsecro, est substātia illa latens? Non, opinor, corporis Christi. Illam enim substantiam, quæcunq; est, dicis conuersam. Conuerti autem corpus Christi, ne cogitari quidem piè potest. Rursus nō potest esse substantia panis. Eam enim uis per Transubstantiationem esse desinere. Id autē, quod lateat, oportet esse: quamuis non appareat. Non est ergo substantia panis: quoniam ea transubstantiata est: rursus est panis substantia, quoniam latet. Esse uerò, & Non esse, sunt contradicentia. Et ne nescias, Inconstanti, quod dicis, pane corpus Christi significari, esse, illud Communicātibus præsens fieri, id nos non omnibus modis, neq; prorsus negamus. Corpus enim Christi fit præsens menti, fidei, memoriæ. Et ad eiusmodi præsentiam panis iam factus sacramētum unà cum uerbis domini, quæ adhibentur, plurimùm conducit. Vertas ergo te, quocunq; uoles, omninò ex Tertulliani sententia manebit panis. Corpus autem Christi dicemus, aut referri, aut illis, quibus iam exposuimus, modis exhiberi. Tamen addit iste, Hæc uerba Tertulliani si commodè, & citra calumniam exponantur, nihil à sua Transubstantiatione dissidere. At ego uicissim uerissimè rego, illa, nisi calumniosè incommodeq; torqueantur, necessariò probare, manere panem.

Huc etiam allegat, quod idem Tertullianus scribit de Resurrectione carnis. Caro, inquit, corpore & sanguine Christi uescitur, ut anima de deo saginetur. Hæc non aliò dicit Tertullianus, quàm ut doceat, spiritum nostrum deo impinguari, gratia, inquam, et spiritu eius, dum fides nostra ex eo excitatur à spiritu sancto, quod corpore nostro uescimur sacramentis, quæ & dicuntur, & suo quodam modo sunt corpus & sanguis Christi. Appositissima autem in ijs uerbis à Tertulliano fit distributio: ut & carni & animæ nostræ attribuatur, quod suum est. Simile quiddam est, quod huc citatur ex eiusdem libro de Idololatria. Allegatur, inquit, in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorū. Prò scelus: semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidiè corpus eius lacessunt. Nihil hic noui audio. Nos enim etiam dicimus, impios ministros, & corruptos Christianos, lacessere, & contumelijs afficere corpus Christi, cum aut indignè sumant, aut alijs indignè administrent sacramenta. Imò hoc etiā addimus ex Epistola ad Hebræos, Contemptores accepti uerbi & lucis, denuò Iesum Christum, quantum quidem in ipsis est, in se ipsis crucifigere. Consulo itaq; Inconstantio, ut ab huiusmodi argumentis temperet. Videt enim iam illis, causam suam nihilò fieri meliorem. Centies à nobis dictum est, iniurias, quæ sacramentis ab impijs inferuntur, in au- *Tertullianus.*

,, thorem ipsum sacramentorum, & in res significatas redundare. Quod autem ,, Tertullianus dicit, Acceptum panem, corpus suum illum fecit, id noua declara- ,, tione non opus habet. Satis enim illis uerbis indicatur, sacramentum Euchari- stiæ huiusmodi esse, ut constet pane. Quod idem apertius scribit libro 2. ad Vxo ,, rem. Non sciet, inquit, maritus, quid secretò ante omnes cibos gustes: & si scierit ,, panem, non eum credet, qui dicitur: sacramentum, uidelicet. Quomodo enim nosse potest sacramentum, qui eius uim, & significatum non credat? Vos hodiè, postquam mare superstitionum inuexistis in Ecclesiam, non uultis Eucharistiam cuiquam communicantiũ dare in manus. At temporibus Tertulliani, Cypriani, Ambrosij pueris, mulierculis, catechumenis credebatur. Ad ista uos aurem surdam, & frõtem impudentem obuertitis. De fide uerò Tertulliani, quod ad Eucharistiam attinet, nos nihil dubitamus. Quare nihil opus erat, ut iste noster ad extremum eam susciperet defendendam.

Tertullianus.

OBIECTVM CLXI.

OBIICITVR ex eodem Tertulliano libro 4. contra Marcionem. Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicẽdo, hoc est, figura corporis mei. Figura autem non esset, nisi ueritatis esset corpus.

GARDINERVS.

BASILIVS *in epistola 64. eos notat, qui uerba Gregorij in calumniam raperent.*

MARTYR.

Historia Basilij de Gregorio Neocæsariensi.

HIc nobis Inconstãtius longam intexit historiam ex epistola Basilij. Vbi, ut rem omnem summatim dicam, refertur, Gregorium Neocæsariensem episcopum, cum disputaret aduersus Arrianum, quiddam minus propriè loquutum esse, cum diceret, patrem, & filium consideratione quidem duo esse, sed substantia, seu hypostasi unum. Gregorium illum Basilius ita tuetur, quòd ea, non δογματικῶς, sed ἀγωνιστικῶς dixisset. Ita Inconstantius uult, hæc uerba Tertulliano excidisse, non tradenti doctrinam, sed certanti cum Hæretico. Hanc ego stropham, quid enim dicam aliud, cum considero, retinere me non possum, quin ita agam cum Inconstantio: Quæ tu hic comminisceris de Tertulliano, quęq; ais Basilium dixisse de Gregorio Neocæsariensi, eadem me quoq; sinito interdum uerè dicere, cum Patrum loca aliqua uiolentiora inciderint. Sed ea tu importunè urges, nec pateris, ut aut hyperbolas, aut synecdochas, aut ullum omninò genus troporum adhibeamus. Verùm cogitare debes, Legem, quã nobis imponis, tibi quoq; aliquando ferendam esse. Mihi etiam fas erit dicere: Non tradebant ista tum Patres, tanquam dogmata: certabant cum Hæreticis, rem exaggerabant apud populum. Verùm ista nunc mitto. Illud potius dico, Tertullianum contra Marcionem nihil, nisi grauiter, & moderatè scribere. Neq; enim illa ab ore dicentis, aut commotius disputantis excepta sunt, sed sobriè, & consideratè ab ipso scripta. Deinde non est uocula una, aut altera, quam obijcimus: sed plena conclusio. Ex eo enim contra Marcionitas probat, Christum habuisse uerum corpus, non autem fictum, aut phantasticum, quòd Christus sacramentum instituerit, quod esset figura sui corporis. Hęc est hypothesis Tertulliani, Sacramenta esse oportere ueras

ueras figuras, & uera signa. Eius autem rei, quæ nusquam, & nulla sit, nullam esse posse figuram ueram. Ait ergo, Christus fecit panem corpus suũ, id est, inquit, figuram corporis sui. Et addit: Figura autem non esset, nisi ueritatis esset corpus. *Explicatur argumentum Tertulliani.*

Chrysostomus etiam eodem modo à Sacramentis probat Christum habuisse uerum corpus. *Chrysostomus.*

Isidem etiam armis sæpè pugnare consueuit Augustinus. Nam contra Adimantum Manichæum lib. 1. cap. 12. ita scribit: Non dubitauit dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Et ista loquutio Augustini quantulum, quæso, abest à uerbis & sententia Tertulliani? Libro etiam 3. cap. 16. De Doctrina Christiana ita scribit: *Augustinus.*

Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis: Facinus, uel flagitium uidetur iubere. Figura ergo est, præcipiens passioni domini cõmunicandum esse, & suauiter, atque utiliter in memoria reponendum, quòd caro eius pro nobis crucifixa, & uulnerata sit. Hic impudẽtem oportet esse, qui uelit dicere, Augustinum ista scripsisse ἀγωνισικῶς. Moderatissimè enim tradit rationes intelligendi sacras literas. Tamen ait, orationem illam de manducanda carne domini figuratam esse. Imò etiam genus tropi indicauit, atq; explicuit. Idem in Psal. 3. Christus, inquit, adhibuit Iudam ad cõuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit, & tradidit. Dubitare autem nemo potest, Christum discipulis suis panem Eucharistiæ tradidisse: quem Augustinus cum appellet figurã corporis domini, nihil dissentit à Tertulliano. Quid hic agimus, Inconstanti? An dicemus, hæc omnia temerè excidisse per calorem, atque impetum disputationis? Omitto aliorum patrũ testimonia. Nimis enim prolixum esset, quoties Eucharistia ab illis, signum, symbolũ, memoria, figura, typus, ἀντίτυπον appelletur, cõmemorare. Illa tamen quid sibi uelint, quoq; animo scripta sint, prudens, & attentus lector considerabit. *Augustinus.*

Verùm Inconstantius ipse sensit, distinctionem istam suam inter δογματικὰ, καὶ ἀγωνισικὰ non posse satisfacere omnium lectorum auribus: illam enim nõ posse in omnium aliorum patrum sententias conuenire. Itaq; instituere uoluit aliud perfugium. Est, inquit, figura, sed corporis præsentis. Nam species uisibiles panis figura quædam sunt præsentis corporis Christi, quod intra eas latet. Quoniam tamen iuratus est hostis figurarum, nõ admittit figuram, nisi certis quibusdam legibus. Prima est, ut intelligamus, eam figuram esse rei præsentis. Proxima, ut cogitemus, eam sitam esse tantùm in accidentibus panis & uini: ne quis fortè suspicetur panem ipsum figuram esse. Nã eius substantiam iste prorsus uult esse explosam. Tertia, ut uerba illa, Hoc est corpus meũ, nullo modo intelligantur de figura. Quid ergo faciemus Tertulliano? Is enim nimis apertè uerba illa exponit per figuram. Intelligetur illa scripsisse ἀγωνισικῶς. Nam illi in certamine scilicet, mentiri licuit. Sed quid fiet Augustino? An ille quoq; scripsit ἀγωνισικῶς? Quid ni? Imò si mille adducas testimonia huius generis, nihil erit dictum seriò: omnia erunt plena certaminibus. Quod autem ait, Tertullianum dicere uisibilem speciem panis figurã esse corporis Christi præsentis, ad id ego nihil aliud respondeo, nisi Tertullianũ neutrum horũ dicere. Non enim ait, speciem panis, sed panem ipsum factũ esse figurã corporis Christi. Si uoces, & sententias patrũ huius hominis libidini uolumus permittere, posthac ea, quæ Tertulliani nomine ac titulo circumferuntur, non Tertulliana amplius erunt, sed Inconstantiana. Est, inquit, iste figura præsentis corporis. Hoc Inconstantius affinxit de suo: nam Tertullianus id nunquam dixit. Tamen uerset hanc rem susq; deq; quantũ uolet, nunquam huic uulneri medicinam faciet.

Sed ut probet, Corpus Christi intus latere sub speciebus panis, non Tertullianum adducit, sed Hilarium Episcopum Romanũ. Is aũt ita scribit; Quod ui-

,, detur, figura est: quod interius in ueritate creditur, ueritas est. Primũ respõdeo,
Nõ debemus nostram fidẽ adstringere ad epistolas Decretales Paparum.
me ad illas, nescio quas, sententias Decretalium epistolarum non astringi. Non enim constat, præsertim de uetustioribus, quæ ueræ sint, quæ supposititicæ. Deinde si sensus illorum uerborũ prudenter consideretur, contra nos nihil facit. Panis enim & uinũ, illud, inquam, quod foris spectatur, figura est: quod autem interius creditur, nimirum sensus mysterij, & significatũ Sacramenti, ueritas est.
Hilarius Romanus Episcopus.
Ita in libro & sermone sonos & characteres literarum uocamus exteriora: sensum autem, & significationem, interiora. Ea in Sacramẽtis uerè oportet credere. Nam & dicuntur, & sunt nõ solùm uera, sed etiam ipsa ueritas. Ad extremum autem assuit Inconstãtius rem quandam admirabilem. Tertullianum, uidelicet, sensisse, Christum cum in cœna diceret, Hoc est corpus meum, per illud demonstratiuum pronomen, Hoc, ostendisse panis accidentia. De illis enim tantùm dicere illi licuisse, Hoc est figura corporis mei. O si ab inferis uel unam saltem horam existeret Tertullianus, qui ista portenta coargueret. Facile ille ostenderet, nunquam se de huiusmodi accidentibus cogitasse.

OBIECTVM CLXII.

OBIICITVR. Origenes ex homelia quædam in Numeros. Bibere, inquit, dicimur sanguinem Christi, non solum in ritu Sacramentorũ, sed etiam cũ sermones eius recipimus.

GARDINERVS.

CHRISTVS *se nobis multis modis exhibet: sed certius, & præsentius in Sacramentis.*

MARTYR.

,, AIt, Christum se nobis certius, & præsentius exhibere in Sacramẽtis, quàm
,, in sacris literis. Id probat tantũ ex recepta loquendi formula: alio enim ar-
,, gumento nullo utitur. Verùm istud pronuntiatum Inconstantij ego dico nõ es-
Symbola nõ magis quàm uerba Christum præsentem faciunt.
se ex omni parte uerum. Symbola illa, quæ adduntur ad uerbũ dei interim, dum celebrantur mysteria, non dubito plurimùm facere ad certitudinem: sunt enim obsignationes promissionum. Tamen illa Christum magis præsentem nobis constituere, quàm uerba, aut promissiones, pernego. Extra autem omnem controuersiam est, & Origenem, & Hieronymum statuere, duas esse rationes edendi,
Hieronymus.
& bibendi corpus & sanguinem domini: nimirũ, uel in uerbis, uel in Sacramentis. Quæ rationes cũ sint simillimæ, realis ista præsentia, aut Transubstãtiatio non
,, magis in una illarum requiri debet, quàm in altera. Contra aũt Inconstantius
,, contendit, Christũ non eodem modo, non pari mysterio, nõ simili uirtute utrin-
,, que recipi. Sed longè fallitur: nam quod ad modũ attinet, illum similem, & parem, uel potius eundẽ, & unũ esse, ex edendi, & bibendi uocabulis, quæ utrinq; posita sunt, ostendi potest. Dicimur enim comedere carnẽ Christi, & sanguinem eius bibere tam in uerbo, quàm in Sacramento. Virtutẽ etiam parem utrinq; esse, non potest ambigi. Nam & audientibus, et credẽtibus uerbo dei, & rectè, atq; ordine percipientibus Sacramenta datur beatitudo & uita ęterna. Imò in Sacramento nihil fructus, quod attinet ad coniunctionem cũ Christo, aut ad æternam fœlicitatem assequendam haberemus, nisi prius crederemus uerbo dei. Paritem utrinq; mysterium esse, haud equidem dixerim. Sacramenta enim nõ solùm uerbum, quod auditur, habent, sed etiam unà symbola uisibilia.
Augustinus.
Quemadmodum aũt uerbũ dei & uirtute, & dignitate æquari debeat cũ Sacramentis, August. apertè docuit, quemadmodũ citatur in Decretis 1. q. 1. cap. Inter-

Interrogo uos. Quid plus, inquit, uobis uidetur, corpus Christi, an uerbum Christi? Si uultis uerè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus dei uerbũ, quàm Christi corpus. Et ideò, quanta sollicitudine obseruamus, quãdo nobis ministratur corpus Christi, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine obseruemus, ne uerbum domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur de corde puro pereat. Quia non minus erit reus, qui uerbum dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi sua negligentia in terrã cadere permiserit. Cum ergo Augustinus dicat, parem utrinq; pœnam esse negligentiæ, alterumq; illorum nõ esse altero minus, uideat Inconstantius, quanta cum ratione dicat, corpus Christi præsentius esse in sacramento, quàm in uerbo dei: & præsertim, si considerare uelit uerba illa promissionis, quibus corpus Christi pro nobis in crucem datum esse prædicatur. Vtq; uno uerbo dicam, sacramentum, quàm eiusmodi uerbum, nihilò plus habet, nisi obsignationem, & uisibilia symbola, quibus opera & ui spiritus sancti fides in nobis magis magisq; excitatur. Verè ergo Hieronymus etiam dixit scribens in tertium caput Ecclesiastæ: Hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, si uescamur carne eius, cruoreq; potemur, non solùm in mysterio, sed etiam in scripturarum lectione. Vtrunq; genus manducationis exponit, neq; alterum ulla in re præfert alteri. Idem etiam sensit Basilius. Nam in epistola 141. ait nomine carnis & sanguinis uniuersam Christi conuersationem significari, quam nos imitando manducemus. Nam imitatio effectus est manducationis. Qui enim uerè, atque efficaciter credentes manducant, & bibunt carnem & sanguinem domini, ex fide, qua manducant, & bibunt, conuersationem & uitam Christi exprimunt. Quare cum, ut ab initio dixi, istæ duæ manducationes sint inter se pares, ac similes, & in altera, quæ constat audiẽdo uerbo dei, Transubstantiatio, aut realis præsentia non requiratur, nihil causæ est, cur ex humana prudentiáne dico, an audacia, statui debeat in altera.

Sacramentum Eucharistiæ ac uerbũ dei comparantur.

Hieronymus.

Basilius.

OBIECTVM CLXIII.

OBIICITVR ex eodem in Matthæum cap. 26. Panis iste, quem deus uerbum corpus suum esse fatetur, uerbũ est nutritorium animorum.

GARDINERVS.

PECVLIARE *est Origeni, ut scripturam dilatet allegorijs, saluo tamen proprio, & primigenio sensu.*

MARTYR.

PAucis ego hic uerbis agam: quandoquidem Inconstãtius ipse quamuis alioqui satis loquax, tamẽ in tanto frigore pauca, quæ diceret, habuit. Ea autem, quæ hic turpitudini suæ prætexit, folia sunt potius, quàm iusta perizomata. Primùm obtendit Allegorias Origenicas. Sed cum allegoria tantùm in eo esset, quod Origenes Panem appellaret Verbum, sensit se illo præsidio non multum iuuari. Quare collectis uiribus, istud alterum incipit utcunq; ponderare: deum uerbum fateri, Panem istum esse corpus suum: quod, nisi deo efficiente, nõ possit esse. Id autem eum fecisse, fas non esse dubitare. Atqui nos non ambigimus, imò fatemur, & prædicamus, Christum fecisse panem corpus suum, cum panem faceret sacramentum corporis sui. Sed cur iste uim potius argumenti non ex-

pendit? Fecit panẽ esse corpus suum: Ergo, panis est corpus Christi. Nam certè panis non potest esse corpus Christi, nisi panis ipse existat. At si ita est, non ab-
,, latus est per Transubstantiationem. Addit præterea, cum panis ille dicitur Ver-
,, bum nutritorium animarum, alludi ad uim Verbi, quo pascuntur omnia. Quid oportuit istas argutias consectari? Simplicissimus orationis adductæ sensus est, Panem, postquam semel factus sit sacramentum, esse uerbum dei uisibile: quod de omnibus sacramentis dicimus. Verbo autem dei nutriri piorum animos, arbitror ne aduersarios quidem nostros dubitare. Imò uel hinc apertissimè colligimus, manere panem. Nam si panis est Verbũ, quo aluntur animi, profectò oportet esse, & manere panem. Nam ex eo, quod non sit, nihil nutriri potest.

Ex eo quod nõ est, nil potest nutriri.

Addit, Origenem, cum dicat, Panis iste, illis uerbis cibum dominicum significare. Esto. Sed quis cibus est Dominicus? Nisi fortè uelit manere panem, dicet haud dubiè, corpus Christi. Accipio libenter, Cibum Dominicum esse corpus Christi. Ponamus ergo corpus Christi pro illis uerbis: quod sanè per regulas Dialecticas potest fieri. Sic ergo loquetur Origenes: Corpus suum deus fatetur esse corpus suum. Qua sententia quid ineptius? Huc adde, consequi necessariò, corpus Christi factum esse uerbum. At id utiq; falsum est. Non enim corpus fit uerbum illud, quod est secunda persona Trinitatis. Nam alioqui desineret esse corpus. Nec fit uerbum illud dei, quod auditur: ita enim uerteretur in qualitatem. Nec fit uerbum uisibile, hoc est, sacramentum: nullo enim sensu corpus percipitur. Hic Inconstantius medius tenetur: nec se ulla stropha potest explicare.

OBIECTVM CLXIIII.

OBIICITVR ex eodem in Leuit. hom. 7. Est, inquit, & in Euangelijs litera, quæ occidit: non solùm in Veteri Testamento. Si enim secundum literam sequaris illud, quod dictum est, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis, litera illa occidit.

GARDINERVS.

ECCLESIA *literam non sequitur: quæ secundum Augustinum uidetur iubere aliquid sceleroſum.*

MARTYR.

AVgustinus, ut hic innuere uelle uidetur Inconstantius, utq; ego suprà indicaui, ita scribit de Doctrina Christiana: uideri imperari scelus, & flagitiũ, cum mandatur fidelibus, ut comedant carnes filij hominis, & sanguinem eius bi-
,, bant. Ideoq; Augustinus uult huiusmodi loquutiones figuratas esse. Ecclesia, in-
,, quit iste, carnem filij hominis in mysterio porrectam, & datam in Cœna ab ipso
,, Christo, sic comedit, ut ille iusserit: nõ ut reliquos cibos, quod litera sonat. Sed cur iste non apertè, & ingenuè dicit cum Augustino, esse eam dicendi formulam figuratam? Torquet quidem se, quantum potest. Tandem tamen inuito, & re-
,, pugnanti hæc uerba exprimuntur: Figura, inquit, est quædam in ijs uerbis, quæ
,, à carnalibus oculis obtegat mysterij ueritatem. Si est, uti dicis, figura quædam lo-
,, quendi, cur tu tropum tantoperè insectaris? Christus utrunq; dixit: &, Hoc est corpus meum: &, Comedite. Si agnoscis tropum in comedenda Christi carne, quæ, malum, ista est peruicacia, in illis quatuor uerbis tropum repudiare? Sed Incon-

Inconstantius ita uariè, perplexeq; respõdet, ut uideatur nescire ipse, quid dicat. Ista tamen, nescio quæ, uoluit effundere potius, ne nihil dicere uideretur, quàm ut dissolueret quæstionem.

Verùm, hoc mihi respondeat, In istis uerbis sit'ne amplectendus sensus literalis, an potius recipiendus tropus. Si dicat, se uelle sequi literam, reclamat Augustinus, & Origenes: si tropum, aut nobis assentiatur, aut quid uelit, perspicuè definiat: si quid tamen, quod uix puto, habeat constitutum. Sed ille, quantum intelligo, & figuram cum patribus uult admittere, & à nobis, quibus iuratus est hostis, omninò dissentire. At id fieri non potest. Neq; enim nostram sententiam à sensu, uerbisq; patrum potest auellere. Quare necesse est, ut aut nobiscũ sentiat, aut patres nobiscũ errare, & hæreticos esse, fateat. Vult fortasse, Corpus Christi propriè manducari, palato, lingua, ore, dentibus, non aũt ut cõmunes cibos, dentibus comminui, aut lacerari. Sed ista fieri non possunt, si uerã propriamq; manducationem dicas. Si enim corpus domini integrũ trãsmittas, id erit, aut sorbere, aut deglutire: nõ aũt uerè, ac propriè mãducare. Quare nos tropos nostros tã diu retinebimus, quoad uos cõmẽta ista uestra ex Cymmerijs tenebris explicabitis.

OBIECTVM CLXV.

OBIICITVR ex Origene eodem libro hom. 9. Non hęreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem uerbi: & audi ipsum tibi dicentẽ, Quia hic sanguis meus est, qui pro uobis effunditur.

GARDINERVS.

HAEC *uerba insinuant ueram præsentiam.*

MARTYR.

SEnsus loci est, nõ esse ita hærendũ in sanguine carnis, ut illum putemus realiter aut substantialiter adesse in Eucharistia: quod uerba uidentʒ prima fronte præ se ferre, quæ ad conficiendũ Sacramentũ adhibentur. Sed potius discas, inquit, & fide cõplectere sanguinẽ uerbi, & promissionem, qua Christus dixit, se fundere sanguinẽ suum in remissionem peccatorum; quod tibi in hoc Sacramento refertur ac significatur. Sed non oportuit monere fideles, inquit Inconstantius, non esse hærendũ in sanguine carnis, nisi illi putassent, sanguinẽ illum re uera præsentẽ esse. Imò longè contrà: Si putassent adesse, oportuisset in illo cõstanter hærere, tãquam in redemptionis suæ pretio, & illũ summisse adorare. Neq; uerum est, quod ait, neminẽ ita præcipere inopi, ne inhæreat diuitijs, cũ eas non habeat. Monetur enim, ne in illis diuitijs hæreat, quas aut quærit, aut cupit, aut somniat. Iubemus etiã hominibus libidinosis, ne hæreãt in meretricibus, quãuis illas fortasse præsentes nõ habeant. Mercatores quoq;, quãuis domi maneant, tamen dicimus hęrere in nauibus, quæ iam soluerint à portu, quòd de illis absentes uehementer cogitent. Quãtò magis hæc dicendi formula cõueniet in eos, qui fallunt, seq; habere quippiã arbitrãtur, idq; presens, quod re uera nõ habeant? Origenes ergo quã apertissimè substantialem istã præsentiã sanguinis uidet negare, cũ iubeat, ne in illo hęreamus, sed potius moneat, ut nos inde ad uerborũ Christi significationẽ conferamus: quod optimè cõuenit cũ illis, quę ex eodem Origene citata sunt in Obiectione 162. Sanguinẽ domini esse Verbũ dei. Rectè ergo Origenes, et piè monuit suos: ac si ita diceret, Est Sacramentũ: ne putes ibi esse carnẽ aut sanguinẽ Christi, quod ad propriã illorũ substãtiã attinet, neue in illis hęreas.

OBIECTVM CLXVI.

OBIICITVR ex eodem cap. 15. in Matthęum. Panis sanctificatus iuxta id, quod habet materiale, in uentrẽ abit, & in secessum eiĳcit. Ista aũt nefas est, de Christi corpore cogitare.

GARDINERVS.

NON *loquitur ibi Origenes de Eucharistia, sed de de pane sanctificato per Verbum dei & Orationem.*

MARTYR.

» PRimùm Inconstantius negat, ista omnino pertinere ad Eucharistiam. Itaque
» refert ea potius uel ad panem communem, quem ante cœnam, aut prãdium
» precibus sanctificamus: uel ad illum panẽ, quem antiquitùs in Ecclesijs dare so-
» lebant Catechumenis: de quo Augustinus mentionem facit de meritis, & remis-
» sione peccatorũ, li. 2. ca. 26. & Græci patres in suis liturgĳs, quiq; Græcè diceba-
» tur ἀντίδωρον. Sed hæc omnia ut uana, & falsa, uerba ipsa Origenis facilè confu-
» tant. Sic enim subĳcit: Cæterùm iuxta precationẽ, quæ illi accessit, pro portione
» fidei fit utilis, efficiens, ut perspicax sit animus, spectans ad id, quod utile est. Nec
» materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indignè domino
» comedenti illũ. Et hæc quidem de typico, symbolicoq; corpore. Hic etiã cæcus uidere potest, agi de Sacramento Eucharistiæ, in quo Origenes affirmat esse ma teriam panis. Et panem ipsum typicum, symbolicumq; corpus uocat. At Inconstantius pro illa sua bona fide, qua in nostris argumentis referẽdis semper uti tur, rationem nostram detruncare uoluit. Scio enim me inter alia hoc etiam loco usum esse, & probasse Origenem ibi egisse de Sacramento. Ait iste se simpliciter feciſſe: sed res ipsa satis eius uafritiem, & nequitiam prodit. Quàm aũt Origenes nobiscum faciat, ex eo facilè potest intelligi, quòd testatur, malos non manducare corpus Christi. At id effugere non potuisset, si Transubstãtiationem, aut realem præsentiam docere uoluisset. Sic enim addit: Multa porrò & de ipso uerbo dici possent, quod factum est caro, uerusq; cibus, quem qui comederit, omnino uiuet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, ut,
» qui malus adhuc perseuerat, edat uerbum panem factum, cum sit uerbum, & pa-
» nis uiuus, nequaquam scriptum fuisset, Quisquis ederit panem hunc, uiuet in
» æternum. Audis ne, Inconstanti, quid Ecclesia Origenis tempore crediderit?

Mali non manducant Christi corpus iuxta Origenem.

Sed ad priorem illum locum Origenis redeo. Vidit iste noster, posse fieri, ut lector attentus, & prudens in Origene legendo progredetur, & ad ista ipsa loca, quæ ego iam citaui, perueniret, & manifestè uideret, illa pertinere ad Eucharistiam. Quare ne ibi quoq; mutus uideretur, ad sua prodigia se recepit:
» enim panis Origeni ait esse accidentia, quæ uisibilia sint, & palpabilia. Illis cor-
» ruptis ait substantiã restitui per miraculũ, quę posteà abeat in secessum. Ad ista ego ordine respondebo. Primùm, quod ait, Sed ut demus ita esse, quasi uerò ἐκ προαιρέσεως uelit liberaliter nobiscum agere, nego id esse liberalitatis. Non enim ista dat, nisi coactus, & inuitus. Origenes enim ipse ait, se loqui de typico, & mystico corpore. Quod autem ait, accidentia apud Origenem esse materiam panis, commentum est hominis non satis sani: nam uel pueri, postquam philosophiam primoribus tantùm labris attigerunt, distinguere possunt naturales formas in substãtiales, & accidentales. Cũ ergo istæ qualitates numerentur ad formas, quomodò hic reuocantur ad materiam? Sed Inconstãtius, quantũ uideo, non potest cõsistere, nisi

nisi prorsus omnia perturbet, & materias formis, substantias accidentibus, cœlũ terræ misceat. At corruptis, inquit, istis accidentibus, redit materia. Quæro, sub qua forma. Nam informem redire, absurdissimum est. Huiusmodi enim materia non posset eiici in secessum. Materia enim sine forma non est capax ullius motus. Quòd si dicere uelit, eam redire cum forma panis, id ita est absurdum, ut in huiusmodi stultitia confutanda nolim uerba profundere.

OBIECTVM CLXVII.

OBIICITVR ex Origene eodem loco. Nec materia, inquit, panis, sed super eum dictus sermo est, qui prodest non indignè domino comedenti illum.

GARDINERVS.

STVD *ipsum est, quod alijs uerbis efferunt Catholici, non naturæ opus esse, sed gratiæ, per quam materia mutatur.*

MARTYR.

Hic quoq; cum referre uelit locum Origenis, id, quod maximi momẽti erat, quodq; unum probat, agi ibi de Eucharistia, præcidit. Hoc enim etiam addendum erat: Et hæc quidẽ de typico, symbolicoq; corpore. Sed nihil Inconstantius alienum facit à fide sua. Posteà fabulatur, materiam panis in hoc sacramento non prodesse, quòd iam mutata sit, uidelicet, per Transubstantiationem. Idq; ait esse opus, non naturæ, sed gratiæ. Addit autem, Sermonem domini ita hoc operari, ut dominus ipse sermonis præsens adsit. Sed, quæso te, piè lector, hoc diligenter attẽde. Quomodò potest cuiquam uideri uerisimile, Origenem uoluisse transubstantiatam, aut excusam materiam panis, cum dicat, eam non prodesse? Nam, quod non sit, quis id dubitet prodesse non posse? Origenes ergo, cum dicat, materiam panis non prodesse, statuit omninò eam manere in Eucharistia. Deinde etiam ostendit, quidnam illud sit, quod prosit. Duo enim proponit sibi, Panem, & Benedictionem. Panem, ait, ipsum non prodesse: Sermonem autem recitatum super panẽ, esse utilem. Quod tamen non ita debet intelligi, quasi symbola instituta fuerint sine ullo nostro commodo: sed quòd omnis illa utilitas à uerbo promissionis pendeat. Nam alioqui symbola quoq; habent aliquid, quod prosit. Illud tamen uniuersum nihil est, si cum promissione conferatur. Ideoq; id Origenes ait non prodesse. Idem tamen, quam utilitatem habeat materia panis, ex eo ipso satis docet, quod ait, illam per benedictionem efficere, ut perspicax fiat animus spectantis ad id, quod utile est. Nam symbolum externum nos ad significata traducit. Quod autem ad rem attinet, nemo ita cæcus est, ut uidere non possit, Origenem testificari, in Eucharistia manere panem.

Symbola minimè dicẽda sunt inutilia.

Inconstantius uerò, cum nesciat, quò se uertat, conijcit se præcipitem in crassissimas tenebras: in quibus dũ oberrat, semper magis magisq; impingit. Addit enim: Adeò ne indignè manducemus, rectè admonet, ut panem sumamus dominum: quomodo Augustinus loquitur. Sed quorsum hæc? Eò fortassis, ut cum Origenes dicat, in Eucharistia manere panem, nos per panem intelligamus dominum. Atqui hoc planè blasphemum esset: non tantùm stultum. Nam Origenes ait, materiam illam panis non prodesse. An enim corpus Christi illud uiuificum, & salutare nobis nõ prodest, aut nullam habet utilitatem? Si hoc effugium non quæsiuit Inconstantius, cur adiecit, cum nihil esset opus, Vt dignè sumamus

panem dominum? Crede mihi, nescit ipse, quid uelit. Tantùm magnificè loquendo uoluit lectorem obstupefacere: quasi qui possit omnia ad suum sensum detorquere, quamuis primo aspectu alienissima uideantur.

,, Posteà tamen homo simplex eò redit, ut dicat, Origenem illo loco non agere
,, de Eucharistia: sed tantùm de pane sanctificato, quo olim uescebantur Catechu-
,, meni. Verùm panis iste dicitur sanctificari per uerbum dei. Quod autē usquam
Non extat uerbū dei quo sanctificetur panis Catechumenorum. extat uerbum institutum à domino, quo sanctificandus sit panis Catechumenorum? Quid multis? Ea ipsa, quæ Origenes addidit, quæq; Inconstantius de industria celauit, de typico, symbolicoq; pane, clarissimè docēt, illum loqui de Eucharistia. Neq; enim panis ille Catechumenorum efficiebatur sacramentum, ut typicum, aut symbolicum corpus Christi dici posset. Vtq; magis etiam intelligas Lector, Origenem loqui de Eucharistia, interponit uerba illa ipsa, quibus Paulus usus est ad Corinthios de hoc mysterio, de indignè manducantibus. Et illud etiā adiecit, Multi inter uos imbecilles sunt, & dormiunt multi. Ad extremum autem iste noster, cum se medium teneri animaduerteret, quasi desperata causa, ait,
,, librum illum esse suspectæ fidei: nec de eius authoritate ita liquere, ut dignus sit,
,, qui dilui, aut dissolui debeat. Illi ego hoc tantùm uicissim dico, hoc responsum non esse dignum, quod à quoquam nostrum confutetur. Sic enim omnes omnium Patrum libri, siue illi truncati sint, siue integri, uno uerbo possent reijci. Non facilè infirmatur librorum authoritas, nisi illi aut uulgò suspecti sint, aut certissimis argumentis probentur esse adulterini. Quorum cum Inconstantius neutrum afferat, nihil causæ uideo, cur nos hoc Origenis testimonio non fruamur.

OBIECTVM CLXVIII.

OBIICITVR ex eodem Origene cõtra Celsum lib. 8. Vbi, inquit, pro collatis in nos beneficijs gratias diximus, oblatis panibus uescimur.

GARDINERVS.

HIC argutator, si integra fide sententiam integram protulisset, ipsam cum ueritate Catholica consonantiam sua luce monstrasset.

MARTYR.

PRimùm iste eum coarguit, qui sententiam istam Origenis produxit, quòd eam perfectam, plenāq; non reddiderit. Græca enim sic habere: πῶσαι γὰρ αἱ τροφαὶ ἅτινες ἐσθίονται, σῶμα γινόμεναι δι' αὐτῶν βυσκεῖ, ἁγιόν τι, καὶ ἁγιάζον τοὺς μετ' ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους. Id ergo, quod in Obiectione desideratur, ab Inconstantio ita Latinè redditur: Qui per precem sanctum corpus fiunt, & sanctificans eos, qui pura mente eo utuntur. Si scirem, quisnam hoc testimonio Origenis usus fuerit, facilè ex eius libro possem intelligere, mutilatúmne locum, an plenum adduxerit. Nam alioqui satis iamdudum uideo, quantulum in hac re Inconstantio fidei habendum sit. Video enim eum in ipso loco conuertēdo non satis candidè fecisse. Tamen cum Origenes apertissimè dicat, nos uesci panibus, illud ipsum satis esse potuisset, ut euinceretur, eum non probasse nouam istam Papistarum Transubstantiationem. Quod autem subijcit, illos panes per preces fieri sanctum quoddam corpus, quod rectè utentes sanctificet, id nostram sententiam iuuat plurimùm: tantùm abest, ut eam infirmet. Fatemur enim, panem per preces fieri sacramentum, quod certa quadā ratione scimus esse corpus Christi. Concedimus etiam,

etiam, Sacramenta, ut uerbum dei, & sancta esse, & fideliter sumentes sanctificare. Quod etiam multò magis damus, si quis respicere uelit ad res significatas. Atq; ita sanè semper faciunt, qui rectè utuntur Sacramentis. Illud ergo, quod in Obiectione desideratᵗ, nihil aliud sibi uult, nisi panes illos, quibus utimur in cœna, iam factos esse Sacramentum: quod Sacramentum si ponatur numero unitatis propter unitatem rei significatæ, non debet uideri mirũ. Nam Baptisma quoque dicitur unum, quamuis quisq; nostrũ ex eo portionem suam accipiat, & ad multos tingendos uariæ partes aquæ adhibeantur.

Sed redeo ad uersionem istam Inconstantij. Et ex illo quæro, cur illud relatiuum, π, omiserit. Nam Græcè ita scribitur: σῶμα ἅγιόν π, id est, corpus quoddam sanctũ. Errat, qui putat, illũ eã particulam temerè præterijsse. Callidior est, & astutior, quàm ut soleat ita facere. Vidit sæpè adhiberi illam particulam, cum proprietas, & rigor significationis aliquo modo eleuatur: ut cum dicimus, Isidorus quidam: aut cum per tropum dicimus, Lachrymas esse quendam animæ sanguinem: non intelligimus, lachrymas re uera esse sanguinem. Ideò iste, cum satis uideret, Origenem apertè dicere, panes non simpliciter fieri corpus illud, quod significatur, sed quoddam corpus, particulam illam, π, noluit Latinè reddere, quò facilius lectori fucum faceret. Noster autem ille, quisquis fuerit, qui dictum illud Origenis recitauit, seipsum potius priuauit magno robore argumenti, cum illam partem relinqueret, quàm ut aduersarios negligentia sua quicquam læserit. Incõstantius autem, cum, π, illud relatiuum omitteret, id summa cura uoluit auertere, quod uidebat sibi nociturum. Non ita fecit uulgatus interpres. Is enim locum ita reddidit: Nos uerò Conditori rerum morem gerentes, pro eius in nos collatis beneficijs, ubi gratias diximus, oblatis panibus uescimur: qui utique ex oratione & precibus sanctius quoddam corpus conflãtur, quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integra hoc ipso utuntur. Hic non reliquit Quoddam, sed simpliciter reddidit, quod inuenerat: etsi cõparatiuis Sanctius, & Sanctiores, abusus sit pro positiuis: quod ab interpretib. solet interdũ fieri. Iste uerò cũ illam particulam & in Græco codice uideret, & in Latino, tamen eam nõ tam tùm in prima, sed etiam in secunda editione libri sui uoluit omittere: ne, scilicet, aliquid adscriberet, quod causæ, quam susceperat, nocere posset.

Deinde fingit, in uoce illa Panibus, priorem appellationem retineri etiã post Transubstantiationem, ut quãuis panis ibi nullus sit, tamẽ uocetur panis. Quod quale sit, Lector ipse facilè per se iudicabit. Huc addit, Origenem corpus dixisse, non figurã: quasi uerò id alij patres non dixerint: aut, quasi Origenes ipse non dicat, corpus quoddã. Sed figura, inquit, sanctificare non potest. Fateor. At instrumentũ sanctificationis esse potest. Alioqui cum Paulus dicat, cibũ sanctificari per uerbum dei, obijci potest, sonos, uerba, uoces nõ sanctificari. Sacramenta, non quà sumuntur, sed quà creduntur, sanctificant, ut ait Augustinus. *Sacramẽta quo modo sanctificent. Augustinus.*

Sed iste hoc etiam ex istis uerbis Origenis putat se posse extorquere, impios manducare corpus Christi: quòd Origenes ita scribat, Sanctificãs eos, qui pura mente eo utunt̃. Quàm aũt ille turpiter erret, docui suprà ex uerbis ipsis Origenis, quib. apertissimè ait, Corpus Christi non mãducari ab impijs. Ego tamẽ corpore Christi, hoc est Sacramentis, impios uti nõ negauerim. Quemadmodũ autem multi panes sint unũ Sacramentũ, aut unũ corpus, exposuimus. Hic ego non possum mihi temperare, quin aliũ etiam locũ Origenis huc adducam illi superiori non dissimilem. In eodem octauo libro contra Celsum ita scribit: Panis, prætereà Eucharistiæ ille Bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodum gratias deo agamus. Idem hom. in Leuit. 5. ca. 7. Dominus, inquit, panem, quem discipulis dabat, dicens omnibus, Accipite, & manducate: non di- *Origenes.*

ſtulit, nec ſeruari iuſſit in craſtinum. Quòd niſi Origenes exiſtimaſſet, panẽ re-
manere in Euchariſtia, nunquam ita propè ſemper uſus fuiſſet iſtis uocibus.

OBIECTVM CLXIX.

OBIICITVR ex Origene in Matthæum ca. 15. Impios non comedere corpus Chriſti, quòd illud uiuificum ſit, quodq́, qui illud manducat, in ipſo maneat.

GARDINERVS.

NON *tractat eo loco ſpecialiter Euchariſtiam: ſed de uniuerſa Chriſti œconomia loquitur.*

MARTYR.

NEgat, Origenem hoc loco agere, ut loquiſ, ſpecialiter de Euchariſtia. Sed iſte & fallitur, & fallere conatur alios. Origenes enim illa ſcripſit de Verbo dei facto carne: quod uerbum factum etiam eſt cibus noſter. Citat enim illa uerba, Qui ederit hunc panẽ, uiuet in æternũ, ex ſexto Iohãnis: quo in loco haud dubiè non agit de externis ſymbolis, ſed de re ipſa Euchariſtię: quã ad rem Chriſtus in ultima cœna adiecit ſigna ſenſibilia. Recte ergo concludit ex ſententia Origenis, uerũ Chriſti corpus, cuius mentio fit in ſexto Iohannis, ab impijs, & illis, qui pereunt, non poſſe comedi. Et ne quis de uerbis illis Origenis ambigat, etſi ea ſuprà citauerim, tamen ne hic quidem grauabor eadem repetere. Multa, inquit, porrò & de ipſo Verbo dici poſſent: quod factum eſt caro, uerusq́ cibus: quem qui comederit, omninò uiuet in æternũ: quẽ nullus malus poteſt edere. Etenim ſi fieri poſſet, ut, qui adhuc malus perſeuerat, edat uerbũ factũ carnem, cũ ſit uerbum, & panis uiuus, nequaquam ſcriptum fuiſſet, Qui ederit panem hunc, uiuet in æternum. Quis hic non uideat, Origenem agere de manducatione uerę carnis Chriſti, propter quam Iudæi, & ſeptuaginta illi Diſcipuli offenſi ſunt? Negat Origenes, impios comedere uerbum factum carnẽ: de uniuerſa Chriſti œconomia ne uerbum quidem. Tantùm negat, Verbũ, quod factum eſt caro, comedi poſſe ab impijs. Et dicta ſua refert ad ſextum caput Iohannis: ubi niſi agatur de manducatione uerę carnis Chriſti, nuſquã agitur. Fingat Inconſtantius, quantum uolet: hunc locum nobis nunquam excutiet. Verba ita ſunt perſpicua, ut nullis ambagibus, aut commentis poſſint mitigari.

OBIECTVM CLXX.

OBIICITVR ex Cypriano epiſt. 6. Libri primi ad Magnum, Dominus de multorum granorum adunatione congeſtum corpus ſuum panem uocat: & uinum ſuum ſanguinem de botris, atq́ acinis pluribus expreſſum.

GARDINERVS.

CHRISTVS *mutat nomen, ut oſtendat mutationem rei.*

MARTYR.

QVoniam panis ille dicitur congeſtus ex multorũ granorum adunatione, quem panẽ Cyprianus ait Chriſtũ uocaſſe corpus ſuũ, Inconſtantius non ſatis cõmodè potuit ad uſitatũ illud ſuum diuerticulum ſe recipere, ut diceret, uel accidẽtia, uel ipſam Chriſti carnẽ appellari panem. Quid ergo faciat? Circũſpicit omnia: ſed ſtrophę non iuuant, illæ præſertim tritæ iam & ueteres. Oportet nouiquip-

quippiam comminiſci. Fingit ergo, Chriſtum, cum mutaret nomen, & feciſſe, & indicaſſe mutationem rei. Et quam tandem, quæſo, mutationem? Longè maximam: uidelicet, ut panis, poſtquam ſemel dictus ſit corpus Chriſti, deſinat eſſe panis. At ſi obijcias, Si panis iam nuſquam, & nullus eſt, quomodò appellari poteſt corpus Chriſti: reſpondebit uno uerbo Inconſtantius, Deus uocat ea, quæ non ſunt, tanquam ſint. Et addit, ex ore domini, Vocare, Facere, Pronuntiare idem eſſe. Dixit enim, inquit, & facta ſunt. Hæc ſumma eſt reſponſionis. Sed cum Inconſtantius rem tantam tam paucis conficiat, nihil cauſæ eſſe uideo, cur non ego quoq; poſsim paucis ea refutare. Dic mihi, obſecro, ingenuè, ſi nominis mutatio neceſſariò adferat tantam mutationem rerum, cum Chriſtus appellat Simonem Cepham, hoc eſt, lapidem, aut Petram, an illum ſtatim tranſubſtantiauit in lapidem? Cum deus dicit Iacobo, Non uocaberis amplius Iacobus, ſed Iſrael, an Iacobum priſtina ſubſtantia ſpoliauit? Mitto alios complures, quorum nomina deus immutauit. An ita pertinax, atq; impudens erit Inconſtantius, ut dicere uelit, iſtos fuiſſe tranſubſtantiatos? Quid ergo hic ſomniat tranſubſtantiari panem? At dominus, inquit, poteſt hoc facere, ſi uelit. Fateor, deum poſſe conuertere panem in aliam creaturam: atq; hoc etiam addo, dominum poſſe panes illos in nihilum redigere, ſi uelit. Sed hoc dicimus, & ueriſsimè contendimus, non tantùm uerbum dei, ſed etiam Patres teſtari, nihil tale fieri. Fatemur, deum uocare ea, quæ non ſunt, tanquam ſint: & ſtatim fieri, quicquid ille dixerit. Sed hoc addimus, quoties aliquid fit, quod ille dixerit, ac iuſſerit, ſemper ſacras ſcripturas teſtari id eſſe factum. Nam in Geneſi, cum deus dicitur imperaſſe, ut aliquid fieret, ſtatim ſubijcitur, Et factum eſt. Aliquando tamen deus mutat nomina, cum rerum ipſarum ſubſtantias nõ mutet: idq; in hoc negotio fieri, Cyprianus teſtatur. Nec ſanè aliter eſſe poteſt. Res enim ea, quæ nulla ſit, neq; extet, non poteſt aliquo nomine appellari. Quod autem ſcribitur, deum uocare ea, quæ non ſunt, tanquam ſint, id ſic intelligendum eſt: deum rebus, quæ nondum ſint, uel ut ſint, uel ut accedant, præcipere: & quamuis anteà non fuerint, eas tamen iam exiſtere, atq; ad domini imperium uenire. Id autem locum habere nõ poteſt in Euchariſtia. Dominus enim in Cœna, quod quidem ex uerbis eius appareat, pani nihil imperauit.

OBIECTVM CLXXI.

IDEM Cyprianus exponens Orationem Dominicam panem appellat corpus domini.

GARDINERVS.

IMITATVR *enim phraſin Chriſti, qui dixit, Caro mea uerè eſt cibus.*

MARTYR.

SI Inconſtantius locum illum, unde hãc Obiectionem huc tranſtulit, indicare uoluiſſet, potuiſſem fortaſſe intelligere, quid ille, qui ea primus uſus eſt, ſibi uoluerit. Nunc tantùm coniecturam facere, & diuinare poſſum. Ego tamen credidérim, locum iſtum Cypriani, ſi tamen Cyprianus author fuerit eius libri, qui nunc eius nomine in Orationem Dominicam circumfertur, ea maximè cauſa fuiſſe adductum, ut probaretur, Impios nõ comedere carnem Chriſti. Sic enim ibi ſcribitur in expoſitione illius particulæ ex Oratione Dominica: Hunc autem panem dari nobis quotidiè poſtulamus: ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiã

Cyprianus author non eſt expoſitionis Orationis Dominicæ.

„ quotidiè ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum
„ absteneti, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore
„ separemur: ipso prohibente, ac monente, Ego sum panis uitæ, qui de cœlo de-
„ scendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Panis autem, quem ego
„ dedero, caro mea est pro sæculi uita. Quando ergo dicit, in æternum uiuere, si
„ quis comederit ex eius pane, ut manifestum est, eos uiuere, qui corpus eius attin
„ gunt, & Eucharistiam iure Communionis accipiunt, ita contrà timendũ est,
„ & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul rema-
„ neat à salute: commonente ipso, & dicente, Nisi ederitis carnem filij hominis, &
„ biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. Et ideò panem nostrum,
„ id est, Christum dari nobis quotidiè petimus: ut qui in Christo manemus, & ui-
„ uimus, à sanctificatione, & corpore eius non recedamus. Ex his uerbis duo possumus colligere. Primùm, Cyprianum per panem intellexisse corpus Christi ipsum crucifixum, quod in 6. cap. Iohannis appellatur panis: deinde, eos, qui comedunt ex illo pane, uiuere in æternum, neq; à sanctificatione recedere. Quem admodum autem Sacrificuli Papistarum, qui dicunt, se quotidiè tractare, & sumere corpus Christi, habeant se quod attinet ad spiritualem uitam, & sanctificationem morum, res ipsa loquitur. Quare apparet & ex uerbis Christi, & ex Sermone Cypriani, illud hominum genus nõ sumere uerum corpus Christi, quamuis quotidiè accedant ad Eucharistiam.

OBIECTVM CLXXII.

OBIICITVR ex eodem Cypriano epist. 3. lib. 2. ad Cæcilium. In uino ait demonstrari sanguinem domini.

GARDINERVS.

IN uino demonstrari sanguinem, dicit Cyprianus: quasi significans, quod etiam apertè posteà, &c.

MARTYR.

„ IN uino, inquit iste noster, omnes scripturæ notant sacramentum sanguinis,
„ Ideoq; ait, Christum illud adhibuisse, tanquam materiam conuenientem san-
„ guini suo exhibendo. Vt ergo figuras ueritate impleret, uinum adhibuit, in-
„ quit, & sanguinem suum fecit. Sed ista longissimè absunt à sententia Cypriani. Ille enim agit de uino iam consecrato, quodq; iam sit Eucharistia, & sanguinem Christi demõstret. In symbolis enim, antequam fiant sacramentum, neq; corpus neq; sanguis Christi demonstratur. Sed in impia causa, quam semel susceperat defendendam, Inconstantius cogebatur hæc ipsa ita ridicula, & inepta respondere, nisi tacere maluisset. Si Christus uinum, ut iste nugatur, effecit sanguinem suum, & ita fecit, ut uinum esse desineret, cur Cyprianus dicit, in uino demonstrari sanguinem? Quoniam autem Inconstantius semper satis locuples fuit imaginationum, fingit Cyprianum respexisse ad figuras Veteris Testamenti, ubi sanguis Christi latuit in uino tanquam in ænigmate, qui nunc in uino demonstratur. At in quo, quæso, uino, si uinum per Transubstantiationem iam abierit?

Cauillatur autem, nescio quid, de uerbo Demonstratur, & more Sophistarum ad quęuis potius, quàm ad interrogata, respondet. Demonstrabatur sanguis Christi etiam in figuris Veteris Testamẽti, etsi minus perspicuè. Sed de maiori, aut minori perspicuitate non contendimus: uerùm uos extremæ temeritatis arguimus,

guimus, qui uinũ ex Eucharistia auferatis, in quo, ut Cyprianus ait, sanguis Christi demonstratur. Si propter significantiam, ut Inconstãtius fatetur ipse, materia uini non est omittenda, cur illam sua ista Transubstantiatione ex Sacramento extrudit? Videat, & iudicet ipse, utrum horum sit grauius, Vinúmne ab initio nõ adhibere, quod Aquarij faciebant: an illud, cũ iam adsit, foras extrudere. Mihi utrinque uidetur equè grauiter peccari: nisi quòd isti hypocrisin etiam, & mendacium adijciunt. Nam Aquarij, quod non adhibebant, uerè dicebant, nõ adesse. Isti autem, id, quod re uera adhibuerunt, falsò abesse docent. Quare qui damnant Aquarios, uideant, quo iure istis possint ignoscere.

Transubstantiatores iustificãt Aquarios.

OBIECTVM CLXXIII.

OBIICITVR è Cypriano ex Sermone de Cœna domini. Ait, nos non acuere dentem, sed tantùm syncera fide panem frangere & manducare.

GARDINERVS.

FIDE *minus syncera citatur hic locus.*

MARTYR.

PRimùm accusat fidem eius, qui obiecit hunc locum, quòd, cũ Cyprianus addiderit Sanctum, ea uox sit omissa, uel potius adulterata. Pro Sanctum enim redditũ esse, Tantùm. Ego paucis respondeo, in Obiectione uerba ipsa Cypriani non recenseri, sed tãtùm sententiæ summam. Nam alioqui desiderarẽ etiam alia uerba, mordendi, partiendi, & alia plura. Quare uerbulum unum desiderari, ubi alia complura sint præterita, non est mirum: & præsertim cũ conueniat inter omnes, panem iam consecratum esse sanctum, eo uidelicet sanctitatis genere, quò suprà declarauimus. Huc addo, magnam etiam similitudinem esse inter duas istas uoces, Sanctũ, & Tantum: & fieri posse, ut aut impressor in excudẽdo, aut Inconstantius in legendo fuerit hallucinatus. Sed, ut emergamus ex istis tenebris, totum illum locum Cypriani describam. Hæc, inquit, quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus, & partimur, dum, quod diuinum & humanũ est, distinguimus, & separamus, itẽq; simul separata iungentes, unum deũ & hominem fatemur: sed & nos ipsi corpus eius effecti Sacramento, & re Sacramenti capiti nostro connectimur & unimur. In istis uerbis referendis Inconstãtius habet, Separata cingentes, idq; in utraq; libri sui editione. Quamobrem, cũ ipse quoq; labatur aliquãdo errore, sæpissimè aũt perfidia, authorem huius argumenti, quicunq; tandem ille fuerit, nõ debuit propter non ita grauem errorem tam acriter insectari: præsertim, cum uox illa, quam iste omissam queritur, eiusmodi sit, ut ab utraq; parte recipiatur.

Addit, apud Cyprianum panem sanctum frangere, nihil aliud esse, quàm in Christo diuinitatem ab humanitate separare. Sed non attendit, Cyprianum eodem in loco paulò suprà proposuisse historiam cœnæ Dominicæ, & actionẽ ipsam retulisse, qua frãgimus panem Eucharistiæ: posteà uerò, quid illa fractio panis significet, exposuisse. Cyprianus enim utrunq; complexus est, & Sacramentalem actionem, & rectitudinem fidei, qua Christum ipsum uerè, & cum fructu apprehendimus. Posteà repetit ea, quæ Cyprianus paulò ante, quàm ea quæ hic adducta sunt, scripserit. Carnis, inquit, eius edulium non est horrori, sed ho-
nori. Id iste noster adscribit distinctioni sumentium. Deinde ex istis uerbis elicit

„ ueram carnis præsentiam. Quomodo enim, inquit, potest esse horrori, quod re
„ ipsa non exhibeatur? Non est difficile explicare, quid Cyprianus sibi uoluerit.
Certè si caro Christi ita re ipsa manducaretur, ut aliæ carnes solent, magnus no-
bis horror comedentibus incuteretur. Cum autem eam in Sacramento spiritua-
liter comedimus, quod fit cum eam pro nobis oblatam in crucem uera fide com
plectimur, qua ex re nascitur summa nostri cum Christo coniũctio, maximus ad
nos accedit honor, non tantùm quòd ad corpus attinet, sed etiam, quòd ad ani-
mum. Quod autem iste quærit, quomodò horrori esse possit, nisi re ipsa exhi-
beatur, ita respondemus, Cum illa caro neq; realiter, neq; substantialiter adsit, sed
animo, & fide spiritualiter comedatur, nec potest, nec debet cuiquã horrori esse.

„ Addit, Cyprianus, Potuq; sancti, & sanctificantis sanguinis spiritus delectat.
„ Ex his uerbis iste ait, uerã præsentiã indicari sanguinis Christi. Illi enim hausto,
„ tanquam causæ tribui effectum sanctificationis. Nos autem dicimus, non tãtum
sanguinem Christi pro nobis fusum, sed etiam totum Christum, qui uerè est san-
ctus, fide apprehensum, esse propriam causam sanctificationis nostræ. Eucha-
stia uerò instrumentũ dici potest sanctificationis. Per illam enim spiritus sanctus
in nobis fidem excitat: per quam causam ipsam sanctificationis, uidelicet, Chri-
stum, eiusq; sanguinem pro nobis fusum apprehendimus. Allegoria uerò il-
la, qua Cyprianus dicit, nos fide syncera partiri panem sanctum, quaq; ostendit,
quid fractio, & partitio illa externa significet, longè alia est, quàm ab aliis patri-
bus afferri soleat. Alij enim dicũt, illa fractione mortem Christi, & corporis eius
apertionem in cruce significari: quod Paulus ipse uidetur dicere, cum ita scri-
bat, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur.

„ Quod autem Inconstantius addit, Cyprianum, cum scribat, nos non acuere
„ dentes ad mordendum, non prorsus repudiare officium dentium, quasi nulla sit
„ sacramentalis manducatio, sed uelle significare distinctionẽ inter fractionẽ, quæ
„ dente, & illam, quæ fide perficiatur, ridiculum, & insipidũ est. Putat enim, illam
manducationem, quæ conficitur dentibus, signum esse: illam uerò alteram, quæ
fide, esse rem significatam. Itaq; non multum uidetur abesse ab eo, quin credat,
dentes ipsos Communicantium ad ipsum corpus Christi uerè pertingere. Sed
Chrysostomus. fortasse deceptus est dicto illo Chrysostomi, quo ait, corpus Christi hoc nunc pa-
ti in Eucharistia, quod passum non fuerit in cruce: nimirùm, ut frãgeretur. Qua
de re aliâs dabitur dicendi locus. Nunc hoc tantùm dicam, nullo modo cre-
Dẽtes ad ipsum Christi corpus non pertingũt. dendum esse, corpus Christi nostrorum dentium lacerationi posse esse obnoxiũ.
Hoc enim, quid aliud esset, quàm illud commolere & cõminuere, & postremò
totum soluere. Hæc autem non tantùm à pietate, uerùm etiã ab humanitate alie-
na sunt. Quare Cyprianus dentium officium ab ipso corpore Christi prorsus
Augustinus. remouit: quod Augustinus etiã rectè, ac piè fecit. Quid enim, inquit, paras den-
tem & uentrẽ? Crede, & manducasti. In symbolis uerò, hoc est, in pane & uino,
& os, & dentes officio suo fungi, nemo dubitat. Atq; hoc sensu damus Inconstan
tio, id, quod frangitur dentibus, esse signum eius, quod fractum pro nobis in cru
ce percipimus fide.

Deinde interpretatur Cypriani loquutionem, simulq; inter se confert fractio
„ nem dẽtis, & fidei. Si conferant, inquit, inter se, negatione fractio dẽtis extenua
„ tur tantùm, non omninò tollitur. Memineris, quæso te, Inconstanti, huius tuæ
medicinæ: ut posteà si nos eadem uelimus uti in hyperbolis patrum mitigandis,
ne ægrè feras, neue, ut soles, contra nos insanias. Videntur enim patres inter-
dum ita rem ipsam Sacramenti amplificare, & ornare uerbis, acsi planè uelint
panem ab Eucharistia remouere. Id autem non idcircò faciunt, quòd putent
cum Papistis transubstantiari naturam panis, sed quòd, si symbola conferas
cum

cum re significata, quod attinet ad fructum, & dignitatem, & animũ ipsum communicantium, panis & uinum habentur iam pro nihilo, & quodammodò maiestate corporis & sanguinis domini absumuntur. Non quòd illa planè perierint, sed quòd ex collatione mirum in modum extenuentur.

OBIECTVM CLXXIIII.

OBIICITVR è Cypriano ex Sermone de Chrismate: Sacramenta inquit habere nomina earum rerum, quas significãt.

GARDINERVS.

CYPRIANVS *eo loco, unde hæc sumuntur, ita se explicat, ut si quis pressius hæc intueatur, animaduertat, hoc sacramentum paucis, sed efficacibus uerbis describi.*

MARTYR.

NEC hic quidem author Obiectionis susceptit uerba ipsa Cypriani recitãda. Solo enim sensu, & uno alteroq; dicto contentus erat, ut uim, & summam argumenti attingeret. Sed ne Lector locum integrum desideret, illum uisum est huc transcribere. Dedit itaq;, inquit, dominus noster in mensa, in qua ultimum cum Apostolis participauit conuiuium, panem & uinum; in cruce uerò manibus militum corpus tradidit uulnerandum: ut in Apostolis impressa syncera ueritas, & uera synceritas exponeret Gentibus, quomodo uinum & panis caro esset, & sanguis: & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent, & diuersa nomina, uel species ad unam reducerentur essentiam, & significantia, & significata ijsdem uocabulis censerentur. His supernæ gratiæ priuilegijs esu sanctificati panis refecti, loti, & uncti, non eam, quam amiserũt, sed ampliorem, & digniorem receperunt libertatem. Ex his uerbis quæ nos ad sententiæ nostræ confirmationem colligimus, hęc sunt. Primùm, Christum in ultima illa Cœna dedisse Discipulis suis panem & uinum: non autem, ut isti uolũt, accidentia. Neq; tamen ea causa inficiamur, etiam uerum corpus, & uerum sanguinem Christi fidelibus rite communicantibus, fide & spiritu percipiendum dari. Deinde annotamus ex istis uerbis, quomodo panis & uinum sint caro & sanguis domini: figura, nimirùm, & significatione. Nos enim, cum panem & uinum sumimus ad mensam domini, quid Iudæi fecerint, cum eius corpus ad crucem affigerent, significamus. Et hæc omnia facta scimus, ut Gentes intelligerẽt, Christum uoluisse anteà ueritatem suæ mortis per hoc sacramentum Apostolorum animis imprimere, idq; secretè, & seorsim in Cœna, quàm illam re ipsa palàm obiret in cruce. Ex his etiam intelligimus, causas, & effecta conuenire. Nam finalis causa huius mysterij fuit, ut ex carne Christi data pro nobis in crucem, & ex eius sanguine pro nobis effuso, spiritualem cibum caperemus, quo ad æternam uitam instaurare-mur. Hoc, inquam, effectum est huius sacramenti, quod satis cum sua causa conuenit, dum in Eucharistia pane & uino uescimur corporaliter. Atq; ita etiam diuersa nomina, ut panis & uinum, sanguis & caro, & diuersæ formæ, hoc est species, qualia sunt ea, quæ iam dixi, reducuntur ad unam & eandem essentiam, scilicet, sacramenti. Totum enim sacramentum, uti aliàs docuimus, constat signis, & rebus significatis: ut si tota essentia sacramenti consideretur, eam hisce rebus constare non dubitemus. Neq; tamen ex eo conficitur, res ipsas idcircò oportere cum signis re ipsa præsentes esse. Sunt enim relatiua, quæ dicuntur ad eandem essentiam reuocari, quòd alterum sine altero neq; definiri, neque cognosci

queat. Ex quo sequitur illud, quod Cyprianus ultimo loco posuit, ut propter tam arctam rerum & signorum connexionem nomina facilè permutentur, & symbola ipsa nominibus rerum significatarum nuncupentur: utq; è diuerso proprietates, & nomina elementorum ad ipsa significata transferantur. Hæc ita sunt perspicua, & plana, ut ad intelligendum Cyprianum nulla alia expositione opus esse iudicem.

Verùm nunc ex altera parte audiamus Inconstantiũ: & animaduertamus, quemadmodum res claras de industria obscuret, & suis illis tenebris omnia misceat. Primùm, ait Cyprianum contentione quadam uerborum duobus membris eiusdem orationis loquutum esse de uero Christi corpore dato in Cœna: nempè cum dicat, Christum in Cœna propriis manibus dedisse panem & uinũ: in cruce autem manibus militum dedisse corpus suum uulnerandum. Itaq; ait, corpus Christi tam uerè manducari in mysterio, quàm uerè uulneratum est, & suffixum in cruce à Iudæis. Nam uerba illa, Panem & Vinum, in priori membro, idem ait omninò significare, quod corpus in secũdo. Sed, si eadem omninò sunt, quæq; in priori, quæq; in posteriori clausula ponuntur, quid ea oportuit inter se comparare? Similia, paria, disparia comparari solent: non eadem. Cyprianum uerò istam collationem non spectasse, ex eo liquere potest, quòd duabus rebus, quas posuerat in priori mẽbro, pani, nimirùm, & uino, in altero membro non duas res opponat, uidelicet, carnem & sanguinem, sed tantùm corpus. Nullæ ergo hic res inter se per contentionem, ut Inconstantius putat, conferuntur, sed tantùm istis duobus membris ea exponuntur, quę Christus nostra causa, tum in Cœna, tum etiam in morte gessit. Nam in Cœna quidem dedit Apostolis sacramentum earum rerum, quas postea in cruce præstitit. Illis enim ibi panem & uinum ad memoriam mortis, quam erat statim posteà obiturus, commẽdauit. Eam autem mortem postridiè bona fide oppetijt in cruce, cum corpus suum ludeis nostra causa uulnerandum traderet. Idem corpus in Cœna sub elementis panis & uini fide proposuit comedendum: quod posteà pro nobis præbuit militibus conficiendum. Hæc ita plana sunt, & ex uerbis ipsis Cypriani ita dilucidè liquent, ut penè palpari possint. Quare Inconstantius, cum uelit ea torquere, & in alienum sensum abducere, mirificè abutitur lectoris patientia.

Frigeret, inquit, collatio. Quam tu mihi collationẽ narras? Cyprianus enim nihil confert. Tantùm testatur, Christum duo fecisse, alterum in mensa, alterum in cruce. Et sanè constat alterum illorum ita alteri successisse, ut à mensa itum sit ad crucem: cumq; suis manibus in Cœna Discipulis distribuisset panem & uinum, posteà eum corpus suum dedisse Iudæorum manibus lacerandum. Sed cur tu hic non ostendis, quibus uerbis Cyprianus dixerit, corpus Christi tũ uerè fuisse in illo pane, qui discipulis distribuebatur, quàm uerè fuit in cruce, cum à Iudæis conficeretur? Hoc tu non probas: non planum facis. Ex tuo tantum capite ista somnias. Testimonium enim Cypriani ex adductis uerbis, quo idem affirmetur, nullum affers.

Hesychius. Verùm Hesychium nobis, si deo placet, substituere uoluisti pro Cypriano. Illum enim ais dicere, Christum in Cœna se ipsum suis manibus sacrificasse. Id ut est uerum, ita ad tuam causam nihil facit. Sacrificauit se Christus in Cœna: quia, cum propriis manibus institueret sacramentum Eucharistiæ, testabatur, se uelle mori, idq; se summo & ardentissimo desiderio uelle facere. Desiderio enim, inquit, desiderauí hoc Pascha uobiscum comedere: tum ut patri suo morem gereret, tum etiam ut suos à potestate mortis, & diaboli liberaret. Deoq; gratias egit, quòd iam eò peruentum esset. Hoc illud, Inconstanti, hoc sacrificium illud fuit, quod Christus in Cœna obtulit patri suo: quod eũ Hesychius ait fecisse propriis manibus

An Christus in Cœna se sacrificauerit.

manibus. Suam enim iſtam uoluntatem,& oblationem Sacramento,quod habebat in manibus, teſtabatur. Tu uerò,quod ad hoc Sacramẽtum attinet,niſi aliud putas eſſe Sacrificare,quàm ex Tranſubſtantiatione panis & uini,corpus & ſanguinem domini præſentia facere ſub accidentibus. Hoc ſcripturæ nõ docent:patres non teſtantur:regula & analogia fidei non probat.

Poſteà pro illa ſua obfirmata iam audacia ait, Cyprianum cũ dicat panem & uinum, intelligere ſpecies tantùm illarum rerum,& accidentia. Atqui non erat Cyprianus nec ita mutus,nec ita balbus,nec ita Latini ſermonis imperitus,quin, ſi ita ſenſiſſet,id eloqui, & effari potuerit. Si non iterùm, aut ſæpius, at certè ſemel ſaltem ueſtrum iſtud nouum commentum explicuiſſet. Sed iſte magnam quandam uim eſſe putat in Aduerbio illo Secretius. Nobis tamen quid aduerbium illud ſignificet, non eſt arduũ explicare. In Apoſtolis,qui primæ illi Communioni interfuerunt,nobis Gentibus, atque omnibus fidelibus indicatum eſt, quomodò panis & uinum eſſent caro,& ſanguis:nimirùm analogia Sacramenti: quod profectò eſt quoddam arcanum, quod ſecretò initiatis commẽdatur, atque concreditur. Et hoc perpetuum eſt in omnibus myſterijs,ut res externæ pateant,& oculis exponantur: cum tamen res ipſa, quæ ſignificatur, lateat, & niſi internis oculis uideri non poſſit. Quare Chriſtus id,quod paulò poſt futurũ erat palàm, ſeorſim ac ſecretò Apoſtolis antè in hoc myſterio patefecit, non tantùm ſimplicibus nudisq; uerbis,quæ facilè deleri potuiſſent,ſed efficacibus ſymbolis, quæ in animis hominum maiorem impreſſionẽ facerent. Et eadem opera oſtenſum eſt,quomodò panis & uinum ſit caro & ſanguis:nimirùm,coniunctione ſacramentali. Sed Inconſtantius ait hoc fieri mutatione, & omnipotentia Verbi. Ne id quidem ego negauerim, modò rectè intelligatur. Mutantur aliquo modo panis & uinum,& efficiuntur Sacramenta: non ita tamen,ut illorum ſubſtantia aboleatur. Fateor etiam,ad conficiendum Sacramentum requiri dei omnipotentiam. Opus enim tam inſigne à nullo homine mortali poteſt fieri. Cauſas, & Effecta cõuenire,iſte ita interpretatur: quòd oporteat uerè eſſe carnem domini,qua ſumentes ſanctificentur. Hoc quoq; concedi poteſt:etſi non in eam ſententiam,qua dictum eſt ab Inconſtãtio. Is enim putat, omninò oportere corpus Chriſti latere ſub accidentibus,ut ſumẽtes reddere poſſit ſanctos. Nos autem dicimus,Chriſti corpus fide,atq; animo comprehenſum cauſam eſſe, cur communicantes ſanctificentur. Et cauſas,atq; effecta congruere,longè alia,& multò meliore ratione docemus.

Quomodò autem diuerſa nomina ad unam reuocentur eſſentiam, Sophiſta ita exponit: quòd in Sacramento una tantùm ſit ſubſtantia, de qua iſtæ appellationes,panis,& corpus prædicentur: nimirùm,unus Chriſtus deus & homo. Et addit,nominibus Panis, & Vini ſignificari tam accidentia uiſibilia Sacramenti, quàm res inuiſibiles,Carnem,inquam, & ſanguinem Chriſti, quæ illis accidentibus contegantur. Hæc, uidelicet, eſt noua philoſophia Inconſtantij: qua docere uult ad duas res ſignificandas nomina quatuor adhiberi. Sed gratia dei Cyprianus ſe ſatis expoſuit, quid per panem, & uinum in Euchariſtia uelit intelligi:illum enim ſe ait panem dicere, qui conficitur ex multis granis, quiq; non ex ſola farina, aut aqua ſola conſiſtat, ſed ex aqua, & farina ſimul commixtis. Vinum autem ſe ait dicere, quod ex multis botris, atque acinis confluxerit. Hæc ille in epiſtola ad Cæcilium. Mera ergo fictio eſt Inconſtantij, quod ait, panem & uinum in hoc Sacramento idem prorſus eſſe, quod carnem & ſanguinem. Fateor equidem, res ipſas panem, inquam, & uinum ſacramentali analogia carnem & ſanguinem ſignificare. Vocabula tamen ipſa, panem, & uinum, uerum panem,uerumq; uinum, quæ uerè, & ſubſtantialiter in Sacramento pro-

ponuntur, & esse, & referre contendo. Verum Christi sanguinem fide, ac spiritu haustum à Communicantibus, iam suprà dedi ueram esse causam sanctificationis: non tamen ex eo sequi, illum sub accidentibus uini substantialiter adesse oportere. Hoc quoque fassus sum, Christum in cœna, non tantùm symbola, sed etiam res ipsas significatas dedisse discipulis. Nam qui orationem alicui communicat, & sensum illi uerborum & significata impertit. Sunt enim ista relatiua: quorum unum intelligi non potest sine altero, cum tamen loco, & spacio sæpè permultum distent.

» Posteà citat Cyprianum ex hac eadem Oratione, quem ait ita scribere paulò
» antè illa uerba, quæ supra recitauimus: Quibus calicem sanguinis sui inexhau-
» stæ plenitudinis abundantia semper refertum conseruandum tradidit, & erogan
» dum. Hoc ait, nõ posse intelligi de figura: illam enim facilè posse exhauriri. At si figura facilè exhauriatur, exhauretur etiam sanguis. Si enim dicas, sanguinem esse uerè, ac substantialiter in calice, dices contra tuam sententiam: at si dicas, ut soles, sanguinem contineri sub accidentibus uini, illis accidentibus exhaustis, necesse est, ut fatearis sanguinem quoque exhaustum esse: nisi fingere uelis, sanguinem ibi esse sine accidentibus. Quod si dixeris, At sanguis Christi non ita intelligitur exhaustus è calice, quin ut in eo possit renouari: idẽ ego dicere possum de symbolo, illud nunquam ita prorsus exhauriri, quin ut denuò infundi possit.

Quomodo intelligatur, Sanguinem Christi exhauriri non posse.

Quid ergo dices? Quid te Cypriani uerba iuuant? Redito aliquando in uiã. Sanguis Christi, qui in corporis eius uenis manet, dum à nobis fide apprehẽditur, ut pro nostra salute fuit effusus, non potest unquam exhauriri: manet enim perpetuò integer à nobis per fidem maximo cum fructu bibendus. Quare Cyprianus non loquebatur de externis symbolis, cum ea diceret, sed de re ipsa significata.

OBIECTVM CLXXV.

OBIICITVR etiam ex Cypriano contra Aquarios lib. 2. epist. 3. Non posse uideri adesse sanguinẽ Christi in Calice, si uinum ibi esse desinat: quod certè isti per suam Transubstantiationem fieri contendunt.

GARDINERVS.

CYPRIANVS *sic loquitur, Nec potest uideri sanguis eius, quo redempti, & uiuificati sumus, esse in Calice, quando uinum desit calici.*

MARTYR.

NE per ambigua, & incerta uagemur, operæpretium erit, Cypriani ipsius uerba proponere. Is enim, qui usus est hac Obiectione, satis habuit sententiã reddere fideliter, etiãsi uerba omnia nõ adscriberet. Cyprianus in eo loco, qui
» in Obiectione citat, ita loquit: Nec uideri potest sanguis eius, quo redẽpti & uiui-
» ficati sumus, esse in calice, quãdo uinũ desit calici, quo Christi sanguis ostendi-
» tur, qui scripturarũ omniũ Sacramento, & testimonio prædicat. Adhũc modum
» Inconstantius ista interpretat, si malitia, aut negligentia ministri uinum desit, id
» est, nõ adhibeatur in calice, non posse confici mysterium ostendendi sanguinis.
Atqui Cyprianus non de Sacramento conficiendo loquit, sed de iam confecto. Ait enim, Sanguinem nõ uideri esse in calice, si uinum desit. Verùm iste uerbum illud Ostenditur, magno uerborum apparatu mitigare nititur, ut ne dicam per-

peruertere. Primùm ait, Christum tantùm in Cœna sanguinem suum fidelibus ostendisse: id enim eum in cruce non fecisse: quamuis Iohannes affuerit, cum illum effunderet. Illum enim perhibuisse testimonium, se sanguinem Christi à Iudæis uidisse effusum, non autem à Christo ostensum. Ista multò altius petuntur, quàm ut quicquam ad causam facere uideri possint. Certè, quicquid iste garrit, Ostendere, quomodò illa uoce Cyprianus utitur, nihil aliud est, quàm significare. Hoc enim uoluit dicere, Si uinum remoueas è calice, sanguinem Christi sacramentali analogia ostendi, & significari non posse.

Pergit Inconstantius, & ait, Christum non regnare in cœlis sub specie sanguinis: quò fideles eò sublati fide eius sanguinem contemplentur. Et uidetur sibi acutè nos perstringere, qui nonnunquam dicamus, nihil opus esse præsentia illa substantiali corporis Christi in Eucharistia: mentes enim nostras in percipiendo sacramento in cœlum facilè posse transferri. Iste autem nos suauiter scilicet irridens, Etsi, inquit, mente, atq; animo in cœlum penetretis, & ad ipsum Christum perueniatis, tamen sanguinem eius cernere non potestis. Ego uerò respondeo, sanguinem domini satis ostendi fidelibus, cum uel ex lectione sacrarum literarum, uel ex sacris mysteriis creditur pro salute humana effusus. Sic enim apprehenditur, & spirituali ratione bibitur. Manducatio enim illa, quę fide percipitur, non in simplici, nudaq; apprehensione corporis, et sanguinis Christi consistit, sed in eiusmodi complexu totius mentis, atq; animi, quo constanter, atq; efficaciter credamus, corpus Christi traditum fuisse in crucem pro salute nostra, & sanguinem eius effusum. Ascensionem uerò mentiũ nostrarum in cœlum, non absq; scripturarum, Patrum, Ecclesiæ testimonio atq; authoritate tradimus. Paulus enim ad Coloss. ita scribit, Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite. Et ad Philippen. Cõuersatio nostra in cœlo est. Chrysostomus, quemadmodum suprà semel, atq; iterum annotaui, ait, hanc mensam Aquilarum esse, non graculorum: & ad illos pertinere, qui usq; ad cœlos euolent, & ibi Christo fœliciter occurrant. Ad hoc ipsum Ecclesia etiam nos hortatur. Ea enim, postquam iam uentũ est ad mysteria, publicè clamari iubet, Sursum corda. Proinde rectè dicimus, in cœlum mente ascendendum esse, ubi Christum regnantem conspiciamus, cuius sanguis pro nostra salute fusus est, & corpus olim affixum ad crucem.

Sed iam uicissim dicat nobis Inconstantius, utrum id, quod est in calice, sit ibi specie sanguinis: ut eò accedentes possimus sanguinem Christi contemplari. Quod enim, malum, est illud genus argumenti, quod ita torquetur, ut multò maximè lædat authorem suum: Putauit iste, se ex eo posse nos satis coarguere, quòd in cœlo ostendi non possit sanguis Christi extra uenas. At idem sanguis, quamuis, ut ille clamat, realiter sit in calice, tamen in eo multò minus ostenditur. Mirror, hominem esse ita stupidum, ut non intelligat, se loqui pugnantia. Modò ait, Christi sanguinem in calice uerè proprieq; ostendi: modò eum ait sub speciẽbus, & accidentibus occultari. Quomodo occultari potest, quod ostẽditur? aut ostendi, quod occultatur? *Quod ostenditur, non occultatur.*

Huc addit, nisi sit in Cœna uera exhibitio, & certa ostensio sanguinis, nos adhuc manere in figuris panis & uini, & hærere in umbris creaturarum, nec adhuc assequutos esse lucem ueritatis. Lugubriter ista conqueritur, uereturq; ne adhuc in umbris Veteris Testamenti relictus sit: quasi qui maximè cupiat lucem, tenebras autem, quas secum perpetuò circumfert, quasq; omnibus rebus, quas tractat, semper offundit, maximè oderit. Verùm nos illum ita possumus consolari: Nihil est Inconstanti, quòd uereare: non sumus relicti in umbris. Res promissæ in Veteri Testamento nondum erant præstitæ, antequam Christus ipse uenisset. Nunc uerò omnia sunt confecta: Verbum dei suscepit carnem: Filius dei cum

hominibus uersatus est: pro nobis tãquam agnus occisus est: excitatus est à mortuis: ascendit in cœlum: dedit spiritum sanctum: conuocauit Gentes: Ecclesiam per omnes partes orbis terrarum instituit. An adhuc tibi uideris esse in umbris, & tenebris, cum tot, ac tanta iam gesta, & confecta sint? imò cum iam extremus tantùm actus expectetur? Vbi enim ille Actus accesserit, nosq; ad alteram illam æternam uitam erimus translati, non amplius nobis aut mysterijs, aut sacramentis, aut signis, aut significationibus opus erit. Hoc tibi satis esse debet, quòd paucissimæ tantùm nobis figuræ relictæ sint, Baptismus uidelicet, & Cœna dominj: illæq; longè clariores, & efficaciores, ut Augustinus ait, quàm fuerunt figuræ Veteris Testamenti. Quare etiamsi non habeas corpus Christi præsens sub accidentibus panis & uini, tamen nihil est, quod queraris. Id enim & inutile esset, & prodigiosum: & non solùm naturæ ueri corporis, sed etiam scripturis ipsis, & Patribus aduersaretur.

„ Sed attende, quæso, paulùm, quid dicas. Sub specie, inquis, uini in ueritate
„ ostenditur sanguis Christi. Imò ita potius dicendum erat: uelatur, & occultatur
„ sanguis Christi. Neq; te ita impatienter ferre oportuit, si author huius argumenti, Desinit, pro Desit, scripserit. Sunt enim uoces illæ ualdè affines, uti uides; ut typographus in lubrico discrimine facilè potuerit hallucinari. In significatione autem non est tantùm discriminis, ut, utrumuis dicas, quicquam decedat de sensu. Postremò in calce hoc mihi non uidetur omittendum, ex omnibus Cypriani sententijs hanc unam ita perspicuam esse, itaq; claram, ut nulla magis nostram sententiam defendat.

OBIECTVM CLXXVI.

OBIICITVR ex Cypriano in Sermone de Cœna domini. Scribit enim, symbola mutari in corpus Christi: sed ita, ut accipiat simile ab ipso Christo: in quo ait humanam naturam apparuisse, latuisse diuinam. Ex quo simili uidemus, hoc eum uoluisse, ita duas naturas retineri in Sacramento, quemadmodum certum est, eas mãsisse integras in Christo.

GARDINERVS.

QVOD *docet de mutatione symbolorum, traditio est manifesta fidei Catholicæ.*

MARTYR.

MVtationem illam, cuius mentionem facit Cyprianus, iste Transubstantiationem esse putat. Quàm autẽ turpiter fallatur, simile adducium coarguit. Nam alioqui oportuisset aboleri substantiam humanæ naturæ in Christo, quemadmodum isti uolunt in sacramento aboleri substantiam panis & uini. Quod autem posteà colligit, ita oportere corpus Christi præsens adesse in Eucharistia, ut diuinitas latebat in natura humana, non esset negãdum, si unà cum Inconstantio fingere uellemus, elementum externum panis mutari in ipsum proprium corpus Christi. Nos autem cum Cypriano potius statuimus, mutationem fieri in corporis Christi sacramentum. Atque hoc pacto concedimus, naturam, seu proprietatem sacramentalem esse in pane: ut panis iam ex instituto Christi factus sit idoneum organum ad fidem nostram excitandam.

„ Ad hæc iste noster ait, se uelle concedere, duas naturas manere in sacramẽto:

non

non tamen pari integritate, aut constitutione perfectæ similitudinis. Sed quid hic ta apertè cauillaris, Inconstanti? An in tuo arbitratu situm est, quousque uis similitudinis porrigatur? Si non est par naturarum integritas in Eucharistia, dic dum, quanta ibi sit panis integritas. Respondebis, scio, esse ibi species panis, & accidentia. Esto. Sed illa neque ad essentiam, neque ad naturam panis uerè pertinent. Quod uel ex eo satis constat, quòd illa possint à substantia separari. Cedò uero: quæ tandem sunt illæ regulæ fidei, per quas ais stare, ne natura panis in Eucharistia maneat perfecta, atque integra? Cur illas nobis non prodis? Nam sat scio, nec sacras literas, nec ueteres patres eas usquam commemorasse.

OBIECTVM CLXXVII.

OBIICITVR ex Cypriano epistola 3. lib. 2. Quomodo nec corpus domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum: quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus.

GARDINERVS.

OSTENDIT *Cyprianus, panem adhibitum ad consecrationem, unde corpus Christi naturale efficiatur, habere etiam significationem corporis Christi mystici.*

MARTYR.

ISte noster redit ad usitatam illam suam cantilenam, oportere panem esse, qui adhibeatur ad Consecrationem, ut habere possit significationem mystici corporis Christi: ideoq; nec farinam solam, nec aquam solam satis esse. Cumq; ille respondeat id, quod semper solet: ego non uideo, cur ipse quoq; respondere non debeam, quod soleo, uel potius, quod res ipsa est: nō agere hoc loco Cyprianum de pane, qui adhibendus sit ad consecrationem, sed de eo, qui re ipsa sit corpus Christi. Non enim sic ait, Ex farina sola non potest fieri corpus Christi: sed farina sola non potest esse corpus Christi. Néue dubites, Lector, Cyprianum ista dicere de pane post consecrationē, addit, Quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur. Audis ista Inconstanti? Hoc, inquit, Sacramento panis adunati, copulati, solidati populus noster ostendit. Si farina sola non potest esse corpus Christi, certè sola accidentia multò minus possunt. Nam farina, qualis qualis est, substantia est, haud dubiè omnibus accidentibus longè nobilior. *Farina est nobilior accidētibus*

Miratur nos Inconstantius, qui queramur, decessisse substantiam panis, cum illi substātia corporis Christi, quæ multò nobilior est, successerit. Atqui nos non querimur de pane, sed uestram damnamus arrogantiā, qui uestra temeritate analogiam Sacramenti auferatis. Posteà quærit, Vtrum panem in Sacramento desideremus ad significationem? Post consecrationem, inquit, nihil significatione opus est. Iam enim, inquit, significauit. Rectè. Sed quæro, quo significationis genere? An sacramentali? Ergo erat Sacramentum antequam cōsecraretur. Addit tamen deinde manere accidentia, quæ item significent. At illa non sunt satis. Nam Cyprianus negat, solam farinā, aut solam aquam posse esse corpus Christi. Id, inquit, oportet esse, quod adunatum sit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. Hoc, inquam, hoc dicit, in Sacramēto esse corpus Christi. Id uelim lectorem diligenter attendere. Hic enim habemus, uelint, nolint Transubstantiatores, Corpus Christi prædicari de ipso pane. *Corpus Christi de ipso pane prædicatur.*

OBIECTVM CLXXVIII.

OBIICITVR ex eodem 2. lib. epist. 3. Videmus, in aqua populum intelligi: in uino ostendi sanguinem Christi.

GARDINERVS.

CVR *aqua misceatur uino in Calice docet.*

MARTYR.

VEl ex hoc loco ipso Inconstãtius, si uoluisset, satis potuisset animaduertere, quid uox illa Ostendere, sit apud Cyprianũ. Hic enim apertè dicit, in aqua intelligi populum: in uino ostendi sanguinem. Quia uinũ in Sacramento sanguinem domini pro nobis effusum significat: idcircò illum, cum communicamus fideliter, intelligimus, & fide apprehendimus. Ostensio ergo ista non est, ut Inconstantius somniat, sanguinis uerè latentis sub accidentibus uini. Nam alioqui necesse esset dicere, populum quoque latere sub accidentibus aquæ. Non minus enim populus, ut ait Cyprianus, quàm sanguis & ostenditur, & intelligit, & significatur. Postquam uinum consecratum est, inquit iste, mirabilis fit eius substantiæ mutatio. At si uinum & aqua iam abierint, nihil potest in illis ostendi, postquam esse desierint.

» Cæterùm obijcit, etiam aquam per confusionem esse desinere, postquam sit mel mixta est cum uino: nihilominus tamẽ populum in ea intelligi. Respõdeo, materiam aquæ conseruari: & falsum esse, omnem partem eius substãtiæ periisse. Nec par debet esse ratio uini & aquæ. Vinum enim ex uerbo dei adhibetur, non item aqua. Patres quidem ea usi sunt: sed sine præcepto domini. Adfert etiam simile de uerbis, quæ audiuntur. Ea enim tum demùm notionem sui facere, cum ex ore proferantur, & euanescente sono intereant. Sed cogitare eũ oportuit, Sacramenta non esse uerba audibilia, quæ auolent, sed uisibilia, quæ maneant tantisper, dum actio ipsa duret. Addit, Apostolos agnouisse Christum in fractione panis: cum tamẽ fractio ipsa, quæ cognitionem eã excitabat, iam esse desijsset. Non ergo necesse esse, ut res ipsæ maneant, quarũ significatione in nobis notitia aliqua excitet. Nisi quis diligẽter attẽdat, facilè potest huiusmodi similib. decipi. Sed meminisse debes, Lector, nos id nõ negare, posse fieri, ut p̃ significationẽ rei prętęritæ aliqua notio excitet, quæ maneat. At postquã res ea, quæ significauit, prætęrijt, etsi maneat notio aliqua in animo, tamen signũ ipsum abijt, & effectum tantùm suum reliquit, ipsum aũt esse desijt. Cum ergo Sacramẽta signa quędam sint, necesse est, ut quàm diu manent, tam diu significent: & quàm primùm significare desierint, amittant rationem Sacramenti. Fateor equidem, notionem excitatam à Sacramentis posse manere in animis nostris, etiam postquam absumpta sint mysteria, idq; interdum longo post tempore. At cum id neq; sit, neq; significet, ad quod significandum est institutum, non dabo esse Sacramentum.

OBIECTVM CLXXIX.

OBIICITVR ex Cypriano de Cœna domini: Qui usq; hodiè, inquit, hoc ueracissimum, & sanctissimum corpus suum creat, sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit. At proprium Christi corpus nec denuò creatur, nec sanctificatur, nec diuiditur.

Gar-

GARDINERVS.

SI IN *uerbis Cypriani ἀνείβαιν spectemus, illud, Creare, dicit effectionẽ, significatq́, nouam materiam, unde tanquam ex materia corpus fiat, non desiderari, & tamen panis mutatione fit præsens.*

MARTYR.

MIrabitur, scio, attentus lector, quot, quàm duris, quamq́ absurdis tropis Inconstantius conetur sese ex istis uerbis Cypriani explicare. Quod cũ nullũ Theologũ, purumq́ uerbi dei tractatorẽ deceat, tamẽ isti nostro, qui ne unũ quidem, eumq́ simplicem ac manifestũ tropum ferre potest, minimè omnium conuenit. Id tamen ille sibi nunc liberaliter permittit, cum tamen alioqui soleat nos, tanquam pro summo cõuitio, Figuratores, & Tropicos appellare. Ait uocabulum illud Creare, effectionem quandam dicere, & significare, nouam materiam non desiderari, ex qua corpus fiat: quod tamen panis mutatione fiat præsens. Obsecro te, pie Lector, quænam ista sunt portenta? Profectò, Creari, de illis, quę iam re ipsa sint, & actu existãt, dici non potest. Si cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis continentur, priusquam fierent, extitissent, nunquam diuinæ literæ dixissent, deum aliquando ea creauisse. Nec rem ullam fingere possumus, quæ remouenda fuerit, aut è medio tollenda, cum orbis crearetur: quemadmodum uos in ista uestra creatione remoueri uultis substantiam panis. Sed age, ut huius tropi, & nouæ interpretationis absurditatẽ propius uideamus, inauditam istam significationem, creandi, ad alias quoq́ res accommodemus. Et cogitemus, palum aliquem fixum esse in medio fluminis, qui posteà aut auferatur inde, aut cedat. Sucedat nauis aliqua, quæ tamen anteà extiterit, etsi non eo ipso in loco, in quo palus fuerat. An cum nauis ita palo sufficitur & succedit, dicemus eam uerè creari? Non, opinor. Ea enim prius fuit: neq́ illi quicquam noui accidit, nisi quod ibi præsens esse cœperit, ubi palus, qui remotus est, anteà fuerat. Fingamus in platea esse statuam, quæ de basi sua auferatur. Posteà in eadẽ basi aut canis, aut aper, aut truncus collocetur. An ea causa dicemus, canem, aprum, truncum creari? Dicemus opinor ex noua ista Grammatica Inconstantij: at ex usu Latini sermonis non dicemus. Imò ne Theologi quidem saniores eo uerbo utuntur in hanc sententiam. Quare oportet, ut iste aut fateatur se architectum esse istorum portentorum, aut nouam istam significationem, quam nobis tam audacter, atq́ impudenter obtrudit, uel ex Scripturarum, uel ex ueterum Patrum authoritate confirmet. Hoc autem posterius nunquam faciet: superest ergo, illum solum ista nouarum significationum portenta finxisse.

Quæ existunt, non dicuntur creari.

Iam audiamus, quid adferat de altero illo uerbo, Sanctificandi. Citat Hesychium, qui lib. 6. in Leuiticum, cap. 22. ita scribat: Sanctificat, quoniam sanctum sanctorũ appositas creaturas efficit, quod uerbi omnipotentia benedicendo perficit. Quod Hesychius dicit, uerum est, Appositas creaturas, siue illæ fuerint sacrificia legalia, siue referantur ad Eucharistiam, benedictione, atq́ omnipotentia dei fieri sanctum sanctorum, id est, sanctissimum sacramentum. At Cyprianus non loquitur de appositis creaturis, quas dicat creari, & sanctificari. Sed ait, dominum ipsum creare, & sanctificare corpus suum. Oportet ergo Inconstantium quærere nouas aliquas rimas: nam Hesychij uerba huc non quadrant. Nec uocabula illa, Veracissimum, & Sanctissimum, quicquam illum iuuant. Veracissimum enim referendum est ad significationem, qua symbola postquam facta fuerint sacramenta, ueracissimè significant corpus domini. Eademq́, quia maximè pertinent ad cultum dei, rectè appellantur sanctissima. Sed iste, ut sese magis

Hesychius.

,, etiam explicet, addit: Corpus Christi ad sui subsistẽtiam creatione non eget. Sed
,, nobis creatur, dum in sacramento fit præsens: nobis sanctificatur, dum ut sanctũ
,, sanctorum nobis proponitur: & nobis benedicitur, dum potentia uerbi sistitur.
Quis non uideat, omnia ista esse tropica, & contortissimis figuris explicari?
Creari, est præsens fieri: Sanctificari, nobis proponi ut sanctum: Benedici, poten
tia uerbi sisti, & omnes alios benedictione replere. Ita Inconstantius pro libito,
ne dicam, pro libidine, mutat actiua passiuis, & aliorum uerborum significata tri
buit alijs.

,, Posteà sudat, ut uerbum illud Diuiditur, quàm commodissimè exponat: &
,, ostendat, non esse necesse, ut illud ad corpus Christi referatur. Illud enim inte
,, grum, & totum dari. Itaq; ea uoce, ait, tantùm notari distinctionem accipientiũ.
,, Tabulas enim dici in uulgus diuidi: & Horatium dicere, Oscula diuidere: cum
,, tamen illa distribuantur cuiq; integra. Videtur mihi iste id facere, quod simię, &
feles solent: quibus cum liceat in amplissimis palatijs uersari, ac ludere, ubi nihil
sit periculi, illæ tamen malunt in marginibus fenestrarum, & in culminibus te
ctorum hærere, ubi semper periculum sit à præcipitio. Ita iste, cum possit fateri
sine ullo periculo, uerba illa, diuidi, & frangi, quemadmodum ipsæ scripturæ lo
qui solent, non ad corpus Christi ipsum, sed ad sacramentum pertinere (Euange
listæ enim dicunt, Christum accepisse in manus, benedixisse, & fregisse panem:
Et Paulus ait, Panis, quẽ frangimus) tamen alias potius quærit, atq; alienas signi
ficationes uerborum: quæ, etsi inueniantur interdum in scriptoribus Latinis, ta
men nec ad hanc rem quicquam faciant, nec careant periculo. Quantò facilius
est, uerba illa Cypriani, uti prolata sunt, candidè, & simpliciter accipere? atq; ita
potius dicere, Corpus Christi, hoc est, sacramẽtum corporis Christi, creari, cum
anteà non esset: sanctificari, hoc est, ad sanctum usum adhiberi: benedici, hoc est,
accipiẽtibus utile, ac fructuosum effici: & denicq; uerè diuidi, & partiri sanctæ ple
bi, quæ unà cõmunicet in sacra mensa. Quid enim ambagibus opus erat, tot præ
sertim, tamq; alienis? Hoc enim est, non lucem rebus adferre, sed tenebras offun
dere. Sed Papistarum portẽta eiusmodi sunt, ut lucem oderint: tenebras autem,
ut perfugium tutissimum expetant. Quodq; dicit de osculis & tabulis, alienum
admodum est: quoniam illa cum distribuuntur, similia quidem sunt, at non
eadem.

OBIECTVM CLXXX.

OBIICITVR ex Athanasio exponente illa uerba, Si quis dixerit uerbum cõtra filium hominis, remittetur ei: qui uerò in spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. Et, quantum, inquit, esset corpus ad hoc, ut totus mundus ex eo ederet? Sed addit, eam rem intelligendam esse spiritualiter: & idcircò dominũ eo loco fecisse mentionem Ascensionis suæ in cœlum.

GARDINERVS.

QVIDNAM *Athanasius senserit de ueritate corporis Christi in Eucharistia, si cætera deforent, inde facilè æstimabit Christianus lector, quòd Oecolampadius, hostis ueritatis, non est ausus Athanasium istum bona fide Latinè reddere.*

Mars

MARTYR.

HOc argumento uix puto aliud ullum firmius esse, aut magis inuictum, ex illis, quæ sumũtur è patribus. Si re ipsa ac propriè corpus Christi edendũ sit, Athanasius negat, illud toti orbi posse sufficere. Et ea causa putat, dominũ in 6. Iohannis, cum de hac re ageret, mentionẽ fecisse de Ascensione sua in cœlum, ut discipuli intelligerent, hunc esum omninò spiritualem esse: & carnem domini, quamuis longo locorum spatio à nobis disiuncta sit, tamen mente ac spiritu posse à nobis comedi. Hanc uim, efficaciamq; rationis Inconstantius cum euitandam magis, quàm diluendã uideret, pro more suo aliam interponere uoluit quę stionem, an Oecolampadius, uir religione iuxta, doctrinaq; præstãtissimus, quę dam ad rem uel nihil omninò, uel non ita multùm facientia Latinè rectè reddidit. Illam rixam ego possem optimo iure præterire. Sensus enim huius argumenti etiã sine ea potest satis intelligi. Deinde cuiuis diligenter in rem ipsam intuẽti facilè liquere potest, istũ præter sumũ, ut latere possit, nihil quærere. Tamen operæpretiũ est uidere, quid tandẽ iste notet in Oecolampadio. Græca uerba Athanasij ita citat: καὶ λοιπὸν τλὼ εἰρημένω σάρκα βρῶσιν ἄνωθεν ἐρεῖνον, καὶ πνευματικὴν τροφὴν παρὰ ἄνωθεν δεδόμενον μάθωσι. Hæc ita uertit Oecolampadius: Et posthac discant carnem dictã, cibum cœlestem supernè uenientẽ, & spiritualem alimoniã, quam ipse det. Contra ista Inconstantius cauillatur, dici debuisse, Quam dixit carnem anteà, cibum discãt cœlestem, & spiritualem alimoniã esse ab illo datam. Sed unde tandem probabit iste, ἄνωθεν magis anteà, quàm supernè significare? An Oecolampadius in illa sua uersione negat, carnẽ Christi esse cibũ? Certè fatetur eam alimoniam esse, & ueram, & cœlestem, & spiritualem. Quid ergo hic desiderat Inconstantius? Substantiã illam, quæ data est pro mundo, eandem datũ iri in cibũ, neq; contra nos, neq; contra Oecolampadiũ quicquã facit. Controuersia in eo sita est, quo modo id fiat. Vtrinq; enim confitemur, esse cœlestem, & spiritualem alimoniã. Id ita iste intelligit, quòd sit inuisibilis, & latitet sub accidentibus. Nos autem dicimus, illam alimoniã in cœlo esse, & à nobis non nisi animo, ac spiritu apprehendi. Cum ergo idem sensus eliciat ex uerbis Oecolampadij, quẽ habet uersio Inconstãtij, quid optimũ illum, & doctissimum uirum oportuit ita cãlumniari? Certamẽ est de illis uerbis, Spiritualis alimonia. Iste uult ipsam substãtiam corporis Christi, ore ac dentibus comedi: nos eandẽ dicimus animo tãtùm & fide recipi. Recipere aũt, aut apprehendere in scripturis per metaphoram est comedere. Quæritur, Oecolampadiũ disiunxisse ἐρεῖνον adiectiuũ, ab altero adiectiuo, πνευματικὴν. Quasi ipse quoq; aduerbiũ, ἄνωθεν, quod in Græco sequitur uocem illam βρῶσιν, nõ collocarit alieno loco ante illam. Porrò falsissimum est, quod ait, Oecolampadiũ nõ sensisse, illam eandem carnẽ, quæ data est pro mundo, dari etiã in spiritualem cibũ. Sed iste in eo perpetuò fallit, quòd putat, nos dicere, in cœna comedi tantùm figurã carnis Christi. Id enim nos nõ dicimus. Oremus ueriſſimũ Christi corpus. Non negat Inconstantius, aduerbium illud ἄνωθεν, posse significare supernè: sed hoc loco ita accipi, negat: quòd post illud aduerbiũ, Athanasius posuerit, ἐρεῖνον. Quasi uerò hoc inusitatũ sit apud bonos scriptores, ut, quod erat semel dictũ, ad maiorem euidentiã alijs uerbis repetant. Ita autem male sentit de Oecolampadio, ut putet eum nolle concedere, carnem eã, quam Christus assumpsit ex utero Virginis, quæq; infernè orta est de terra, à nobis comedi. Sed longè semper abfuit Oecolampadius ab hac blasphemia. Cum enim ait, Dictam, non intelligit appellatam, sed commemoratam. Tu uerò, Inconstanti, cum possis ex uerbis eius rectum, & genuinum sensum accipere, cur per aërem uolitans obliqua, & distorta uenaris? Aut cur illi per calumniam affingis

ea, quæ ille nũquam dixerit? Verùm istum hominem nõ multæ literæ, sed nimiæ argutiæ ad insaniam adegerũt. Videt enim sibi per furorem uidere ea, quæ nulla quam, & nulla sunt. Alter locus, quem uellicat, est, Τὸ μὲν δεικνύμενον καὶ δίδόμενον ὑπὲρ τοῦ κόσμου δοθήσεται τροφὴ. Id Oecolampadius ita uertit: Quod quidem ostenditur, occiditur pro mundi uita, dabitur alimonia. Hic Inconstãtius reprehendit, participiũ, δίδόμενον, redditũ esse per uerbũ, occiditur. At quid, obsecro, aliud erat dari pro mundi uita, q̃ occidi? Putat iste, Oecolampadium cauere uoluisse, ne id, quod dabat pro mundi uita, quodq̃ occidebat, uideretur dari in alimoniam. Sed prorsus istę nugacissimæ sunt argutię. Oecolãpadius enim semper fassus est, & scripsit, et docuit, illud idem corpus domini, quod erat occidendũ in cruce, futurũ fuisse nostrã spiritualem alimoniã. Nec zeugmate, inquit, usus est in sua cõuersione. Si quis diligenter inspiciat, inueniet illũ nulla ex parte sensum authoris corrupisse, imò illud ipsum, q̃d Athanasius uoluit, ad unguẽ expressisse.

Tertius locus, quem adhuc uitiatum queritur est, ὡς πνευματικῶς γὰρ ἐκάστῳ δίδοται. Id Oecolampadius ita reddidit: ut illa, uidelicet, alimonia, de qua loquebatur, spiritualiter in unoquoq̃ nostrũ distribuatur. Eam uocem, δίδοται, Inconstantius ait, reddi oportuisse, Digeratur. Fateor equidem uocẽ illam propriè significare, cibum concoctum à natiuo calore per omnes partes corporis distrahi. Quoniam aũt ista significatio non potest conuenire corpori Christi, ut percipitur in sacra communione, idcircò Oecolampadius id accepit, quod erat proximum: & corpus domini, quod nostra causa traditum est in mortem, ait, ex Athanasij sententia in unoquoq̃ nostrum spiritualiter distribui. Re enim uera corpus domini non coquit in uentriculo, nec ita mutatur in substantiam Communicantium, ut per omnes partes corporis illorum possit digeri. Caro enim Christi nihil iam amplius patitur, nec obnoxia est huiusmodi commutationibus. Distributio autem ea, quam scribit, non est eiusmodi, ut putet, Christũ diuidi, sed qua cuique communicantium detur integer, fide, animo, & spiritu percipiendus. Quid tu hic plura requiris, Inconstanti? Profectò si quis tuam uertendi rationem sequi uellet, in mille absurda incideret. Quod ad uerbũ ipsum attinet, sensit Oecolãpadius, illud idem significare, q̃d nos dicimus, tradi, aut porrigi. Ideoq̃ cũ prior significatio retineri non posset, doctè ac piè illã, quæ proxima erat, amplexus est.

Corpus Christi non digeritur in corpora communicantium.

Atqui hoc, inquit Inconstantius, Oecolampadius spectauit, ut externã distributionem excluderet. Quid ni? Absurdissimum enim est, credere, Corpus Christi ita præsens adesse sub accidentibus, ut per omnia ora missatorum, & communicantium transeat. Quare iste actum agit, nisi fortè aliud quippiam habet, quod calumnietur. Hoc est, quod inter nos controuertitur, an re ipsa et substantialiter, corpus Christi cõmunicantibus adsit, & propriè comedatur. Neq̃ iste unquam poterit ostendere, Athanasium aliud sensisse, quàm quod nos dicimus. Quod si Oecolampadius etiam in Hesychio uertit meditationem, ac non potius mediationem, rectè, & prudenter fecit. Illum enim sensum uidit, & Hesychio cõgruere, & cum Augustino conuenire, lib. 3. cap. 16. de Doctrina Christiana.

Sed cum uersemur in Athanasio, nõ est locus pluribus agendi de Hesychio. Athanasius autem inter spiritũ & carnem Christi, hoc est, inter utranq̃ eius naturam, apertissimum discrimen ponit. Negat enim, corpus ipsum, & carnẽ Christi corporaliter, & substantialiter cibum esse oris, ac dentiũ. Non enim potuisset, inquit, nisi paucis admodũ esse satis. Vtq̃ magis etiã intelligamus, quid Athanasius uelit, scire debemus, illũ nõ cõfugisse, ut isti solent, ad miracula, ut diceret, Christũ potuisse multiplicare, atq̃ augere carnẽ suã, ut satis esset omnibus, quẽadmodum pauculos illos panes multiplicauit, atq̃ auxit in deserto ut sufficerent multis millibus. Hoc, inquã, Athanasius nõ dicit; tm̃ affirmat, manducationẽ illã spiri-

ſpiritualem eſſe. Citat enim ea uerba ex ſexto capite Iohannis, quę dominus pronuntiauerat longè antequam inſtituiſſet ſacramentum Euchariſtię: ut neceſſe ſit, fateri, Chriſtum eo tempore tantùm de ſpirituali eſu diſputaſſe. Ad eam autem poſtremò in ultima Cœna adiecit externa ſymbola. Idcircò autem mentionem fecit Aſcenſionis ſuæ, ut intelligeretur, manducationem illam omninò eſſe ſpiritualem.

Hunc ſenſum ita facilem, planum, perſpicuum, Inconſtantius ad hunc modum conatur peruertere: ideò enim, inquit, ſermonem interpoſitum fuiſſe de Aſcenſione, ut diſcipuli intelligerent, Carnem illam Chriſti, quæ eſſet manducanda ad uitam, non eſſe puri hominis, ſed etiam ueri dei, eſſeq; eam diuinam, & ſpiritualem: non quidem, quòd eſſet conuertenda in ſpiritum, ſed quòd alijs ornanda eſſet dotibus, quàm mortalis ſolet, iuxta quas dotes poſſet dici ſpiritus. Ideoq; illum uoluiſſe concludere, talem carnem ſufficere poſſe orbi uniuerſo, utq; iſte ſomniat, ab omnibus comedi inuiſibiliter. Atq; huc conatur trahere dictum illud Auguſtini, Non hoc corpus, quod uidetis, comeſturi eſtis. At Auguſtinus, quod negari non poteſt, refert ea ad corporalem manducationem, neq; de accidentibus aut dotibus corporis loquitur, ſed de ſubſtãtia: quę ſi de manducatione oris ac dentium loqui uolumus, non poteſt ullo pacto comedi: ſpiritu tamen, & fide ſalutariter recipitur.

Sed ut ad Athanaſium redeam, ille ait, Chriſtum idcircò mentionem feciſſe Aſcẽſionis ſuæ, ut diſcipulos à corporali cogitatione auelleret. At ab ea illi certè non auelluntur, qui putant, corpus Chriſti latere ſubſtantialiter ſub accidentibus panis & uini, & ingredi in ora ipſa hominum, & lingua, & dentibus attingi, atq; atteri. Hæc enim quis non uideat, ad carnales cogitationes pertinere? Addit, corpus Chriſti ſpiritualiter cuiq; noſtrum dari, porrigi, aut diſtribui. At iuxta iſtorum ſententiam daretur corporaliter: niſi forte, quod certè faciunt, uelint illud, ſpiritualiter, eſſe clam, & occultè, nimirùm ſub accidentibus. Quam ſuam interpretationem ſi aut è ſcripturis, aut è Patribus nacti eſſent, nunquam clamandi, & nobis inſultandi finem facerent. Sed ſpiritualiter manducare, eſt fide apprehendere, & ipſum Chriſti corpus, per gratiam, per dona, per ſpiritum in ſe habere præſens. Hęc illa eſt ſpiritualis preſentia, qua dominus ipſe in nobis manet, & nos uiciſsim in domino. Ad quam ſecum ſpiritualem cõiunctionem Chriſtus in ſexto Iohannis nos inuitat.

OBIECTVM CLXXXI.

OBIICITVR ex Emiſſeno De Conſecrat. diſ. 2. Is quo in loco uidetur ſtatuere mutationem ſymbolorum, in eodem inculcat mutationem noſtri in Chriſtum. Cum autem in iſta mutatione hominum non tollatur humana ſubſtantia, ne in panis quidem mutatione tolli debet ſubſtantia panis.

GARDINERVS.

INTEGER *Emiſſeni locus perſpectus facilè indicabit, quàm ſine cauſa nominetur à ueritatis hoſtibus.*

QVòd Inconstantius integrum locum Emisseni huc transferre uoluerit, pro eo, quanti ueritatem facio, laudo. Imò si ille id non fecisset, eram ipse ultro facturus. Ex loco enim integro Lector multò plura inueniet, quæ pro nobis faciãt, quàm ex Obiectione. Sic ergo habet Emissenus: Et ideò, quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Bene habet. Propter absentiam, inquit, corporis Christi iam in cœlum sublati, oportuit dominum sacramentũ corporis & sanguinis sui instituere. Nos quoq; dicimus, Sacramentum nobis loco esse corporis Christi: quò eius corporis pro nobis oblati memoria renouetur, utq; pretium oblatum pro nobis semel, perpetuò colamus per mysterium. Non enim rectè agitur in Cœna domini, nisi ubi Christus pro nobis in crucem oblatus adoratur, & colitur. Neq; uerò hoc nobis dissimulandum est, Emissenum non scribere, mysterium ipsum, aut sacramentum colendum, aut adorandum esse: sed pretium ait redemptionis nostræ colẽdum esse per mysterium: quemadmodum dicere solemus, per recitationem sacrarum concionum deum ipsum à fidelibus coli, & adorari. Ex illis autem uerbis Emissenj nulla euincitur corporis Christi realis, & substantialis præsentia. Cum enim percipimus Eucharistiam, eũdem illum Christum colimus, à quo redempti sumus. At figura, inquit, Inconstantius, non colitur. Quis neget? Neq; enim nos panem adoramus, sed ad pretium nostrum, hoc est, ad Christum ipsum cultum, & adorationem nostram conuertimus.

Sequitur in Emisseno: Vt quia indefessa currebat pro hominis salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio: & perennis illa uictima uiueret in memoria. Per oblationẽ redemptionis nihil aliud intelligit, quàm gratiarum actionem, quam de redemptione sua communicantes faciũt, & religiosam commemorationem. Hoc ergo sensit Emissenus, quemadmodum redemptio perpetuum erga nos effectum habet: ita nos uicissim debere deo nostro perpetuam offerre gratiarum actionem, & commemorationem tanti beneficij. Ille enim satis perspicuè se ipsum interpretatur, cum addat, Vt perennis illa uictima uiueret in memoria. Pergit Emissenus: Ac semper præsens esset in gratia uerè unica, & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie: nec exteriori censenda uisu hominis, sed interioris affectu. Vnde meritò cœlestis confirmat authoritas, quia caro mea uerè est cibus: & sanguis meus uerè est potus. Hæc, inquit Inconstantius, non possunt dici de figura. Quis dubitet? Nos quoque ista referimus ad Christum ipsum, & ad corpus eius pro nobis oblatum. Quam uictimam Emissenus ait uiuere in memoria nostra, & præsentem esse per gratiam: non ait, realiter, aut substantialiter, sed per gratiam: hoc est, donis, & effectis, quæ nobis ritè cõmunicantibus Christus per gratiam confert. In his uerbis iste noster longè fallitur. Putat enim Christum dici præsentem per gratiam, quòd non adsit in mysterio per modum naturę, sed per modum mysterij. Sed si quęras, quis ille tandem sit modus mysterij, respondebit, inuisibiliter, & sub accidentibus: quod non modò nõ Emissenus, sed prorsus nullus ex omnibus Patribus unquam dixit.

Pergit in errore, aitq;, idcircò additum esse, eam æstimandam esse fide non specie, ne uidelicet, id nos conturbet, quod species corporis non appareat. Verũ non eò respexit Emissenus. De ipsa enim carne Christi, & uictima pro nobis oblata loquitur. Et illam ipsam ait, non esse è specie æstimandam. Nam communicando contemplamur corpus ipsum Christi pro nobis affixum cruci, & mortuũ, & illius mortis memoriam celebramus. Hæc hostia, inquit, iuxta hanc speciem non

non est æstimanda. Nam infideles quoq; fatentur, Christum mortuum esse. Est ergo æstimanda fide, qua scimus, carnem illam diuino supposito fuisse sustentatam, & fuisse carnem filij dei, non autem puri, aut nudi hominis; & idcirco potuisse esse nostrum pretium. Atque hæc de carne Christi, hoc est, de re ipsa Sacramenti, intelligenda esse, Emissenus ipse ostendit. Citat enim uerba illa Christi è 6. ca. Iohannis: Caro mea uerè est cibus: & sanguis meus uerè est potus. Non ergo de mysterio, aut Sacramento, aut externo elemento ista loquitur, sed de re ipsa significata.

Posteà ad externum Sacramentum se conuertit, & subijcit: Recedat ergo omnis infidelitatis ambiguum: quandoquidem, qui author est muneris, ipse est testis ueritatis. Nam inuisibilis sacerdos uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui uerbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite, & comedite: Hoc est corpus meũ: & sanctificatione repetita, Accipite, bibite: Hic est sanguis meus. Nunc, quod attinet ad ea, quæ iam statuerat, ita cõcludit. Removeatur omnis, inquit, ambiguitas: nam carnem domini uerum esse cibum, ille ipse testatus est, qui illam dedit. Si quæras de testimonio, id duplex est: Alterum, quod uerbis cõtinetur, quæ citata sunt ex 6. capite Iohannis: alterum est Sacramentum, quod institutum est à domino, tanquam uerborũ illorũ sigillum, & obsignatio: de quo ita loquitur: Inuisibilem sacerdotem creaturas uisibiles in substantiam corporis & sanguinis sui uerbo suo secreta potestate conuertisse, cũ diceret, Hoc est corpus meum. In his uerbis maior est hyperbole, q̃ in aliorum patrum dictis unquam uiderim. Et, quod ad me attinet, ego illam non recipio: magis enim in ijs rebus ad ueritatem, quàm ad amplificationem loquendũ censeo. Potest tamen Emissenus aliquo modo excusari, quòd istam conuersionem symbolorum, quam tantoperè exornat, posteà confert cũ ea, qua homines ait per nouam generationem in filios dei & in Christũ ipsum transire. Dico ergo, Si hæc recipienda sint, creaturas conuerti in substantiã corporis & sanguinis Christi, nihil esse aliud, quàm ex illis fieri Sacramentum substantiæ corporis & sanguinis Christi. Nec sanè fidem nostram minus in Baptismo constantem esse oportet, quàm in Eucharistia. In eo aũt & teste, & authore Christo noua generatio credenda proponitur: quæ res magna omninò est, & admirabilis. Per eam enim, ut ait Emissenus, nos ipsi mutamur in Christum ipsum. Iam uerò si hæc mutatio in Baptismo testis esse debet illius mutationis Eucharisticę, & nobis de ea firmã, plenamq; fidem facere, eam omninò oportet aut maiorem, aut certè parem esse. A minori enim affirmando non ducitur ualidum argumentum. Multi enim, qui minoris mutationis authores esse possunt, maioris non possunt.

Emissenus ergo sacramentalem istam conuersionem probat duobus modis: Primùm, ab illa mutatione, qua deus optimus maximus res uniuersas condidit. Ergo, inquit, ut ad nutum præcipientis domini repentè ex nihilo steterunt celsa cœlorum, profunda fluminum, uasta terrarum, ita parem potentiam in spiritualibus Sacramentis uerbi prębet uirtus, & rei seruit effectus. Quãta ergo, & quàm celebranda officia uis diuinę benedictionis operatur? Hoc est primũ argumentum, Eandem esse uim, & potentiam, qua hodiè fit illa sacramentalis conuersio, quæ fuit, qua deus iam inde ab initio cuncta creauit. Mutatio autem illa creationis citra controuersiã aut par, aut maior erat, quàm est ea, quàm Papistæ statuũt in Eucharistia. Alterum argumentum ducit à mutatione nostri. Ita enim subijcit: Et quomodò tibi nouum, uel impossibile uideri non debeat, quòd in Christi substantiam terrena, & mortalia cõmutantur, te ipsum, qui iam in Christo es renatus, interroga. Dudum alienus in uita, peregrinus à misericordia, à salutis uia intrinsecus mortuus exulabas. Subitò initiatus Christi Legibus, & salutaribus

„ mysterijs innouatus, in corpus Ecclesiæ, non uidendo, sed credendo transisti: &
„ de filio perditionis adoptiuus dei fieri occulta puritate meruisti, in mensura uisi-
„ bili permanens, maior factus es teipso inuisibiliter sine quantitatis augmento, cū
„ idem, atq; ipse esses, multò alter fieri fidei processibus meruisti. In exteriori nihil
„ additum est: & totum in interiori mutatū est, ac sic homo Christi filius effectus,
„ & Christus in hominis mente formatus. Cum ergo ista hominis mutatio ab
Emisseno conferatur cum mutatione Sacramentorum, utrinq; par seruanda est
ratio, quemadmodum in Obiectione ponebat. Nam si maior esset mutatio sym-
bolorum, quàm est illa nostri, nulla esset uis argumenti. Id Inconstantius cum
„ non attenderet, addidit, mutationem illam hominis interius tantùm peragi, ni-
„ mirùm, in solis qualitatibus: ne uerè efficiamur dij, nec amplius simus homines:
„ in pane autem, & uino non posse esse mutationē in qualitatibus, ne corpus Chri
„ sti uideatur accedere, tanquam qualitas, quod Emissenus definit adesse substan-
„ tia. Verùm, si ita res haberet, mutatio nostri ne par quidem esset, multò minus
maior, quàm est conuersio panis & uini. Imò etiam longè minor esset. Est enim
tantùm, inquit, in qualitatibus. Sed cur non etiam in substantia? Ne, inquit, re ue
ra efficiamur dij, & homines esse desinamus. Rectè. At cur panem & uinum uis
mutari substantia? Partim, inquis, quia Emissenus hoc dicit: partim etiam, quia si
mutatio illa esset in qualitatibus, corpus Christi uideretur accedere ut qualitas.
Atqui hoc non est absurdum, conditionem seu proprietatem sacramentalem,
aut mysticam accedere, qua panis & uinum dicantur Sacramenta substantię cor
poris & sanguinis domini. Et Emissenum non aliter esse intelligendum, ipse sa-
tis ostendit, cum sacramentalis istius mutationis rationem, & similitudinem du-
cat à mutatione nostri: quæ, si aut minor illa aut dispar sit, plena, ut dixi, fide, nihil
probabit. Quare aut uerba Emisseni mitiganda sunt, ut lenius exponantur,
quàm sonant, aut similitudo illa, qua utitur, erit inutilis. Et sanè Emissenum sa-
nius sensisse, quàm loquutus sit, uel id ipsum satis magno argumento esse potest,
quòd statim illam similitudinem subiecerit. Quemadmodum autem mutatio-
nem nostri in Christū exaggeret, uerba illa declarant: In exteriori nihil additum
est: & totum in interiori mutatum est: & sic homo dei filius effectus, & Christus
in hominis mente formatus est. Ad eundem modum dicere possumus, ad pa-
nem & uinum exterius nihil esse additum: tamen illa eò iam euecta esse, ut effe-
cta sint idonea instrumenta spiritus sancti, per quæ ille nos reformet, atque in-
stauret. Quæ mutatio etsi magna est, & singularis, tamen certè minor est, quàm
ea, qua nos prorsus transformamur in Christum. Idq; ad institutum Emisseni ap
positissimum est.

„ Sed uideamus iam, quid sequatur. Sicut ergo, inquit Emissenus, sine corpo-
„ rali sensu præterita utilitate deposita subitò nouam indutus es dignitatem: & sicut
„ hæc, quæ in te deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, nec oculis, nec
„ sensibus sunt credita: ita cū reuerendū altare cibis spiritualibus satiandus ascen-
„ dis, sacrum dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente con-
„ tinge, cordis manu, & maximè haustu interiori suscipe. Hæc uerba omnia dili
gentissimè annotanda sunt. Spiritualem enim manducationem appositissime, et
clarissimè indicāt. Cum ascendis, inquit, ad mensam domini, quā usitata apud
patres metaphora, appellat altare, ut satieris cibis, non quidem illis uisibilibus (nā
quod ore, ac sensu recipis, admodum parum est, nec ibi uentris satietas quęrit) ue-
rùm carne & sanguine Christi, quibus animo, & spiritu satieris, sacrū dei tui cor-
pus & sanguinē respice, nō, ut isti superstitiosē, ne dicam portentosē credi uolūt,
sub accidētibus panis & uini latitātia, sed fide, quatenùs, uidelicet, illa pro salute
nostra olim oblata sunt in mortē. Ea enim demū est syncera fides, qua tantū Re-
demptorem

demptorẽ admiramur, honoramus, mente cõtingimus. Quod ut ore, ac dẽtibus præstemus, nõ potest ullo modo fieri. Primũ em̃ distãtia locorũ impedit: deinde beati illius corporis natura id non patitur: postremò eiusmodi contactus nullam cuiquam afferret utilitatem. Quid ergo? Nullóne pacto pertingere possumus ad corpus Christi? Maximè. Cordis, inquit, manu suscipe. Ore quidem panem comedis, & uinum bibis. At cordis manu suscipis corpus ipsum domini tui: & hausto interiori sanguinem eius bibis. Quid istis præclarius, quid apertius, quid pro ueritate dilucidius dici potest? Si symbola Eucharistiæ, uti dicere uidebatur Emissenus, re ipsa in substantiam corporis & sanguinis domini conuersa essent, corpore illa nostro contingeremus, corporis manu suscíperemus, oris ipsius hausto sumeremus. Atqui ista omnia Emissenus prudentissimè ad animum, cor & fidem transtulit: ut manducatio ueri corporis Christi omninò spiritualis intelligatur: quamuis typicè externo esu significetur.

Quid ad ista Inconstantius? Primùm ait, nullam intelligi posse satietatem in figura. Quasi uerò nos dicamus, à buccella panis, aut guttula uini expectandam esse satietatem. Imò potius Communicantes ad significata relegamus, illosq; ex uero Christi corpore, ueroq; eius sanguine pollicemur satiandos. Addit Inconstãtius, Si figura tantùm esset in pane, nihil ibi loci fore admirationi: Emissenum tamen nos ad mirandum corpus domini adhortari. Sed non considerat, admirationem ad rem ipsam significatam referri, non ad elementum. Neq; uerò quod ad elementum attinet, leuis est diuinorum sacramentorum excellentia. Aptissima enim illa analogia significationum, iucunditate quadam sua, & admiratione diuinæ sapientiæ, quæ in illa relucet, non caret. Nõ enim sacramenta sunt, ut iste perpetuò impudentissimo ore conuitiatur, nudæ tantùm figuræ: quemadmodũ aliàs docuimus. Huc addit Hieremiæ prophetæ dictum, quod suprà interpretati sumus: Mittamus lignum in panem eius. Addit etiam panes Propositionis, & Agnum Paschalem fuisse figuras Christi: in quibus tamen nihil fuerit admirationis. At ego respondeo: Negari non posse, summam in illis fuisse admirationem, si quis res ipsas significatas spectare uoluisset. Et quòd ad sacramenta ipsa, & ritus externos attinet, magnam fuisse illorum uenerationem, apparet ex eo, quòd Dauid toties prædicat mirabilia de Lege dei. Quis enim sanus unquã negauerit, sacrum dei Tabernaculum fuisse admirabile? Quis unquam dixisset, se illas analogias uictimarum plenè, perfectéq; intelligere? Imò in Deuteronomio Lex ipsa, & ceremoniæ Mosaicæ dicuntur sapientia Iudæorum, quę futura esset admirationi omnibus nationibus. Apage, Inconstanti, cum istis tuis frigidissimis commentis, & ineptijs. Si ista, ut tu dicis, nihil habuerunt admirationis, tu prodi in medium, & illorum arcana nobis resera, expone, explica: deinde iacta sanè, nihil in illis fuisse admirabile. Nemo, mihi crede, sapiens libros illos Mosaicos attente legit, qui non omnia illa mysteria Veteris populi uehementer admiretur. Verùm iste præter unam Transubstantiationem nihil mirari potest. Sacra uerò scriptura in Eucharistia nihil unquam posuit admirationis: Patres autẽ interdum ponunt. Sed id Hebræi quoq; interpretes sæpè faciunt, quoties Legis suæ ceremonias illustrare, atq; amplificare uolunt. Sed ignoscendum est Inconstantio, si Hebræorum scriptores non intelligat.

Sacra scriptura in Eucharistia nil posuit admirationis. Patres aliqui posuerunt, aliqui minimè.

Posteà nos grauiter accusat, quòd adorationem reuocemus à symbolis, & ad Christum potius ipsum traducamus. Et nobis opponit Emissenum, qui ita scribat: Respice fide corpus dei tui: honora: mirare. Quæ uerba, uti diximus, nihil aliud uolũt, quàm attẽtè spectãda esse symbola ea fide, quã per illa spiritus sãctus excitauit: dũ nobis corpus ipsum, et sanguinẽ domini efficaciter referũt, ad quæ nostram admirationem, cultum, & honorem transferamus. Neq; enim Emisse-

„ nus unquam dixit, aut sacramentum, aut symbola esse adoranda. Nec ita scribit,
„ quomodò illum scribere uult Inconstantius, Fide respice corpus dei tui delite-
„ scẽs sub symbolis. Neq; addit, Etiam si sensibus nihil huiusmodi uideatur: quod
„ tamen in homine baptizato addidit: ait enim eum mutatum esse, quamuis exte-
„ rius nihil mutationis appareat. Non ita hic tamen habẽt Emisseni uerba: ut qui-
uis attentè legens facilè uidere potest.

Posteà uerò ex uerbis Emisseni miraculum in Eucharistia grande, scilicet, uult stature: oblitus, uidelicet, Patres in Baptismo quoq; iubere nos sępè dei uim, & potentiam admirari. Quare nisi sacramentalem dignitatem uideri uelit mira-culum, nos in Eucharistia miraculum non agnoscimus. Quodcunq; autem dicat huiusmodi miraculum, illud ad Baptismum quoq; transferri potest. Ait postre-„ mò, Emissenum, cum dicat, Mente contínge, cordis manu, & hausta interiori „ suscipe, non excludere corporis officia. Sed quæ, obsecro te, Inconstanti, officia corporis nostri pertinere possunt ad carnem Christi? Tangitúrne ea nostro cor-pore? tenetúrne manu nostra? sorbetúrne hausta oris nostri? transmittitúrne po-stremò in uentriculum nostrum? Portenta ista sunt, & hominis mente moti, & fu-rentis insomnia. Nos quidem à sacra Cœna corporis officia non repellimus. Nã ore, dentibus, palato comedimus panem, & uinum bibimus: quæ, cum sint sacra menta, mentem, & fidem nostram excitant, ut carnem ipsam, & sanguinem do-mini spiritualiter complectamur. Quæ cum longissima distantia à nobis absint, corporis nostri officia ab illis necesse est excludi.

OBIECTVM CLXXXII.

OBIICITVR ex Didymo de spiritu sancto. Ipse, inquit, spiritus sanctus si una de creaturis esset, saltẽ circumscriptam haberet substantiam, sicut uniuersa, quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem san ctus, cum in pluribus locis sit, non habet circumscriptam sub stantiam. Et paulò post: Si ergo hi Apostoli in extremis fini bus terræ ob testimonium domini constituti distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiã, demonstratur Angelica uirtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe, qui aderat, uerbi gratia, Apostolo in Asia oranti, nõ poterat si-mul eodemq; tempore adesse alijs in cæteris partibus consti tutis. Spiritus autem sanctus non solum seiunctis à se homi-nibus præsto est, sed & singulis quibusq; Angelis, principa tibus, thronis, dominationibus inhabitator assistit: &, ut ho mines sanctificans, alterius, quàm homines, est naturæ. Simi lia habet Basilius quoq; de spiritu sancto cap. 22. Proinde, in quit, de spiritu, quem mundus capere nõ potest. Ex his pro-batur diuinitas spiritus sancti, quòd simul in locis diuersis-simis inueniatur. Quòd si eadem dicantur de corpore Chri sti, sequetur creaturam corporis esse diuinitatem.

GAR.

GARDINERVS.

QVICQVID *est in multis locis conditione naturæ suæ, deus est: quod autem uirtute dei, non item.*

MARTYR.

INconstantius, ut hoc argumentum, quod re uera firmissimum est, dissoluat, multa quidem dicit, sed paucis: & illis omnibus nihil promouet. Primùm hoc fatetur, quicquid ui naturæ suæ est simul in multis locis, id esse deum: quod autem id habeat non sua ui, sed uirtute dei, non esse deum. Verùm hoc pacto ratio illa, qua patres Catholici usi sunt aduersus Hæreticos, infirmat. Posset enim quispiam respondere Didymo, & Basilio, Spiritum sanctũ, non ui, & natura sua fuisse in multis locis, sed uirtute dei, & idcircò esse creaturam. Itaque patres illã propositionem simpliciter sine ulla exceptione extulerunt: Quod aut in multis locis, aut ubique sit eodem tempore, id esse Deum. Quare Inconstantius addit, Esse in multis locis eodem tempore, non esse essentiam dei: cum illi nihil sit commune cum loco. Illud tamen fatetur diuinæ esse immensitatis, ubiq; esse natura. Sed hæc inania tantùm esse perfugia, non est difficile uidere. Illud enim uelim, mihi respondeat, an immensitatem dei uelit ab eius essentia distingui. Si hoc dicat, deum nobis non simplicem faciet, sed compositum, ex essentia nimirùm & immensitate. Fateor equidem, aliquam istarum rerum distinctionem iuxta infirmas hominum notiones fingi in deo, cum re uera in eo esse non possint, nisi eum uelimus esse compositum. Quòd si ista in deo re ipsa non distinguuntur, cur nobis nunc istam rixam mouet Inconstantius? Deum quidem non esse circumscriptum loco, ut eo, quemadmodum corpora solent, finiatur, fateor: at cum nihil habere commune cum loco, pernego. Sua enim immensitate implet omnia loca. Quare si fatearis, Deum propter immensitatem suã ubiq; esse, dic mihi, quid tibi per illud aduerbium, Vbique, uelis. Nisi enim ego fallor, Vbique esse, significat in omnibus locis esse.

Deus non circumscribitur loco, et tamen est in omni loco.

Posteà ait, Deum bonitatem, & potentiã suam communicare creaturis. Idq; & receptum esse, & à domino ipso affirmari, Neminem esse bonum, nisi solum deum. Admittenda est ergo, inquit, ista distinctio: Deum esse bonum per essentiam: alia autẽ dei uirtute, & participatione. Quid tum posteà? Nos enim etiam ista dicimus. Sed affirmamus præterea cum Didymo & Basilio, illam proprietatem, simul esse in multis locis, nulli creaturę à deo esse communicatam. Quemadmodum ergo deus bonitatem, & potentiam aliquã largitus est creaturis, sum mam autem bonitatem, & omnipotentiam nulli: ita etiam dedit creaturis alicubi esse: multis autem in locis, aut ubiq; simul esse, sibi soli reseruauit. Hoc sibi Basilius, & Didymus uoluerunt.

Nulli creaturæ communicatur ut simul sit in multis locis.

Sed affert etiam aliud quiddam, ut ipse sibi persuadet, ualde acutum. Scriptura dicit, Spiritus uiuificat. Ergo, inquit, statuat illud, Quicquid uiuificat, esse spiritum. Et assumatur, Caro Christi uiuificat: quod uerum est: Concludatur ergo, Carnem Christi esse spiritum: quod falsum est. Sed adest in promptu distinctio uiuificandi: uidelicet, Spiritum uiuificare natura sua: quia in ipso uiuimus, mouemur, & sumus: & carnem etiam uiuificare uirtute spiritus, cui unitur. Adeò, inquit, perpetuò obtinet hæc distinctio, ut uirtus à natura distinguat. Verùm quod Christus ait in sexto Iohannis, carnem suam uiuificare, id non est ita accipiendum, quasi ea simpliciter uiuificet. Eatenus enim tantùm ea uiuificat, quatenus creditur data in pretium, & à deo recepta pro satisfactione humani generis. Neq; simile illud congruit. Damus quidem spiritum uiuificare: id enim scriptu-

Caro non uiuificat simpliciter.

ræ dicunt. Sed nihil uiuificare, quod non sit spiritus, id scripturæ certè non dicunt. At Basilius, & Didymus dixerunt simpliciter, nullam esse rem creatã, quę posit simul esse in multis locis. Facilè uidere potuisset Inconstantius, Deum quasdam quidẽ naturæ suæ proprietates rebus creatis cõmunicare: quasdam aũt sibi uni retinere. Quòd si credit nullam esse conditionem dei, cuius res creatæ non sint participes, ostendat nobis creaturas, quę sint omninò simplices, ut deus est: quæ careant omnibus accidentibus: quæ uerbo faciant, quæcũq; uolunt: quæ consilio, aut regula non egeant. Quod si hæc ostendere non potest in creaturis, fateatur, deum non omnia, quæ ipsi propria sint, illis communicasse. Et consideret, istos patres, inter illas conditiones etiam hoc numerasse, de quo nũc agimus: nulli rei creatæ attribui posse, ut simul sit in multis locis.

Deus non communicauit creaturæ omnes suas proprietates

,, Ad extremum eò confugit, ut neget, illud argumentum firmum esse, quo pa
,, tres isti uoluerunt, ut ostenderent, Spiritum sanctum esse deum, quòd uno eo-
,, demq; tempore fuerit in multis locis: nisi particula illa, Vi naturæ suæ, adiiciat.
At ego hoc primùm respondeo: neq; Didymum, neq; Basilíũ hoc, quod iste fingit omninò addendum esse, addidisse. Deinde addo, illam clausulam, si addatur, debilitare, & frangere uim argumenti. Hæretici enim potuissent facillimè regerere, Spiritũ sanctum, non ui naturæ suæ, sed uoluntate dei præsentem fuisse eodem tempore in diuersis locis: atq; idcircò esse creaturam. Quòd autẽ Inconstantius addit, blasphemum esse, uelle dei uirtutem contrahere in terminos, & il
,, li regiones describere, iam sæpè responsum est, nostra sententia diuinæ potestati
nihil detrahi. Sunt enim res, quæ sua natura fieri non possint, sine ullo uitio diui-
næ potentiæ. Dicat hoc mihi Inconstãtius, Cur hic statuat, nullam creaturam ui naturæ suæ posse esse simul in multis locis. An deus id sua ui, & potestate efficere non potest, ut id rei alicui creatæ sua natura conueniat? Si dicat, id pugnare cum natura rerum, idem sibi responsum putet, & à nobis, & à Didymo, & à Basilio, pugnare cum natura rerum creatarum, ut simul sint in multis locis. Hoc autem scire, & meminisse debes, pie Lector, hoc argumentum nunquam hactenus ab istis dilui potuisse, nisi aut authoritate Patrum illorum, aut ratione, quam illi attulerunt, debilitata.

OBIECTVM CLXXXIII.

OBIICITVR ex Hilario. Corpus, inquit, Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & uinum extra uidentur: Veritas autem dum corpus & sanguis Christi in ueritate interius creditur. Hinc apparet, panem & uinum extra uideri, & ideò manere.

GARDINERVS.

LVRES *fuisse Hilarios, constat: ut in temporis supputatione ab hoc argutatore erratum esse, minus sit mirum, ut illi ætatis sæculum addiderit, quem anno Domini 465. fuisse constat.*

MARTYR.

PRimùm contendit erratũ esse de Hilario. Istum enim, qui hic citatur nõ fuisse Episcopum Pictauiensem: neq; ab authore huius Obiectionis suo ordine esse positum. Sed hoc quicquid est, leue & nugatorium est. Nec enim instituimus certamen, quis iste Hilarius fuerit, aut quo tempore, aut ætate uixerit. Hoc

Hoc solùm agimus, & contendimus, quorumcũq; hominum, aut temporum fuerit, illum à nostra sententia apertè stare. Verba eius, quæ hic citantur, habentur de Consecra. dis. 2. Ca. Corpus: in Decretis Gratiani. Sed Inconstantius putat, non rectè colligi, Si panis & uinum exterius uideantur, idcircò illorum substantias remanere. Accidentia enim, quæ sunt externa, & uidentur, non esse immutata, sed remanere: & omninò de obiectis sensuum nihil esse imminutum. Substantias autem solas discessisse: quæ ne tum quidem, cum adessent, uidebantur. Verùm pondus argumenti non est situm in eo, quod iste refert: Panis & uinum foris apparent, & uidentur: ergo manent: sed in eo potius, quod statim occurrit in ipsa fronte uerborum: Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est. Huc, Inconstanti, huc, inquam, spectãdum erat. Loquitur Hilarius de sacramento, de symbolis, de eo quod ore sumitur: idq; ait figuram esse. Non autem agit de illorũ uerborum significato: non de eo, quod animo, fide, ac spiritu percipimus: sed de eo, quod de mensa domini, quod uocat altare, sumitur. Id, inquam, ait figuram esse: interim tamen idem appellat corpus domini. Cur ad hoc potius non respondes? Hilarius, cum dixisset, corpus Christi, quod sumimus de altari, figuram esse, statim aperit, quænam illæ res sint, quæ adumbrent nobis corpus & sanguinem Christi. Sunt, inquit, panis & uinum, quæ uidentur. Sensus probat, sensus arguit, atq; indicat, panem esse & uinum. Deinde, cum satis dixisset de figura, exponit etiam, quidnam illud sit, quod ea figura significat, non falsò, aut leuiter, sed uerè, atq; expressè. Non enim ea falsa figura est, aut quæ nobis inanes fictiones referat. Nam id quod significatur, & uerissimum est, & efficacissima ratione significatur. Idcircò Hilarius statim subiecit: Veritas autem dum corpus & sanguis Christi in ueritate interius creditur. Quorum uerborũ hic sensus est: Quando sumimus ab altari corpus Christi, quod est figura, Veritatem ipsam, quæ figuræ respondet, per antithesin, sumimus interius, non ore corporis nostri, sed mente, spiritu, & fide: dum corpus Christi, & sanguinẽ in ueritate, hoc est, uerè, atq; ex animo, non autem fictè, ac simulatè credimus. Quid hac sententia potest esse apertius? Ab altari sumimus figuram, hoc est, panem & uinum. Ipsa autem ueritas interius creditur, uidelicet, aut animo, qui in nobis multò est interior, quã os corporis: aut ipsa figura, quæ oculis nostris obijcitur, interius, id est, interiori sensu significatur. Volui hanc sententiam paulò fusius explicare, ut ostenderem ab ea quàm procul absint commenta Inconstantij.

Nunc explicata ueritate, accedo ad eius cauillos. Primùm arguit nos ex hoc loco, quod probare uelimus, sacramentum in usu consistere. Id nos cõtendimus maximè aduersus eos, qui Crustulum reseruant, aut circungestant, aut in cistulis reconditum adorant. Neq; sanè sine ratione ista tradimus. Christus enim dixit, Accipite, & manducate: Accipite, & bibite: non autem, Accipite, reponite, reseruate, quod etiam Origenes obseruauit. Et quid, quæso, contra nos scribit Hilarius? De altari, inquit, sumitur. Quid? an tu putabas, ex pistrino, aut tonstrina dicturum? Quòd autem Mensam domini appellauit altare, in eo sequutus est consuetudinem aliorum Patrum. Nemo nostrum hodiè aliter sumit Eucharistiã, quàm porrigente ministro, idq; de mensa domini. Satis ergo apparet, quàm iste sine ulla ratione hoc loco nobis litem moueat.

Addit, Hilariũ notare, figuram sitam esse in elementis, quatenùs sunt nobis uerba uisibilia: Veritatem autem, dum creditur idem corpus in ueritate. Vocem illam, Idem, iste adiecit de suo. Neq; enim re uera idẽ est corpus, quod creditur, & quod de altari sumitur. Neq; ait Hilarius, in eo, quod sumitur ex altari, figurã esse, ut iste interpretatur. Sed apertè ait, illud corpus, quod de altari sumitur, esse figuram. Re enim uera totum id, quod sumitur, externo corporis ore, figura est.

Corpus quod creditur, & quod sumitur de altari, non est idem.

Quod idcircò moneo te, pie Lector, ut conſideres, Hilarium non dicere, in illa figura eſſe realiter, aut ſubſtantialiter corpus Chriſti: quod iſti præſtigiatores di
„ cunt. Addit, Sententiam noſtram aliquid coloris habere potuiſſe, niſi duo illa
„ uerba adiecta fuiſſent ab Hilario, Interius, & in ueritate. Nam Interius, putat idē eſſe, quod ſub accidentibus: &, in ueritate, idem, quod adeſſe reali præſentia. At, uti diximus, illud, In ueritate, fictæ, & ſimulatæ fidei, & falſæ ſignificationi opponitur. Interius autem, animum noſtrum ſpectat, per antitheſin ad os exterius: aut opponitur figuræ, quæ, ſi craſsius à nobis conſideretur, nihil aliud, quàm panem & uinum, quæ ibi re uera ſunt, indicat. Eadem autem altius ex ſententia domini cogitata, corpus & ſanguinem Chriſti animo noſtro per fidem credenda, atq; apprehendenda proponit. Fides ergo eſt, quæ ſacramentum interius conſiderat, illudq; ad ſignificatum ſuum transfert, quod eſt corpus & ſanguis domini.

„ Poſtremò iſte Sardonico prorſus riſu inſultat ueritati. Non enim, inquit, Hi„ larius ita ſcribit: Crede, corpus Chriſti in cœlo eſſe, quod nemo fidelis non cre„ dit. Sed, Crede, inquit, interius: & interius, inquit, in ueritate. Veritatem autem myſterij putat eſſe ipſum corpus Chriſti ſubſtantialiter, & realiter præſens. Deinde exaggerat internam illam myſteriorum ueritatem: quæ, ut dixi, nihil aliud eſt, quàm efficax ſymbolorum ſignificatio. Meminiſſe autem hic debemus uſitatæ illius loquutionis, qua dicere ſolemus, uictimas illas, quæ in Lege cædebantur, & figuras quaſdam fuiſſe, & re ipſa bruta animantia: eaſdem uerò interius, ſiue altius cogitatas fuiſſe Chriſtum, quem pij pro ſe aliquando occidendum, & mactandum ſyncerè, & in ueritate crediderunt. Non monet quidem Hilarius, ut credamus Chriſtum eſſe in cœlo: fateor. Sed rurſus ne hoc quidē monet, ut credamus, corpus Chriſti latere incluſum ſub accidentibus panis & uini.

Victimæ antiquorū, interius nimirū cogitatæ, corpus Chriſti erant.

OBIECTVM CLXXXIIII.

OBIICITVR ex epiſtola Baſilij 141. ad Cæſarienſes. Carnem, inquit, & ſanguinem totam ſuam myſticam in carne conuerſationem uocauit: quod illam doctrinam, quæ ex uita ipſius actuali, & naturali, & theologica conſtat, manifeſtauit, per quam nutritur anima. Hic Baſilius dicit, carnem & ſanguinem Chriſti anima ſumi, non corpore.

GARDINERVS.

VERBA *ſpiritus multos ſua fœcunditate ſenſus pariunt: qui quatenus legitimi ſint, probantur, & retinentur in Eccleſia.*

MARTYR.

„ SEntentiam iſtam Baſilij de carne, & ſanguine domini, ait eſſe allegoricā; quæ
„ tamen nihil imminuat ueram manducationem corporis Chriſti in Euchari„ ſtia. Allegoria enim, inquit, illa, qua Paulus uſus eſt de duobus filijs Abrahami
„ ex Sara, & Agarra, nihil de hiſtoriæ ueritate detrahit. Et Patres, cum delitias, & iucunditates paradiſi uarijs allegorijs exornant, non tollunt rei ueritatem. Ita, inquit, Baſilius ſua iſta allegoria non effecit, quò minus Chriſtus ueram carnem habuerit, & uerè nobis manducandam illam dederit. Sed ſcire debes, Inconſtanti, illum, qui uſus eſt hac Obiectione, non ſenſiſſe pijs aut diuinarum literarum, aut Patrum allegorijs rerum ueritatē immutari; neq; idem elicere uoluit ex iſtis uerbis

uerbis Basilij, Christum non habuisse ueram carnem. Credidit enim, eum nõ tantùm habuisse carnem, uerùm etiam eam pro nobis in mortem tradidisse, eamq; quotidie per fidem offerre comedendam. Hoc tantùm in ijs uerbis obseruauit, manducationem carnis Christi spiritualem esse: neque Basilium aut hic, aut alibi statuere propriam manducationem carnis Christi, quæ prorsus omni tropo, & figura careat. Scio equidem, Inconstantium, & alios eius similes, realem & substantialem manducationem corporis Christi somniare. Sed eam non tantùm non è sacris literis, sed ne è patribus quidem, aut è Basilio isto, quem habemus præmanibus, unquam probabunt.

Adhæc, in istis uerbis dignum erat animaduersione, quod ait, Spiritualem istam alimoniam non per corpus nobis, sed per animam accedere. Sed ne quis sucum sibi fieri arbitretur, uerba ipsa Basilij recitabimus. Edimus, inquit, ipsius carnem, & bibimus ipsius sanguinem, per incarnationem participes euadentes, & sensibilis uitæ uerbi & sapientiæ. Carnem enim & sanguinem totum suũ mysticum aduentum, & doctrinam ex actiua, & naturali, & theologica constantem indicauit, per quam nutritur anima, & interim ad ueritatis speculationem præparatur. Et hoc fortasse est, quod illo dicto significatur. In hisce uerbis fateor, uocabula illa, Carnem & Sanguinem, aliquãtò latius accipi, quàm in mysterio Cœnæ. Basilius enim hic totum Christi aduentũ, & conuersationem & uitam, carnem & sanguinem appellauit: at in Cœna duo tantũ illa offeruntur nobis apprehendenda fide, quatenùs pro nobis tradita sunt in mortem crucis. Itaq; Christus iussit, ut ibi comedamus, & bibamus, mortem domini annuntiantes, idq; tanti, per donec ueniat. Hoc autem manducationis genus animi esse, & nec ad palati, nec ad faucium munus pertinere, omnes facile arbitror intellígere. Habet ergo Inconstantius uerã causam, cur Basilius ita scripserit. Et hoc est fortè, quod significatur Verbo: quoniam uerba illa, Carnem & Sanguinem, ut dixi, latius, & fusius accepit, quàm uel in 6. Iohannis, uel in institutione Cœnæ intelligi deberi: non quod crediderit, aliam esse ullam propriam manducationem corporis domini, quæ ore ac dentibus peragatur.

OBIECTVM CLXXXV.

OBIICITVR ex eodem Basilio. Is in sua Liturgia panem appellat ἀντίτυπον corporis Christi: idq; etiam post uerba Consecrationis.

GARDINERVS.

AMASCENVS *Græcus de hoc uerbo* ἀντίτυπον, *ita refert, Basilium in sua Liturgia usum eo fuisse, sed ante sanctificationem.*

MARTYR.

RESpondet primùm ex Damasceni sententia, Basilium appellasse quidem elementa sacræ Cœnæ ἀντίτυπα, uerùm ante sanctificationem: quamuis fatear, tur in nostris codicibus lõgè haberi secus. Ego uerò Damasceno ipsi uel ex hoc, tam perspicuo mendacio fidem censeo esse derogandam: tantum abest, ut illi in hac re credendum putem. Is enim ut nouam istam suam loquendi formã tueret, non dubitauit Liturgiam usitatam immutare. Negabat enim, Eucharistiam figuram esse. Sed cũ uideret, obijci sibi posse uerba Liturgiæ, respondit, illa loco mota esse, & non post, sed ante consecrationem fuisse posita. Huius autem Dama-

scenì apud cordatos uiros non potest esse magna authoritas. Non enim obscurum est, quàm turpiter in imaginum & reliquiarum cultu insanierit. Et quis illum arbitretur rectè sensisse de Sacramentis, quem uideat se tam aperta idololatria contaminasse? Huc adde, non posse fieri, ut uerba illa posita fuerint ante sanctificationem. Tum enim illa symbola non magis appellari possunt figuræ corporis & sanguinis Christi, quàm quiuis alius panis in officina pistoris.

Tamen ne nimis morosus & difficilis uideret, fateri cœpit ad extremũ uocẽ il
„ lam, ἀντίτυπον, positã fuisse in Liturgia post Consecrationem. Sed id ea causa fa
„ ctum ait, quòd Basilius Sacramenta conferre uoluerit cum illa præsentia Chri
„ sti, qua olim fruituri sumus in patria. Ibi enim omni specie externa, & figura, &
„ obuelatione sublata, fruemur illa plena uisione dei, ad quam nunc omnes anhe
„ lamus: ad quam cum illa, quæ exhibentur fidelibus in hac peregrinatione, con
„ feruntur, uideri possunt figuræ, & imagines. Neq; alio sensu ait Ecclesiam no
„ stram orare, Vt quod nunc per speciem gerimus, olim in ueritate capiamus. His
„ autem uerbis ait, nihil præiudicari ueræ præsentiæ corporis Christi. Ego uerò
dico, & illis Basilij, & istis Ecclesiæ Latinæ uerbis fictitiam istam præsentiã abun
dè confutari. Significant enim, nos substantialem illam præsentiam humanæ na
turæ in Christo olim habituros in patria, quam nunc non habeamus, nisi per si
dem, quæ à spiritu sancto interim per Sacramenta & typos excitatur.

„ Posteà uerò iste noster, ne prorsus agere uideatur sine methodo, proponit
„ discrimen inter figuras Veteris Testamenti, & Noui. In Lege, inquit, erant fi
„ guræ & umbræ obscuriores, & rebus ipsis destitutæ: in Euangelio autem figu
„ ræ sunt huiusmodi, quibus res ipsę adsint, & subsint uerè præsentes. Denique,
„ inquit, ibi notabantur futura: hic præsentia. Vnde Gregorius Nazianzenus in
„ Oratione de Paschate sic habet: Cæterùm paschę fiamus participes, figuraliter
„ tamen adhuc: etsi Pascha hoc ueteri sit manifestius. Siquidem pascha Legale, au
„ denter dico, figura figuræ erat obscurior: at paulò pòst illo perfectius & mani
„ festius fruemur, cum filius uerbum ipsum biberit nobiscum in Regno patris
„ nouum, reuelans, & docens, quæ nunc modicè demonstrauit. Nouum enim est
„ semper illud, quod nunc cognoscitur. Hanc distinctionem, cum eam pressius
consídero, nõ possum in uniuersum cõcedere. Quis enim det, Sacramenta & ri-
tus Veteris Testamenti umbras tantùm fuisse, rebus ipsis prorsus uacuas & de-
stitutas? Nam Paulus ait, ueteres comedisse eandem nobiscum escam spiri-
tualem, & bibisse de petra consequente: petram autem illam fuisse Christum.
An uerò nobile illud Sacramentum arcæ fœderis caruit præsentia dei? An pu-
tamus, Circumcisionem inane tantùm signum fuisse fœderis? Certè hæc distinc-
tio nimis mihi uidetur magistralis. Si dixisset Inconstantius, Sacramenta
ueterum fuisse signa rerum futurarum, quod ad Christi aduentum, & nostram
redemptionem attinet, atq; ideò ea fuisse obscuriora, Euangelica uerò signa esse
rerum præteritarum, ideoq; esse efficaciora, & clariora: aut si etiam addidis-
set, nostris ritibus ea nunc significari, quæ apertiora, clariora, uberiora expecta-
mus in patria: hæc, inquam, si dixisset, facilè illi potuissemus assentiri. Tan-
tum autem discrimen, uel potius tantum Chaos inter Veterum Sacramen-
ta, & nostra, audire non possumus. Imò mihi non satis liquet, an ipse Incon-
stantius istius distinctionis suæ terminis uelit contineri. Nam cum dicat, Sa-
cramenta Nouæ Legis figuras esse eiusmodi, quæ res ipsas præsentes habeant,
hoc mihi uelim respondeat, an putet, Baptismum esse Sacramentum Nouæ Le-
gis. Dicet, esse. Atqui figuram esse Christi, qui suo sanguine mundi peccata
deleuerit, nemo dubitat. Dicetne ergo iste, sanguinem Christi, quo eius, qui tin-
gitur, peccata delentur, ibi realiter, & substantialiter contineri? Si fatetur, hoc mi
hi rur-

Veteris Testamẽti Sacramenta non fuerunt rebus ipsis prorsus uacua.

hi rursus respondeat, quomodò ibi duæ substantiæ sanguinis, & aquæ simul esse possint? An hic quoq; necesse erit aquam transubstãtiari? At si dicet, sanguinem ibi propriè, & substantialiter non adesse: ergo habemus figuram in Noua Lege, quæ rem ipsam secum coniunctam non habeat. Quid ergo fiet, Inconstanti, de ista tua noua distinctione? Possumus eam, uti dixi, aliquo modo mitigare. Nazianzenus, inquis, audacter dicit. Fateor, sed ea dicit, quæ tu suprà omnibus modis negauisti, Veterũ sacramenta aliquo modo fuisse umbras, & figuras nostrorum. Cætera, quæ tu hoc loco ex Nazianzeno citas, contra nostram sententiam nihil faciunt. Nos enim quoq; fatemur, Veterum sacramenta nostris fuisse obscuriora: eaq; quę nunc uidemus per speculum, & in ænigmate, in patria cognoscenda esse plenissimè Et uocem illam, Nouum, rectè à Nazianzeno interpretatũ amplectimur: non quòd ibi aliquid nouę rei sit cognoscendum: sed quòd res eadem cognoscenda sit nouo modo. Nos enim etiam dicimus, nos id in patria clarissimè uisuros esse, quod interim obscurè tantùm, & tanquam in caligine intuemur. Sed quòd ad rem ipsam attinet, corpus Christi esse hic substantialiter pernegamus. Neq; enim id aut Basilius, aut Nazianzenus unquam dixit. *Nazianzenus.*

Verùm Inconstantius, ut id aliquo modo confirmet, huc allegat Origenis testimonium. Is enim in Psal. 38. ita scribit: Si quis uerò transire potuerit ab hac umbra, ueniat ad imaginem rerum; & uideat aduentum Christi in carne factum; uideat eum pontificem offerẽtem quidem & nunc patri hostias, & postmodum oblaturum; & intelligat, hæc omnia imagines esse spiritualium rerum, & corporalibus officijs cœlestia designari. Imago ergo est, quod recipitur ad præsens, quodq; intueri potest humana natura. Ex his uerbis iste noster colligit, imagines rerum non ita pertinere ad rerum ueritatem, ut eam imminuant, quò minus illæ uerè sint. Cõmentaria ista in tres Psalmos, quę circumferuntur nomine Origenis, qua fide digna sint, nescio. Videat Lector præfationem Erasmi in Opera Origenis; & consideret, quid ille, de istis Commentarijs existimarit. Sed esto; Sint Origenis. Contra nos quidem nihil faciunt. Primùm enim ponunt umbras, deinde imagines, postremò res ipsas. Christus ut obscure referebatur in Lege, umbra fuit: in aduentu autem suo in carnem uerè præsens adfuit. Tamen si ipse cum se ipso conferatur, ut est nunc apud patrem, & intercedit pro nobis, imago tantùm erat: imago, inquam, sui ipsius, ut nuc regnat in gloria. At nos hic non de aduentu Christi in carne loquimur, sed de sacramento Eucharistiæ. Christus in primo suo aduentu conspectus est in forma serui, ut uideri posset, & nostram redemptionẽ peragere. Quid hoc ad rem facit, si Christus dicatur, tum habuisse imaginem eius status, in quo nunc regnat in cœlo apud patrem? Origenem autem ibi scribere de primo Christi aduentu, non autem de sacramneto Eucharistiæ, eius ipsius uerba indicant. Sic enim scribit: Et si quis potest describere obseruantiam illam Iudaici cultus, consideret, templum illud non habuisse imaginem rerum, sed umbram: uideat quoq;, altare umbram esse: uideat & hircos, & uitulos, qui adducuntur ad uictimam umbras esse: omnia illa secundum id, quod scriptum est, umbra enim est uita hominis super terram. Si quis uerò transire potuerit ab hac umbra, ueniat ad imaginem rerum, & uideat aduẽtum Christi in carne factum: uideat & põtificem. Ea, quæ Christus in primo aduentu gesserit, fatemur imaginem quandam fuisse rerum cœlestium. Ad hæc eundem Christum uerum pontificem etiam in Sancta sanctorum ingressum esse, & nunc offerre, ac deinceps etiam oblaturum esse patri uictimas, non inficiamur. Sed hostias illas, quas offert, & oblaturus est, si quis putet esse crustula illa, quę Sacrificuli in suis missis appellant hostias, uehementer errat. Offert nunc Christus patri suo, ut gratissimas, & maximè acceptabiles hostias, eos omnes, qui dant nomina eius Euange- *Origenes.* *Erasmus.*

Quæ sunt hostiæ quæ nunc à Christo patri offeruntur.

lio, illumq; per fidem cõplectuntur. Quo in munere ille haud dubiè est summus pontifex. Et quamuis agat nunc in cœlis, tamen utitur opera ministrorum Ecclesię, qui id in terris fideliter, & diligenter satagunt, ut plenus numerus electorum ingrediatur per ostium, hoc est, per Christum. Quicquid autem ministri corporalibus officijs faciunt, cum initiant electos, ea, quæ in cœlis aguntur, & firmissimè rata sunt, designant. Nec Origenes triplici ista sua distinctione docet, Veteres patres ita prorsus fuisse in umbra, ut rerum ipsarũ omninò expertes essent. Ipsa enim ea sacra cum fide administrata illis erant salutaria. Eadem tamẽ umbræ utcunq; erant nostrarum rerum. Nam de aduentu Christi, quod nos factum profitemur, & scimus, id illa tantùm futurum prædicabant.

Oecumenius.

Atq; hanc meam sententiam confirmat Oecumenius. Is enim in cap. 10. ad Hebræos ita scribit, quemadmodum allegatur ab Inconstãtio: Non ipsam imaginem rerum, id est, ueritatem, inquit, rerum. Res appellat futuram uitam: imaginem autem rerum Euangelicam politiam: umbram uerò imaginis rerum Vetus testamentum. Imago enim manifestiora de mõstrat exemplaria. Ea quę à nobis aguntur in Euangelio Oecumenius appellat imaginem rerum: quòd magis ad ueritatem sint expressa, quàm ritus & ceremoniæ Legis Mosaicæ. Et si umbræ, & imagines inter se conferãtur, ad ueritatem ipsam rerum magis, & propius accedunt imagines. Cæterum Inconstantius fingit, res ipsas, non tantùm in futura uita esse, uerùm etiã hic dari, atq; exhiberi: sed, quòd modus exhibitionis sit obscurior, idcircò nostras imagines appellari. Omninò omnia huc trahit, ut persuadeat nos habere præsentiam corporis Christi sub accidentibus panis & uini: quæ tamen dicantur illarum rerum imagines, quòd eas non manifestè, sed occultè exhibeant. Verum si diuertendũ est ad ista, necesse potius est statuere, Corpus ipsum Christi, & ueteribus datum fuisse, & hodie nobis dari: sed spirituali ter mente atq; animo percipiendũ: hoc tamen esse discriminis, ut nos dici possimus præ illis rem ipsam hoc nomine tenere: quia caro Christi re ipsa iam existit, illo autem tempore tantum expectabatur. De reali autẽ præsentia sub pane, aut sub accidentibus panis, nihil quicquam illorũ Patrum quisquam cõmemorauit.

Vmbra, Imago et Veritas, quo modò se habeant.

Augustinus.

Iam audiamus Augustũ quẽ Inconstantius citauit ex libro 83. quæstionum, quæst. 61. Oportebat, inquit, ut euacuaturus sacrificia, quę secundũ Aaronem in Leuitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Leui, nec ad ipsam tribum, nec ad ipsum sacerdotiũ, quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere uideretur munditio peccatorum, quam dominus oblatione holocausti sui, quod in ueteri sacerdotio figurabatur, impleuit: & holocausti eius imaginem ad memoriam passionis suæ in ecclesia celebrandam dedit: ut esset sacerdos in æternũ, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Hic Inconstantius ait, Augustinum, cum diceret imaginem, arcanum dandi modum significasse: quod alioqui holocaustum re uera datum apertè confiteatur. Sed quomodò sensit Augustinus, Christum in Cœna re uera dedisse holocaustum, cum dicat, eum illius holocausti imaginem dedisse, ad celebrandam memoriam mortis suæ? An hic quoq; imago referenda est ad gloriosam illam conditionem, quam Christus nũc habet in cœlo? Non, opinor. Imò non obscurè ait, imaginem illam referendam esse ad mortem, & passionem, quæ iam præterierunt. Nam diligenter ibi attingit discrimen inter Veterum umbras, & nostras imagines. Illas enim ait fuisse figuras rerum futurarum: nostras aũt esse memorias rerum præteritarum. Quare ipsum illud holocaustũ pro nobis oblatũ & olim dabatur Patribus, & nũc datur nobis: at nõ nisi mẽte, ac fide percipiendũ. Sed illis dabat̃, ut aliquãdo offerendũ: nobis datur, ut iam olim uerè oblatũ. Atq; inde fit, ut nostrũ signum clarius atq; expressius dici possit, & imaginis nomen habeat, & apud Augustũ, & apud alios plærosq;

Quid inter Veterum umbras, & nostras imagines.

plærosq; patres. Sed idem Augustinus citatur ex libro Sententiarum Prospe- *Augustinus.*
ri, quasi qui senserit, ipsum Christi corpus realiter re ipsa dari. Caro enim, inquit,
est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus: & sanguis eius, quem,
sub uini specie, & sapore potamus. Caro uidelicet carnis: & sanguis Sacramentũ,
est sanguinis: carne, & sanguine, utroq; inuisibili, spirituali, intelligibili signatur,
spirituale domini nostri Iesu Christi corpus palpabile, plenum gratia omniũ uir-
tutum, & diuina maiestate. Multum hic Inconstantius sudat, ut aliquid saltem,
aduersus nostram sententiam extorqueat. Et illud primùm ait esse annotãdum,
Carnem Christi forma panis opertam dari. Sed meminisse debuit, etiam res ab-
sentes signis, & figuris posse operiri: quemadmodum etiam interdum dicimus,
obscurioribus uerbis tegi & operiri magnificos & præclaros sensus, & in illis
res amplissimas claudi & celari. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi res
ipsæ realiter & substantialiter sub illis literarum & uocum inuolucris latitent. *Quomodo ca-*
Quod autem addit, Carnem esse Sacramentum carnis, & sanguinem Sacramen- *ro est Sacramẽ*
tum sanguinis, Vocabulis illis, Carnis & Sanguinis, quæ priori loco posuit, ele- *tum carnis, &*
menta, & symbola significauit: illa enim sunt Sacramenta carnis & sanguinis do- *sanguis Sacra-*
mini, quæ oblata sunt pro salute nostra. Neq; dubitamus, nos carnem & sangui- *mentum sangui-*
nem domini mente ac spiritu edere ac bibere per metaphoram, quemadmodum *nis.*
illa sub forma panis, & specie uini significãtur & credenda proponuntur. Ita Lo
quutio ista, Sub forma, & sub specie, non situm, aut realem existentiã notat cor-
poris Christi sub illis elementis, sed significationem: quòd sub illis imaginibus
ista intelligantur significatione offerri, proponi, edi, potari.

Adhæc, cum dicit, Vtroq; inuisibili, spirituali, intelligibili, considerare debe- *Ratio Sacramẽ*
mus, id nihil aliud esse, q̃ symbola ipsa panis & uini: quæ non sunt corpus et san- *ti res est inuisi-*
guis Christi uisibili aliquo, aut carnali, aut sensibili modo, sed ratione inuisibili, *bilis, spiritualis,*
spirituali & intelligibili. Natura enim talis est Sacramentorum, ut humanas om- *et intelligibilis.*
nes conditiones, & proprietates longè superet. Nam neq; caro nostra, neq; sen-
sus, neq; ratio humana nouit, quid sit Sacramentum. Vtroq; ergo illo symbolo,
quæ sunt caro & sanguis Christi inuisibilis, spiritualis & intelligibilis, corpus ip
sum, et sanguis Christi significantur, quatenùs illa uisibilia tradita sunt pro nobis
in mortem: uel, ut alij uolunt, ipsum Christi corpus uisibile, & palpabile, quod
nunc sedet in cœlis, & regnat cum patre: tamen cum respectu ad præteritã mor-
tem. Atq; hanc expositionem uerba illa alia Augustini, quæ sequunt, quæq; ab
Inconstantio recitantur, nihil impediunt: imò eam potius explicant, atque adiu-
uant. Sicut ergo, inquit, Cœlestis panis, qui caro Christi est, suo modo uocat corpus
Christi, cum re uera sit Sacramentum corporis Christi, illius, uidelicet, quod
uisibile, quod palpabile, quod mortale in cruce positum est, uocaturq; ipsa im-
molatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, Mors, Crucifixio, non
rei ueritate, sed significante mysterio: sic Sacramentum fidei, quod Baptismus
intelligit, fides est. Hæc uerba tam planè, tamq; perspicuè confirmant nostram
sententiam, ut nihil in eis possimus desiderare. Declarat enim duplici simili, *Quomodo sym-*
quomodò symbola sint corpus Christi: eodem, uidelicet, modo, quo actio sacer- *bola sint cor-*
dotis in cœna uocatur Christi passio, mors, crucifixio: non, inquit, rei ueritate, *pus Christi, de-*
sed significatione: & eodem modo, quo Baptismus & est, & appellatur fides: *claratur dupli-*
non quòd fides in eo realiter inclusa sit, illa enim nõ alibi, quàm in animo esse po *ci simili.*
test: sed quòd sit Sacramentum fidei. Eadem ista Augustinus scribit etiam ali-
bi in epistola ad Bonifacium.

Sed hoc sibi Inconstãtius putat omninò dandum esse, Cœlestem panẽ in istis
Augustini uerbis, nõ triticeũ panem, sed ipsum Christi propriũ corpus significa-
re. Quod quãuis alibi cõcedi possit, tamen hic locus huiusmodi significationem

non recipit. Nam corpus Christi, si nec uideatur, nec sentiatur, quomodò potest dici signum aut Sacramentum? Nam uulgaris illa, & recepta sententia uocat Sacramenta signa uisibilia. Augustinus ergo intelligit panem triticeum: qui, ut est Sacramentum, Cœlestis panis dici debet. Vis enim illa sacramentalis, non ab ulla re creata, sed cœlitùs, & diuinitus expectanda est. Ea autem est, ut antè dixi, et inuisibilis, & spiritualis, & intelligibilis lumine diuini spiritus. Adhæc si ille panis proprie, uereq; esset corpus Christi, Augustinus non dixisset, illũ suo quodam modo esse corpus Christi. Nam simpliciter, & absque ulla contractione ita esset. Et si de corporali esu symbolorũ sermo habeatur, Augustinus in Psalmum 98. rectè ait, Non hoc corpus, quod uidetis, comesturi estis. Hieronymus quoque duplicem facit carnem Christi: Vnam, ut affixa est cruci, & pro nobis tradita: Alteram autem, ut à nobis mente, fide, & spiritu percipitur: quod est eam spiritualiter manducare. Caro tamen illa re uera, non diuersa, sed eadem, et una est, quòd attinet ad substantiam. Distinguitur autem, quatenùs tum ab astantibus sensu apprehendi poterat: & quatenùs nunc in cœlo regnans animo & spiritu credentium sumitur: nisi uelimus, quod etiã uerisimilius iudico, diuinam illam, & spiritualem carnem, symbola externa, quę Sacramenta sunt, appellari, præsertim si cum illa externa manducatione spiritualem etiam manducationem coniungamus. Qua de re agemus aliâs fusius.

Panis sacramentalis potest appellari panis cœlestis.

Hieronymus.

,, Verùm Inconstantius putat, se ex istis dictis patrũ firmissimè concludere, uo
,, ces istas, Imaginem, Figuram, Sacramentũ, Signum, non excludere ueram præ
,, sentiam rerum, sed tantùm distinguere pręsentiæ modum. Hoc quàm uerum sit, iudicium erit penes lectorem. Hoc tamen unum dicam, euidentissimo argumento probari posse ex uerbis Basilij, quæ modò citata sunt, & ad quæ contorquenda Inconstãtius tam multa nugari uoluit, eiusmodi esse ἀντίτυπα in Eucharistia, quæ ueram præsentiam corporis Christi excludãt: ut ea, quæ de illis dicuntur in Liturgia post Consecrationem, elementis tantum, non etiam corpori Christi possint congruere: nisi nomine corporis Christi, intelligas signa, & symbola.
,, Ita enim post uerba illa, quæ uos Consecrationis appellatis, cũ ea uocasset ἀντίτυ-
,, πα, subiecit, θαῤῥοῦντες προσεγγίζομεν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προσθέντες τὰ ἀντίτυ-
,, πα τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ σου, σοὺ δεόμεθα, ὡς σε παρακαλοῦμεν, ἅγιε ἁγίων
,, εὐδοκίᾳ τῆς ἀγαθότητος ἐλθεῖν τὸ πνεῦμα σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα τὰ δῶ-
,, ρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι. Iudicent nunc ex istis uerbis pij, & sancti uiri, an corpus Christi, & sanguis sint realiter in mensa domini: et an illa sint ἀνατίτυπα, & δῶρα, quæ indigeant spiritu sancto benedicente, & sanctificante. Quod si illæ uoces, Figura, Signum, Sacramentum, Symbolum, sua uirem, quæ significatur, ostenderent præsentem, non liceret ne Iudęorum quidem figuris & Sacramentis huiusmodi præsentiam denegare. At si Incõstantius sperat se huiusmodi præsentiam aliunde posse confirmare, cur loca nõ profert? cur, quoties in medium ueniendum est, nihil aliud crepare potest, quàm, Hoc est corpus meum? Quibus uerbis ita miserè abutitur, ut quiuis uidere possit, quàm turpiter cæcutiat. Quare ἀντίτυπα illa, siue ad corpus Christi, quod in cœlis est, siue ad idem prout tradebatur in crucem, referantur, re uera sunt eius figura, imago, & Sacramentum. Per carnem autẽ latentem, carnem Christi uisibilem siue crucifixam, siue in cœlis regnantem significari, non concedimus. Oportet enim signa rebus significatis apertiora & clariora esse: maxime uerò in Sacramẽtis Testamenti Noui. Nam ea Augustinus prędicat clariora, euidentiora, manifestiora esse, quàm fuerunt Sacramenta ueterũ. Et quoniam de illa uoce ἀντίτυπα diu egimus, lectorem ignorare nõ patiar, Gregoriũ quoq; Nazianzenũ cũ Basilio consentire, et symbola Eucharistię uocare Sacramẽta, ἀντίτυπα, in suo Apologetico.

OBIECTVM CLXXXVI.

OBIICITVR ex Epiphanio in Ancorato. Videmus, inquit, quod accepit seruator in manus, ueluti Euãgelium habet, quod surrexit in Cœna, & accepit hæc, & ubi gratias egisset dixit: Hoc meũ est, & hoc, & hoc. Et uidemus, quod non æquale est, nec simile: non imagini in carne: non inuisibili deitati: non lineamentis membrorum. Hoc est enim rotundæ figuræ, & insensibile, quantum ad potentiam. Et uoluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc, & hoc. Et nemo non fidem habet sermoni: qui enim non credit, ipsum uerum esse, sicut dixit, is excidit à gratia, & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius. Dominũ uerò nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, totum deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum comprehensibilem: sed qui cum gratia hoc nobis largitus est. Ex his uerbis audimus, dominum per gratiam dixisse, Hoc est corpus meum, de eo, quod est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam. Non autem conuenit corpori Christi, ut careat sensu.

GARDINERVS.

RECTE *dixit Hilarius, intelligentiam dictorum ex causis esse sumendam dicendi.*

MARTYR.

SI Lector sese referat ad ea, quæ in illo loco tractantur ab Epiphanio, uidebit contra nouũ istud portentũ Transubstantiationis argumentum ex illo firmũ duci: nec minus ex eodem loco confutari posse illam, quam quidam tanti faciũt, realem præsentiam. Disputat eo loco Epiphanius, quomodò homo dici possit factus ad imaginem dei, cum nec deus sit, nec spiritus, nec ea habeat, per naturam, quæ deum habere non dubitamus. Respondet autem, hominem non habere essentiam ipsam, aut naturam dei: factum tamen esse ad imaginem dei, quòd quasdam dei proprietates à conditore acceperit per gratiam, quibus illum referat, etsi nec spiritus sit, nec inuisibilis. Est ergo, inquit, suo quodã modo imago dei. Idq; ut probet, ducit simile ab Eucharistia. Illud, inquit, rotundum, & insensibile secundum potentiam, cum nec lineamenta, nec sensum, nec aliud quippiam, quod simile sit corporis Christi, habeat, tamen illud Christus per gratiam appellauit corpus suum: cum diceret, Hoc est corpus meum. Oportet autem, inquit, credere, uerum esse, quod Christus dixit. Nam panis, qui rotundus est, & insensibilis secundum potentiam, per gratiam factus est sacramentum corporis Christi, & idcircò & est, & appellatur suo quodam modo corpus Christi. Nec desunt proprietates, quibus panis ille corpus Christi referat, etsi natura, & essentia non sit re uera corpus Christi. Hic est uerus sensus Epiphanij, quicquid iste præstigiator garriat. Iste enim ita rem persequitur: Vt fides, inquit, nostra ad hęc amplectẽda quodam simili excitetur, adducit Epiphanius simile ab Eucharistia: ubi sub insensibili elemento credimus adesse per gratiam corpus Christi. Sed specta,

Lector, consídera, uersa, excute uerba ísta Epíphaníj. Nunquam audíes eum dícere, oportere nos credere, corpus Chrísti adesse sub sensíbili elemento. Hoc tantùm dicit, Hoc enim est rotundæ figuræ, & insensíbile secundum potentíam: & uoluit per gratíam dícere, Hoc est corpus meum. Quam ergo fídem possúmus nos habere Inconstantío in explicandís dictís Patrum, qui ea hic adscríbat Epíphanío, quæ ílle nusquam dícat?

„ Primum elícere uult ex íllis uerbís, persuasíssimum fuísse tum temporis ín
„ Eccleſía, uerũ corpus Chrísti adesse præsens in Eucharístía. Quid ita? An quod
„ ílle dícat, nos habere fídem sermonibus Chrísti, & credere uerum esse, quícquid
„ ílle dixerit? Atqui Chrístus níhil íllorum unquam dixit. Tantùm de pane rotun
„ do, & insensíbili pronuntíauit, Hoc est corpus meum, Idq; nos etíam credímus,
„ panem uidelícet, per gratíam fíeri corpus Chrísti, quòd iam sit eius corporís ty
„ pus, & mysterium. Colligere etíam íste uult ex íllis uerbís, præsentíam ístam,
„ quam ita cupidè nobis obtrudit, habitam fuísse pro míraculo ínexplícabíli, tam
„ certo tamen, & noto, ut ad aliud arcanum adhíberetur explicandum, tanquam
„ quíddam notíus, & illustríus. Sed ego ístum arbítror míraculum íllud ita ínex
„ plícabíle in oculís suís, & in cerebro habuísse. Nam ín uerbís íllís Epíphaníj pror
„ sus non apparet. Non equídem nego, notíssimum fuísse tum in Eccleſía, panem
„ rotundum, & insensíbilem, suo modo dící corpus Chrísti. Hæc uera sunt, & sim
„ plícia: ílla uerò quæ Inconstantíus affíngit, & aliena sunt, & portentosa, & ílla
„ ætate Chrístianis auríbus ínaudíta.

„ Deínde magno supercílio decernit, in uerbís íllís Chrísti Corpus non signífi
„ care fíguram. Néue id uídeatur sine aliqua ratíone dícere, causam etíam affert,
„ quod Epíphanius dixerit, íllud, quod Chrístus pronuntíauit esse corpus suum,
„ non esse æquale, aut símile, uel imagíni in carne, uel ínuisíbili deítatí, uel línea
„ mentís membrorum. Ista, ínquit Inconstantius, nemo ne carnalís quídem requí
„ ret in fígura. Neq; enim uel ín Manna, uel ín Petra quísquam unquam signífi
„ catæ rei effígiem postulasset. Vt ad ístud ultímum prímùm respondeam, dí
„ co, longè aliter se hic rem habere. Nam ín typís, fíguris, sacramentís semper alí
Figura símilitudinem habet cũ re significata. qua símilitudo rei sígnificatæ assignanda est. Ea uerò tanta est, ut fíguræ ípsæ re
rum sígnificatarum nomínibus appellentur. Figura Cæsaris, quæ in auro, argen
to, aut plumbo spectatur, non díceretur eius fígura, nísi eum alíquo modo refer
ret. Et Manna de cœlo datum est, quemadmodum corpus Chrísti de cœlo, hoc
est, de spíritu sancto in uentre Vírginis effíctum est. Manna mirabíliter nutrie
bat Israelítas: & caro Chrísti data pro nobis in mortem nobis uerus est cíbus eter
næ uítæ. Manna sine aliqua naturali causa, aut hominum industría Hebræis de
pluebat de cœlo, usq; dum populus peruenísset in terram íllam, quam eis domí
nus promíserat: ita nos cíbum ístum nostrum non sensu, aut humana ratíone con
sequímur, sed mera, & pura deí gratía: durabit autem hoc genus alímoníæ usq;
dum perueníamus in patríam. Huiusmodi analogías, aut símilítudines pos
sem etíam commemorare de Petra. Sed quoníam ílle notę satís sunt, & omnibus
obuiæ, de íllis dícere supersedeo. Quis enim in ea non intelligat robur, & firmita
tem, & uim ad ædificía sustínenda? Moses uírga sua petram percussit, & elícuit
uim tantam aquarum, ut populus totus potuerit ex íllis affatim bíbere. Hæc uel
pueri norunt significasse firmitatem, & constantíam Chrísti, & índicasse, íllum
esse unicum Eccleſiastící ædificíj fundamentum: qui cum uírga crucís grauíssi
mè ictus esset à populo Mosaico, utq; Zacharías ait, uarijs aperturís celatus, san
guinem abundè fudit, unde nos & redempti, & ad æternam uítam spíritualiter
potati sumus. Quare in fíguris líneamenta, imagines, & símílitudines rerum sí
gnificatarum non requiri, Inconstantius parùm prudenter statuit. Sensus uerò

Epí-

Epiphanij hic est, uti diximus ab initio: Homo etsi substantia, aut natura sua non sit deus, aut spiritus, tamen factus est ad imaginem dei, etsi non uideatur: quemadmodum panis Eucharistiæ, etsi non sit corpus Christi, quod attinet aut ad substantiam, aut ad realem præsentiam, tamen & est, & dicitur certo quodam modo corpus Christi, quamuis in eo multa uideantur dissimilia. Non enim desunt proprietates, & similitudines fidelibus probè cognitę, quibus ille panis ab eo, quod significat, non prorsus uideatur alienus.

Adhæc nemo nostrum, quod ego sciam unquam dixit, Corpus in uerbis illis Christi significare figuram. Hoc autem dicimus, panem ipsum, qui est Sacramentum, nomen habere rei significatæ. Vocabulo uerò, Corpus, significationẽ suam integram relinquimus. Neq; enim debemus Inconstantio nostro ita esse obsequentes, ut quicquid ille uelit in nos cõuitiari, id nos statim uelimus agnoscere. Conficimus ergo ex contrarijs, & dissimilibus, id, quod Christus habuit in manibus, nec per essentiam, nec per præsentiam fuisse corpus Christi: quamuis alio quodam modo illud fuisse, credendum sit: nimirùm, quòd ille panis certis quibusdam rationibus retulerit corpus Christi. Quemadmodum credendũ est, hominem factum esse ad imaginem dei: quamuis à contrarijs probari possit, illum non esse deum, nec spiritum, nec ab omni æternitate fuisse sine principio. Quoniam tamen, quod attinet ad quædam illi concessa per gratiam, deum exprimit, idcircò dicitur factus ad imaginem dei.

Non ita stupidus erat Inconstantius, quin ut uideret, Epiphaniũ apertè contra se facere: & præsertim cum scribat, Dominum per gratiam dixisse, illud rotundum & inæquale, & insensibile secundum potentiam, esse corpus suum. Epiphanius enim non persequitur, nescio quod, indiuiduum uagum: sed rem unam, & certam multis epithetis describit. Quare iste noster omnibus modis conatur huic uulneri medicinam aliquam facere. Ait ergo, non ostendi rotundum, & insensibile, sed uagum indiuiduum: quod tamen homo quispiam carnalis putet esse panem rotundæ figuræ, & insensibilem. Illud, inquit, unum substantiæ dominus demonstrauit, quod tandem definit esse corpus suum. Et omnino credi uult, Epiphanium suis illis uocabulis indiuidui illius uagi species uisibiles expressisse. Sed patiamur Inconstantium fingere, quicquid uelit. Hoc tamen ambigi non potest: illud, quod Christus habuit in manibus, certum quiddam fuisse in natura, non autem incertum & uagum: deq; eo non quemuis hominem carnalem, sed Epiphanium ipsum pronuntiasse, illud rotundum fuisse, & insensibile: quæ duo substantiæ corporis Christi non possunt ullo modo conuenire. Deinde cum ait, Christum id, quod est rotundæ figuræ & insensibile, appellasse corpus suum, certè significat, aliquid fuisse, quod hæc accidentia sustineret. Cedo, quid illud tandem est? Panem esse negas. Et corpori Christi huiusmodi proprietates non conueniunt. Indiuiduum autem illud tuum uagum, ad quod tu semper fugis, tanquam ad sacram ancoram, non est in rerum natura, nisi tantùm per considerationem, utq; philosophi loquuntur, per abstractionem mentis. Hæc, uidelicet, est acuti istius hominis Theologia, conceptiunculas animi, eaq; quæ nusquam sint, pro rebus existentibus obtrudere. Sed ut rem omnem in pauca conferam, id, quod ostenditur, oportet existere. Vagum autem indiuiduum non existit, sed tantùm concipitur, & fingitur in animo: Ergo demonstrari non potest. Sed quoniam de hac totà re suprà copiosè diximus, hic plura dicere supersedeo.

OBIECTVM CLXXXVII.

OBIICITVR ex Hesychio libro 2. in Leuiticum cap. 8. Propterea, inquit, carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est. Ergo manet panis.

GARDINERVS.

EX *ijs est & Hesychius, qui ueram corporis Christi præsentiam maximè statuunt.*

MARTYR.

„ FIngit Inconstantius, Panem hoc loco, nō esse illum, qui uulgo conficitur ex
„ tritico: sed per metaphoram indicari cibū cœlestem, & panem illum, qui de-
„ scendit de cœlo. At si res ita habet, Hesychius, cum diceret, mysterium Eucha-
ristię simul & panem esse & carnem, nihil aliud dixit, quàm Eucharistiā carnem,
& carnem esse. Atqui id uel Inconstantio ipsi puto uideri ridiculum. Necesse ta-
men est ita dicere, si istam metaphoram recipimus. Quod autem iactat, Hesy-
chium statuere ueram, & realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, id,
quoniam nobis nondum constat, probandum erat. Ex isto autem loco id proba-
ri non potest. Illa enim uerba sano sensu bifariam possumus interpretari. Nam si
Hesychius loquatur tantùm de externo symbolo, illud, quod ad naturam attine-
net, panis est: quatenus autem est Sacramentum carnis domini, caro est, ut sæpè
iam diximus. At si mysterium, aut Sacramentum totum spectemus, quod con-
stet & ex signo, & ex re significata, illud & panis est & caro domini. Atq; ad hūc
locum Hesychij hæc mihi uidentur satis.

OBIECTVM CLXXXVIII.

OBIICITVR ex Ambrosio in priorē ad Corinthios. Cum agitur, inquit, ut hoc fiat in memoriā Christi, & mortis eius, nos in edendo & potando, carnem & sanguinem domini, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.

GARDINERVS.

HAEC *uerba suis punctis distincta Catholicam reddunt sententiam.*

MARTYR.

„ COntendit, nos errare in punctis & distinctione uerborum, atq; omninò ad
„ hunc modum legendum esse: Nos in edendo & potando carnem & sangui-
„ nem Christi, & ibi addendam esse σιγμὴν: deinde subijciendum, quæ oblata sunt,
„ significamus: quasi caro & sanguis Christi uerè sint in Eucharistia, & dū ea à no-
„ bis comeduntur & bibuntur, significentur eadem ipsa, ut pro nobis olim oblata
„ sunt. Sed hoc mihi primùm uelim ut Inconstātius respondeat, unde nam norit,
aut à quo didicerit, Lectionem Ambrosij ita esse ordinandam. Illi satis est, hoc di-
xisse. At libri, qui circumferuntur, omnes à nobis faciunt. Mitto enim nouā La-
tinitatem, quam in illis uerbis Inconstantius sibi reperit. Nam non dico, nemo
Grammaticus, sed ne sanus quidem quisquam ita loquitur. Tamen, si sequi ue-
limus istum ipsum ordinem Inconstantij, adhuc Ambrosius à nobis faciet. Nam
dum

dum, quod ad corporis os, & dẽtes attinet, comedimus & potamus sacramenta, quæ suo modo & dicuntur, & sunt caro & sanguis Christi, significamus illa, quę pro nobis oblata sunt. Adhæc dum animo, & spiritu per fidem carnem domini spiritualiter comedimus, & sanguinem bibimus, unà cum externo mysterio, per illa symbola, quæ comedimus, & bibimus, mortem domini annuntiamus: eaq́, quæ pro nobis oblata sunt in cruce significamus. Sed cur iste noster non animaduertit, ex sentẽtia Ambrosij, Sacramentũ tantùm esse in usu, dum re ipsa sumitur. Nam si, ut eius definitio indicat, ratio, & uis sacramenti est in eo, ut aliquid significet, nos autem, ut Ambrosius ait, in edendo & potando carnem & sanguinem Christi significamus, quomodò potest aliter esse sacramentum? *Sacramentũ est tantum in usu.*

OBIECTVM CLXXXIX.

OBIICITVR ex eodem Ambrosio eodẽ loco. Ait, nos accipere mysticum calicem in typum sanguinis Christi.

GARDINERVS.

HIC *truncata producitur sententia.*

MARTYR.

IAm, si deo placet, etiam falsi arguimur. Ait Inconstantius præcessisse uocem, Beneficij: quam uocẽ uult esse casus gignẽdi, & regi ab illo nomine, Typum: ut orationem ita cõstruas: In typum beneficij diuini nos percipimus calicem mystícum sanguinis Christi. Sed, quæso te, pie Lector, mecum paulùm consydera, si Ambrosij sententia ita fauet Inconstantio, cur illam non protulit in medium? cur uerba ipsa dissimulauit, & nobis pro illis constructiunculam istam suam obtrusit? Crede mihi, nisi tibi insidias strueret, non ita faceret. Idq́ tu ipse per te magis intelliges, postquam uerba ipsa Ambrosij, ut ab illo scripta sunt, legeris. Ea autem sic habent: Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis, ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus. Si quid ego intelligo, magis congruum multò est, ut relatiuũ illud, Cuius, ad uocem propiorem Sanguis, quàm ad uocem alteram Beneficij, lõgè remotiorem, referatur. Hic certè sensus multò est simplicior. Quem si nos sequuti sumus, quid peccauimus? Sed Inconstantius noster accusari ueriſsimè & potest, & debet: qui ut ueritatẽ opprimat calumnijs, nihil aliud agit, aut quærit, quàm ut omnia eius inuestiganda uestigia offuscet & deleat. Verisima ergo sententia Ambrosij est, calicem mysticum esse typum sanguinis Christi, qui maximo dei beneficio pro nobis effusus est.

OBIECTVM CXC.

OBIICITVR ex Ambrosio de sacramentis lib. 4. cap. 4. Hoc igitur adstruamus. Quomodò potest, qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Vult ergo effici Consecratione, ut quod est panis, sit corpus Christi.

GARDINERVS.

COMMODE *aptatur hæc quæstio ad responsionem de mutatione.*

„ Hic Sophista noster ita argutatur, & uerba ita inuoluit, ut nemo intelligere
„ possit, quid uelit. Ita enim prorsus rem inuertit, ac si Ambrosius quæreret,
„ quomodo illud, Esse, panis, fiat, Esse, corporis Christi. At nihil ita aut sensit, aut
scripsit Ambrosius: quod Lector ipse facilè uidere potest. Ille enim disertis uer-
bis affirmat, illum, qui panis est, posse esse corpus Christi. Nescio equidem, quo
iure liceat Inconstantio ita ex masculino genere neutrum facere. Nam Ambro-
sius ita scribit, Qui panis est, esse corpus Christi. Id iste noster ita inuertit, Illud
esse panis, fieri esse corporis Christi. Atq; ita ista sua perturbatione constructio-
Ambrosius. nis nec sensum authoris, nec uerba retinuit. Quòd si Ambrosius alibi dicat,
ante Consecrationem esse panem, post autem consecrationem esse corpus Chri-
sti, illis uerbis nostram sententiam non oppugnat. Nos enim etiam fatemur, ele-
mentum illud ante Consecrationem tantum esse panem: Consecratione autem
adhibita, non tantùm panem esse, sed etiam corpus Christi: nimirùm, quòd iam
effectum sit sacramentum corporis Christi.

„ Simile uerò illud Inconstantij nihil eum iuuat. Si quæratur, inquit, quomodò
„ qui est claudus ambulet, sanatus uidelicet. Nam si rigidè & κατὰ τὸ ῥητὸν uelit ur-
gere istam propositionem, Claudus ambulat, nihil habet difficultatis. Videmus
enim quotidiè claudos ambulare: quamuis ambulando claudicent. At si dicat, se
rectam ambulationem intelligere, falsa est illa propositio. Nam qui claudus est
nunquam rectè ambulat. Potest etiam fieri, ut claudum intelligat eum, qui uim
incedendi prorsus habeat impeditam. At ne ille quidem, quandiu ita habeat, un-
quam potest ambulare. Quid ergo superest, nisi ut iste in sua propositione illum
intelligat claudum, qui, cum anteà claudus fuerit, nunc sit sanatus, eumq; dicat
ambulare; & eodem modo uelit Ambrosium dicere, id, quod anteà fuit panis, ad-
hibita Consecratione iam factum esse corpus Christi? Sed Ambrosius nec ita di-
xit, nec uerba sua ita struxit. Quicquid enim iste nugetur, Ambrosius ita loqui-
tur, Qui est panis, non qui fuerat panis, est corpus Christi. Sed nihil aliud agit
Inconstantius, quàm ut tropis suis rem omnem peruertat: nimirùm, ut panis ac-
cipiatur pro eo, quod antè fuerit, non pro eo, quod nunc sit panis. Ambrosius
dubitat, quomodò is, qui panis est, sit corpus Christi: & respondet, Consecratio-
ne. At si panis natura discesserit, non relinquitur locus dubitationi. Id enim est,
quod rem facit dubiam, quòd disparata de eadem re, atq; natura simul uideantur
prędicari: Panis, inquam, & Corpus Christi. Est autem id absurdissimũ, nec ullo
modò potest fieri. Ambrosius ergo meritò mouit eam dubitationem.

Hic obiter annotandum est, duo nobis ab Inconstantio nullo nostro merito
exprobrari. Primùm, quòd in hoc sacramento quęramus Quomodò: illam enim
Iudaicam esse quæstionem, non Christianã. Hic tamen, cum audiat Ambrosium
quærere, Quomodo, tacet, ac dissimulat. Id enim in illo ferre potest, ætatis for-
tasse causa, quod in nobis esset intolerabile. Alterum est, quòd ubiq; clamat,
nos abuti troporum licentia, & figurarum. Id, spero, posthac nobis parcius ob-
jiciet, cum uideat, ne se quidem sua defendere posse sine tropis.

OBIECTVM CXCI.

OBIICITVR ex Ambrosio eodem in loco. Si tanta uis, inquit, est in sermone domini, ut ea incipiant esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur? Si elementa sunt, quæ prius erant, certè non transubstantiantur.

GAR.

GARDINERVS.

ARGVMENTVM est à maiore. *Si enim de deo uerè confitemur, eum posse creare ex nihilo: quantò magis de eodem confitebimur, ut quæ ab eo creata erant, conseruari possint, ut sint?*

MARTYR.

AIT, Ambrosium probare uoluisse, deum posse ea, quæ à se creata sint conseruare: & illa, quæ creauit, in aliud commutare. Confirmationem autẽ ducere ex eo, quod deus potuerit ea creare, quæ non erant. Id autem longè maius esse, quàm est, ea quæ sint, conseruare, uel etiam ea in aliud commutare: quasi uerò Ambrosius utatur argumento, quod uulgò Dialectici uocant à maiori. At nemini dubium est, neque, quod sciam, Christiano cuiquam unquam fuit, deũ posse res à se creatas uel conseruare, uel, si uelit, in aliud commutare. Quis enim nescit, aquam à domino conuersam fuisse in uinũ, aut à Mose in sanguinem? Non ergo necesse erat, ut Ambrosius rem receptam, & omnium iudicio testatam confirmaret. Hoc autem firma ratione probandum erat, effici posse ui sermonis dei, ut panis & uinum, quæ alioqui uideri possint uiles & abiectæ creaturæ, maneant quidem, ut erant, in natura, & nihilominus efficiantur Sacramenta corporis & sanguinis domini, reddanturq; idonea instrumenta spiritus sancti ad nos instaurandos ad æternam uitam. Dubitare autem non debemus, hoc posse fieri uerbo dei, cum eodem illo omnia sint condita. Néue hoc cuiquam uideatur nouum, hac eadem loquendi forma patres usi sunt etiam de Baptismo: ut dicant, eadem ui uerbi dei, qua mundus creatus est ab initio, & homo conditus, aquam sensibilem fieri lauacrum peccatorum.

Quid uerò in ijs uerbis Inconstantius de arcano Transubstantiationis suæ somniet, ipse uiderit. Sunt, quæ erant. Hoc est, inquit, sunt eadem accidentia panis & uini, quæ erant. At Ambrosius nullam facit mentionem de accidentibus. Deinde ait, illa ipsa, quæ manent, & esse quæ fuerant, & in aliud mutari. Quare, ex istorum interpretatione, accidentia panis & uini, non manent, sed mutantur in aliud. Deinde illud aliud intelligunt in neutro genere unam essentiam, unius Christi: atq; ita putat cum Cypriano, omnia ista redigi ad unam essentiam. Atqui illud unũ, siue aliud, in quod fit mutatio, est Sacramentũ, siue forma sacramentalis. Necq; Cyprianus aliud spectauit, aut uoluit, quàm hæc signa & symbola, cum sint relatiua, reuocari ad unam essentiam, nimirum eius rei, quæ significatur. Nam Relatiua id ipsum, quod sunt, aliorum sunt. Neque potes essentiam sacramenti definire, quin in definitione & signum, & rem ipsam significatam complectaris. Verùm, ut ad Ambrosium redeamus, nobis satis est, ea, quæ erant, manere. Quo uerbo uno Transubstantiatio uniuersa euertitur. Nam si manent, certè per Consecrationem non excluduntur.

OBIECTVM CXCII.

OBIICITVR ex Ambrosio ex libro De ijs, qui initiantur mysterijs. Ante benedictionem, inquit, uerborum cœlestium alia species nominatur: post Consecrationem corpus Christi significatur. Ecce post Consecrationem significatur corpus Christi.

GARDINERVS.

IDEM *Ambrosius alijs uerbis effert hanc sententiam: uidelicet, Panis est ante Consecrationem: post consecrationem Corpus.*

MARTYR.

„ AD ista Inconstãtius duplici utitur responsione. Prior est, Eundem Ambro
„ sium alibi hanc sententiam aliter extulisse. Ita enim illum alibi scribere, Pa-
„ nis est ante Consecrationem: post Consecrationem corpus. Sed nõ animaduer-
„ tit, interpretationem eius sententiæ, quam hic commemorat, petendam esse ex
hoc loco, quem nos obijcimus. Nam post Consecrationem panis est corpus Chri
sti: quoniam est Sacramentum eius corporis: &, quoniam, ut hic dicitur, illud si-
gnificat. Quare nihil erat causæ, cur hic locus nobis ab Inconstantio obijceretur.
Nam ab hoc ipso loco, quem nos citauimus, commodissimè explicatur.

„ Addit Inconstantius, significationem hoc loco intelligendã esse, non quam-
„ uis, sed, ut appellat, realem: ut post consecrationem eadem ueritate significetur
„ corpus, quæ ante Consecrationem nomine Panis significabatur natura panis.
Placet conditio. Nos enim arbitramur, non minus uerè Eucharistiã, siue panem
consecratũ, significare corpus Christi, quàm uocabulum Panis ipsam eius natu-
ræ substantiam, qua uescimur. Non enim unquam docuimus externo elemento
significari umbratile, nescio quod, Christi corpus: sed illud unicũ & uerissimum,
quod pro nobis in crucem traditum confitemur & credimus. At, si Inconstan
tius posteà uelit contendere, ipsum corpus Christi adesse eadem præsentia sub
elemento sensibili, qua, ut ille ait, panis adfuit ante Consecrationem, ut autem
nos rectius dicimus, adhuc etiam post Consecrationem adest, prorsus illi resisti-
mus: quod enim illi probandum erat, id sibi, quasi datum à nobis & concessum,
nimis audacter, ne dicam, impudenter usurpat.

OBIECTVM CXCIII.

OBIICITVR ex Ambrosio de Sacram. lib. 4. ca. 5. Sed in-
tellige, inquit, quid est amplius, manna de cœlo, an cor-
pus Christi? Corpus Christi utique, qui author est cœli. De-
inde manna qui manducauit, mortuus est: qui autem mãdu-
cauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non mo-
rietur in æternum. Ergo, impij, quibus non fit remissio pec-
catorum, non manducant hoc corpus.

GARDINERVS.

AMBROSIVS *nihil aliud, quàm sententiam ex ore Christi prolatã alijs uerbis effert.*

MARTYR.

„ AMbrosius, Inconstantij iudicio, nihil aliud, quàm recitauit sententiã Chri-
„ sti. Eam autem promissionem esse, & quandam in nobis congruentiã exi-
„ gere, non merito nostro cõstantem, sed diuinitatis bonitate susceptam: quæ si de-
„ sit, nos nunquam assequuturos promissionem Christi: sed, secundum Paulum,
„ exitu diuerso sequuturam esse condemnationem. Ego uerò respondeo, pri-
mum non esse uerum, Ambrosium tantùm recitare sententiam Christi: nam
eius

eius etiam interpretationem adiecit. Reddit enim causam, quare illi, qui comedunt corpus Christi, non moriantur: quam causam in sexto Iohannis Christus tacuit. Eam Ambrosius hanc esse dicit, quòd qui comedit corpus Christi, ex eo ipso habeat remissionem peccatorum. Quare, si hoc est effectum manducationis corporis Christi, ubi illud effectum non est, ne causa quidem esse potest. Non autem negamus, etiam ab impijs elementum externum, aut Sacramentum posse comedi. Verùm hic de eo non agitur, sed de ipsa spirituali manducatione corporis Christi: quæ, cum perficiatur tantùm per fidem, non potest pijs cõmunis esse cum impijs. Ideoq; Ambrosius, cum exponeret uerba Christi, ostendit eius corpus longè præclarius, & præstantius esse, quàm manna. Illum enim cibum Patres, quicunq; manducauerunt sine fide, mortui sunt, nec assequuti sunt remissionem peccatorum. Ex illis autem quicunq; eo cibo uescebantur cum fide, illi unà corpus ipsum Christi, quod significabatur externo illo symbolo, fide, ac spiritu comedebant. Itaq; accepta condonatione peccatorum, æterna morte non periebant. Quod autem Inconstantius hoc loco uidetur uelle dare, congruentiam illam, qua corpus domini dignè comeditur, constare sine ullo nostro merito, id ego libenter accipio. Sed ipse uideat, ista dicendo quàm sibi probè constet. Nam alioqui est Liberi arbitrij, & humanarum uirium, & meritorum maximus assertor.

Patres qui comederunt manna cum fide, nõ moriebantur.

OBIECTVM CXCIIII.

OBIICITVR ex Ambrosio de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 9. Hic inquit, panis factus est esca sanctorum. Et posteà: Qui accipit, non moritur peccatoris morte: quia panis hic remissio peccatorum est. At impij neq; sancti sunt, neq; habent remissionem peccatorum.

GARDINERVS.

DE *destinato effectu loquitur Ambrosius. Quòd uerò secus in malis fit, per occasionem est.*

MARTYR.

FOòsese Inconstantius recipit, ut dicat, effectum quidem manducationis corporis Christi ex proposito dei esse remissionem peccatorũ, & sanctitatem, & æternam uitam: frustrari autem nostro uitio, & per occasionem, utq; scholæ loquuntur, per accidens. Itaq; quod impij hoc effectum non assequantur, id non probare, illos non accepisse, aut non manducasse corpus Christi. Hæc expositio, quoniam est non malè colorata, posset prima specie fucum facere. Presius autem consyderanti uerba Ambrosij, uidebitur ridicula. Ambrosius enim, cum loqueretur de corpore ipso domini, nõ dixit, Hic panis factus est cibus omnium accipientium: sed factus est, inquit, esca sanctorum. Lupi non uescuntur palea, aut cibo boum, nec Leones pane: ita qui sancti non sunt, non comedunt corpus Christi. Neq; ita loquitur Ambrosius, Qui accipiunt hunc cibum, partim pereunt, partim non pereunt: sed disertissimis uerbis ait, Qui accipit, non moritur morte peccatoris. Et rationem dicti sui firmissimam affert: Quoniam hic, inquit, panis est remissio peccatorum. Quod si iste panis est remissio peccatorum, quomodò potest esse ibi, ubi peccatorum remissio non est? Hæc ita clara sunt, ut nebulam istam Inconstantianæ interpretationis facilè dissijciant.

OBIECTVM CXCV.

OBIICITVR ex Ambrosio de his, qui initiantur mysteriis cap. 8. Ista, inquit, esca, quam accipitis: iste panis uiuus, qui descendit de cœlo, uitæ æternæ substantiam subministrat: & quicunq; hunc panẽ manducauerit, non morietur in æternum, & corpus est Christi.

GARDINERVS.

HAEC *sententia ueritatem Eucharistiæ dilucidè testatur.*

MARTYR.

„ REspondet Inconstantius, Ambrosium ista sententia testari ueritatem Eu-
„ charistiæ. Id ut cõtra nos nihil facit, ita illum nihil iuuat. Nam, quod ad nos attinet, semper sensimus, Eucharistiam esse uerissimam. Nam quod uera uerè significat, rectè & appellatur, & est uerum. Sed ex istis uerbis quid iste iuuatur? Verè dicimus, Regem sedere in throno suo. An ergo Rex, & thronus cooperiũtur, & inuoluuntur sub illis uerbis? Nihilo firmior est ista connexio: Corpus domini externo elemento uerè significatur: illudq; elementum ipsum suo quodam modo est corpus domini: Ergo sub externo elemento re ipsa existit corpus domini. Quare rectè dixi nos ueritatem Eucharistiæ non negare: nec eam tamen ueritatem ab Inconstantio quicquam facere.

„ Quod autem addit, Sacramentum, quod ad substantiam attinet, semper idem
„ esse, siue à bonis, siue à malis recipiatur, assentior. Externa enim symbola sine discrimine promiscuè omnibus accedentibus proponuntur. Per naturã enim sunt panis & uinum: per gratiam uerò, & institutionem Christi sunt sacra mysteria, & sacramenta, quibus spiritus sanctus utitur ad salutem piorum. In re autem significata magnum discrimen est. Nam cum caro Christi fide tantùm percipiatur, eam impij habere non possunt. Prorsus enim destituti sunt ea facultate, qua illam comedere oportuit. Rectè ergo, & uerbis Christi conuenientissimè Ambrosius dixit: Quicunq; manducauerit hunc panem, non morietur in æternum.

OBIECTVM CXCVI.

OBIICITVR ex Ambrosio de Officijs lib. 4. cap. 48. Hic umbra, hic imago, illic ueritas. Vmbra in Lege: imago in Euãgelio: ueritas in cœlestibus. Anteà Agnus offerebatur, offerebatur uitulus: nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem: sed offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine: ibi in ueritate: ubi apud patrem quasi aduocatus pro nobis interuenit. Ait nos adhuc uersari in imagine, & imaginem habere non ueritatem.

GARDINERVS.

VERITATEM *intelligit Ambrosius, quod est suis numeris absolutum.* Mar-

MARTYR.

EX hoc loco Ambrosij uidemus umbram, & imaginem inter se distingui maiori & minori claritate. Res autem ipsa, hoc est, Christus in cœlo est. Veteres in Lege umbram tãtùm eius habuerunt: nos in Baptismo, & Eucharistia eius habemus imaginem. Rem autem ipsam, quod ad realem præsentiam attinet, in futuro sęculo expectamus. Inconstantius autem uult, ueram Christi pręsentiam, quod ad corpus & ad sanguinẽ attinet, & in cœlo esse, & in Sacramento: quamuis eam perfectam, & omnibus numeris absolutam tantùm simus habituri in cœlo. Verùm, cum ista præsentia, quemadmodum sæpè docuimus, pugnet cum sacris literis, & cum ueritate humanæ naturæ, quam oportet in Christo confiteri, iste noster frustra hæc omnia comminiscitur.

Quod autem dicit, nos re ipsa habere Christum in Nouo Testamẽto, fateor. Iam enim Christus suscepit carnem, mortuus est, resurrexit, & unà cum illa humana carne in cœlis regnat: quod in Lege expectabatur tantùm futurum, non autem erat reipsa præstitum. Atque hoc nomine nostra Sacramenta præstant Iudaicis, & dicuntur ab Ambrosio imagines: cum illorum Sacramenta umbrę tantùm fuerint. Quod autem iste somniat, nostras imagines carnem Christi substantiali existentia in se præsentem continere, commentum tantùm est ἀσύστατον.

Huc adhibet Inconstantius simile quoddam suum, quod mihi ualde uidetur dissimile. Vt deus, inquit, ibiq; est, & nihilominus, quoniam gloria sua fruitur in cœlo, domini pręcepto sic oramus, Pater noster, qui es in cœlis: quasi deus in cœlo tãtùm sit, neq; hic nobiscum uersetur in terris: ita, inquit, nos quamuis uerum Christi corpus habeamus in Sacramento, tamen, quia notitia nostra ex parte est, & per fidem, quod est maximè uerum, nobis est in imagine: quod ipsum, ut uerè præsens est, contemplari non ualeamus. Hæc similitudo, quoniam longè dissimilis est à re proposita, id, quod probandum erat, minimè confirmat. Fatemur enim, conuenire deo, ut sit ubique, simulq; essentia sua omnia impleat. Id autem corpori Christi, cum uerè sit humanum corpus, non potest ullo modo conuenire. Quare, quod iste arripit, tanquam uerum & certum, corpus Christi uerè præsens esse in Eucharistia, etsi magis perspicuè agat in cœlis, reijcimus, ut uanum, & commentitium. Quod enim tanta authoritate & tam audacter diceret, oportuit eum scripturis confirmare.

Pergit Inconstantius, Ipsum quidem, inquiens, in se uerum, semper totum, et quasi rotundum est: nec quicquam magis uerum, aut minus uerum dici potest. Sed omnis illa defectio à nobis est: ut nobis, dum hic uiuimus, imago dicatur, quod ipsa re uerum cum integritate sua sit. Mirũ mihi quidem uidetur, Verum, esse, & Præsens esse, apud hunc hominem idem esse. Atqui multa sunt uera, quæ tamen nemo nobis dixerit esse præsentia. Vera omnia sunt, quæcunq; uerbis sacrarum literarum significantur. Nemo tamen, opinor, dicet, illis uerbis ea omnia esse præsentia. Corpus quidem Christi, quod ad ipsum attinet, neque magis, neq; minus uerum est. At hic à nobis non nisi animo, & fide percipitur: cum re ipsa, quod ad substantiam attinet, absit longè à nobis & agat in cœlis. Vbi postquam erimus, illo præsenti, conspicuè, realiterq; perfruemur. Firmissima ergo sunt, quæ Ambrosius, aliiq; patres de typis, imaginibus, signis, figuris, exemplaribus passim dicunt, nostramq; sententiam euidentissimè confirmant.

Verum & Præsens, non sunt idem.

Sed addere uisum est Nazianzeni sentẽtiam, quam habet in Oratione, quæ inscribitur, Cum post ea quæ contra Maximum gesta fuerunt. Ea sic habet: Ab altaribus nos excludunt, sed ego aliud noui altare cuius typum gerunt quæ nũc uidẽtur, super quo nec ascia, nec manus ascendit, neq; quod ferrum audiuit, neque aliquid arte fabricatum, aut uarium: sed totum opus mentis est, & contem-

plationis ascensus. Ibi astabo, ibi offeram acceptabilia, & hostiam, & oblationes & holocaustomata, longe meliora quàm quæ nunc offeruntur, quantum ueritas melior est quàm umbra. Hic apparet Nazianzenum cum Ambrosio consentire, qui Christi corpus, ut in cœlis fide conspicitur, ueritatem appellat, ut in Sacramento quod super altari tractatur, umbram uocat.

OBIECTVM CXCVII.

OBIICITVR è Chrysostomo in epistolam posteriorem ad Corinthios, hom. 20. Non solùm, inquit, quod uobis in mensa proponitur, est corpus Christi, sed etiam pauperes, quibus tenemur prodesse & benefacere. Quandoquidem ille idem, qui ait, Hoc est corpus meum, uerbo suo item dixit, se beneficio affici, & egere in pauperibus.

GARDINERVS.

PRIMVM *amplectendum est, quod ad ueritatem Eucharistiæ affirmandam pertinet: uidelicet, id, quod in mensa proponitur, esse corpus Christi.*

MARTYR.

„ ID, quod putat à se facere, ultrò amplectitur: nimirùm, id, quod proponitur in
„ mensa, esse corpus Christi. Nam quod dicitur, in mensa proponi, ait certam, et
„ ueram eius præsentiam indicare. Sed in eo longè fallitur. Non enim corporis humani proprium est, proponi in mensa, sed panis. Illa ergo loquendi formula hoc significatur, panem illum, qui in mensa proponitur comedendus, suo quodã modo esse corpus Christi: nimirùm, quòd sit eius corporis Sacramentum. Sed ad se aliquando redeat Inconstantius, & cogitet, quo iure uelit nos cogere, ut de eo, quod proponitur in mensa fateamur, loquutionem esse propriam, cum ipse alteram de pauperibus uelit esse translatam. Si uerè loqui uolumus, utraq; loquutio metaphorica est, & ea, qua panis, & ea qua pauperes appellantur corpus Christi. At si, seposita ueritate, noster iste tantùm pro imperio & authoritate sua uelit cogere, ut in priori illa clausula credamus significari ueram præsentiam, alteram autem esse metaphoricam: eodem iure alius quispiam, & quidem multò uerisimilius affirmare posset, posteriorem esse propriam, priorem autem translatã. Nam si fingere & comminisci licet, Corpus Christi re ipsa, & quod attinet ad substantiam adesse præsens in sacra Cœna: multò probabilius est, illud in hominibus, & in primis in pauperibus esse, quàm aut in pane, aut in accidentibus. Chrysostomus æquat utrinq; propositionum intelligentiam. Ait enim, non solùm id, quod proponitur in mensa, sed etiam pauperes esse corpus Christi. Rationem autẽ dicti sui affert firmissimam, quòd idem dominus utrunq; dixerit.

„ Inconstantius uerò, quantũ potest, rem ita conatur peruertere. Nam, inquit,
„ quòd additur de pauperibus, sint illi suo modo corpus Christi. Iste, quod ita faci lè sibi sumit, cur non idem nobis quoque permittit? Idem dominus eodem ore, ac spiritu utrunq; dixit. Cur tu alterum tantoperè urges & amplificas? alterũ autem contrà tam uehementer extenuas? Tyrannicum hoc quidem est, nolle idem
„ ius alijs permittere, quod usurpes tibi. Refocillemus, inquit, pauperes, in quibus corpus domini significatur. Mirũ uerò est, pauperibus significari posse corpus Christi, idẽ significari nõ posse elementis: præsertim cũ ea dicãtur à patribus figu-

figuræ, typi, signa, & symbola. Si dicas, Quoniam id sacræ literæ non docent: idem nos tibi regerimus de pauperibus. Nam illis significari corpus Christi, sacræ literæ nusquam docent.

Sed operæpretium est audire, quid sequatur. Quoniam, inquit, non minus uerum est, pauperes significare corpus eius, cui gratiam referamus, quàm in mysterio uerè esse præsens corpus pro nobis passum, à quo gratiã accepimus. Hic uel cæcus uidere potest, hoc discrimen significationis, & præsentię fingi tantùm ab Inconstantio, in Chrysostomo autem non haberi. Ego in iudicio nunquam sic agendum existimaui, ut uerba testium pro libidine liceret immutare. Nulla est enim causa tam mala, quæ non mutando, addendo, detrahendo fieri possit optima. Fatemur, Corpus illud, quod proponitur in mensa, edendum esse: illud autem Corpus, quod sunt pauperes, alendum esse. Et Chrysostomum uidemus ista duo prudenter, & utiliter coniunxisse. Diuersitatem autem istam intelligentiæ, quasi in altera sermo sit proprius, in altera tropicus, non recipimus. Quòd autem Chrysostomus alibi fateatur, sese imparem esse explicando huic tanto mysterio, ad institutum nihil facit. Et si quid faceret, tamen eadem uis in altera quoque dicendi forma inueniretur. Alienum sanè à causa est, quod omnibus sacramentis commune sit, id uni tantùm sacramento uelle propriè accommodare: quale est, non posse ab hominibus inueniri, & explicari rationem, qua spiritus sanctus illis utatur: aut fructus magnitudinem, quæ ex illorum legitimo usu ad nos redeat: aut quo cõsilio deus nobiscum hoc modo magis, quàm alio agere uoluerit. Eandem autem difficultatem in altera quoq; parte esse de pauperibus facilè apparet. Illa enim φιλανθρωπία, qua Christus pauperes suos complectitur, nulla quã tumuis diserta oratione expediri potest: nec ab ullo quamuis prudentissimo spiritu cogitari. Quare utrinq; par est explicationis difficultas.

Cur sacramentorum ratio explicari non possit.

OBIECTVM CXCVIII.

OBIICITVR ex Chrysostomo hom. 11. in Matthæum, in opere, quod dicitur Imperfectum. In sanctis, inquit, uasis non esse corpus Christi, sed tantùm mysterium corporis Christi.

GARDINERVS.

DE *uasis Veteris testamenti loquitur, quæ Balthazar ausus sit prophanare.*

MARTYR.

NVllum est tam uastum, aut tam immanè pondus, quod Inconstantius non ausit tollere. Nam uerba ita Chrysostomi tam clara, tamq; perspicua sunt, ut omnes Papistas debeant deterrere à respondendo. Iste tamen tribus minimùm insulsissimis strophis putat se posse ea eludere. Primùm quidem ait, authorem illũ eo loco agere de uasis, non Noui, sed Veteris testamenti. Et sanè uerum est, in uasis templi Salomonici, aut tabernaculi Mosaici non fuisse corpus Christi. Facit quidem author ille mentionem illorum uasorum, quę Balthazar polluit in Babylonia, & affecit ignominia: eoq; ostendit, illos grauissimè peccare, qui uasa sacra in priuatos usus transferant: quòd deus factum illud impij Regis non siuerit abire impunè. Sed iste noster non attendit, id, quod sequitur in Chrysostomo, quodq; in Obiectione citatur, omninò de nostris uasis intelligendum esse. Nullæ enim extant loquutiones in Veteri testamento, unde ulla, uel minima su-

ſpicio naſci poſsit, in illis uaſis aut Moſaicis, aut Salomonicis fuiſſe corpus Chriſti. Cum autem id de noſtris uaſis poſt mortem Chriſti, & Cœnæ inſtitutionem poſſet aliquo modo dubitari, Chryſoſtomus explicare uoluit, quomodò id eſſet intelligendum: nempè, myſterium, hoc eſt, ſacramentum corporis Chriſti, non autem ipſum Chriſti corpus in illis contineri. Atq; ita rem ſe habere, uerba ipſa declarant. Non enim dicit, corpus Chriſti non fuiſſe in uaſis, ſed per præſens tempus non eſſe.

„ Verùm audiamus Scriptoris ipſius contextum. Si enim uaſa ſanctificata ad „ priuatos uſus transferre peccatum eſt, & periculum, ſicut nos docet Balthazar, „ qui bibens de calicibus ſacris de regno depoſitus eſt, & de uita. Si ergo hæc uaſa „ ſanctificata transferre ad priuatos uſus ſic periculoſum eſt, in quibus non eſt ue„ rum corpus Chriſti, ſed myſterium corporis eius continetur: quantò, inquit, ma„ gis uaſa corporis noſtri, quæ ſibi deus ad habitaculum præparauit? Non debe„ mus locum dare diabolo agendi in eis, quod uult. Ex his apparet, quæ ſit illo„ rum uerborum ſententia. Hoc ille probare uoluit, grauiſsimum peccatum eſſe, permittere corpora noſtra diabolo, ut eis abutatur pro libidine, cum illa ſint habitacula & uaſa dei. Rationes ducit, Primùm à uaſis antiquæ Legis, quæ erant ſacrata deo: quòd Balthazar, cum illis abuſus eſſet, & uitam, & regnum amiſerit. Deinde à noſtris etiam uaſis, quæ polluere grauius peccatum eſſet: quòd illa etſi non uerum corpus Chriſti, tamen eius corporis myſterium contineant. Concludit ergo, multò omnium grauiſsimum eſſe, uaſa corporum noſtrorum uelle prodere diabolo, cum ea deus ipſe Optimus max. habere uelit pro domicilijs. Ex his apparet, ſecundo loco mentionem fieri de noſtris uaſis, & ita per gradus ad corpora noſtra peruenirì.

Cæterùm Inconſtantius ipſe ſatis uidit, primam illam ſuam ſtropham non ſa„ tis procedere. Itaq; ſecundo loco recipit ſe ad Eraſmum. Eum ait librum prorſus
Eraſmus. abiudicare Chryſoſtomo, & authorē notare hæreſeos. Scio equidem, Eraſmum iudicare, librum illum non eſſe Chryſoſtomi, ſed authoris potius alicuius Latini:
Maximinus Arrianus author operis in Matthæum imperfecti. quem in præfatione in Origenem ſuſpicatur fuiſſe Maximinum Arrianum. Sed miror, Inconſtantium nunc tandem Eraſmi iudicium tanti facere, cum eum ſoleat aliàs ſatis è ſublimi contemnere. Sed hoc mea nihil refert. Nam ne ego quidem unquam iudicaui, librum illum eſſe Chryſoſtomi. Nam in eo Arrianiſmum apertiſsimum deprehendo. Sed Arriani, quod ego ſciam, nunquam eo nomine accuſati ſunt, quod malè ſentirent de Euchariſtia. De Filio, de Spiritu ſancto, de diuina Chriſti natura meritò ſunt accuſati. Sed quocunq; modo ſe res habeat de libri authore, & Arrianiſmo, certè ob hæc uerba, quæ citantur in Obiectione, author non poteſt cuiquam uideri Arrianus. Quicquid eſt, iudicium iſtud Eraſmi, ad quod ſecundo loco ſeſe Inconſtantius contulit, priorem illam ſtropham prorſus euertit. Nam Eraſmus, ut ſatis liquet ex eius præfatione in illum librum, intelligit, ea uerba dicta eſſe de Euchariſtia; & notat authorem, ut de hoc Sacramento minus rectè ſentientem. Non debebat Inconſtantius, ne Conſtantiæ quidem ſuæ cauſa tam ἀσύσατα, & tam pugnantia ſcribere.

„ Tertia autem ſtropha eſt, poſſe aliquo ſenſu dari, ſanguinem Chriſti in uaſis „ noſtris non contineri: quòd non ſit ibi, tanquam in loco. Sed iſta rancida, & putida ſunt ſophiſmata iam dudum plus centies confutata: corpus humanum uerè, & ſubſtantialiter adeſſe, nec habere aut menſuræ, aut loci definitionem.

„ Poſtremò concludit, Chryſoſtomū iſtum id uelle, quod ille diſertiſsimis uer„ bis negat. Verba enim, inquit, eius huc ualent, ut oſtendant, ſacramenta noſtra „ tantùm ab illis Veterum ſacramentis diſtare, ut nudæ illis figuræ rerum ſignifi„ catiuè: nobis autem adſit ſimul cum figura res, ut uerū corpus, & uerus ſanguis in no-

in noſtris uaſis eſſe poſſint, & ſint. Quis hoc ex iſs uerbis eliceret, niſi Inconſtantius? Ille autem poteſt, quoniam à Sophiſtica & impudentia habet, ut poſſit. Aliꝫ non poſſunt: quia uerba ipſa apertiſſimè docent contrarium.

OBIECTVM CXCIX.

OBIICITVR ex Chryſoſt. in cap. 11. Prioris ad Corinth. homil. 27. Quemadmodum Chriſtus, & in pane, & in calice, In meam commemorationem, dixit, facite. Hinc licet colligere, Chriſtum illa uerba, non de uero ſuo corpore dixiſſe, ſed de pane.

GARDINERVS.

VTITVR, *uidelicet, in appellatione panis ueteri nomine, ratione nominis ſublata.*

MARTYR.

VTitur hoc loco duabus diuerticulis, ut ſeſe aliquo ſaltem modo explicet. Primùm, Chryſoſtomum uti ueteri nomine panis, quamuis ratio eius nominis per conſecrationem ſit ablata. Ita, uidelicet, religioſè iſti homines temperant ſibi à tropis. Sed eſt iſta incredibilis licentia, uel tyrannis potius, id ſibi ita liberè permittere, quod ferre non poſſit in aliꝫs. Verùm hanc audaciã, atque impudentiam ſatis iam ſuprà confutauimus, ut hic non ſit opus pluribus.

Alterum autem diuerticulum multò etiam frigidius eſt, & impudentius. Ait enim, Chriſtũ in Cœna prius dixiſſe, Hoc facite in meam commemorationem, quàm pronuntiaret illa uerba, Hoc eſt Corpus meum. Si quæras, qua authoritate hoc dicat: reſpondet, Contextũ ipſum uerborũ Cypriani in Sermone de Cœna domini, & Iuſtini in Apologia 2. hoc ſtatuere. Cæterùm hoc quàm ſit infirmum, pueri etiam uident. Imò ne Inconſtantius quidem ipſe ita cæcus fuit, quin ut id intelligeret puerile eſſe, eoꝫ ſubiecit: Si ex uerborum ordine colligere ſit tutum. Audin' tu iſta, Lector? Iſte quiduis paratus eſt apprehendere, modò id putet fore tutum. Sed age, ut propius accedamus, nónne poteſt fieri, quod in aliꝫs ſcriptoribus ſæpè accidit, ut iſti duo patres inuoluerint aliquantulum, & inuerterint uerba ſua? Certè ab illis ordinem rei à Chriſto in cœna geſtæ petere nõ debemus. Habemus enim Lucã, & Paulum in ea re teſtes multò luculentiores. Illi huius tantum particulæ mentionem faciunt, Hoc facite in mei commemorationem. Illos mihi ſpecta: illos conſule. Nam Patres quidem tantiſper audiendi ſunt, quoad cum illis conſentiunt. Sed hæc ueſtra eſt doctrinæ ratio & importunitas, ut patres pluris uelitis fieri, quàm ſacras literas. Verùm ſi plebs, quod alicubi iam pridem cœpit facere, ſeſe aliquando colligat, nunquam, mihi credite, audiemini.

OBIECTVM CC.

OBIICITVR ex Chryſoſt. in Pſal. 22. Paraſti in conſpectu meo menſam: ut quotidiè, inquit, in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti, panem & uinum ſecundum ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in Sacramento. Hic notandum eſt, quod ait, In ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti.

GARDINERVS.

ERANT, *qui Consubstantialitatem uerbo, ὁμοιούσιον, exprimerent: quod uerbum, ὁμοιούσιον, similem substantiam sonat.*

MARTYR.

LOcus apertissimus est de similitudine corporis & sanguinis Christi. Quid ergo faciet Inconstantius? Quid, nisi ut ad artes suas se recipiat? Recitat primum de Basilio: illum respondisse, ad exprimendam substantiam patris, & filij, Basilius. „ se non abhorrere à uerbo, ὁμοιούσιον, modò iusta, plenaq; significatio adhiberetur: „ secundum quam putabat id dici simile, quod sit idem. Ita hic, inquit iste noster, „ similitudinem sanguinis posse prædicari de uero sanguine, qui omninò sit idem: „ quemadmodum substãtia dicitur similis, quæ planè sit eadem. Vt ab eo, quod ultimo loco dictum est, incipiam, substantia sua, propriaq; natura non dicitur similis, aut dissimilis: sed uel eadem, uel diuersa. Nam si quando dicatur similis, id habet à qualitatibus. Deinde addo, hanc fictionem non posse cõuenire in uerba Chrysostomi. Is enim inquit, panem & uinum similitudinem habere corporis & sanguinis domini: panem autem & uinũ nemo, opinor, dixerit, eadem esse cum corpore & sanguine Christi. Deinde Chrysostomus talem dicit panẽ, taleq; uinũ, qualia prolata sunt à Melchisedecho. Illa autem haud dubiè non erant transubstantiata. Hoc ergo loco similitudo non potest idem esse, quod identitas.

„ Sed operæpretium est audire, quid iste porrò somniet. Hanc sententiã ait uerborum compositione perplexam esse: eamq; ita, si Deo placet, oportere explicari: Paratam esse nobis mensam à domino, in qua ostenderet nobis in Sacramento panem & uinum, quæ Melchisedech obtulit in similitudinem, hoc est, in figuram corporis & sanguinis Christi: Oblationem enim illam fuisse figuram huius sacrificij. Primùm, istam uerborum perplexitatem lector ipse facilè per se intelliget ab Inconstantio confictam esse. Nam ea in uerbis Chrysostomi nulla est. Quare eam refellere non est opus. Sed hic attende, Inconstantium imprudentem, & nolentem fateri, ostendi nobis in Sacramento panem & uinum. Hoc autem non aliud est, quàm Transubstantiationem suam, quam tam strenuè propugnat, tacitè abiurare. Fatetur etiam id, quod semper anteà negauerat, Sacrificia Veterum fuisse umbras & figuras sacrificiorũ nostrorum. Qualis autem ista sit constantia, me tacente, res ipsa loquitur.

OBIECTVM CCI.

OBIICITVR ex Chrysostomo ad Cæsarium monachum. Et Deus, inquit, & homo est Christus. Deus propter impassibilitatem: homo propter passionem: unus filius: unus dominus: idem ipse procul dubio, unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiam si non consubstantialiter existant, & unaquæq; incommixta proprietatis conseruat agnitionem, propter hoc, quod inconfusa sunt duo. Sicut enim, antequam sanctificetur panis, panem nominamus: diuina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus aũt habitus est Dominici corporis appellatione, etsi

etsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum filij corpus prædicatur, sic & hæc diuina, ἐνιδ ἕνωσις, id est, inundante corporis natura, unum filium, unam personam, utraq; hæc fecerunt.

GARDINERVS.

NON *est hoc Iohannis Chrysostomi, sed Iohannis cuiusdam Constantinopolitani.*

MARTYR.

ANte omnia contendit de authore: eumq; negat fuisse Chrysostomum. Fingit autem sibi Iohannem quendam, nescio quem, Constantinopolitanum, hominem hactenus inauditum. Quem nisi aliquo monumento, aut testimonio, aut saltem obscuro aliquo uestigio ostendat, quinam, & quorum temporum fuerit, quid obstabit, quo minus credamus, istum illum sibi peperisse: maximè cum uideamus, Chrysostomum & in Ecclesiastica historia, & ab Augustino, cum ab eo citatur contra Pelagianos, Iohannem Constantinopolitanum appellari? Hieronymus quoq; De uiris illustribus illum, non Chrysostomum uocat, sed Antiochenæ Ecclesiæ presbyterum. Sed mitto ista. Hoc multò maioris est momenti, quòd ait illum non ponere in Christo naturarum perfectionem, sed consistentiam. Hoc in illis uerbis, quæ adducta sunt, non habetur: neq; uspiam, quod sciã, ab illo scribitur. Etsi enim duarum naturarum una in Christo sit hypostasis, aut consistentia, tamen utraq; illa Christi natura perfecta est. Quid enim? Nónne in symbolo Athanasij legimus, Perfectus deus, Perfectus homo? Quomodò autem esse potest perfectus homo, nisi perfectam habeat naturam humanam? Verùm hoc illum fallit, quod putat, hypostasin pertinere ad naturæ perfectionem. Qua in re multùm hallucinatur.

Ecclesiastica historia.
Augustinus.
Hieronymus.
Natura humana in Christo est perfecta.
Symbolum Athanasij.
Hypostasis non pertinet ad naturæ perfectionem.

Quanquam mihi, non tam hallucinari uidetur, quàm stropham quandam huiusmodi sectari, ut dicere uelit, etiam naturam panis in Eucharistia imperfectam esse: quòd ibi eius tantùm seruentur accidentia. Sic enim posteà scribit: In Eucharistia notat manere naturam panis: quod & Ecclesia fatetur hactenùs, ut uideatur, palpetur, gustetur, corrumpatur iuxta naturæ proprietatem. Itáne Inconstãti? An ita imperfectam statuis esse naturam humanam in Christo, ut, quod de Eucharistia fingitis, sola eius supersint accidentia? Christus est homo perfectus: &, si Chrysostomi collationem uelis persequi, panis quoq; in Eucharistia est perfectus. Ait enim, panem illum dignum habitum esse appellatione corporis Christi, etsi natura panis in illo permaneat. Hic uelim mihi responderi, quid in illo pronomine, In ipso, demõstretur. Certè Chrysostomus de pane loquitur. Quomodò ergo eius natura in ipso manet, si panis ipse non maneat? Crede mihi, Inconstanti, uestra ista multò obscuriora sunt, quàm antrum Trophonij.

Deinde iste peruertit orationem Chrysostomi. Nam quod ille ait, naturas in Christo incommixtas esse, & conseruare agnitionem proprietatis suæ, quòd sint inconfusæ: & inde se conuertit ad Eucharistiam: iste contrà omnia confundit, & miscet, & istam conseruationem proprietatem ad Eucharistiam applicat: deinde accedit ad duas naturas in Christo. Atq; hoc modo prudentiam authoris euertit. Ille enim mentionem fecit proprietatum illarum, cum de duabus in Christo naturis loqueretur: quod uideret, in ea parte nullum esse periculum ab errore. Nemo enim Catholicus auderet unquam ponere in Christo solas proprietates hominis sine humana natura. Posteà uerò, cum loquitur de Eucharistia, disertis

u

uerbis ait, non proprietates eius manere, sed panis naturam in ipso conseruari. Sed iste surdis auribus, & dissimulans transit illud, quod Chrysostomus ait, panē per Cōsecrationem liberari ab appellatione panis, quamuis eius natura maneat: illumq; dignum habitum esse appellatione corporis Christi. Nam hæc uerba clarissimè ostendunt, quomodò panis Eucharistiæ sit corpus Christi: nimirùm appellatione: quæ tamen appellatio inanis nō sit. Panis enim per Consecrationem fit mysterium corporis Christi. Quemadmodum aqua quoq; in Baptismo non amplius aqua nominatur, sed lauacrum regenerationis. Symbola enim in sacramentis priora nomina deponunt, & noua suscipiunt: cum tamē re ipsa naturam priorem non exuant: idq; in Dialogis suis Theodoretus luculentissimè docuit; quod suo loco ostendimus.

Theodoretus.

Quod autem Chrysostomus addit, Vnum tantùm corpus prædicari, non duo corpora, rectissimè dicit: & ita dicendo Transubstantiationem prorsus excludit; nec eam tantùm, sed etiam substantialem, realemq; præsentiam. Nam si alterutrum horum statuas, necesse est, ut fatearis minimùm duo esse corpora domini: alterum, quod sit in cœlo, quod omnes communiter fatemur: alterum autem, quod sub pane, aut sub accidentibus panis deliteſcat. Atq; hoc illud est nobile ingenium Inconstantij, ea afferre firmamenta, & præsidia Transubstantiationis suæ, quibus illa maximè euertatur. Notet autem prudens Lector, Chrysostomum ad extremum ita scribere, quod attinet ad Eucharistiam, prædicationem esse unius corporis domini. Ita enim perstat in sentētia: nimirùm, appellationem quidem afferri nouam, quod est, symbola nominibus rerum uocari, ut docuit Cyprianus, Augustinus, Cyrillus, atq; Theodoretus, non autem naturam corporis Christi re ipsa & substantia uel cum pane, uel cum eius accidentibus coniungi. Quemadmodum autem Eucharistia dicatur constare ex duabus naturis, cum Irenæi & Cypriani uerba exponeremus, satis diximus.

OBIECTVM CCII.

OBIICITVR ex Chrysostomo in 10. caput prioris ad Corinth. Quid enim, inquit, appello Communionem? Idem ipsum corpus sumus. Quid nam significat panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui accipiunt? Corpus Christi. Hic habemus, panem significare corpus Christi.

GARDINERVS.

HOC *in loco Chrysostomus uerba Pauli explicans, Panis, quem frangimus, non Communicatio corporis Christi est, Communionis effectum in uerbo Communio notat.*

MARTYR.

NIhil opus est longo circuitu, ut doceamus, nos omnes, quicunq; Christo credimus, esse unum & idē corpus: illudq; appellari corpus Christi, quòd ab illo pendeat, tanquam à capite, atq; ab eo uires, motum spiritualem, & sensum diuinarum rerum hauriat. Effici autem nos corpus Christi, quod comedamus ore, ac dentibus eius carnes, ut isti fingunt, nihil aliud est, quàm mera impostura, & somnium. Hoc potius cogitemus, omnes, quicunq; utiliter, & cum fructu percipiunt Eucharistiam, ante etiam, quàm ad illam accedāt, esse illud idem corpus Christi. Nam si extra illud essent, ad iudicium ederent, & biberent. Non tamen inficiamur, ex usu sacramentorum excitari in nobis fidem, qua maior in nos deriuetur

Qui accedunt ad edendū corpus Christi, oportet ut prius sint de illius corpore.

riuetur copia ſpiritus, ut nos in myſticũ illud Chriſti corpus magis, magisq; inſi-
nuemus. Quid autem Apoſtolus ſibi uelit ad Epheſios, cum dicat, Nos eſſe os
ex oſſibus eius, & carnem de carne eius, dictum eſt ſuprà. Hoc autem in loco,
quem Chryſoſtomus interpretatur, Paulus nihil aliud ſignificare uoluit, quàm
panem illum, quem frangimus in Cœna, ſua ſimilitudine oſtendere, qualem nos
inter nos habeamus Communionem in corpore Chriſti, qui uera fide Sacramen
ta percipimus. Id ex eo apparet, quod ſtatim ſubijcitur, Nos non eſſe multa cor-
pora, ſed unum corpus. Nam quemadmodum panis ex multis granis ita unitur
& compingitur, ut, quamuis ibi grana re uera ſint, ea tamen non extent, nec ap-
pareant, ſed prorſus inter ſe mixta ſint, & confuſa in unam maſſam: ita nos quo-
que & inuicem inter nos, & cum Chriſto coniungimur. Neq; ambigere poſ-
ſumus, Chryſoſtomũ hoc loco agere de illo pane, qui adhibetur pro ſymbolo in
Euchariſtia. Ait enim, illũ panẽ unitũ eſſe ex multis granis, eaq; grana in eo eſ-
ſe: uidelicet, quod attinet ad materiam, quamuis ea non appareant, quòd incerta
coniunctione ſint inter ſe confuſa: quemadmodum fideles quoque inter ſe uniti
& coniuncti ſunt, quamuis nexus illi & compagines, quibus inter ſe cõmittun-
tur, non appareant. Quare, ſi panis Euchariſtiæ, quemadmodum Chryſoſto-
mus, alíq; patres dicunt, typus eſt eius ſocietatis, qua inter ſe fideles coniungun
tur, recte dicimus, quo ad materiam attinet, illum conſtare ex granis, & grana ip
ſa in eo remanere, quamuis non uideantur.

Sed incredibile eſt, quanto iſte ſtrepitu & clamore appellet authorem huius
Obiectionis adulteratorem uerbi & Dei & hominũ. Ait enim in Chryſoſtomo,,
non haberi illa uerba: Quid nam ſignificat panis? Sed tantùm, Quid eſt panis? Et,,
illum ſibi reſpondere, Corpus Chriſti. Hoc autem ſcelus clamat eſſe inexpiabile.,,
Facito, ita eſſe: & fateamur, hominem illum, quicunq; fuerit, grauiſſimè lapſum
eſſe. Et, quemadmodum re uera in Græco habetur interroget Chryſoſtomus,
Quid eſt panis? Reſpondeatq;, Corpus Chriſti. Det ergo nobis Inconſtantius,
nec ſe tergiuerſetur, panem eſſe corpus Chriſti. Vbi iam erit Tranſubſtantiatio?
Quomodo poſſunt duæ formæ diſtinctæ, aut ſpecies, ut loquuntur, diſparatæ de
ſe mutuò prædicari? Puto equidem, illum, qui ita citauit uerba Chryſoſtomi, In-
conſtantio uoluiſſe eſſe magis propitium, quàm ipſe uelit eſſe ſibi. Neque enim
iſtum latuit difficultas ea, in quam ſe induerat. Conatur quidem ſeſe explicare:
ſed fruſtrà. Quanto enim magis, magisq; ſtudet enatare, tantò magis, & profun-
dius immergitur.

Ait ergo, Chryſoſtomum, cum dicat, Panem, Dominum ipſum intelligere.,,
Sit ita ſanè. Sed quis tandem erit uerborum illorũ ſenſus? Quid eſt corpus Chri-,,
ſti? Reſpondet Chryſoſtomus, Eſt corpus Chriſti. Deinde etiam uideamus, an
uerba illa Pauli, quæ Chryſoſtomus exponit, poſſint hunc ſenſum recipere. Pa-
nis, quem frangimus, inquit, nónne eſt cõmunicatio corporis Chriſti? Quis au-
tem dicat, Chriſtum ipſum, aut eius corpus in Cœna frangi? Imò Chryſoſtomus,
ipſe paulò poſt ſatis oſtendit, de quo loquatur pane. Illum enim deſcribit pa-
nem, qui conſtet granis, & in quo grana ipſa exiſtant: etſi non uideantur. Nemo
autem tam inſanus eſt, ut dicere uelit, Corpus Chriſti conſtare ex granis. Hæc
cum ita ſint, ſatis apparet, cur ille, qui obiecit locum iſtum Chryſoſtomi, pro uer-
bo, Eſt, ſupponere uoluerit, ſignificat: nimirùm, quòd uideret, neq; Pauli, neque
Chryſoſtomi uerba poſſe aliter conſiſtere.

Illum autem Obiectionem ſuam his uerbis concluſiſſe, Hic clarũ eſt, panem
ſignificare corpus Chriſti, non arbitror. Magis enim puto, concluſionem illam,
ut alia multa, fictam eſſe ab Inconſtantio: niſi eam mihi ipſo in authore oſtende-
rit. Quod autem iſte addit ad calicem, Chryſoſtomum in reſponſione ſua nul-

lam mentionem facere de signo, aut figura, friuolum est. Nam si, quod necesse est fateri, intelligat panem triticeum, quiuis facilè uidere potest, loquutionem esse figuratam. At si, ut iste somniat, panem dicat ipsum corpus Christi, figura quidem nulla erit: sed summa erit orationis absurditas, ut idem prædicetur de seipso, dicaturq; Corpus Christi, est corpus Christi. Nobis autem satis est ex his uerbis elicuisse, panem manere in Eucharistia.

OBIECTVM CCIII.

OBIICITVR ex Chrysostomo hom. 83. in Matthæum. Ista ait esse symbola domini Iesu, quibus obturamus ora Hæreticorum, qui quærunt, quomodò dominus sit passus. Nisi enim uerè habuisset carnem, & uerè fuisset passus, hæc, inquit, symbola uana essent.

GARDINERVS.

QVOD *hoc in loco scribit Chrysostomus, obturasset huius etiam hæretici os, ni diserum nimis & impudens esset.*

MARTYR.

VT uenenatam istius λογομαχίαν omittam, hoc tantùm admonebo, illum, qui locum hunc Chrysostomi proposuit, uideri mihi sensum tantùm referre uoluisse. Nam uerba ipsa multò apertius à nobis faciunt. Age enim: uerba ipsa Chrysostomi, ut apud illum leguntur, audiamus. Quando Hæretici, inquit, dicunt, Vnde patet immolatum fuisse Christum? & alia multa mysteria: hæc enim afferentes ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum, & signum hoc sacrificium est? Si Hæreticorum illorum, qui dicebant, Christum neque uerum corpus habuisse, neque uerè fuisse passum, ora frenantur & consuuntur ex eo ipso, quod Catholici afferunt hoc symbolum, ut certum & uerum, quòd alioqui falsum esset, nisi Christus uerum corpus humanum habuisset, & uerè fuisset passus, liquidò apparet, quid'nam de hoc Sacramento sit credendum: nempè symbolum illud esse: quod ut sit uerum, necesse sit ea uerè fuisse, quæ eo significentur. Significatur autem eo corpus Christi, & eius mors in cruce. Hæc sanè docet Chrysostomus. Et eodem omninò argumento Tertullianus usus est contra Martionem. Intempestiuè autem urget Inconstantius, à Chrysostomo mentionem fieri sacrificij. Quod quoniam quemadmodum accipiendum sit sæpè aliàs diximus, non necesse puto, eadem hic repetere: maximè cum id ad institutum huius loci nihil faciat. Neque hic Inconstantio morem geram: qui sæpissimè, quò deflectat à præsenti causa, quæstiones intexit alienas.

Tertullianus.

Hic autem sine ulla omnino probatione ait, Sacrificium Ecclesiæ secundum Chrysostomum non ex pane & uino constare, sed ex uero Christi corpore uerè præsenti. Sed hoc totum, Inconstanti, cur non aut ex istis, quæ hic citantur, aut ex alijs uerbis Chrysostomi ostendisti? Certè facilè poteras suspicari, nos nudo tuo dicto non ita temerè credituros: præsertim, cum exmultis testimonijs huius Patris, quæ partim iam adducta sunt, uideamus, panem & uinum in Eucharistia remanere; neque reali illa uestra præsentia opus esse.

Verùm

Verùm omissa hac trica, uideamus porrò, quò iste sese conferat. Non est absurdum, inquit, ut idem corpus sit sui ipsius symbolum, & signũ. Quid ita? Nam certè ratio nulla adferri potest, cur aliquid sit signum sui ipsius. Hoc enim prorsus inauditum est. Signum enim necesse est differre à significato. Oportet enim inter illa esse relationem: nisi fortè de illis rebus uelimus loqui, quę finguntur tantùm, & sola imaginatione consistunt. At, inquit, corpus Christi in Eucharistia est signum sui, quia se ipsum refert, quà olim tradebatur in cruce. Atqui longè certius, & manifestius est, corpus Christi mactatũ fuisse in cruce à Iudæis, quàm est, quod isti garriunt, illud nunc delitescere sub accidentibus. Nihil autem est, quod illud ait iam olim præterijsse. Neminem enim inuenias hodiè aut Christianum, aut Iudæum, qui id factum fuisse neget. Qui autem hoc uestrum commentum aut inficientur, aut ambigant, inuenies innumerabiles. Consulo igitur, & tibi, Inconstanti, et tui similibus, ne posthac tumultuemini, si audiatis nos dicere, Eucharistiam esse symbolum, aut signum corporis Christi pro nobis in crucem traditi.

OBIECTVM CCIIII.

OBIICITVR ex Chrysostomo in priorem ad Corinthios, cap. 10. hom. 24. Iubet, inquit, nobis, ut cum charitate, & concordia maxima ad se accedamus: & aquilæ in hac uita facti ad ipsum cœlum subuolemus, uel potius suprà cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, ibi & aquilæ. Cadauer domini corpus propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat, ut ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit: & nihil in terra debere illi esse commune, nec ad inferiora trahi, ac repere, sed ad superiora semper uolare, & in Solem iustitiæ intueri, mẽtisq; oculum acutissimum habere. Aquilarũ enim, non graculorum hæc mensa est. Hic ostendit, quemadmodum nobis, cum communicamus, in cœlum ascendendum sit, si Christi corpore frui uolumus.

GARDINERVS.

VERBA *sunt excitantis nos ad dignè communicandum Christo: cum quo si uerè in Baptismo mortui cum eodem resurreximus, quæ sursum sunt, quæramus.*

MARTYR.

VT intelligas, Lector, quàm hic perplexè, atq; anxiè respondeat, non pigebit me uerba ipsa Inconstantij recitare. Nihil, inquit, minuitur de ueritate sacramenti. Nam ut præsentia Christi in sacramento cum eiusdem in cœlo præsentia consistit, sic mentis nostræ in cœlum eleuatio illã à Christo in sacramento contemplando non disiungit. Imò qui non uidet Christum à dextris sedentem, illum non potest in sacramento uidere. Quod iste priori loco sumit sibi, id à nobis nunquam auferet. Quia corporis Christi præsentia in cœlo, ex diametro pugnat cum eiusdem præsentia in sacramento: idq;, ut Augustinus ait, propter modum ueri humani corporis. Posterius uerò alienum, & absurdum est, ut mens

noſtra ſi iubeatur aſcendere in cœlum ad Chriſti corpus, illud idem habeat præſens in ſacramento. Quis enim obſecro, mouetur ad id, quod habet præſens? Inanis eſſet hæc exhortatio Chryſoſtomi, ſi oporteret credere, corpus Chriſti uerè adeſſe in altari. Neque cuiuſquam mens ſimul atque eodem tempore & in cœlo, & in terra uerſari poteſt. Corpore quidem in terris eſſe, & mente eodem tempore in cœlo agere licet. Mente autem & in cœlo, & in terra ſimul uerſari non licet. Nuſquam legimus, Chriſtum cum eſſet in terris, hortatum Apoſtolos, ut ſe alibi quærerent, quàm ubi eſſet cum illis præſens. Mihi perſuadeo, Apoſtolos, cum audiſſent in Cœna dominum de pane dicere, Hoc eſt corpus meum, non in panem, ſed in Chriſtum ipſum oculos defixos habuiſſe. At ſi Chriſtus iſtorum doctrinam ſequi, & ſtabilire uoluiſſet, debuiſſet dicere, Quid me ſpectatis diſcumbentem hic uobiſcum? Id potius, quod habeo in manibus, contemplamini. Ibi enim ego ſum: corpus meum iam & hic, & ibi eſt: atq; ibi quidem incredibili, & ineffabili miraculo. Quare me ibi potius intueamini. Verũ hæc Chriſtus non dixit. Quare eum imitatus Chryſoſtomus eos, qui accedant ad ſacram menſam, hortatur, ut mente, atq; animo in cœlum conſcendant ad corpus domini. Sed iuxta Inconſtantij ſententiam, quod Chryſoſtomus hic admonet, id alio potius quouis tempore eſſet à pijs hominibus faciendum: non autem tum, cum celebratur Cœna domini. Nam ſi ibi corpus Chriſti præſens eſt, non ſunt ablegandi in cœlum, ut ibi illo frui poſſint. Cætera quæ hoc loco ab Inconſtantio adferuntur, & leuia ſunt, nec inter nos controuerſa. Omnes enim hoc fatemur, & damus oportere mentes cõmunicantium repurgari à terrenis ſordibus, nec amplius huius mundi fecibus immergi.

Mente nõ licet ſimul & in terris & in cœlis agere.

Chriſtus nõ eſt apoſtolos hortatus, ut ſuũ corpus alibi quærerent, quàm ubi ipſe præſens aderat.

OBIECTVM CCV.

OBIICITVR ex eodem Chryſoſtomo in Matthæum, cap. 26. homil. 83. Illi ex Aegypto in Palæſtinam erant profecturi: & ideò uiatoris habitum habebant: tu de terra in cœlum aſcenſurus es. Hic hortatur, ut fide in cœlum ipſum aſcendamus, ibiq;, non autem in Sacramento, Chriſti corpus comedamus.

GARDINERVS.

NOS *non, ut Patres, terram terra mutamus: ſed fæliciore peregrinatione de terra migramus in cœlum.*

MARTYR.

„ CVm peregrinandum ſit in cœlum, ad hoc iter ait Euchariſtiam eſſe uiaticum. Excitari nos hoc ſacramento, ut aſcendamus in cœlum, non inficiamur. Imò hac maximè cauſa prædicamus externum dei uerbum, & ſacramenta eſſe inſtituta. Verùm id ad hoc inſtitutum non pertinet. Iam anteà enim expediuerat Chryſoſtomus, quorſum nobis animo contendendum ſit in cœlum, interim dum celebramus Cœnã domini: nimirùm, ut accedamus ad corpus Chriſti: quod corpus ſi realiter, & ſubſtantialiter haberemus præſens in ſacramento, nihil eſſet cauſæ, cur aſcenderemus in cœlum. Ibi enim, ut iſti dicunt, illud habemus: ibi illud fide contemplamur: ibi illud realiter comedimus: ibi illud præſens adoramus. Nihil ergo opus eſt uiatico, ut ad illud perueniamus. Neq; uerò loquitur Chryſoſtomus de aſcenſione noſtra in cœlum poſt hãc uitam; ſed de profectione

Perſtringitur uiaticum Papiſtarum.

fectione ſpiritus ac mentis noſtræ, qua interim, dum communicamus, in cœlum eundum ſit. Sed Inconſtantius obliuiſci non poteſt ſodalium ſuorum Papiſtarum. Illi enim magno cum ſcelere idololatriæ panem deferunt ad ægrotos, iam propè moribundos: eumq; magna pompa, funalibus, & tintinnabulis ornant, & publicè per plateas iubent ab omnibus adorari. Atque hunc cibum, quem ita omni ſuperſtitionis, & idololatriæ ſcelere contaminarunt, ſi deo placet, appellant Viaticum.

Atqui obtrudit etiam præterea nobis uerba Chryſoſtomi ex tertio eius libro De Sacerdotio. Ea autem refert ad hunc modum. O immenſam dei benignitatem: Qui in cœlo regnans cum patre, ſurſum ſedens, & noſtris manibus teneris in terris: nõ eo modo, quomodò caro cogitat: quæ omnis prorſus abijcienda eſt: ſed admirabili modo, non manifeſtò, ſed in myſterio: quod ſpirituale eſt opificium, nimirùm, ipſius ſpiritus. Hæc ad hunc modum dico retuliſſe Inconſtantium. Re enim uera longè aliter habent apud authorem. Sic enim ſcribit Chryſoſtomus: O miraculum: ô dei benignitatem. Qui cũ patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo, omnium manibus pertractatur: ac ſe ipſe tradit uolentibus ipſum excipere atq; complecti. Fit autem id nullis præſtigijs, ſed apertis, ac circumſpicientibus omnium circumſtantium oculis. Iſta Inconſtantius, ut habebant in Chryſoſtomo, citare noluit: partim ut perfidiam ſuam proderet, quam ſæpè in nobis immeritò maximis clamoribus accuſat: partim, quòd hæc uerba uideret Papiſtarum ſuorum ſuperſtitioni uehementer obſtare. Illi enim magna religione cauent, ne laicus quiſpiam manibus attingat Euchariſtiã: quaſi id uni tantùm unctorum generi licere debeat. At Chryſoſtomus ait, Corpus Chriſti omnium manibus pertractari. Quomodò autem manibus teneatur corpus Chriſti, non eſt difficile dicere: nimirùm, quòd eius Sacramentũ tractetur manibus. Idq; ſatis indicauit Chryſoſtomus, cum ſubijceret, hoc fieri omnium circumſtantium oculis apertis & circumſpicientibus. Atqui nulli ex aſtantibus apertis oculis uident corpus Chriſti. Panem quidem, uinumq; uident: quæ, quòd ſint Sacramenta corporis Chriſti, illis ipſis uocabulis appellantur. Atqui hoc pacto Chryſoſtomus ait, Corpus Chriſti attrectari. *Chryſoſtomus.*

Quanta autem ſit hyperbole in ijs uerbis Chryſoſtomi, antecedentia uerba ſatis declarant. Nam dum conſpicis, inquit, dominum immolatum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem: cum uerò turbam circũfuſam precioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri, etiámne te inter mortales uerſari, & in terra conſiſtere cenſes? An non potius è ueſtigio in cœlos transferris? an non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circumſpicis, quæ in cœlo ſunt? Nemo ita eſt hoſtis figurarum, ut opinor, qui uidere non poſſit, hæc omnia eſſe figurata. Quis enim propriè & ſine figura dixerit, Chriſtũ in Cœna immolari? Quis turbam circumfuſam Chriſti ſanguine rubefieri? Nam in cœlum quidem non transferimur, niſi mente ac ſpiritu. Ita enim, ut ſæpè docui ſuprà, prorſus eleuamur, atq; ibi, ut Chryſoſtomus ait, Chriſti corpus contemplamur. Quamobrem locus iſte Chryſoſtomi Inconſtantium parùm iuuat. Imò hic quoq; ille pater ſententiam pro nobis dicit. Remittit enim nos in cœlum, ut ibi corpus Chriſti complectamur. Sed iſti uolunt, non tantùm corpus Chriſti eodem tempore in locis eſſe propemodum infinitis, uerùm etiam mentem, atq; intelligentiam humanam ſimul eodemq; momento & in terris uerſari, & in cœlis.

OBIECTVM CCVI.

OBIICITVR è Hieronymo ad Hedibiam. Nos autem,

inquit, audiamus panem, quem fregit dominus, deditq; discipulis, esse corpus Saluatoris: ipso dicente ad eos: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Hic uidemus, panem appellari corpus domini.

GARDINERVS.

HIERONYMVS *fatetur esse, quod à domino est factum. At quomodo sit factum, nihil dicit. Ergo Ecclesiasticæ doctrinæ illis uerbis non contradicit.*

MARTYR.

NOn habet Hieronymus in ijs uerbis, quid aut factum, aut non factum fuerit. Tantùm ait, Panem esse corpus Seruatoris: quod, modò rectè intelligatur, uerum esse concedimus. Nisi autem esset panis in Eucharistia, quod sensus ipsi renuntiant, Hieronymus cum alijs patribus non ita scriberet. Sed uel semel saltem dixisset, ea, quæ sentiuntur, esse accidentia sine subiecto. Atqui hoc patres nunquam docuerũt. Quid ergo nobis, si probabilitatem sequi uolumus, credendum est? An quod illi perpetuò & constanter cum consensu diuinarũ literarum, quæ in Eucharistia agnoscunt panem, testantur, & scribunt: an potius, quod Inconstantius dicit quidem semper, sed nũquam probat, & sine ullo cuiusquam patris testimonio perpetuò clamat?

Adhæc cum panis dicitur esse corpus Christi, iste cõtendit, eius effectionem esse intelligendam. Dominũ enim fregisse id, quod consecrauerat. Quod priori loco dicitur, Panem factum esse corpus Christi, quod attinet ad mysteriũ, aut Sacramentum, non negamus: quamuis Hieronymus illo in loco ea de re nihil dicat. In altero uerò mirum est, ni Inconstantius magnopere impediatur. Cogitur enim dicere, uel accidentia, uel corpus Christi frangi: quorũ utrũq; est absurdissimum. Nam corpus Christi à Resurrectione pati amplius non potest: & scripturæ testificantur, non accidentia frangi, sed panem. Quocunq; ergo se uertat Inconstantius elabi non potest. Callidè autẽ dissimulat id, quod Hieronymus eodem illo loco dicit: uidelicet, ubinam uera communio cũ sanguine Christi habeatur: non sanè in symbolo, quod ore percipitur, sed in cœlo: eò enim fide, ac mente ascendendũ esse. Ita enim scribit: Et accipiamus ab eo sursum calicẽ Nouí Testamenti: ibiq; cum eo Pascha celebrãtes inebriemur ab eo uino sobrietatis.

OBIECTVM CCVII.

OBIICITVR è Hieronymo in Esaiam cap. 66. lib. 18. Omnes uoluptatis magis amatores, quàm amatores dei, sanctificari in hortis, & in liminibus: quia in mysteria ueritatis non ualent introire: & comedere cibos impietatis: dum non sancti corpore, & spiritu nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem eius: de quo ipse loquitur, Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinem meũ, habet uitam æternã. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: qui nõ foris, sed in domo una, & intus comeditur. Ex his uerbis cõstat, impios non comedere carnem Christi, nec sanguinem eius bibere.

Gar-

GARDINERVS.



IERONYMVS *notat, quid ad dignam manducationem exigatur: unde effectum Eucharistiæ proprium assequamur.*

MARTYR.

HVic loco Hieronymi Inconstantius duobus tantùm uerbis putat se satis respondisse. Primùm enim ait, Hieronymum loqui tantùm de mãducatione fructuosa, deq; ea, quæ afferat æternam uitam. Ideoq; quod non rectè fit, id Hieronymum negare omninò fieri. Deinde citat aliam Hieronymi sententiam in 1. cap. Malachiæ. Ibi enim ait, malos polluere corpus & sanguinem domini, cum mundum sanguinem sordidi & polluti bibant. Quod ad primum attinet, damus id, quod iste sibi sumit, Hieronymum loqui de fructuosa manducatione carnis domini. Sed hoc addo, aliam manducationem nullam esse corporis Christi. Manducationem quidem sacramenti, & symbolorum sæpè damnosam esse, non dubitamus. Caro autem Christi uera, & propria, cum non possit sine fide manducari, non potest cuiquam comedenti esse infructuosa. Panis quidem potest indignè comedi, ut Paulus ait: non autem corpus Christi: & præsertim, si loquamur de ea indignitate, quæ excludat ueram fidem. Ea uerò quę hic citantur ex Hieronymo in Malachiam, eatenùs tantùm pertinent ad corpus Christi, quatenùs externum symbolum eius nomine appellatur. Idq; Hieronymus ipse uidetur dicere: qui in illa uerba Malachię, Vos sacerdotes, qui despicitis nomẽ meũ, ita scribit: Dum enim sacramenta uiolantur, ipse, cuius sunt sacramenta, uiolatur. Quod agnouit & Cyrillus, qui libro 2. in Iohannẽ, cap. 14. Veluti etiã, ait, qui Regis alicuius terreni statuas euerterit, non aliter ac si Regem contempsisset, punitur. Docemur itaq; contumeliam symbolis factam, in ipsum Christum, cuius sacramenta sunt, redundare. Quare ſi Patres paucis uerbis discrimen ponunt inter sacramenta, & eum, cuius sunt sacramenta. Qua de re plura dicerem hoc loco, nisi & multa mihi de eadem iam dicta essent, & plura posthac dicenda. *Hieronymus.*

OBIECTVM CCVIII.

OBIICITVR è Hieronymo in Hieremiam ca. 22. lib. 4. Omnis hæreticus nascitur in Ecclesia: sed de Ecclesia projicitur: & contendit, & pugnat contra parentem: quod infert, Non comedent, & non bibent, subauditur corpus, & sanguinem Saluatoris.

GARDINERVS.



ORES *notat hæreticorum: qui dum sacramenta prorsus contemnunt, contendunt, & pugnant aduersus parentem.*

MARTYR.

CVm uerba Hieronymi tam aperta sint, ut nullo modo negari queãt, tamen iste putat se inuenisse stropham, qua uim Obiectionis impediat. Hoc, inquit, usu uenit hæreticis, ut nec comedant, nec bibant corpus & sanguinem domini, quòd sint contentiosi, & pugnent contra matrem Ecclesiam: atq; ex eo fit, ut Catholici cum illis non libenter communicẽt. Vnde uel nemo dat eis, uel ipsi

„ se non ingerunt, ut accipiant. Miror uerò istum hac præsertim ætate tam impu-
„ denter scribere. Nónne enim sciebat, Papísticos episcopos cogere illos, quos ap-
pellant Lutheranos, in suis quoscp Parochijs, ut semel saltem in annum accipiãt Eucharistiam? Nõ ergo potuit uerè dicere, neminem illis dare Eucharistiam: nisi fortè negare uelit, eos se habere pro hæreticis. Deliberet ergo, utrũ uelit dicere, multósne esse, qui hæreticis porrigant Eucharistiam: an se non putare Luthera-nos esse hæreticos.

Adhæc, an ita est aut historiarum ueterum, aut suorum temporũ imperitus, ut nesciat, hæreticos olim habuisse templa sua, in quibus mysteria celebrarent, eoscp à suis ministris accepisse sacramenta, etiamsi excluderentur à Catholicis? Eoscp, quos ipse appellat calumniosè Lutheranos, re autem uera Euangelicos, & uerè Christianos, habere sacros cœtus, eoscp, si cum Papisticis synagogis con-ferantur, longè purissimos, & purgatissimos, ubi maxima frequentia & pagi, & oppida, & totæ sæpè ciuitates cõmunicent? Valdè fragilis est stropha ista tua, Inconstanti, duobuscp modis facilè infringitur: uel quòd Papistę tui Lutheranis, quos appellant hæreticos, etiam nolentibus obtrudunt suam Eucharistiam: uel quòd hæretici suos conuentus, suascp templa, & sacramẽta & olim habuerint, &, si hæretici sint, quos uos ita contumeliosè appellatis, nunc obtineant.

Hæretici habẽt sacramẽta, si faciant quæ dominus & dixit et instituit.

Dices fortasse, illorum mysteria non esse sacramenta. Hoc si dices, uerum certè non dices. Nam etiam hæretici, modò ea faciant, quæ Christus instituit, sa-cramenta habent: etsi sibi inutilia. Itacp ratio ea ubicp seruatur in Ecclesia, ut ba-ptizati ab illis ne posteà rebaptizentur: & Cypriani de ea re sententia omninò abrogata est. Quare hæretici, modò seruent institutum domini, habent in suis il-lis conuenticulis Eucharistiam: interim tamen, quemadmodum Hieronymus di-cit, corpus & sanguinem domini, nec comedunt, nec bibunt.

OBIECTVM CCIX.

OBIICITVR è Hieronymo in Hoseam lib. 2. cap. 8. Isti hæretici, inquit, multas immolant hostias, & comedunt carnes earum: unam Christi hostiam deserentes, nec comedentes eius carnem: cuius caro cibus credentium est. Quid potest dici clarius, quàm quod Hieronymus ait hoc loco, hæreticos, & impios, non comedere carnem Christi? Illam enim ait cibum esse credentium, qui suscipiendus sit fide.

GARDINERVS.

CRIMEN *exaggerat hæreticorum, &c.*

MARTYR.

„ REsponsum Gardineri, ut illud uno uerbo repetam, est, Hieronymum crimẽ
„ hæreticorum exaggerare, & referre, non quid ab illis fieri possit, sed quid
„ fiat. Sed quid hoc ad rhombum? Nam si caro Christi, ut uos dicitis, omninò præ-sens esset in Eucharistia, hęretici cum eam percipiunt, perciperent etiam carnem Christi: etsi id ad iudicium, & condemnationem suam facerẽt. At Hieronymus ait, eam illos non comedere. Necesse ergo est, ut isti alterutrum horum duorum mihi concedant: aut corpus Christi non latere realiter sub pane, aut sub panis ac-cidentibus: aut, hæreticos nunquam recipere Eucharistiam. Eam autem illi reci-piunt

piunt: quod non tantùm ueteris memoriæ teſtimonio, ſed etiam ætatis noſtræ conſuetudine probatur. Quare neceſſe eſt, ut iſti fateantur ex Hieronymi ſententia, Corpus Chriſti non latere ſub illis accidentibus: quod toties, & tam impudenter iactant. Et ſi Hieronymus, ut Inconſtantius ait, dicat, quid fiat, ſequitur neceſſariò id, quod nos dicimus, impios non comedere carnem Chriſti. Neque nos hoc loco quærimus, quid fieri poſſit. Non enim dubitamus, poſſe fieri, ut, qui nunc ſunt Hæretici, conuertantur & reſipiſcant, & mente ac ſpiritu uere comedant carnem domini. Necꝫ uerò nobis diſſimulanda eſt ratio illa Hieronymi, qua probat, Hæreticos non comedere carnem Chriſti: Quoniam, inquit, eſt cibus credentium. Quare, cum deſtituantur fide, non poſſunt comedere carnem Chriſti, quantumuis recipiant Sacramenta.

Quare Hæretici Hieronymo dicãtur nõ comedere carnẽ Chriſti.

OBIECTVM CCX.

OBIICITVR ex eodem Hieronymo cap. 26. Matth. Pane & uino ait repræſentari corpus & ſanguinem domini.

GARDINERVS.

CORRVPTE *huc citant Hieronymum: qui non loquitur, ut hic argutator, in pane & uino: ſed ſic habet.*

MARTYR.

PRimùm Inconſtantius authorem huius argumenti arguit falſi, quod depra-
uarit, & corruperit uerba Hieronymi: idꝫ quò magis eſſet perſpicuum, uer-
ba ipſa Hieronymi uoluit adſcribere. Poſtquam, inquit, Paſcha fuerat impletum,
& agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor ho-
minis, & ad uerum paſchæ tranſgreſſi Sacramentũ: ut, quomodò in præfigura-
tione eius Melchiſedech ſummi dei ſacerdos offerẽs fecerat, ipſe quoꝫ ueritatẽ
ſui corporis repræſentaret. Quæritur Inconſtantius, uerba iſta non ita citari,
quemadmodum leguntur apud Hieronymum. Quaſi uerò ipſe hoc nunquã fa-
ciat, nec unquam ſibi ſatis putet, ſi ſenſum tantùm authoris indicarit. Quur ergo
ita indignatur, id à noſtris interdum fieri, quod ipſe ſibi ſæpiſſimè permittit? Sed
uideamus, quàm author huius argumenti meritò grauetur. Verbũ illud, Repre-
ſentare, quo in eadẽ re uſus eſt Tertullianus, accepit pro eo, quod eſt, aliqua ima-
gine quippiam, aut ſimilitudine referre. Idꝫ eo uerbo ſignificari, ſuprà oſtendi-
mus. Quare, quod quidem ad hoc attinet, nec erroris, nec falſi damnari poteſt.
Quid'nam autem illud eſſet, quo dominus repræſentarit corpus ſuũ, nihil aliud
uidit eſſe, quàm panem: de quo Hieronymus ab initio dixerat, Aſſumit panem.
Dixit ergo, pane factam eſſe hanc repræſentationem, quòd aliud inſtrumentũ in
uerbis Hieronymi non occurreret. Hic iam operæpretium eſſet uidere, utrum
corpus Chriſti pane melius & uerius repræſentetur, an, ut Inconſtantius fingit,
accidentibus. Sed quoniam de hac re ſæpius iam ſuprà diximus, planũꝫ fecimus
ſacramentalem analogiam aptius & melius in pane, quàm in accidentibus reti-
neri, non arbitror, aut plura dicenda, aut eadem hoc loco repetenda.

Tertullianus.

Sed clamabit Inconſtantius, Repræſentare, apud Hieronymum eſſe, corpus
Chriſti re ipſa exhibere. Sed quoniam id cum locis illis Hieronymi, qui hic cita-
ti ſunt in Obiectionibus, nullo modo poteſt conuenire (ait enim, impios, & Hæ-
reticos non comedere carnem Chriſti) idcircò ut uanum, & commentitium ex-
plodetur. Quod autem Hieronymus ait, Veritatem corporis ſui, id Inconſtan

tium nihil iuuat. Nihil enim id aliud sibi uult, quàm hoc Sacramentum testimonio esse, Christum, non fictum, aut phantasticum, sed humanum & uerum corpus induisse. Eius enim corporis ueritatem, & Tertullianus, & Chrysostomus, & alij patres firmissimè concluserũt ex Sacramento Eucharistiæ. Nec immeritò Hieronymus ait, Dominum, cum hoc mysterium institueret, ad uerũ paschę Sacramentum accessisse, aut, ut Cyprianus ait, ad reuelatæ figuræ ueritatẽ. Id enim iam expressè, & uerbis disertissimis patefecit, quod mactatio paschalis Agni patribus obscurius adumbrauerat: nimirùm, se iam, iamq; de sua ipsius carne sacrificium deo longè suauissimum in ara crucis facturum esse. Figuram autem notiorem, clariorem, efficaciorem obscuriori figuræ in hoc mysterio substituta esse, non est absurdum: etsi Sophistæ nostro secus uideatur. Euangelica enim Sacramenta à patribus sæpissimè & signa, & figuræ, & typi appellantur.

OBIECTVM CCXI.

OBIICITVR ex Cyrillo ad Obiectiones Theodoreti. Sacramentum, inquit, nostrum non asseuerat hominis mandu cationem, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiosè introtrudens, & humanis cogitationibus subijcere eni tens ea, quæ sola, & pura, & exquisita fide capiuntur. Neque enim, quia diuinitatis natura nõ comeditur, propter hoc cõmune quis dixerit sanctum corpus Christi. At uos dicitis, Sacramentum nostrum esse ἀνθρωποφαγίαν, quemadmodum dixerunt Capernaitæ.

GARDINERVS.

NON *hæc Cyrilli, sed nequissimi hominis Oecolãpadij adulteratis Cyrilli uerbis, figmẽta.*

MARTYR.

NIhil opus est, ut te moneam, pie Lector, quãta iste rabie, & petulantia inuehatur hoc loco in Iohannẽ Oecolampadiũ, & doctrina, & moribus, & sanctitate singularem uirum. Hoc enim satis ipse per te uides. Quàm aũt uerè in eũ, quãq; iuste ita debacchetur, operæpretiũ est paucis dicere. Primùm calumniat,
» illum Græca Cyrilli scripta uitiasse. Vnde aũt id probet, nihil habet, nisi antiquã
» quãdam uersionẽ Basileæ ante multos annos, & Coloniæ nuper excusam. Nam
» in ea legi ait, Humanã commixtionẽ, non aũt, ut Oecolampadius transtulit, Hu-
» manã comestionem: & idcircò consentaneũ esse, ut legat Græcè, Ανθρωποφαγίαν,
» non aũt ἀνθρωποφαγίαν. Primùm, Antiquã illam uersionem non oportet pluris facere, quàm meretur. Nam cum ea alibi quoq; sæpè longè aberret à sensu Cyrilli, non uideo, cur non hic etiam potuerit esse non syncera. Proferat nobis Inconstantius tantus, scilicet, antiquarius textũ Cyrilli Græcũ emendatum. Id nisi possit, ignoscat nobis, si uelimus Oecolampadij Græca retinere. Nam istis coniecturis, præsertim ad calumniam comparatis, moueri non debemus. Neq; uerò res ista carere potest certo & firmo argumẽto. Inspiciat Græcus codex, quem uertit Oecolãpadius. Extat adhuc, & asseruat Basileę. Inde, qua eũ fide Oecolãpadius trãstulerit, cognosci potest. Quod aũt ad rem ipsam attinet, Ανθρωποφαγία, quã uocem nobis dedit Inconstãtius, nõ potest hic habere locũ. Nam, ne nescias, Nestorius erat, cõtra quem Cyrillus disputauit. At ille commixtionẽ, aut confusionem naturarum in Christo non statuebat. Imò contra potius naturam in illo diuinam

Nestorius non posuit confusionem duarũ naturarũ in Christo, sed eas potius nimium distinxit, seu distraxit.

nimium

nimium ab humana natura distrahebat. Duas enim esse uoluit in Christo hypostases. Quare Cyrillus rectè contra illum argumentatur. Nam, si ita res haberet, nos, cum in Eucharistia comedimus carnem domini, hominem comederemus, non deum: siquidem diuinitas & humanitas sint, ut Nestorius errabat, naturæ diuisæ. Nam in Euangelio Christus ait, Carnem suam esse comedendam: neq; diuinæ naturę conuenit, ut comedatur. Id ergo agit Cyrillus, ut arguat, Nestorium facere duos Christos, eumq; statuere, nos in Eucharistia comedere nudum hominem. Vtrunq; aũt horum ait falsum esse. Vnum enim tantùm esse Christum: & nos in Eucharistia non ἀνθρωποφαγίαν celebrare, uerùm dei carnem edere, & dei sanguinem bibere, Christi, uidelicet, qui & deus est, & homo: non duplex tamen Christus, sed unus. Atq; hæc dicta sint de illis uocibus, Ανθρωποφαγία, & Ανθρωπομυγία. Nihil autem moror discrimen illud inter humanam manducationem, & hominis manducationem. Satis enim liquet, Cyrillum de ea re, quæ comeditur, ista scribere: eumq; testari, à nobis in sacra Cœna hominem purum, & nudum non comedi. Nihil ergo opus erat illa stropha, quasi Cyrillus uerbo, ἀνθρωποφαγίας, notare uoluerit modum humanæ manducationis.

Quòd autem Oecolampadius in uersione sua διαβεβαιοῦνται pro διαβεβαιῶν: & παρεισδὺν pro παρεισῶν: & ἐπιχειρῆν pro ἐπιχειρῶν legisse uideri possit, ex eo, quod in epistola sua locum illum Latinè reddidit, id ego non magis excuso, quàm oportet. Facilè enim fieri potest, & solet in uertendis authoribus, maximè si opus prolixum sit, ut error aliquis obrepat. Aliquando enim bonus dormitat Homerus. Atq; opere in lõgo fas est obrepere somnum. Fieri etiam potest, ut ille ex Græco Codice prius manu sua Græca descripserit, &, quod doctissimis uiris sæpè accidit, in describendo lapsus sit: posteà uerò cum uerba illa Latinè redderet, non respexerit ad id q̃d descripserat, quodq; posteà impressit, sed ad exemplar ipsum, unde ea exceperat. Atq; ita mihi uidetur factum, ut illius uersio textui illi, quem proponit lectoribus, ex omni parte non respondeat. Posset etiam fortasse huius uarietatis alia causa uerisimilior assignari. Hoc autem, meo iudicio, est extra omnem controuersiam, illum, si uoluisset fraudẽ facere, non fuisse ea Græca positurum, quibus ipsius uersio per omnia non cõueniret. Sed quemadmodum Inconstãtius calumniatur, illum unam uocem ἀνθρωπομυγίαν, deprauasse, ita hoc quoq; loco, ea, quæ parùm placuissent, facilè potuisset immutare.

Sed his omissis, agamus paulò candidius. Facito, in illis uocibus, quas Inconstantius animaduertit, Oecolampadium errauisse. Legamus ea, qua ille posteà edidit emendatius, cum Anathematismos, & reprehensiones Theodoreti, & Cyrilli Oppositiones conuerteret. Hæc enim eadem uerba in Anathematismo 11. ita Latinè reddidit: Num igitur asseris, esse quendam alium filium, & Christum, præter uerbum ex deo, quod apparuit? cui & soli attribuatur Apostolatus nego tium? Num hominis cõmestionem nostrum hoc sacramentum pronuntias? Et irreligiosè ad crassas cogitationes urges eorum, qui crediderunt, mentem? Et attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola, pura, & inexquisita fide accipiuntur? Quoniam enim minimè editur diuini uerbi natura, propter hoc commune dixerit quis sanctum corpus domini? Hæc posterior, & attentior uersio, satis indicat, Oecolampadium potuisse etiam illam alteram priorem magis ad Græcam ueritatem exprimere. Vocem tamen illam, ἀνθρωποφαγίαν, etiam in hac uersione retinet: quod argumento est, illum in suo Græco codice eam omninò inuenisse. Imò & in Latino libro curauit, ut uox illa, ἀνθρωποφαγία, adscriberetur ad marginem: ut lector admoneretur, Græcum exemplar sic habere. Miror autem Gardinerum ita furere, maximè cum inter nos satis conueniat, Christum & deum, & hominem manducari; tota autem controuersia in ratione manducatio-

Oecolãpadius in uersione 11. Anathematismi Cyrilli.

nis sita sit. Nos enim eam menti, & fidei: ille ori, ac dentibus tribuit. De his rebus hoc loco Cyrillus contrà Nestorium non disputat. Hoc tantùm ait, si sequamur eius delirium, & duas naturarum hypostases in Christo separemus, nos omninò puri hominis carnes comesturos: idq; uocabulo ἀνθρωποφαγίας expressit.

„ Ἐξιτήλους, Oecolampadius utrobiq; uertit, crassas: Inconstantius autem magis
„ probat, caliginosas: quasi uerò aër caligine non crassescat. His addo, uocem eam
„ significare etiam adulterinum, non syncerum, non germanum, & per metapho-
„ ram, socors, iners, ignauum. Sed hæc leuiora sunt, quàm ut in hac disputatione
„ longam orationem desyderẽt. Cæterùm hoc uelim, ut Inconstantius mihi re-
„ spondeat: cur ipse, cum Oecolampadij uersionem damnet, nõ interponat suam.
„ Nam illa altera antiquior nec intelligitur, nec bene congruit. Non est profectò
„ candidi hominis, & ueritatẽ quærentis, ea, quæ ab alijs afferuntur, delere, & me-
„ liora non reponere.

„ Iam ad illud accedo, quod ait, in Græcis Codicibus scriptum fuisse ἀνθρωπαρ-
„ γνία: quòd ea uox alijs Cyrilli dictis maximè cõgruat. Citat autem locos ex inter-
„ pretatione primi Anathematismi, & ex epistola quadam ad Successum: ubi Cy-
„ rillus disertis uerbis mixtionem, confusionem, cõtemperationem uerbi cum hu-
„ mana natura detestatur, & abhorret. Ea quidem uera sunt. Non enim uerbum
Natura uerbi non est commixta, neq; cõfusa cum carne. confusum est, aut permixtum humanæ carni, sed in ea coniunctione duarum na-
turarum in eandem hypostasin integrum & mansit, & manet. Id autem falsissimũ
est, quod ait, Nestorium tale quiddam significasse. Ille enim contrà potius Chri-
stum nimium diuidebat, ut ex uno duos faceret. Idq; illi uitio datur hoc ipso in
loco quem habemus præ manibus. Errores aũt Nestorij, & Eutychetis, cum dis-
sideant δ'ις διὰ πασῶν, non debent inter se ita copulari, quasi ijdem fuerint. Quor
sum ergo interroget Cyrillus Nestorium, an putet, sacramentũ nostrum esse ho-
minis commixtionem, cum ille duas in Christo naturas ponat, easq; longè dis-
iunctissimas?

Concilium Ephesinum. Nunc autem uicissim uideamus, ex Concilio Ephesino, quàm uox illa, ἀνθρω-
ποφαγία, conueniat contra Nestorium. Ibi enim hoc negotium uniuersum explica-
tur. Est in actis illius Concilij epistola cõmuni Patrum nomine scripta ad Ne-
„ storium: in qua inter cætera hæc habentur: Sic etiam ad mysticas benedictiones
„ accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis
„ Christi omnium nostrum redemptoris effecti: non ut communem carnem per-
„ cipientes, quod absit, nec ut uiri sanctificati, & uerbo coniuncti secundum digni-
„ tatis unionem, aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed uerè uiuificatri-
„ cem, & ipsius uerbi propriam factam. Vita enim naturaliter, ut deus, existens,
„ quia propriæ carni unitus est, uiuificatricẽ eam esse professus est. Et ideò, quam-
„ uis dicat ad nos, Amen, Amen, dico uobis: nisi manducaueritis carnem filij ho-
„ minis, & biberitis eius sanguinem, non tamen eam ut hominis unius ex nobis
„ existimare debemus. Quomodò enim iuxta naturam suam uiuificatrix esse caro
„ poterit hominis? Sed, ut uerè propriam eius factam, qui propter nos filius homi-
„ nis est factus, & uocatus. Eas autem uoces, quas Seruator noster in Euangelijs
„ protulit, non in duabus subsistentijs, aut personis omninò partimur: non enim
„ duplex est, sed unus Christus. Hanc ego epistolam non dubito dictatam fuisse
à Cyrillo. Is enim illi Concilio non interfuit solùm, sed etiam præfuit. Disputauit
autem contra Nestorium, quod ille Christum diuideret in duas hypostases, & ge-
minum, non unum faceret. Confusionis autem naturarum illum nunquam ar-
guit, sed nimiæ potius distractionis. Et inter cætera ait, Eucharistiam nostram
non esse comestionem puri, & nudi hominis: quod non est aliud, quàm mutatis
uerbis negare ἀνθρωποφαγίαν. Verisimile ergo est, optimum illũ uirum Oeco-
lam-

lampadium uocem illam, ἀνθρωποφαγίαν, quam inuenerat in Græco, fideliter retinuisse, neq; quicquam prorsus adulterasse. Imò Cyrillus ipse De Incarnatione Vnigeniti contra eundem Nestorium disputans cap. 23. ita scribit: Etsi exitus Legis & Prophetarum Christus est, est autem homo theophorus, nónne dicere liceat, quod propheticarum prædicationum exitus ἀνθρωπολατρείας crimen nobis induxerunt? Hic quoq; apparet, Nestorium nõ confusionis, aut mixtionis, sed potius diuisionis, & disiunctionis accusari.

Quòd autem Inconstantius, ut solet, discedẽs à causa hoc obseruat, pro absurdo haberi à Cyrillo, mysteriũ Christi probari humanis rationibus, id contra nos nihil facit. Nos enim unionis diuinæ, atq; humanæ naturæ in eadem hypostasi, non quærimus probationes aut à sensu nostro, aut ab humana ratione. Eius coniunctionis à scripturis solis petimus testimonia: neq; ea pugnat cum ullo articulo nostræ fidei. Hæc autem si ad Eucharistiam, uel potius ad uestras fictiones & ineptias transferas, uidebis similitudinem non congruere. Panis enim & uinum sensu & ratione cognosci possunt: & corpus humanum suas habet dimensiones, & membra, & lineamenta, de quibus sensus, & ratio possint iudicare. Et scimus, duo Contradictoria non posse simul esse uera: ut idem sit humanum corpus, & non sit humanum corpus eodem tempore. Scimus etiam non posse fieri, ut accidentia distrahantur à subiecto. Neq; obscurum erit rem diligenter expendenti, quàm huiusmodi præstigiæ aduersentur Ascensioni domini, & ueritati humanæ naturæ. Adhæc scripturæ testantur, Christũ cõtineri in cœlo, quod ad corpus attinet; eædemq; in Sacramento agnoscunt panẽ. Nihil ergo est, quod Inconstantius debeat unionem uerbi cum humana natura cum suis istis fictionibus conferre. Possem etiam huc addere, quemadmodũ nos quoq; doceamus, Sacramentũ Eucharistiæ non posse humana ratione cõprehendi. Sed, quoniam ea de re satis iam suprà diximus, nunc & tempori, & chartæ parcendũ arbitror.

Quòd autẽ iste quærit, quomodò manducatio hominis conuenire possit controuersiæ illi, quam Cyrillus habuit cum Nestorio, etsi iam responsum puto, tamen, ut res magis intelligatur, hoc etiã addam: Si humana natura, ut Nestorius putabat, ita separetur à diuina, Caro Christi, quæ in Sacramento per fidem & spiritualiter comeditur, esset caro puri, nudiq; hominis. Id enim ex doctrina Nestorij rectè infertur. Docebat enim, Christum ita esse alium à uerbo dei, ut hypostasi etiam distingueretur. Nam purum hominem asserebat natum esse ex Virgine, non autem deum. Quam sentiam, ut suprà ostendi, Ephesina synodus oppugnauit & damnauit.

Adhæc iste quærit, Quid Apostolatus commune habeat cum mãducatione? Respondeo, Cyrillum per Apostolatum Christi intelligere ministerium Christi, & œconomiã salutis nostræ, quam obijt in carne sua. Ea uerò si tribuatur Christo cuidam alij, & disiuncto à uerbo dei, necesse est illum purũ esse hominẽ. Absurdissimum autem fuerit, huiusmodi hominis carnem, uel dentibus, ut isti fingunt, uel, ut nos docemus, fide, ac spiritu tanquam saluiuificam, & salutarẽ comedere. Non ergo ista, ut ea uideri uult Inconstantius, ita remota sunt, aut ita procul à se distantia, ut non queant coniungi. *Quid sit Apostolatus Christi*

Iam superest, ut dicam, cur cogitationes istas Nestorij Cyrillus appellet ἀγνόους, hoc est, ignauas, degeneres, socordes: aut crassas, ut non malè uertit Oecolampadius. Nam aer, ut dixi, caliginosus non potest non esse crassus. Eas autem idcircò ita uocat, quòd Christum purum esse hominem, & tantùm à diuina natura illustratum, & in eius complexu sine ulla hypostatica naturarum unione positũ, quiuis possit facilè intelligere. Id enim, cũ uel nihil, uel parùm absit à condi tione aliorũ hominũ, nemo ita stupidus, aut ignauus est, quin facilè uidere possit.

„ Huc addit Inconſtantius, non id agere Cyrillum eo loco, ut explicet myſte-
„ rium Euchariſtiæ. Statum enim cauſæ non fuiſſe de Sacramento cœnæ, ſed de
„ unione naturarum in Chriſto. Fateor. Sed quid mirum eſt, ſi Cyrillus ad re-
darguendum Neſtorium, quò eius abſurda magis patefaceret, argumentum
petere uoluerit à Cœna domini? Nam, ut oſtendi, hoc idem fecit Epheſina
ſynodus. Vocem autem illam, ἀνθρωποφαγίαν, pertinere ad Euchariſtiam, id
declarat, quod ſequitur: Quoniam, inquit, minimè comeditur diuinitatis na-
tura, propter hoc commune dixerit quiſpiam ſanctum corpus domini? Cer-
tè iſta non poſſunt aliò referri, quàm ad manducationem carnis Chriſti. Sed
quid tam multis opus eſt? Videamus, unde orta ſit hæc diſputatio contra Ne-
ſtorium. Ille putauit, opinionem ſuam confirmari poſſe ex uerbis domini in
ſexto Iohannis: Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: &
qui manducat me, ille uiuet propter me. Hoc Neſtorius putabat pro ſe facere,
quòd non diuina natura proponeretur manducanda, ſed caro domini. Domi-
nus enim dixit, Caro mea uerè eſt cibus. Itaque putabat diuinitatem in Chriſto
ab humanitate diuidendam eſſe: quòd caro Chriſti comederetur, non autem di-
uinitas. Perſpicuum ergo eſt, Cyrillum, ut diſſolueret argumentũ Neſtorij opor
tuiſſe inferre id, quod ex illius dictis conſequebatur, uidelicet, ſi ita eſſet, Eucha-
riſtiam noſtram fore ἀνθρωποφαγίαν. Mirabor, ſi quis ita ſit hebes, & ita pati poſ
ſit oculos ſibi perſtringi ab Inconſtantio, ut non uideat, quomodò hæc diſputa-
tio pertineat ad Cœnam domini.

„ Poſtremò uerò poſt ſuos illos longos logos, petit à figuratoribus, quomodõ
„ diuina natura non poſſit comedi. Id enim & Neſtorium & Cyrillum concedere,
„ Si edere, inquit, ſit credere, an animus fidelium non meditabitur diuinitatem?
„ An fides in diuinitatis naturam non intenditur? Sed iſte nodus non eſt ita diffi
cilis, ut opus fore iudicem bipenni Tenedia. Primùm, reſpõdeo, neq; nos, ne-
Non quauis fide Chriſtus comeditur. que ex omnibus patribus quenquam dicere, quãuis fidem eſſe manducationem:
ſed illam tantum, qua apprehendimus dominum noſtrum, ut olim mortuum &
crucifixum pro nobis: & ſanguinem eius, ut pro nobis effuſum. Iſta autẽ, Mori,
Crucifigi, Sanguinẽ fundere, nõ conueniebãt Chriſto, niſi quatenus erat homo.
Nam quãuis corpus & ſanguis Chriſti coniunctã haberent diuinitatem, naturæ
tamen diuinæ iſta per ſe ſe nõ conueniebãt. Quare nos quoq; unà cũ Eccleſia, et
cũ Cyrillo dicimus, non pertinere ad diuinitatem, ut comedat. Cũ ergo nos unà
cũ Cypriano & Auguſtino dicimus, Quid paras dentẽ & uentrẽ? Crede, & mã-
ducaſti, nõ quoduis credere, aut quãuis fidem dicimus: ſed illam ſolã, qua Chri-
ſtum, ut crucifixum, & redemptionis noſtræ pretium cõplectimur. Hoc ſi cogi-
tet Inconſtantius, facilè uidebit, quomodò nõ ſit diuinitatis, mãducari. Quod
Probatur ex uerbis Chriſti, mãducationem fide conſtare. aũt dicimus, idq; multorũ patrũ iudicium atq; authoritatẽ ſequuti dicimus, Cre-
dere eſſe mãducare, fictio ea humana nõ eſt, ſed doctrina Chriſti. Nam Chriſtus
ipſe in 6. Iohannis cũ dixiſſet, Ego ſum panis ille uitæ, ſtatim ſubiecit: Qui uenit
ad me, nõ eſuriet: &, qui credit in me, non ſitiet unquã. Cum Chriſtus dixiſſet, ſe
eſſe panẽ uitæ, & illi fortaſſe ſic apud ſe cogitarẽt, Quomodò poſſumus te come
dere? reſpondit, Ad me ueniendo. At illi rurſus obijcere potuiſſent, Quid opor-
tet ad te uenire? Iã adſumus. Itaq; Chriſtus addidit, Et q credit in me: acſi diceret,
Venire eſſe credere. Credite in me, quod dandus ſim in crucẽ pro ſalute ueſtra:
& ita comedetis uerũ panem uitæ. Quid his apertius eſſe poteſt? Deinde Chri-
ſtus antequã ea diceret apud Iohannẽ: Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcen
di: ſi quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternũ. Et, Panis, quem dabo, caro mea
eſt, quam ego dabo pro mundi uita: & illud, Niſi ederitis carnem filij hominis
& biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quid edit meam car-
nem

nem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die: caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Ante, inquam, quàm hæc omnia diceret, quasi procœmio quodam uti uoluit, quo ea facilius intelligerentur. Amen, inquit, Amen, dico uobis: Qui credit in me, habet uitam æternam. Ac si diceret: Manducatio illa, quæ uos tantoperè torquet, & de qua mox dicturus sum plura, non dentibus perficitur, sed fide. Quare Inconstantius non debet nobis irasci, si ista dicimus: sed primùm Christo ipsi: deinde etiam Patribus, maximè uerò Cypriano, & Augustino. Habemus ergo, in Cœna domínica non agi memoriam diuinitatis Christi, sed corporis eius in crucem acti, & sanguinis eius pro nobis effusi. Atq; hoc illud est, quod Cyrillus dixit, non diuinitatem Christi, sed eius corpus & sanguinem à nobis comedi, & bibi.

Fatetur Inconstantius ad extremum, se uerbosius egisse de uocabulo ἀνθρωποφαγίας: quòd iudicaret expedire omnibus modis prodere malitiam Oecolampadij. Atqui sancti illius, & innocentis uiri, uti iam ostendimus, hoc in loco malitia nulla inueniri potuit. Inconstantius autem noster isto furore suo, & rabie odium illud suum, quod gerit non tantùm aduersus Oecolampadium, uerùm etiam prorsus aduersus omnem ueritatem, æternitati consecrauit.

Postremò ait, se hoc argumento nostro non teneri. Se enim cum suis omnibus à manducatione puri hominis abhorrere: carnem autem dei & hominis in sacramẽto dari, profiteri. Cæterùm cogitare debemus, Cyrillum eo in loco duo statuere: Primùm, carnem Christi, cuius mysterium peragitur in Eucharistia, non esse carnem puri hominis: deinde, illam non ita à nobis comedi, ut manducatio ea dici possit ἀνθρωποφαγία. Isti autem, cum corpus Christi obducant accidentibus, etsi clament, illud adesse inuisibiliter, nec posse lacerari dentibus, tamẽ effugere non possunt ἀνθρωποφαγίαν. Volunt enim, corpus Christi realiter, & substantialiter adesse, & comedi. Quid enim eos hic iuuat, quod aiunt, carnem Christi coniunctam esse cum diuinitate? Certè negare non possunt, carnes illas humanas esse, quas uolunt comedi: atq; ita uelint, nolint, efficiuntur ἀνθρωποφάγοι. Imò Christus ipse in Euangelijs non semel se appellat Filium hominis, & interdum simpliciter hominem. Nam cap. 8. Iohan. Quæritis, inquit, me interficere, hominem, qui ueritatem uobis loquutus sum.

OBIECTVM CCXII.

OBIICITVR ex Cyrillo in Iohan. lib. 4. cap. 10. Mortui ergo, inquit, sunt, qui manna manducauerunt: quia nullam inde uitæ perpetuæ uirtutem acceperunt. Non enim uiuificabat, sed famem solummodo corporalem remouebat: & figura erat ueritatis. Si qui uerò panem uitæ suscipiant, immortalitatem consequentur, & omnia interitus mala effugient cum Christo æternaliter uiuentes. Ex his apparet, malos, qui non consequuntur immortalitatem, non suscipere corpus Christi.

GARDINERVS.

VI *suscipiunt Christum, immortalitatem consequentur: siquidem quod Paulus ad Hebræos scribit, Christi facti participes initium substantiæ eius usq; ad finem firmum retinuerint.*

„ REspondet, non omnes, qui suscipiant panem uitæ, id est carnem Christi, sa-
„ lutem consequi: sed illos tantùm, qui, cum susceperint, eum adfinem usque
retinent. Primùm, nisi iste interpretationem suam aliqua ratione cõfirmet, lice-
bit mihi, opinor, dicere, Cyrillum nunquam ista cogitasse: sed hoc commentum
nostrum nobis Sophistam peperisse. Quanquam ne Papistę quidem facile in
hac re consentient cum Inconstantio. Nam Scholastici dicunt, corpus Christi
tantisper in stomacho, & in uisceribus nostris retineri, quoad accidentia illa pa-
nis & uini maneant integra. Quid ergo iste solus contra suos omnes nugatur,
corpus Christi retineri usq; in finem? Cyrillus non ita scribit: Sophistæ, & Scho
lastici non ita sentiunt. Quare cum Inconstantius solus ista diceret, operæpretiũ
erat, ut ea rationibus confirmaret: siquidem fidem sibi haberi uellet.

„ Sed satis, inquit, probo. Nam Paulus ad Hebræos ita scribit: Si Christi facti
„ participes initium substantiæ eius usq; ad finem firmum retinuerint. Recte. Sed
cogita tecum, quæso, paulisper, bone uir: an Paulus agebat eo loco de Cœna do-
mini? Imò nos tantùm de coniunctione nostra, quam habemus cum deo, & filio
eius Iesu Christo admonebat, & hortabatur, ne ab ea turpiter deficiamus. In hoc
autem falleris, quòd ubicunq; agitur de Christo, si adscriptum uideas forte nomẽ
substantiæ, statim id totum suspicaris, ad Cœnam domini, & ad realẽ illam suam
præsentiam pertinere. Græca uox in illo loco Pauli est ὑπόστασις. Quid ergo, In-
constanti? an omnes eos, qui accedũt ad mensam domini, putas ὑπόστασιν Christi
in se perpetuò retinere? Vide etiam, quodnam sis facturus initium ὑποστάσεως
Christi. Nam ea certè principium temporis nullum unquam habuit. Pater enim,
& filius, & spiritus sanctus ante omnem æternitatem tres hypostases in una es-
sentia extiterunt. Sed mittamus ista. Redito dum, Inconstanti, in uiam: & me-
mineris, hypostasin eo loco significare fidem, uidelicet, quòd ea nitamur, & tan-
quam ancora sustentemur, quod sine illa nihil in hac uita ueri boni habere possi-
mus. Et ne dicas, hanc meam esse fictionem, uerba ipsa Apostoli ita me docue-
runt, & Patrum interpretationes in ea sententia confirmarunt. Nam in ea epistо
la statim ante illa uerba, quæ tu citas, hæc scribuntur: Videte, fratres, ne quando
sit in ullo uestrum cor prauum obnoxium in fidelitati, ut desciscat à deo uiuẽte:
sed exhortemini uos inuicẽ quotidiè, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis
ex uobis induretur seductione peccati. Deinde sequitur: Christi participes facti
sumus. Paulus ergo, cum ista scriberet, Hebręos ab infidelitate reuocabat. Itaq;
commodè, atque opportunè subiecit exhortationem, ut initium substantiæ, uel
ὑποστάσεως, id est fidei, usq; ad finem retineamus, neq; ab ea nos auelli patiamur.

ὑπόστασις Christi nullum habet initium.

Chrysostomus. Chrysostomus autem in illum locum ita scribit: Quid est principium substãtiæ?
„ Fidem inquit, significat, per quam subsistimus, & nati sumus, et essentiales, ut ita
„ dicam, facti sumus. Ostendit ergo Chrysostomus, mentionem ibi à Paulo fieri,
Theophylactus non de Eucharistia, sed de fide. Theophylactus quoq;, si tamen, inquit, initium
„ substantiæ usq; ad finem firmum retineamus: hoc est, fidẽ, inquit. Per eam enim
„ subsistimus, & diuina, spiritualiq; substantia fundati sumus, ac regeneratione,
Fides dicitur substantia. Hic ergo firmiter nos usq; ad finem in fide persistere exigit à nobis. Quid istis
potest esse magis perspicuum? Profectò non est docti hominis, aut exercitati in
scripturis, ea, quæ dicta sint de fide, ita uiolenter torquere ad Eucharistiam. Sed
Theodoretus. non grauabor huc adscribere, quid de hoc loco Theodoretus sentiat. Cum Chri-
„ sto, inquit, participes facti sumus mortis per Baptismum: & cum eo consepulti
„ fuimus in figura Resurrectionis: siquidem firmam fidem cõseruauerimus. Eam
„ enim appellauit initium substantiæ. Per illam enim renouati, & domino Christo
con-

coniuncti sumus, & sanctissimi spiritus gratiam accepimus. Satis iam confirmatum esse arbitror, illa uerba nihil facere ad sacram Cœnam.

Quàm autem sit consentaneum, ὑπόστασιν sumi pro fide, id etiam, præter ea, quæ iam adducta sunt, luculentissimè probat, quòd Apostolus in eadem epistola, cum definiat fidem, eam dicit esse ὑπόστασιν rerum sperãdarum, & ἔλεγχον eorũ, quæ non apparent. Et quis quærat alium Apostoli interpretem meliorem? Superest ergo, ut Incõstantius alio aliquo ex loco scripturarũ probet, Corpus Christi in cœna realiter manducari: sed illis tantum æternam salutem parere, qui illud ad finem usq; retineant. Cyrillus hanc conditionem non adscribit: rei natura eam prorsus excludit: sententia ista ex epistola ad Hebræos eam non probat. Sed fortasse Inconstãtius id sibi sperat fore subsidio, quod Paulus scribat ad Corinth. de indignè manducantibus. Verum quæ illorum uerborũ sit sententia, diximus suprà suo loco: infrà etiam plura dicturi.

Venio nunc ad illud extremum, quod iste somniat, appellatione Panis, significari Christum ipsum in mysterio præsentem. Hoc ille dicit tantũ: sed, ut solet, nulla ratione confirmat. Scimus aũt, Corpus Christi appellari panem, & panem uitæ, loquutione tropica. Sed Christũ adesse præsentem substantialiter, quod attinet ad naturam humanam, hoc hactenus, mihi crede, ex sacris literis non didicimus. Panem aũt Eucharistiæ suo quodã modo & dici, & esse corpus Christi concedimus. Simul tamen affirmamus, in multis loquutionibus sacræ scripturę non posse fieri, ut panis sit corpus Christi. Panis, inquit, Paulus, quem frangimus. At nemo sanus dicet, Corpus Christi propriè frangi. Adhęc legimus, Christũ in Cœna accepisse, benedixisse, fregisse, Discipulis dedisse panem. Quo in loco, quantumuis reclamet Inconstãtius, necesse est panem uerè ac propriè intelligere, uel Cyrilli ipsius, de quo nunc agimus, testimonio. Is enim lib. 4. in Iohan. ca. 14. ita scribit, Credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum. Inconstantius ergo in istis suis obseruationibus, diuinas literas, patres, & præsertim Cyrillum suum, parùm obseruauit.

OBIECTVM CCXIII.

OBIICITVR ex eodem ad Calosyrium. Decebat ergo, inquit, eum nostris uniri corporibus quodammodò per sacram eius carnem, & pretiosum eius sanguinem: quæ accipimus in Benedictione uiuificatiua in pane & uino. Si accipiuntur in pane & uino, panis & uinum per Transubstantiationem non aufertur.

GARDINERVS.

IN *pane & uino accipimus, quæ ex pane & uino nobis fiunt: quæ fieri orat Ecclesia, ut nobis fiant corpus & sanguis Christi.*

MARTYR.

HOc non est exponere, sed misere torquere Cyrilli uerba. In pane, inquit, & uino accipimus corpus Christi, quæ talia fiunt ex pane & uino, ut orat Ecclesia. Apud istum nouum Grammaticũ, In & Ex, idem sonant. Quod quàm sit probabile, uel pueri è schola iudicent. Si quis ex iuuene fiat senex, in iuuene habebimus senem: &, quia pater est in filio, dicemus, patrẽ esse ex filio: si istius Pha

In & Ex non idẽ significãt.

laridis Grammaticam recipimus. Nam, Ex & In, idem significant. Idem ergo est, quod Cyrillus dicit, nos corpus Christi accipere in pane, quod corpus Christi sumere factum ex pane. Sed, ut hoc omittamus, certè ego non uideo, quomodò corpus & sanguis Christi accipi possint in pane & uino, si panis & uinũ iam esse desierint. Si uerè dicas, aliquem abduci in uestę sua, oportet omninò extare uestem illam: alioqui non uestitus abduceť, sed nudus. Sed mirũ non est, qui sem per fuerit Iuris & Legũ contortor, si idẽ patrũ dicta uelit uiolentius cõtorquere.

Cyrillus. Cæterum quoniam uidet, se in hac arena non posse consistere, ad ea se recipit, quæ Cyrillus paulò post scribit in eadem epistola: quæ, ut ab illo referũtur, sic ha
» bent: Ne horreremus carnẽ & sanguinẽ apposita sacris altaribus, condescendens
» deus nostris fragilitatibus impluit oblatis uim uitæ, conuertens ea in ueritatem
» propriæ carnis, ut corpus uitæ, quasi quoddam semen uiuificatiuum inueniatur
» in nobis. Vnde subdit: Hoc facite in meam commemorationem. Ex istis uerbis
» Cyrilli ait, colligi ueritatem præsentiæ corporis Christi. At id perspicuè falsum est. Nam de illa præsentia Cyrillus ne syllabam quidem habet. Eodem etiam iudi cio ait, Cyrillum constituere miraculum in confectione Eucharistiæ. Verùm ea de re aliâs disputauimus. Hoc autem loco breuiter uno uerbo dico: Si per mira culum intelligat confectionẽ Sacramenti, quæ res haud dubiè diuina est, conce dimus, nõ quidem propriè, sed quomodò licet, esse in Eucharistia miraculũ: non tamen alterius rationis, aut generis, quàm quale agnoscimus in Baptismo. Nam ibi quoq; conficitur Sacramentum non minus, quàm in cœna. At si per miracu lum intelligi uelit Transubstantiationem, & alia portenta similia, negabimus, om ninò ullum esse. Is autem suum esse intelligat illud, quod dicit nobis ex diuinis li teris confirmare.

Sed ait, Cyrillũ diserte Altare dicere. Quasi uerò nos nesciamus, patres Alta re sæpè posuisse pro mensa sacra. Illi tamen in hoc negotio non magis uerũ altare
Quid Altare significet patribus. statuebant, q; uerum propriumq; sacrificiũ. Nam quemadmodũ hanc actionem appellant sacrificium, quòd sit monimentum eius unius sacrificij, quod Christus peregit in Cruce: ita mensam sacram appellabant altare, quòd in ea, ut olim in altari Iudaico, populi uota, & oblationes collocarentur: atque inter cætera pa nis etiam & uinum, ex quibus Eucharistia conficeretur. Ista, inquam, Sacra menta, quæ suo modo sunt corpus & sanguis domini, Cyrillus ait proponi in al tari, hoc est, in sacra mensa. Cur autem panis & uinum ibi proponantur po tius, quàm caro ipsa & sanguis domini, hanc adfert rationem, quòd homines alioqui horrore afficerentur. Itaque ait, Deum attemperare se infirmitati nostrę, & rebus illis oblatis infundere uim uitæ. Hæc hactenus à nobis non obscurè fa ciunt. Ait enim Cyrillus, Deum, ne nos horrore concutiamur, pro carne ac san guine suo apponere nobis Sacramenta, mysteria, & res illas oblatas: &, ne fru
Quomodo Sacramẽta dicantur uim uitæ habere. stremur iusto fructu, deum illis uim uitæ infundere. Quod sanè non aliud est, quàm illũ, qui ea, quæ elementis externis, & symbolis significantur, uera & con stanti fide complectatur, habiturum esse ęternam uitam. Ita ergo Sacramenta ha bent uim uitæ, quemadmodum Petrus sacras scripturas appellat uerba æter næ uitæ: & quemadmodum Paulus appellat Euangelium, uim & potentiam dei ad salutem. Dicuntur etiam habere uim uitæ, quòd non sint inania tantùm, & frigida signa, sed instrumenta, & organa spiritus sancti, quibus ille utitur ad excitandam fidem in communicantibus, qua illi apprehendant æternam uitam. Ad illa ergo elementa, & symbola accedit non uulgaris quædam di gnitas: quæ cuiusmodi sit, statim Cyrillus subiicit: Conuertens, inquit, ea in ueritatem propriæ carnis. Hac loquendi forma Cyrillus expressit mutatio nem sacramentalem. Eò enim efferuntur externa illa elementa, ut uerè, atque effica-

efficaciter, & ex instituto dei, significent corpus & sanguinem Christi, ueraq; fiant earum rerum sacramenta. Neq; uerò illa fictitium, aut adumbratum corpus significāt: sed uerum & solidum, & pro nobis uerè traditum, & mortuum. Nam Valentiniani, Marcionitæ, Manichęi negabant, Christum habuisse uerum, & humanum corpus: imaginem tantùm illi tribuebant, & speciem aliquam humani corporis. Quod ergo Cyrillus dicit, Veritatem propriæ carnis, id non ad commentitiam aliquam præsentiam, sed partim ad significationis efficaciam, partim ad rerum significatarum ueritatem, & constantiam referendum est.

Deinde addit Cyrillus huius sacramenti finem: Vt corpus inquit, uitæ, quasi quoddam semen uiuificatiuum, inueniretur in nobis. Vnde subdit: Hoc facite in meam commemorationem. Huc, uidelicet, spectat institutio mysterij, ut corpus Christi nostra causa in crucem actum, & sanguis eius pro nobis fusus, in mente, ac spiritu nostro perpetuò per fidem retineantur, & habitent, tanquam semen quoddam uitæ. Nam, ut Paulus, & Habacuch, & omnes diuinæ literæ testantur, Iustus ex fide uiuit: maximè uerò ex hac fide, quæ dirigitur in mortem Christi. Hoc autem Cyrillum sensisse, eaq;, quæ dixit, non ad os corporis, aut ad aquale culum, sed ad spiritum nostrum, atq; animum retulisse, ratio illa, quæ ab eo subijcitur, fidem facit. Subdit enim, inquit, Christus, Hoc facite in meam commemorationem. Quiuis potest intelligere, recordandi facultatem ad animum, & spiritum pertinere. Quare cum uiuamus hac ipsa fide, quæ excitatur, & alitur à spiritu sancto per hæc symbola, ea rectè Cyrillus appellauit, Semen uiuificatiuum. Et Augustinus contra literas Petiliani lib. 2. cap. 47. rectè hortatur, ut de mensa sumamus uitam. Nec dissimulandum est, quod Cyrillus appellat altare, id Augustinum uocare mensam. Rectè etiam dixit Sermone 2. de uerbis Apostoli, Manduca uitam. Neq; enim nouum est, quod sæpè monuimus, ea tribui elementis externis, quæ propriè conueniunt rebus significatis.

Quoniam autem Cyrillus mentionem facit horroris, qui incuteretur communicantibus, si caro ipsa, & sanguis Christi in mensa apponeretur, uisum est mihi de ea re paucis lectorem admonere: non quidem, quòd illud nostræ sententiæ aduersetur, quemadmodum iam ostendi: sed quòd ab Inconstantio, alijsq; similibus nimis importunè urgeatur. Hoc ergo primùm dico, nõ esse illam persuasionem satis efficacem. Longè enim durius est, & difficilius uincere horrores mentis, & rationis, quàm sensus. Itaq; multos uideas, qui medicinam amarissimam, & pessimè olentem, quamq; sensus horreant, & fugiant, utcunq; sumere: cum tamen interim ea, quæ cum ratione humana pugnent, nullo modo uelint admittere. Neq; id uidetur deus egisse, ut parceret sensibus: ne scilicet, illi horrore aliquo afficiantur. Pauperies, exilium, infamia, cõtumeliæ sensibus dura sunt: carceres, fames, sitis, uerba, uulnera multò etiam duriora: mors autem, præsertim ignominiosa, acerba, horrenda multò est omnium durissima. Hæc enim non tantùm horrorem, sed etiam tædium, agoniam, & animi deliquium incutiunt. Horum tamen omnium calicem plenum Christus nobis bibendum propinauit. Et credibile est, illum cauere uoluisse, ne carnem suam, aut sanguinem aspectabiliter comederemus, aut biberemus propter horrorẽ? Mihi sanè ista ratio non persuadet: præsertim, cum non uideam, quid interfit, quod ad horrorem attinet, si carnes re ipsa comedas, siue uideas eas, siue non uideas: modò certissimè scias te humanas carnes comedere: quantumuis scias, illas coniunctam secum habere diuinitatem. Certè qui uident, se statim percutiendos esse à carnifice, etsi obuoluantur illis oculi, tamen non multò minus horrent, & pauent, quàm si aperto uultu uiderent gladium uenientem. Et ne discedamus à re proposita, si certò scires Lector, esse humanas carnes uel in pastillo, uel in massa aliqua, uel in intrita,

Difficilius est uincere horrores mentis & rationis, quàm sensus.

Christus non id quæsiuit, ut sensibus nostris parceret.

etsi eas oculis non discerneres, nihilò tamen minus ab esu illarum fugeres. Verùm hac de re plura dicere non oportet. Mea enim nihil refert. Hæc enim ratio, qualiscunq; est, adiuuat sententiam nostram, nō oppugnat. Quod etsi Inconstantius uideat, dissimulat tamen, quantum potest.

,, Ait enim: Quòd si manducare nihil aliud esset, quàm credere, & fide apprehendere, ridiculè loqueretur Cyrillus de horrore. Nam sanguinis, & mortis Christi suauis est fideli recordatio. Sed quia corpus & sanguinem in os admittimus, & ita se uult Christus manducari, & bibi, ideò, ne quis horror esset, species elementorum manducationi subseruiunt. Multa ego in his uerbis Inconstantij uideo, de quibus Cyrillus ne somniarit quidem. Nihil enim hic, mihi crede, Cyrillus loquutus est ridiculè. Sed quia sensit, manducationem istam carnis Christi perfici spiritu, & fide, idcircò externa illa manducatione, quæ horrorem incuteret, nihil opus esse statuit. Satis enim esse ad salutem, ut deus propositis elementis, quemadmodum diximus, influat uim uitæ.

Verùm Inconstantius ex alijs etiam uerbis eiusdem epistolæ uoluit nobis facescere negotium. Non dubites, inquit Cyrillus, an hoc uerum sit, eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum: sed potius suscipe uerba Saluatoris in fide. Cum enim sit ueritas, non mentitur. Insaniunt ergo, qui dicunt, Mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ eius remāserint in diem subsequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi: sed uirtus benedictionis, & uiuificatiua gratia iugis in eo est. Virtus enim uiuificatiua dei patris unigenitum uerbum est: quod caro factum est, non desinens esse uerbum, sed efficiens carnem uiuificatiuam. Non dixit Cyrillus, inquit Inconstantius, Panē esse figuram corporis: imò Christum ait manifestè dicere, Hoc est corpus meum. Et uerba Christi ait esse manifesta: eumq;, cum sit ueritas, nō mentiri. Quasi quisquam nostrum unquam Christum mentitum esse dixerit. Imò scimus, & cōstantissimè dicimus, Christum ipsam esse ueritatem. Sed unde nobis probabit Inconstantius, omnia Christi uerba intelligēda esse simpliciter sine tropo? Multa haud dubiè Christi dicta sunt tropica: inter quę etiā ista numeranda sunt. Et si Cyrillus non dixit, Panem esse figuram corporis Christi, non tamen idcircò id alij Patres non dixerunt: quemadmodum suo loco satis copiosè ostendimus.

De reliquijs Eucharistiæ. Quod autem subijcitur, Benedictionis, id est, Eucharistiæ reliquias asseruatas in crastinum diem à sanctificatione non cessare, spectat, opinor, ad receptam quandam cōsuetudinem apud Veteres. Nam quemadmodum facilè possumus collígere è Cypriano, Tertulliano, Ambrosio, solebant homines peracta iam Cœna domini in sacro cœtu, partes quasdam, aut frustula symbolorū secum auferre domum, & recondere, illisq; mane uti ante alios cibos: inde, uidelicet, non nihil sanctificationis uel sibi ipsis, uel suis ægrotis, quibus ea dabant, expectantes. Ea consuetudo, etsi saperet non nihil superstitionis, tamen illi Cyrillus, alijq; subscribebant. Statim enim à temporibus Apostolorum paulatim cœptum est degenerari ab illa ueteri simplicitate diuini cultus. Posiremis autem istis nostris temporibus omnia illa, quæ anteà aliquo modo tolerari potuissent, in feces, & sordes impurissimas abierunt. Eò scilicet promouimus, cum nemo esset, qui quicquā, quod à maioribus aut susceptum, aut factum esset, aut emendare uellet, aut immutare. Nec tamen in seruandis illis reliquijs semper apud omnes eadem consuetudo seruata est. Nam Origenes in Leuiticum, Dominus, inquit, Eucharistiā non iussit seruari in crastinum. Alij tamen eam in crastinum, alij in tertium usq; diem reseruabant. Alicubi reliquiæ illæ, quæ à Communione supererant, comburebantur: alicubi à clericis comedebantur in Sacrario. Quanquam non est credibile, ueteres illos primorum temporum Patres putasse, apud se carnem, & sanguinem

guinem domini re ipsa, & propriè conseruari. Tantũ eas putabant esse reliquias Sacramenti, quibus posteà priuatim religiosè uescerentur.

Tamen Anthropomorphitæ hæretici crediderunt, illas reliquias cum ipso Christi corpore talem habere coniunctionem, ut quicquid corruptionis illis accidisset, illud putarẽt accidere Christi corpori. Id uerò Cyrillus negat. Ait enim, sacrosanctum corpus Christi non mutari, in eo enim esse iugem & perpetuam uirtutem benedictionis, & uiuificam gratiam. Itaq; ad illam sanctificationẽ, quæ expectabatur ex priuato & domestico usu illarum reliquiarũ, nihil referre quàm illæ recentes essent. Et idcircò eos ait insanire, qui dicerent, benedictionem, id est, reliquias Eucharistię propter spatium temporis exuere sanctificationẽ suam: tacitè, uidelicet, innuens, illam sanctificationem, non relinquijs panis & uini, sed Christo esse tribuendam. Quare, cum Christus perpetuò idem sit, uim eius ad sanctificandum non ueterascere. Sed ego de sensu illius epistolæ longè melius possem iudicare, si ea ad manus meas integra aliquando perueniret. Verùm illam ego non uidi. Quæ tamen de ea uir longè doctissimus, & sanctissimus Iohannes Oecolampadius tradidit, mihi uisa sunt ad ueritatem proximè accedere.

OBIECTVM CCXIIII.

OBIICITVR ex Cyrillo eodem loco: Quia caro Christi, inquit, natura uiuificans est, propterea hæc caro Christi participi pantes uiuificat. Eijcit enim, mortem ab eis, & interitum penitùs expellit. Hinc apparet, malos, cum hunc effectum non recipiant, non comedere corpus Christi.

GARDINERVS.

VEMADMODVM *Christus de se ipso dixit, Non posse se operari miracula propter incredulitatem illorum: ita caro Christi uiuifica, cum à malis sumitur, non uiuificat propter incredulitatem sumentium.*

MARTYR.

CHristus, inquit, ait se non potuisse edere miracula propter hominum incredulitatem: nec tamen ea causa quicquam detractum est de illius potentia. Christum enim tantùm ostendere uoluisse conuenientiam, qua solebat operari. Ita ait carnem Christi, etsi percipiatur ab impijs, tamen eos propter ipsorum incredulitatem non uiuificare. Ex hoc ergo non probari, illos non comedisse, sed indignos, & incredulos comedisse. Hoc exemplum, quod Inconstantius attulit, ad hoc institutum, quod habemus præ manibus, non quadrat. Non enim scriptura testatur, Christum ubicunq; esset, aut uoluisse, aut potuisse facere miracula. At Christus ipse sine ulla exceptione asserit, eũ, quicunq; manducet suam carnem, aut bibat suum sanguinem, habiturum uitam æternam.

Sed Inconstantius exemplo illo suo non contentus, adfert etiam simile. Si, quod à medico, inquit, datur pro pharmaco salutari, adferat exitium, non erit ab effectu pharmaci ualidum argumentum: dummodò quæ sit eius substantia firmè de bona, testibus, & certis testimonijs queat constare. Quæ uerò, inquit, Eucharistiæ substantia sit, ipsius ueritatis habemus documentum. Hoc simile Inconstantij mihi uisum est inuertere, & in suum authorem retorquere. Si Galenus

de pharmaco aliquo dixerit, eum, qui illud sumpserit, hoc, aut illud effectum in corpore suo sensurum esse, eo ipso probatur bonus medicus, quòd ea, quæ prædixerit euentura, eueniant. Hoc si uerum est in re medica: quanto nobis firmius & certius esse debet, quod prædixit Christus: Eos, qui carnem ipsius comederint, & sanguinem ipsius biberint, habituros æternam uitam? Sed hic est inueteratus error Inconstantij. Non uult agnoscere, ullo pacto, Corpus Christi non manducari, nisi per fidem: cum tamen Christus in sexto illo capite Iohannis aliud genus manducationis non agnoscat. Somniat autem accidentia, tanquam quædam inuolucra, & crustula, conclusam habere in se carnem Christi: quæ ore corporis, lingua, palato, dentibus, ab omnibus, quicunque crustula illa recipiant, comedatur. Quid autem sit cum Capernaitis sentire, ac facere, nisi hoc sit, equidem non uideo.

OBIECTVM CCXV.

OBIICITVR ex eodem Cyrillo lib. 4. cap. 14. Quòd si solo, inquit, tactu suo corrupta redintegrantur, quomodò non uiuemus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui. Impij ergo, cum non uiuant, nec reformentur ad immortalitatem, non manducant illam carnem.

GARDINERVS.

SOLO *tactu sanabat Christus: sed dignos, uel saltem non indignos qui tangerentur.*

MARTYR.

ISte, ut aliquo saltem modo nobis resistat, quiduis arripit: neque quicquam
„ pensi habet, ueráne ea, an falsa sint, quæ dicit. Ait, Christum tactu suo sanasse
„ quidem homines, sed dignos, aut certè non indignos, qui ab illo tangerentur.
Itáne uerò? Vnde ista noua Theologia? Christus sanauit nouem leprosos: exilis omnibus unus tantùm declarauit, se non indignum. Redijt enim ad Christum, & de accepto beneficio gratias egit. Cæteri autem illi nouem, ut ingrati, & tanto beneficio indigni, abierunt. Et quomodò dignus erat Malcus, mancipium Pharisæorum, & socius latronum, cui attactu Christi aurícula reponeretur? Sed quid multa? Omnes scripturæ plenæ sunt miraculorum, quæ deus in indignos contulerit. Iudæi quidem, cum Christum affigerent ad crucem, se
„ ipsos ex eius attactu uulnerarunt. Fateor. Sed quid tu ex eo colligis? Car-
„ nem Christi ab hominibus impijs uerè, ac propriè posse manducari? Hoc etsi tu dicas, tamen scripturæ certè non dicunt. Scire autem debebas, Cyrillum, aliosq; patres hoc sibi in hoc argumento, tanquam firmum, & ab omnibus confessum sumere: neminem comedere posse carnem Christi nisi credentem: cum tamen permulti eum, cum ageret in terris, etiam sine fide potuerint contingere.

Christus etiam indignos sanauit quo ad corpus.

„ Addit Inconstantius, Eos, qui ueram illam carnem tangant, gustent, man-
„ ducent, assequi immortalitatem. Sed respondeat mihi, quidnam illud sit, quod pij communicando gustant. Certè omnium sententia sapores sunt, qui gustantur. Sapores autem in Eucharistia non alij sunt, quàm panis & uini: quem-

quemadmodum & Augustinus ait, & omnes confitentur. Neq; sanè unquam quisquam in Eucharistia sensit saporem carnis Christi. Portenta ergo loquitur: eaq;, quę ipse neq; gustauit unquam, neq; tetigit. Quòd si dicat, se gustum illum, non ad sensum externum referre, sed ad animum, & fidem, nobiscum sentit. Verùm hoc ille nunquam dicet. Mauult enim omnem experientiam, & uniuersam rerum naturam peruertere, quàm nobiscum, & cum ueritate consentire.

OBIECTVM CCXVI.

OBIICITVR ex Cyrillo eodem libro cap. 17. Sicut, si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ita si quis carnem & sanguinẽ domini recipiat, cum ipso ita cõiungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Satis ex ijs liquet, malos non comedere corpus Christi.

GARDINERVS.

DE *digna manducatione sentit Cyrillus.*

MARTYR.

REpetit eandem illam suam cantionem de Dignè, & Indignè manducantibus. Sed & in illo 6. cap. Iohannis, & in illo loco Cyrilli sermo satis est perspicuus, neq; quicquam habet ambigui, quod ita oporteat distinguere. Scimus quidem, externum usum symbolorum, quemadmodum Paulus ait, alium dignũ esse, alium indignum. Ipsa uerò Christi caro, quæ sola fide comeditur, indignè, hoc est sine fide, comedi non potest. Idq; nisi Inconstantius ex uerbo dei, aut certis rationibus infirmare possit, nihil effecerit. Commemorat lutea quædam pectora, & cerea: eaq; ego inter homines inueniri, non inficior. Hoc autem loco ista omnia commenta dico prorsus esse ἀπροσδιόνυσα. Pectora enim lutea, & infidelitatis frigore rigentia, carnem Christi non admittunt. Potuissent quidem ista conuenire in tempore. Sed hic planè sunt aliena.

OBIECTVM CCXVII.

OBIICITVR ex Cyrillo eodem libro cap. 24. Credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, &c. Quid aduersus Transubstantiatores clarius dici potuit?

GARDINERVS.

HOC *isto in loco, unde hæc desumpta sunt, Cyrillus ostendit, Christum manducationis carnis suæ modum credentibus Discipulis, nec id quærentibus, aperuisse.*

MARTYR.

FAteor, Christum in Cœna tradidisse Discipulis suis modum comedendę carnis suę, cuius doctrinam anteà prodiderat in sexto Iohannis. Neq; ego in hac re quicquam dissentio à Cyrillo. Ab Inconstantij autem sentẽtia longius absum, quàm cœlum à terra. Ille enim putat, Christum hunc modum manducationis tra

didisse, ut credamus eius corpus sub accidentibus panis & uini delitescens inuisibiliter, corporis ore, & dentibus, & palato, & faucibus recipi. Hæc autem, ut sunt aliena à ueritate, ita non traduntur uspiam in sacris literis. Neq; enim Christus, cum institueret Cœnam suam de hac theologia ullam fecit mentionem. Modum tamen edendæ carnis suæ in Cœna liquidò patefecit. Nam ex illis uerbis, quæ habuit in sexto Iohannis, fideles parum attenti utcunq; dubitare potuissent, spiritualisne, an corporalis futura esset illa comestio, hoc est, dentibúsne esset, an fide perficienda. In Cœna autem nullus iam relinquebatur dubitandi locus. Discipuli enim uidebant, corpus Christi secum discumbere, saluum, integrum, incolume: uidebant etiam eum ex eodem illo sacro cibo, & potu secũ unà edere, & bibere: audiebant id, quod edebant, & bibebant, esse corpus & sanguinem domini. Quid ergo aliud collígere potuerunt, quàm loquutionem illam de comedenda carne, & bibẽdo sanguine, fuisse metaphoricam: totamq; illam actionem ad fidem, & mentem pertinere: nisi quòd uidebant, externa etiam symbola adhiberi, quorum esus esset internæ alterius manducationis testimonium? Hęc, inquam, Apostoli didicerunt discumbentes in Cœna cum Christo. Nisi forte uelimus cum Inconstantio dicere, Discipulos existimasse, Christum, instar hominis furiosi, ipsum sibi suas carnes comedisse, suumq; sibi sanguinem bibisse, & ita sibi corpus congeminasse, ut simul eodemq; tempore, & ad mensam sederit, & sub accidentibus panis delituerit: simulq; fuerit uisibile, & inuisibile: agens, & patiens: comestum, & comedens. Si hæc, ut re uera sunt, absurda & intolerabilia uideãtur, discamus unà cum Apostolis Christi, uerba illa esse tropica: & carnem Christi non nisi spiritualiter manducari.

Cum autem Inconstantius uelit exponere, quomodò Christus dederit Discipulis suis fragmenta panis, redit ad solitum illud suum, & notum diuersoriũ.

» Etsi enim substantia panis, inquit, iam abierit, priorem tamen appellationem re-
» tinet. Tam aũt est studiosus troporum, ut absq; illis ne unum quidem ex nostris argumentis possit dissoluere. Verùm ut hanc absurditatẽ alia non minori absurditate confirmet, citat etiam suppositititiã epistolam Clementis. Nam in ea quoq; portiones Eucharistiæ appellantur fragmenta corporis Christi. Deinde addit:

Suppositicia epistola Clemẽtis.

» Quemadmodum ex loquutione Clementis non probatur, corpus Christi re ipsa
» esse fractum: ita non euincitur ex sententia Cyrilli, supereſſe in sacramento substantiam panis. Ita solet accidere illis, qui uiam tritam & Regiam deserũt, ut postremò per rupes, & loca abrupta sese præcipitent. Sed cur nos potius huius Sophistæ, qui ita loquitur, ut ne ipse quidem se intelligat, orationem non inuertimus? Dicemus ergo, Quemadmodũ uerba illa Cyrilli plana, & perspicua, apertissimè significãt, panem in Eucharistia retineri: ita uerba illa Pseudoclementis primùm inepta, deinde à fidei regulis aliena, lenienda sunt expositione tropica: ut intelligamus, fragmenta panis dici fragmenta corporis Christi: quòd sint fragmenta sacramenti corporis Christi. Signo enim, uti sæpè monuimus, imponitur nomen rei significatæ. Quanquam in illo Clemente non est nobis nimium laborandum. Quisquis enim fuerit, totus ex impostoris, & mendacijs cõstutus est.

» Addit postremò, fractionem illam posse in accidenti Quantitatis declarari,
» ut dicamus, non signatum, sed signum frãgi sensibiliter. Hic uidemus, abyssum ab abysso inuocari, & portenta portentis cumulari: ut huiusmodi monstris, & miraculis nullus statuatur modus, aut finis. Accidentia apud istos philosophos efficiunt Chaos Anaxagoræ. Ex illis enim fingunt, & pariunt, quicquid uolunt. Illa frangunt, illa contingunt, illa uident, illa olfaciunt, illa gustant: ex illis generant cineres, & uermes: ex illis alunt communicantes. Et quid non? Profectò istorum Eucharistia nihil aliud uidetur esse, quàm regnum quoddam accidentium.

OBIECTVM CCXVIII.

OBIICITVR ex Cyrillo in Iohan. lib. 6. cap. 14. Hic animaduertendum, quòd etsi corporis sui præsentiã hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest: sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur, dicens: Ecce uobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Ergo cum Christus præsentiam corporis sui hinc subduxerit, ea præsentia non est ponenda in Sacramento.

GARDINERVS.

ET hic continuam Christi præsentiam tractat: quam in corpore cœlum habet, in natura diuinitatis etiam habemus nos.

MARTYR.

AIT, quandam esse Christi præsentiam, quam appellat, Corporis: eamq; cœlum habere continuam: aliam autem esse præsentiam maiestatis: uidelicet, quod attinet ad naturam diuinitatis: eam autem nos habere usq; ad consummationem sæculi. Hactenus rectè. Nam de ista duplici præsentia pulchrè inter nos conuenit. Eandemq; distinctionem Augustinus etiã sequitur, exponens illa uerba Christi, Pauperes semper habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis. Idemq; testantur Vigilius & Fulgentius, alíq; multi. At Inconstãtius præter istam duplicem præsentiam aliam quandam sibi fingit: nimirùm, ueri corporis Christi in Eucharistia. Sed eam pro more & ingenio suo, neq; probat, neque confirmat è sacris literis. Modum tamen quendam diuersum facit, quo corpus Christi eodem tempore, & in cœlo sit, & in Sacramento. In cœlo, inquit, regnat: nec unquam desinet ibi esse: in Sacramẽto uerò ad nostri sanctificationem: utroq; ueritate pari: sed in mysterio nobis: quod & hic Cyrillus alibi clarè confitetur. Tanta est huius Sophistæ in distinguendo subtilitas, ut quæ mirificè studet inter se discernere, ea inter se cõfundat. Dicat enim mihi: Ille Christus, quem ait regnare in cœlo, nónne idem homines fideles, & discipulos Christi, qui uersantur in terra, sanctificat? Non potest hoc negare: nã, ut Paulus ad Corinth. ait, factus est nobis iustitia & sanctitas. Deinde hoc etiam mihi respondeat, regnétne ille Christus, quem ait abditum latere sub accidentibus. Haud dubiè, si uerus est Christus, illum regnare necesse est: nisi fortè hoc uelit dicere, illum, quotiescunq; in sacrificulorum manus ueniendum est, abdicare se regno suo.

Augustinus.

Ait præterea, Christum, quod ad corpus attinet, nunquam desiturum esse in cœlo. Atqui nos ex articulis fidei credimus, illum inde uenturum ad iudicandum uiuos & mortuos. Et nescio, an hic ex antithesi, iuxta sentiam istam Inconstantij, debeam colligere, corpus Christi aliquando desiturum esse sub accidentibus. Id equidem uehemẽter cupio ab illo nobis expediri. Nam si esse desinat, accidentibus adhuc saluis, eos omnes, quicunq; colant nuda accidentia, necesse est esse idololatras. At si accidentibus iam corruptis abire incipiat, aut desinere, uidear iste, quid tandem de illo fiat. Quanquam ne hoc quidem uideo, quomodò corpus Christi dici possit desinere esse sub accidentibus, cum iam accidentia ipsa esse desierint. Postremò si Cyrillus alibi huic nostro tantùm fauet, cur eius dicta, & testimonia non adscribuntur? Certè tanti patris authoritas non debuit ita leuiter, & contemptim præteriri.

OBIECTVM CCXIX.

OBIICITVR ex Cyrillo lib. 9. in Iohan. cap. 21. Paruo tempore Christus ait, se fore cum discipulis. Non enim penitus recessurus erat. Nobiscum enim est semper usq; ad consummationem sæculi: sed quia non erat cum eis sicut prius conuicturus.

GARDINERVS.

QVOD *hic Cyrillus exprimit, Non sicut prius conuicturus, paucis uerbis aperit, quod istis respondeatur, quæ nobis de Christi à mundo absentia obijciuntur.*

MAVTYR.

,, INconstantius existimat, ex ijsdem istis uerbis Cyrilli omnia illa, quæ obijci so-
,, lent de absentia Christi, posse dissolui. Etsi enim Christus præsentia corporis
,, adsit in Sacramento, non tamen eum adesse conuicturũ nobiscum ut prius. Ad-
,, esse enim illum arcano tãtùm quodam modo, & inuisibiliter. Antequam ad ista
respondeo, libet mihi illud in uerbis Cyrilli expendere, quod ait, Non quia penitùs ab eis recessurus erat. Equidem non uideo, quid hoc aliud sit, quàm quod idem Cyrillus in proxima superiori Obiectione docuit, cum diceret: Etsi corporis sui præsentiam hinc subduxit, maiestate tamen diuinitatis semper adest. Hoc enim non est penitus à nobis discedere. Adest enim bonitate sua et potentia, quę pertinent ad eius maiestatem: etsi corpore habitet in cœlis. Interim gratia sua, & ui spiritus uitam in nobis & sanctitatem operatur, nosq; pro tempore, quibus uidetur, donis cumulat.

Nunc ad istum uenio: & affirmo, Cyrillum hoc etiam loco idem spectare, cũ dicat, Christum non fuisse cum Discipulis conuicturum sicut prius. Etsi enim diuina Christi natura hic nobiscum agat, non tamen intercedit illi nobiscum familiaris conuictus. At dicet Inconstantius, ne cũ corpore quidem illo Christi, quod ait latere inuolutum sub accidentibus, esse nobis cõuictum. Si daretur huiusmodi commentũ, fateor quidem, conuictũ nobis cũ illo corpore nullum esse. Sed, ut illud recipiamus, neq; scripturæ nos, neq; Cyrilli uerba cogunt. Is enim, quẽadmodum dixi, abunde docuit, quomodò intelligere debeamus, Christum à nobis penitùs non abesse: cum tamen familiarem illum suum conuictum nobis interim non impertiatur, ut solebat. Adesse enim illum nobis diuinitate sua, & spiritu, & gratia, quæ ad sensus humanos non pertingant.

Nota Cyrilli uerba.

Sed, ne quis dicat, me fucũ facere uoluisse, & Cyrilli uerba alieno sensu pertrahere, duo adducam huius eiusdem patris loca. In 11. libro super Iohannem ca.
,, 22. scribit. Nihil ergo mali accidere uobis potest, ait, si carne abfuero, cum deita-
,, tis meę potestas, quæ uos hucusq; seruauit, in posterum etiã seruatura sit. Hæc
,, non ideo dicimus, quia domini corpus nõ magni æstimemus, sed quia mirabiles
,, hos effectus gloriæ deitatis attribuendos putamus: nam ipsum etiam domini cor-
,, pus coniunctum, uirtute uerbi sanctificatur, & ad benedictionem mysticã adeò
,, actiuum fit, ut possit sanctificationem suam nobis immittere. Vnde ipse quoque
,, saluator, cum ad Iudæos multa de carne sua dissereret, ac uiuificum uerè panem
,, eam appellaret: Panis enim, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita, stupentibus illis & quomodò fieri posset dubitantibus dicebat, Spiritus est qui uiuificat, caro nihil prodest. Verba quæ ego loquutus sum
,, uobis, spiritus & uita sunt. Apertè nanq; hic ad sanctificandum, uiuificandumq;
,, nihil prodesse carnem ostendit, in quantũ scilicet naturæ humanæ caro est. Cum igitur

igitur deitati seruatio attribuatur, nõ debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desyderare: hęc enim in mundo loquor, ut gaudium meum in uobis plenum sit. Quod autem impletum est uerè atq; perfectum gaudium? Vt sciamus, firmiterq; credamus non solùm illum sicuti nos absq; peccato, sed etiam uerum deum esse. Hoc enim solummodò pacto & carne absens seruare suos poterit, qui perfectum habebunt gaudium, cum se uirtute omnipotentis protegi non dubitent. Hinc habetur corpus Christi, licet absens, adeò actiuum esse, ut per benedictionem mysticam sanctificationem suam nobis immittat, suosq; seruet, quamuis carne absit. Hæc de priori loco.

Nunc ad istud ipsum uenio quod iste mancum citauit: ijs enim quę adducuntur, hæc statim subiecit. Prope enim, inquit, iam tempus erat, ut etiam in cœlos ad patrem abiret. Credere autem oportet fideles, quamuis corpore à nobis absit, uirtute tamen eius omnia, & nos ipsos gubernari: adesseq; ipsum semper omnibus, qui eum diligunt. Propterea dicebat: Amen, amen, dico uobis: Vbicunq; sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Nam, quemadmodum, quando ut homo uersabatur in terra, tunc etiam cœlos implebat, & Angelorum consortia non relinquebat: eodem nunc modo, cum sit in cœlis cum carne, terram tamen implet, & cum eis est, qui illum diligũt: quòd secundum carnem tantùm abiturus erat: adest autem semper uirtute deitatis, ut dixi. Modico tamen tempore se cum Discipulis futurum, dicebat: apertè se ipsum nominans, ne quis in duos filios diuidere Christum auderet. Hæc perspicuè docent, locum illum Cyrilli ita exponendum esse, ut ego exposui. Cur autem iste noster totum hunc locum dissimularit, quid me oporteat dicere? Id enim Lector facilè per se uidere potest. Clamat ubiq;, se in nobis fidem desyderare: quasi uerò ipse eam ubiq; candidè, & ingenuè præstet.

Postremò meminisse debemus, hunc Cyrillũ eundem illum esse, qui in Dialogis de Trinitate lib. 2. tomi primi ita scripsit: Nam si uerè sectionẽ, & diuisionem diuina natura, ut illi dicunt, reciperet, intelligeretur & corpus: si autem hoc, & in loco omninò, & in magnitudine, & in quantitate: & si quanta facta esset, non effugeret circunscriptionem. Hoc ego idcircò moneo, quòd isti corpus Christi ponant in Eucharistia sub accidentibus, idq; omninò sine loco. Qui autem corpus Christi uolunt per multa loca diffundere, illi eius circunscriptionem non retinẽt. Cyrillus ergo prorsus nobiscum sentit. Ait enim, ne à diuina quidem natura, si quidem ea corpus esset, auferri posse locum & circunscriptionem. Audiendus quoq; idem est libro 8. in Iohãnem cap. 7. ubi ait: Denicq; cum de se dixit, Me autem non semper habebitis, loquebatur dominus de præsentia corporis sui: nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem diuinitatis gratiã impletur, quod ab eo dictum est, Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consumationem sæculi. Nihil perplexè loquitur, iam apertè docet quomodò Christus hoc tempore nobis adsit. Idem lib. 10. cap. 6. Quia hæc loquutus sum uobis, apud uos manẽs: iam enim hic ad cœlos secundum carnem abiturus erat. Ibidem cap. 38. Nullus ambigit, cum ad cœlos ascenderit, quamuis uirtute semper adfuerit, præsentia tamen ipsum carnis absuisse. Ibidem cap. 40. Expedit uobis ut ego uadam: nam nisi abiero, Paracletus nõ uenietad uos. Opus enim erat participes nos naturæ suę fieri, & in nouam inaudiamq; uitam transformari, quod aliter quàm participatione spiritus sancti fieri non poterat. Hic dicitur nos aliter nõ posse fieri participes naturę Christi, quàm per spiritum sanctum. Verùm audiatur idem in 11. libro cap. 3. Nam etsi abest corpore, patri pro nobis apparens, ac à dextris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum, neq; patitur illos orphanos esse. Et ibidem: Posteà in cœlum

„ ascendens, spiritum immisit: non enim conuersari poterat cũ Apostolis in carne,
„ cum ad patrem ascenderit. Hic mihi respondeat Inconstãtius, ubi nam sit ea po
tentia dei, quam perpetuò unà cum suis iactat? Certè, ut isti uolunt, idem corpus
esse potest in diuersis locis, & ideò iuxta eorum sententiam potuisset Christus
quod attinet ad corpus, & in cœlo esse, & in terris cum Apostolis uersari. At Cy
rillus ait, Non poterat uersari cum Apostolis, cum ad patrem ascenderit.

OBIECTVM CCXX.

OBIICITVR ex Augustino in Psal. 89. Non hoc corpus, quod uidetis, comesturi estis: neque bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Mysterium est, quod uobis dico: quod si spiritualiter intelligatur, uiuificabit.

GARDINERVS.

EODEM *in loco habet Augustinus, Christum carnem, quam assumpsit ex Virgine, dedisse manducandam.*

MARTYR.

AVgustinus, cum dicat, eodem loco, Christum ueram suam carnem dedisse comedendam, nobiscum nihil pugnat. Id enim nos nũquam negauimus. Dedit quidẽ Christus ipsam suam carnem, sed spiritualiter comedendam: eamq; fideles communicantes non aliter recipiunt, quàm fide, ac spiritu. Idq; Augustinus in illis ipsis uerbis, quæ nos hic citauimus, luculentissimè declarat: nisi Inconstantius suis illis strophis, quasi Circæo aliquo poculo, studeret lectori sensum,
„ & mentem eripere. Nam quod Augustinus dicit, Non hoc corpus, quod uidetis, comesturi estis: neq; bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me
„ crucifigent, id iste, non ad rerum naturam referri uult, sed ad illarum proprietatem: nimirùm, ad corruptionem: quòd illa caro, quamuis domini esset, tamẽ tum
„ temporis corruptibilis, & mortalis esset. Christum ergo ait dedisse manducandam diuinam, & spiritualem carnem. Verùm hoc totum commentitiũ, & falsum esse, Augustini ipsius uerba satis indicant. Ait enim, Sacramentum aliquod uobis trado: id spiritualiter intellectum uiuificat. Hæc, inquam, satis docent, Augustinum, non ad modum corporis, aut ad proprietatem respexisse, sed ad sacramentum. Ac si diceret: Non istam carnem meam, aut hũc sanguinem esturi estis, aut bibituri, corporis, uidelicet, uestri ore, ac dentibus: sed harum rerum mysterium quoddam, aut sacramentum. Illud autem uiuificaturum uos non est, nisi sanam fidei intelligentiam, ad ea, quæ in eo significantur, adhibeatis.

An Christus habuerit carnem corruptibilem, uel incorruptibilem, cum instituit sacramentum.

Ad hęc, hoc uelim mihi Inconstantius respondeat, utrum Christus in illa Cœna, cum nondum obijsset mortem, habuerit carnem corruptibilem, an incorruptibilem. Si dicat, eam tum fuisse incorruptibilem, quomodò est mortua? Si corruptibilem, ergo talem Christus carnem dedit Discipulis, qualem habuit: nisi Inconstantius fortè dicere uelit, Christum tum fuisse bicorporem: & habuisse carnem aliam corruptibilem, aliam incorruptibilem. Sed iste ridet nos, qui eum putemus, regulis Contradictoriorum teneri posse: ac non potius arbitremur, eum facilè concessurum, idem corpus Christi fuisse & mortale, & immortale; & corruptibile, & incorruptibile; & spirituale, & non spirituale eodem tempore. Id autem

tem si alia uia confirmare non queat, nunquam tamẽ eum deficiet argumentum ab Omnipotentia dei. Quid autem Hieronymus, ad quem iste nunc diuertit, sibi uelit per duplicem Christi carnem in epistolam ad Ephesios, suprà, quantum uidebatur satis, ostendimus. Sophista autem noster, postquam tenetur medius, nihil aliud quærit, quàm ut diuerticulis, & digressionibus rei perspicuitatẽ perturbet: quò facilius, & tutius tempestatem, quam ferre non potest, euitet.

Omisso ergo Hieronymo, uideamus deinceps quid sequatur. Quærit ergo à nobis, an ista ipsa uerba Augustini, Non hoc corpus, quod uidetis, comesturi estis, non significent ex ipsa phrasi, Corpus Christi uerè dari comedendum: etsi non illud detur, quod uidetur. Miror, eum hoc percontari, cum ex ipsis Augustini uerbis eius quæstionis dissolutionem non sit difficilè colligere. Eam tamen ego non grauabor, etsi necesse non erat, explicare. Aut ergo loquimur de externa comestione, quæ propria est, & naturalis, & ad corporis instrumẽta pertinet: aut de metaphorica, & spirituali, quæ animo & fide perficit. Quòd si de propria manducatione, & externa quæras, de qua Augustinus uidetur agere (emendat enim prauã intelligentiam Capernaitarum, & septuaginta illorũ discipulorum, qui putabant, imperari sibi, ut corporis ore corpus Christi comederent) de ista, inquam, manducatione si quæras, ita corpus Christi proprium, & reale non comeditur. Id enim Augustinus in illis uerbis apertè negat. Ad hũc enim modum symbola tantùm comeduntur. Ideoq; subiecit: Sacramentũ aliquod uobis trado. At si de altera manducatione metaphorica & spirituali quæras, ita corpus Christi comedi, non tantùm credimus, sed etiam prædicamus. Quod autem Augustinus negat, corpus Christi, quod uidebatur, manducari, id de altero genere manducationis, externo, inquam, & proprio intelligendum est.

Subdit Inconstantius: Nam ubi nullum corpus datur comedendum, ridiculè dicitur, Non hoc, quod uidetis. Quis istam tantam subtilitatem non miretur? Audit nos passim dicere, & docere, utriq; manducationi dari corpus, quod illi congruat. Et tamen ita se nobis opponit, quasi nos dicamus, nullum prorsus corpus Christi dari comedendum. Ori corporis nostri datur panis: nõ quidem uulgaris cibus, sed mysteriũ et Sacramentum corporis domini: quod tamen suo quodam modo & est, & dicitur corpus Christi. Et de hac re Augustinus Christum inducit ita loquentem: Ore corporis uestri, & dentibus, non comedetis hoc corpus meum, quod uidetis. Altero autẽ genere comestionis, quod perficitur rectè intelligendo mysterium, hoc ipsum corpus meum, quod nunc uidetis, comeditis spiritualiter: illudq; uos ad æternitatem uiuificabit.

Verùm Inconstãtius, opinor, ne parùm facetus uideret, subiicere uoluit hoc simile: Vt maritus, qui cum uxorẽ à se sine causa segregasset, iactabat, se aliquot annos uxori nullum uerbum fecisse durius, nunquam illam alloquutũ asperius, aut illam seuerius aspexisse, néue per iniuriam uel digito attigisse: cum eam interim omninò non uidisset, ut posset quicquam cum ea colloqui. Atqui, Inconstanti, Augustinus non cauillatur, ut tu soles: sed seriò loquitur ut in re maximè seria. Imò, inquis, Augustinus dum ait, Corpus, quod uidetur, nõ dari ad manducandum, fatetur omninò aliud dari, etsi qualitate diuersum. Primùm ego respondeo, illud simile, quo Inconstantius sperauit se festiuum fore, nihil ad rem facere. Nam ille maritus ab uxore sua omninò abfuit: corpus autem Christi à mente, & fide nostra non abest, sed à nobis comeditur spiritualiter. Etsi, ut dixi, Augustinus de illa manducatione directè non agat. Tantum enim uoluit externam, & propriam manducationem remouere, qua Capernaitæ, & illi septuaginta Discipuli errore obcæcati, putabant se comesturos esse corpus Christi. Panis autem sacer, qui etiam suo modo est corpus Christi, corporis officio, & dentibus come-

ditur. In hoc scirpo nihil nodi est, nisi quantum iste sibi fingit. Ea, quæ dicimus, ita sunt perspicua, ut uel à pueris possint intelligi. Solus Inconstantius, quamuis alioqui, ut sibi uidetur, subtilissimus, ad ea stupet.

» Huc addit, Christum habuisse duo corpora, non quidem substantia, sed qua-
» litate diuersa. Itaq; quemadmodum Iuo Carnotensis exposuit Augustinũ, Chri
» stum potuisse dicere, Corpus suum & ipsum, & non ipsum esse comedendum.
Iuo. Ego uerò Iuoni isti uel Carnotensi, uel Beluacensi relinquo sententiam suam; &
in Augustini uerbis intelligendis ipsum potius audio Augustinũ. Ille enim pro-
» ximè ante uerba illa, quæ iam adduximus, ita scribit: Nam cũ remansissent cũ illo
» discipuli duodecim, alijs recedentibus, suggesserunt illi, tanquam dolentes illo-
» rum mortem, quòd scandalizati essent uerbis eius, & recessissent. Ille autem in-
» struxit eos, & ait illis: Spiritus est, qui uiuificat: Caro nihil prodest. Verba, quæ
» loquutus sum uobis, spiritus sunt, & uita. Spiritualiter intelligite, quod loquutus
» sum. Deinde subijcit: Non hoc corpus, quod uidetis, comesturi estis. Ista ma-
festissimè indicant, Christum dixisse, comestionem sui corporis spiritualem esse,
non carnalem: et spiritu, ac fide perfici, non dentibus, aut instrumentis corporis.
At dices, manducatione ista spirituali corpus illud ipsum comedimus, quod ui-
debatur. Illud enim, ut nostra causa affigebatur ad crucem, fide comprehendi-
mus. Fateor. Sed quomodò ergo, inquies, dicit Christus, Non hoc corpus, quod
uidetis, comesturi estis? Dicam: Cũ Christus docuisset, oportere spiritualem esse
manducationem, qua ipse esset comedendus, conuertit se posteà ad carnalem,
quam Capernaitæ sibi somniabãt. Atq; eo modo negat, Corpus suum comeden-
dum esse. Deinde eos reuocat ad mysterium: quod etsi corporaliter comeditur,
tamen intelligi debet spiritualiter. Et addit, necesse esse, ut illud Sacramentum
celebretur uisibiliter: quamuis spiritualiter intelligatur. Huc addo, Augusti-
num, si quid de istorum commento cogitasset, ita potius debuisse scribere: Non
tale corpus, quale uidetis, comesturi estis. Nam ita qualitatum diuersitatem indi
care potuisset. At ille sic scribit: Non Hoc corpus, quod uidetis: quibus uerbis
nihil aliud uideri potest remouisse, nisi substantiam. Illæ enim uoces, Hoc, &
Quod, substantiam indicant, non qualitatem. Atq; hæc hactenus, quod ad illum
locum Augustini attinet, dicta sint. Is autem uerba illa Christi in 6. Iohannis co-
pulat cum sacramento: quod tamen, cum illa Christus loqueretur, nondum erat
institutum. Nam Christus apud Iohannem satis monuit Capernaitas, & septua-
ginta Discipulos, se non aliam intellexisse manducationem, quàm spiritualem,
quæ, scilicet, fide, ac spiritu perageretur. Posteà autem in cœna mysterium illud
ornauit etiam externis symbolis.

» Verùm Inconstantius noster sic pergit: Si sensisset Augustinus, Eucharistiã
» ex pane triticeo, & figura corporis domini cõstare, quomodò isti figuratores cõ-
» tendunt, ita fecisset loquentẽ Christum, Non meũ corpus comedetis, sed signum
» corporis: quia solam figurã corporis uobis cõmendaui. Sed quemadmodum si-
» gnũ, & figura naturali alimento reficiũt corpus: ita ego mei corporis uirtute re-
» ficiam uos. Non deerat Augustino sermonis copia: & aderat illi uoluntas expli-
» candi ueritatẽ ad ædificationem, non uerbis illis ludendi, quæ gignant errorem.
Hęc Inconstantius. Quod aũt primo loco sumit sibi, nos dicere, Sacramentum
Eucharistiæ cõstare ex pane triceo, & figura corporis Christi, uanissimũ est. No-
stri enim omnes, quicũq; nũc sunt, quicũq; unquã fuerunt, semper ita docuerũt, inte-
grum, & plenũ Sacramentũ constare ex signo, & re significata. Nulla enim rela-
tio esse potest sine duobus terminis. Sacramentũ aũt est quædam relatio, inter il-
la, uidelicet, externa symbola, quæ oculis & sensibus usurpamus, & res significa-
tas, quæ sunt æternæ, cœlestes, & inuisibiles. In eo autẽ semper errat, & hallu-
cinatur

Sacramentũ nõ dicimus Eucharistiam constare pane triticeo & figura.

cinatur, quòd putat, ex quo aliquid dicatur constare, id illi adesse, & cũ eo reipsa coniunctum esse oportere. Atqui ea ratio in relationibus sępissimè fallit. Filius enim à patre suo locorum spatio sæpè longissimè discluditur: cum tamen pater ne esse quidem possit sine filio. Quod si panis aut uinum, aut aqua in Baptismo dicantur interdum sacramenta, id non aliter intelligendum est, quàm quatenùs ea rem significatam notant. Itaq; si panem Eucharisticum cœlesti illa sua significatione spoliares, nihil ille iam differret à uulgari & cõmuni pane. Et, cum duæ sint sacramenti partes, signum, & res significata, sæpè accidit, ut signum ipsum, hoc est, res externa appelletur sacramentum: & seorsim à re significata possit percipi. Ita enim dicimus, impios recipere sacramentum corporis domini: cum illi panem tantùm, & uinum sumant, corpus autem Christi non habeant. Ita etiam uicissim dicimus, rem significatam haberi, & percipi posse sine signo. Quare si quis ἀκριβῶς loqui uelit, dicet, impios non totum sacramentum, sed alteram tantùm eius partem percipere. Iste ergo noster Sarcophagus non rectè Figuratores intelligit: cum ita impudenter clamet, Eucharistiam apud illos constare tantùm ex pane triticeo, & figura corporis Christi. Nos itaq;, non, ut iste calumniatur, Figuratores, sed ueritatis & Euangelij propugnatores, dicimus, panem, cum adhibetur ad Eucharistiam, esse figuram corporis Christi: idq; cum omnium Patrum unanimi consensu dicimus. Sacramentum autem ex pane, & figura constare, nunquam diximus.

Impij nõ totum sacramentum percipiunt.

Sed Augustinus, inquit, dicere potuisset sub persona Christi, Non comedetis corpus meum, sed signum. Atqui utrunq; dixit. Quid enim, obsecro, interest inter, Hoc corpus, quod uidetis, quodq; non estis comesturi, &, Corpus meum quod ore corporis esturi estis? De figura autem contra Adimantum libro 2. cap. 12. ita scribit: Non dubitauit dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Et in Psalmum 3. ita scribit de Iuda proditore: Eum tam diu pertulit tanquam bonum, cum eius cogitationes non ignoraret: eum adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram Discipulis suis commendauit. Hæc Augustinus animo sedato scripsit, utpote simpliciter exponens Psalmum: non autem disputationis calore abductus: quo etiam animo ista scripsit, quæ nũc tractamus, in Psalmum 89. Eaq; uel eo maximè nomine Inconstantius recipienda arbitratur. Atqui qui ista tam uehementer probat, illa, quæ proximè ex Psalm. 3. citauimus, non debet contemnere.

Augustinus.

Augustinus.

Sed hic non est dissimulandum egregium huius hominis, & impudens mendacium. Ait enim, nos figuram tantùm agnoscere in Eucharistia: quod uel ipse scit, si uerum fateri uelit, uanum, & falsum esse. At non deerant, inquit, Augustino uerba. Certè non deerant. Nam illis & perspicuè, & copiosè explicuit, & propugnauit causam nostram. Nec lusit uerbis, sed seriò, & grauiter rem ipsam, ut est, exposuit. Quod cum ita sit, moneo Inconstantium, ut illum maiori cum fide, & simplicius audiat: neq;, ut solet, nodum in scirpo querat. Quàm autem prudenter, & candidè sibi nunc muniat uiam ad eludenda illa testimonia, quę idem Augustinus dixit alibi plurima, & constantissima secundũ nos, quòd dicat, eum illa in æstu ipso, atq; impetu disputationis effudisse, neglecta interim ἀκριβολογίᾳ, nunc nihil dico: dicturus posteà fusius, ubi eadem ab isto repetentur.

OBIECTVM CCXXI.

OBIICITVR ex Augustino de Trinitate lib. 3. cap. 10. Panis, inquit, ad hoc factus, in accipiendo sacramento consumitur. Apertè ait, Panem Eucharisticum in hunc usum fa-

ctum esse, ut in accipiendo sacramento cõsumatur. Corpus autem Christi non consumitur.

GARDINERVS.

HIC locus ambiguus est. Nam & docti non defuerunt, qui contenderent, eum ad Eucharistiam nihil quicquam pertinere.

MARTYR.

HIc Inconstantius duos inuenit cuniculos, in quos sese penitus abderet. Prímùm enim reuocat in dubium, an ista uerba Augustini pertineant ad Eucharistiam: additq́, non defuisse uiros doctos, qui id negarent. Scio, & memini Roffensem illa omnibus modis torquere uoluisse ad panes propositionis. Sed parùm promouit. Sensus enim illorum uerborum facillimus, maximeq́ obuius nihil aliud spectare uidetur, quàm Eucharistiam. Id Erasmus etiam uidit, & Eucharistiam, adscripsit ad marginem. Ad hæc cum Augustinus eadem omninò suprà tractet cap. 4. quæ posteà cap. 10. ita ibi perspicuè, itaq́ disertis uerbis mentionem facit Eucharistiæ, ut omninò negari non possit. Adhæc hoc loco nominatim expressit uocem Sacramenti: quam si generali tantùm significatione usurpasset, eam potuisset & ad æneum serpentem, & ad Iacobi lapidem accommodare. Atqui id non fecit: ut eum hic de peculiari quodam sacramento agere intelligamus. Præterea etiam, Panis, inquit, ad hoc factus, in accipiendo sacramento consumitur. Id non potest cõuenire panibus propositionis. Neq́ enim illi in hoc facti erant, ut ederentur: sed potius, ut positi coram domino ita suo ordine relinquerentur. Vnde appellati sunt פנים à facie, & ab aspectu domini. Per accidens autem, ut loquuntur, eueniebat, ut comederentur: scilicet, ne ibi coram domino putrefierent. Panis autem Eucharistiæ re uera ad id fit, & in illum solum usum destinatur, ut à Communicantibus comedatur: ut illum ad alium quemuis usum adhibere, planè alienum, & superstitiosum sit. Nihil itaq́ iuuat Inconstantium hic cuniculus.

Roffensem adducit. Erasmus.

Panes propositionis non ad id facti erant per se ut ederentur.

Iam excutiamus alterum. Id, inquit, quod consumitur in Eucharistia, non est panis. Eius enim, inquit, substantia desijt in meliorem. Quid ergo tandem consumitur? Id, inquit, quod de illo supereſt. Hærebat illi in labris uox illa, nimiũ iam sæpè usitata, Accidentia: quam tamen uocem non expressit: credo, quod illũ iam suppuderet commenti tam absurdi, & putidi. Statuit ergo, accidentia panis consumi à Communicantibus. Verùm, si obijcias, Augustinũ dicere non Accidentia consumi, sed panem, respondebit, non esse nimis urgendam appellationem: quoniam, inquit, illa non semper exigit substistentiam eius rei, quæ nominatur. Audio: &, quod das, libenter accipio. Sed cur tu ita insolenter tumultuaris, cum audis nos dicere, panem esse corpus Christi: etsi realem, & substantialem præsentiam, qualem tu fingis, non concedamus? Ne tu quidem ibi urgere debes appellationem. Vocatur quidem, & est etiam aliquo modo corpus Christi: nimirùm, quod eius sit corporis sacramentum. Si postulas, ut nos tibi illud permittamus, tu debes idem, præsertim in eadem causa, largiri nobis.

OBIECTVM CCXXII.

OBIICITVR ex Augusti. in libro De fide ad Petrum, cap. 19. Appellat sacramentum panis & uini. De memoria Christi, & eius mortis abundè instituit illum Petrum: de Transubstantiatione

substantiatione autem, quam isti hodiè tantoperè inculcant, ne uerbum quidem unum facit.

GARDINERVS.

QVOD *Sacramentum dixit panis & uini, uerbo notauit arcanum, quod non putauit apertius explicandum.*

MARTYR.

VOcabulum illud, Sacramentum, hoc loco apud Augustinum Inconstãtius putat arcani quippiam significare, quod ille tum noluerit proponere apertius. Arcanum autem illud ait, omnino oportere esse Transubstantiationẽ, qua, manentibus accidentibus, substantia esse desinit. Quia noua, inquit, significatio addita non dicitur in esse poni, sed exterius accedit. At in promptu est, quid respondeam. Arcanum aliquod uoce illa, Sacramentum, significari, non inficior. Sed illud arcanum in efficaci, & à deo ipso instituta significatione consistit. Ea enim firmissimè obsignat nobis salutis nostræ promissionem per Christum: & organum est, atque instrumentum spiritus sancti ad excitandam in nobis fidem. E diuerso autem quomodò tandem probabit iste, Arcanum illud aut Transubstantiationem esse, aut realem præsentiam? Nos quidem cum ponimus nouam significationem, quod ad hoc arcanum attinet, non dicimus, eam oriri ex natura rei, sed exterius, hoc est, ex domini instituto accedere. Sed age, respondeat mihi paucis de Baptismo. Nónne ibi quoq; aqua, qua credentes tingũtur, habet aliquid arcani? Non potest hoc negare, qui Baptismum fateatur esse Sacramentũ. An ergo, quia Aqua illa dicitur Sacramentum, propter adiectam nouam significationem necesse erit eam transubstantiari?

Sed cum hoc non putaret esse satis, Inconstantius aliud quiddam comminisci uoluit. Ait ergo, Augustinũ idcirco dixisse Sacramentũ panis & uini, quòd illa duo adhibeantur ad conficiendum Sacramentum. Atqui ea non sunt adhuc Sacramentum, quando primùm in mensa domini proponuntur. Augustinus autem diserte ait, Sacramentũ panis & uini. Deinde dubitat, an ille liber sit Augustini. Verùm ea de re ego nihil cõtendo. A quocunq; authore fuerit, & ab homine Ecclesiastico fuit, & non recenti, nec hæretico, nec damnato. Neq; in toto libro quicquam est, quod sciam, cur à pijs hominibus debeat reijci.

Sed iste cum iam peruenisset ad metam stropharum, recepit se tãdem ad formulas Dialecticas. Ait enim, infirmissimum genus esse argumentãdi à negatione. Hanc ego regulam, nisi ab alio magistro didicissem, hoc Sophista monstrante, nunquam intelligerem. Sunt enim multa firmissima argumenta à negatione. Nam, si dicas, Hoc non est animal: ergo, non est homo: nemo negabit, te uerè, & rectè collegisse. Aut, si dicas, Non habet facultatem ridendi: ergo non est homo: nemo negabit argumentum. Verùm iste de locis ab authoritate, nescio quid, aliud dicere uoluit, quàm dixit. Nam ab illis locis negando Dialectici tradunt, argumentum non colligi necessarium. Potest enim fieri, ut aliquid sit uerũ, quod author aliquis non attigerit. Potuit ergo Inconstantius dicere, peccatum esse in Obiectione, quòd idcircò negetur Transubstantiatio, quòd Augustinus in illo loco nullam eius fecerit mentionem. Respondeo, hanc formulam non facere argumentum necessarium aut probabile, si ea quocunq; modo adhibeatur. Verùm si certa quædam ratio obseruetur, argumentum ualde probabile efficiet: etsi fortasse non necessarium. Si præcipuus quispiam author in aliqua facultate polliceatur, se omnia artis suæ membra & capita uelle tradere, ea, quæ ille præterijt,

Argumẽtũ à negatione, sæpenumero est firmũ.

Negatiuum argumentũ ab Authoritate, nõ est ualidum per se, at potest admodum probabile reddi.

& reliquit intacta, prudentes non solent posteà in artem facilè recipere. Nam si Galenus doctissimus medicorũ aliquo in loco, ubi de morbo aliquo agat ex professo, rem quampiam, quæ magni sit momenti, prætereat, eam posteà sapientes medici, tanquam propriam illi morbo, non facilè adscribunt. Ita hic, cum Augustinus summus Theologus, certo quodam in loco eius libri Petrum suum instituendum susceperit de Sacramento Eucharistiæ, quomodò absurdum non est, dicere, eum Transubstantiationem, quæ præsertim & sua natura, & uestro iudicio tanti momenti sit, prætermisisse? Hoc ego argumentum non dico esse necessarium. Est tamen, quod negari non potest, ualde probabile.

OBIECTVM CCXXIII.

OBIICITVR ex Augustᵒ Contra Faustum lib. 20. cap. 21. Ait, Carnem domini promissam fuisse nobis in Veteri Testamento in similitudine uictimarum: eam autem in cruce ipsa fuisse exhibitam: in Sacramento autem celebrari per memoriam.

GARDINERVS.

SENSVS est uerborum: *Cum trucidarentur uictimæ, promissio quædam fuit, carnem & sanguinem Christi similem olim diuisionem passuram.*

MARTYR.

QVæ Augustinus nudè simpliciterq; protulit de carne & sanguine domini, ea iste prorsus inuertit, & pro suo more sophisticatur. Illam enim similitudinem transfert ad diuisionem sanguinis à carne: eamq; diuisionem ait, olim in uictimarum mactatione fuisse promissam: eandem post exhibitã fuisse in cruce: nunc autem in Sacramento per memoriam celebrari. Hic mihi libet paulisper, Inconstanti, tua tecũ uti oratione. Dicebas enim paulò antè, idq; in nos magnoperè ualiturum existimasti, non defuisse Augustino uerborum copiam: uoluntatem autem illum habuisse explicandi ueritatem ad ædificationẽ, non autem ludendi uerbis, quæ gignant errores. Hæc tu nobis paulò anteà: nunc eadem tibi ipsi canito. Potuisset haud dubiè Augustinus dicere, si uoluisset, diuisionem carnis à sanguine. At ille carnem expressè dixit, & sanguinem: eaq; coniunctim etiam dixit, non separatim, secundum tuam diuisionem. Fundebatur quidem in cruce sanguis Christi: sed ea de re Augustinus hoc loco nihil loquitur. Ait ueteribus promissam fuisse carnem domini: eãdem posteà re ipsa exhibitam fuisse in cruce: nunc autem per memoriam celebrari in Eucharistia. Atq; in illa sententia hoc in primis obseruandum est: quòd in cruce tantùm dicit carnem Christi re ipsa fuisse exhibitam: ueteribus autem eandem fuisse promissam: à nobis uerò eam per memoriam celebrari: ac si diceret, rem ipsam à nobis iam abesse.

Sed noster Sophista comminiscitur, Augustinum dixisse, diuisionem illam carnis à sanguine re ipsa exhibitam fuisse in cruce. Nam in Sacramento eiusmodi diuisionem non haberi. Ibi enim sub utraq; specie integrum Christum dari: non qui carnem suam iam à sanguine diuisum habeat: sed qui se ad memoriã suæ mortis sub illis speciebus separatim exhibeat. Hoc enim esse Sacramentum memoriæ: quemadmodum Christus etiam monuit, cũ diceret, Hoc facite in meam commemorationem. Quòd primo loco dicit, Augustinum scribere, Christum diuisionem sanguinis, & carnis suæ re ipsa exhibuisse in cruce, merum commentum

tum est. Carnem quidem Augustinus in cruce exhibitam fuisse scribit: diuisionis autem istius mentionem nullam facit. Commentum est etiam, quod ait, in sacramento sub alterutra specie Christum totum dari. Nam in altera corpus Christi consignatur, in altera sanguis: nisi fortè Inconstantius, ut solet, cum Christo ipso pugnare uelit. Nam ut in altero symbolo memoria fieret corporis, in altero sanguinis, Christus ipse instituit, cum diceret, Hoc est corpus, Hic est sanguis. Eaq; ipsa uerba nunc in Ecclesia repetita animos Communicantium excitant. Verùm hic mihi responderi uelim: Si Christus se ipsum, ut tu dicis, separatim exhibuit sub his speciebus, ad memoriam mortis suæ, dixitq;, Hoc facite in meam commemorationem, qua uos fronte, aut audacia domini institutum uiolatis? Cur in sacra Cœna unam tantùm speciem communicantibus ministratis? Quis uobis unquam dedit tantum iuris & potestatis in sigilla & sacramenta Christi? Negare non potestis, uos falsarios, & testamentarios, qui obsignationes testamenti Christi ita impudenter, & nequiter conuellatis. Sed nolo nunc in hac re uagari longius, aut scelus uestrum hoc loco urgere pluribus.

OBIECTVM CCXXIIII.

OBIICITVR ex Augusti. De Ciuitate dei lib. 21. cap. 25. Non est existimãdus, inquit, re uera comedere corpus Christi, qui non est in corpore Christi: aut in quo nõ manet Christus: aut non ipse in Christo. Hic apertè docet, impios rem sacramenti, id est corpus ipsum Christi, non comedere.

GARDINERVS.

ALIVD *est manducare re uera corpus: aliud est re uera manducare corpus.*

MARTYR.

ISte ne uideretur parùm Sophista, magnum ait esse discrimen inter istas duas propositiones: Manducare re uera corpus: & re uera manducare corpus. Parùculam enim illam, Re uera, si præponatur uerbo, longè aliud significare, quàm si sequatur. Prima fronte fortasse putes, hic esse mirabile acumen. Re autem uera uitreum tantùm est tectorium. Lucet enim uanitate: ueritate frangitur. Particula, inquit, illa, Re uera, non est conditio corporis manducati: quia, quod ad illud attinet, & à pijs, & ab impijs mãducatur. Sed ipsum, inquit, respicit manducantem. Requiritur enim ad id, ut fructum, seu uitam ex manducatione sua consequatur, ut in ueritate manducet. Debet ergo in uobis esse ueritas, quę manducet ueritatem in sacramẽto datam. Quis putet Augustinum, cum illos libros scriberet, quicquam de istis nugis cogitasse? Illi, scilicet, scribenti ueniebat in mentem, duo uerbula aut præposita, aut postposita tantam habere uim ad mutandum totum sensum in oratione prolata? Apage, Inconstanti, has ineptias. Nam acumen tuum quàm leui fucatum sit uanitate, non est difficile uidere: modò quis ea, quę idem Augustinus in eodem capite scribit, legat cum iudicio. Verba autem eius hæc sunt: Non est dicendus manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi. Hic nec Verè, est, nec, Re uera, quod noster Sophista possit arrodere. Augustinus simpliciter negat, impios mãducare corpus Christi. Sequitur: Nec isti ergo dicendi sunt, manducare corpus Christi: quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi, & mẽbra meretricis. Ex his apparet, idem esse apud Augustinum,

Comedere corpus Christi: &, Esse membrum Christi: ut illi dici non possint participes carnis Christi, qui numerari non possint in membris Christi. Idq; ea, quæ statim ab Augustino subijciuntur, clarius indicant. Ait enim: Denicq; ipse dicens, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, ostendit, quid sit, non Sacramentotenus, sed re uera corpus Christi manducare, et sanguinem eius bibere. Sic enim hoc dixit, quasi diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimet, manducare corpus meum, aut sanguinem meum bibere. Ex his uerbis duo possumus colligere: Primùm, hæc duo retrò agi, &, uulgò ut loquuntur, conuerti, Manere in Christo, & Christum in se manentem habere: &, Comedere corpus Christi: ut, qui alterutrum habeat, utrunq; habeat: quicq; altero careat, utroq; careat. Magnã autem mihi emphasim habere uidentur illa uerba, Non se dicat, aut existimet, comedere carnem meam

Alterum, quod dixi dignum esse animaduersione, est, quod Augustinus ait, Impios comedere Sacramentotenus: quod est, nõ aliud, quàm sacramentũ percipere corporis domini. Sacramentum autem, & res ipsa, etsi in pijs hominibus copulantur, tamen in impijs dissociantur. Impij enim sacramentum quidem comedunt: corpus autem domini non attingunt. Possem huc etiam allegare Augustinum ex Sẽtentijs quibusdam ex illo decerptis Senten. 338. Ibi enim sic scribit: Nam qui discordat à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit: etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidiè indifferenter accipiat. Hæc ea omnia confirmant, quæ anteà diximus. Verùm hic lector uno uerbo monendus mihi est, ut meminerit, uocem illam, Panem, in hac sententia Augustini accipiendam esse metaphoricè. Ea enim significatur caro ipsa Christi: quam carnem ait eos, qui discordant à Christo, non comedere.

Augustinus.

Possem hic non incommodè finem facere. Tamen, ne quis possit ambigere, quid hac de re Augustinus senserit, non inutilè putaui fore, si huc citarem eius uerba è tractatu 26. in Iohannem. Ea uerò sic habent: Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo nõ manet Christus, procul dubiò nec manducat spiritualiter eius carnem, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter, & uisibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta. Hic quoque uidemus, illa duo, Manere in Christo, & Mãducare corpus Christi, inter se conuerti: ut qui in Christo non maneat, dici non possit manducare corpus Christi. Deinde etiam rem ipsam sacramenti, hoc est, corpus Christi, ita distinguit à sacramento, ut hoc quidem concedat impijs, illud uerò nullo modo. Disertis enim uerbis negat, impios comedere spiritualiter corpus Christi. Qua de re libenter audire uellem Inconstantium, quomodò putet, impios comedere carnem Christi, carnaliterne, an spiritualiter. Carnaliter opinor, non dicet: non enim sensu, aut aliorum ciborum more comeditur. Et iste semper clamat, Se abhorrere à Capernaitis, qui putarint, se carnaliter comesturos esse carnes Christi. Restat ergo, ut dicat, Impios comedere Christum spiritualiter. Sed hic opponit se Augustinus, Ait enim, eum, qui non maneat in Christo, non comedere spiritualiter eius carnem. Postremò annotare debemus, Augustinum hic quàm commodissimè interpretari illa uerba Pauli, Iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus domini. Sic enim scribit: Sed magis tantę rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta. Per corpus domini, quod Paulus dixit, Augustinus intelligit sacramentum

Impij non possunt comedere corpus Christi spiritualiter.

tum corporis domini, quod ait posse ab immundis, & ab impijs manducari. Hęc ergo testimonia Augustini huius fucatæ responsionis uanitatem satis, ut arbitror, patefaciunt.

OBIECTVM CCXXV.

OBIICITVR ex Augustino Contra Adimantum Manichęum ca. 12. Non dubitauit, inquit, dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Idcirco autem inquit, non dubitasse dominum ita loqui, quia in tropis audemus aliquid.

GARDINERVS.

AVGVSTINVS *in agone & certamine loquitur, confutans Manichæos.*

MARTYR.

QVòd primùm ait, Augustinum ista dixisse per calorem, atq; impetum disputationis, nō debet eò ualere, ut eius uerbis minus fidei habeamus. Ita enim quæcunq; ille pulcherrimè disputauit cōtra Donatistas, Pelagianos, Manichæos, Arrianos, facilè eneruari, & eludi possent propter cōtentionem, & æstum certaminis. Imò, ut aliâs dixi, magis ex illis locis quęrēda est ueritas apud patres, in quibus illi de industria copiosè disputarint de re aliqua, quàm uspiam alibi. Nam alijs fortasse in locis id, quod quærimus, aut obiter, aut negligentius tractauerunt. Vbi autem ex professo disputarint, non inani cupiditate cōsequendæ uictoriæ, sed uero studio ædificandæ Ecclesiæ dei, ibi credibile est, eos omnia diligenter, et considerate cogitasse. Augustinus in illo loco interpretatur, quid sit, quod in Deuteron. & Leuitico scribitur, sanguinem esse animam. Ita autē dictum ait, quòd sanguis sit signum animæ. Et citat similem loquutionem ex Euangelio, Christum id appellasse corpus suum, quod esset signum eius corporis. Atque hunc nos locum istis Sarcophagis obijcimus.

Vbi maximè cōsulendi sint patres de aliqua ueritate.

Respondet Inconstantius: Animam latere in sanguine, ut sanguis signum sit animæ. Et quoniam quasi in signo quodam animam indicat, idcircò sanguinem appellari animam. Videtur dicere, accidentia, quæ percipiuntur sensu, signa esse corporis Christi sub illis delitescētis, quemadmodum anima, cuius sanguis est signum, cuiq; ea nomen suum cōmunicat, latet in sanguine. Quasi credamus accidentia esse signa corporis domini: præsentis tamen, nō aūt absentis: etsi presens lateat. At ex hoc sequeret, illa accidentia habere nomen corporis Christi, quod hactenus nunquam audiui dici. Sed cur iste non cogitat, sanguinem dum est adhuc in corpore hostiarum uiuentium, non posse rectè dici signū animæ, quia non uidetur. Signa uerò necesse est esse perspicua. Quare sanguis non potest esse signū animæ, nisi postquam iam fusus est è corpore. Cum autem extra corpus animantis conspicitur, signum quidem est animæ, sed non in se delitescentis. Est enim tum sanguis res inanima. Ita id, quod uidetur, & sentitur in Eucharistia, signum quidem est corporis Christi, at non, ut iste sophisticatur, sub illo delitescentis. Vtq; ostendam, Augustinum huiusmodi rerum, & symbulorum separationem intellexisse, eius uerba, quæ posteà sequuntur in eodem capite, non grauabor subijcere. Illud, inquit, quod Lex dixit, fundendum esse sanguinem, nec in escam assumendum, quia sanguis est anima, esse positum dicimus, sicut alia multa, & penè omnia scripturarū illarum Sacramenta, signis & figuris plena sunt fu-

Sāguis ut est in corpore, nō est signum animæ.

,, turæ prædicationis, quæ iam per dominum nostrum Iesum Christum declarata
,, est. Sic est enim sanguis anima, quomodò petra erat Christus. Sicut dicit Apostolus, Bibebant enim de spirituali consequente eos petra: Petra aũt erat Christus.
,, Notum est autem, Filios Israel, petra percussa bibisse aquam in eremo: de quibus
Nota hunc Augustini locum. loquebatur Apostolus, cum hæc diceret. Nec tamẽ dicit, petra significabat Christum: sed, Petra erat Christus. Quæ rursus, ne carnaliter acciperetur, spiritualem illam uocat, hoc est, spiritualiter intelligendam docet.

Hic complura occurrunt digna, quæ diligenter obseruẽtur. Primùm, Augustinum dictum illud, Anima est sanguis, et illud alterum, Hoc est corpus meum, affirmare esse similia: nam ea duo ab initio inter se cõposuerat: deinde etiam ea similia esse permultis, & penè omnibus ueterum scripturarum Sacramẽtis: quæ nemo unquam dubitauit longissimè distare à rebus ipsis. Deinde peculiariter loquutiones cũ eo comparat, quod Paulus ait, Petra erat Christus. Nec sanè ambigi à quoquam potest, naturã Christi humanam, eiusq; sanguinem tum temporis ab illa petra longissimè abfuisse. Tertio uerò loco, quoniam obijcere quispiam potuisset, Apostolum non dixisse, Petram significasse, sed fuisse Christum: id ait, nihil referre. Significationis enim sensum ex ipsa uoce, Spirituali, posse elici. Cum enim petra illa dicatur spiritualis, satis docemur, illam nõ esse intelligendam carnaliter. Quod idcircò moneo, ut Lector intelligat, cum patres dicũt, panem, quem nos accipimus, esse spiritualiter corpus Christi, eos nihil aliud uelle dicere, quàm panem illum significare corpus Christi. Nam ita sensisse Augustinum uel id clarissimè indicat, quòd illam propositionem, Sãguis est anima, dicit ueram esse in signo. Et huic propositioni alias propositiones similes recitauit: Hoc est corpus meum: &, Petra erat Christus; in quibus uerbum illud substantiuum, Est, affirmat notare signum.

,, Addit præterea Inconstantius, id, quod Christus dabat, quatenùs quidẽ erat
,, uisibile, nihil aliud fuisse, q̃ signũ eius corporis. Nec eũ dubitasse dicere, Hoc est
,, corpus meũ, quoniam loquebat fidelibus, qui nõ hærerent oculis in eo, quod uisibiliter daret: sed ad hauriendam uim uerborũ aures erigerent, & per fidem intelligerent, nõ uisibile illud signũ, quod daretur, esse corpus, sed quod inuisibile ter adesse crederet. At si illud uisibile, ut ais, q̃d Christus dabat nihil aliud erat, quàm signum eius corporis: & si fideles intelligebant per fidem, illud intelligibile, quod dabatur, non esse corpus domini, Cur uos toties inculcatis in sacra Cena oculis conspici, & uideri corpus domini? Cur illud tam constanter affirmatis, manu contingi, dentibus atteri, linguapalatoq; gustari? Nam istæ actiones non nisi rebus uisibilibus conueniunt, quæ nobis in Sacramento distribuũtur. Quòd si uos illis rebus tribuitis nomina corporis & sanguinis Christi, non debetis ita impatienter ferre, si nos pani & uino eadem nomina imponamus.

,, Quod aũt addit, loquutionem illam Christi, & propriam esse, & tropicam, id
,, nullo modo ferri potest. Distinguat homines, & alios carnales, alios spirituales faciat, quãtum uelit. Certè Augustinus affirmat, orationem illam esse figuratã, & tropicam: illudq;, quod ore suscipitur, non corpus esse Christi, sed signum corporis. Esto, hæreãt homines carnales in symbolis: spirituales uerò rem ipsam signi
,, ficatam spectent. Illi tamen uim propositionis mutare non possunt. Semen, inquit Christus, est uerbum dei. Hæc oratio, & cũ nondum intelligeretur à discipulis, & cũ posteà à Christo esset exposita, semper tamẽ erat tropica. Sed Inconstantius facit, quod solent imperiti sagittarij: qui, ut scopũ aliquãdo feriant, multas sagittas anteà frustrà abijciũt. Omnes enim artes suas & rationes expedit, ut possit hoc argumentũ nobis dissoluere: ut si prima uia nihil effecerit, altera tamẽ uideat fecisse aliquid: aut si illa quoq; frustrà tentetur, tertiam, quartamq; suscipiat.

Addit

Addit: Verum est, illud, quod Christus dedit uisibiliter, fuisse signum corporis eius, & per tropum recepisse eius appellationem. Sed quod inuisibiliter dedit, uerum corpus erat, quod susceperit ex Virgine, quodq; pro nobis tradebatur. Ista rectè, & uerè dicuntur. Et, si iste loquatur ex animo, non uideo, cur non lites & contentiones deponamus. Nostra enim hæc uerba sunt. Nos dicimus, & docemus, externa illa, quæ uisibiliter traduntur, panem, inquam, & uinum, esse signa corporis & sanguinis domini, & idcircò illorum nominibus appellari: id autem, quod inuisibiliter datur, & à mente nostra, & spiritu percipitur, uerum esse corpus domini, & uerum sanguinem, quæ pro nobis tradita sunt in cruce. Videri quidem hactenus possumus pulchrè inter nos consentire. Sed nihil est minus. Inconstantius enim sub ista larua qualicunq; ueritatis tegit insigne mendacium. Illud enim, quod ait datum inuisibiliter, non ad spiritum, non ad animum, non ad fidem nostram refert: sed ad obscura quædam, nescio quæ latibula. Vult enim carnem domini realiter adesse, sed latere. Videlicet, deus iste paneeus umbris gaudet: odit lucem. O fictiones plusquam aniles, aut poëticas: quibus tamen necesse sit obligari miseræ plebeculæ conscientias. Deum aliquando misereat populi sui. Prętereà id, quod Christus dabat uisibiliter, quodq; fatetur fuisse signum eius corporis, id pati non potest fuisse panem, & uinum, quod & sacra scriptura, & sensus, & experientia testatur, sed tantùm accidētia. Et in istis tantis tenebris putat sibi licere fingere, quicquid libeat.

Posteà sese refert ad Chrysostomum: quem ait hom. 83. in Matthæum ita scribere, Christum nihil dare sensibile. Memini equidem, patrem illum ita scribere. Sed tu quoq; uicissim meminisse debes, Chrysostomum illa uerba non tantùm ad Eucharistiam, sed etiam ad Baptismum retulisse. Ibi enim etiam dicimur inseri in Christum, & Christum induere. Necesse ergo erit, ibi quoq; dicere, aquā transubstantiari, & nihil ex illa superesse, nisi accidentia. Quod autem Inconstantius addit, Non quòd nihil sint accidentia, id non habuit à Chrysostomo, sed assuere uoluit de suo. Illi enim pio, & sancto Patri nunquam talia portenta uenissent in mentem. Quod autem ait, nihil in sacramentis nobis dari sensibile, id loquitur in hanc sententiam: mentem, & fidem piè, & rectè Communicantium, non in externis elementis uersari, tanquam in pręcipuo fine, & instituto Christi, sed toto pectore ad illa se transferre, ad quæ uocantur per uerba domini. Neque cuiquam uideri potest uerisimile corpus de uero corpore, ac nō potius de signo sensibili prædicari. Non ita fuit stupidus Chrysostomus, ut cum Christus diceret, Hoc est corpus meum, putarit, eum dicere uoluisse, Hoc corpus meum, est corpus meum. Non sanorum hominum, sed fatuorum, & delirantium sunt isti sensus. Nihilominus tamen uult, Chrysostomum scripsisse ista sedatè, & prię de dogmate: Augustinum autem ad certamen, & uictoriam, & contentionem spectasse. Addit q; Basilium magno iudicio dixisse, In perpendēdis Patrum sententijs in primis uidendum esse, quid ab illis δογματικῶς, quid ἀγωνιστικῶς dictū sit. Quod si ita est, Cur ego quoq; tibi eadem non regeram, cum à te citantur Patres? Cur non possim dicere, eos in suis encomijs, adhortationibus, concionibus multa de hoc sacramento hyperbolicè, & magna cum amplificatione loquutos? Imò, te authore, non uideo, quid ipsi Basilio contra Eunomium disputanti credere debeam. Nam contra eum mihi semper uisus est omnes neruos doctrinæ, & eloquentiæ uires intendere. Quod tamen ab eo dicitur, id ibi demùm mihi uidetur habere locum, ubi comīnus, & uiua uoce, atq; ex tempore disputatur. Nā alioqui de dogmatibus Arrianorum, & Pelagianorum, & aliorum similiū, nullis æquè credo, atq; aduersus eos acriter, & seriò disputantibus. Huc adde, Augustinum iam senem maturo iudicio scripsisse libros retractationum: in quibus

Chrysostomus.

haud dubiè locum, ut iſte ait, ita lubricum aut explicuiſſet: aut certè, quod de alijs multis locis fecit, ſine ulla dubitatione reuocaſſet: ſi quid in eo â ſe erratum putauiſſet. Sed quid opus eſt multis? Cum interpretatur Pſalmũ, idq; in Concione ad populum, ait Chriſtum commendaſſe Diſcipulis ſuis figuram corporis ſui. Non ibi diſputabat: non ferebatur impetu: non ardore certaminis, aut uincendi ſtudio inflammabatur. Tamen ait, Chriſtum Diſcipulis ſuis figuram ſui corporis tradidiſſe. Huc addo, nemini fas eſſe, quantumuis diſputationis æſtu caleat, falſa diſputando colligere, & tradere, quo uera tueatur. Neq; enim ſanitas unius curanda eſt, cum aliorum exitio.

Auguſtinus.

Non licet diſputando falſa colligere, aut ponere quo uera tueamur.

„ Poſtremò iſte noſter ait, Auguſtinum, cum ita ſcribat, Non dubitauit domi-
„ nus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui, non notaſſe
„ audaciam domini in tropis liberius loquendi, ſed confidentius tradendi myſte-
„ rium fidelibus. Si tradat fidelibus myſterium, quod cum unũ præ ſe ferat, aliud quiddam occultet, aut ſignificet, quæ cauſa eſt, cur in eo tradendo non auſit uti oratione figurata? Cum deceat orationem parem, & conformem eſſe rei, qua de agitur, & fatearis myſterium fuiſſe, quod Chriſtus tradidit, cur illi non licuit habere myſticam orationem? Dominus ergo, cum, non quamuis rem, ſed myſterium inſtitueret, & daret, auſus eſt loqui tropicè. Imò, ut Auguſtinus ait, ita pu-
tauit licere ſibi uti tropo, ut ſcripturæ utuntur, cum dicant, Sanguinem eſſe animam.

OBIECTVM CCXXVI.

OBIICITVR ex Auguſtino de Doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 16. Ait loquutionem illam Chriſti, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. figuratam eſſe, quòd illis uerbis flagitium uideatur præcipi.

GARDINERVS.

MYSTERIORVM *ignaris figura eſt: ſed fideles norunt, quibus credentibus Chriſtus aperuit modum.*

MARTYR.

SI Auguſtinus libros illos ſuos de Doctrina Chriſtiana infidelibus, & hominibus à Chriſti doctrina alienis ſcripſiſſet, Gardinerus fortaſſe uideri poſſet aliquid dicere: cum reſpondeat, loquutionem Chriſti in fidelibus fuiſſe figuratam: credentibus uerò propriam. Sed Auguſtinus ſtatim ab initio primi libri ſatis
„ oſtendit, ſe fidelibus tantùm ſcribere. Sic enim habet: Sunt præcepta quædam
„ tractandarum ſcripturarum, quæ ſtudioſis earum uideo non incommodè poſſe
„ tradi. Vides ergo, Inconſtanti, Auguſtinum iſta tradere, non, ut tu putas, hominibus carnalibus, & infidelibus, ſed ſacrarum literarũ ſtudioſis. Quare cum ſimpliciter, & ſine ulla diſtinctione dicat, loquutionem illam eſſe figuratam, etiam fidelibus habenda eſt pro figurata: & præſertim, cum Auguſtinus dicat nominatim ſe in illis libris præcepta, & regulas quaſdam tradere intelligendi ſacras literas. Quòd autem certius intelligatur quod dicimus, rationem Auguſtini expendamus. Quoniam, inquit, flagitium uidetur præcipi. Atqui omniũ iudicio, non tantùm infidelium, ſed etiam fidelium, non tantùm carnalium, ſed etiam ſpiritualium, flagitium uidetur eſſe, carnes domini propriè, & realiter comedere: hoc enim eſſet, illas dentibus ſcindere, lacerare, commolere, in ųētriculum traijcere: quæ

quę cogitationes horrẽdæ ſunt, & indignę corpore domini. Illud enim iã immortalitate, et omni gloria ornatũ pati iſta nõ poteſt. Quare, etiã inuito Incõſtãtio, neceſſe eſt orationẽ illã Chriſti etiã fidelib. hominibus, et ſpiritualibus figuratã eſſe.

Verùm ab iſta reſponſione, quòd eam uideret infirmam eſſe, nec poſſe conſiſtere, recipit ſe ad aliã, ut ſolet. Sit, inquit, figurata oratio, quæ præcipiat, ut meditemur Chriſtum crucifixum, ut Chriſto compatiamur, ut cõregnemus: ut, qui Chriſto communicauerimus in humilitate, eidem olim communicemus in gloria. Hoc pacto iſte putat, ſe explicuiſſe ſenſum Auguſtini: quòd is ita ſcribat: Figura ergo eſt, præcipiens paſſioni domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque utiliter recondendũ in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa, & uulnerata ſit. Sed hæc uerba Auguſtini nihil ſibi aliud uolunt, quàm quod noſ aſſiduè docemus, Comedere, uidelicet, carnem Chriſti, non aliud eſſe, quàm eam fide apprehendere ut datam pro nobis in pretiũ noſtræ redemptionis. Itaq; idem Auguſtinus alibi rectiſſimè dixit, Credere eſſe edere: &, Crede, & manducaſti. Hoc etiam illud eſt, quod dominus iubet, ut Communicando annũtiemus mortem ſuam: quodq; facimus, in ipſius memoriam faciamus. Verùm ibi errat turpiter Inconſtantius, quòd putat apud Auguſtinum, Communicare paſſioni domini, eſſe illi compati, & omnia aduerſa, atq; acerba perpeti eius cauſa: quemadmodum Paulus etiã loquitur ad Romanos. Atqui hoc in Cœna domini, de qua tum Auguſtinus loquebatur, non habet locum. Non enim ibi premimur uiolentia perſequutorum: ſed paſſioni Chriſti ita demùm communicamus, ſi eam uiua, & efficaci fide cõplectamur. Confirmamur tamen ex ipſo uſu ſacræ Cœnæ etiam ad omnia duriſſima, cum id res poſtulabit, pro Chriſti nomine perferenda.

Quid ſit comedere carnem Chriſti.

Quod autem addit, omnes Chriſti paſſiones ita nobis communicari per Eucharíſtiam, quemadmodum mors Chriſti efficitur noſtra mors per Baptiſmum, id omninò abſurdum eſt. Nam & Baptiſmus, & Euchariſtia ſunt inſtrumenta ſpiritus ſancti, quibus ille utitur ad accendendã in nobis fidem: ut illa paſſionẽ, et mortem Chriſti, & condonationem peccatorum noſtrorũ complectamur. Atq; inter hæc duo Sacramenta hoc ſolùm eſt diſcriminis: quòd in Baptiſmo iſta fiunt per modum Regenerationis: in Euchariſtia eadem fiunt, ſed per modũ Alimenti. Meminiſſe autem debet Sophiſta noſter, Auguſtinum iſta ſcribere in libris de Doctrina Chriſtiana: quibus in libris non eſt ueriſimile, illum incaluiſſe diſputando, ſed animo ſedato pios & diuinarum literarũ ſtudioſos homines docuiſſe. Intelligat ergo, illam ſuam diſtinctiunculam, de illis, quæ apud patres modò *φυσικῶς*, modò *ἀγωνιστικῶς* dicuntur, inanem, & leuem eſſe, & his locis non conuenire. Nam Auguſtinus hic quoq;, ubi nihil opus erat calore, aut cõtentione, faſſus eſt, orationem illam Chriſti figuratam eſſe. Illum autem re uera, & ex animo, & ſine ulla ambage ita ſenſiſſe, uel id argumento eſſe poteſt, quod ſcribit lib. 2. de Doctrina Chriſtian. cap. 9. Sacramento, inquit, corporis & ſanguinis ſui pręguſtato, ſignificauit, quod uoluit. Hic quoque, Significauit, inquit: ex qua uoce quid aliud intelligere poſſumus, quàm loquutionem figuratam?

Quid inter Baptiſmum & Euchariſtiã ſit diſcriminis.

Illud uerò quod adfert è Nazianzeno, nos Euchariſtia fieri participes paſſionum & diuinitatis Chriſti, ſi rectè accipiatur, non repudio. Nam qui ex fide accedunt ad Cœnã domini, & redemptionis, & diuinæ naturæ participationem fide aſſequuntur, quemadmodũ uerba dei promittunt. Hoc tamen dico, illa hoc loco *παράφυα*, & aliena eſſe. Nec mirum, ſi Inconſtantius ita remota, & aliena dicere uoluerit. Excuſſis enim omnibus intimæ artis ſuæ myrothecijs, tamen magna inopia laborabat. Itaq; digredi, & uagari, & multa, quæ ad rem nihil facerẽt, dicere uoluit. Id autem, quo maximè premebaꝰ, nempè loquutionem illam, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. figuratam eſſe, callidè diſſimulat.

Nazianzenus.

OBIECTVM CCXXVII.

OBIICITVR ex Augustino ex epistola ad Bonifacium. Vbi apertè dicit, Sacramẽta habere nomina illarum rerum, quarum sunt Sacramenta. Nominatim autem ait, Sacramentum corporis Christi, secundum quendam modum esse corpus Christi.

GARDINERVS.

QVONIAM *rem continent, uel exhibent Sacramenta, meritò sibi nomen usurparunt. Nam & calicẽ domini bibere dicimur, quoniã bibimus, quod in calice cõtinetur.*

MARTYR.

,, FAtetur, Sacramenta rerum ipsarum nomina usurpare: uerùm non alia causa,
,, nisi quòd res ipsas contineant, & exhibeant. Sed hoc dixisse, non est satis.
Quid continere ac exhibere. Continere enim & Exhibere bifariam possunt intelligi: nempè, aut re ipsa, & uerè res præsentes, quod ad illarum substantiam attinet, habere atq; offerre: aut eadem res, non quidem re ipsa, aut præsentes, sed per significationem, fidei, atque animo proponere. Nam sepultura domini, & remissio peccatorum non hærent re ipsa in aqua Baptismi. Sepultura enim domini iam præterijt: condonatio autem peccatorum sita est in uoluntate dei. Posteriori ergo modo fatemur, significata Sacramentorum in Sacramentis contineri, & ab illis exhiberi. Ratio autem Augustini non illa est, quam Inconstantius comminiscitur, uidelicet, symbola habere nomina rerum, quòd illas exhibeant, aut contineant: sed quòd inter illa, & res ipsas similitudo aliqua intercedat. Sic enim Augustinus scribit: Nempè sæpè ita loquimur, ut pascha propinquante, dicamus crastinam, uel perendinam domini passionem, cum ille ante multos annos passus sit, nec omninò, nisi semel, illa passio facta sit. Nempè ipso die Dominico dicimus, Hodiè dominus resurrexit: cum ex quo resurrexit, tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt similitudinem nuncupamus: ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis eius: & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationẽ, quod non illo die, sed iam olim factum est? Nónne semel immolatus est Christus in semetipso? Et tamen in Sacramento, non solùm per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur. Nec utiq; mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta similitudinem quandam earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque rerum ipsarum nomina sortiuntur. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, & Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei fides est. Et mox: Sicut de ipso, inquit, Baptismo Apostolus, Consepulti, inquit, sumus Christo per baptismum in mortem. Non ait, Sepulturam significamus: sed prorsus, inquit, consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi eiusdem rei uocabulo nuncupauit. Hæc satis indicant, cur Augustinus dixerit, nomina rerum significatarum attribui Sacramentis: nimirùm, quòd aliqua sit inter ea similitudo: idq; bis, terq; ingeminauit. De Inconstantij autem nostri exhibitione, aut cõtinentia, ne gry quidem. Additq; dies illos, quibus dicimus, Christum immolatum, aut passum, re uera eosdem illos non esse, sed alios illorum similes: & Baptismum, non quidem esse

esse sepulturam domini, sed illam significare. Et ad hunc censum adscribit etiam Eucharistiam. Ait enim, Sacramentū corporis Christi secundum quendam modum esse corpus Christi: nempè, quòd symbolum eius sit, & illud significet, ratione quidem non uulgari, sed diuinitùs instituta. Quæ autem similitudo inter corpus & sanguinem Christi, & panem & uinum intercedat, & omnes facilè intelligunt, & à me sæpè iam suprà dictum est. Eamq; similitudinem Gelasius in libro de duabus naturis in Christo, Contra Eutychen, & Nestorium disertis uerbis, ut alibi uidebimus, annotauit. *Gelasius.*

Sed Inconstātius id, quod Augustinus dicit, Quodam modo, arripit, & persequitur. Ait enim hoc sacramentum insigniri illis uerbis seorsim ab alijs exemplis, quòd in illo ueritas ipsa adsit singulari quodam modo: scilicet, ne uideri possit. Idq; ait, Augustinum alibi expressisse, cum diceret, Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis. In summa statuit, corpus Christi adesse spiritualiter, hoc est, ut ipse interpretatur, inuisibiliter: ut sensu comprehendi non possit, quāuis re uera sit præsens. Nec animaduertit, particulam illam, Quodā modo, apud Augustinum, non amplificationem aliquam, aut singularem excellentiā, sed potius extenuationē, & imminutionē significare: quod ex cæteris exemplis apertè liquet. In illis enim ait, ea quæ appellantur hoc, aut illo nomine, non re uera esse illa ipsa, quæ uocantur, sed illorum similia, illa significare, & illorum esse sacramenta. Ad ueritatem autem quod attinet, ea in omnibus sacramentis à deo institutis inuenitur ex æquo. Neq; enim minus habet sacramentum Baptismi suam ueritatem, quàm Eucharistia suam. Id cum iste uideret rectè sibi posse obijci, callide subiecit: Nugantur sanè, inquit, qui diuersam sacramentorum rationem ad unam normam exigunt: nec rerum sacramenti conditiones distinguunt. Et Baptismum ait exhibere fidem: etsi alio modo adultis, alio paruulis: Eucharistiā uerò exhibere corpus & sanguinem Christi. Primùm cogitare istum oportuit, Omnia sacramenta, quod ad genus attinet, rectè exigi ad eādem normam. In eo enim omnia consentiunt, ut sint rerum suarum sacramenta. Significationes autem posteà in uarias formas, & partes diuiduntur: &, prout Christum nobis uariè referunt, ita à se mutuò distinguuntur. Et Baptismus quidem proponit nobis Christum, ut lauacrum, & repurgationem nostram à peccatis: Eucharistia autem eundem proponit, ut cibum & pretium nostra causa persolutum in cruce. Atq; ita omnium sacramentorum norma & una esse potest, & diuersa. De modo autem exhibendi aut continendi fidem seu corpus Christi, iam est dictum satis.

Omnia sacramenta à deo instituta, ueritatem habent.

Omnium sacramentorum norma una est in genere, diuersa autē in specie.

Posteà noster satis astutè cōminiscitur discrimen inter illa exempla, quæ Augustinus cōmemorauit. Mortem enim, & Resurrectionem Christi ait, res quasdam esse, quæ præterierint, & reuocari non possint. Itaq; in illis recordationem rei præteritæ rectè accipi pro præsenti. Christum autem, cum sit heri, hodiè; & in sæcula, non ut præteritum quiddam, aut futurum esse in sacramento. Ideoq; sacramentū habere nomen ab eius corpore, tanquam ab eo, quod uerè sit præsens. Quòd si res ita habet, cur Augustinus exemplum de hoc sacramento, unà cum alijs exemplis commemorauit: in quibus satis constat significata non esse præsentia? Certè si hoc sacramentum nomen habeat à re præsenti, quam in se contineat, non confirmandæ Augustini sententiæ inseruit, sed potius obscurandæ. Is enim docere uoluit, nomen fidei cōuenire Baptismo, quòd sit eius sacramentum: quāuis Baptismus re uera non sit fides. Mentem autem suam, & sententiam probauit istis similibus. Quare sacramentum Eucharistiæ uel ita se habet, ut alia quæ ab Augustino commemorantur, uel in illa seriè exemplorum non fuit collocandū. Ait Augustinus, Sacramenta figurata loquutione usurpare nomen alienum. At si corpus Christi adsit realiter, sacramentum Eucharistiæ non iam alienū nomen

Fides et corpus Christi nõ exhibentur propriè à sacramentis, sed à spiritu sancto.

obtinebit, sed proprium, & suum, cum appellatur Corpus Christi. Tibi uerò, Lector, diligenter cauendum est, ne uerbis Inconstantiꝰ circumueniaris: cum dicat, Baptismum exhibere fidem, Eucharistiam uerò corpus Christi. Non enim à sacramentis ista exhibentur, sed à spiritu sancto, qui illis utitur, tanquam instrumentis. Quare illa loquutio non est simpliciter recipienda. Sacramenta enim re-

Sacramenta rationem habent causæ instrumentalis.

uocanda sunt ad rationem instrumentalis causæ.

Cyprianus.

Quod autem Augustinus dixit, Sacramenta habere nomina earum rerum, quas significant, idem ante illũ dixit Cyprianus in Sermone de Vnctione Chrismatis. Sic enim scribit: Dedit itaq; dominus noster in mensa, in qua ultimum cum Apostolis participauit conuiuium, proprijs manibus panem & uinum: in cruce uerò proprijs manibus corpus tradidit uulnerandum: ut in Apostolis sectius impressa syncera ueritas, & uera synceritas exponeret Gentibus, quomodò uinum & panis, caro esset & sanguis: & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent: & diuersa nomina, uel species ad unam reducerentur essentiam, & significantia, & significata ijsdem nominibus censerentur. Hac sententia nihil potest esse clarius. Ait panem & uinũ nobis dari: & significata, atq; significantia eodem uocabulo appellari: & signa, ac res significatas ad unam essentiam sacramenti reuocari: causas etiam cum effectibus cõiungi. Mors enim Christi, qua ille corpus suum dedit militibus uulnerandum, causa fuit, cur hoc sacramentum institueretur: ad id enim facit ut ea commemoretur. Apostolis uerò in Cœna rem ipsam realiter fuisse datam, Cyprianus nunquam scripsit. Merum ergo commentum est, quod Incõstantius sibi reperit, ut uerba Augustini, quibus nihil esse potest magis perspicuum, eluderet. Hoc postremò annotandum est, nec Cyprianum, nec Augustinum ἀγωνιστικῶς ista scribere: sed alterum in Epistola, alterũ in Concione ad populum, utruncq; animo sedatissimo, & sine ullo disputationis calore disserere. Quibus mihi nunc uisum est & Cyrillum addere, qui tractans uerba illa Panem angelorũ manducauit homo, & affirmans angelorum panem esse Christum, quærit quomodò Patres in deserto dicãtur talem panem, scilicet Christum, comedisse, cum manna uisibile manducarent, sibi ipse respondet, externũ illum cibum manna, uocatum fuisse nomine ueritatis, id est, rei significatæ. Verba eius hæc sunt libro 4. in Iohannem cap. 10. Quomodò igitur maiores Iudæorum panem hunc angelorum spiritualem comederunt? Conspicuum igitur est, quoniam Christi, qui uniuersa continet & nutrit, figura quædam erat manna sensibile: igitur quod umbra ueritatis erat, ueritatis nomine in spiritu appellauit, & eo quod angeli terrestri cibo participare nequeunt uel nolentes ad ueritatem à figura impellit auditores, & ad Christum, qui etiam ipsorum angelorũ panis est, ænigmatica oratione reducit. Consentiunt itaq; simul Cyprianus, Augustinus, Cyrillus, & Theodoretus, externa sacramenta nomine rerum significatarum appellari.

OBIECTVM CCXXVIII.

OBIICITVR ex Augustini homilia 26. & habetur de Consecratione dis. 2. cap. Interrogo uos. Ait esse peccatum eiusdẽ negligẽtiæ, sinere uerbum, quod prædicatur, animis nostris excidere, & partem sacramenti ad terram cadere. Quod, si daretur ista Transubstantiatio, non cõueniret. Longè enim grauius uideretur, pati corpus Christi ad terrã cadere, & conculcari, quàm parũ attentè audire partẽ aliquã uerborũ dei.

GAR.

GARDINERVS.

NEGLIGENTER *sanè expendit hunc locum, qui inde protraxit hoc argumentum.*

MARTYR.

HIc locus re uera habetur in Decretis prima, q. 1. cap. Interrogo uos. Nec iſtis cauillis Inconſtātij poteſt ita facilè dilui. Ait, nos ualdè negligenter expendiſſe hunc locum. Satis enim tum cōſtitiſſe, fuiſſe magnam negligentiam, ſi quis partem aliquam Sacramenti ſiuiſſet ad terram cadere: & cum ea Auguſtinum illam negligentiam contuliſſe, ſi quis uerbum dei auditum ſiuiſſet ſibi excidere ex animo. Negligentiam ergo utrinq; eſſe. Non tamen ſi æquetur negligentia, idcircò neceſſe eſſe, res ipſas inter ſe æquari, in quibus ea negligentia committitur. Quòd ſi quæras, quorſus illa collatio Auguſtini tendat, reſpondet, Perinde eſſe, ac ſi quis ita loquatur: Eiuſdem eſt negligentiæ præceptorem contemnere, & parentem. At ille nihilominus præfert parentem, ad cuius exemplum docere uult, præceptorem non eſſe contemnendum: & à quo, tanquam à re explorata, & certa, ducit argumentum. Et qui ſic loquitur, Eiuſdem eſt ſceleris, Sacramentū indignè ſumere, & Chriſtū in crucem tollere, & lancea latus eius, ut ſanguis effluat, perforare: an non à crimine certo, & omnibus odioſo petit exemplum? Ad extremum addit, Eiuſdem eſt negligentiæ, nauem onuſtam palea, & eandem onuſtam auro per deſidiā amittere: cū rerum amiſſarū æſtimatio ſit lōgè impar. Hęc iſte. Adhæc Sophiſmata ego ita reſpondeo: Negligentiam quidem eſſe, ſiue quis parentem, ſiue quis pręceptorē contemnat: non tamen eandem, aut parē. Actiones enim hominum ab obiectis plærunq; naturam, & ſpeciem ſortiunt. Negligentia ergo eſt utrinq;: non tamen par eſt utrinq; culpa. Auguſtinus autem, niſi parem utrinq; negligentiam, & parem culpam eſſe diceret, nihil concluderet. Quomodò enim hac ratione diſſuaderet negligentiam audiendi uerbi dei? Grauis quidem culpa eſt, ſinere partem aliquam Sacramenti tua negligentia ad terram cadere: grauis etiam eſt culpa, pati uerbum dei, quod audieris, tibi excidere ex animo. Prior autem illa culpa in negligenter tractando Euchariſtiam multò eſt grauior. Quare non debes negligenter audire uerbum dei. Quæ, obſecro, eſt iſta concluſio? Ita, peccatum graue eſt, uel parentem, uel præceptorem contemnere: Multò tamen grauius & flagitioſius eſt, contemnere parentem: Quare, noli contemnere præceptorem. Qui ita concluderet, profectò non audiretur, ſed rideretur. At ſi conueniat, parem eſſe utrinq; culpam, uerè, & rectè concluditur: Hoc fugiendum eſt: ergo etiam alterum. Culpa autem par eſſe nō poteſt, niſi par ſit dignitas earum rerum, quæ contemnuntur. Quod enim pluris eſt, & maioris æſtimatur, minus debet contemni: niſi fortè Incōſtantius eandem putat eſſe culpam, ſiue quis magiſtratum pulſet, ſiue priuatum ciuem. Neq; par eſt negligentia in amittenda naui onuſta palea, & in eadem onuſta auro: modò nauicularius ſciat, ſe aurum ferre, & eius pretium, & æſtimationem non ignoret.

Quid ergo? Aequauitne Auguſtinus hoc loco Euchariſtiam, & uerbū dei? *Euchariſtia & uerbum dei æquantur dignitate.*

Maximè. Idem enim docuit, Sacramenta eſſe uerba dei uiſibilia. Significatio autem nihil differt, ſiue ad uiſum, ſiue ad auditum referatur. Neq; Sacramēta aliud ſunt, quàm obſignationes uerborum dei, promiſſionibus, quæ in illis continentur, adiectæ. Atque hic quidem Gloſſator ipſe Decretorum, homo nō ita acutus, tamen plus uidit, quàm Inconſtantius. Fatetur enim, Auguſtinum iſta æquaſſe: & quo pacto id poſſit conſiſtere, pro uiribus inueſtigat. Non ergo nos negligenter, ſed Inconſtantius malitioſè, & fraudulenter locū iſtum expendit. Idq; quò magis uideas, Lector, uerba ipſa Auguſtini referam, ut habentur in Decre. *Gloſſa Decretorum.*

„ 1. q. 1. ca. Interrogo uos. Interrogo, inquit, uos, fratres, uel sorores: dicite mihi:
„ Quid plus uidetur uobis? Corpus Christi, an uerbum Christi? Si uultis uerè re-
„ spondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus dei uerbũ, quàm Christi cor-
„ pus. Et ideò, quanta sollicitudine obseruamus, cum nobis corpus Christi mini-
„ stratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta sollicitudine ob-
„ seruemus, ne uerbum domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus,
„ aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minus erit reus, qui uerbũ dei ne-
„ gligenter audierit, quàm ille, qui corpus domini sua negligẽtia in terram cadere
„ permiserit. Non addo plura. Perspicuum est, Augustinum hic uerbum dei, & corpus Christi inter se æquare: & in utroq; negligendo culpam parem facere. Eat modò Inconstantius, & cauilletur, negligentiã quidem eandem esse: sed nõ idem peccatũ. Quod si Augustinus uerbi prædicati, & Eucharistiæ parem esse dicat dignitatẽ, iste aũt neget, Lector prudẽs facilè iudicabit, utri potius debeat credere.

OBIECTVM CCXXIX.

OBIICITVR ex eodem Augustino in Psal. 3. Christus, inquit, adhibuit ludam ad conuiuium, in quo corporis sui figuram Discipulis suis commendauit.

GARDINERVS.

FIGVRAM *commendauit propter rem, hoc est, Corpus, quod simul dedit: quod ipsum sic in mysterio exhibitum, quoniam refricat nobis memoriam sui ipsius in cruce pendentis.*

MARTYR.

„ AD illud nunc recurrit, quod iam ante sæpè, cum aliud suffugium non habe-
„ ret, nobis conatus est obtrudere: uidelicet, Corpus illud Christi, quod ait
„ sub accidentibus latitare, figuram esse sui ipsius. Quod ne nimium, ut est, uidere-
„ tur absurdũ, adiecit, quatenus id possit fieri: scilicet, quòd admoneat nos rerum
„ absentium, quæ iam præterierint, Crucifixionis & mortis Christi, quæ amplius
„ reuocari non possint. Christum enim semel esse mortuum & reuixisse, nec un-
„ quam esse amplius moriturum. Nos igitur, quoties corpus eius cernimus in my-
„ sterio, ex illo signo redire in memoriam mortis præteritæ. Cum Inconstantius non uereatur, id repetere, quod anteà ad nauseam usque dixerit, non uideo, cur ego uereri debeam eadem hic paucis regerere, quæ anteà responderim. Dixi autem suprà, oportere signa illustriora, & euidentiora esse, quàm sint res ipsæ, quas significant. Nam alioqui quomodò quenquam inducere possent in illarum notitiam? Ita enim comparatum est humanũ ingenium, ut semper à notioribus proficiscatur ad ignota. Atqui mors Christi & Iudæis, & Christianis, & fidelibus, & infidelibus longè notior est, quàm est illud, nescio quod, corpusculum latitãs sub accidentibus. Quare, quàm rectè isti faciant, qui uelint rem incertam, & obscuram signum esse rei notissimæ, ipsi uiderint. Huc adde, si uerba expendenda sint, Augustinum nõ dicere, Christum tradidisse figuram suæ mortis, sed sui corporis: etsi inficiari non possim in ea etiam mortem domini prædicari. Bis ergo peccat Inconstantius uno loco: & quia Augustini uerba corrumpit: & quia rationem signi, & rei significatæ peruertit.

Sed ne hoc quidem dissimulandũ est, istum hic in illud ipsum incidere, cuius nos falsò arguit. Semper enim cũ uera, & iusta responsione destituit, sese conferit ad conuitia. Hic autem ore impudenti clamat, nos in Eucharistia figurã figuræ indu-

inducere: quod hactenus ne specie quidem ueri ulla probare potuit. Nos autem illum in hoc suo commento manifestissimè tenemus. Ait enim, accidentia panis esse figuram corporis Christi intus & inuisibiliter latitantis: deinde, corpus illud ita delitescens, fide tantùm, ut ille ait, ut autem res ipsa loquitur, mẽdacio mero, & impostura cognitum, figuram esse mortis suæ, uel sui potius ipsius, ut olim ad crucem affigebatur. Quid hoc est, nisi signum signi ponere, & figurã figura cumulare? Huc, uidelicet, sophistæ istius cauilli postremò proficiunt, ut & omnia compleant confusione, & authoris impostura non patiãtur latere. Neq; uerò istum pudet, ad extremum mortem domini obscuram quodãmodò, & ignotam facere: ut, quam necesse sit isto commento indicari, esse iam præteritam. At nos scimus, hoc ipso nomine nihil illa magis esse perspicuum. Veteres quidem mortem domini uidebant futuram aliquando: sed obscurè. Præsens ab illis tantùm uidebatur, qui tum aderant, & astabant, cum Christus moreretur. Nunc autẽ præterita ubiq; describitur, recipitur, affirmatur, nuntiatur, prædicatur, idq; ad ultimos usq; fines totius orbis terrarum. Apud Inconstantium tamẽ istum nostrum obscurior est, & ignotior, quàm sint commentitiæ illæ carnes obductæ, & uestitæ accidentibus. Sed ista tam perdita, & proiecta impudentia non debet pluribus ãme uerbis confutari.

OBIECTVM CCXXX.

OBIICITVR ex Augustino in Iohannem cap. 30. & habetur de Consecratione dis. 2. cap. Prima quidem. Sursum est dominus: sed etiã hic est ueritas dominus. Corpus enim domini, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet. Veritas autem eius ubiq; diffusa est.

GARDINERVS.

NIHIL attingit Eucharistiam, sed confert Augustinus cum Christi corporali præsentia eiusdem Christi prædicatam ueritatem.

MARTYR.

RESpondet, uerba ista Augustini ad Eucharistiam non spectare. Illum enim ibi tantùm agere de uerbo dei attentè audiendo. Nolle autem illum hoc nomine Christi ueritatẽ negligi, quòd Christus iam cum corpore suo absit, & agat in cœlo. Etsi enim ibi sit, nimirùm aliquo in loco, tamen ueritatem eius etiam inter nos esse, & usq; ad finem sæculi ubiq; prædicatum iri. Hæc quidem hactenus uera sunt: neq; ea nos negamus. Verùm ostendere, quomodò faciant ad Eucharistiam, non est difficile. Isti semper iactant huius sacramenti ueritatem. Eam nos nullo pacto uolumus aliqua ex parte esse imminutam. Hoc enim sacramentum, ut alia omnia, uerè significat, & rem significatam uerè refert. Significatio enim non potest non esse uera, quæ sit instituta à Christo. Is autem non fictitium, aut phantasticum corpus pro nobis obtulit in cruce, sed uerum, solidum, & uerè humanum: etsi secum coniunctam haberet diuinitatem. Hactenus nos Eucharistiæ tribuimus ueritatem. Isti uerò eam ad realem, & substantialem præsentiam referunt: quasi ueritas mysterij in eo sita sit, ut corpus Christi sistatur præsens, & lateat sub accidentibus. At Augustinus longè secus docet. Nam ueritatẽ domini ait ubiq; esse: ubicunq; enim uerba domini prædicantur, aut sacramenta, quæ uer

ba quædam sunt domini uisibilia, ritè administrantur, ibi semper est ueritas domini, & ad ista latissimè funditur. Interea tamen corpus Christi in uno, inquit, loco esse oportet. Nam Inconstantius istam lectionem non improbat (cum quædã exemplaria non oportet legant, sed potest) modò ne uerbum illud necessitatem notet, qua Christus in angulo aliquo alligetur: sed significet potius ordinẽ quendam diuini consilij, cuius horas, & momenta nosse, non sit nostrũ: ut, quoniam ad ultimum usq; diem, ut Petrus ait, futurus sit in cœlo, non possit, quoties illi uidetur, salua illa ueritate, se ipsum nobis exhibere in terris. Huius autem uoluntariæ necessitatis affert hoc testimonium. Christus, inquit, summa uoluntate pasus est: nihilominus ait, se pati oportuisse. Primùm moneo Inconstantium, uocem illam, Locum, in his uerbis Augustini significare posse multas, et uarias partes cœli: ut sententia de multis, & uarijs locis possit accipi. Atq; ita fateor, uerbũ illud, Potest, posse rectè congruere. Nemo enim nostrum unquam alligauit, aut affixit Christum ad certum aliquem locum. Potest sedere, iacere, ambulare, & quocunq; uelit per cœli spatia se conferre. Potitur enim regno amplissimo cum deo patre. Quicquid ẽm est suprà omnes cœlos, & orbes aspectabiles, quod sanè infinitis partibus maius est, quàm orbis uniuersus, illud omne Christus delegit sibi, ut ibi, quòd ad humanitatem attinet, maxima in luce, & potentia, & fœlicitate uersetur ad extremum usq; diem. Potest ergo esse in uno quouis loco, prout illi maximè uisum fuerit. At si locus accipiatur generatim, adhibendũ omninò est illud alterum uerbum, Oportet. Corpus enim constituí non potest extra locum; nisi fortè quispiam sibi uelit fingere corpus aliquod Mathematicum, quod ab omni & loco, & tempore, & materia sensibili philosophorum cogitatione seiungatur. Id alio loco Augustinus luculentissimè testatus est ad Dardanum. Nemo autem hoc à me expectare debet, ut ego, qualia illa sint Christi, & Beatorum loca, describam. Satis id nobis esse debet, quòd scripturę ea appellent loca: quòd Christus dicat in domo patris sui mansiones esse multas: quodq; idem dixerit discipulis, Ego eo, ut parem uobis locum. Vniuersam autem locorum illorum descriptionem tum demùm uidebimus, cum post beatam illam Resurrectionem eò unà cũ corporibus nostris peruenerimus. Interim illarũ rerũ exacta & distincta cognitio nec ad uocationem, nec ad ædificationem nostram quicquam facit.

De loco corporis Christi.

Corpus non potest constitui extra locum.

Augustinus.

Scripturæ sedes beatorũ uocant locum.

Proximus cauillus, quem Inconstantius subijcit de necessitate, & uoluntate, prorsus alienus est. Voluntas enim non cum necessitate pugnat, sed cum uiolentia. Cogi quidem uoluntas non potest: sed aliquid necessariò uelle potest. Fœlicitatem enim necessariò uolumus omnes qui sapimus: & diuina uoluntas patrismo bono, ea necessitate cum illo cohærẽt, ut amplius peccare nõ possint. Quare oportuit cœlum ita Christum capere, illumq; ita usq; ad extremum diem continere, ut uolens, ac libens ibi maneat, ad nos autem, quod ad corpus attinet, non descendat. Hæc autem necessitas non aliud est, quàm ordo quidam diuinorum consiliorum: quem quidem ordinem nos ipsi nobis non finximus, sed ex diuinis literis didicimus. Est ergo hæc necessitas uoluntatis, non coactionis, aut uiolenta. Quemadmodum autem ordine à deo posito, fieri non potuit, quin Christus pateretur: ita eodem ordine fieri non potest, quin Christus, quòd ad corpus attinet, sit in cœlo.

Voluntas nõ pugnat cum necessitate, sed cum uiolentia.

Qua necessitate corpus Christi contineatur in cœlo.

Nec; uideo, quantum id iuuet causam Inconstantij, quod interposuit, Quin possit, quoties illi uisum fuerit, se nobis exhibere. Nam si per Exhibitionem intelligat gratiam, spiritum, & alia dona, illa semper præstat, & quando, & quomodò, & quibus uelit. At, si exhibitionem intelligat realem præsentiam corporis, ea nulla est. Quia corpus Christi simul & in cœlo, & tam multis in locis esse non potest:

poteſt: quemadmodũ monet hoc loco Auguſtinus. Sed hoc libenter ſcire uelim, cur Inconſtantius illud addiderit, Quoties illi uiſum fuerit. Hoc enim nihil opus erat adſcribere. Nam ex Papiſtarum ſententia perpetuò nobiſcum uerſatur. Quis enim unquam dies præterit, in quo ab iſtis ſacrificulis non innumeræ miſſæ celebrentur? Aut quæ eſt prouincia aut regio tam anguſta, quæ non habeat infinitum numerũ pyxidũ? At in illis execrata illa, & idololatrica cruſtula dies, noctesq; aſſeruantur: quibus in ſingulis, ſi iſtis credimus, corpus Chriſti, quantum quantum in cruce fuit, realiter, & ſubſtantialiter continetur. Non ergo aliquando, & cum uiſum fuerit, nobiſcum uerſatur, ſed perpetuò. Quàm autem cõſentaneum ſit ueritati, quod extremo loco dicit, Corpus Chriſti propter iſtam præſentiam in Sacramento non relinquere cœlum, nec eſſe in Euchariſtia, tanquam in loco, alibi diſputauimus.

OBIECTVM CCXXXI.

OBIICITVR ex Auguſtino tractatu 50. in Iohannem. Secundum maieſtatem ſuam, inquit, ſecundum prouidentiam ſuam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum eſt: Ecce, ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſæculi. Secundum carnem uerò, quam ex Virgine aſſumpſit, ſecũdum id, quòd de Virgine natus eſt, ſecundum id, quòd à Iudæis comprehenſus eſt: quòd ligno confixus: quòd de cruce depoſitus: quòd linteis inuolutus: quòd in ſepulchro conditus: quòd in Reſurrectione manifeſtatus, Non ſemper habebitis me uobiſcum. Quare? Quia conuerſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis: & eis deducentibus uidendo, non ſequendo, aſcendit in cœlum, & non eſt hic. Non enim receſſit præſentia maieſtatis. Aliter ſecundum præſentiã maieſtatis ſemper habemus Chriſtum. Secundum præſentiam carnis rectè dictum eſt diſcipulis, Me non ſemper habebitis. Habuit enim illam Eccleſia ſecũdum præſentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet: oculis non uidet.

GARDINERVS.

SI præſentia carnis in Sacramento ſecundũ carnem eſſet, carnalis præſentiæ modo uideretur.

MARTYR.

AVguſtinus, quod etiam omnes Orthodoxi patres faciunt, ad normam diuinarum literarum rectè diſtinxit duas naturas in Chriſto, diuinam, & humanam. Et iuxta diuinam quidem naturam, quam iſtis uocibus, Maieſtatis, prouidentiæ, inuiſibilis, & ineffabilis gratiæ expreſſit, eum fatetur ſemper adeſſe nobis, ut bona fide præſtet id, quod promiſit, cum diceret, Ecce ego uobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Iuxta alteram autem naturam humanam, aiit eum à nobis abeſſe: id enim dominum ipſum fore teſtatum eſſe, cum diceret, Me autem non ſemper habebitis. Et ne quis de humana illa Chriſti natura, iuxta

quam eum à nobis abesse dicit, ambigat, eum pluribus modis pulcherrimè notauit. Secundum carnem, inquit, quam Verbum assumpsit; secundum id, quod de Virgine natus est, &c. Quoq; adhuc res esset magis perspicua, præsentiam corporis per ἀντίθεσιν opponit præsentiæ maiestatis. Hæc est Augustini simplex, & ingenua, & aperta distinctio.

Verùm ea Inconstantius noster non contentus pro sua illa incredibili subtilitate, & sapientia alterum distributionis membrum, nimirum humanam naturam, aut carnem Christi rursus partiri uoluit. Eam enim ait interdū accipi secundum carnem, interdum secūdum spiritum. Deinde fatetur, Carnem Christi non adesse nobis in Sacramento secundum carnem: hoc est, ut uideatur & sentiatur, sed secūdum spiritum: id est, modo inuisibili, & insensibili. Verùm Augustinus, cum alioqui esset Apher, tamen non erat ita uafer. Duas enim illas sententias, quæ uidebantur pugnare inter se, Ecce, ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi: &, Me non semper habebitis, simplici tantùm distinctione conciliat. Cum tamen illi, ut Inconstantius ipse alibi confitetur, nec uerborum copia deesset, nec lingua, nec ingenium. Quare, si istam alteram partitionem alterius membri ita subtilem & acutam, tam necessariam putasset esse, & tanti momenti ad tuendam ueritatem Eucharistiæ, eam certè non tacuisset.

Sed iste fortasse obijciet, Patres interdum scribere, Christum adesse, & uersari nobiscum inuisibiliter. Verum quidem id est. Sed illi id ad naturam diuinam referunt. De ista autem noua præsentia carnis secundum carnem, aut eiusdem carnis præsentia secundum spiritum, magnum est apud illos silentium. Quare uaclere iubebimus Inconstantium cum suo commento: nos Augustini simplici antitheſi, & distinctione utemur. Præterire autem silentio nō debeo, Augustinum, interim dum ostendit, quo pacto Christus nobis adsit, de maiestate tantùm eius, hoc est, de diuinitate, & gratia mentionem facere: de spirituali autem illa carne, quam iste somniat, ne uerbum quidem. Atqui si ullam cogitasset esse talem, eam certè aliquo uerbo attigisset: maximè uerò cum ea scriberet de Christi corpore immortali iam & glorificato,

OBIECTVM CCXXXII.

OBIICITVR illud ex Augustino in epistolam Iohannis ad finem: Dominus ergo noster Iesus Christus ideò ascendit in cœlum die quadragesima, & commendauit corpus suū, qua habebat iacere: quia uidit multos honoraturos se, quia ascendit in cœlum; & uidit, quia honor illorum inutilis est, si conculcant membra eius in terra. Et ne quis erraret, & cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, dixit, ubi essent membra ipsius. Ascensurus enim dixit uerba nouissima: post illa uerba non est loquutus in terra. Ascensurum caput in cœlum cōmendauit membra in terra, & discessit. Iam non inuenis Christum loqui in terra: inuenis eum loqui, sed in cœlo, & de ipso cœlo. Quare? Quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Paulo dixit: Saule, Saule: quid me persequeris? Ascendi in cœlum: sed adhuc in terra iaceo. Hic ad dextram Patris sedeo: ubi esurio, sitio, peregrinus sum.

Quo-

Quomodò ergo corpus commendauit in terra aſcenſurus? Cum interrogarent eum diſcipuli, Domine, an in hoc tempore præſentaberis? & quando Regnum Iſraelis? reſpondit iturus: Non eſt ueſtrum, ſcire tempus, quod pater poſuit in poteſtate ſua. Sed accipietis uirtutem ſpiritus ſancti ſuperueniẽtem in uos; & eritis mihi teſtes in Hieruſalem. Videte, qua diffundat corpus ſuum: uidete, ubi calcari non uult. Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & tota Iudæa, & Samaria, uſq; in totam terram. Ecce, qua iaceo, qui aſcendo: Aſcendo enim, quia caput ſum, iacet adhuc corpus meum. Qua iacet? per totam terram.

GARDINERVS.

IS TA *explicant, quid de carnis ſuæ præſentia Chriſtus uelit intelligi: cui addit, in quibus exigit ſibi officia perpetuò exhiberi.*

MARTYR.

SOphiſta iſte noſter eodem, quo ſolet, candore, ac fide, præter diſtinctionem Auguſtini aliam etiam, eamq; longè alienam comminiſcitur. Nam Auguſtinus duplex facit Chriſti corpus: alterum proprium, quod à uerbo in unitate perſonæ aſſumptum eſt, & factum eſt noſtrum caput: alterum, quod appellant myſticum, quod cõſtet è fidelibus, qui ſunt Chriſti membra. Nemo enim eſt, qui neſciat, Paulum appellare Eccleſiam corpus Chriſti. Eaq; appellatio à Patribus paſſim repetitur. Prius illud Chriſti corpus naturale ac proprium Auguſtinus diſertè fatetur eſſe in cœlo: illudq; eò ita aſcendiſſe, quemadmodum hiſtoria Euangelica & Apoſtolica deſcribit. Alterum autem ait, adhuc in terris agere, & peregrinari: illudq; dominum, cum eſſet aſcenſurus in cœlum, mirificè cõmendaſſe, ne hic à uiolentis hominibus calcaretur, idq; ab illis ipſis, qui caput agens in cœlis magnis honoribus, & cultibus proſequerentur. Hæc eſt Auguſtini ſimplex, & facilis, & aperta diſtinctio.

Inconſtantius autem, cum eam uideret ſuis fictionibus mirificè obſtare, aliã aſſuere uoluit de ſuo: ſed eam, quæ non magis ſecum conſentiat, quàm ipſe ſolet conſtare ſibi. Dicit enim corporis Chriſti duplicem eſſe præſentiam, unam perpetuam, alteram interpolatã. Nouum ſanè monſtrũ, qualeq; Aphrica tota Scholaſticorum, & Canoniſtarum nunquam nobis hactenus attulerit. Perpetuam tamen præſentiam ait corpus Chriſti habere in cœlo: idemq; in pauperibus, dum opprimuntur, & uexantur, ſemper calcari. Atq; hæc duo ait ab Auguſtino una tractatione rectè fuiſſe comprehenſa: nimirùm, quod utraq; habeant perpetuitatem. In ſacramento autem dicit, uel potius muſsitat, corpus Chriſti habere, non perpetuam, ſed tantùm interpolatam preſentiam. Sed eam interpolationem, cum uideret ualdè obſcuram, & tenebricoſam, ita uoluit explicare. Fit enim, inquit, dum à nobis petitur: & ad uſum fit certum mãducationis. Quid ſibi iſta uolunt? Daniele nobis aut Ioſepho aliquo opus eſt, qui iſta ſomnia interpretetur. Eſſe ſoles alioqui, ubi nihil eſt opus, uerboſiſsimus. Nunc autem, cum nebularum iſtarum tuarum obſcuritas eſſet aliquo modo illuſtranda, tam parcus es uerborum, ut tribus tantùm uoculis rem omnem confeceris, uel potius obſcuriorem reddideris. Quemadmodum iam ſuprà dixi, in omnibus templis, quæ Romanæ Ec-

cleſiæ ſubiecta eſſent, ab annis iam quadringentis, aut quingentis ſemper fuerũt pyxides, in quibus ueſtra illa ſacrata cruſtula clauderẽtur. Veteribus autem cruſtulis putreſcentibus, aut alia aliqua cauſa ſublatis, ſemper ſufficiebantur noua. Quid tu hic Inconſtãti? An in illis negabis corpus Chriſti cõtineri? Aut tu domi tuæ huiuſmodi pyxidem perpetuò non habes? Aut quãdo unquam uetus libum aut abijciunt, aut comburunt, aut comedunt ſacrificuli, ut non reponant aliud? Aut igitur dices, corpus Chriſti deſinere eſſe in illis cruſtulis, cum illa uſui non inſeruiant: aut neceſſariò fateberis, in templis ueſtris eſſe corporis Chriſti non interpolatam, ſed perpetuam præſentiam. Vbi ergo erit illa tua tam acutè excogitata interpolatio? Leues, mihi crede, Inconſtanti, ſunt iſtæ tuæ fictiunculæ, & ineptæ, & pueriles, & putidæ

Ad hæc, quid illud, quæſo, eſt, quod ais, hanc præſentiam fieri, cum petitur? Nam Conſecrationem illam ueſtrã precibúsne putas fieri, an oratione illa Quinqueuerbia? Vide, quid agas. Hæc enim oratio tua in grauem ſuſpicionem facile uentura eſt apud tuos Matæologos. Illi enim omninò iam olim decreuerũt, Conſecrationem ſuam quinq; uerbis perfici, non precibus. Sed nolo de hac re plura.

Quatuor præſentias Chriſti facit Inconſtantius.

Hoc tantùm admonebo Lectorem, Inconſtantium iſta ſua ſententia quatuor his peperiſſe Chriſti præſentias: Vnam diuinitatis, ac maieſtatis, quæ ubiq; ſit: alteram ueri corporis, quod tantùm præſens ſit in cœlo: tertiam corporis myſtici, quod latè diffuſum ſit per omnes terras: quartam interpolatam, quæ pertineat ad Euchariſtiam. Oportet ergo ex hac ſententia, Chriſtum ditiſsimum eſſe præſentiarum. In calce concludit, ut ſolet, Corpus Chriſti ſimul & in cœlo eſſe, & in ſacramento: idq; & optimè conſiſtere, & deo non eſſe impoſsibile. Sed ea de re ſuprà dictum eſt ſatis; ut nihil hic ſit repetendum.

OBIECTVM CCXXXIII.

OBIICITVR ex Auguſtino ex ſententijs Proſperi. Qui diſcordat, inquit, à Chriſto, nec panem eius manducat, nec ſanguinem bibit: etſi tantæ rei ſacramẽtum ad iudicium ſuæ præſumptionis quotidiè indifferenter accipiat.

GARDINERVS.

HAEC *uerba Auguſtini apertè docent, malos idem, quod boni, ſumere: licet ſorte inæquali.*

MARTYR.

„ PVtat iſte, ſe poſſe colligere ex his uerbis Auguſtini, malos, & bonos idem ſu-
„ mere, quamuis fructu, & ſorte inæquali. Idq; ſatis ſignificari arbitratur unico
„ illo aduerbiolo, Indifferenter. Verùm, cur ille hoc potius non uidit, id, ut Auguſtinus ipſe interpretatur, referendum eſſe ad ſacramentum? Indifferenter enim, & promiſcuè licet bonis, maliſq; idem ſacramentum ſumere. Panem autem domini edere, & eius ſanguinem bibere indifferenter omnibus non licet. Nam Auguſtinus id conſtanter affirmat, quod nos toto iſto libro docemus. Videat ergo Inconſtantius, quomodò putet hæc à ſe facere. Illa uerò quæ ſequitur, prorſus mirabilis eſt, & noua interpretatio. Nam quod Auguſtinus dicit, Tantæ rei
„ ſacramentum, id ita exponit, Myſterium rem tantam continens: quaſi ſtatim illi neceſſariò dandum ſit, rem ipſam in myſterio, aut ſacramento realiter, & ſubſtantialiter contineri: cum alioqui ſacramentorum proprium ſit, res eas, quarum ſacramenta ſunt, continere per ſignum. Baptiſmus myſterium eſt Regenera-

nis;

nis: quam tamen ille non habet, qui animo ficto, & sine fide baptizatur: interim tamen nihilominus accipit tantæ rei Sacramentum.

Quod autem posteà quærit, quid Augustinus intelligat per panem, cum dicat, Nec panem eius manducat, respondeo uocem illam per metaphoram significare corpus domini. Atq; ad eam significationē particula illa nos adducit, quæ annectitur. Subiicitur enim, Nec sanguinem bibit. Sed hic Inconstantius adoritur nos claua prorsus, ut sibi uidetur, Herculea. Videte ergo, inquit, quàm infirma sint argumenta uestra ex loquutionibus patrum collecta, cum scribant, panem esse corpus Christi. Siquidem hic fatemini, Augustinum panem pro ipso Christi corpore accipere: quod à Christo discordantē docet non accipere. Hęc ille. Verùm istis Thrasonicis insultibus ueritas Christi nō succumbit. Nos enim fatemur, in quibusdam locis scripturarum panem significare metaphoricè corpus Christi: & præsertim in 6. cap. Iohannis. Quando autem uel in scripturis, uel in patribus conditiones, & proprietates panis ita describuntur, ut nō possint cor pori Christi conuenire, argumenta, quæ inde ducuntur contra Transubstantiationem, uideri debent firmissima. Vt, cùm Apostolus dicit, Panis, quem frangimus: aut, cum patres dicunt, frustula, aut fragmenta panis: aut, cum panem constare ex multis granis, & pinsi, & commoli, & coqui dicunt: & alia multa similia. Non enim, ut iste clamat, argumenta nostra concludimus ex simplici tantùm uocabulo panis, sed ex obseruatis omnibus uerborum & locorum circumstantijs. Nec sine iusta ratione nitimur sententijs illis patrū, quibus panem appellant corpus Christi: & panem in illis locis contendimus triticeum panem significare. Nam si poneretur pro corpore Christi, idem de se ipso ineptissimè prædicaretur. Ita enim patres nihil aliud dicerent, quàm corpus Christi esse corpus Christi. Apparet ergo, uerba ista Augustini nostris argumentis, quæ iste conatur arrodere, nihil prorsus aduersari.

Vocabulum Panis quādoq; corpus Christi, quādoq; ipsum panem propriè significat.

Cur autem dicat, discordantes à Christo nec comedere panem Christi, nec bibere eius sanguinem, causam etiā addit Inconstantius, quòd fructum ex ea Communione, & effectum corporis Christi suo uitio nō assequantur. Ita enim ait, eos, qui malè audiant uerbū dei, dici non audire, quòd sine fructu audiant. Verùm, ea, quæ proximè sequuntur, satis declarant, Augustinum hoc non sensisse. Addit enim, Etiamsi tantæ rei Sacramentum comedant. Hic enim apertissimam uidemus antithesin constitui inter Sacramentum, & rem ipsam. Nihil ergo hic loci est tropicæ loquutioni: ut, scilicet, dicamus, eum non manducasse, qui fructum manducationis suæ non habeat. Et sæpè iam suprà docuimus, Proprium, & uerum corpus Christi non posse ullo modo comedi absque fructu. Exemplum autem illud, quod Inconstantius adfert de audiendo uerbo dei, eius causæ uehementer officit. Verbum enim dei, quod audimus, non habet res ipsas, quas significat secum coniunctas. Quare impij illud audire possunt: quamuis salutem, quę illo significatur, & promittitur, cum fidem non habeant, non assequantur. Ita plane usu uenit in Sacramento Eucharistię. Impij signum, & elementum externum indifferenter accipiunt: rem autem ipsam, ut Augustinus uerissimè scribit, non accipiunt.

OBIECTVM CCXXXIIII.

OBIICITVR ex eodem Augustino illud ad Dardanum: Tolle, inquit, spacia corporibus, & nusquam erunt. Quæ autem nusquam sunt, nec erunt. Vos ergo dum tollitis spacia,

& dimensiones corpori Christi in Sacramento, efficitis, ut non sit ibi corpus Christi omninò.

GARDINERVS.

EXPLICAT *Augustinus naturam corporis, quæ locum adiunctum necessariò exigit, quatenus ex suæ naturæ finibus æstimatur.*

MARTYR.

,, EA, quæ Augustinus scribit ad Dardanum, Inconstantius non aliter ait pertinere ad corpus, nisi quatenus illud physica ratione consideratur, & ex naturæ suæ finibus æstimatur. Sed istum cogitare oportuit, Augustinum ibi loqui in uniuersum: &, si uoluisset, commodissimè potuisse excipere corpus Christi. Quod cum ille non fecerit, utq́ credibile est, necesse non putarit, superest, ut dicamus eum definitionem illam suam omnino καθολικὴν esse uoluisse.

,, Quod autem Inconstantius quærit, Vtrum credendum sit Christo, id de corpore suo asserenti, quod alienũ sit à ratione loci, cũ dixerit, Hoc est corpus meũ: an potius contra illum instituenda sit actio illa, quæ dicitur, Ad exhibendum: id nec ita acutũ est, nec ita abstrusum, quin ut illi facilè possit responderi. Primùm dico, Christũ nusquam nobis mandasse, ut credamus ea, quæ nulla ratione possint fieri: quale est, eius corpus uno, eodemq́ tẽpore esse in multis locis. Id enim esset affirmare, corpus eius & humanum esse, & non humanum, eodem tempore: quæ contradictio nulla ratione potest conciliari. Eius autem rei explicationem suprà fusè tradidimus: ut hic nihil sit repetendum. Quicquid ergo Christus iubet à nobis recipi, & credi, sine ulla dubitatione recipimus, & credimus. Sed Inconstantium probare, non tantùm clamare oportuit, sensum illorum uerborũ, Hoc est corpus meum, eum esse, quem toties iactat. Nos quidem actionẽ contra Christum non instituimus: sed, ut & pro Augustino, & pro nobis ipsis respondeamus, hoc ex isto Sophista percontabimur, Cur statuere uelit eiusmodi præsentiam corporis Christi, quæ neq́ expressa sit in uerbis illis Christi, neq́ illis sit congrua, neq́ sit ad salutem necessaria, neq́ postremò corpori eius, & ueritati humanæ naturæ sit consentanea, & ad quam stabiliendam infinitis miraculis, & portentis opus sit? Sed frustra percontamur, quia nihil nobis respondebit.

,, Bella uerò est illa conciliatio, quam iste finxit: Christum, uidelicet, dare præsentiam sui corporis, non secundum naturam, sed secundum gratiam: quasi Augustinus loquatur de natura, Christus uerò de gratia. Sed eò postremò, si deo placet, peruenitur, ut gratia ista naturam, non perficiat, sed perdat. Nam corpus simul in locis diuersis ponere, quemadmodum Augustinus ait, est illud perdere ac destruere. At si corpus aut tollatur, aut destruatur, quid in illo tandem faciat gratia? Si corpus aut nullum, aut nihil est, quod nam tandem erit in illo beneficium gratiæ? Falsum ergo est, quod sumit sibi Inconstantius, gratiam nõ minuere ueritatem rei, sed modum tãtùm distinguere. Ita iste, ut semel iam, atq́ iterum dixi, qui figuratores ferre non potest, postquã redactus est in angustias, Modista esse uult. Obsecro te, Inconstanti: expedi nobis aliquando, atq́ explica tua ista mysteria: si gratia tollat magnitudinem, locum, dimensiones ab humano corpore, quomodò ueritatem eius non imminuit? Absq́ dimensionibus, & magnitudine membra humani corporis seruari non possunt: eadem sine aliqua mole, ac dimensione non possunt à se inuicem distingui.

,, Vrget tamen iste, Christum dedisse corpus suum in mysterio: de loco uerò, & di-

& dimensionibus nihil addidisse. Atqui, si non addiderit, non est mirum. Nam cum corpus diceret, ista omnia in eo necessariò, utq; Dialectici dicũt, per se concluſit. Nihil aũt opus est, ut nos cum Christo, ad quem nos Inconstantius reiecit, expostulemus. Aliquid fortasse diceret, si dominus ea diceret, quæ ille somniat. Contra te, Inconstanti, contra te ista dicimus, qui talia commenta sacris dei scripturis non uereris affingere, qualia Christus ne uno quidem uerbulo unquã attigit. Corpus suum Christus dedit in mysterio: at non illud dedit præsens, realiter, substantialiter. Hæc intrita cum uestra sit, à uobis est comedenda. Qua si benè, & ad nauseam usq; impleamini, restat, ut cum isto Augustini loco nulla ratione possitis conciliari. Quod Ambrosius dicit de gratia, nos ulnis ambabus amplectimur. Is enim omnem dignitatem, & uim, & prærogatiuam sacramentorum adscribit uni gratiæ. Quo enim alio pacto effici possent panis & uinum sacramenta corporis & sanguinis Christi? Certè, si gratiam remoueas, ea neq; sacramẽta tantarum rerum esse possent, nec ad salutem nostram quicquam proficere. *Ambrosius.*

Ad extremum iste fabulatur, se, suosq;, cum corpori Christi in sacramento negent dimention es & locum, non arbitrari id ad priuationem aut ad imminutionem pertinere, sed auersionem eam potius quandam esse carnalis iudicij, ac sensuum. Quasi uerò nobis non liceat cogitare ea in corpore Christi, quæ faciant ad eius constitutionem. Per me quidem auertite cogitationes, quantũ uultis: modò ne quid intereà statuatis, quod cum corporis ueritate pugnet. Nam id esset, ut Augustinus ait, corporis naturam prorsus tollere. Postremò, hoc uno uerbo uerissimè dicam, Christum nihil habere in suo corpore, quod nostris cogitationibus sit indignum. Quantus enim quantus est, totus nostra salus est, & nostra redemptio. Sed hoc silentio prætereundum nõ est, Augustinum in illa eadem epistola ad Dardanum fictiones istas Transubstantiatorum, qui in Eucharistia sua uolunt accidẽtia esse sine subiecto, apertissimè refutasse. Tolle enim, inquit, ipsa corpora qualitatibus corporum: non erit, ubi sint: & ideò necesse est, ut non sint. Et mox: Veruntamen si moles ipsa corporis, quantacunq;, uel quantulacunq; sit, penitùs auferatur, qualitates eius, non erit ubi sint. Sed ista Inconstantius, quod ea uideret ad stomachum suum parùm facere, libenter prætereiit. *Christus nihil habet in suo corpore, quod nostra cogitatione sit indignũ. Augustinus.*

OBIECTVM CCXXXV.

OBIICITVR ex Augustino illud tractatu 59. nono in Iohannem. Illi, inquit, manducabant panem dominum: ille, hoc est Iudas, panem domini cõtra dominum: illi uitam, ille pœnam. Qui enim manducat et bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

GARDINERVS.

QVOD *Augustinus significanter extulit, ut in eiusdem sacramenti perceptione sumentium uarietatem ostenderet, ab istis producitur in contentionem, ex minima immutatione uerbi captata occasione cauillandi.*

MARTYR.

VErba ista Augustini eò uidentur Inconstantio nostro pertinere, quasi ille docere uelit, eandem esse sacramenti perceptionem in omnibus, qui communicant, etsi magna notetur uarietas in sumentibus. Ideoq; queritur, ex parua uerbi immutatione illa trahi à nobis ad contentionem. Nos quidem nunquam,

negauimus, omnes eos, qui accedant ad ſacram Cœnam idem ſumere, quòd ad ſacramentum, aut ſymbolum externum attinet. Rem autem ipſam ſacramenti alios accipere dicimus, alios non accipere: pro eo ac alij prædicti ſunt fide, alij ea deſtituuntur. Quòd autem paruula immutatione uocum Auguſtinus prius dixerit Panem dominum, deinde Panem domini, ſic reſpondeo, illam, non, ut Inconſtantius putat, parui momenti eſſe, ſed maximi. Pij enim comedunt dominum, qui per metaphoram eſt panis: impij uerò recipiunt externum elemẽtum, quod tantùm appellatur panis domini.

„ Ait, frigidam eſſe collationem Auguſtini, niſi Iudas idem comederit, quod „ alij: & exempli cauſa profert collationem Pauli in priori ad Corinthios. Ait enim „ Paulum peccata illorum Patrum, qui ceciderunt in deſerto, eo nomine exaggerare, & augere, quòd omnes ſenſiſſent paria dei beneficia: non autem omnes ea „ beneficia pari gratitudine recepiſſent: atq; ex eo factum eſſe, ut mali tam miſerè „ perderẽtur. Sed hic oportet iſtum duo ſecum cogitare: Primùm, beneficia illa, quibus Patres afficiebantur in deſerto, externa fuiſſe, & temporaria. Itaque etſi multi ex illis carerent fide, tamẽ nihil obſtabat, quò minus illis beneficijs frui poſſent. At corpus & ſanguis Chriſti pro hoc ſtatu, & uita noſtra ſunt res à nobis longiſſimè diſtantes. Quæ cum aliter, quàm per fidem attingi non poſsint, ea deſtitutus nunquam poteſt ad illa peruenire. Maximum ergo diſcrimen eſt inter corpus Chriſti, & illa beneficia, quæ Patribus conferebãtur in deſerto. Atq; hæc ita dicta ſint, quaſi ea, quæ dabantur Patribus, cum in deſerto uagarentur, non fuerint ſacramenta. Alterum autem, quod iſtum uelim cogitare, hoc eſt: Manna, & potum illum, qui dabatur Patribus in deſerto, fuiſſe re uera myſteria earundẽ rerum, quarum nunc nobis ſunt panis & uinum: uidelicet, corporis & ſanguinis domini. Cum ergo illa myſteria omnibus à deo data eſſent indifferenter, multi autem ex illis, re ipſa neglecta, externis tantùm, & uiſibilibus ſymbolis uentrem diſtenderẽt, ea cauſa illorum culpa à Paulo iuſtiſsimè amplificatur. Ita enim nos quoq; hodiè exprobrare poſſumus impijs, ipſorum tantùm uitio accidere, ut in ſacra Cœna nihil aliud accipiant, quàm panem & uinum. Dominum enim non minus illis, quàm pijs, & fidelibus mandaſſe, ut complecterentur uera fide corpus & ſanguinem ſuum. Non ergo friget collatio Auguſtini, ut iſte putat. Ipſius potius ſtrophæ, & ineptiæ, cum proferuntur in lucem, conglaciant. Nec Auguſtinus eleuat crimen Iudæ, ſed quantum poteſt aggrauat. Eum enim ait, cum rem externam in ultima illa Cœna domini, cum alijs Apoſtolis eandem accepiſſet, id, quod ea ſignificabatur, quodq; in primis ſpiritu, mente, ac fide accipiendum offerebatur, ſuo uitio neglexiſſe: quod nihil aliud erat, quàm prorſus à Chriſto deficere, ſuæq; ſalutis certiſsimam iacturam facere.

Sed operępretium eſt audire, quàm facilem, & expeditam interpretationem „ Auguſtini Inconſtantius afferat. Illi manducabant panem dominum: hoc eſt, in„ quit, ita manducabant, ut in cœleſti cibo agnoſcerent dominum, & profiteren„ tur, moribus adhærentes domino, & illum imitantes. Iudas uerò manducauit pa„ nem domini: hoc eſt, inquit, cibum cœleſtem, cuius ſubſtantia eſt dominus. Sed „ quia non agnouit ut dominum, ſed leuauit contrà eum calcaneum ſuum, notat „ Auguſtinus, effectum illius manducationis Iudæ fuiſſe exitium: quia bono ma„ lè uſus eſt, & ſe domini profeſſus eſt hoſtem: quod eſt eſſe contrà dominũ. Apo„ ſtoli ergo dominum manducantes, dominum ſequuti ſunt ad gloriam: Iudas do„ minum manducans, à domino receſsit ad condemnationem. Hæc ego ex noſtro Sophiſta ad uerbum bona fide adſcribere uolui: ut pius, & prudens Lector uideat, an ex iſtis tam denſis tenebris aliquid lucis poſsit elicere, aut aliquam interpretationem, quæ ad uerba illa Auguſtini, Panem dominum, & Panem domini,

significet ex instituto dei: utq; eius significatio ad res ueras, & certas referatur. Quod uerò hic adfertur ex Hilario, Id, quod uidetur, figuram esse: illud autem, quod interius, in ueritate creditur, esse ueritatem, nihil opus est, ut noua interpretatione explicetur: illud enim iam anteà suo loco exposuimus. Hilarius.

Quærit adhæc Inconstãtius, Si unus tantùm sit modus manducandi corporis Christi, quid necesse fuerit illum modum nota aliqua insigniri. Id enim, ait, uideri fieri, ut ille modus ab alio quodam modo distinguatur. Ego uerò respondeo, In sacramento, ut illud rectè, & cum fructu usurpetur, duplicem esse manducationem: alteram carnalem, alteram spiritualem: alteram signorum, alteram ueritatis. Non ergo mirum, si ea, quæ longè præstantior sit, & utilior, aliqua illustri nota ab altera discernatur. Frustrà ergo iste subiecit: Quod admonet, ut hæc manducatio spiritualiter fiat, ostendit eandem non spiritualiter posse fieri. Non ista ita profunda sunt, ut nobis uehementer opus sit Delio aliquo natatore. Idcir cò enim Augustinus hortatur, ut, qui accedunt ad Eucharistiam, comedant etiã spiritualiter: quòd fieri possit, ut multi externo tantùm usu symbolorum cõtenti abeant: internam autem corporis Christi perceptionem, quæ spiritu, & fide perficitur, nihil morentur. Hęc essent satis clara, & dilucida, nisi iste noster tenebras haberet in oculis, & nodum in scirpo quæreret.

OBIECTVM CCXXXVII.

OBIICITVR ex Augustino de uerbis Apostoli Serm. 1. Audiuimus ueracem magistrum, diuinum Redemptorem, humanum Saluatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum. Loquutus enim est de corpore, & sanguine suo: quod corpus dixit escam: sanguinem potum, sacramentum fidelium. Hic appellat escam corpus suum, & potum sanguinem suum.

GARDINERVS.

IMITATVS *est, & expresit adeò Augustinus Christi phrasin: qui dixit, Caro mea uerè est cibus: & sanguis meus uerè est potus.*

MARTYR.

RElinquamus Inconstantio ambages suas. Quod autem attinet ad ueram intelligẽtiam uerborum Augustini, cogitare debemus, Christum corpus suũ, & sanguinem bis commendasse: Primùm in ea oratione, quam habuit in sexto Iohannis ad Capernaitas: deinde in ultima illa Cœna, quam moriturus habuit cum Apostolis. In sexto Iohannis nihil aliud tradit, nisi simplicem, nudamq; doctrinam. Ait enim, corpus suum, & sanguinem, quæ daturus erat ad salutem humani generis, tanto fore usui fidelibus, quanto corpori nostro est cibus, & potus. Hoc autem genere sermonis ea solemus describere, quæ nobis sunt ad usum uitæ utilissima. Nam docti, & studiosi uiri solent literas, & sapientiam appellare cibum, & potum suum. Et insani amatores, qui depereũt speciosa corpora, aiunt se illorum aspectu pasci, & uiuere. Et dominus ipse ait Apostolis, se alium habere cibum ad manducandum, quem illi nescirent. Significabat autem uolũtatem patris sui, quam sibi esse ducebat pro uita. Ita corpus & sanguis Christi oblata in cruce pro salute nostra debent nobis esse in omnem uitam pro cibo, & potu. Ex illo enim iucundissimo pastu ducimus, & haurimus spiritualem, & æternam ui-

Christus corpus & sanguinem suum bis commendauit.

Nomine cibi & potus ea describimus, quæ sunt ad usum uitæ iucundissima & dulcissima.

uitam: bibe uitam, ad illud uidelicet spectant, quod Christus in sexto capite Iohannis appellat seipsum Panem uiuum, qui descenderit de cœlo: aitq; se uiuere propter Patrem; &, qui se manducauerit, uicturum esse propter se: quo in loco ambigi non potest, Christum de spirituali tantùm manducatione loquutum esse: quæ eiusmodi est, ut, & sola fide, ac spiritu perfici, & cum externo etiam symbolorum usu coniungi possit. Imò Sacramentum ipsum nõ rectè accipitur, nisi ubi
,, ad illud spiritualis etiam manducatio accesserit. Itaque Augustinus addidit:
,, Tunc autem id erit, ut uita cuiq; sit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacra-
,, mento uisibiliter sumitur, (id autem est signum, & figura rerum illarum) in ipsa
,, ueritate manducetur spiritualiter. Quod ait, In ipsa ueritate, id antithesin habet ad umbram, figuram, signum, & omninò ad id, quod attingitur, & apparet exterius. Quare hæc uerba Augustini ita apertè sententiã nostram confirmãt, ut prolixiori explicatione non sit opus.

,, Vanissimum uerò est, quod ex his uerbis iste putat se posse colligere, esse ali-
,, quos, qui ex Sacramento sumant uitam, fructum autem uitæ non sumant. Nam Sacramentum quidem uitæ accipere possunt impij: uitam autem ipsam non possunt. Stultum enim est cogitare, esse aliquem, qui cum potiatur uita, tamen non
,, uiuat. Falsum etiam est, quod ait, Mannam, cum esset figura, non dedisse uitam. Nam sancti patres, quicũq; uera fide uescebantur Manna in deserto, fruebantur eodẽ spirituali cibo, quo nos hodie: corpore, uidelicet, ipso Christi, quod illis in manna proponebatur. Et Christus in 6. Iohannis, cum diceret, illos comedisse manna in deserto, & tamen fuisse mortuos, non ea retulit ad fideles Iudæos, & pios, qui manna cum fructu comedissent: sed ad infideles, & impios, quorum mores & ingenia illi referebant, quibus cum tum loquebatur. Quare Manna, & panis Eucharistię, etsi externa specie plurimũ differant, in ratione tamen Sacramenti conueniunt, & in eo paria, & similia intelliguntur. Id quod & Paulus
,, ostendit, & Augustinus luculentissimè testatur. Verùm nugaretur Augusti-
,, nus, inquit Inconstantius, si boni tãtùm comederent corpus Christi. Imò tu potius nugaris, Inconstanti, idq; importunè, & impudenter: Augustinus autem & seriò, & prudenter loquitur. Docet enim, quinam illi sint, qui corpus Christi, & uitam sumant: eos autem esse ait, qui fide, & spiritu accipiunt id, quod in externo symbolo figuratur. Deinde hortatur fideles, ut utranq; manducationem, externam, internamq; inter se coniungant.

,, Quoniam autem Sophista & multum, & obscurè rixatur de loquutionibus
,, istis Augustini, Sumere in Sacramento: &, In ipsa ueritate comedere: ego, quid illæ sibi formulæ dicẽdi uelint, & dilucidè, & paucis exponam. Corpus Christi dicimus comedi in Sacramento, quatenùs ore corporis nostri symbolum eius externum comeditur: idq; non tantùm à pijs fieri potest, uerùm etiam ab impijs. In ipsa autem ueritate dicimus comedi corpus Christi, quãdo à sanctis uiris non tantùm symbola externo usu recipiuntur, sed etiam ipsum uerum Christi corpus spiritu, & fide comprehenditur. Cumq; actio hæc merè sit spiritualis, idcirco dicimus, Corpus Christi comedi spiritualiter. Illa ergo duo apud Augustinũ, In Sacramento, &, In ueritate, antitheta sunt. Signum enim & figuram cum re ipsa comparat. Non uideo equidem, quid dici possit apertius. Inconstantius
,, autem sic interpretatur, spiritualiter manducari, nihil aliud esse, quàm sumi ore
,, corporis, sub uisibili specie, obuolutum accidentibus panis, ipsum uerum, & re-
,, le corpus Christi. Sed nihil horum Augustino, ne dormienti quidem, in mentem uenit. Neque enim dicit, Corpus domini aut latere sub uisibili specie, aut obuolutum esse, atque uestitum accidentibus. Quòd si quæras, quænam sit cuiusq; Sacramenti ueritas, id ipsum respõdebo, quod dixi suprà, nimirùm ut uerè signi-

Quid sit corpus Christi in Sacramento comedi. Et illud idem in ueritate comedi.

Quæ sit cuiusque Sacramenti ueritas.

significet ex instituto dei: utq; eius significatio ad res ueras, & certas referatur. Quod uerò hic adfertur ex Hilario, Id, quod uidetur, figuram esse; illud autem, quod interius, in ueritate creditur, esse ueritatem, nihil opus est, ut noua interpretatione explicetur: illud enim iam anteà suo loco exposuimus. Hilarius.

Quærit adhæc Inconstãtius, Si unus tantùm sit modus manducandi corporis Christi, quid necesse fuerit illum modum nota aliqua insigniri. Id enim, ait, uideri fieri, ut ille modus ab alio quodam modo distinguatur. Ego uerò respondeo, In sacramento, ut illud rectè, & cum fructu usurpetur, duplicem esse manducationem: alteram carnalem, alteram spiritualem: alteram signorum, alteram ueritatis. Non ergo mirum, si ea, quæ longè præstantior sit, & utilior, aliqua illustri nota ab altera discernatur. Frustrà ergo iste subiecit: Quod admonet, ut hæc manducatio spiritualiter fiat, ostendit eandem non spiritualiter posse fieri. Non ista ita profunda sunt, ut nobis uehementer opus sit Delio aliquo natatore. Idcirco enim Augustinus hortatur, ut, qui accedunt ad Eucharistiam, comedant etiã spiritualiter: quòd fieri possit, ut multi externo tantùm usu symbolorum cõtenti abeant: internam autem corporis Christi perceptionem, quæ spiritu, & fide perficitur, nihil morentur. Hęc essent satis clara, & dilucida, nisi iste noster tenebras haberet in oculis, & nodum in scirpo quæreret.

OBIECTVM CCXXXVII.

OBIICITVR ex Augustino de uerbis Apostoli Serm. 1. Audiuimus ueracem magistrum, diuinum Redemptorem, humanum Saluatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum. Loquutus enim est de corpore, & sanguine suo: quod corpus dixit escam: sanguinem potum, sacramentum fidelium. Hic appellat escam corpus suum, & potum sanguinem suum.

GARDINERVS.

IMITATVS *est, & expressit adeò Augustinus Christi phrasin: qui dixit, Caro mea uerè est cibus: & sanguis meus uerè est potus.*

MARTYR.

RElinquamus Inconstantio ambages suas. Quod autem attinet ad ueram intelligẽtiam uerborum Augustini, cogitare debemus, Christum corpus suũ, & sanguinem bis commendasse: Primùm in ea oratione, quam habuit in sexto Iohannis ad Capernaitas: deinde in ultima illa Cœna, quam moriturus habuit cum Apostolis. In sexto Iohannis nihil aliud tradit, nisi simplicem, nudamq; doctrinam. Ait enim, corpus suum, & sanguinem, quæ daturus erat ad salutem humani generis, tanto fore usui fidelibus, quanto corpori nostro est cibus, & potus. Hoc autem genere sermonis ea solemus describere, quæ nobis sunt ad usum uitæ utilissima. Nam docti, & studiosi uiri solent literas, & sapientiam appellare cibum, & potum suum. Et insani amatores, qui depereũt speciosa corpora, aiunt se illorum aspectu pasci, & uiuere. Et dominus ipse ait Apostolis, se alium habere cibum ad manducandum, quem illi nescirent. Significabat autem uolũtatem patris sui, quam sibi esse ducebat pro uita. Ita corpus & sanguis Christi oblata in cruce pro salute nostra debent nobis esse in omnem uitam pro cibo, & potu. Ex illo enim iucundissimo pastu ducimus, & haurimus spiritualem, & æternam ui-

Christus corpus & sanguinem suum bis commendauit.

Nomine cibi & potus ea describimus, quæ sunt ad usum uitæ iucundissima & dulcissima.

Cicero. tam. Hoc genus ſermonis ne Ciceroni quidem diſplicuit. Is enim ſcribit alicubi ad amicum ſuum Atticum, ſe paſci bibliotheca Fauſti. Et in quæſtionibus Tuſculanis ait, philoſophiam eſſe ueriſsimum, & ſuauiſsimum paſtum animorum. Neq; uerò illud nos mouere debet, quod dominus ait: Caro mea uerè eſt cibus: aut, Sanguis meus uerè eſt potus. Aduerbium enim illud Verè ad præſtantiã re ferendum eſt: non, ut iſti putant, ad craſſam præſentiam.

Alter autem locus, quo Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum commendauit, eſt ille, quem aduerſarij noſtri ſemper iactant. Chriſtus enim in ultima Cœna de pane dixit, Hoc eſt corpus meum: & rurſus de calice, Hic eſt ſanguis meus. Sed re uera Chriſtus his uerbis nihil aliud ſignificare uoluit, quàm illud ipſum quod anteà docuerat in ſexto Iohannis: nempè, corpus ſuum, quod erat traditurus in crucem, fidelibus eſſe debere pro cibo: ſanguinẽq; pro uero putu, quo reficerentur ad æternam uitam. Ex his facilè colligere poteſt pius, & prudẽs Lector, quid illa uerba Auguſtini ſibi uelint: & quamobrem noſtri locum illum citare ſoleãt.

„ Verba Auguſtini ſic habent: Quod corpus dixit eſcam, ſanguinem potũ, ſacra-
„ mentum fidelium. Neq; id docet Auguſtinus, quod Inconſtantius illi affingit, nẽpè, ſubſtantiã illius cibi, & potus, qui traditur in myſterijs, eſſe corpus ipſum, & ſanguinem domini. Huius enim delirij ne ſpecies quidem ulla apparet in uerbis Auguſtini. Videat ergo iſte, unde nam tandem ea hauſerit. Neq; contrà nos quicquam facit, quòd Auguſtinus appellat Chriſtum Magiſtrum ueracem. Eſt enim non tantum uerax, ſed etiam ipſa ueritas. Neq; nos eum mentitũ dicimus, cum diceret, Corpus ſuum eſſe cibum, & ſanguinẽ ſuum eſſe potum. Illo enim cibo, & illo potu re ipſa alimur, & reficimur, cum uera fide cogitamus, illa pro noſtra ſalute fuiſſe oblata. Cum ergo Chriſtus iſta diceret, ueriſsimè dixit: & ſenſus intimus hominum ſpiritualium fert eius ueritati teſtimonium.

„ Quod autem iſte rurſus obijcit ad extremum, Chriſtum non figuram tan-
„ tùm dediſſe, aut ſignum, & ueternoſum, & putidum eſt, & iam à me plus millies refutatum. Quare cum hæc nihil aliud ſit, quàm mera, & inſana calumnia, à nobis non iniuria contemni debet. Quærat alios, in quos iſta congruant. Nam à noſtra doctrina lõgè ſunt aliena. Nos enim nec didicimus unquam, nec docuimus, Sacramentum nihil eſſe aliud, quàm nudam figuram.

OBIECTVM CCXXXVIII.

OBIICITVR ex Auguſtino. Aliud, inquit, uidetur: et aliud intelligitur. Quod uidetur ſpeciem habet corporalẽ: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Ergo ſenſui datur panis & uinum: intellectui autem datur gratia, & donum.

GARDINERVS.

QVOD *hic ait Auguſtinus, maximè conſonat Catholicæ ueritati: quæ hanc diſtinctionem probat, & ſequitur.*

MARTYR.

EST ſanè Inconſtantius in iaciendis conuitijs nimiùm aſsiduus, & diligens: in expendendis autem locis, & ſententijs Patrum, nimiùm remiſſus, & negligens. Locus iſte in Sermone Auguſtini, qui inſcribitur, ad infantes: quem, quò
„ magis intelligatur, integrum referre nõ grauabor: ſic habet. Quod ergo uidiſtis,
„ inquit, panis eſt, & calix: quod uobis etiam oculi renuntiant. Quod autem fides ueſtra

ueſtra poſtulat inſtruenda, Panis eſt corpus Chriſti: & Calix eſt ſanguis. Audiat iſta attente Inconſtantius, & conſideret, quantum illa Tranſubſtantiatioſti ſuæ faueant. Nam Auguſtinus apertè teſtatur, panem eſſe in Euchariſtia: illumq; ipſum panem appellat corpus Chriſti. Quod ſiue ad carnem ipſam domini pro nobis traditam, ſiue ad Eccleſiam, quæ etiã ipſa eſt corpus Chriſti, conſtatq; ex multis membris, referas, neutro modo poteſt uerum eſſe, niſi panem dicas ita nominari, & ſuo quodã modo eſſe corpus Chriſti. Sed addit Auguſtinus: Tertio die reſurrexit: quo die uoluit in cœlum aſcendere, illuc leuauit corpus ſuum: inde eſt uenturus ad iudicandos uiuos & mortuos: ibi eſt modò ſedens ad dextram patris. Quomodò eſt panis corpus eius? & calix, uel quod habet calix, quomodò eſt ſanguis eius? Iſta, fratres, ideò dicuntur Sacramenta, quia in illis aliud uidetur, aliud intelligitur. Quod uidetur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Corpus ergo Chriſti ſi uis intelligere, audi Apoſtolum dicentem fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra, myſterium ueſtrũ in menſa poſitum eſt: myſterium domini accipitis, ad quod eſtis, Amen reſpõdetis, & reſpondendo ſubſcribitis. Audis ergo corpus Chriſti, & reſpondes, Amen. Eſto membrum corporis Chriſti, ut uerum ſit Amen tuum. Quare ergo in pane? Nihil hic de noſtro afferamus. Ipſum Apoſtolum item audiamus. Cum ergo de iſto Sacramento loqueretur, ait, Vnus panis, unum corpus multi ſumus. Intelligite & gaudete. Non potuit Auguſtinus expreſſius, aut dilucidius oſtendere, commentitiam iſtam præſentiam realem in ſymbolis non eſſe neceſſariã. Cum enim dixiſſet, Dominum die Aſcenſionis corpus ſuum ſubduxiſſe in cœlum, & quod ad illud attinet, ibi iam eſſe, & ſedere ad dextrã dei patris, & poſtremò inde uẽturum ad extremum iudicium, propoſuit ſibi quæſtionem: &, Quomodo ergo, inquit, eſt panis corpus eius? &, Id quod eſt in calice, quomodò eſt ſanguis eius? Nõ reſpondet, per Tranſubſtantiationem. Eam enim excluſerat, cum diceret, Quod uidiſtis, panis eſt; cumq; panem illum eiuſmodi eſſe deſcriberet, qui cõſtaret ex multis granis. Nec reſpondet, id fieri per realem, & inuiſibilem præſentiam. Tantum ait, Panem eſſe corpus Chriſti modo quodam ſacramentali, hoc eſt, per ſignificationem. Proprium enim eſt ſacramentorum, aliquid ſignificare. Itaq; pulcherrimè ſubiecit: In illis aliud uidetur, aliud intelligitur. Quoq; magis intelligamus, non requiri realem, & ſubſtantialem præſentiam earum rerum, quæ ſignificantur in ſymbolis, confert ſe ad Apoſtolum Paulum. Is aũt ita ſcribit, Vos eſtis corpus Chriſti. Quis autem nõ uidet, quomodò ſocietas, & cœtus Eccleſiæ ſit in ſymbolis Euchariſtiæ? Non ſanè alio modo, niſi quòd ea in illis ſignificet.

Nota hæc Auguſtini uerba.

Sed cur, inquies, non reſpondit Auguſtinus iſta de ipſo Chriſti corpore? De illo enim mota quæſtio eſt, non autẽ de corpore myſtico. Reſpondeo: Quoniam in eo, quod erat apertius, & notius, id docere uoluit, quod uidebatur obſcurius. Quiuis enim de ſe ipſo facilè poteſt intelligere, quomodò ſit in Euchariſtia. Omnes enim, ut Paulus ait, ſumus unus panis: quoniam uno illo pane ſignificamur. Cumq; nos ipſi ab Apoſtolo appellemur corpus Chriſti, panis etiam ille ſymbolicus, qui nos ſignificat, non immeritò noſtra appellatione, ac nomine uocat corpus Chriſti. Atq; ita liberatur Auguſtini fides, quòd alibi dixerit, panẽ figuram, & ſignum eſſe Chriſti corporis, Corporis, inquam, quod ad rem ipſam, & ſubſtantiã attinet, abſentis. Panis ergo Euchariſtiæ ſuo modo & eſt, & dicitur utrũque corpus Chriſti: uidelicet, & naturale, & myſticum: non per realem præſentiam, ſed per ſignificationẽ, & modũ ſacramẽtalem. Hæc de loco illo Auguſtini.

Panis Euchariſtiæ ſuo modo eſt et dicitur utrunq; corpus Chriſti, myſticũ & naturale.

Nunc uenio ad cauillos Inconſtantij. Quod Auguſtinus ait, Id, quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem, Inconſtantius exponit ad hunc modum: Fru-

„ ctum confert spiritualem. Sed respondeat mihi, quid'nam illud sit, quod intelligi
„ tur. Non dicet, opinor, symbola: nam ea uidẽtur. Supereſt ergo, ut dicat, corpus
„ Christi. Ergo corpus Christi est id, quod fructum confert. Sed cur corpus Christi
„ à nobis creditum, & fide comprehensum non potest æquè habere fructum, atq;
„ abditum sub accidentibus? Verùm, hoc quicquid est, mittamus. Addit, nos
„ ex hoc loco malè colligere, soli intellectui exhiberi gratiam & donum. Christum
„ enim ait hoc Sacramento reficere uoluisse totũ hominem. Primùm respondeo,
„ in nostra Conclusione nõ haberi, gratiam & donum soli dari intellectui. Vocem
illam, Soli, Inconstantius, ut solet, addere uoluit de suo, ut sua copia rationem no
stram corrumperet. Neq; enim latere illum potuit, dictum à nobis esse millies,
usum Eucharistiæ ad totum hominem pertinere: & hominem totũ per illam refi
ci & instaurari. Initium autem fieri à fide & spiritu, non à dentibus & corpore.
Primum enim dicimus, animum nostrum sanctificari fide, cũ illa corpus & san-
guinem domini arctissimo complexu comprehendat. Deinde à spiritu, atq; ani-
mo uis quædam diuina, & gratia, & donum redundat ad instaurandum corpus:
quo illud efficiatur templum dei, & idoneum instrumentum spiritus sancti. Cum

Adituscorporis Christi ad animum, nõ est per os & dẽtes corporis.

nos ista ubiq; doceamus, quomodò insimulamur ab isto, quasi qui uelimus, gra-
tiam, & donum ad intellectũ solum pertinere? Illud nos constanter affirmamus,
aditum carnis Christi ad animum nostrũ non proficiscí ab ore nostri corporis:
quod iste cũ crassa illa sua & reali mãducatione studet, quantũ potest, cõfirmare.

Adhuc etiã importunè, & odiosè cauillatur, nos perperam ex illis uerbis con
cludere, panem & uinum dari sensui. Nam Augustinum ait mentionem tantùm
„ facere de usu. Ita enim iste subiecit: Sed expendamus uerba huius illationis. Er-
„ go sensui, inquit, datur panis & uinum. Quid hic sibi uult? An quoniã solis ocu-
„ lis uidetur, secundum Augustinũ, intelligemus etiam solis oculis dari, quod da-
„ tur? aut solis oculis exhibitus putabitur panis & uini usus? Augustinus enim de
„ alio sensu hic non loquitur. Non errore hic labitur Inconstantius, quod condo
nari aliquo modo posset, sed furore. Sciens enim & prudens ueritatem peruer-

Sensus uidendi sæpè alijs applicatur sensibus.

tit. Neq; enim nescit, sensum uidendi apud optimos scriptores latius multò pa-
tere, quàm ad usum oculorum. Nam de sono dicimus, Vide, quàm hæc sit con-
sonans, & suauis harmonia: de sapore dicimus, Vide, quàm hoc uinũ dulce sit.
Et Christus Apostolis suis ait, Palpate, & uidete: spiritus carnem, & ossa non ha-
bet. Quod ergo Augustinus dicit, Id, quod uidetur, speciem habet corporalem,
si sententiam eius spectare potius, quàm nugari uolumus, nõ incommodè & ad
„ gustum, & ad tactum, & ad olfactũ transferri potest. Neq; ridiculum est, ut ille
„ uideri uult, quod dicimus aliquid dari sensui, aut intellectui, quod alioqui totius
„ hominis causa paratum sit. Neq; enim dubitamus, ut diximus, fructum huius
Sacramenti ad totum hominem redundare. Eius tamen altera pars, ea uidelicet
quæ significatur, animo tantum potest comprehendi; altera uerò, quæ signifi-
cat, sensu atq; ore corporis.

OBIECTVM CCXXXIX.

OBIICITVR ex Augustino contra Maximinum lib. 3. cap. 22. In Sacramentis, non quid sint, sed quid ostendant, attenditur. Quoniam signa sunt rerum aliud significantia, & aliud existentia. Augustinus ergo non abhorret ab hac uoce: sed ponit significationem corporis Christi in hoc Sacramento.

GAR.

GARDINERVS.

AVGVSTINVS *enarrans uerba Iohannis de aqua, sanguine, & spiritu, quæ quoniam mysterium Trinitatis nobis insinuant, Sacramenta uocat, quasi rerum sacrarum significatiua indicia, &c.*

MARTYR.

INconstantius pro suo more, & ingenio cauillatur, & nos quodammodò falsi arguit, quòd hæc uerba Augustini horribili scelere mouerimus suo loco, eaq; artificio sophistico aptemus ad calumniam. Interpretabatur, inquit, Augustinus uerba Iohannis de aqua, sanguine, & spiritu: quæ, quoniam insinuant nobis mysterium Trinitatis, uocat sacramenta, quasi rerum sacrarum significatiua indicia, quomodò uerbum illud sacramenti, à plærisq; usurpatur. Atq; ita demùm subdit: Hæc enim sacramenta sunt, in quibus, non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significantia. Hæc Inconstantius, eaq; magno etiam animo, ac spiritu. Sed tamẽ in arcem ipsam causæ nõ inuasit. Nos enim fatemur, Augustinum egisse eo loco de aqua, sanguine, & spiritu. Sed interea dicimus, eum adiunxisse uerissimam, & certissimam regulam de sacramentis. Ita enim confecit argumentum: Sacramenta ita se habent, ut in illis, non quid sint, attendere debeamus, sed quid significent: signa enim sunt rerum aliud existentia, aliud significantia. Hæc autem tria, Aqua, Sanguis, & Spiritus sunt sacramenta: Ergo in illis, non quid sint, spectandum est, sed quid significent, & ostendant. Hic neget Inconstantius, si potest, priorem propositionem uniuersalem esse: & eadem opera totam rationem Augustini euertet. Quod si illa propositio est, quod negari non potest, uniuersalis, quemadmodum Augustinus eam in minori contraxit ad aquam, sanguinem, & spiritum, ita nos eam contrahere possumus ad Eucharistiam

Augustinus describit naturam sacramentorum.

Quare aut neget Inconstantius, Eucharistiam esse sacramentum, aut nos, præsertim tam acriter, tantaq; cum uociferatione, ac rabie, aliquandò desinat accusare: nisi fortasse inficiari uelit, eam esse naturam sacramentorum, quam Augustinus describit. Quod ego idcircò dico, quòd iste, cum dixisset, Quasi sacramenta rerum sacrarum significatiua indicia sint, illico subiecerit, Quomodò sacramenti uerbum à plærisq; usurpatur. Nã istis uerbis uidetur mihi suspicionem iniicere uoluisse, esse nonnullos, qui de Sacramentis aliter sentiant. At si qui sunt huiusmodi, cur ille tandem eos non nominat? Aut si ista ratio sacramentorũ non placuit, cur ille non attulit meliorem? Aut cur rationem istam ab Augustino positam non refutauit? Nam nos quidem interea donec alia melior afferatur, istam ipsam, quam uidemus non displicuisse Augustino, sequi, & retinere nõ pigebit.

OBIECTVM CCXL.

OBIICITVR ex Augustino de Trinitate lib. 3. cap. 4. Apostolus, inquit, potuit significando prædicare dominum Iesum, aliter per linguam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis & sanguinis eius.

GARDINERVS.

RECTE *dicit Augustinus, aliter prædicari significando per sacramentum corporis & sanguinis Iesum.*

VT melius, quid sibi Augustinus uoluerit intelligamus, operæpretiũ erit ea uerba recitare, quæ illum locũ proximè consequuntur. Nec linguã quippe, inquit, eius, nec mẽbranas, nec atramentũ, nec significãtes sonos linguę editos, nec signa literarũ cõscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus: sed illud tantùm, qd ex fructibus terræ acceptũ, & prece mystica consecratũ ritè sumimus ad salutẽ spirituale, in memoriã pro nobis dominicæ passionis: quod cũ per manus hominũ ad illam uisibilẽ speciẽ perducitur, nõ sanctificatur, ut sit tã magnũ sacramentũ, nisi operante inuisibiliter spiritu dei. Volebat hoc loco Augustinus ostendere, Deum Opt. max. pro suo arbitratu posse signa quædam uisibilia, quibus ipse significetur, & quodammodò ostendatur, & in cœlo, & in terra, & in mari constituere. Id autem probat à minori. Nam Paulus, inquit, diuerso, & dispari genere signorum potuit eundem, & unum Iesum Christum significare, uidelicet, lingua, literis, & sacramento Eucharistiæ. His iste uerbis, ut est constans, ait suam causam non attingi: quòd iam tandem aliquando fateatur, hoc sacramento significari corpus Christi, quod anteà nullo modo audire potuit.

Sed addit, Corpus Christi, quod significatur, adesse etiam ibi uera, & reali præsentia. Nec Augustinus, inquit, ista sua enumeratione plurium, quę rem eandem significent, ea omnia significationis ui facit paria: sed suum cuiq; relinquit modum. Iste fucus prima fronte uideri possit non malus: re autem uera tanta species nihil intus habet solidi. Augustinus ait, Christum ipsum significari editis à Paulo sonis, & characteribus literarum consignatis in membrana: nihil tamen horum dici corpus & sanguinem Christi, nisi illud solum, quod ex fructibus terræ acceptum sit, & prece mystica consecratum, quodq; sanctificetur, ut sit tam magnum sacramentũ, operante inuisibiliter spiritu dei. Dic sodes, Inconstantiam tuam sequi, habuisset in promptu responsionem: Quoniã in illis rebus corpus Christi non adest præsens realiter: adest autem in Eucharistia. At ille nihil tale comminiscitur. Sed quoniam, inquit, iste panis, qui ex terræ fructibus acceptus est, quando prece mystica consecratur, & sanctificatur, fit tam magnum sacramentum: ac si diceret, Idcircò istud tertium appellatur corpus Christi, quòd sit eius corporis sacramentũ. Id aliud nihil est, quàm quod nos ubiq; inculcamus.

Inconstantius autem in istis uerbis aliud etiam quiddam habet, quod uelim ab eo diligenter annotari. Augustinus enim ait, illud, quod acceptum sit ex frugibus terræ, consecrari, & sanctificari: non autem ait illud transubstãtiari: in qua una re isti religionem, & pietatem omnem collocant. Sed illud omitto; idq; potius urgeo: Hoc tertium uocari corpus Christi, cum alia illa duo non uocentur: ut iste intelligat, Augustinum nõ mouisse quæstionem de præsentia, sed tantùm de appellatione. Placuit Christo illud tertium uocare corpus suum: quam illi appellationem nec uocibus, nec literis usquam tribuit. Idq; pro suo arbitratu facere potuit. Et nos eius factum libenter imitamur. De paritate autem, aut disparitate significationis hoc loco nihil disputo. Video enim in Eucharistia, non tantùm audibile uerbum esse, quo significetur corpus Christi, sed etiam eiusmodi, quod uideri, olfieri, tangi, gustari possit.

OBIECTVM CCXLI.

OBIICITVR ex Augustino de Catechizãdis rudibus. De Sacramẽto quidem, quod accepit, signacula quidẽ rerũ diuinarũ esse uisibilia: sed res ipsas inuisibiles in eis honorari.

GAR

GARDINERVS.

HAEC *uerba conſentiunt Catholicæ fidei, quæ fatetur uiſibilia elementorum in Sacramentis ſigna, eſſe ſignacula, figuras, ſymbola rerum diuinarum.*

MARTYR.

NOn grauabor, ne huic quidem ſententiæ Auguſtini, id addere, quod ſequitur. Iſte enim ſententias eas, quas nos citamus ex patribus, mutilas & truncatas proponit: ſæpeq; id, in quo hærebat neruus argumenti, uel abſcondit, uel amputat. Verba Auguſtini, quæ ſequuntur, hæc ſunt: Nec ſic habendam eſſe illam ſpeciem benedictione conſecratam, quemadmodũ habetur in uſu quolibet; dicendum etiã, quid ſignificet & ſermo ille, quem audiuit: quid in illo credatur, cuius illa res ſimilitudinem gerit. In iſtis paucis uerbis Auguſtinus tradit rudibus Catechizandis utiliſſimam doctrinam de Sacramẽtis. Oſtendit enim eſſe in illis quandam rerum diuinarum ſimilitudinem: nempè, quæ res diuinas, & inuiſibiles oſtendat. Et addit, honorem illum, qui uidetur impendi Sacramentis, non ad illa redire, ſed ad res eas, quæ in illis ſignificãtur. Id aũt & uerum eſt, & ab humana ſimilitudine non alienum. Solent enim homines Regem ſuum etiam in ſigillis & literis uenerari: quòd ea ſciant ab illo profecta eſſe. Huc addit Auguſtinus, ſpeciem, ſiue partem Sacramenti uiſibilem benedictione iam ſanctificatam, non eo loco habendã eſſe, quo alioqui in alijs uitæ uſibus haberi ſolet. Poſtquam enim uerbum ſemel acceſſit ad elementum, iam illa ſpecies, & natura uiſibilis, non eſt amplius communis aqua, aut panis communis, aut commune uinũ, ſed Baptiſmi, aut Euchariſtiæ Sacramentũ. His uerbis reprimuntur noſtri mafityges, qui perpetuò impudenter clamant, nos in myſterijs nudas tantùm figuras conſtituere. Si figuras eas nudas eſſe putant, in quibus non ſit realis præſentia corporis Chriſti, agnoſcimus, ſententiã iſtam eſſe noſtram. Cumq; ea & cum diuinis literis, & cum ueritate humanæ naturę in Chriſto conſentiat, nos eius pudere non debet. At ſi ita interpretantur figuras nudas, ut nihil aliud ſint, quàm ſtatuæ, aut picturæ, aut inſignia hominum nobilium, nos huiuſmodi figuras in Sacramẽtis deteſtamur. Agnoſcimus enim, ſpecies illas, & naturas uiſibiles iam uerbo & inſtituto dei conſecratas eſſe, easq; tanquam inſtrumenta quædam, atq; organa ſpiritus ſancti in honore etiam habemus: fatemurq; ea nobis adminicula quædam eſſe ad ſalutem conſtituta.

Vtiliſſima doctrina de Sacramentis.

Adhæc Auguſtinus hoc quoq; uult indicari Rudibus, quid ſermo ille ſignificet, quem audiuerint. Loquitur autem de uerbo illo dei, quo miniſtri utuntur ad ſanctificanda Sacramenta. Addit enim, Cuius illa res ſimilitudinẽ gerit. Et ſanè is, qui adhuc initiandus ſit fide, nunquã intelliget, quid pars illa myſterij uiſibilis nobis referat, niſi audiat & intelligat ea uerba, quę uulgò appellantur hodiè forma Sacramenti. Symbola enim illa externa gerũt ſimilitudinem earum rerũ, quæ illis uerbis ſignificantur. Cogitet nunc ſecum Inconſtantius, quid hodiè grex uniuerſus Papiſtarũ faciat. Certè illi uerba ea ne audiri quidem uolunt à populo: tantũ abeſt, ut interpretari ea uelint adſtantibus. Hoc etiã cogitet, Auguſtinum id hic diſertè affirmare, quod ipſe tantopere, tãtoq; cum faſtidio auerſatur: nimirùm, Sacramenta eſſe ſimilitudines, & ſignacula rerũ diuinarum. Sed addit noſter, in Euchariſtia rem ipſam adeſſe præſentem, idq;, ut ait, ſubſtantialiter. Hoc ille quidem dicit: Auguſtinus autem certè non dicit. Imò ne auderet quidem dicere, Accidentia ſine ſubiecto eſſe ſimilitudinem illam, de qua nunc agitur: aut, Corpus Chriſti illis uerbis, quæ recitantur, ſanctificari. Id quod uerba ipſa, quæ iam citata ſunt de Sacramento, affirmant.

Sacramẽta ſunt ſimilitudines et ſignacula rerũ diuinarum.

OBIECTVM CCXLII.

OBIICITVR ex Augustino de Ciuitate dei lib. 10. ca. 5. Sacrificium, inquit, uisibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, hoc est, Sacrum signum est.

GARDINERVS.

IN *hoc argumento manifesta uis est, Augustinus enim sentit, sacrificia Veteris Legis fuisse umbras sacrificiorum Legis nouæ.*

MARTYR.

„ COntendit, hunc locum nihil ad præsentem causam pertinere. Ibi enim Au-
„ gustinum loqui de sacrificijs Veteris Legis. Id nos satis etiam anteà uide-
bamus. Sed meminisse oportuit Inconstantium iuxta Augustini sentẽtiam, quæ ex his uerbis colligitur, Sacramenta ueteris & nouæ Legis, quod ad rem significatam attinet, esse paria: etsi materia, siue pars uisibilis in illis dispar sit: & illa quidem rem futuram prænuntiauerint, nostra autem commemorent rem præteritã. Semper etiam hoc fassi sumus, nostra Sacramenta in significando apertiora & clariora esse: quod etiam Augustinus docuit. Sed cum in eis, quod ad illud attinet, quod est in Sacramentis potissimum, similitudo sit, & paritas, quod Apostolus luculentissimè docet in priori ad Corinthios, nos nihil erramus, si, quod Augustinus hic tradidit de ueteribus Sacramentis, transferamus ad noua. Et, ne hoc Lectorem fortè fugiat, moneo, uerba ista Augustini in istis duabus, aut tribus Obiectionibus proximis eò tantùm spectare, ut illud fundamentum ueritatis mum doctrinæ nostræ confirment: Sacramenta nobis esse data, ut signa, sigilla, similitudines rerum diuinarum & cœlestium promissionum: quam docendi formam aduersarij nostri in Eucharistia ualdè detestantur: quamuis eam interdum cogantur uel inuiti recipere. Ita tamen eam recipiunt, ut rem ipsam, hoc est, corpus & sanguinem Christi, in Eucharistia præsentem esse uelint. Verùm hæc testimonia satis probabiliter conuincunt, talem præsentiam non esse cum signis sacramentalibus copulandam: quod satis liquere potest, si quis ea singula expenderit.

OBIECTVM CCXLIII.

OBIICITVR ex Augustino in epistola ad Dardanum: ubi pluribus agit de Veritate humanæ naturæ in Christo. Et ne animæ quidem Christi tribuit, ut possit esse in multis locis: multò minus corpori: nam animam Christi ait, cum descendisset ad inferos, non fuisse eodem tempore in cœlo.

GARDINERVS.

NON *est ausus Augustinus in re tanta quicquam asserere citra scripturæ testimonium.*

MARTYR.

„ VIdetur sibi iste noster huic loco bellissimè satisfacere, quòd fingat, Augusti-
„ num in re tanta nihil uoluisse constituere sine testimonio scripturarum. Ar-
„ ticulum, inquit, fidei de descẽsu ad inferos, ubi animã Christi secundũ scripturas
„ tũ fuisse definiebat, cẽsuit propugnandũ & tuendũ: sed qn alibi tamẽ, & in cœlo esse

esse potuisset, si de anima sua tũ in cœlo futura Christus prædixisset, quemadmodum de corpore in mysterio dixit, non ausus fuisset Augustinus uerbo Christi se opponere. Hæc Inconstantius. Verùm si Augustinus pronuntiare noluit rem tantam, scilicet, animam Christi simul fuisse, uel etiam simul esse potuisse in multis locis, rectè, atq; ordine fecit. Cauere enim uoluit, ne rem falsam, & ab Ecclesia explosam affirmaret. Satis enim sciebat, animam humanam non posse simul esse in pluribus locis. Neque ignorabat Basilium, & Didymum id etiam Angelis denegasse.

Atqui, inquit iste, si Augustinus habuisset uerbum Christi, quo ille promisisset, animam suam futuram eodem tempore, & apud inferos, & in cœlis, nunquã ausus fuisset se opponere. Imò eadem illa de re uidebatur habere uerbũ Christi, quod ille Latroni dixerat, Hodiè mecum eris in Paradiso. Quid illum oportuit ita se torquere, & totum illud referre ad naturam diuinam? Multò illi facilius, & promptius fuit ita potius respondere: Corpus, & animam Christi, etsi illud esset in sepulchro, hęc autem descenderit ad inferos, tamen eodem tempore fuisse etiã in Paradiso: neq;, ut isti arbitrantur, quicquam dixisset absurdi. Verùm Augustinus prudentissimus, & doctissimus Pater id affirmare noluit, quod uideret nõ posse fieri: quodq; homines sobrios non dubitaret repudiaturos. Potius inuestigare uoluit, ecquonam alio pio, & sano sensu uerba illa Christi ad Latronem possent intelligi. Atq; huius prudentię utinam in istis, qui nobis perpetuò reclamãt, aliqua uel tenuissima particula resideret. Illi enim temerè sine ullo uerbo dei, audacissimè affirmant, corpus Christi & in cœlo esse, & in terris, idq; infinitis in locis eodem tempore.

At habemus, inquiunt, ea de re uerbum dei. Quodnã tandem obsecro? Istud, uidelicet: Hoc est corpus meum. Verùm & Augustinus illud idem uerbum habuit, sciuitq; si propter ipsum euinceretur corpus Christi esse præsens in diuersis locis, animam quoq; dandam esse præsentem: nisi fingere uelimus corpus in Eucharistia poni à nobis exanimæ ac mortuum. Non ergo cogebat illum hoc uerbum quod uos habere iactatis. Atqui debueratis Augustini exẽplo diligentius, & prudentius consyderare, utrum illa uerba possint aliter melius intelligi, quàm ut commenta ita absurda, & prodigiosa tam confidẽter statueretis. Docet enim uos Augustinus, docent alij Patres plærique omnes, panem & uinum esse typos, figuras, similitudines corporis & sanguinis domini. Sed uos ad uerba scripturarum, & sanctorum Patrum sanam doctrinam iam olim obduruistis: neq; in religione aliud quicquam, quàm uestra quærítis.

OBIECTVM CCXLIIII.

OBIICITVR ex Augustino in Iohan. tractatu 25. Quid, inquit, paras dentem, & uentrem? Crede & manducasti.

GARDINERVS.

NON *tractat hoc loco Eucharistiæ mysterium: quam Eucharistiã, & de altari sumi, & ore excipi confitentur Patres.*

MARTYR.

HIc Inconstantius de more suo tergiuersatur. Primùm enim fingit, Augustinum non retulisse uerba illa ad Eucharistiam. Nec tamen interea ostendit, ad quam rem aliam ea retulerit. Certum quidem est, dominum in illo loco apud

Iohannem instituisse sermonem de corpore suo comedendo. Ait enim, se daturum panem de cœlo, & cibum, qui non esset periturus. Deinde addit de se ipso, Ego sum panis ille uiuus, qui descẽdi de cœlo: &, Caro mea uerè est cibus: & sanguis meus uerè est potus. Quòd si ista ad Eucharistiam ita nihil faciunt, cur ipse Inconstãtius, unà cum suis omnibus semper obijcit nobis illud, Panis, quem ego dabo, caro mea est. Quare uel fateatur, se ista dicere extra oleas, uel concedat, illa uerba Christi in sexto Iohannis ad Eucharistiam pertinere. Nam si ipsi in Eucharistia uolunt comedi corpus Christi, & negare nõ possunt, Christum in illo loco egisse de comedenda carne sua, necesse est, ut concedant, ea, quæ Christus ibi loquitur, quæq; ex illis uerbis interpretes colligunt, spectare ad Eucharistiã. Imò Iohannes ipse Euangelista idcircò mysteriũ Cœnæ in ultima Euangelij sui parte non attigit, quod crederet, se ea de re in sexto capite satis abundè tradidisse.

Gratianus. Ad hæc Inconstantius sua ista fictione, nescio quomodo, etiam Gratiani sui Decretis aduersatur. Is enim de Consecr. dist. 2. cap. Vt quid: hæc ipsa uerba Augustini exponit de Eucharistia. Sed fortassis iste cum ista scriberet, Papam, eiusq; Decreta non admodum curabat. Nam sub Henrico Rege Angliæ, eius nominis octauo, non solum unà cum alijs omnibus eius Regni Episcopis à Papa defecerat, sed etiam in eum acerbissimè scripserat. Verum esto, Decreta illa Paparum suorum negligat: quæ nos quoq; iure optimo contemnimus. Quid Cy-

Cyprianus. priano respondebit? Nam ille in Sermone de Cœna Domini scribit ad hunc modum: Hæc quoties agimus, nõ dentes ad mordendum acuimus: sed fide sincera panem sanctum frangimus. Ad huius Martyris dicta Augustinus haud dubiè sententiam suam conformauit. Sed mirum uideri non debet, si Inconstantius cum istis omnibus pugnare uelit. Hoc enim loco, quæ eius est constantia, secum ipse pugnat. Nam si hæc uerba, quemadmodũ præfatus est, nihil faciũt ad Eucharistiam, quid eum oportuit statim subijcere, Hęc dici homini carnali, & animali, qui putet se defungi dentibus, & ad Eucharistiam, tanquã reliquos cibos commoliturus accedat. Si Augustinus ista nõ loquitur de Eucharistia, cur iste dicit, ea scribi hominibus carnalibus, qui putent se non aliter commolituros esse dentibus Eucharistiam, quàm alios cibos?

Postea ait, si ea uerba omninò pertinere debeant ad Sacramentum, tamen illorum hanc esse significationem, ut fideles moneantur, illam manducationem, non ad saturitatem facere, sed ad sanctimoniam: & omninò in hoc negotio primas, uel potius unicas partes esse fidei, si ea cũ corporis officio conferatur: quod tamen officium corporis non sit prorsus excludendum. Nam Christum ait usum simili dicendi forma, cum diceret, Væ uobis Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentam, & anetum. Eum enim non reprehendere illos, quòd ista facerent, sed quòd in istis occupati relinquerent grauiora. Ita si accedentes ad Eucharistiam studioſè parent, & ornent corpus, animi autem cultum negligant, ait illis meritò dici posse, Quid paras dentem, & uentrem? Crede, & manducasti. Hæc Inconstantius ea, qua solet, confidentia. Sed ille cogitare debet, Augustinum quoq; uidisse, in Sacra Cœna requiri officium corporis: nam symbola sine eo nõ possunt percipi. Quoniã autem eo in loco de rei significatæ, hoc est, de Corporis Christi manducatione agebatur, ad quod nec uenter nec dentes possunt pertingere, idcircò congruè, & uerè dixit, Quid paras dentem, & uentrem? Crede & manducasti. Hæc enim uerba non pertinent ad externum elementum, in quo uentris, & dentiũ officia sunt necessaria, sed ad ipsum Corpus Christi. Neq; nos unquã ita stupidi eramus, ut à sacra Cœna oris, uentris, & dentium officium excludere mus. Scimus enim utrunq; esse mandatum domini: & ut ore uescamur externis symbolis: & ut fide & spiritu comedamus uerum ipsius corpus. Quæ cum

ita

ita sint, Tropum istum Inconstantij, quo fingit, Augustinũ tantùm per collationem potioris excludere dentes, & uentrem, ut ineptum, & minimè necessarium repudiamus.

Deinde argutatur, Augustinum nõ temerè dixisse præterito tempore, Manducasti: ea enim uoce illum indicare uoluisse dignã, ut ait, manducationis perfectionem. Verum quidem est, ita demum perfici, & omnibus numeris impleri sacram Cœnam, si manducatio fidei spiritualis cum externa corporis manducatione coniungatur. Sed externa manducatio ad illam rem, quam tum Augustinus habebat præ manibus, nihil fecit. Ibi enim, uti iam exposui, tantum de re significata loquebatur. Et Christus eo loco populũ docere uoluit de manducanda carne sua: symbola uerò, & externam manducationem nondum instituerat. Præterea autem Inconstantius uerbum illud, Credere, apud Augustinum interpretatur, probare se ipsum: nimirùm, ut quisque animo expiato à peccatis accedat ad sacrã cœnam. Hoc quidem ipsum per se mihi non displicet. Id enim in primis curandum est. Sed Christus in sexto Iohannis, cum à Iudæis requireret fidem, & Augustinus, cũ diceret, Crede, & manducasti: de uera fide in Christum loquebantur: hoc autem genus probationis non spectabant. Agebatur enim contra hypocritas, qui uideri uolebant, teneri magno studio ueri illius & uiui panis: cum tamen interim in Christum, qui uerè fuit ille panis, nõ crederent. Sed mirum non est, si Inconstantius ueram, & propriam fidem clausis oculis præterierit. Ita enim illi semper fuit parùm propitius, ut ne Iustificationem quidem illi uoluerit unquam tribuere. Quoniam autem ista ad præsentem quæstionẽ non faciunt, idcircò ea hoc tempore non persequar pluribus.

OBIECTVM CCXLV.

OBIICITVR ex Leone ex epistola ad Clerũ & plebem Constantinopolitanam. Ait, hanc distributionem esse mysticam, & alimoniam spiritualem, & nos accipere cœlestem uirtutem, ut transeamus in carnem Christi: qui pro nobis accepit carnem nostram.

GARDINERVS.

HIC *Leo est, qui & sanctissimus, & eruditissimus habitus est: quiq; de Eucharistia scripsit, ut sequitur.*

MARTYR.

NE quis errare possit, uerba ipsa Leonis, ut habentur in eius epistola, plena, & integra describam. In omnium, inquit, ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis ueritas corporis & sanguinis Christi inter communis Sacramenta fidei taceatur. Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ, hoc impertitur, hoc sumitur, ut accipientes uirtutem cœlestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. Notat nos aterrimo dente Inconstantius: ut quos dicat iacere in tenebris ignorantiæ: quiq; præ desidia nõ intelligamus ea, quæ audiuerimus: nec ex lectione uideamus ea, quæ in Ecclesia ita sunt in ore omnium, ut ne ab infantium quidem linguis taceantur. Et quæ'nam tandem, obsecro, ista sunt, Inconstanti, ita cognita ipsis etiam pueris in Ecclesia, quæ nos uidere & scire nequeamus? Veritas, inquit, corporis & sanguis Christi: quæ inter communis Sacramenta fidei omnium ore consono prædicatur. Rectè. Sed

an nos inficiati unquam sumus, Christum habuisse uerum corpus, & uerum sanguinem? Imò semper diximus, & docuimus dominum nostrum ita uerum corpus habere, & ita uerũ sanguinem, ut eũ q̃ quidem ad illa attinet, oporteat esse in certo loco: nec simul & in cœlo, & in terra, & in locis innumerabilibus esse possit: quòd illud cum ueritate humanæ naturæ ex diametro pugnet. Atq̃ hãc ipsam ueritatem Leo clero & plebi Constantinopolitanæ inculcat contra Eutychetem. Inter alias autem rationes, quibus confirmat, Christum habuisse uerum corpus & uerum sanguinem, hanc etiam habet ductam à Sacramento Eucharistiæ. Est autem illud Sacramentum corporis & sanguinis domini: quæ si re uera non extant, sed tantùm sunt fictitia, quemadmodum Eutychiani, qui confusionem naturarum in Christo somniabant, nec in illo diuinam naturam ab humana discernebant, dicere cogebantur, necesse est mysterium nostrum uanum, & falsum esse. Hæc sententia est argumenti Leonis. Et citrà omnem controuersiam uerum est, & ipsis etiam pueris fidelium satis notum, & peruulgatũ, Eucharistiam Sacramentum corporis & sanguinis domini. Rerum autem fictarũ & falsarum, quæ possunt esse uera Sacramenta? Leo non disputabat de Veritate præsentiæ corporis Christi sub accidentibus panis, ut isti nugantur: sed contra Eutychetem Hæreticum, qui in Christo negabat esse humanæ naturæ ueritatem.

Neq; silentio prætereundum est, quod ait, Eucharistiam esse Sacramentũ nostræ fidei. Etenim promissio dei, & dogma, quod apud nos certissimum esse debet, de ueritate humanæ naturæ in Christo nobis Eucharistia obsignat. Quod ipsum fit etiam in Baptismo. Ibi enim nobis proponitur, & commemorat̃ mors, & sepultura, & Resurrectio Christi: quæ, nisi in Christo esset ueritas humanæ naturæ, falsò iactarentur. Sed quoniam Baptismus, quod ad appellationem attinet, non appellat̃ in Ecclesia Sacramentũ corporis & sanguinis domini, idcircò Leo argumentum ducere potius uoluit ab Eucharistia, ut Hæreticũ euidentius confutaret. Hoc etiam annotandum est, ex eo quoq; probari in Christo carnis & sanguinis ueritatẽ, quòd nos in sacra Cœna eius uim, & efficaciam, & meritum ueritissimè experiamur. Nã in mystica illa distributione spiritualis alimoniæ, hoc est, Sacramenti Eucharistiæ, quod Christus nostra causa instituit, ut nos spiritualiter instauraremur, accipimus uirtutem cœlestis cibi: nimirum spiritum, & gratiam: ut in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. Hæc est ratio Leonis: quæ ad commentum istud de reali præsentia nihil facit: nisi Inconstantius fortè putet, neminem posse transire in corpus domini, nisi qui illud realiter comedat delitescens sub accidentibus. Sed nõ debuit illum ita facilè fugere, nos in Baptismo quoque Christum induere, & in illum regenerari, & in illum inseri. Cur ibi quoq; sub accidentibus aquæ non dicit Christum delitescere? Sed potuisset iste, potuisset, inquam, nisi errore, ac tenebris mentem prorsus habuisset occæcatam, ex formula ipsa, qua Leo in scribendo utitur, intelligere, quid sibi patres uelint, cum interdum dicant, panem transire in corpus domini. Potuisset, inquam, intelligere, ad illum transitum nihil opus esse mutatione substãtiæ. Nos enim ipsi, quos Leo ait transire in Christi carnem, substantiam naturæ nostræ prístinam retinemus. Fatetur Inconstantius, mutationem nostram tantum esse qualitatum, Cur eandem dare grauatur in symbolis? Cur non fatetur, panem idcircò dici transire in corpus Christi, quòd eius efficiatur Sacramentum?

OBIECTVM CCXLVI.

OBIICITVR ex Theodoreto Dialogo primo. In ipsa mysteriorũ traditione Corpus panem uocat, & Sanguinem poculum

culum. Et paulò post, Symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit: non quidem naturam ipsam transmutans, sed naturæ adijciens gratiam. Similia etiam quædam habet in Dialogo 2.

GARDINERVS.

QVAE *scribit Theodoretus in ijs Dialogis, etiamsi scopum spectent à Catholica fide non alienum, minimè tamen digna uidentur, quæ in libranda Catholica doctrina obtineant aliquid momenti.*

MARTYR.

ISte noster quantùm maximè potest, offuscat, & obscurat ueritatem: & in aquis turbidis, & lutulentis facilius se latere posse, confidit. Quare, ut omnes nubes, & caligines, quas iste ceu Cæcias aliquis contraxit, dispellantur, operæpretium erit, ea referre singillatim, quę à Theodoreto & in primo, & in secundo Dialogo de hac re scripta sunt. Scopus eius erat, ut id ostenderet, quod Eutyches negabat, Christum adhuc habere ueram humanam naturam, & uerum corpus. Euty- *Eutyches quid*
ches enim docuit, illa iam prorsus in diuinam naturam transiuisse, & in Christo *senserit.*
nunc naturarum illarum distinctionem nullam esse. Colloquutores in illo Dialogo sunt Orthodoxus, & Eranistes. Ita ergo sermonem instituit Orthodoxus: Scis, quòd deus suum corpus appellauit panẽ? Eran. Scio. Orthod. Porrò etiã, alibi carnẽ triticum nominauit. Eran. Hoc etiam scio. Audiui enim, eum dicentem: Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Et nisi granũ tritici, quod cecidit in terram, mortuũ fuerit, solum manet: sin aũt mortuũ fuerit, fert multũ fructũ. Ortho. In mysteriorum aũt traditione corpus panẽ appellauit: & id, quod in calice infusum, & commixtum est, sanguinem. Eran. Ita nominauit. Ortho. Atqui, & quod est secundum naturam corpus, Corpus iure uocabitur: & itidem sanguis. Eran. In confesso est. Ortho. Seruator certè noster nomina commutauit: & corpori quidem id, quod erat symboli, ac signi, nomen imposuit: symbolo autem, quod erat corporis. Ita cum se uitem nominasset, sanguinem id, quod erat symbolum, appellauit. Eran. Hoc quidem uerè dixisti. Vellem autem scire causam mutationis nominum. Ortho. Manifestum est institutũ ijs qui sunt diuinis mysterijs initiati. Volebat enim eos, qui sunt diuinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ uidentur: sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Qui enim, quod natura est, corpus, triticum, & panẽ appellauit, & uitem se ipsum rursus nominauit: is symbola, quæ uidentur, appellatione corporis & sanguinis honorauit: non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adijciens. Eran. Et mystícè mystica dicta sunt, & apertè declarata, quæ non sunt nota omnibus. Ortho. Quoniam ergo in confesso est, & Patriarcham corpus domini uestem & indumentum nominasse, ad dicendum autem de diuinis mysterijs ingressi sumus, dic per ueritatem, cuius symbolum, & figuram esse existimas alimentum sanctissimum? Diuinitatisne domini Christi, an corporis & sanguinis? Eran. Clarum, quòd illorum, quorum appellationem susceperunt. Ortho. Corporis & sanguinis, dicis. Eranist. Ita dico. Ortho. Vt decet amicum ueritatis, dixisti. Etenim dominus, cum, accepisset symbolum, aut signũ, non dixit, Hoc est deitas mea: sed, Hoc est corpus meum. Et rursus, Hic est sanguis meus. Et alibi: Panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Eran. Vera sunt hæc. Sunt enim diuina eloquia. Ortho. Si ergo uera, corpus utiq; habuit dominus,

Hæc leguntur in primo Dialogo: eaq; ita sunt perspicua, itaq; aperte euertunt commentitiam istam Transubstantiationem, ut nulla explicatione sit opus. Deinde ostendunt, Christum usum esse eiusmodi conuersione propositionis, ut & corpus ac sanguinem suum appellarit panem & uinum: & rursus, panem & uinum appellarit corpus & sanguinem suum. Huc addit Theodoretus etiam finem huius transnominationis, cur panis dicatur corpus domini, & uinum sanguis eius: nimirùm, ut illi, qui accedunt ad sacra mysteria, non in ea externa, quæ uidentur, sed in ea, quæ significantur, intenti sint. Ex his facilè intelliget pius & prudens Lector, me, cum ista eadem & dixerim, & docuerim, nihil à sententia ueteris Ecclesiæ discessisse. Nam hæc eadem & in Cypriano, & in Augustino, & in alijs Patribus plærisq; omnibus deprehendi possunt.

„ In secundo autem Dialogo Theodoretus ad hunc modum scribit. Ortho. „ Dic ergo, mystica symbola, quæ deo à dei sacerdotibus offeruntur, quorum nam „ symbola esse dicis? Eran. Corporis & sanguinis domini. Ortho. Corporis „ eius, quod uerè est? an eius, quod uerè non est? Eran. Quod uerè est. Ortho. „ Optimè. Oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores „ imitantur naturam: & eorum, quæ uidentur, pingunt imagines. Eran. Verum. „ Ortho. Si ergo diuina mysteria corpus, quod uerè est, repræsentant, ergo cor„ pus etiam nunc domini quoq; corpus est: non in diuinam naturam mutatum, „ sed impletum diuina gloria. Eran. Opportunè accidit, ut uerba faceres de diui„ nis mysterijs. Nam & ex eo ipso tibi ostendam, corpus domini mutari in aliam „ naturã. Responde ergo ad mea interrogata. Ortho. Respondebo. Eran. Quid „ appellas donum, quod offertur, ante inuocationem sacerdotis? Ortho. Non „ oportet apertè dicere: est enim ueri simile, adesse aliquos mysterijs non initiatos. „ Eran. Respondeatur ænigmaticè. Ortho. Id, quod fit ex huiusmodi seminibus „ nutrimentum. Eran. Aliud etiam signũ quomodò nominamus? Ortho. Com„ mune etiam hoc nomen, quod potus speciem significat. Eran. Post sanctifica„ tionem aũt quomodò ea appellas? Ortho. Corpus & sanguinẽ Christi. Eran. „ Et credis, te fieri participem Christi corporis & sanguinis? Orthod. Ita credo. „ Eran. Sicut ergo symbola corporis & sanguinis domini alia quidem sunt ante „ inuocationem sacerdotis, & post inuocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam „ corpus domini post assumptionem mutatur in diuinam substantiam. Ortho. „ Quæ ipse texuisti, retibus captus es. Neq; enim signa mystica post sanctificatio„ nem recedunt à natura sua. Manent enim in priori substantia, figura, & forma: „ & uideri, & tangi possunt, sicut prius. Intelliguntur autem ea esse, quę facta sunt, „ & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Confer ergo imagi„ nem cum exemplari: & uidebis similitudinem. Oportet enim figuram esse uera„ rítati similem. Illud enim corpus priorem habet formam, & figuram, & circum„ scriptionem, &, ut semel dicam, corporis substãtiam. Immortale autem post Re„ surrectionem factum est, & potentius, quàm ut ulla in illud cadat corruptio, & „ interitus: sessioneq; ad dextram dei dignatum est: & ab omni creatura adoratur, „ ut quod appelletur Corpus naturæ domini. Eran. Atqui symbolum mysticum „ priorem mutat appellationem. Neq; enim amplius nominatur, quod uocabatur „ prius: sed corpus appellatur. Oportet ergo etiam ueritatem deum, & non cor„ pus uocari. Ortho. Ignarus mihi uideris esse. Non enim corpus solùm, sed etiã „ panis uitæ nominatur. Ita enim dominus ipse appellauit. Porrò autẽ ipsum cor„ pus diuinum corpus appellamus, & uiuificum, & dominicum: docentes, nõ esse „ cõmune alicuius hominis, sed domini nostri Iesu Christi: qui est deus & homo. „ Hæc etiam transcribere uolui etiam ex 2. Dialogo, ut liquidò appareat, etiam peracta sanctificatione eandem panis uinię substantiam manere in symbolis, quæ

quę fuerat anteà. Nam, ut uno uerbo dicã, ista posteriora ita prorsus conueniunt cum prioribus, ut in utroq; loco eundem authorem facilè agnoscas, & eandem fidem. Hic tamen Theodoretus simile commemorat, quod anteà non attigerat. Ait enim tam uerè substantiam panis manere in Eucharistia, quàm uerè substantia corporis adhuc seruatur in Christo.

Iam uerò, quoniam non dubito, causam hanc totam satis Lectori esse cognitam, ueniendum est ad cauillos Inconstantij. Primùm fatetur, Theodoreti bonũ quidem fuisse scopum: ea tamen quæ in disputando attulerit, neq; ἀκριβῶς, neque ἀγωνιστικῶς esse dicta, sed potius ἀγωνιστικῶς, uidelicet, in ęstu, & calore certaminis. Verùm de hoc infœlici suffugio satis aliâs diximus. Vtitur quidem Inconstãtius hac rima sæpissimè: maximè uerò, cũ uideat, se iam iamq; teneri, & propè ab aduersario iugulari. Tum enim demum facilè patitur authoritatem, & fidem suorum patrum labefieri. Nam cum uideat ita claras, & dilucidas esse illorum sententias, ut facilè offuscari non queant, tum se ad miseram istam, & frigidã distinctionem confert. Tantùm autem in hac re iuris, & potestatis sibi usurpat, quantum nobis in eadem causa nullo modo concedi patitur.

Cęterum omissis ijs, quæ in primo Dialogo scripta sunt, in secundo fortè fortuna reperit aliquid, quod possit arrodere. Ait enim, cum Eranistes, hoc est Hęreticus, dixisset, Eucharistiam post Consecrationem nũquam appellari panem, Theodoretum ipsum nomine Orthodoxi subijcere, Dominum illum appellasse panem uitæ. Atq; hanc responsionem putat idcircò esse uerã, quòd, ut ait, in Eucharistia caro ipsa Christi præsens adsit: quæ in sexto capite Iohannis dicta est panis uitæ. Tamen responsionem istam irridet; quòd ad panem triticeum, de quo interrogabatur, non conueniat. Hæreticus enim obiecerat, Symbolum post sanctificationem ita appellari corpus domini, ut non amplius appelletur panis, nempè, triticeus. Quare Orthodoxum respondere de corpore Christi, illud appellari panem uitæ, neq; quadrat, neq; conuenit. Quod Inconstantius obijcit Theodoreto, non omninò à ratione, & à ueritate alienum arbitror. Nam alia erant loca scripturarum, quibus probare potuisset, panem Eucharistiæ post sanctificationem appellari panem. Paulus enim ait, Panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est: et addit, Vnus panis multi sumus, qui de uno pane participamus: pręterea ait, Qui comederit hũc panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. His ergo potius testimonijs Theodoretus uti debuit, quàm illis uerbis Christi è sexto capite Iohannis. Ibi enim Christus cum dicat, Ego sum panis uitæ, non propriè, sed metaphoricè se ipsum, id est carnem suã appellauit panem: neq; reuera ea retulit ad symbolum Eucharistiæ. Imò ne tum quidem, cũ diceret, Panis, quem ego dabo, caro mea est: quẽ ego dabo pro mundi uita. His enim uerbis nihil aliud significare uoluit, quàm se pro nobis carnem suam daturũ ad mortem: illamq; carnem nobis fore panem, hoc est, cibum spiritualem, quo ad uitam ęternam aleremur, si à nobis uera, & efficaci fide comedatur. Verùm non solus Theodoretus sacras literas interdum in sensum alienum detorquet. Vtinã nõ alij quoq; patres penè omnes in ea re nimium sibi tribuissent. Equidem cũ incido in huiusmodi illorum errata, nõ possum non uehementer dolere. Neq; enim hac quidem in re aut Theodoreto, aut cuiquam ex patribus unquam subscribam.

Patres deuiant sæpè à iusto sensu literæ.

Cæterum hic pro meo iure Inconstantiũ meum appellabo, quã nam ille tandem fronte possit Theodoretũ huius peccati reprehendere. Ipse enim cũ suis fere omnibus uerba illa ex sexto Iohannis refert ad symbolum Eucharistiæ, eaq; et sæpè cõtra alios, & in hoc libello suo nominatim cõtra me citat. Sic enim scribit, Panis, quem ego dabo, caro mea est: ac si diceret, Ille panis, quẽ in ultima cœna

,, ſum daturus uobis, eſt caro mea: hoc eſt, tranſubſtãtiabitur in carnem meam: &
,, ſub eius accidentibus caro mea inuoluet̃, & inuiſibiliter delitescet. Si tibi, tuiſq;
iſtam interpretationem concedi uis, Inconſtanti, cur eandem nõ concedis Theo
doreto? Cur nõ ille, quod dominus ait, Ego ſum panis uitæ, ita exponat, ut dicat,
panem Euchariſtiæ eſſe dominũ: nimirum q̃ eius iam appellatione donatus ſit
Appellatur enim corpus domini. Cumq; panis ille ſit inſtrumentum ſpiritus ſan
cti, quo nos iuuemur ad aſſequendam æternam uitam, cur nõ æquè dici poſſit pa
nis uitæ, atq; externum uerbum dei? Illud enim interdum uocat̃ uerbũ uitæ. Et
fieri poteſt, ut eo tempore illa conſuetudo fuerit in Eccleſia, ut panis Euchariſtię
appellaretur panis uitæ. Et ob eam cauſam probabile eſt, Theodoretum in hunc
ſcopulum impegiſſe. Sed, ut dixi, huius erati à quibuſuis potius alijs, quàm à uo
bis accuſandus erat. Vos enim peragi poteſtis rei eiuſdem criminis. Verũ Theo
doretus etſi toto cœlo à ueſtra ſententia diſſentiat, tamen uideri poteſt, uobis in
hac re gratificari aliquo modo uoluiſſe: quòd uerba illa Iohannis eodem modo
inflexerit ad Euchariſtiam, quo uos ſoletis.

,, Iſte uerò, ut cauillum ſuum perſequatur, ait, Theodoretum illo argumento
,, contra Eutychianos nihil profeciſſe. Etſi enim Euchariſtia poſt ſanctificationem
,, appelletur panis uitæ, propter corporis Chriſti præſentiam, tamen ait hoc fieri,
,, quod attinet ad uocabulum, & ad nomen. Quod ſi ad corpus Chriſti glorifica-
,, tum accommodetur, Hæreticus, inquit, dabit, Corpus quidem illud uocari poſ-
,, ſe, ſed ſolo nomine: re enim uera non eſſe corpus. Ita enim Chriſtum in ſexto Io-
,, hannis ſe ipſum appellare panem: ſed appellatione tantùm ac nomine, nõ quòd
,, re ipſa eſſet panis triticeus. Hæc ille. Sed, ut, quod res eſt, dicam, Inconſtantius
ſomniat tãtùm hoc loco: nihil uidet. Etſi enim Theodoretus interpretetur ea uer
ba in hanc ſententiam, ut dicat, Chriſtum honoraſſe panem ſacramentalem uoca
bulo ac nomine ſuo, ut iam appelletur corpus Chriſti, tamen bis apertè teſtatus
eſt, illum manere in ſua priori natura, atque ſubſtantia: ut etiam poſt Conſecra-
tionem & dicatur, & ſit panis: nõ tamen ſimpliciter, ſed cũ additione, ut dicatur,
Panis uitæ. Itaq; rationẽ ſuam aptiſſimè concludit: Eodem modo corpus Chriſti
etiam poſt Aſſumptionem in cœlum, ita retinere naturam ſuam, ut re uera & ſit,
& dicatur corpus: ſed tamen cum additione quadam: uidelicet, ut dicatur cor-
pus Dominicum. Vt quemadmodum panis in Euchariſtia manet quidem pa-
nis, quamuis iam adeptus ſit conditionem meliorem: ita corpus quoque Chriſti
glorificatum maneat quidem, ut erat anteà, corpus humanum, quamuis ampliſ-
ſima gloria & maieſtate ſit ueſtitum.

,, Poſteà iſte noſter, cum argumentum Theodoreti irriſiſſet ad hunc modum,
,, ne quid reliqui faceret ad deijciendam eius authoritatem, fecit illi etiam gra-
,, de conuitium. Vicerunt enim, inquit, Eutychiani: & captus eſt ſuis retibus
,, Theodoretus. Et poſteà: Abegit, inquit, Hæreticos Theodoretus ſono uocis,
,, & authoritate ſua: ſi uerum eſt illos ijs dictis ceſſiſſe. Sin minus, turpiter ſuo
,, iudicio lapſus eſt ipſe Theodoretus: qui putauit, eſſe ſolidum, quod reſponde-
,, ret: cum ad id, quod agebatur, non pertineret omninò: niſi quòd de ſono uo-
,, cis, & figura literarum conueniret. Deinde concludit, ita imminutam eſſe Dia-
,, logi authoritatem, ut ne quid ex eo, quod ſit obiter tantùm dictum, ſumi de-
,, beat ad dogmatis alicuius catholici improbationem. De conuitijs iſtis, qui-
bus Inconſtantius Theodoretum afficit, nihil aliud dico, niſi ea ex diametro pu-
gnare cũ illis laudibus, quibus Patres Catholici illum in Chalcedonenſi Concilio
ornauerũt. Deinde hoc etiã addo, nos ex illis Dialogis nihil ſumere ad impugna
tionẽ Catholici dogmatis: ſed tantũ oſtendere, quid illis tẽporibus Eccleſia de Eu
chariſtia ſenſerit. Et Theodoretũ in ea re nihil erraſſe, uel id argumento eſſe po
teſt,

teſt, quòd Cyrillus, quamuis illi infenſus eſſet propter diſsidium, quod contigit in Synodo Epheſina, cum ſcriberet in eum, & multa in eum congereret, tamen nunquam illi quicquam obiecerit de Euchariſtia. Adhæc mihi uidetur Inconſtantius non ſatis conſideratè dicere, iſta à Theodoreto obiter tantũ in illo Dialogo, & quaſi aliud agendo eſſe ſcripta. Ille enim tanquam firmum, & ſolidum argumentum obiecit Eutycheti à natura ſacramentorum. *Diſsidiũ Theodoreti cum Cyrillo.*

Carpit præterea Theodoretum, quòd interrogatus ab Hæretico cauſam commutationis nominum, quid nam ſit, quòd qui anteà dicebatur panis, nunc appelletur corpus, primùm reſponderit idem, quod Catholici uidelicet, ut propter mutationem nominum credamus illi mutationi, quæ facta ſit ex gratia: poſteà tamen ſubſtantiam panis mutari neget. Et quod ad priorem reſponſionem attinet, annotandum eſſe ait, uocem illam Mutationem, Græcè eſſe μεταβολὴν, quæ ſignificet mutationem rei. Itaq; colligit, Theodoretum idem ſenſiſſe, quod Catholici: nimirùm, panem dici corpus, quòd iam mutatus ſit in corpus. Itaq; uideri uult, Theodoretum parùm ſibi ipſi conſtitiſſe: ut qui primùm dixerit, mutationẽ fieri in pane; & idem poſteà ſubiecerit, ſubſtantiam panis non mutari. Sed facilè uidere potuiſſet, iſta nihil pugnare: imò multò potius inter ſe quàm optimè congruere. Fit enim quidem mutatio: quia panis poſt ſanctificationem efficitur ſacramentum, quod anteà non erat. Eſt ergo mutatio iſta tanta, quanta eſſe poteſt inter ſacramentum, & non ſacramentum. Neq; hic ſatis mirari poſſum huius hominis ſapientiam, qui putet mutationem, aut μεταβολὴν nullam eſſe, niſi ipſa rei ſubſtantia conuertatur. Nam ſi bonos authores Græcos attentè legiſſet, nunquam ita ineptè, & tam inſipidè ſapuiſſet. Qua autem fide Theodoreti reſponſionem retulerit, Lector ipſe facile iudicabit. Nam cum ea conſtet duobus capitibus, iſte alterum tantùm commemorauit, illud, uidelicet, quod putabat pro ſe facere, quamuis in eo ipſo turpiſsimè falſus ſit: alterum autẽ, opinor, quod illud uideret ad ſuum ſtomachum non facturum, prudenter tacuit. Cur in hoc ſacramento nomina ita mutentur, Theodoretus hanc cauſam reddit: Volebat eñ, inquit, eos, qui ſunt diuinorum myſteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ uidentur. Hoc Inconſtantius diſsimulat. Vidit enim id cum ſua Tranſubſtantiatione, & reali præſentia non conuenire. Nam alioqui cur attendenda non ſunt ea, quæ uidentur, ſi realiter, & ſubſtantialiter contineant in ſe corpus & ſanguinem Chriſti? Aut cur Papiſtæ, ut illa attendant, & uideant, in templis huc, illucq; ad omnes angulos ita ſtultè, & incondite diſcurrunt? Neq; uerò iſte oblitus erat, in exponendis illis uerbis, Surſum corda, quibus Eccleſia uti ſolet in myſteriis, ſe nobis anteà oppoſuiſſe. Nos enim dicimus, aſtantes illis uerbis inuitari, ut à ſignis ſenſibilibus animum ſubducant in cœlum, ubi præſentia domini ſyncerè, ac uerè frui poſſint. Ibi ſe, ut dixi, Inconſtantius oppoſuit nobis, quantum potuit; & omninò à ſacramentis nec oculis, nec animis diſcedendum cenſuit: quòd in illis eſſe diceret realiter corpus ipſum, & ſanguinẽ Chriſti. Hoc autem loco uidet, Theodoretum quoq; idem nobiſcum dicere. Atque ea cauſa fuit, cur illud caput reſponſionis tam profundo ſilentio præteriret. Rectè autem, & uerè Theodoretus poſteà monuit, nomina mutari, ut credamus mutationi, quæ fit ex gratia. Fideles enim, cum accedunt ad ſacra myſteria, ueriſsimè credunt, ſe ibi non accipere communem panem, aut profanum uinum, ſed ea, quæ iã ex inſtituto Chriſti facta ſint ſacramenta corporis & ſanguinis eius: quod cum uerè credimus, à rebus illis, quæ ſentiuntur, ad res eas, quæ illis ſignificantur, animum, & mentem traducimus.

Vidit Inconſtantius, hac reſponſione occurri poſſe à nobis ſuæ Sophiſticę: ſi dicamus, mutationem eam, quam Theodoretus commemorat, non ſubſtantia-

„lem esse, sed tantùm sacramentalẽ. Itaq; ait: Quid hoc uerbi est, Sacramentale?
„Vt significet modò, indicet, demonstret, ostendat, exhibeat, offerat, potenter, ef-
„ficaciter corpus Christi, quod absens sit? Imò, Theodoretus de corpore præsenti
„loquitur. Nam exigit adorationem. Nihil, Inconstanti, moror cumulum istum,
congeriemq; uerborum, quibus tu declarationes nostras sacramentalium pro-
prietatum ita ineptè, & scurriliter irrides. Neq; enim dubito, eos omnes, qui mi-
cam unam habeant pietatis, & ueræ fidei, hoc mecũ intelligere, Corpus Christi,
etsi realiter absit, & contineatur in cœlo, tamen uerè posse communicari, & exhi
beri spiritui, atq; animo eorum, qui cum uera fide accedant ad sacram Cœnam.
Quod autem additur de Adoratione, inane est. Nam & cum sacra uerba scriptu
rarum audimus recitari, & cum Baptismum uidemus celebrari, adoramus Chri
stum: quamuis corpus eius, & sanguis, nec in illis uerbis, nec in aliqua Baptismi
parte realiter inuoluatur. Sed ea de re diximus anteà, ut nunc non sit dicendum
pluribus.

Verùm hic non possum istius uafritiem dissimulare. Nam, ut quacunq; ui,
aut uiolentia uerba Theodoreti inflectat, & torqueat ad sententiam suam, non
dubitat omnia commouere. Ait, Theodoretus, panem, quod ad substantiam at-
tinet, non mutari. Idq; probauit ex eo, quòd palpetur, & uideatur, non secus,
„quàm antè Consecrationem. Hic noster iste clamat, Theodoretum per substan-
„tiam nõ sensisse naturam panis interiorem, quòd illa nec uideatur, nec palpetur:
„sed potius significare uoluisse exteriorem substantiam: quæ, quemadmodum Ca
„tholici sentiunt, duret per miraculum. Quis hic risum tenere possit? Iste enim
pro sua illa sapientia, & cupiditate uincendi præcipitat se non tantùm in errores,
sed etiam in tenebras ita densas, & crassas, penè ut palpari possint. Oportet sanè
Theodoretum fuisse magnum philosophum, qui nomine substantiæ intellexerit
accidentia. An ille uoces eas non intellexit, non audierat, non didicerat? An ille
ita infans erat, ut cum accidentia dicere uellet, diceret substantiam? Sed fuerit
sanè. Quid tandem, quæso te, sua ista argumentatione conclusisset? Accommo-
demus enim hoc simile ad expositionem Inconstantij. Profectò Theodoretus
nihil aliud conficiet, nisi quod Eutyches uolebat: nimirùm, Corpus Christi iam
sublatum in cœlũ nihil habere pristinæ substantiæ: sed tantùm eius retinere qua-
litates quasdam, & accidentia: quòd autem ad substantiam attinet, prorsus abisse
in naturam diuinam; quemadmodum in pane Eucharistiæ substantia quidem
abijcitur: retinentur autem sola accidentia: substantia autem, quanta quãta erat,
transiuit in corpus Christi. Ita Inconstantius, cum iuuare uellet Theodoretum,
ne quid ille fortè pronuntiare uideretur contra Transubstantiationem, prorsus
eum reddidit Eutychianum. Neq; sanè mirum. Non enim Eutychetem tantùm,
sed etiam quemuis Hæreticum æquius multò ferret, quàm si quis de sacramento
Eucharistiæ uerè, & rectè sentiat: scilicet, quia hic lucrum est: ibi non erat. At,
inquit, interior substantia nec palpatur, nec uidetur. At certè Christus non ita lo
quitur. Ita enim ait Apostolis: Palpate, & uidete: quoniam spiritus carnem, &
ossa non habet. Palpatur illa quidem, & uidetur per accidentia. Scio, & fateor.
Et palpatur tamen, & uidetur. Non aliter ergo loquutus est Theodoretus, quàm
quomodò homines loqui solent: & quomodò Christus ipse loquutus est. Scie-
bat etiam, deum in sacris mysterijs nõ illudere sensibus nostris: sciebat, in Eucha
ristia accidentia non seiungi à subiecto: quod isti audacissimè mentiuntur. Sed
hæc aliàs. Illud nunc satis erit ostendisse, Theodoretum nec imperitum fuisse ha
rum uocum, nec ita stupidum, ut iuuare uoluerit Eutychetem contrà quem ma-
ximè disputabat.

„ Adhuc tamen iste Sophista ostentat nobis acumen suum. Si replicasset, in-
quit,

quit, Hæreticus, cõtra quem Theodoretus disputabat, Ergo si similiter hæc fiũt, iam accedet incorruptibilitas, ut, quamuis species, & figura panis retineatur, incorruptibilis sit, nam ita fit in corpore Christi, non effugisset Theodoretus, in quam se coniecerat, captionem. Non dubito, prudentem Lectorem facile uidere, quemadmodum iste collationem apertã, & dilucidam conetur offuscare. Confert enim Theodoretus panem Eucharistiæ & corpus Christi. Collatio autem sita est in substantia, & proprietatibus: ut quemadmodum in pane post sanctificationem substantia panis retinetur ita in corpore Christi post eius Ascensionem in cœlum, substãtia corporis conseruetur; utq; panis mutatus est, quòd euectus sit ad altiorem gradum, & factus sit Sacramentum, ita etiam mutatũ sit corpus Christi, quòd induerit gloriã, & incorruptibilitatem, & potentiam. Cum ista Collatio ita sit perspicua, quid oportet proprietates corporis Christi, scilicet, incorruptibilitatem, & gloriam transferre ad panem? Hic nullus est nodus, nulla captio, nulla Scylla, nulla Charybdis: nisi quantum sibi Inconstantius machinatur. Erat, inquit, inter Scyllam, & Charybdim. Non enim audebat negare uerbo mutationem panis propter authoritatem Ecclesiæ: nec audebat rursus reconcedere mutationem naturæ panis, ne significaret illis Hæreticis, Christi naturam mutatam, quę erat eorũ hæresis. Quam hic mihi tu narras authoritatem Ecclesiæ? Vbi ea unquam statuerat, mutari substantiam panis? Si aut decreta habes ulla ueterũ, aut Canones, quid moraris? Cur ea non profers? Quare Theodoretus naturæ, & substantiæ mutationem in pane negauit: sacramentalem autem mutationem non negauit. Nec in ista tua Scylla, & Charybdi naufragium ullum fecit: imò ne uidit quidem illas unquam: neq; alius, opinor, quisquam præter te.

Addit Inconstantius, mutationem qualitatũ non posse competere in panem Eucharistiæ. Quid ita? Certè anteà cũ apud pistorem esset, non erat Sacramentum. Postquam autem adhibitus est ad institutũ domini, & iam distribuitur inter fideles, transit ad conditiones & proprietates ampliores. Necesse ergo est, ut immutatus sit, si non alio modo, saltem spirituali ratione. Quòd si nulla intercessit saltem mystica mutatio, cur eum uos appellatis benedictum, sanctificatũ, consecratum? Addit, Theodoretum fluctuare, & causæ suæ inseruire. At ille consistit in uestigio, Inconstanti, non fluctuat; & se fratribus tuis Eutychianis cõstanter, & fortiter opponit: & fidem Ecclesiæ sui temporis manifestè declarat. Postea etiam conuitiatur Theodoreto, quòd dicat, Panem post consecrationẽ non appellari panem. Atqui id non est uerum. Ait enim, illum appellari quidem panem, sed cum additione. Non enim habetur iam ut panis profanus, sed ut panis uitę, panis domini, panis Eucharistiæ, panis mysticus. Verùm hac de re quid sentiam, ab initio huius responsionis dixi satis.

Probatur panis mutatio sacramentalis.

In calce uerò, quasi Colophonis uice, non pudet Sophistam dicere, quod anteà etiam falsissimè dixerat, quodq; à me iam liquidò confutatũ est, uerba Theodoreti non obscurè facere pro Transubstantiatione. Nam illam is quasi data opera oppugnat. Hanc ego si imitari uelim tam insulsam & impudentem impostura, eadem confidentia dicere possim, Gardinerum, Cheadsæum, Treshamum à me stare. Sed antequam hinc discedo, hoc unum Lector mihi admonẽdus est, sententiam istam Theodoreti, non minus realem substantialemq; præsentiã rescllere, quàm Transubstantiationem. Theodoretus enim ait, dominum honorasse panem et uinum, hoc est symbola Sacramenti appellatione corporis & sanguinis sui: & in hoc mysterio fieri commutationem nominũ. Nam si corpus ipsum Christi realiter adesset, nec symbola ornarentur ea appellatione, nec permutatio uocum ulla esset. Ipsum enim potius corpus Christi, cum præsens esset, & adoraretur, & proprio, ac suo nomine uocaretur.

OBIECTVM CCXLVII.

OBIICITVR ex Gregorio in Regiſtro. Tam azymum, inquit, quàm fermentatum dum ſumimus, unum corpus domini ſeruatoris efficimur. Quod dicit, Azymum & fermentatum, indicat manere panem.

GARDINERVS.

NOMINIBVS *panis adhuc utitur, ſublatis rebus: ut uirga deuorauit uirgas.*

MARTYR.

QVoniam Inconſtantius non ueretur ad obfuſcandum argumentum aſperum gere idem atramentũ, quo ſæpè iam uſus eſt, non uideo, cur non ego quoque ad illud delendum uti poſſim eadem fidelia, qua ſemel iam, atque iterum uſus ſim. Aít, Gregorium, quamuis res ipſæ ſublatæ ſint, tamen uti nominibus priſtinis. Panem enim, quem ſumimus in Euchariſtia, dici & azymũ, & fermentatum, quamuis, quod ad rem ipſam attinet, eius ſubſtantia ſublata ſit. Et ſimilem aít eſſe loquendi formam in libro Exodi. Ibi enim ſic ſcribi: Virga Moſis deuorauit uirgas Magorum. Virga, inquit, Moſi, etſi iam mutata eſſet in ſerpentem, tamen appellata eſt uirga. Hic ego duo regero: Primùm, hoc genus argumenti ita eſſe inualidum, ut iſti eius uſum alijs omninò nolint permittere. Nam ſi quí dicãt, Verbum illud, Eſt, multis in locis diuinarum ſcripturarum poſitum eſſe pro, Significat, et idcircò ita ſumendum eſſe in uerbis illis de Cœna, illi reclamant, Concluſionẽ iſtam hebetem, & infirmã eſſe: quòd facilè poſſit fieri, ut hoc uerbum alibi ita ſit uſurpatum, cum eius longè ſit alia uis in Euchariſtia. Quare ſi uelit Inconſtantius, hoc ſuffugium prodeſſe ſibi, non debet idem in ſimili cauſa inuidere alijs: niſi fortè ſibi aliquid licere uelit in diſputando, quod nobis non liceat. Adhæc ſi iſte, quamuis re ipſa iam ſublata, tamen poteſt uoces, & proprietates azymi & fermentati retinere, non debet nobis indignari, ſi unà cum Theodoreto ornamus panem & uinum appellatione corporis & ſanguinis domini, quamuis ea, quod ad rem ipſam attinet, doceamus abeſſe. Quare uel ab iſtis excuſationibus abſtineat ipſe quoque, uel eas ipſas nobis etiam permittere ne grauetur.

OBIECTVM CCXLVIII.

OBIICITVR ex Fulgentio ad Thraſymundum Regem libro 2. Vnus, inquit, idemq; homo localis ex homine, qui eſt deus immenſus ex patre: unus idemq; ſecundum humanam ſubſtantiam: abſens cœlo, cum eſſet in terra: & derelinquens terram, cum aſcendiſſet in cœlum. Secundum diuinam uerò immenſamq; ſubſtantiam, nec cœlum dimittens, cum de cœlo deſcenderet: nec terram deſerens, cum in cœlum aſcenderet.

GARDINERVS.

EXPLICAT *& hic naturam hominis in Chriſto: quæ uerè localis eſt, non ubiq; diffuſa.*

MAR.

PRimùm fatetur, naturam Christi humanam localem esse, nec ubiq; diffusam, qualem scimus esse diuinam. Atq; hac quidem in re ego illi non nihil gratulor, quòd uideam eum cum Vbiquitistis nō conuenire. Verùm ea, quæ rectè dixerat, non ita multò post prorsus corrumpit. Ait enim, naturam in Christo humanam, quòd subiecta sit naturæ diuinæ, illius uirtute fieri non localem: cum tamen eadem omninò maneat quæ prius erat. Ista quid sibi uelint, equidem non intelligo. Nam si eadem est natura, quî potest fieri, ut eodem tempore simul & localis sit, & non localis? Si Fulgentius hunc sensum in animo habuisset, non ita parùm facundus erat, quin ut ita posset dicere. Sed, mihi crede, tuæ istæ sunt, Inconstanti, fictiones. Nos quidem, quod ille simpliciter, & apertè dicit, accipimus, tanquam Orthodoxum, & Catholicum: ea uerò, quæ tu comminisceris, quoniam nec ex isto, nec ex alio quoquam Patre probari possunt, ut aliena, & spuria repudiamus. *Vbiquitistæ.*

Aequè absurda est altera etiam stropha, quam reperit. Ait enim, quæri hoc loco de usu naturæ secundum diuinam uirtutem: non autem de naturę ipsius terminis, & proprietatibus: quę non sit fas dei uirtuti opponere. Audacia istorum hominum, quantum uideo, tanta est, ut non dubitēt humanam Christi naturam suis terminis, & proprietatibus spoliare. Impudentiam autem suam hoc uidelicet panno uelare uolunt, quòd non sit fas opponere ista potentiæ dei. Potentiam quidem dei nos quoq; celebramus laudibus, quantis maximis possumus. Interim tamen scimus, esse quædam, quæ non uitio aliquo potentiæ dei, sed sua ipsorum natura fieri non possint. Numerum enim binarium ita necesse est esse parem, ut nulla ui, aut potentia fieri possit impar. Nec fieri unquam potest, ut quis quam eodem tempore & sit homo, & careat facultate rationis. Accidentia quidem aliqua non dubitamus à suis subiectis auferri posse. Alia autem quædam ita cum rei ipsius natura coniuncta sunt, ut tolli ab ea absq; eius exitio non possint. Quale est in humano corpore, Locale esse, & figuram, ac terminos suos retinere. Qua de re hic prolixius dicendum non est. De ea enim suprà dictum est satis. Quod autem Inconstantius addit, Christum corpore suo per ianuas clausas penetrasse, id ad istam fictionem confirmandam, uim prorsus nullam habet; quemadmodum iam anteà fusè docuimus. *De potētia dei.*

Concludit autem, intempestiuum esse, argutari de humana Christi natura, quomodò ea sit in sacramento, quidq; per naturam possit fieri. Hic enim potius quæri, quid ui, & potentia diuina possit fieri. Rectè. Sed hac eadem ratione etiã Eutychiani uti possent. Dicerent enim humanam Christi naturam post Ascensionem in cœlum per potentiam dei potuisse mutari in naturam diuinam. Et intempestiuum iam esse, quærere, quid possit per naturam fieri, cum quæstio sit de potentia dei. Vides, Inconstāti, quàm stultum, & periculosum sit, quod uos semper facitis, argumenta ducere à diuina potentia? Datur quidem ui diuina rectè communicantibus in Cœna domini corpus Christi: sed ea uia, & ratione datur, ut ne tollatur, aut perimatur eius natura. At ea certè salua esse nō potest, si simul, & eodem tempore in infinita loca distrahatur.

OBIECTVM CCXLIX.

OBIICITVR ex eodem Fulgentio libro 3. Idem atq; inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit: idem atq; inseparabilis Christus secundum totum

hominem, quem accepit, terram localiter deserẽs, ad cœlum ascendit, & in dextris sedet: secundum eundem totum hominem uenturus ad iudicandum uiuos & mortuos, coronaturus fideles & pios.

GARDINERVS.

QVOD *Christum dicit terram localiter deserere, in uno illo uerbo, Localiter, antidotum defert.*

MARTYR.

„ INconstantius existimat, Fulgentium idcircò addidisse aduerbium illud Lo-
„ caliter, quòd prouidere uoluerit, ne cætera illa sua uerba nocerent causæ Eu-
„ charistiæ. Ibi enim corpus Christi adesse, non localiter, sed in mysterio. Verùm,
„ cum ista commentatur, malè profectò assequitur consilium Fulgentij. Is enim idcircò ita loquutus est, quòd Christus, quòd attinet ad naturam diuinam, quæ localis non est, terram nunquam deseruerit. Ea enim ubiq; est, & per omnia diffunditur. Itaq; cum Christus adesse non possit carne, nisi adsit localiter, idcircò Fulgentius dixit, eum localiter terras deseruisse: quod aliud non est, quàm una cum corpore & carne è terris discessisse. Non ergo rationem habuit Euchari-

Eutyches coniuratus & frater aduersariorum.

stiæ, cum illa scriberet: sed contrà Eutychetem coniuratum, & fratrem uestrum pugnare uoluit. Nam si, ut ille dicere solebat, natura humana conuersa fuisset in diuinam, Christus nullo modo dici posset abijsse à terra. Caro enim in diuinitatem conuersa iam citra controuersiam ubiq; esset.

„ Huc addit Inconstantius, modum illum, quo corpus Christi sit in mysterio,
„ abditum, & arcanum esse: ut qui sola, & pura, & inexquisita fide comprehendi
„ possit. Quòd si modus iste ita arcanus est, & comprehendi non potest, nisi per fidem, cur tu illum ita audacter definis? cur illud affirmas adesse per præsentiam realem, corporalem, substantialem? Certè arcanum non est, quod ita potest definitè affirmari. Deinde etiam monuit nos Apostolus, Fidem ex auditu esse: auditum per uerbum dei. Quare istam suam tam reconditam, & arcanam præsentiam ostendat nobis Inconstantius aliquando ex uerbo dei: & uicerit. Interea autem, dum id efficiet, modum illum fide apprehendi, & percipi, nõ euincet. Verùm quò magis perspicuè locus Fulgentij intelligatur, quoq; magis uidcamus, quo pacto ille statuat, Christum uel adesse nobis, uel à nobis abesse, operæpretiũ erit illum totum, quemadmodum habet libro secundo, subijcere. Nam in proxima superiori Obiectione Inconstantius uerba illa, ut solet, ferè omnia, mutilatã
„ tùm, & truncata proposuit. Sic ergo scribit Fulgentius: Vnus, idemq; homo lo-
„ calis ex homine, qui est deus immensus: unus, idemq; secundum humanam substantiam absens cœlo, cum esset in terra: & derelinquens terram, cum ascenderet in cœlum: secundum diuinam uerò immensamq; substantiam nec cœlum dimittens, cum de cœlo descenderet: nec terram deserens, cum in cœlum ascenderet. Hæc omnia retulit Inconstantius. Sequitur autem: Quod ipsius domini
„ potest certissimo cognosci sermone: qui, ut localem ostenderet humanitatem
„ suam, dixit Discipulis suis, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: deum
„ meum, & deum uestrum. De Lazaro quoq; cum dixisset, Lazarus mortuus est,
„ adiunxit dicens, Et gaudeo propter uos, ut credatis: quoniam non eram ibi. Im-
„ mensitatem uerò suæ diuinitatis ostendens suis discipulis, dicit: Ecce ego uo-
„ biscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. Quomodò ascendit in cœlum, nisi quia localis, & uerus est homo? Aut quomodò adest fidelibus suis

suis, nisi quia idem immensus, & uerus est deus? Hęc uerba luculenter testan-
tur, qua ratione Christus nobis adsit. Non ait Fulgentius, eum adesse nobis per arcanam, & substantialem præsentiam in Eucharistia, quod quidem ad carnem attinet, sed per immensam diuinitatem. Abesse autem eum à nobis dicit per humanitatem. Eam enim, cum sit localis, non posse in immensum diffundi, aut per infinita loca uagari.

OBIECTVM CCL.

OBIICITVR ex Gelasio aduersus Eutychetem. Is enim scribit, in Sacramento Eucharistiæ substantiam & naturam panis esse non desinere. Et collationem facit inter hoc Sacramentum, & Christum. In eo enim ait saluam manere utranque naturam, & diuinam, & humanam: quemadmodum in Eucharistia manet, & natura panis, & corpus Christi.

GARDINERVS.

GELASIVS *id agit argumento ab Eucharistia ducto, ut ostendat in Christo nullam naturarum confusionem, sed in suæ naturæ finibus eas manere.*

MARTYR.

QVoniam Inconstantius uerba ipsa Gelasij huc transferre noluit, iudicauit fore ex usu Lectoris, si ego ea huc adscriberem. Contra Eutychen ergo sub finem libri ita loquitur: Certè Sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ. Et tamen esse non desinit substantia, uel natura panis & uini. Et certè imago, & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso domino Christo sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & sumimus: ut, sicut in hanc, scilicet, diuinã transeũt, sancto spiritu perficiente substantiã, permanent tamen in suæ proprietate naturæ: sic illud ipsum mysteriũ principale, cuius nobis efficientiam ueritatemq; ueraciter repræsentant, ex ijs quibus constat, proprię permanentibus, unum Christum, quia integrum, uerumq;, permanere demonstrant. Hæc Gelasius: ex cuius uerbis Inconstantius peperit nobis duo monstra. Primùm enim ait illum statuere Transubstantiationem: deinde substantiam & naturam panis et uini manere, ac retineri per subsistentiam accidentium. Hæc ego monstra esse dico. Nihil enim in illis est naturæ & rectæ rationi consentaneum. Primùm enim quî tandem potest Gelasius constituere Transubstantiationem, ijs præsertim uerbis, quibus ijsdem dicat, substantiam, & naturam panis & uini retineri? Et certè nisi substantia illa re ipsa retineatur, nihil potest contra Eutychetem concludere. At ille ducit à re certa & uulgo etiã nota argumentum. Eucharistia, inquit, retinet pristinam substãtiam panis & uini: ea autem est imago Christi: Ergo Christus retinet naturã, & substantiã sui corporis. Cur hic non uidet Inconstãtius, Theodoretũ quoq; contra eundẽ Eutychetem argumentatum esse eodem modo à Sacramento Eucharistiæ? Profectò cum Gelasius Episcopus Romanus in oppugnanda illa hæresi prorsus insistat eadem uia, non debuit Sophista noster ita temerè clamare, Theodoreti rationem contemnendam esse, & futilem: aut eum authoritate sua sola, non autem argumenti pondere hæ

Sacramentũ Eucharistiæ imago Christi.

reticos abegisse. Hic enim uidemus, Gelasium uti eodem argumento. Sacramentum Eucharistiæ appellat imaginem Christi: non autem Christũ ipsum. Idq; quò magis intelligatur, bis etiam repetit. Quare, cum constet, imaginem oportere similem esse ei rei, quam adumbrat, adiecit propositionem minorem: Atqui panis in Eucharistia substantiam suam, & naturam priorem retinet: Ergo Christus in cœlo retinet substantiam sui corporis. Quid hoc argumento clarius, aut euidentius afferri potest?

„ Imò, inquit Inconstantius, Gelasius ait, panem & uinum transire in diuinam
„ substantiam: ideoq; ipsius Gelasij testimonio contendit fieri mutationem sub-
„ stantiarum. Id autem non esse aliud, quàm Transubstantiari. Illud autem uer-
„ bum, mirum est, quantum Sophistæ nostro homini delicato placeat. Ita enim il-
„ lud mangonizat, ut haberi etiam uelit iam, si deo placet, propemodum pro Lati-
„ no. Quemadmodum enim Latinè dicitur, Transnominare, quod nihil sit aliud,
„ quàm nomen unum pro altero substituere, ita etiam, Transubstantiari, aptissi-
„ mum uerbum esse, quo significetur, substantiam aliam pro alia surrogari. O acu-
tum & subtilem Grammaticum. Puto equidem eum ista uel ab Alexandro, uel à Mammotrecto magistro didicisse. Huc tamen ille, non insciția deducitur, sed furore potius, & studio agnitæ ueritatis oppugnandæ. Quod Gelasius dicit, panem & uinum transire in diuinas substantias, id quemadmodum fiat, Theodoretus docuit: nimirùm, mutatione nominum: quod ea iam appellentur corpus & sanguis Christi. Hanc transitionem Inconstanti, Gelasius annotauit, non autem portentosam illam uestram Transubstantiationem. Et profectò, nisi sic sentiret, pugnaret ipse secum. Nam, si panis prorsus abijcitur, eius natura & substantia, quod anteà affirmauerat, non retinetur. Denique, nisi ita esset, non ille oppugnaret Eutychetem, sed defenderet. Id enim concluderet, quod Eutychiani maximè affirmabant, humanam Christi naturam totam iam abijsse in diuinam.

Alterum monstrum est, quod ait, Substantiam panis retineri, nihil aliud es-
„ se, quàm accidentia subsistere sine subiecto. Talia enim portenta Papistæ nõ ima-
„ ginari tantùm audent, sed etiam uenditare. Quàm autem impudenter, atque improbè mentiantur, desino pluribus exagitare. Sed esto: sit sanè ita, ut uolunt. Quid aptius unquam, aut commodius potuissent pro Eutychete fabricari? Eutyches enim facilè dabit, humanam Christi naturam, quod ad accidentia, proprietates, figuram, lineamenta attinet, adhuc manere: carnem autem & naturam humanam omnino in diuinam naturam transijsse. Quid hic Gelasius agat? Quid Theodoretus? Confutati, scilicet, abibunt: nisi doceant, & defendant in Eucharistia naturam, & substantiam panis & uini uerè, & propriè retineri. Sit Sophista noster Chamęleon, Empusa, Proteus: mutet se in qualcunq; uelit species: tamen ex istis Gelasij, & Theodoreti sententijs nunquam se poterit explicare.

OBIECTVM CCLI.

OBIICITVR ex Vigilio libro 1. contra Eutychen. Dei filius, inquit, secundum humanitatem suam recessit à nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.

GARDINERVS.

VIGILIVS *ut Eutychen confutaret, necesse habebat utranq; in Christo naturam suis finibus circumscribere.*

MAR.

MARTYR.

MVltum debet Vigilius isti nostro. Hic enim eum egregiè excusat, quòd in certamine, quod habebat cum Eutychete, nimis præcisè loquutus sit de humana natura in Christo. Eam enim, etsi propter unionem cum uerbo non desierit esse humana, tamen supra humanam naturam multas alias præclaras habuisse dotes. Etenim Christum etiam dixisse de carne sua, Eam non prodesse quicquã, eamq; sententiam uerissimam esse, utpote ab ipso fonte ueritatis profectam. Eundem tamen confessum esse, eam ipsam carnem, propter ineffabilem unionem cum spiritu, uerè esse cibum, atq; adeò uitalem. Multum ergo interesse, utrum naturam humanam in Christo propriè consideres, an eius conditiones, & dotes, quatenus assumpta est à uerbo dei, spectes. Ibi enim iam nos dei uirtutem, non hominis naturam contemplari. Hæc distinctio & Orthodoxa est, & necessaria: ideoq; repudiari non potest. Quis enim dubitet, naturam humam, quæ cum uerbo dei coniuncta sit, longè alias habere, & infinitis partibus ampliores prærogatiuas, quàm aliam quamuis communium hominum? Nam caro cuiusuis hominis, quantumuis sancti, apprehensa fide, si tamẽ id posset fieri, nec uitam, nec sanctitatem aliquam adferre posset: quæ tamen nobis Christi caro, cum eadem sit dei caro, opulentissimè cõfert. Rectissimè ergo Christus de carne sua dixit, eam nihil prodesse: idq; duplici nomine: Primùm si intelligeretur esse caro hominis puri, ac simplicis, quemadmodum eam Capernaitæ esse arbitrabantur: deinde, si concisa, & comminuta in frusta ore, ac dentibus comederetur. Illi enim non alia ratione carnem Christi comedi posse somniabant. His, inquam, rationibus caro ipsa Christi nihil comedentibus profuisset. At eadem cum sit dei caro pro nostra salute in mortem data, si fide, spiritu, atq; animo comedatur, & uerè transfundit æternam uitam in credentes, & illos ad eam nutrit, & instaurat. *Quomodò cárō Christi non prosit.*

Hæc, inquam, omnia etsi sunt uera, tamen si ad hoc negotium accommodentur, nihil momenti adferunt. Vigilius enim, cum aduersus Eutychetem de humana Christi natura disputaret, non de ea præcisè loquebatur, ut ait Inconstantius: sed ita eam spectabat, ut erat cum diuinitate coniuncta. Nam alioqui ad expugnandum illum hæreticum nihil promouisset. Eutyches enim Vigilij, uel potius Inconstantij argumentũ ita excepisset: Potuit quidem humana natura transire in diuinitatem: non tamen, quatenus erat natura hominis puri, ac simplicis, sed quatenus erat coniuncta cum uerbo dei; & quatenus alijs plurimis prærogatiuis & dotibus iã inde ab initio ornata fuerat. Quid hic faceret Vigilius? Quid, nisi ut confusus, & perturbatus æstuaret? Nam quemadmodum Inconstantius ait, carnem domini propter illam unionem, & coniunctionem, quam habet cum uerbo, cum sit in cœlo, esse eodem tempore in terra: ita Eutyches eodem iure dicere posset, ex ijsdem causis illam potuisse in diuinitatem sibi cõiunctam, & uniuersam commutari. Vigilius ergo considerauit humanam Christi naturam, ut coniunctam cum diuina: non autem, ut iste cogitat, præcisè de ea & seorsim loquebatur. Ostendit enim eam etiam post unionem tamen distinctam omninò manere à natura diuina. Diuinam enim simul & in cœlo, & in terris esse; humanam non esse. Atq; hoc argumento necesse est, ut hæreticum iugularit.

Sed pergamus porrò. Putat Inconstantius, Vigilium ad hunc modum argumentari: Si natura illa, quam Eutychiani unam in Christo uolunt, humana est, iam loco concluditur ipsa diuinitas. Nam, loco concludi, proprium est naturæ humanæ: sin illa diuina natura est, iam humanitas ubiq; diffunditur: quod æquè absurdum est atq; alterũ. Atqui, quemadmodũ ex ipsis uerbis clarissimè ostendam, uis argumentationis Vigilij non eo nititur, quo iste dicit: sed eo potius, quòd natura humana non possit simul, & eodem tempore recipere opposita; ni-

mirùm, Esse in terra, & non esse in terra: Esse in cœlo, & non esse in cœlo. In hæc enim Vigilij analysis terminatur. Nunc tamen fingamus saltem ita esse, ut iste fingit. Accipio, quod dat: id uidelicet esse proprium humanæ naturæ, ut concludatur loco, eoq; etiam certo, & uno. Cum ergo ita sit, cur tandem uos fingitis corpus Christi esse in Eucharistia absq; loco? Cur illud per omnes partes orbis terrarum simul, & eodem tempore esse statuitis? Hoc, mihi crede, Inconstanti, non est constare sibi. Longè, longeq; aliter loquitur Vigilius: quemadmodum posteà uidebimus.

Miror, uerò istum hoc sibi ad extremum permittere, ut ita scribat: Humanam Christi naturam posse ibi esse uirtute dei, ubi secũdum naturæ suæ proprietatem esse non possit. Quid ista sibi uolunt? Si ea, salua natura humanitatis, non potest simul, & in cœlo esse, & in terra, an id diuina aliqua uirtute assequetur? Minimè sanè. Ita enim diuina uirtute humana natura perimeretur. Eius enim ita propriũ est teneri uno aliquo certo loco, ut, si secus fiat, rationẽ humani corporis seruare non possit. Verùm ista Inconstantius pro nihilo putat. Tanti scilicet, Transubstantiationem, & realem illam præsentiam suam facit. Potiusq; multò Christum ipsum euerti, & tolli patietur, quàm ut in absurdissimis istis, & stupidissimis fictionibus, se quicquam errasse confiteatur. Cæterùm, quò ea, quæ diximus, planius intelligantur, uerba ipsa Vigilij subijciam. In primo libro Contrà Eutychetem sic habet: Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. Hic ait, Christum & adesse nobis, & à nobis recessisse. Adesse quidem nobis natura diuina: recessisse autem humanitate. Addit Vigilius: Quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit, nec deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis, in cœlo absens est à nobis: per formam dei, qua non discedit à nobis, in terris præsens est nobis: tamen & præsens, & absens unus, idemq; est nobis. Hæc ita sunt perspicua, ut qui in illis lumen, aut doctorem desideret, aut fatuus, aut ex pertinacia furiosus uideri possit. Cum autem Vigilius affirmat, unum, eundemq; Christum secundum humanam naturam & discessisse, & abesse à nobis, apparet, illum non ita præcisè in Christo humanam naturam consyderasse, ut eum uideri uult Inconstantius, sed eam unà cum diuinitate coniunxisse. Ait enim, eundem Christum per humanitatem abesse à nobis, qui nobis per diuinitatem semper adsit. Sed idem in libro 4. ita scribit: Si uerbi & carnis una natura est, quomodò, cum uerbum ubiq; sit, non inueniatur ubiq; & caro? Nam, quando in terra fuit, non erat utiq; in cœlo: & nunc, quia in cœlo est, non est utiq; in terra: & in tantum nõ est, ut secundum ipsam expectemus Christum de cœlo uenturum, quem secundum uerbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum uos aut uerbũ cum carne sua loco cõtinetur, aut caro cum uerbo ubiq; est: quoniam una natura contrarium quid, aut diuersum non recipit in se ipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, Circumscribi, & ubiq; esse. Quia uerbum ubiq; est: caro autem eius ubiq; non est: apparet, unum eundemq; Christum non eiusdem esse naturę: & esse quidem ubiq; secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ: creatum esse, & initium non habere: morti subiacere, & mori non posse. In hac tanta uerborum luce ego nihil aliud annotabo, nisi id, quod quiuis facilè potuisset etiam sine monitore intelligere, Vigilium resoluere argumentum suum in hoc principium: Eandem rem, & naturam non recipere in se opposita: qualia sunt, Esse ubiq;, & teneri loco: Esse creatum, & non habere initium: Esse mortale, & non mortale. Quare cum ista dicantur de Christo, idq; simul, & eodem tempore, necesse esse, eum non unius esse naturæ, sed diuersæ:

diuersæ: easq; naturas cum sint in Christo saluæ, & integræ, proprietates suas retinere saluas, & integras. Quod nisi detur, Vigilij ratio prorsus concidit.

OBIECTVM CCLII.

OBIICITVR ex Bernhardo in Cantica Canticorũ Ser. 33. Habeo, inquit, & ego Verbum, sed in carne: & mihi apponitur Veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo satiatur grano. Me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ palea, uelamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitijs spiritus quantulumcunque acceperunt condimentum: mors mihi protinus in olla, nisi de Prophetæ farina dulcoretur. Et mox: At quantalibet sanè abundantia pinguescunt ista, non pari omninò iucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti: fides, & opes: memoria, & præsentia: æternitas, & tempus: uultus, & speculum: imago dei, & forma serui. Hic uides apertè, Bernhardum antithesin facere inter memoriam, & præsentiam.

GARDINERVS.

SVAVISSIMA est hæc Bernhardi meditatio, uiã, & patriam conferentis: sed ita, ut in ipso ingressu fateatur de Eucharistia Catholicam doctrinam.

MARTYR.

FAcq; Inconstantius commemorat de consilio Bernhardi, facile recipimus: nimirùm, id illum agere, ut inflammet Lectores desiderio futuræ uitæ. Id autem ille aptissimè facit ex collatione donorum huius uitæ, cum illis donis, quibus cumulabimur in patria. Verùm hic longè fallitur Inconstantius, quòd putet Bernhardum statuere realem præsentiam corporis Christi, cum ita scribat: At mihi apponitur Veritas, sed in Sacramento. Sed caput huius erroris est, quòd iste arbitratur, nullam esse ueritatem Sacramenti, nisi res ipsa in eo præsens realiter constituatur. Est autem ista stupidissima hallucinatio. Veritas enim Christi, & eius humanæ naturæ & carnis, & sanguinis, & mortis eius, & Resurrectionis, in uerbis ipsis, & sermonibus diuinarum scripturarum ueriſſimè continetur, etsi nemo ita insaniat, ut ea ibi præsentia realiter esse putet. Veritas quidem Eucharistiæ citra controuersiam attribuenda est Sacramento: partim quòd significatio eius non sit uana, aut commentitia, utpote à Christo ipso authore, non ab hominibus instituta: partim etiam, quòd non fictum corpus, sed uerum, & certum significet: quod Christum uerum, & naturale habuisse, Hæretici negabant. Cum ergo Bernhardus dicat, nobis quoque apponi ueritatem, sed in Sacramento, quid hic potest Incõstantius certò colligere, unde statuat suam illam realem præsentiam? Quasi non etiam in Euangelijs, & in Apostolorum epistolis Veritas ipsa nobis humanæ Christi naturæ proponatur. Et quid tandem aliud sunt Sacramenta, quàm uerba quædam ui-

sibilia? Hac autem in re quantò Angeli nobis sint fœliciores, omnes facilè intelligunt. Id enim illi habent præsens, & conspicuum, quod à nobis non nisi per fidem, & in signorum inuolucris cognoscitur.

Quodq; in Bernhardo sequitur, Angelos uesci nudo grano: nos autem opor
„ tere contentos esse cortice Sacramenti, id Inconstantius libenter arripit. Idem,
„ inquit, granum, & à nobis habetur, & ab Angelis: sed non eodem modo. Illis da
„ tur nudum: nobis sub cortice, sub uelamine fidei, sub palea literæ, sub furfure
„ carnis. Ait quidem Bernhardus, Sic nobis apponi Christum, ut eum habeamus
sub uelamine fidei, & palea literæ. Nunc iudicet Lector, utrum ad id necessa-
ria sit realis illa, & corporalis præsentia. Certè non est. Nam sine ulla huiusmo-
di præsentia corpus Christi & fide percipitur, & in diuinis literis nobis propo-
„ nitur. Sed quam, obsecro, inquit Inconstantius, carnem intelligit Bernhar-
„ dus? cum dicit, sub furfure carnis? Certè non aliam, quàm carnem ipsam Chri
sti, cuius communione participes efficimur diuinitatis. Eam carnem appellat
furfurem si cum diuinitate conferatur. Et in eo Angelorum conditionem cum
nostro statu comparat. Illi enim simplicem dei puramq; naturam contemplan-
tur. Nos autem Christi diuinitatem non percipimus, nisi inuolutam carne. Ne-
que fides nostra aliter potest ad diuinam naturam, misericordiam, bonitatem,
fœlicitatem adspirare, nisi per humanitatem Christi: quæ quasi sequestra quæ-
dam posita est media inter nos, & deum, quatenus ea cum diuinitate coniun-
cta est. Proponitur ergo nobis, inquit Bernhardus, Verbum deus: uerùm sub
furfure carnis. Neque refert, siue id in Sacramentis fiat, siue in scripturis, si-
ue exercitio solo fidei: siue id olim intelligas factum, cum Christus nobiscum
in terris uersaretur. Nam tum quoque uerbum ipsum dei nisi sub furfure car-
nis conspici non potuit. Et rectè dixit Cyrillus: Nos, dum hic uiuimus, cras-
„ sius pascimur. Aspectu enim dei, quod unicum est animi pabulum, apertè, &
„ nudè, & sine medio frui non possumus. Nam per filium dei hominem factum
adducimur ad patrem. Nos ergo libenter recipimus, quod Bernhardus dicit,
& nos, & Angelos uesci grano. Nos enim, & Angeli mente, atque intelligen-
tia deum Christumq;, ut nostrum, illorumq; summum bonum complectimur:
illi reuelata facie, & summotis omnibus inuolucris id intuentur, quod cupiunt:
nos uerò non uidemus, nisi per fidem: cuius lumen à spiritu sancto in cordi-
bus nostris per uerbum dei, & usum Sacramentorum accenditur. Sed quid
ista, quæso, ad realem, & corporalem præsentiam? Eam enim uos uultis ore,
dentibus, palato, lingua, faucibus, & uentriculo percipi. Porrò uarietas, &
differentia inter nos, & Angelos satis ex Bernhardi uerbis, sine istis uestris com
mentis potest intelligi.

Cyrillus.

„ Accedit denique Inconstantius ad pondus ipsum argumenti, quod in eo si-
„ tum est, quòd Bernhardus dicat, nos habere memoriam, Angelos autem præ-
„ sentiam. Verùm cum molem, & uim horum uerborum sustinere non possit, ad
„ alienas quæstiones de alijs rebus sese confert. Primùm quærit, utrum Bernhar-
„ dus pugnet secum, quod attinet ad illa uerba, quæ iam ex illo citata sunt. Ego ue
„ rò respondeo, illum sibi pulcherrimimè consentire. At ille, inquit Inconstantius,
„ professus est, in Sacramento proponi ueritatem. Fateor. Sed cuiusmodi illa sit
„ ueritas iam dictum est. Adhæc quærit, utrum granum, quo uescimur sub cor-
„ tice, sit uerum granum. Quid'ni? Neque enim alium deum, aut Christum
alium fide complectimur, quàm illum ipsum, in quem Angeli intuentur. Idem
Christus & illos perspicuè conspectus beat: & nos per fidem, per uerba, &
Sacramenta pascit. Quærit insuper, Cur Bernhardus addiderit, furfurem car
nis. Non est difficile respondere: nimirùm, q; Angeli uerbũ dei, seu diuinitatem

Chri-

Christi sine carne, aut humana natura contemplentur: quod nos in huius uitæ itinere non possumus. Postremò quærit, Si omnia hic sint in sola memoria, quomodò fateri possimus Christum esse hic secundum naturam diuinitatis. Dicam. Agebat eo loco Bernardus de natura diuina, quatenùs ea secum habet unitam carnem: secundum quam & pati, & mori potuit pro salute nostra. Nam, ut Inconstantius ipse confitetur, hæc uerba trahuntur ad sacramentum Eucharistiæ, quemadmodum etiam Bernardus ipse satis indicat. Quod autem ad hanc Christi partem attinet, habemus eius memoriam: non quidem puram, nudam, simplicem, ut iste Sophista semper garrit: sed cum omnibus eius effectis, donis, fructibus, ac meritis: modò ad sacram illam Cœnam cum uera, & uiua fide accedamus. Proinde memoria, cuius Bernardus meminit, ad carnem & sanguinem domini referenda est, quæ duo cum passione ac morte commercium habere potuerunt, & ad Eucharistiæ sacramentum pertinent. Quare Inconstantius de natura diuina frustra quærit.

Postremò iste, cum ea, quæ commemoraui, per lõgas ambages circunduxisset, cœpit implorare tropum, quo sese aliquo saltem modo tueretur. Hæc, inquit, præsentia, si cum ea conferatur, quam expectamus, non est præsentia, sed potius quædam memoriæ refricatio. Qua, inquit, eadem ratione ibi dicimur quandoq; à Patribus, & nominatim ab Ambrosio in Psalm. 38. habere imaginem: quod nõ ita accipiendum est, quasi re ipsa destituamur: sed ex ui collationis. Nostra enim ista, quibus iam fruimur, si ad illa conferantur, quæ expectamus in patria, ita tenuia, & obscura sunt, ut umbræ, atq; imagines appellari possint. Putat ergo, Bernardum cum omni studio, atq; animo ferretur ad futura, extenuasse præsentia: & illud, quod inferius erat, uerbo imminuisse, ut id, quod susceperat amplificandum, magis emineret. Ad hæc ego tria respõdeo: Primùm, oportuisse Inconstantium maiore religione sibi à tropis temperare: præsertim cum eos tanta rabie insectari soleat in alijs: Deinde, uix esse credibile, sanctum illum uirum Bernardum, ut amplificationi suæ inseruiret, aperte mẽtiri uoluisse: Postremò, si id fortè exemplo aliquo excusari, aut liniri potest, quod equidem non prorsus inficior, tamen oportere Inconstantium pro sua æquitate, quod ipse sibi ita liberè usurpat, id nobis quoq; aliquando permittere. Sunt enim quædam Patrum loca uiolentiora, quæ omninò sine tropis non posse satis commodè intelligi iudicamus. Illi autem ita loqui uoluerunt, ut homines ad amorem, usum, & reuerentiam huius sacramenti magis excitarent. Hoc si nos interdum de Patribus respondemus, non possumus iure ab Inconstantio reprehendi. Nam ipse quoq; fatetur, Bernardum hoc loco intelligi non posse sine tropo. Quamuis autem Bernardus idem scribat in Sermone de diuo Martino, ueram substantiam carnis Christi etiam nunc adesse nobis, tamen adiecit, In sacramento: & paulò antè dixerat, eam, nõ carnaliter, sed spiritualiter exhiberi. At cur nobis minus liceat, ista excusare per tropum, quàm Inconstantio ea, quæ nos modò citauimus? Neque certè nos præsentiam fidei, unquam inficiati sumus. Postremò, si hoc etiam diceremus, Bernardum de hoc negotio non rectè sensisse, quòd omnia illa tempora superstitionibus, & tenebris essent mirabiliter offuscata, quis meritò posset de nobis conqueri? Ista autem uerba, quæ hic citata sunt à nobis, nemini ea diligẽter consideranti dubium esse potest, pro nostra sententia apertè facere.

Bernardus, ut sua tẽpora fuerunt, multis inuolutus est superstitionibus.

OBIECTVM CCLIII.

OBIICITVR ex eodem Bernardo in Sermone De Cœna domini. Vtitur simili de annulo, quo accipitur uel fides con-

iugalis, uel poſſeſsio alicuius dignitatis. Vt in ordinandis epiſcopis annulus, pedum, aut infula, ſigna ſunt rerum traditarum, eaq; non uana: certiſsimè enim ea largiuntur, quæ ſignificant. Illud idem Bernardus fieri oſtendit in Sacramentis.

GARDINERVS.

BERNARDVS *hoc agebat, ut fidem habeamus ſacramentis, tanquam certiſſimis ſignis.*

MARTYR.

„ PVtat, Bernardum illis uerbis duo docere uoluiſſe. Primùm, Sacramenta ma
„ iori certitudine conferre ea, quæ ſignificant, quàm illa, quę ab hominibus in
„ uenta ſunt. Deinde, ſimilitudines iſtas non eſſe adhibitas à Bernardo, ut doceat,
„ nihil amplius eſſe rei nobis conferendæ in ſacramentis, quàm in ijs ſignis, quæ
„ commemorat, earum rerum, quæ nobis per illa contingant. Hæc ille. Sed hoc ego uehementer ex iſto ſcire uelim, cum Aqua Baptiſmi, qua fideles tinguntur, Sacramentum ſit inuiſibilis gratiæ, & nouæ regenerationis in Chriſto, utrum plus iſtarum rerum putet in aqua re ipſa contineri, quàm fidei, poſſeſsionis, dignitatis uel in annulo, uel in pedo, uel in infula clauditur? Si affirmat, uidebitur deſipere, & delirare: ſi negat, quid cauſæ eſt, cur nobis ita acerbè ſuccenſeat, qui iſta ſimilia Bernardi pro nobis facientia in medium adducimus, præſertim cũ ab eo Patre ibidem Euchariſtici ſacramenti diſerta fiat mentio?

Sed repetit, & inculcat, Bernardum de præſentia reali carnis Chriſti in Euchariſtia apertiſsimè ſcripſiſſe in Sermone De Diuo Martino. Illum nos locum ſatis iam in ſuperiori Obiectione expoſuimus. Non tamen abs re erit, opinor, ſi illa uerba Bernardi, quibus noſtrum argumentum cõſtat, ſubijciamus. Ea autem
„ ſic habent: Sacramentum dicitur ſacrum ſignum, ſiue ſanctum ſecretum. Multa
„ enim fiunt propter ſe tantùm, alia uerò propter alia deſignanda: & ipſa dicuntur,
„ & ſunt ſigna. Vt enim de uſualibus accipiamus exemplum, datur annulus abſo
„ lutè propter annulum, & nulla eſt ſignificatio: & datur ad inueſtiendum de ali
„ qua dignitate, aut hæreditate: ita, ut iam dicere poſsit, qui accepit, Annulus non
„ ualet quicquam, ſed hæreditas eſt, quam quærebam. In hũc itaq; modum appro
„ pians paſsioni dominus, de gratia ſua curauit inueſtire nos, ut inuiſibilis gratia
„ ſigno aliquo uiſibili præſtaretur. Ad hæc inſtituta ſunt omnia ſacramẽta: ad hæc
„ Euchariſtiæ participatio: ad hæc pedum ablutio: ad hæc denique ipſe Baptiſmus.
„ Et mox: Sicut enim in exterioribus diuerſa ſunt ſigna, &, ut cœpto immoremur
„ exemplo, uariæ ſunt inueſtituræ, ſecundum ea, de quibus inueſtimur: uerbi gra
„ tia, inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per bacu
„ lum & annulum ſimul: ſicut in huiuſmodi rebus eſt, ſic & diuiſiones gratiarum
„ diuerſis ſunt traditæ ſacramentis. Quæ eſt gratia, unde per Baptiſmum inueſti
„ mur? Vtiq; purgatio delictorum. Nemo tam hebes eſt, opinor, qui non facilè uidere poſsit, ſimilia iſta Bernardi, & rationes, quibus ea perſpicuè applicat ad ſacramenta, noſtram doctrinam certiſsimè confirmare. Vnum tantùm ſupereſt, quod mihi Lector admonendus eſt, quodq; ſuperius non ſemel notaui, Sermonem illum Bernardi, De Cœna domini, qui in uolumine Bernardi iſtum ſequitur, unde uerba illa ſuperiora adducuntur, re uera non eſſe Bernardi. Ego enim ipſe in Gallica impreſsione meis oculis uidi, alterius cuiuſdã nomen illi Sermoni præfigi. Hoc autem idcircò moneo, quòd ibi ſciam multa circumferri abſurda.

O B.

OBIECTVM CCLIIII.

OBIICITVR ex eodem Bernhardo: In hunc itaque, inquit, modum appropians passioni dominus, de gratia sua curauit inuestire suos: ut inuisibilis gratia signo aliquo uisibili præstaretur. Ex eodem loco.

GARDINERVS.

QVOD *est in Eucharistia uisibile, signum dici, exploratum est.*

MARTYR.

HAnc sententiam Bernhardi suprà recensui. In ea tamen, quantumuis perspicua, Inconstantius, ut solet, cauillatur. Primum fatetur, id, quod est in Sacramento uisibile, signum esse. Pudet illum dicere, accidentia panis & uini esse signa: cum tamen per illud uisibile, nihil aliud intelligi uelit, quàm accidentia. Deinde addit, Bernhardum per Inuisibilem gratiam intelligere ueram præsentiam corporis domini. Idq; putat, se satis probare posse ex eo, quod Bernhardus gratiã illam appellat Inuisibilem. Eam enim uocẽ alioqui fore otiosam. Omnes enim satis intelligere, gratiã esse inuisibilem. Hoc ego ambiguũ nõ habeo; uerba enim ipsa id testantur, Bernhardum, cum dicat, dominũ in extremo illo tempore uitæ suæ curasse, ut suos inuestiret de gratia, manere in proposita similitudine de annulo, libro, & baculo: quibus in rebus quiuis facilè intelligit, quomodò ea possint, quæ significãtur, contineri. Nullo autem certè alio modo possunt, nisi per significationem.

An uerò uox illa, Inuisibilis, redundatura, & superuacanea futura sit, Inconstantius uiderit. Mihi sanè nõ uidetur. Imò ne Scholasticis quidem. Illi enim pene omnes definiunt Sacramentum, Esse inuisibilis gratiæ uisibile signũ. Quod nè ab illis non ita insulsè dici, uel ex eo satis liquet, quòd non omnia spiritualia dona sint insensibilia, ut Inconstantius nobis obiicit. Gratia enim sanationis, & gratia linguarum, & aliæ similes oculis percipiuntur, & sensu. Quare cum Bernhardus gratiam illam, quæ adscribitur Sacramentis, contrahere uoluerit ad illud genus gratiæ, quod uideri non possit, eam non ineptè appellauit Inuisibilem. Benhardum autem per gratiam illam inuisibilem significasse Christum sub accidentibus latitantem, id nobis oportuit Inconstantium nostrum aliquantò constantius confirmare: quod quia non fecit, irasci nobis non debet, si nos eum id ne potuisse quidem facere existimemus.

Definitio à scholasticis data de Eucharistia.

OBIECTVM CCLV.

OBIICITVR ex Bertramo in libello De Corpore & Sanguine domini. Ait enim de symbolis, ea, quod ad substantiam creaturarum attinet, idem esse post Consecrationem, quod fuerunt anteà.

GARDINERVS.

BERTRAMVS, *siue quis alius fuerit author eius operis, quod sub illius nomine fertur, callidus fuit, & impudens hæreticus.*

QVis in isto homine tantam insolentiam possit ferre, qui uirum & antiquũ, & in primis eruditum, tantùm quòd cum ipso non sentiat, tam contumelioſè accipiat? Non enim recens est author Bertramus: sed Bernhardo ipso, quem Inconstantius tantoperè miratur, plus minus trecentis annis antiquior. Vixit enim sub Carolo fratre Lotharij Imperatoris: ad quem etiam inscripsit librũ suum de Corpore & sanguine domini. Neq; sanè unquam ante nostra tempora uel impudentiæ, uel hæreseos à quoquã est postulatus. Debebat autem Inconstantius hæreses eius nominatim recitare, aut Concilium aliquod proferre, in quo fuerit aliquando pro Hæretico condemnatus. Abbas Tritemius, cum eum commemorat, non ita de eo mentionem facit, tanquam de Hæretico: sed eum scriptorem Ecclesiasticum, primùm doctum, deinde non inutilem fuisse ait. Sic enim de illo scribit: Bertramus presbyter, & monachus, in diuinis scripturis ualdè peritus, & in literis sæcularium disciplinarum egregiè doctus: ingenio subtilis & clarus eloquio: nec minus uita, quàm doctrina insignis. Scripsit multa præclara opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt, ad Carolum Regem fratrem Lotharij Imperatoris. Scripsit commendabile opus de Prædestinatione: Librum unũ de Corpore & sanguine domini. Claruit tempore Lotharij anno domini 840. Solet Abbas Tritemius, si quos recensear scriptores Hæreticos, aut ab Ecclesia condemnatos, id Lectorem non celare. Bertramum autem istum, quem Inconstãtius tanto supercilio reijcit ut Hæreticum, cõmendat, non tantùm à probitate uitæ, sed etiam à doctrina. Quid si nos quoque idẽ faceremus de illis authoribus, quos isti nobis perpetuò obtrudunt? quales sunt Theophylactus, Damascenus, & alij complures eiusdem ordinis? Quas isti Tragœdias non commouerent? Et tamen id multò æquius & rectius faceremus, quàm Inconstantius. Illorum enim hæreses uel digito monstrari possunt.

Abbas Tritemius.

Verùm hæc aliàs. Nunc me ad propositum refero. Symbola Eucharistiæ, inquit Bertramus, quod attinet ad substantiam creaturarũ, idem sunt post Consecrationem, quod fuerunt anteà. Si hæc hæresis ita est intolerabilis, ut iste clamat, cur non ante Bertramum damnatur Ambrosius, Theodoretus, Gelasius? Illi enim, uti suo loco diximus, idem docent. Et omninò omnes penè patres, ut de sacris scripturis taceam, affirmant in Sacramento Eucharistiæ manere naturam, & substantiam panis & uini. Sed Inconstantius noster expectare debet horrendum iudicium dei. Is enim nõ tantùm irascitur fratri suo sine causa, sed etiam eum indicta causa condemnat: nec illi tãtùm Raha dicit, aut eum appellat fatuũ, sed etiam ut Hæreticum execratur. Verùm apud illum, quicunque abhorret à superstitionibus, & cultibus idololatricis, & piè, ac purè deum colit, est hæreticus.

FINIS PRIORIS PARTIS.

SECVNDA PARS EIVSDEM LIBRI.

GARDINERVS *hunc titulum Secundæ parti libri præfixit.*

EXCVSSIO QVARVNDAM REGVLARVM, QVAS NON AD ERVENDAM E DIctis Patrum ueritatem, sed ad eam euertendam confictas, quidam hostis ueritatis edidit, & ueluti lata lege promulgauit.

REGVLA PRIMA.

SCRIPTVRA sancta alternatione quadam, quod symbolorum est, solet rebus attribuere: & uicissim, quæ rerũ sunt, attribuere symbolis. Qua eadem ratione & Patres utuntur: ut sæpè illos uideas ita de rebus agere, atq; si de symbolis loquerentur: & uicissim ita de symbolis, ac si res ipsas, & significata tractarent. Id autem potest congruere propter magnã similitudinem, quæ inter illa intercedit ex instituto domini. Augustinus hac de re mentionem facit ad Bonifacium: docet enim nomina in Sacramentis permutari.

GARDINERVS.

NOn erit *alienum ab hoc proposito, quod de Regulæ ui & natura tradit Iureconsultus, huc adscribere. Regula, inquit, est, quæ rem, quæ est, breuiter enarrat: non ut ex Regula ius sumatur, sed ex iure, quod est, regula fiat.*

MARTYR.

HActenus Inconstantius contra eos, quos uocat Sacramentarios, simul omnes omnibus uiribus sophisticæ suæ dimicauit: nunc uerò eadem rabie in me unum fertur. Tanto autem me, & tam implacabili odio persequitur, ut professus sit, se Bucerum, quem acerrimè semper oderat, tamen præ me amare. Ille, uidelicet, ego sum, quem ab initio inter Sacramentarios, minorem gentium hominem esse scribit: quemq; interdum, cum libet, Ψευδομάρτυρα, & falsum testem uocitat. Hic autem ita in me stomachosè scribit, ut me ne nomine quidem meo unquam appellare uelit: quasi me omninò habeat pro eo, qui olim incendit Dianæ templũ. Experiar tamen, quid isto suo ita perturbato conatu possit. Anteà autem quàm manus cum illo confero, exponam Lectori consilij mei rationem. Nolim quisquam cogitet, me aliquando scripsisse librum, quo profiterer, me Regulas, aut normas dare uelle, ex quibus Patres essent intelligendi. Fuisset enim id laboris propemodùm infiniti: maximè, cum res, & materiæ à Patribus tractatæ sint penè innumerabiles. Quare nihil mihi tale, ne dormiẽti quidem, unquam in mentem uenit. Verùm, cum in Tractatione quadam de Eucharistia, sententiam meam & scripturarum testimonijs, & multis Orthodoxorum Patrũ dictis,

& sententijs confirmassem,& aliquot iam aduersariorum nostrorum argumenta diluissem,essetq; mihi iam tum occurrendum locis quibusdam,quę illi nobis ob iectare solent è Patribus,quæq; leuiter inspecta uideri possint utcunq; cõtra nos facere,ne Lectores mei illa specie inducerentur in fraudem, operæpretium me facturum putabam, si ea, quæ ipse in lectione Patrum aliquando obseruassem, cum illis communicarem:non quidem confusè,ac generatim de rebus omnibus, sed tantùm, quod propriè pertineret ad illud negotium, quod tum habebam in manibus,de Eucharistia:ut illi annotationes meas,tanquã regulas quasdam haberent ob oculos,quarum ductu ad mentem,& sententiam Patrum minori cum errore, & facilius peruenirent. Et sanè cum illas scriberem, ad hunc modum
,, præfatus sum: Sed prius nonnulla statui præfari, quæ haberi possint tanquam
,, certæ regulæ ad intelligendos Patres, quoties de re Sacramentaria grandius &
,, augustius loquũtur. Non ergo potuit iste me iure taxare arrogantiæ:nihil enim mihi sumpsi, præterquam quod res ipsa, & illa disputatio requirebat. Cui enim de re aliqua disputanti potest interdici, quòminus, ut satis faciat sententijs Patrum,quæ ab aduersarijs obijciũtur,proloqui possit ea,quæ ille ex uaria lectione animaduerterit facere ad intelligẽtiam troporum,& figuratarum loquutionum, quibus illi passim uti solent?Hoc cum ego existimarem mihi licere facere, ingenuè fateor,me fecisse.Et confido equidem, me illo meo consilio apud æquos lectores non malam gratiam iniuisse.

Nunc uerò uideamus ,quàm id Inconstantius indignè ferat,quamq; ob eam
,, rem mihi contumeliosum conuitium faciat. Primùm definitionem Regulæ pe
,, tit à Iureconsultis:quasi ego Iureconsultorum more uoluerim scribere de Regulis Iuris. Tamen nescio quo pacto,ita eum prorsus odium & furor occæcauit,ut
Vlpianus. ea ipsa ab illis petat,quę maximè pro me faciant. Regula,inquit Vlpianus,est,
,, quæ rem,quæ est,breuiter enarrat:non ut ex Regula ius sumatur,sed ut ex iure,
Quid sit regula iuris. quod est,regula fiat. Ex hac definitione Inconstãtius colligit,Regulam esse annotationem,& indicationem eorum,quæ subsiant,& sunt. Me autem hanc ratio
,, nem regulæ uiolasse,ita probat.Nunc,inquit,audiamus, quid hic noster Regu-
,, larum architectus præfetur: se daturum, scilicet, certas regulas ad intelligendos
,, Patres:quod est,quomodò hic agit, regulis præscribere, unde ius sumatur, non
,, quod ex ipsis rebus, quæ uerè subessent in certas notas obseruatione redegerat,
,, propijs regulis edere. Non potuit melius in hac re meum consilium explicari, quàm ista Iurisconsulti definitione. Non enim ego ex meis illis Regulis, aut annotationibus ius aut ueritatem uel in scripturis,uel in Patribus oriri, & nasci uoluj; sed illis ea, quæ & in scripturis, & in Patribus obseruaueram, satis habui utcunq;,atq; ut potui,explicare. Neq; ego unquam aut scripsi, aut etiam cogitaui, me uelle Patribus aliqua in re præscribere. Tantùm ea recensui, & benignè lectori communicaui,quæ ex longa obseruatione collegerã,ne ille in legendis Patribus perturbatus illorum dicendi formulis,& illis in primis, quibus in hoc negotio uti solent, aberraret à uero. Quod nam ego hic admisi tam graue scelus? Ego enim nolui ex meis Regulis ius aliquod constituere;sed tantùm ostendere, quemadmodum multa intelligenda sint,quæ cadant sub eandem causam cum illis,quæ expressa sunt à Patribus. Vbi enim eadem est causa dictorum, ibi nemo dubitat eandem conuenire expositionem. A Iurisperitorum uerò methodo equidem non discessi. Illi enim cum in suis libris multos titulos,& uarias,ac multiplices materias tractauissent,ad extremum ius ipsum quibusdam regulis complexi sunt. Ita ego primùm ex Patribus adduxi loca, quibus aduersarij nostri ad suam causam constituendam uti solent. Deinde adieci sententiam meam, eamq; non tantùm scripturis sacris,sed etiam Patrum testimonijs confirmaui. Deniq;

illis

istis omnibus ad hunc modum ordine, & seorsim tractatis, proposui etiam Regulas, quarum quæq; certam aliquam causam contineret certæ alicuius dicendi formulæ, quæ ad alias loquutiones similes possit accommodari. Non ergo ab initio Tractationis meæ architectatus sum Regulas: sed locis iam compluribus excussis & declaratis, dedi Lectori, ut dixi, annotationes, quibus certius in patrum lectione dirigeretur: easq; non ita longè, aut aliunde petitas, sed ex patrum ipsorum & scripturarum diligenti obseruatione collectas.

Verùm remotis paulùm Iurisconsultis, legat Inconstantius tertium librum Augustini de Doctrina Christiana cap. 30. Inueniet ibi à Tichonio quodam scriptas fuisse quasdam Regulas: in quibus etsi author, cum esset Donatista, nonnihil errauerit, tamen eius consilium Augustinus non potuit improbare. Imò, si caueantur errores, ait in illis multa contineri utilissima, quæ plurimùm iuuare possint rudiores, si penetrare uelint in abditos, & reconditos sensus scripturarum. Ita uerò institutum illud non damnat, ut homines studiosos magnopere cohortetur ad eius libri lectionem. Quid multa? Illi ipsi libri Augustini de doctrina Christiana, quid aliud continent, quàm Regulas ad intelligendas sacras literas? Hoc si Augustino, & Tichonio licuit in scripturis, cur idem nobis non liceat in patribus? Nec tamen ego in uniuersum de patrum lectione statuere uolui, quod iste meus uidetur callidè, & malitiosè tacendo uelle significare, sed tantùm quod satis fore arbitrabar ad ilam disputationem, quam tum susceperam de Eucharistia. Si periculum est, ne erretur in sacris literis, an non etiam periculum, idq; æquè graue esse potest, ne erretur in patribus? Si ibi liceat ingredientibus monstrare uiam, ut Augustinus fecit, cur idem hic nõ liceat?

Augustinus. Tichonius.

Verùm, ut ad rem ipsam propius accedamus, primùm eo nomine me traducit, quòd in prima Regula scribam, in sacris literis alternationem quandam signorum, & rerum usurpari: non autem adscribam nominatim, quibus id in rebus, aut signis fiat; unde certa aliqua existat causæ comprehensio, qua hoc ab illo distingui possit. Et addit, me postulare, ut nostra cogitatio hac obscura admonitione fluctuet. Magnus, uidelicet, Magister Iuris queritur, me non dixisse nominatim, quibus in rebus, & signis accidat ista alternatio: cum tamen nescire non possit, me de Sacramentis tantùm agere: & præfatum esse ab initio, me traditurum esse Regulas de Sacramentis. Quid alia distinctione opus erat? Prudentis Lectoris est, cum uersatur aut in scripturis, aut in patribus, id attentè considerare. Sed dicat iste mihi, Cum in ff. secunda l. De Regulis Iuris decernitur, ut fœmina, aut puer impubes abstineat ab omnibus ciuilibus Officijs, quæ causa ibi expressè comprehenditur? Dices, quòd sint fœminæ, aut impuberes. Ego etiam uicissim dico, me idcircò in mea Regula posuisse istam alternationem, quòd sint signa & significata: Sacramenta, & res Sacramentorũ. Nam hæc inter sese magnam habent similitudinem. Si Vlpianus non peccauit, quòd nec Senatorum uxores, nec Augustam, nec Reginam aliquam expresserit nominatim: quid ego magis peccaui, qui in illa Regula non aliquod signorum, aut Sacramentorum genus expresserim? Atqui ex ipso Augustini testimonio, quod adduxi, satis intelligi potuit, de quo genere Sacramentorum egerim. Causam etiam diserte attigi, quòd inter rem ipsam, & signum magna quædam similitudo intercedat. Et nominatim quidem illud afferre potuissem è sacris literis, quòd corpus Christi dicitur frangi. Quis enim ibi non uideat, id, quod accidit in symbolo, transferri ad rem ipsam? Potuissem etiam illud adducere, quòd Iudæi iubentur comedere Pascha: quodq; dicuntur in carne sua circumferre fœdus domini: quodq; patres toties dicunt, nos aqua Baptismi regenerari. In his etenim, quod propriè ipsi rei conuenit, ad symbolum traducitur. Habeo au-

Vlpianus.

Augustinus.

tem hanc rationem, & causam, non tantùm ex Augustino, uerùm etiam ex Cy-
priano, ex Theodoreto, & ex alijs patribus. Et me quidem non oportuit hoc lo-
co ista ita copiosè exponere: præsertim, cum in ipsa tractatione quæ præcesserat,
ijsdem de rebus abundè dixissem.

» Cauillatur etiam iste, per me relinqui in dubio, Solum´ne panem Christus
» Apostolis suis dederit, an etiam corpus: &, Panem´ne tantùm iusserit manduca-
» ri, an etiam corpus. Atqui nihil hic erat dubij, nisi quãtum Inconstãtius uoluit.
Nos enim dicimus, Christum & panem dedisse, & corpus suum: & panem qui-
dem ore, & dentibus comedendum: corpus autem animo, & fide. Regula ue-
rò ista nostra eò conducit, ut, quoties corpus Christi dicitur aut à scripturis, aut
à patribus, uel ore comedi, uel manibus contingi, uel frangi, id per ἀλλοίωσιν, aut
alternationem facilè possimus expedire, & intelligamus, quod conuenit sym-
bolo, id attribui rei ipsi: & è diuerso, quoties audimus, panem Eucharistiæ ap-
pellari salutarem, & uiuificum, intelligamus, id, quòd rei ipsi propriè conue-
nit, adscribi symbolo.

» Fatetur tamen aliquando Inconstantius, Allœosin figuram esse, quæ, si quan
» do incidat, notanda sit: eam autem tradendam non esse, ut normam, ad quam
» sacras scripturas exigamus. Ita enim ait fore, ut desultoria quisque leuitate ad
» exemplum Zuinglij nomina rebus aut addat, aut detrahat, prout cuique bo-
» num & commodum uideatur. Hæc obseruatio mea, Inconstanti, non tradi-
ta est à me ut perpetua quædam regula, quam semper oporteat adhibere. Qui-
bus autem ea in locis adhibenda esset, non expressi, quòd id non existimarem
esse necessarium. Putaui enim, quemuis per se etiam sine monitore uidere pos-
se, quoties sententiæ aut scripturarum, aut patrum, uel propter articulos fidei,
cum quibus pugnent, uel propter alia diuinarum literarum testimonia non
possint accipi simpliciter. Sed intereà scire ex isto uelim, an Regulæ illæ
Iuris sui prorsus in omnibus rebus locum habeant, an interdum exceptioni-
bus contrahantur? Certè illæ quoque habent exceptiones suas, quemadmo-
dum etiam glossa testatur in ff. prima lege de Regulis Iuris. Non ergo ego le-
gem perpetuam tradere uolui, quæ semper inculcanda sit, quoties agitur
de Sacramentis. Tum enim demùm dixi, locum esse isti allœosi, & alterna-
tioni, quoties sententiæ intellectæ simpliciter, sensum alienum & absurdum
pariunt.

» Deinde garrit, nescio quid, de illis uerbis, Hoc est corpus meum: & me pri-
» mum omnium ait, ibi agnoscere allœosin. Atqui id ego nec dixi unquã, nec scri-
» psi uspiam. Ego enim in illis uerbis semper præ me tuli, me Metonymiam, aut
Synecdochen agnoscere. Quanquam ne ibi quidem negari potest esse allœosin,
si quis figuram illam ita intelligat, ut ego soleo. Nam Sacramẽtum Eucharistiæ
constat duabus partibus, Pane triticeo, & Christi corpore. Quare cum nomen
unius tribuatur alteri, & panis dicatur corpus Christi, negari non potest, esse ibi
manifestam nominum & uocum permutationem, seu allœosin. Neq; usitati illi
tropi Metonymia, & Synecdoche ab Allœosi & alternatione meo iudicio mul-
tùm absunt.

Addit, posse locum aliquem esse allœosi in scripturis, quoties attingũtur duæ
naturæ in Christo: ut quidem aliqui iudicant: nam alios ait esse, qui contra sen-
tiant, & propter Sacramentum exinanitionis Christi, prædicationes alteru-
trius naturæ de uno Christo proprias esse contendant. Vnde deus, inquit, dici-
» tur crucifixus propriè propter carnem uerbi propriam factam. Quemadmo-
» dum etiam deus dicitur propriè in utero complasmatus, & filius hominis es-
» se in cœlo. Quas locutiones illi ipsi ita intelligunt tamen, ut naturarum in
Chri-

Quãuis in illis uerbis, Hoc est corpus meũ, nõ cõstituo allœosin, sed metonymiã aut synecdochen. Attamen ibi potest aliquo modo esse.

Metonymia & synecdoche, nõ multũ abest ab allœosi.

Christo proprietates non confundantur. Vnde in illis loquutionibus allœosis figuram quidam admiserunt, sed alijs uerbis: scilicet, secundum cõmunicationem idiomatum, ut dixerunt. At allœosin symbolorum & rerum hic Regulator nobis primus inuexit, quod equidem legerim. Nam quod Augustinus ad Bonifacium scribit, ad metonymiam pertinet: & quod sensit, exemplis declarauit: quæ nihil promouent huius Regulæ causam: ut semper tribuatur rebus, quod sit symbolorum: & contrà. In locutionibus illis, in quibus altera ex duabus Christi naturis attingitur, quæ tamen interim enuntientur de toto Christo, & in quibus, quod de una tantùm parte dicitur, intelligitur de altera, adhibendam esse allœosin perspicuum est: nisi dicere uelimus, diuinam Christi naturam re uera fuisse crucifixam, aut naturam humanam Christi, cum esset in terris, eodem tempore fuisse in cœlo, aut eandem extitisse, antequam Abraham nasceretur. Itaq; non nihil miror, Inconstantium hac de re subdubitare potuisse. Verùm hoc, opinor, indicare uoluit, se quiduis facilè recepturum, quod putet posse nobis aliqua in re incommodare. Cæterùm ut ad rem ipsam ueniam, affirmo loquutiones illas Christo, quatenus unus est, esse proprias: & easdem uicissim non esse proprias illi naturę, quæ uerbis exprimitur. Vt cũ dicimus, Deus crucifixus est, etsi, affigi cruci, de Christo, quà unus, atq; integer est, propriè dici potest, tamen illud ipsum de Christo deo, quà deus est, propriè dici non potest. Et In cœlo esse, cum esset in terris, de Christo propriè dicitur: at idem de filio hominis, quà erat filius hominis, non propriè dicitur. Tamen propter summam illam unionem, quam appellant hypostaticam, duarum naturarum in Christo, facilè recepta est huiusmodi cõmunicatio idiomatum, id est proprietatum. Et ex eo sæpè fit ut res ipsæ, & loquutiones, quod attinet ad usum scripturarum, permutentur. Quod idem si ego statuo fieri in sacramentis, non uideo, cur meritò debeam accusari. Nam in illis quoq; duæ sunt partes naturarum disiunctissimarum: ut, in Eucharistia panis, & corpus Christi, quæ quamuis distẽt inter se, & loco longissimè sint disiuncta, tamen unione mysterij aptissimè coniunguntur. Quare etsi utraq; pars suam sibi proprietatem seruet incommunicatam, tamen ita coit, & congruit cum altera, ut utraq; coniuncta idem efficiat sacramẽtum. Ea uerò unio alternatione illa, quam dixi, appositissimè commendatur.

Me autem non primum hoc commentum esse, satis ostendunt loquutiones scripturarum: quarum etsi complures anteà commemorauí, tamen hic quoq; aliquot subijciam. In Leuitico deus passim dicitur sacrificijs ueterum propitiari, & placari offerentibus: cum tamen re uera placetur tantùm in Christo, qui illis sacrificijs significabatur. Nihilo tamen minus proprietas rei significatæ attribuitur symbolis. Deus enim odoratus est mortem Christi in odorem suauitatis: non autem nidores hircorum, taurorum, uitulorum. Et Paulus, cum ita scribat ad Philippen. Nos sumus Circumcisio, quid aliud quàm symbolum accipit pro re ipsa? Dicere enim uoluit, nos, qui credimus in Christũ, ad fœdus dei pertinere, quod Circumcisione significabatur. Cumq; idem ad Corinthios dicat, Vnus panis multi sumus, in symbolo rem ipsam indicat: nos, uidelicet, qui credimus, esse corpus Christi. Id enim panis ille significat. Rursus ait in eadem epistola, Pascha nostrum immolatus est Christus. Quis hic nõ uideat, rem ipsam positam esse pro signo? In Exodo scribitur, Pesach esse transitum domini. At Agnus ille, qui mactabatur, monumentum tantùm erat trãsitus domini. Christum autem prophetæ prædixerunt, sacrificandum esse, tanquam agnum. Paulus ergo dixit, Christum Agnum dei fuisse immolatum: agnum autem illum expresit uocabulo Paschæ. Nemini ergo ambiguum esse potest, alternationem istam usurpari in sacris literis etiam de Sacramentis. De Patribus uerò nihil dico. Loquuntur

Testimonia scripturarum in quibus allœosis est inter sacrameti partes

enim satis ipsi pro se. Vnum tamen proferam ex recentioribus, qui in Sacramentis agnouerit hanc alternationem ante me, uirum & doctrina, & dignitate, & pietate præstantissimum, Ioachimum Vadianum. Is enim in Aphorismis de Eucharistia libro 2. sic scribit: Mystica igitur unione rerum cum symbolis, quæ

Ioachimus Vadianus.

» sacramentum constituunt, factum est, ut eius indicandæ gratia, nominum etiam
» commutationem scripturæ usurparint: simul & hoc testatæ, uerarum, scilicet, re-
» rum, quas tractat, atq; exhibet Ecclesia, ea nomina esse, non apparentium, & si-
» mulatarum; quod nupero tamen Transubstantiationis dogmate in symbolorum
» euersione prætenditur. Porrò sicut nominum mutua quadam uariatione utitur
» scriptura, ita & uirtus rei haud rarò symbolo tribuitur, nõ alia causa, quàm cuius
» suprà meminimus: tribuitur enim toti, quod propriè non nisi partis est. Vt 1. Pe
» tri 3. Baptismus nos quoq; saluos reddit; quo non carnis sordes abijciuntur: sed
» quo fit, ut bona conscientia respõdeat apud deum. Et Paulus ad Ephesios cap. 5.
» ait, Ecclesiam lauacro aquæ mundatam esse per uerbum. In ijs, externis rebus &
» symbolis ea tribuũtur, quæ sunt spiritus sancti, & rerum significatarum. Et mox:
» Ita symbolis externis ueteres non nomina modò, sed opus etiam, & uim interne
» efficaciæ tribuerunt. Neq; id mirum in mysterijs externa cum internis, uisibilia
» cum inuisibilibus complexis, & uerbi interuentu uelut glutino cõsociatis. Ex
ijs quę totidem uerbis descripsi ex Vadiano, uidere potest Inconstantius, me nõ fuisse primum huius alternationis inuentorem. Potuissem etiam citare authores huius permutationis nominum Zuinglium, & Oecolampadium, sanctissimos uiros, & fortissimos Heroas, aliosq; nostrorum temporum qui ante me scripserunt. Sed illos omitto: uel quòd Inconstantius eorum sententiam ignorare non potuerit: uel quòd illi fateantur, quod ego etiam facio, se hanc doctrinam accepisse ab Augustino: quem tamen Inconstantius ait in epistola ad Bonifacium

Augustinus.

» uti metonymia, non permutatione nominum, aut allœosi. Atqui Augustinus de metonymia nihil dicit: tantùm contendit, nomina rerum ipsarum imponi signis, aut sacramentis; & idcircò Baptismum appellari fidem, quòd sit sacramentum fidei.

» Quod autem iste addit in calce, sic apud Augustinum ascisci noua nomina,
» ut uetera non intereant, ego profectò non intelligo, quid sibi uelit. Nos enim non dicimus, Panem ita appellari, & suo quodam modò esse corpus Christi, ut desinat priori appellatione uocari panis. Cumq; dicimus, deum fuisse crucifixũ, non ita genus illud mortis transferimus ad naturam Christi humanam, ut illemo Christus desinat uocari deus. Cumq; dicimus cum Paulo, corpus Christi frangi, non ita fractionem illam reuocamus ad symbolum, ut illud nolimus appellari aut corpus Christi, aut panem. Viderit ergo Inconstantius, in quos ista conueniant. Nos enim certè non attingunt. In carpenda autem hac mea Regula quàm rectè Zuinglium grauissimum, doctissimum, sanctissimumq; uirum accuset leuitatis, quiuis facilè uidere potest. Ille enim uir insigni constantia semper in eadem testificatione ueritatis usq; ad extremum uitæ diem perseuerauit. Quod certè Inconstantius ipse de se, etsi frontem omnem abiecerit, & quiduis audere possit, tamen affirmare non potest. Nam sub Henrico Rege ita defecit à Papa, ut contra eum non tantùm conciones acerrimas habuerit, sed etiam libros scripserit. Idem tamen posteà mutatis uentis desultoria prorsus leuitate ad illum rediit. Tamen istum nihil puduit, constantissimum, & sanctissimũ uirum Zuinglium accusare inconstantiæ.

RE-

REGVLA II.

QVOD si diligenter inspexeris ea, quæ suprà, infraq; dicuntur, semper uidebis, patres testari, hanc alimoniam spiritualem esse: non autem gulæ, dentis, aut uentris.

GARDINERVS.

HAEC *Regula apertè monstrat, hunc doctorem, non illud agere, ut doceat, sed ut fallat.*

MARTYR.

Ego, cum ista traderem, nõ tam docere uolui, quàm fallere, quid oportuit me hortari auditores meos, ut in patribus tanta attentione, non ea solùm, quę prima oculis offerrentur, expenderent, sed etiam antecedentia, consequentiaq; considerarent? Certè qui monet aliquem, ut sibi & à fronte, & à tergo caueat, & omnia diligenter circumspiciat, illum potius ab errore seruare cupit, quàm in errorem inducere. Sed ait, nihil opus esse tanta diligentia, circumspectione, su-
spectione, despectione in re tam clara. Si res, Inconstanti, ita est clara, quid te,
oportuit in ea uti tam longis ambagibus? Cur contra Reuerendissimũ patrem, & sanctissimum uirum Archiepiscopum Cantuariensem D. Thomã Crammerum, contraq; me tam anxia, tamq; subtili, ut quidem tui prædicant, ut autem res ipsa loquitur, tam spinosa, & salebrosa disputatione usus es? Ego non ridiculam, nescio quam, suspectionem, aut despectionem in patribus, & in sacris scripturis exigo, sed diligentem, & necessariam attentionem. Deinde etiam moneo, quid Lectores ex ea sint consecuturi. Quòd si ista mea Regula tantopere displicet, cur mecum non damnatur etiam Augustinus? Is enim in libro de doctrina Christiana hanc regulam eandem tradit: aitq; sensum locorum obscurorum ex antecedentibus, & consequentibus posse non raro colligi. *Augustinus.*

Verùm addit Inconstantius, & se, & catholicos omnes fateri alimoniam Eucharistiæ spiritualem esse. Atqui si est spiritualis, manibus, ut uos docetis, non
attingitur: si est spiritualis, non ore corporis accipitur, non dentibus commolitur, non in uentrem trajcitur: si est spiritualis, nõ adest caro Christi corporaliter sub accidentibus panis. Illud uerò indignissimè patitur, quod scripserim, hanc alimoniã non esse gulæ, dentis, aut uẽtris. Sed patientius paulò secũ cogitare de buit, me istas ipsas loquutiones accepisse à patribus: & Augustinũ ita suos commonefacere: Quid paras dentem & uentrẽ? Crede, & manducasti; Cyprianum etiam scribere, Non paramus uentrem, nec dentem acuimus. Irasci aũt nõ debet, siego, Gulam, interposuerim. Ea enim pars corporis inter dentes & uentrẽ intercedit. Quæsiuit olim Origenes, Vtrum iste cibus per secessum egeratur. Eam quæstionem ego hic non attigi. Quærunt Scholastici, quàm diu corpus Christi maneat in uentriculo fidelium, qui communicarint. Et quidam respondent, quàm diu species panis manserint integræ, & incolumes. Ego uerò miser, qui nihil horum dixerim, sed tantum gulæ, per quam cibus in uentriculum demittitur, mentionem fecerim, statim habeor pro Epicureo, qui ad gulam, & ad uentrẽ omnia referam. Sed uideo, quid istũ hominem pupugerit. Etsi enim aliis in locis tropos, & figuratas loquutiones ferre non possit, tamen ubi commodum uidet, ab illis nõ usq; adeò abhorret. Itaq; cũ audiret gulam nominari, suspicari cœpit, me non propriè loqui, sed, ut ipse solet, metaphoricè: eaq; uoce me non partem alicuius corporis notasse, sed uoracitatem, & uitiosum ciborum appetitum. Verùm hæc omitto. Est enim cauillatio potius Inconstantij, quàm firma congressio.

Eucharistiæ alimoniam aduersarius non sentit re uera esse spiritualem.
Augustinus.
Cyprianus.
Origenes.
Scholastici.
Gula.

„ Ad illud potius accedo, quod ait, Hic requiri oris etiam officium, & den-
„ tium. Christum enim dixisse, Accipite, & manducate. Abesse tamen oportere
„ omnem carnalem cogitationem: ne in cibum, inquit, Dominicum, ut in reli-
„ quos cibos, dentibus & uentre nos agere imaginemur: sed spiritualem alimo-
„ niam Christo iubente amplectamur. Hic ego Lectorem non tenebo multis uer-
bis. Dixi enim aliâs, in sacra Cœna, quod ad symbola attinet, requi officium oris ac dentium. Sed illud ipsum officium Inconstantius ad corpus etiam Christi pertinere, contendit quidem acriter, sed non probat. Excipit, Os nostrum, & dentes non agere in corpus Christi, ut in alios cibos. Quid ergo, quæso, agũt? Si dicas, Excipiunt. Obstat Christus. Is enim nõ tantùm, Accipite, ait, sed etiam manducate. Nec sanè manducare, ut opinor, est, quocunq; modo accipere. Obstat etiam Paulus, qui panem illum frangi attestatur. Actiones autem comedendi, & frangendi, sunt eius generis, ut etiam ad alios cibos adhibeantur. Vides ergo, Lector, in quas pedicas, & tenebras isti se conijciant: in eas profectò, unde se nunquam possint explicare.

„ Verùm iste, ut ostendat, istam regulam non congruere cum dictis patrum,
„ ait, illos uerbis disertis dicere, nos porrectum à domino in Cœna Sacramentum
„ excipientes ore, ipsum domini corpus in os admittere. Et clamat, me istam re-
„ gulam contra apertissima illorum pronuntiata edidisse: quò facilius meis per-
„ suaderem, spiritualem istam alimoniam non percipi ore corporis. Perstringit
„ etiam me, quòd, cum dentes, gulam, & uentrem commemorarem, tamen oris
„ mentionem nullam fecerim: quod tamen os ait patres non excluisse. Patres, cũ dicunt, nos in cœna ore recipere corpus Christi, formulam loquendi satis tum in Ecclesia notam, & usitatam retinent. Nam, quemadmodũ in prima Regula docuimus, non tantùm illi, sed etiam sacræ scripturæ rerum sæpè ipsarum proprietates, & nomina imponunt symbolis. Quòd autem ait, me data opera, & de industria mentionem oris omisisse, impudens est mendacium. Illud enim ego certè non prætermisissem, si mihi tum scribenti uenisset in mentem. Nec mihi tanti esse debuit, altricis facultatis omnia instrumenta enumerare. Neque enim dubitabam ex paucis illis, quæ recensuissem, lectorem ipsum per se facilè rediturum esse in memoriam aliorum. Verùm Inconstantius, cum ista tam leuia, & nugatoria consectetur, satis prodit, quanta laboret solidiorum argumentorum inopia. Sophisticum porrò, & captiosum est, quòd ait, patres illa membra ab hoc Sacramento non excludere. Quî enim illi hoc facere potuissent, cum symbola sine instrumentis corporis percipi, & edi nequeant? Illi tamen quemadmodum multis ostendi, instrumenta ea expressissimè excludunt à corpore domini.

„ Arbitrium, Lector, tuum, ad quod Inconstantius prouocat, equidem non re-
„ cuso. Hanc causam te arbitro uult disceptari, Nósne, an ipse magis in hoc Sacra-
„ mento spiritualem alimoniam constituamus. Ille uerò sententiam suam satis
„ superq; ex eo probatam putat, quòd dicat, substantiam ipsam corporis Chri-
„ sti uerè dari in Eucharistia, eamq; diuinam, & spiritualem: nos autem, quos
„ appellat figuratores, statuamus exhiberi nobis unam substantiam panis tritici,
„ quæ alat secundum naturam; cum corpus Christi, hoc est, panis superlubstantialis, quem ille contendit nobis dari, alat secundum gratiam. Hæc iste pro se. Sed nunc, Lector, nos etiam uicissim audi. Nos semper & diximus & docuimus, corpus ipsum & carnem Christi re uera dari ritè & cum fide percipientibus Sacramenta. Quare hac quidem in parte ab Inconstantio nondum uincimur. Hac autem in re nos propius accedimus ad spiritualem rationem alimoniæ, quòd modum etiam eam percipiendi omninò facimus spiritualem.

Quomodo nos dicamus alimoniam Eucharistiæ spiritualem esse.

Cor-

Corpus enim domini non alio modo, quàm fide, animo, & ſpiritu ſumi dicimus. Quare cum Inconſtantius dicat, illud ore, dentibus, palato ſumi, & poſtremò etiam tranſmitti in uentrẽ, neceſſe eſt, ut cauſa cadat. Adhæc nos affirmamus, corpus Chriſti ſpiritualiter tantum adeſſe communicantibus: nimirùm, quòd uera, & efficaci fide ab illis comprehendatur, quatenùs olim dabatur in crucem, quodq; ſic apprehenſum gratiam, ſpiritum, & cœleſtia dona, omnes uidelicet, fructus mortis ſuæ illis conferat. At Inconſtantius noſter, ut eſt Capernaita, illud carnaliter præſens adeſſe clamitat, & ſub accidentibus panis & uini prodigioſè delitescere. Quæſo te, pie Lector, uter noſtrum de corpore Chriſti ſpiritualius uidetur loqui? Certè nos, nõ rem ipſam tantùm, quæ percipitur, ſpiritualem eſſe dicimus, ſed ipſum etiam percipiendi modum, & inſtrumenta ipſa, atq; organa, quibus percipitur, ſpiritualia eſſe uolumus. Inconſtantius autem ſubſtantiam ipſam corporis & carnis Chriſti comedi, illudq; ore, ac dentibus, & palato, & uentriculo recipi, & teneri, & ſub accidentibus, & qualitatibus panis & uini uerè, & realiter inuolui, & tegi aſſerit. Tu iudica, quantum iſta ſapiant ſpiritum. Illud enim non repeto, quod toties iam diximus, euerti ab iſtis ſubſtantiã ipſam corporis Chriſti, cum illud in locis infinitis uno atq; eodem tempore uelint adeſſe realiter: tantùm abeſt, ut in eo quærant ueram aliquam rationem ſpiritualis alimoniæ.

Non autem eò me demittam hoc tempore, ut doceam, quàm falſum ſit, quod iſte obiicit, nos ſtatuere, ac docere, Panem tantùm triticeum dari in Euchariſtia: utq; ait, uentrem uerbis tantùm reiicere. Iſta uerò, Inconſtanti, nimis inſulſa, & ſtupida calumnia eſt. Quomodò enim nos uentrem, & dentem nõ explodimus, cum toties dicamus, ea ad corpus domini nullo modo poſſe peruenire? An id eſt ea uoce tantùm excludere? In te potius, & in tuos iſta conueniunt. Vos enim, nõ re ipſa, ſed uoce tantùm os corporis, & dentes, & palatum ad corpus Chriſti admouetis. Nos autem uniuerſum corporis officium ad ſymbola tantùm, non autem ad res ſignificatas referri uolumus. Cætera autem maledicta, & conuitia, quæ iſte ad extremum quaſi pro coronide in nos effudit, ne ut legantur quidem à quoquam digna ſunt, nedum ut à nobis confutentur. In hoc genere ego illum libẽter patior eſſe ſuperiorem. Quòd autem cum illis ſuis ſuſpectionibus, & deſpectionibus homo ſuauis tam argutè, & eleganter in nos illudit, ſcire debet, ſe, cum attentionem, & diligentiam in excutiendis Patribus, & antecedentia, conſequentiaq; inter ſe conferri nõ patiatur, apud prudentem lectorem in magnam uenire ſuſpicionem. Id enim eſt hominis ſibi non luce, & ratione, ſed tenebris, & caligine conſulentis.

REGVLA III.

SI quandoq; Patres dicunt, nos Chriſto carnaliter communicare, & ita communicare, ut corpus noſtrum alatur Euchariſtia, illa ita accipienda ſunt, ut intelligamus filium dei, cum conciperetur ex Virgine, & aſſumeret humanam naturam, tum nobiſcum carnaliter communicaſſe. Deinde & nos manemus in eo, & ille uiciſsim manet in nobis, cum nos uerbis eius credimus, & eius ſacramenta percipimus. Sic enim communicãdo additur nobis ſpiritus: & corpus noſtrum, quod eſt eiuſdem naturæ cum corpore Chriſti, redditur etiam ca-

pax earundem conditionũ, nimirùm, immortalitatis, & Resurrectionis: cumq; obsequatur, & inseruiat spiritui, uerè alitur ad uitam æternam. Atq; ita corpus nostrum bifariam pascitur in Eucharistia: primùm symbolis, deinde etiam hac instauratione ad uitam æternam: & ita Christus per hoc sacramentum dici potest in nobis manere. De prima Communicatione, quam habemus cum illo per natiuitatem, & incarnationem, habes testimoniũ ex epistola ad Hebræos cap. 2. Quia igitur, inquit, pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.

GARDINERVS.

HAEC *Regula ueritati insidias struit, dum carnalem Christi nobiscum communicationem, à nostra cum Christo carnali communione non distinguit.*

MARTYR.

QVeritur me insidias facere ueritati, magnus uidelicet ueritatis patronus: quòd carnalem Christi nobiscum communicationem, à nostra cum illo carnali communione non distinguam. Ego profectò uoces istas duas Communionem, & Communicationem, aut planè idem notare statuo, aut si quid est discriminis, id, quantum possum è Grammatica iudicare, in eo situm esse, quòd Cõmunicatio actionem aliquam, seu motum significet: Communio autem id, quod post actionem illam, aut motum relinquitur: ut Communicatio sit, qua quispiam sua faciat alteri communia: Cõmunio autem sit respectus quidam rerum earum, quæ eædem iam in pluribus communiter insint. Hoc ego discrimen inter istas uoces esse uideo: cuius cur non fecerim suprà mentionem, exponam posteà suo loco: quod tamen ipsum prudens lector, uel me tacente, facilè intelliget.

Cõmunicatio et Communio, quid interſint.

„ Ait iste, Christum in carne habuisse Communicationem, quemadmodum „ scribitur in epistola ad Hebræos: & quemadmodum Iohannes testatur, cum dicat, Et uerbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Ex ijs colligit, nos cum Christo nõ habere Communionem carnalem per mysterium Incarnationis: quòd ille ibi sumpserit de nostro. Nam ea communicatione effectum esse, ut Christus per omnia similis fieret nostræ carni, excepto peccato. Non tamen idcircò nos proti„ nus fuisse illi similes. Nostra enim, inquit, caro in illo eò prouecta est dignitatis, „ ut iam dei propria sit per ineffabilem unionem cum spiritu dei Christi: cuius spi„ ritus beneficio perficiendum in nobis supereſt, ut Christi carne à nobis uicissim „ susceptа, & nostræ per unionem coniuncta, carnalem cum Christo communio„ nem, & communicationem habere dicamur. Hæc Inconstantius: ex quibus facilè intelligi potest, quid Communionem, quidq; Communicationem esse uelit. Communicationem Christi nobiscum per eius Incarnationem factam esse, fatetur: Communionem negat. Eam enim tum demùm ait nos habere cum Christo, cum percipimus Eucharistiam. Cæterùm illum cõsyderare oportuit, quid tandem faciendum sit de Paulo. Is enim ad Corinthios ita scribit: Panis, quem frangimus, nónne cõmunicatio corporis Christi est? Hic uidemus Interpretem Latinum uocem illam Communicationem, non ad Incarnationis, sed ad Eucharistiæ mysterium retulisse. At Græcè, inquiet, est κοινωνία. Fateor. Verùm in Nouo Testamento uox ista usurpatur, non minus, cum nos ipsi de nostro alteri quippiam

κοινωνία.

piam communicamus, quam Inconſtantius uult eſſe communicationem, quàm cum aliquid nobis communicatur ab altero: quæ apud illum eſt communio. Paulus enim eo loco, quem iam citaui, Euchariſtiam appellat κοινωνίαν: in qua tamen nos percipimus carnem Chriſti, eo modo, quo iam ſæpè diximus: nec tantùm carnem, ſed etiam omnia eius merita, & proprietates, & fructus. Idem etiam cap. 15. ad Romanos ita ſcribit: Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία, καὶ Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι. Hic uox illa haud dubiè ſignificat liberalitatem, quæ à Macedonibus, & ab Achaicis conferebatur in Iudæos: & 2. Corinth. 8. τῶν χρείαν, inquit, καὶ τὴν κοινωνίαν ἢ διακονίας ἢ εἰς οὺς ἁγίους. Et 13. ad Hebræos, Τῆς δὲ εὐποιΐας, καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Hæc omnia, quod negari non poteſt, pertinent ad eleemoſynam, qua quiſpiam egentibus aliquid largitur de bonis ſuis. Quare cum ſacræ literæ utantur iſta uoce promiſcuè, apparet, diſcrimen iſtud Inconſtantij inane eſſe, & commentitium: ut quod non modò non ex loquutionibus, & phraſibus Noui Teſtamenti, ſed ne ex Grammatica quidem probari poſſit. Κοινωνία.

Sed fortaſſe dicet, ſe, miſſa ſignificatione uocum, de re potius ipſa diſceptare. Huc ergo uenio. Ait, Chriſtum ex Incarnatione ſua habere nobiſcum Communicationem: nos tamen ex ea nõ habere cum eo communionem. Quid ego hic audio? An non Communicatio eſt quædam inter duas partes relatio, propter id, quod habetur utrinq; , & ab altero in alterum proficiſcitur? Profectò niſi res eadem ſit ex utraq; parte non poteſt eſſe communicatio: nec fieri poteſt, ut Chriſtus naſcendo communicationem inierit nobiſcum, nos aũt cũ eo nõ inierimus. At ſi contendat, Chriſtum, cum naſceretur, accepiſſe carnem de noſtra: in Cœna autem uiciſſim carnem ſuam nobis dare, modò dandi, & communicandi ratio rectè accipiatur, id confitemur. Nam illam priorem communionem nos quoque dicimus per ſe ipſam non ita multùm nobis profuiſſe. Eam enim habemus communem cum impijs. Poſteriorem autem iſtam, quam habemus per fidem, dicimus ad æternam uitam, & ſalutem eſſe utilem. Per eam enim efficitur, ut caro illa, quam habemus communem cum Chriſto per Incarnationis beneficium, eius ipſius carni uerè euadat ſimilis, & ſpiritualibus, & cœleſtibus, & quodammodò diuinis conditionibus condecoretur, & ad immortalitatem, & æternam fœlicitatem præparetur.

Quod autem Inconſtantius addit, Nos in Euchariſtia ſuſcipere carnẽ Chriſti, quæ cum noſtra per unionem coniungatur, & ita coniungatur, ut iam cum Chriſto habeamus unionem carnalem: non aliò ſpectat, quàm ut ſtatuat, carnem Chriſti re ipſa uniri nobis per Euchariſtiam. Sed id neceſſe non erat. Iam enim anteà per Incarnationem Chriſti, quòd quidem ad formam, & ſpeciem, & naturam attinet, eandem cum Chriſto carnem habebamus. Quoniam autem ea caro in nobis impura eſt propter peccatum, ut uerè conſentiat, & congruat cũ carne Chriſti, neceſſe eſt, ut purgetur, & ornetur ſpiritu, & donis, & gratijs cœleſtibus. Id autem fit, cum nos fide, atq; animo carnem Chriſti pro nobis oblatam intimè complectimur.

Verùm Inconſtantius non uidet, ex illa reali unione carnis Chriſti cum carne noſtra, quam ipſe ſibi ſomniat, quantum abſurdorum conſequatur. Ita enim ſequeretur, in quouis noſtrum cum communicamus, ipſam eſſe realiter Chriſti carnem, ipſam etiam eſſe diuinitatem. Atq; ita tot erunt Chriſti, quot homines, qui redeant à communione: eosq; neceſſe erit ſalutare ut Chriſtos, & adorare tanquã Redemptores noſtros: nec tantùm in myſterijs, aut in panibus Euchariſticis, ſed etiã in ſingulis hominib. re ipſa erit corpus Chriſti: neq; illud, ut Schola ſtici garriũt, accidentibus panis corruptis in uentriculo, uel auolabit, uel eſſe deſinet, ſed noſtræ carni perpetuò realiter adhærebit. Neque uideo, quid ob- *Ex reali unione carnis Chriſti cum noſtra, multa ſequuntur abſurda.*

ſtet, quin carne noſtra aliquid patiente, etiam Chriſti caro idem patiatur: aut ea moriente, illa etiam unà moriatur. Poſtquam enim caro Chriſti, ut iſti dicunt, redacta eſt in unam maſſam propriè & uerè cum carne noſtra, ubi ea ſemel eſt mortua, quomodò tandem illa poteſt uiuere? Et noſtra carne putrescente in terra, quomodò poteſt caro Chriſti manere incorrupta? Nam in Euchariſtia habent aliquid ſuffugij. Dicunt enim, carnem Chriſti non commiſceri re ipſa cũ accidentibus panis & uini: itaq; illis pereuntibus, tamen fieri poſſe, ut caro domini maneat incorrupta. Hic autem, ſi ego eos rectè intelligo (uerba quidem certè non aliud ſonant) dicunt, carnem ipſam Chriſti cum noſtra carne permiſceri, confundi, colliquari, ut cera conflatur in aliam ceram, & poſtremò in unam maſſam redigi. Quare quod accidit uni, id neceſſe eſt euenire alteri. Scio equidem, patres interdum delectatos eſſe his hyperbolis. Sed quid ſibi in illis uoluerint, non ſemel iam anteà diximus: nimirùm, ex illa apprehenſione carnis Chriſti per fidem, conſequi ſimilitudinem carnis noſtræ cum carne Chriſti, quanta maxima in hac uita haberi poteſt.

,, Addit prætereà, In baptiſmo quidem nos regenerari ſpiritu, & complantari
,, Chriſto, & iam ex eo & corporis, & animæ haurire uitam. Poſteà tamen fieri
,, per Euchariſtiam, ut quos anteà regenerauerat ſpiritu ad uitam, eos uiuifico ci-
,, bo carnis ſuæ alat ad immortalitatem. Iſta expolita, & magnificè fucata uerbis, pulchra uidentur: excuſſis autem, & detractis iſtis coloribus diligenter examinata, ſunt, mihi crede, ridicula. Nam, quod ad rem ipſam attinet, idem habemus in Baptiſmo, quod in cœna: Chriſtum, uidelicet, Redemptorem, & ſalutem noſtram. Hoc tantùm intereſt, quòd ibi in Chriſto regeneramur: hic autem in eodem paſcimur. Idq; etſi non aliud, tamen uel phyſica ratio docere poteſt. Ea enim probat, homines ex ijſdem rebus & conſiſtere, & nutriri. Attende, quæſo te, Inconſtanti, ſi Chriſtum induimus in Baptiſmo, ſi regeneramur in eius naturam, ſi complantamur & inſerimur in eius corpus, dum ſacro Baptiſmi myſterio tingimur, quamuis nulla intercedat Tranſubſtantiatio, quamuis nulla ibi ponatur corporis & ſanguinis Chriſti realis præſentia, quid obſtat, quò minus poſſimus etiam abſque iſtis omnibus fictionibus ali, & nutriri carne Chriſti, & cum illa, quamuis loco abſenti, & diſiuncta, perfectiſſimè uniri? Et cui tandem uideri poteſt ueriſimile, ſubſtantiam ipſam carnis Chriſti haberi in perceptione Euchariſtiæ, & eandem in Baptiſmo, quod Sacramentum eſt Regenerationis, non haberi? Et quid de infantibus faciemus, qui tantùm tincti ex hac uita migrauerunt? ad communionem autem Euchariſtiæ, quoniam mos ille nunc obtinuit in Eccleſia, non peruenerunt? Illi certè, ſi Inconſtantio credimus, communionem cum Chriſti carne non habebunt. Sed ruinoſa iſta tua ſunt, Inconſtanti, fundamenta: eoq; mirum non eſt, ſi tot modis extructiones tuæ concidant.

Idẽ habetur in Baptiſmo quod in Cœna.

,, Poſteà citat patres, qui dicant, nos accipere corpus in quo inhabitat omnis
,, plenitudo diuinitatis. Hoc quoq; nos fatebimur, ſi conſtet de accipiendi ratione, & modo. Quod autem ſubijcit, ueriſſimum eſt. Sic enim ſcribit: Quemadmodum Chriſtus in carne noſtra uiuere uoluit: ſic in carnis ab eo ſuſceptæ uir
,, tute nos uiuamus, corpore, & anima immortales futuri. Nos ſemper prædicaumus, & conſtãter docuimus, uirtutem carnis Chriſti, hoc eſt, meriti mortis eius, quã tulit in carne, unicè nobis conducere ad æternam uitam. Vt taũt illa uirtus inde calumniatur, me diſſimulare eam ſanctificationem, quæ in nos proficiſcatur à carne Chriſti. Atqui ego ſemper ſenſi, docui, ſcripſi, ſanctificationem noſtram tranſire ad nos à deo per carnem Chriſti. Humanitatem enim Chriſti quaſi

quasi canalem quendam esse, per quem non modò sanctificatio, sed etiam omnis uiuifica gratia possit in nos à deo dimanare: & tum demùm homines maximè sanctificari, cum uerè complectuntur, & credunt mortem eius.

Humanitas Christi canalis est, per quem à deo in nos gratiæ deriuantur. Cyrillus.

Ait, Cyrillum scribere in Iohannem lib. 11. cap. 27. Christum in mystica benedictione se nobis communicare: ut hominem uidelicet, carne uiuifica sanctificationē peragendo: ut gustu, & tactu nobis cognato, hausto & accepto Christi, sanguine sanctificemur. Hęc nostræ sententiæ nihil aduersantur. Mysticam quidem benedictionem ille appellat Eucharistiam. In ea autem Christus ita se nobis communicat, ut solet in legendo, aut audiendo uerbo dei. Atq; hoc simili eò libentius utor, quòd, quemadmodum sæpè diximus ex Augustino, Sacramenta sint uerba quædam uisibilia. Quod autem ait Christum in Eucharistia se nobis communicare tanquam hominem, id ita intelligendum est, quòd illum in hoc sacramēto ita fide complectimur, ut pro nobis fuit affixus ad crucem, quodq; mortem eius, quanta possumus reuerentia, prędicamus. Mors autem Christo non potuit ullo modo conuenire, nisi quatenus erat homo. Quod autem additur de gustu, & tactu nobis cognato, non potest intelligi nisi de symbolis. Nemo enim unquam ita communicauit, ut gustu, aut tactu corpus & sanguinem Christi re ipsa sentiret, & apprehēderet: nisi fortè Inconstantij nostri sensus prærogatiua aliqua ab aliorum sensibus distinguantur.

Sed addit, Omnia ea, quæ Christus in sacramento fieri uoluit, effici præsentia eius carnis: itaq; nos, qui quæramus, quid illa præsentia opus sit, mysterium carnis aut ignorare, aut dissimulare. Hæc ille dicere tantùm uoluit. Nam probationem satis modestè reliquit alijs. Certè ad ea, quæ Christus effici uoluit in Eucharistia, nihil opus est reali præsentia. Quicquid enim iste garriat, uerba illa Christi, Hoc est corpus meum, nullam eiusmodi doctrinam nobis exprimunt.

Quòd autem clamat, nos Eutychianos esse, & carnem Christi extinguere, etsi non eadem ratione, qua illi (illos enim putasse, carnem Christi cōuersam esse in diuinam naturam, nec amplius consistere in natura sua: nos autē omnem eius usum, & fructum, qui ex illa capiendus erat, auferre, & docere, eā nobis à morte nihil prodesse, omnem enim sanctificationem ad homines deriuari à solo spiritu, carnis autem Christi memoriam tantùm aliquam, & meditationem retineri) quod, inquam, ista nobis obijcit, quid aliud esse dicam, nisi cōtumeliosum, & impudens mendacium? Tantùm enim abest, ut nos extinguere uelimus humanam naturam Christi, ut eius defendendæ, & asserendæ causa contra uos assiduè depugnemus. Vos Inconstāti, uos, inquam, eam extinguitis, & quantùm quidem in uobis est, funditùs tollitis: cum eam sub inuolucris, & accidētibus in locis innumerabilibus portentosè concluditis: cum eam in os, in palatum, in gulam, in uentrem contruditis: cum eam unà cum hominum carne realiter miscetis, & in unam massam redigitis, cumq; illam sua quantitate ac dimensionibus expoliatis. Hoc re ipsa est domini carnem abolere, & cum Eutychianis apertè facere. Nos autem eam, non quidem in terris, sed in cœlo integram conseruamus. Nec tamē interim ea causa usum eius ab Ecclesia tollimus, ut iste calumniatur. An enim, obsecro, qui dicit, carnem Christi fide apprehensam uiuificare, iustificare, alere, usum eius omnem tollit? Tu autem, quantum uideo, nihil eam prodesse statuis, nisi per os, per dentes, per gulam in uentrem denicq; trajciatur.

Verùm quod ait, nos dicere, hominem sanctificari solo spiritu, ambiguū est. Nam si id intelligat de spiritu Christi, fatemur, nos sanctificari solo spiritu: quem tamē spiritum dicimus nobis per fidem mortis eius, & Resurrectionis communicari: hæc autem spectant ad carnem. At si idem intelligat de nostro spiritu, nō est uerum. Nam per mortem Christi, & eius Resurrectionem, quemadmodum

Paulus ſcribit ad Theſſalonicēſes, integri, ſancti, & abſoluti efficimur & ſpiritu,
» & anima, & corpore. Addit, nos illis uerbis, Spirituale, & Spiritualiter, quibus
» toties utimur, intelligere ſolum ſpiritum, carnem autem omninò excludere:
» cumq; dicimus, Spiritualem manducationem carnis, nihil aliud, quàm recorda-
» tionem eius carnis iam olim pro nobis paſſæ ſignificare. Ex iſtis duobus, quo-
modò hic afferūtur, illud prius, quod ait, nos illis uerbis, Spirituale, et Spirituali-
ter, excludere uelle carnem Chriſti, falſum eſt. Nos enim non dicimus, carnem
Chriſti conuerſam eſſe in ſpiritum. Imò potius dicimus, Chriſtum adhuc & ſo-
liditatem oſsium, & omnes partes humani corporis retinere. Fides enim noſtra,
non fictam rem aliquam apprehendit, ſed ueram, & ſolidam, & humanam car-
nem. Manducationem autem eius carnis dicimus eſſe ſpiritualem, quòd ea non
ore, ac dentibus, ſed animo, & ſpiritu perficiatur. Hoc illud eſt, quod nos appel-
lamus ſpirituale. Nunc tu uiciſsim, Inconſtanti, dicito, quid ipſe uelis illis ſig-
dem uerbis ſpirituale, & ſpiritualiter, in Euchariſtia ſignificari. Nam tu quoque
eam ſpiritualem alimoniam non ſemel appellaſti. Profectò, cum ſtatuas præſen-
tiam corporalem, & oris, ac dentium officia requiras, eaq; non ad ſymbola, ſed
ad ipſum Chriſti corpus accommodes, quomodò iſtis uocibus uti poſsis non ui-
deo. Nam ſi hoc ſpirituale eſt, quid tandem eſſe poteſt corporale? Nos quidem
non conuertimus carnem in ſpiritum: tu uerò rem eam, quæ nec guſtatur, nec
tangitur, & tangi aſſeris, & guſtari: & omninò ſenſibus externis actiones tribuis
ſpirituales. Iam uerò, quòd ſecundo loco dicis, nos manducationem ſpiritua-
lem appellare recordationem carnis Chriſti pro nobis oblatæ, nihil habet abſur-
di: modò ne illa recordatio inanis ſit, aut frigida, ſed uiua, & uehemens, & cum
efficaci fide coniuncta.

Synodus Ephe-ſina. Nec nos, ut iſte calumniatur, ulla in re aduerſamur Concilio Epheſino. Nā
quod ibi ſcribitur, Nos in myſtica benedictione accipere carnem uiuificam, id
» eodem modo intelligimus, quo paulò antè uerba Cyrilli. Atqui, inquit Incon-
» ſtantius, niſi iſta caro uiuifica exhibeatur manducanda, unde exoriri potuit illa
» quæſtio, ſi illi tum putarint, omnem noſtrā ſanctificationem peragi ſolo ſpiritu?
» Et unde, illud, Solam humanitatis naturam manducari, ſi à carne non eſſet ſan-
» ctificatio? Et quomodò ſanctificaret caro, niſi dei uirtute in ſacramento daretur,
» ut carnalis nobis cum Chriſto fieret communicatio? Primùm, uelim Lectorem
hoc intelligere, nos cum dicimus, ſanctificationem proficiſci à ſpiritu, ſtatuere, il
lam ad nos per carnem Chriſti, hoc eſt, per mortem eius fide apprehenſam pro-
ficiſci: ſed ita, ut ſpiritus ſanctus utatur ſymbolis ſacramētorum, tanquam inſtru-
mentis, ad fidem in nobis excitandam. Poſſumus ergo uerè dicere, ſanctificatio
nem tranſire ad nos à carne domini, quòd in illa ſitum ſit pretium redemptionis
noſtræ: quodq; omnis eius fructus ab illa pendeat, & manet. Nec mihi ita diſ-
Quæſtio Concilij Epheſini. ficilè eſt, oſtendere Inconſtantio, unde illa quæſtio orta ſit in Concilio Epheſino
contra Neſtorium. Neſtorius enim ſtatuebat, Chriſtum eſſe nudum, & purum
hominem: nec ullam in eo eſſe unionem diuinæ naturæ cum humana hypoſtati-
cam. Satis enim illi eſſe uidebatur, ſi homini Chriſto deum per inhabitationem,
& plenitudinem gratiæ, & donorum coniungeret. Quod ſi ita res haberet, iam
Chriſti caro eſſet hominis communis caro, nec in eadem hypoſtaſi haberet con-
iunctam diuinitatem: atq; ita ſanctificatio ad nos ab illa deriuari nulla poſſet, nō
magis, quàm à carne Petri, Pauli, Iacobi: qui, quamuis fuerint ſancti, tamē alios
ui ſua non ſanctificant. Hic ſtatus erat controuerſiæ cum Neſtorio. Non au-
tem hoc in illo Concilio quærebatur, Orēne corporis, an fide, ac ſpiritu ſumenda
eſſet caro Chriſti. Tantundem ergo eſt, quod ad illam quæſtionem attinet, ſiue
hoc, ſiue illud dicas. Hac enim in re utriq; inter nos conſentimus, carnem Chriſti
ſume-

sumptam à nobis, uim habere sanctificandi. In eo autem dissidemus, quòd uos præsentiam eius carnis in Eucharistia realem statuitis: nos autem aprrehensione eius per fidem, & spiritum contenti sumus. At Nestorius, cum eam puri, & nudi hominis carnem esse diceret, non potuit statuere, ullam ex ea ad nos deriuari posse sanctificationem, quocunq; ea modo sumeretur.

Ne quid autem in hac re finxisse uidear, ipsius Concilij uerba ex epistola ad Nestorium subijciam. Incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretioſi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut uiri sanctificati, & uerbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed uerè uiuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, ut deus, existens, quia propriæ carni unitus est, uiuificatricem esse eam, professus est. Et ideò, quamuis dicat ad nos, Amen, Amen, dico uobis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non tamen eam, ut hominis unius ex nobis existimare debemus, (Quomodò enim iuxta naturam suam uiuificatrix esse caro poterit hominis?) sed ut uerè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & uocatus. Hic uidere potes, pie Lector, me neque à uero Concilij sensu aberrare, neque in eo interpretando ullum uoluisse fucum facere.

Epistola Concilij Nicæni.

Nunc uerò argumentum illud audiamus, quod iste putat se ex nostra doctrina posse concludere. Quòd si uolunt, inquit, carnem absentẽ sanctificare, oportet concedere, spiritum esse humanitatis organum, quod est absurdo absurdius: uel humanam naturam infinitam esse, quæ uim suam, & defluxum quaqua uersus emittat, quod est insanum. Quòd si aut natura non dedit Inconstantio, ut inter infirmas, & firmas connexiones posset dijudicare, aut studium peruersum, & rabies dedit, ut infirmas pro firmis obtruderet, iniquum est, ut eius aut infœlicitas, aut malitia nostrę causæ officere debeat. Scire ergo debet, ex nostra sententia neutrum istorum absurdorum consequi. Primùm enim caro Christi, quamuis absens loco, tamen præsens fide nos sanctificat. Nec tamen spiritus est instrumentum humanitatis domini. Nam spiritus, & Verbum dei, hoc est, natura diuina, est efficiens causa nostrę sanctificationis. Medium aũt, per quod ea sanctificationem ad nos transfundit, est Christi humanitas. Itaque si rectè loqui uolumus, natura humana potius est instrumentum diuinitatis, hoc est, Verbi, ac spiritus.

Natura diuina est efficiens causa nostræ salutis, & sanctificationis.

Aequè firmum etiam alterum illud est, quod ait, ex nostra doctrina consequi, naturam humanam esse infinitam. Nihil enim à nostra sentẽtia ne fingi quidem potest magis alienũ. Nos enim ubicq; aduersus istas pecudes contendimus, naturam Christi humanam suis terminis, figuris, lineamentis, partibus, membris contineri. Quamuis autẽ sit finita, tamen uis quædam sanctificandi potest ab ea ad omnes, qui ubicq; sunt, peruenire. Sanctificatio enim spiritualis res est, nõ corporea. Nónne enim, ne longius discedamus, in ipsa rerum natura uidemus Solis astrum finitum esse ac certo sui orbis loco teneri? Tamen eius lumen, & influxus in omnes partes orbis terrarum pertinet. Nec tamen uis illa diuina, spiritus & gratia, quæ defluit à Christo sedente in cœlis quod ad carnem attinet, aut subtilitate, aut tenuitate rectè confertur cum lumine & influxu Solis. Illa enim nullo sensu potest percipi: lumen autem Solis, non tantùm ab hominibus, sed etiam à crassioribus animalibus percipitur. Hic mihi Inconstantius uidetur, nimium abuti uoluisse simplicitate Lectoris: quasi ille, quicunq; tandem esset, harum rationum imbecillitatem, non enim dicam stultitiam, uidere non posset.

Christi humanitas est medium per quod sanctificatio diuinitus ad nos trãsfunditur.

,, Quin ipſe potius nobis explicet, quomodo tandē uerū eſſe poſſit, q̄d ſubiecit,
,, Carnem Chriſti in proprietate naturæ finitæ manentem uirtute ſpiritus ſancti di
,, ſtribui ſingulis in Sacramento. Nam caro Chriſti, ſi finita eſt, nō poteſt abſq; di
ſtractione ſui, aut uagari per omnia loca, ubi Sacramenta percipiuntur, aut in
omnibus locis permanere, in quibus ea aſſeruātur. Neceſſe enim eſt, ut aut mul-
tiplicetur, ut iam multos habeamus Chriſtos: aut diſtrahatur, ut nullum habea-
mus integrum. Cogitet Inconſtantius, quid hic oporteat reſpōdere. Fortaſſe re-
cipiet ſe in frigidum illud latibulum miraculorum & potentiæ dei. Sed illi eam
uiam iam anteà intercluſimus.

,, Quod autem ait, nos abhorrere ab omni ſanctificatione carnis, id ſatis iam ſa
,, tisq; confutauimus. Falſum etiam eſt, quod ait, nos unionem carnis noſtræ,
,, quam habemus cum Chriſto, non referre acceptam eius carni uiuificæ, quam ip
,, ſe nobis tradat per Sacramentum. Etſi enim unionem noſtram cū Chriſto non
confitemur pendere totam ab Euchariſtia, ita enim paruulos, qui ex hac uita di-
ſcedant ſine Euchariſtia, à Chriſti unione excluderemus, nunquam tamen infi-
ciati ſumus, ex ea fide, & ſpiritu apprehenſa & ſanctificari carnem noſtram, &
uniri cum Chriſto. Verùm diſcrimen uniuerſum in eo ſitum eſt, quòd iſte pu
tat, nihil ſanctificationis ad nos peruenire poſſe à carne Chriſti, niſi ea ore, ac den
tibus māducetur, & realiter in uentriculum recipiatur: nos autem è diuerſo men
tis tantùm, & fidei perceptione contenti ſumus, eaq; nos ſatis poſſe ſanctificari,
non dubitamus.

REGVLA IIII.

CONSIDERES præterea, uerbum illud, Conſecrare, non aliud ſignificare apud patres, quàm rem cōmunem, & pro-
fanam ſacro uſui dedicare: & hoc eſt illam ſanctam reddere. Nihil ergo cauſæ eſt, cur, quoties in patribus occurrit uox il-
la, Conſecratio, ſtatim ibi nobis fingamus Tranſubſtan-
tiationem.

GARDINERVS.

QVALIS eſt hic Regulator, qui quod ſit ſpeciale, exigi iubet ad normam generis: quod eſt, notas abijcere ſuas, ne dinoſcatur?

MARTYR.

,, INſectatur iſte me conuitio, quaſi qui id, quod pertineat ad ſpeciem, exigi ue-
,, lim ad normam generis. Nam Conſecrationem huius Samenti omninò cōten
,, dit rem fuiſſe ſingularē: quod dominus in ultima illa cœna rem inſenſibilem acce
,, perit in manus, ut Epiphanius ait, & de ea dixerit, Hoc eſt corpus meum: cum
Epiphanius. nihil ibi eſſet ſimile corporis: cum tamen, ut Epiphanius idem inquit, nemo
,, ſit, qui non credat, dominum uera dixiſſe: aut, ſi quis non credat, eum à gra-
,, tia excidiſſe. Itaque concludit, Chriſtum hic multò plus feciſſe, quàm ſi tan-
,, tùm rem profanam ſacris uſibus addixiſſet: quomodò ædes, & donaria ſolent
,, conſecrari. Equidem, Lector, in mea iſta regula non dixi, Sacramentum
Euchariſtiæ nihil habere ſeorſim, & peculiare præ alijs Sacramentis: ſed, quod
in proxima Regula uidere potes, adieci, illud in eum uſum, & finem fuiſ-
ſe inſtitutum, ut corpus & ſanguis domini ui ſpiritus ſancti per illud fidei,
atq;

atque animo noſtro exhiberentur ſpiritualiter comedenda. Hoc autem ſacramentum in genere cum alijs ſacramentis non congruere, quomodò tandem nobis probabit Inconſtantius? An quòd Chriſtus dixerit, Hoc eſt corpus meum, & ita dicendo uerum dixerit? Nos quoq; dominum uerum dixiſſe confitemur, neq; Epiphanij interpretationi refragamur. Quàm autem procul eius uerba abſint ab huius noſtri Sophiſtæ ſentẽtia, ſuprà ſuo loco expoſuimus. Hic enim ſomniat, Chriſtum de, neſcio quo, Indiuiduo uago, quod in rerum natura non extet, dixiſſe, Hoc eſt corpus meum. At Epiphanius ait, Chriſtum id pronuntiaſſe de re inanimata, & rotundæ figurę, & inſenſibili. Cogitet nũc ſecum Inconſtantius, ſitne Indiuiduum uagum figuræ rotundæ, aut inſenſibile. Breuiter id in hoc ſacramento eſſe dico peculiare, quòd Chriſtus propoſito pane & uino, tanquam inſtrumentis quibuſdam excitare uelit fidem noſtram, qua ſuum corpus & ſanguinem, quatenùs ea pro nobis oblata ſunt in cibum complectamur.

Sed Inconſtantius, ut Tranſubſtãtiationem ſuam aliqua ſaltem ratione probet, citat ad extremũ Emiſſenum, quem eundem ijſdem uerbis nobis iam anteà non ſemel obiectauit. Inuiſibilis, inquit Emiſſenus, ſacerdos panem, & uinum in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſecreta poteſtate conuertit. Hæc uerba, ut aliàs docuimus, niſi de ſacramentali mutatione intelligãtur, admitti nec poſſunt, nec debent. Nam & cum ſcripturis, & cum Patrum aliorum ſententijs, & uerbis pugnant. Ea autem uerba ita, ut diximus, intelligenda eſſe, ex alijs eiuſdẽ Emiſeni uerbis docuimus. Ait enim nos quoq; mutari in Chriſtum, cum tamen in illum non tranſubſtantiemur. Pro Colophone Inconſtantius Tranſubſtantiationem ſuam, quantum poteſt, propugnat: ſed illis rationibus, quibus Homerus quoq; Centauros, & Chimæras ſuas defendere potuiſſet.

REGVLA V.

VBICVNQVE apud Patres fit mentio Mutationis, aut conuerſionis, id intelligendum eſt de mutatione ſacramentali: qua res non tranſubſtantientur, ſed fiant Sacramenta, ad ſignificandum nobis efficaciter, adq; offerendum, & exhibendum animo, & fidei noſtrę per uim ſpiritus ſancti corpus & ſanguinem domini.

GARDINERVS.

QVONIAM *frequens eſt apud Patres mentio mutationis, recipit ſectarius mutationis uerbum, nec uult negare, aliquam mutationem fieri: quam tamen ipſa ſua explicatione oſtendit poſtea re ipſa nullam.*

MARTYR.

HOc primum ſcire debes, piè lector, regulam iſtam aliter à me poſitam eſſe, atq; hic refertur. Mea enim uerba ſic habent: Quin aliqua mutatio ibi ſit, nõ inficiamur: nimirùm, qua res illæ iam fiant Sacramenta, ad ſignificandum nobis efficaciter, ad offerendum, atq; exhibendum per uim ſpiritus ſancti, quod attinet ad animum, & fidem noſtram, corpus et ſanguinem domini. Hic iſte primùm ait, me quidem ſtatuere mutationem aliquam: quænam autem ea ſit, me non poſſe oſtendere: quamuis uerbum de meo confinxerim, & appellarim ſacramẽtalem: quod uerbum à nullo Catholico ſit uſurpatum. Ego uerò dico, me

huius Sophistæ audaciam uehementer admirari. Apud illum enim symbola mysteriorum, postquam ea adhibita sunt ad sacrum usum, eo loco sunt, quo anteà, cum essent adhuc res profanæ. Id si absurdum est, quo tãdem iure ego coarguor, qui inter non sacramentum, & sacramentum statuam esse aliquam mutationem? Physicam quidem eam esse nego: qua realis aliqua qualitas de nouo, ut aiunt, accedat ad panem. Respectus tantùm quidam est: qui ex nostra mutatione, & dei institutione nascitur. Ita in rerum natura uidemus, quod quidem ad physicas proprietates attinet, columnam eandem omninò esse, & unam: quæ tamen, prout homines se ad illam alio, atq; alio modo applicant, modò dextra sit, modò sinistra. Sed hoc, inquies, nihil est. Sic enim illi columnæ nec nobilitas aliqua, nec ignobilitas adiungitur. Verum quidem id est, si naturam eius interiorem spectes: at si effecta contempleris, permultum interest in ædificijs sustinẽdis, ad dextrámne, an ad sinistram: in hócne, an in illo angulo collocetur. Ita panis & uinum, quòd attinet ad intimam illorum naturã, eadẽ sunt, quæ erãt prius: quatenùs aũt ea adhibentur ad sacram Cœnam ex instituto Christi, & adiuncto uerbo dei, fiunt instrumenta spiritus sancti, quibus ille in Communicantibus ædificat, & auget ueram fidem: quæ certè prius non erant. Non est ista physica mutatio, fateor. Est enim spiritualis. Neq; eius generis mutatio est, ut rebus ipsis, hoc est, naturis panis & uini, tanquam proprijs subiectis spirituales qualitates inhæreant: sed mutatio illa ita est spiritualis, ut res ex profana efficiatur sacra, utq;, adiecto uerbo Christi, elementum externum fiat sacramentum. Hæc omnia Inconstantius habet pro nihilo: & per me sanè habeat. Nobis autem ex uerbo dei sacramenta rectè æstimantibus longè aliter uidetur.

Explicatur quid nam sit mutari sacramentaliter.

Verùm libet mihi hoc loco cum isto homine ex ipsius religione, uel potius ex ipsius superstitione disputare. Cur isti Chrisma illud suum, quod palsim uocant Oleum Sanctum, post illam consecrationem, qua ex omnibus suis nugis & ceremonijs nihil habent operosius, cur, inquam, illud tanti faciunt, ut quamuis nulla intercedat realis mutatio, aut Transubstantiatio, tamen illud mirificè reuereantur, & tantùm non adorent? Cur singuli accedentes seorsim, demissis ceruicibus illud salutant Oleum Sanctum? Obsecro te, quæ ibi facta est mutatio? Haud dubiè oportet magnam esse. Nunquam enim uulgari oleo hæc officia præstaretis. Nec tamen uos ea de re aut præceptum ullum habetis à deo, aut apicem unum ex omnibus sacris literis, quem propriè ad istam uestram excantationem accommodetis. Quare si tantum deferri uultis inuentis uestris, cur tantum detrahitis institutis dei, ut negare uideamini, accedente uerbo ad elementum, fieri sacramentum? Vsus autem sum isto exemplo de Chrismate, nõ quòd reijcui, superstitiosæ, nugatoriæ quicquam tributum uelim: uerùm, ut ostẽderem, istum nostrum hæc scribere studio magis, & libidine contendendi, quàm quòd ita sentiat. Possem etiam commemorare symbola quàm plurima Veteris Testamenti: ad quæ dubitari non possit tum temporis multum honoris ac dignitatis accessisse, statim ubi adhibita fuissent ad usum sacrum. Nam, ut alia præteream, quædam ex illis eo in honore, ac pretio habebãtur, ut Sancta Sanctorum dicerentur. Verùm ea omnia breuitatis causa prætereo. Neq; enim alioqui de ista spirituali mutatione quicquam dicturus eram, nisi uidissem, quicquid de ea à Patribus scriptum esset, id istos rabulas ætatis nostræ ad Transubstantiationem suam probandam contulisse. Ea de causa non alienum putaui fore, si, quid Patres illo suo loquendi genere sibi uoluissent, exponerem.

Cur ista mutatio mysteriorũ dicatur sacramentalis.

Vt autem mutationem illam appellarem sacramentalem, adduc*Augustinus.* tus maximè sum uerbis Augustini. Is enim, ut sæpè dixi, ita scribit: Accedit uerbũ ad elementum, & fit Sacramentum. Nec dubito, me multò melius, & modestius dicere potuisse

tuisse mutationem sacramentalem, quàm pecus istud Antichristianum suã Transubstantiationem. Nec tamen uolo, ut quisquam me eius uocabuli primum authorem fuisse putet. Alij enim complures usi eo sunt ante me. Sed patres huiusmodi mutationis fecisse mentionem, ego affirmo, Inconstantius negat. Vter autem id maiori cũ ratione faciat, Lector optimè iudicabit. Certè Augustinus, *Augustinus.*
præter locum illum, quem modò citauimus, ita scribit de Trinitate lib. 3. cap. 4. „
Illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratũ ri„
tè sumimus ad salutem spiritualem in memoriã pro nobis Dominicæ passionis: „
quod cum per manus hominum ad illam uisibilem speciem perducitur, non san„
ctificatur, ut sit tam magnum Sacramentũ, nisi operante inuisibiliter spiritu dei. „
Hic Augustinus non dicit, panem eum, qui assumptus sit ex fructibus terræ, au ferri, aut transubstantiari: sed opera, & ui spiritus sancti sanctificari, ut sit, inquit, tam magnum Sacramentum. Irenæus etiam libro 5. ita scribit: Quando ergo *Irenæus.*
& mixtus calix, & fractus panis percipit uerbum dei, fit Eucharistia corporis & „
sanguinis Christi: ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Hæc „
non obscurè indicant, panem & uinum in Eucharistia manere: ex quibus usitata ui, & ratione nutriendi corpora nostra, ut Irenæus loquitur, augeantur, & consistant: eadem tamen, percepto Verbo dei, fieri Eucharistiam. Dicat mihi nunc Inconstantius, putet'ne Eucharistiam esse Sacramentum. Id negare, opinor, non audebit. Si concesserit, fatebitur idem nobiscum, panem & uinum fieri Sacramentum. Id autem mutationis, à fine, à termino, à gradu, à dignitate, quæ illi acquiritur, si appelletur sacramentale, nihil causæ est, cur ille aut mirari, aut indignari debeat. Chrysostomus quoque homi. 44. in cap. 6. Iohannis *Chrysostomus.*
ita scribit: Ego sum panis uitæ. Iam, inquit, ad mysteriorum traditionem deuen„
turus est. Et primùm de diuinitate sua ita disputat, Ego sum panis uitæ. Neque „
enim de corpore hoc dictum est: de quo circa finem, inquit, Panis, quem ego da„
bo, caro mea est: sed adhuc de diuinitate. Etenim illa propter deum uerbum pa„
nis est: quemadmodum hic panis propter aduenientem ei spiritum panis cœle„
stis efficitur. Hic Chrysostomus docet à simili, quemadmodum hic panis no„
ster in Sacramento adueniente spiritu sancto fit panis cœlestis, ut non amplius sit profanus, ita carnem domini propter deum uerbum, quod secum habet uitum, esse panem uitæ. Annotandum autem est, idcircò accedere oportere uim, *A spiritu sancto efficitur mutatio sacramentalis.*
atque efficaciam diuini spiritus, ne quis putet huiusmodi mutationem sacramentalem inanem, aut leuem esse. Non ergo ego aut somniaui, aut de meo finxi hoc genus mutationis. Illud enim, quod negari non potest, habui ex patribus. Quòd si nos uocabulum idoneum inuenimus, & illud Sacramentale appellauimus, nõ uideo, quid in ea re, aut in ueritatem, aut in articulos fidei peccatum sit. Loca autem illa Emisseni, Gelasij, Ambrosij, quemadmodum intelligenda sint, suprà suo loco exposuimus: itaque ne eadem hic rursus sint inculcanda Lectorem eò remitto.

Nec̃ uerò, ut iste pro suo more calumniatur, uocem illam, Sacramentalem, excogitauimus ad imminuendam dignitatem Eucharistię: sed ad eam potius euidentius & clarius exprimendam. Ostendimus enim ea uoce, quem ad gradum, & ad quam dignitatem panis & uinum subuehantur in sacra Cœna. Atque hanc quidem mutationem, quam nos appellamus spiritualem, in alijs Sacramentis ne Inconstantius quidem potest inficiari. Dicat enim mihi, quid de aqua Baptismi fiat, quam dicunt consecrari: quid de oleo suo, quod ab illis tot clamoribus, & superstitiosissimis gestibus incantatur. Quòd si pugnare uelit, Eucharistiam habere singularem & peculiarem rationem, & ab alijs Sacramentis differentem, equidem hoc non inuitus dabo. Verùm hoc tamen addo, illam differentiam non à ge

Vnde petenda sit differentia Eucharistiæ ab alijs Sacramentis.

nere mutationis, aut consecrationis, sed à re significata petendam esse.

Dictum autem illud Augustini, Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum, iste conatur, quantum potest, eludere. Ait enim, Augustinum dicere, fieri Sacramentum, non mutari. Sed quæ ista est impudentia, id, quod dicas fieri, negare mutari? Verum eadem fronte ait, ad naturas symbolorum nihil neque intrinsecus, neque extrinsecus accedere, cum illa adhibeantur ad usum sacrum. Physica quidem ratione nihil accessit. Adesse tamen spiritum sanctum, qui illis utatur, nulla ratione negari potest. Nam Tertullianus in libro de Baptismo ita scribit: Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogatiua Sacramentum sanctificationis consecũtur, inuocato deo. Superuenit enim statim spiritus de cœlis, & aquis supereſt, sanctificans eas de semetipso: & ita sanctificatæ uim sanctificandi combibunt. Audimus hic, quid Tertullianus dicat accedere ad Aquam Baptismi, cum in eo dei nomen inuocatur. Adest, inquit, uis spiritus sancti, quæ illis utatur, tanquam instrumentis ad nos sanctificandos. Chrysostomus quoque homilia. 1. in Act. Apostol. scribit ad hunc modum: Sed quomodò dicit, Baptizabimini, cum aqua non esset in cœnaculo? Quoniam in Baptismo præcipua pars est spiritus, per quẽ & aqua fit efficax. Apertissime Chrysostomus testatur, Spiritum sanctum accedere ad elementa Sacramentorum, per quem illa reddantur efficacia ad salutem. Non est physica mutatio, ut uis spiritus sancti cohæreat cõiuncta cum elementis: ut naturales qualitates solent cum sua substantia. Idem Chrysostomus in Psalm. 22. tomo. 1. Hæc aqua, inquit, primatum tenet in elementis: Sed cum istud elementum acceperit spiritum sanctum, fit Sacramentum: & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis. Primùm ergo elementis Sacramentorum externis additur uis spiritus sancti: quod non tantùm ex illis patribus, quos iam citauimus, constare potest, uerùm etiam ex sacris literis. Illæ enim testantur, nos regenerari aqua, & spiritu. Hæc enim duo ita coniunguntur, ut unum sit causa efficiens, alterum tanquam instrumentum, autobsignatio promissionis. Imò in Christi ipsius Baptismo, quemadmodum Euangelistæ tradiderunt, Spiritus sanctus accessit in specie columbæ.

Vis spiritus sancti non cohæret iuncta elementis, ut naturales qualitates suis substantijs, sed adest utens elementis.

Chrysostomus.

Considerãda in his est causa efficiẽs, et instrumentum.

Baptismus Christi habuit spiritum sanctũ præsentem.

Præter spiritũ sanctum accedit uerbum ad elementum.

Augustinus.

Adhæc Sacramento accedit uerbum, atque id etiam dei uerbum: quod minor Inconstantium tam incogitantem fuisse, ut non potuerit intelligere. Id enim iam suprà satis copiosè ex Irenæo, & Augustino declarauimus. Quanti autem id momenti nobis uideri debeat, nunc ex Augustino subijciam. Nam de Baptismo contra Donatistas lib. 6. cap. 25. ita scribit: Quis nesciat, non esse Baptismum Christi, si uerba Euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Hic Augustinus ait, Symbolum constare illis uerbis: ut sine quibus aqua illa, profana tantùm esset aqua: symbolum autem Regenerationis non esset. Si hæc duo, quæ commemoraui, Vis, inquam, Spiritus sancti, & uerbum dei Inconstantio nostro parua, & exigua uideantur, uel potius nihil, ita enim uidetur dicere, equidem quid illi magnum uideri possit, non inuenio. Quicquid ergo apud patres de Sacramento Baptismi, quod quidem ad hanc sacramentalem mutationem attinet, scriptum legimus, id nos non incommodè transferre possumus ad Eucharistiam.

Sed annotandum est, istum nostrum fateri, ad aquã Baptismi accedere usum significationis. Atqui id de pane Eucharistico prorsus negat. Quoniam, inquit, is fuit semper corporis Christi signum, Hieremia teste, cap. 11. Sed uehementer errat. Nam locus ille Hieremiæ tantùm indicat conspirationem Iudæorum, qui inter se decreuerant, Prophetam ueneno tollere. Mittamus enim, inquiunt, lignum, hoc est, uenenum in panem, hoc est in cibum eius: ut pereat. Cum autem do-

tem dominus dicat in sexto Iohannis, Panis, quē ego dabo, caro mea est: fateor, Christum carnem suam contulisse cum pane per metaphoram. Non tamē ex eo sequitur, profanum, aut communem panem, ad quem uerbum dei non accesserit, esse sacramentum. Nam alioqui ego quoq; possem idem de aqua dicere, cui tamen Inconstantius nouam significationem tribuit, illam multò anteà in scripturis sacris significasse gratiam, & spiritum purgantem. Multa enim in prophetis extant, & commemorātur de aqua: & in Dialogo, quem Christus habuit cum muliere Samaritide: & in eo ipso, quod dominus clamat, Qui sitit, ueniat ad me, & bibat. Intelligere ergo iste debuit, aliud esse quocunq; modo significare, aliud autem ratione, & ui Sacramenti esse signum efficax diuinæ erga nos uoluntatis, & cœlestium promissionum obsignationem. Nam ad symbola mysteriorū hæc etiam duo accedunt, præter illa duo, quæ modò diximus. Verùm nisi accedat etiam sacrosancta illa Transubstantiatio, & realis præsentia carnis Christi, ista omnia Inconstantius habebit pro nihilo. Sed cogitet secum sapiens iste uir, si panis & cibi communes, quemadmodum Paulus ait ad Timotheum, sanctificantur per uerbum dei, & orationem, quantò magis in sacra Cœna panis & uinum sanctificantur, cum efficiuntur sacramenta corporis & sanguinis domini? Sed harum iste rerum, uti dixi, nullam habet rationem.

Aliud est quippiam quoquo modo significare, & ratione sacramenti significare.

Præter spiritū sanctum, et uerbum alia duo accedunt ad sacramentum.

Adhæc mecum ita pugnat, quasi ego hic significationis tantùm mutationem esse uelim. Quod quàm falsum sit, iam anteà planum feci. Addit instantiam de sermonibus diuinis. Eadem, inquit, uerba sunt, cum sacra eloquimur, quæ erant, cum profanis uerbis inseruirent. Hic Sophista in re perspicua turpiter hallucinatur. Verba enim siue ad diuinas, siue ad profanas literas adhibeantur, possunt & materia, & natura esse eadem. Ita idem potest esse panis & Eucharisticus, & qui prostet uenalis in foro. At uerba non ex materia, hoc est ex sono, aut pictura, speciem, & formam suam habent: sed ex significatione. Quare cum illa aliter in sacris literis, aliter in profanis significent, necesse est ea forma, & specie longè diuersa esse. Pater, & Filius natura sunt homines, nec specie inter sese differunt. Quoniam tamē alius est respectus patris, alius filij, rectè dicimus, eos inter se differre. Hæc enim est natura relatiuorum. Cum ergo uerba aliud nobis referant in libris, & literis diuinis, aliud in profanis, nō debet uideri mirum, si ea inter se differre statuamus.

Signa unde habeant suam speciem et formā.

Deinde philosophatur, ut sibi quidem uidetur, ualdè subtiliter. Mutationem enim ait significare decessionem, & accessionem ipsa re manente. Hoc nihil facit contra nos. Res enim ipsa, hoc est, panis, manet eadem: decedit conditio profana, & accedit ratio, & proprietas sacramenti. Non sunt istæ res naturales; fateor. Nec; nos hic agimus de mutatione naturali. Sed uicissim ad hanc suam definitionem exigat Transubstantiationem suam. Panis abit: accedit, ut ille putat, corpus Christi: quæ res ergo manet? In ea mutatione, quā ego statuo, facilè ostendam, quid maneat. Tu idem uicissim ostendito de tua, quidq; illud tandem sit, quod in tua Transubstantiatione mutetur. Nam accidentia quidem non mutantur: panis autem, quem abijsse dicitis, multò minus: nec; sanè corpus Christi. Id enim, ut uos credi uultis, illud est, quod accedit. Necesse ergo est, mutationem istam uestram ualdè prodigiosam esse, ubi nihil sit, quod possit mutari.

Tamen quibus eam coloribus iste noster ornet, audiamus. In hac, inquit, mirabili mutatione non manet, quod mutatur. At nisi maneat, quod mutatur, ex ea definitione, quam tu modò attulisti, mutatio nulla erit. Addit: Nec aliud generat, aut auget: sed in aliud desinit. Atqui panem, qui tua sententia deficiat, & pereat, non potes rectè dicere, desinere in aliud. Illud enim aliud non attingit: nisi fortè uelis dicere, corpus Christi accedere, ac ui quadam sua extrudere substan-

,, tiam panis, ut sibi locum cedat, ubi possit sub accidentibus habitare. Hucad-
,, dit: Et hactenus cum mutatione conuenit naturali, quòd aliud erat, aliud modò
,, est; licet, quod erat, non sit illud aliud: quod est mirabile in oculis nostris. Si tua
Inconstanti, mutatio in eo conuenit cum mutatione naturali, quòd, cum antea
aliud fuerit, modò sit aliud, cur mutationem meam negas ullo modo posse con-
uenire? illam, inquã, qua dicimus, panẽ, cum anteà cõmunis, & profanus fuerit,
nunc factum esse sacramentũ? Hic enim id quod mutatur, quòd ad substantiam
attinet, manet idẽ quod fuerat: quod ipse fateris in tuam mutationem non conue-
nire. Patres uerò, quasi dedita opera nugatoriam istam tuam fictionem uolue-
rint confutare, sæpissimè dixerunt, panem, & frusta panis esse corpus Christi: &
Christum ipsum pronuntiasse de pane, illum esse corpus suum. Vos ergo, non
tantùm contra nos, sed etiam contra diuinas literas, contra Patres, contra natu-
ram rerum, contra experientiam ipsam istà statuitis.

,, Obiectat etiam illa uerba Cypriani, Panis, non effigie, sed natura mutatus.
Quæ uerba quemadmodum intelligenda sint, & suprà suo loco, & alibi satis de-
clarauimus. Breuiter, nemo unquam putauit, effigiem, aut accidentia panis mu-
tari. Illa enim eadem manere, quæ erant anteà, uel oculi renuntiant. Naturam au-
tem, id est, proprietates panis, quas anteà commemorauimus, mutari non dubi-
tamus. Imò ea ibi est mutatio, quam appellamus Sacramentalẽ, & pro qua nunc
tantopere propugnamus. Quemadmodum autem probatum à nobis sit ex scri-
pturis, ex Patribus, ex rationibus, substantiam panis manere, necesse non est hic
repetere. Quàm autem Inconstantius procul discedat à proprietate sermonis,
uel ex eo satis liquet, quòd interea, dum de sua ista noua mutatione garrit, hoc
etiam adscripserit, Naturam panis conuerti in carnem uerè præsentem. Quod ta-
,, men ex ipsius definitione fieri nullo modo potest. Nam, quod mutatur in aliud,
id intelligimus, quod ad materiam attinet, manere: quamuis forma uel substan-
tialis, ut loquuntur, uel accidentalis immutetur.

Video etiam istum, quò longius nugando progreditur, eò arctiores in no-
,, dos sese induere, & se ipsum magis magisq; implicare. Nam si sacramentum, in-
,, quit, sic accipias, ut sit uisibilis forma inuisibilis gratiæ, substantia panis, quia non
,, est uisibilis forma, sed inuisibilis, non potest esse sacramẽtum: sed eius panis effi-
,, gies potius, quæ est uisibilis. Esto sanè, Inconstanti, quando tu ita uis. Sed hac
ratione nec aquæ substantia erit sacramentum Baptismi. Ea enim nihilò magis
est uisibilis, quàm substantia panis. Ergo effigies etiam aquæ, & accidentia erũt
posthac sacramentum. Quid tu quæso, ad hæc? In eosdem casses te ipsum conie-
cisti, quibus sperabas nos posse impediri. Verùm istum hominem, non mulie-
literæ, sed sophismata, & inexplebilis quædam libido garriendi redegerunt ad
insaniam. Non enim uidet, formam, seu speciem apud bonos scriptores sæpè nõ
tantùm alteram partem rei compositæ, formam uidelicet eius, aut accidentia, sed
etiam rem ipsam totam significare. Dialectici enim sub Animali constituũt spe-
ciem, seu formam hominis. An hic dicet Inconstantius formã hominis pro ani-
ma humana positam esse, & pro accidentibus? Imò substantia ipsa hominis tota
ea uoce comprehenditur. Ita Ambrosius etiam loquitur, De iis, qui initiantur
,, mysteriis cap. 9. Ante benedictionem, inquit, uerborum cœlestium alia species
,, nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. Hic species natu-
ram ipsam panis indicat. Nam symbolum Eucharistiæ antè Consecrationem di-
citur panis, non accidentia panis. Et quæ tandem est ista stultitia, dicere sub-
stantiam panis esse inuisibilem? Scimus quidem, substantiam ipsam per se non
esse obiectum sensuum. At eam prorsus inuisibilem esse, Inconstantius noster
primus uidit. Ea enim etsi non ipsa per se, tamen ex proprietatibus, & accidenti-
bus

Species aut forma, nõ tantum significat compositi alteram partem, sed totum. Ambrosius.

Natura panis non dicitur inuisibilis.

bus uideri poteſt. Quid autem noſtra refert, ſiue illa per ſe, ſiue per aliud uideatur: Certè, cum deum prædicamus creatorem rerum uiſibilium, & inuiſibilium, non tantùm eum dicimus creaſſe accidentia rerum corporearum, ſed etiam ſubſtantias, quas ipſas ſapientes nunquam dubitarunt dicere uiſibiles. Cumq; dicimus, Filium dei naturam factum uiſibilem, non dicimus, eum accidentia tãtum recepiſſe humanæ naturæ.

Deinde experitur, quid in altera quoq; Sacramenti definitione poſſit. Sin uerò, inquit, dicatur, Sacramentũ eſſe rei ſacræ ſignũ, iam panis & hoc modò erat Sacramentũ ante uſum cœnæ. Quia & in Prophetis, & in lege Chriſtũ ſignificabat: ita ut non ſit neceſſaria aliqua mutatio, ſed potius eius, quę in pane iã aderat, explicatio. Cæterum nõ uidet, hoc idem facillimè torqueri poſſe ad Sacramentum Baptiſmi. Aqua enim iam antea in Lege, & in Prophetis ſignificauit emundationem à peccato. Fuit ergo Sacramentum antequam Baptiſmus inſtitueretur. Panem equidem in Lege cum adhiberetur ad Sacrificia, non nego fuiſſe Sacramentũ: nec eũ nego habuiſſe mutationem ſacramentalem ex inſtitutione domini. Eam tamen mutationem non habuit, uel cum pinſeretur, uel cum in foro, aut in officina proponeretur: pręter iſtam autem ſignificationem, quid in hac mutatione ſacramentali accedat prætereà, ſatis iam explicuimus: neque ea hic neceſſe eſſe arbitror refricare: nec opus eſt pluribus perſequi, quid inter ueterum Sacrificia, & noſtra ſit diſcriminis.

Addit, nos non poſſe dicere, panem mutari in Sacramentum, præſertim cum nolimus eum mutari in rem cœleſtem, quæ ſecundũ Irenæum eſt altera pars Sacramenti. Itaque neceſſe eſſe, ut dicamus, mutationem illam noſtram fieri, nõ in Sacramentum, ſed in partem aliquã Sacramenti. Ego uerò reſpõdeo, panem mutari in rem cœleſtem: rem enim humanam, & naturalem non poſſe dici Sacramentum. Sacramenta enim non poſſunt ab homine inſtitui. Deinde etiam Sacramentum, quod Irenæus ait, cõſtare ex duabus rebus, quarũ altera ſit terrena, altera cœleſtis, damus: et terrenam quidem rem eſſe ſymbolum, cœleſtem autem eſſe corpus Chriſti, ſi illa inter ſe duo conferant. Nec tamen hoc efficit, quin ſymbolum ipſum, cum adhibetur ad ſacrum uſum, ſacra, & cœleſtis res dici poſſit. Deus enim in Veteri etiam Teſtamento appellat Sacramenta Legis interdum Sancta ſua, interdum Sancta ſanctorum. Quis autem prudẽs nobis uitio uertat, ſi, cum loquamur de Sacramento, ſtatuamus panem et uinum eſſe ſigna, corpus autem & ſanguinem Chriſti eſſe res ſignificatas? Sine his enim partibus Sacramentum conſtare nõ poteſt. Ne in eo quidem rectè damnari poſſumus, quòd rationem omnem exhibendæ, & aſſequendæ cœleſtis alimoniæ aſcribimus ſpiritui ſancto, & fidei. Non enim ea cauſa aut inſtitutum domini, aut uerba Chriſti, aut uſum Sacramenti, aut corpus & ſanguinem Chriſti excludimus. Neque, ut iſte calumniat, uocabula panis, & corporis apud nos otioſa ſunt. Panis enim & uinum inſtrumenta ſunt, quibus à ſpiritu ſancto fides noſtra excitatur. Corpus autem Chriſti res ipſa eſt, in quam fides noſtra dirigitur, & per quam deus nobis ſalutem, & uitam æternam ſubminiſtrat. Hæc omnia, niſi fallor, non poſſunt rectè dici otioſa.

Deinde, quærit, quænam ſint, partes panis mutati. Et pro nobis ipſe ſibi reſpondet: Exhibere, atq; offerre ipſiſſimum Chriſti corpus, non leuiter, non caſe, non inaniter ſignificatione ſola, ſed potenter, & efficaciter. Verba, inquit, iſta, præclara ſunt, & magnifica: ſed quæ nihil reconditi ſenſus habeant. Quinam illi, ſint ſenſus tam abſtruſi, & reconditi, quos Incõſtantius tantopere deperit, ipſe uideat. Equidem non alios eſſe arbitror, quàm Tranſubſtantiationes & reales præſentias: quæ ſi ab hoc Sacramento auferantur, nihil putat prætereà in eo ſupereſ-

se salui, atque integri. Nobis autem cum istis sensibus tam arcanis, ut in omnibus scripturis nusquam possint inueniri, nihil est commercij: neque sanè esse debet.

,, Quod autem obijcit, nostrum sensum in symbolo ipso fidei aliquantò apertius exprimi: id primùm non uerum: deinde etiamsi esset, tamen aduersus nos nihil faceret. Neque enim hoc in symbolo, quod sciam, usquam canitur, nos syncerè, & ritè manducando Sacramentum Eucharistiæ, animo, & fide uesci corpore & sanguine Christi. Mortuum quidem illum esse nostra causa, & in cœlum ascendisse, ibiq; sedere ad dextram patris, habemus in symbolo: illum autem fieri cibum nostrum, aut ulla spirituali manducatione nos pascere, diserertis uerbis non habemus. Cæterum fingito, ita esse. Tamen ut dixi nihil id officeret sententiæ nostrę. Eadem enim Sacramẽtis exprimuntur, quæ uerbis. Nam Augustinus ait, Sacramenta esse uerba quædam uisibilia. Imò deus illis, tanquam sigillis quibusdam uti uoluit, quibus uerba sua, & promissiones obsignaret. Nos ergo ut uerborum dei, & Sacramentorum sensus ueros quidem, & natiuos quærimus, non autem istos, nescio quos, abstrusos, & reconditos: ita non maiorem uim, & efficaciam significandi uerbis adscribimus, quàm Sacramentis. Nulla enim Sacramenta recipimus, quæ secum coniuncta non habeant uerba dei. Sed hic mihi uicissim respondeat Inconstantius, quos sensus arcanos aqua habeat in Baptismo, quos eosdem symbolum, & uerba diuinarum literarum de remissione peccatorum, & Regeneratione non habeant? Cum nullum possit commemorare, uidetur data opera uoluisse contra se ipsum ,, ista dicere. Neque uerò nostrum quisquam, quod ego sciam, unquam dixit, ,, uim in Symbolis Sacramentorum tenuiorem esse, quàm in uerbis Dei. Hoc, opinor, Inconstantius finxit, ut solet, de suo. Nos enim docemus, non esse habenda pro Sacramentis, nisi quæ secum & uerbum dei, & sacrum usum coniunctum habeant.

Sacramenta nõ recipimus quæ non habeant cõiuncta uerba dei.

,, Quod autem ait, uiuam uocem habere latentem energiam, fatemur. Verum hac in re oculi referendi sunt in ipsum deum. Is enim, ut nobis sanctissima quædam dedit uerba, quibus nos institueret, & flecteret ad salutem, ui, atque opera sui spiritus: ita etiam delegit certa quædam symbola ad Sacramenta, per quæ in animis nostris efficaciter operetur, & fidem in illis excusciet, illoscp donis ornet uberioribus. Quare nos non plus uerbis dei, quàm Sacramentis, nec his plus, quàm illis tribuimus. Vtraque enim in suo genere sunt instrumenta salutis nostræ. Hoc etiam addo, Exhibitionem, & assequutionem salutis nostræ, & corporis ac sanguinis Christi, quod quidem ad rem ipsam attinet, nihil magis ex Sacramentis haberi, quàm ex uerbis dei. Verùm hic ,, uehementer hæret Inconstantius. Non enim existimat quicquam offerri, aut exhiberi posse, nisi quod præsens adsit realiter. Quasi uerò uerba Euangelij, & sanctarum scripturarum non uerè dicantur, uitam æternam, & fœlicitatem credentibus exhibere. At illa tamen uerba uitam æternam in se ipsis realiter concluſam non habent. Imò nos eam adhuc per fidem expectamus. Et Paulus ait, Christum feciſſe nos iam considere ad dextram in cœlestibus: idcp nobis iam dudum exhibuisse, quod tamen nos adhuc re ipsa non habemus. Chrysostomus etiam ait, res absentes, nobis per fidem fieri præsentes. Monet enim communicantes, ut instar aquilarum ascendant in cœlum, atque ibi fruantur Christo. Sacram enim mensam non esse graculorum, sed aquilarum. Omnia uerò eius uerba hoc loco describere non est opus. Ea enim suprà suo loco bona fide retulimus. Hic autem ea utcunq; uolui reuocare, quòd uiderem, nos ab isto homine adeò suauiter irrideri.

Nos uerba dei & Sacramenta æquamus.

Poßunt offerri et exhiberi quæ realiter & substantialiter præsentia nõ adsint.

Chrysostomus.

Ait

Ait enim, nouum esse oblationis, atq; exhibitionis genus, si id, quod offertur, aut exhibetur, assequi non possimus, nisi ad illud adeamus. Quasi uerò nō rectè dicamus, Imperatores offerre, atq; exhibere munera, & coronas militibus, quæ tamen non nisi accurrentibus ad signa, & ad se accedentibus sint daturi. Et ne ab huius fictionibus discedamus, ipse cum suis omnibus iactare solet, Christum exhibere, atque offerre carnem suam in Eucharistia. Hic uelim mihi respondeat, utrum eam illis, qui domi maneant, dari putet: an illis potius, qui sese ad templū, & ad sacrificum conferant. Quòd si eam dicat non dari, nisi accedentibus, cur non mihi liceat etiam exclamare: O nouum oblationis atq; exhibitionis genus, quod habere non possis, nisi ipse adeas, & tibi ipse quæras? Fortasse cauillabitur, longè aliud esse ascendere in cœlum, quàm adire ad templum. Verum quidem id esset, si pedibus iter esset conficiendum in cœlum. Quoniam autem fide, atque animo eundum est, non dubito, quin eò ita multò citius peruenirí possit, quàm pedibus ad templum. Paulus quidem nos in epistola ad Colossen. monet, ut, si surreximus unà cum Christo, ea, quæ sursum sunt, quæramus, nō autem ea, quę super terram. Et ad Philippenses ait, Nostram conuersationem esse in cœlo: opinor, ut aliquid ibi nobis offeratur, & exhibeatur, quod in terris non possit inueniri. Cœlestia autem ui fidei, tanquam machina comprehendi, nostro animali Sophistæ absurdum, & ridiculum uidetur. Nos tamen scimus, fidem animo nostro, tanquam manum aliquam datam esse, qua ea possimus complecti, quæ sensus, & humana ratio non possit attingere. Quod quicunq; nescit, is elementa ipsa nostræ pietatis nescit. Omninò huius Sycophantæ doctrina noua, & inaudita est. Nostra uerò omnibus modis, & partibus & cum ueterum Patrum sententijs & scriptis conuenit, & cum diuinis literis.

Christus, inquit Inconstantius, non iussit nos fide in cœlum ascendere, ut ibi regnantem manducemus. Sed terram, inquit, dedit, ut Augustinus interpretatur, & in terris dedit: & terrenis adhuc dedit, & dat: sed terram cœlestem effectam, & nunc in cœlis regnantem: præsentem nihilominus in cœlo, quoties eam celebramus. An Christus iusserit nos ascendere sub limes in cœlum, ut ibi uescamur eius carne, satis luculenter uidere possumus ex sexto capite Iohannis. Ibi enim dominus, ut crassas illorum hominum cogitationes, qui non putabant carnem eius posse comedi, nisi instar aliorum ciborum faucibus & dentibus comminueretur, instituerat, mentionem fecit ascensionis suæ in cœlum: ut intelligerent ad illud officium nihil opus fore dentibus. Neq; enim dentes nostri & fauces possunt ad cœlum usq; pertingere. Atq; ita eos docere uoluit, esum illum, de quo loquebatur, non ad dentem, aut uentrem, sed ad fidem, & mentē pertinere. Quemadmodum autem & Paulus, & Patres plærisq; omnes cœlestem conuersationem nobis inculcent, dictum est. Quod autem ad primam illam Cœnam, quam dominus instituit, attinet, nihil tum opus erat, ut eius in cœlo quæreretur. Vnà enim accumbebat ipse in mēsa cum suis. Itaq; huiusmodi admonitio tum temporis fuisset intempestiua. Quid autem uerba illa Augustini in Psalmum 98. ad hunc locū faciant, nec Inconstantius declarare uoluit, nec alius quisquam, opinor, potest intelligere. Carnem Christi etiam nunc, postquam ablata est in cœlum, aliquo tamen modo posse appellari terram, non ambigimus. Retinet enim adhuc substantiam, & naturam humanam. Verùm hoc ita nō facit pro isto nostro, ut eius causam planè iugulet. Nam cum ita sit, non potest fieri, ut illa aut ubiq; sit, aut per infinita loca diffundatur. Nos etiam ipsi, etsi propter naturā corporis simus terreni, tamē magno dei beneficio adiunctas habemus alas fidei, & spiritus, quibus attolli possimus ad Christum, eaq; terra, hoc est, carne Christi in cœlis regnante frui. Hactenus Inconstantius, quamuis multis ambagibus

Augustinus.

usus sit, non tamen aut nostram sacramentalem mutationem extrudere potuit, aut in eius locum suam illam substantialem, quod tantoperè satagebat, surrogare. Verbis quidem fortasse fecit aliquid: re autem ipsa, & ratione nihil. Nunc æqui lectoris erit iudicare, utrum nos illum uerbis uoluerimus, an potius rationibus refutari.

REGVLA VI.

PRAETEREA sciendum est, quod ad res ipsas attinet, inter nos, & Capernaitas nihil esse discriminis. Illi enim putarũt, se comesturos esse ueram Christi carnem: id nos etiam ipsi non tantùm putamus, sed etiam credimus. Discrimen autem est in modo, & ratione comedendi. Nam quod illi putarunt faciendum esse carnaliter, id nos docemus, non fieri, nisi spiritualiter. Alioqui dicimus, uerum nobis corpus, & uerum sanguinem dari. Quia fides nõ complectitur ficta, sed uera.

GARDINERVS.

NEMO *fidelis cogitatione communicat cum Capernaitis: qui se corpus, quod uidebant, comesturos putabant.*

MARTYR.

„ ISte se continere non potest ab argutijs, & notis sophismatis. Se enim, ac suos
„ hoc nomine distinguit à Capernaitis, quòd illi se putarint comesturos corpus
„ illud quod uidebatur: se autem docere, Corpus quidem illud ipsum comedi, sed
„ uelatum, & uestitum accidentibus, ut uideri non possit. Discrimen ergo omne est penes uisibile, & inuisibile. Nam hæc apud istos est spiritualis ratio manducandi: cum alioqui carnem domini re ipsa præsentem, & ore, & dentibus, & faucibus comedi, & doceant, & prædicent: & nisi ita te dicas credere, ignibus, & ferro sæuiant. Et uerba illa Augustini, Non hoc corpus, quod uidetis manducaturi estis, inuita quasi obtorto collo rapiunt in hanc sententiam. Atqui Christus in sexto illo capite Iohannis nec uisibilis corporis, nec inuisibilis mentionem ullam fecit. Fidem tantùm commendauit, & commemorauit Ascensionem suam in cœlum. Nec Augustinus in Psalmum illum 98. aliter uerba illa Christi interpretatur, quàm quomodò ea Christus ipse exposuit in sexto Iohannis. Ait enim, Christum ea retulisse ad sensum, atq; animum Capernaitarũ. Illos enim putasse, Christum hoc docere uoluisse, carnes suas concisas in frusta atterendas esse dentibus, atq; ita comedendas. Id autem quoniam uel cogitatu nefas erat, idcircò instituit sermonem sub persona Christi: Et nõ hoc corpus, inquit, comesturi estis: non eo, inquam, modo, nec ea ratione, qua uos opinamini.

Augustinus.

Aduersarij maxime faciunt cum Capernaitis.

Sed, ut ad rem ipsam ueniam, quomodò dicit iste, se nullo modo facere cum Capernaitis? aut qua fronte ait, se non cogitatione quidem cum illis consentire? Illi somniabant, corpus ipsum, & carnem Christi ore, & dentibus esse comedendum. Vos etiam, Inconstanti, idem omninò somnium somniatis, & nos in comedendo Christi corpore ad oris, & dentium officia reuocatis. Aut, si hoc non sentitis, cur nos damnatis, qui hoc negotium uniuersum, ad fidem, & ad spiritum referimus? cur non potius posita omni contentione, redimus in gratiam? At si docetis, quod certè facitis, carnem Christi ore, ac dentibus mãducari, & tantùm additis,

addítis, illam latere inuísibilem sub accidentibus, quid uos iactatis tantùm abesse à Capernaitis? Illi enim prorsus uobiscum conueniebant; nisi quod erant paulò simpliciores, nec ita subtiliter poterant confingere artocream, & carnem Christi inuisibilem in crustulum includere. Expendatur res ipsa: id enim diserte adscri= psi ad Regulam, Quod ad res ipsas attinet. Videamus ergo utri nostrum pro= pius accedant ad Capernaitas. Nos cum illis tantùm in re ipsa: uos etiam in ore, in dentibus, in palato, in uentre conuenitis. Atqui nos illis ista non damus: sed opus hoc totum menti, et fidei adscribimus. Illi uobiscum statuebant, carnē Chri sti præsentem esse corporaliter comedendam: nos autem eam dicimus re ipsa absentem spiritualiter tantùm esse percipiendam. Hæc cum ita sint, tamē Incon stantius gregem suum totum tam sanctum, & purum esse iactat, ut nulla in re conueniat cum Capernaitis.

Deinde etiam me grauiter accusat, quòd dicam nos, quod attinet ad rem ip=,, sam à Capernaitis non dissidere. Nam illi, inquit, rem ipsam ignorabant, ut qui ,, non intelligerēt, spiritualem & diuinam carnem à Christo dari. Verùm, Incon ,, stanti, hoc tu scire debebas, illorum prauam intelligentiam rem ipsam non po= tuisse immutare. Videbant quidem, carnem illam humanam esse de qua domi= nus loquebatur. Quamuis autem diuinitatem in Christo non uiderint, tamen id ad nostram quæstionem nihil pertinet. Non enim id nunc disputamus, utrum ca ro illa Christi habeat uim sanctificandi. Nec ea māducatio, de qua nunc agimus, per se refertur ad diuinitatem: sed propriè ad naturam humanam, quatenus ea no stra causa suffixa est in crucem. Hæc ergo nunc comminisci, atque interponere, nihil erat aliud, quàm diuerticula, & suffugia quærere: quod iste, uel astu, uel ma litia, uel stomachi impotētia, ad rem obscurandam, & offuscandos oculos Lecto ris, sæpissimè facit.

Deinde quæritur, hanc Regulam à nobis ænigmatis instar proponi, qua Pa=,, pistæ sugillarentur. Quid ni? An enim ita impium, & nefarium est, ostendere, ,, quàm procul, quamq; turpiter isti homines à uero discesserint, & sese ad Caper= ,, naitas etiam adiunxerint? Verùm isti, cum ita magni sint, & sancti patres, pu=,, tant sibi quidem licere, alios omnes pro libidine Hæreticos, Sectarios, Schisma= ticos, Cauillatores, Figuratores appellare: se autem à quoquam nefas esse attin= gi. At nos tantū admonere illos uoluimus stupiditatis suæ, nec Lectori ænigma, sed certissimam obseruationem proponere: ut uideret, quid inter nos, & Papi= stas interesset. Id enim in causis cognoscendis utilissimum esse ad docendum, & in primis spectari intellexímus, ut Iudex perspicuè uideat, & quid inter aduersa rios conueniat, & quid relinquatur in controuersia.

Addit insuper, nos in modo tantùm, & ratione manducandi discrepare à Ca,, pernaitis. Quod enim illi putabant faciendū carnaliter, id nos docere, fieri opor,, tere spiritualiter: et nos causam nostram cū Capernaitarū sacrilegio cōmunicare.,, Nam quod illi sacrilego modo opinabant esse faciendum, id nos cū negemus om,, nino fieri, & propriā corporis Christi manducationē in Sacramento auferamus,, sacrilegio manifesto rem sacram surripere. Est quidem ista grauis contumelia:,, sed cui facilè possit responderi. Nos enim corpus Christi à symbolo Eucharistiæ non auferimus. Nec enim illud anteà unquam ibi præsens fuerat. Inconstantius autem, cum ex Eucharistia tollere uelit substantiam panis & uini, quam negare non potest ibi anteà extitisse, sese manifestissimi alligat sacrilegij. An autē nos manducationem carnis Christi auferamus, cum illam dicamus spiritualem esse, & fide tantùm atq; animo perfici, prudens Lector facilè iudicabit. Isti uerò cum Christi corpus sub accidentibus collocant, & mole sua, & membris omnibus ex= poliant, quomodò negare possunt, id esse graue sacrilegium? Nam quod dicunt,

corpus Christi ore & dentibus apprehendi, totumq; quantum quantũ est, transmitti in uentriculum, quàm sit sacrilegum nihil pronuntio: certè fatuum, & inepti um est, & nocturnum potius phantasma, quàm sanorum, & uigilantium hominum cogitatio. Sed propriam esse ait manducationem, quæ fiat in mysterio. Quem autem modum huius mysterij intelligat, nunquã adhuc, quod sciam, cuiquam aperuit. Videlicet, illud sibi soli retinere uoluit, tanquam mysteriũ. Verùm nos ait, sola in credulitate uersari. Cæterùm an fides uiua, & efficax, qua iustificamur, & accessum habemus ad deum patrem per Iesum Christum, ita contemptim appellanda sit credulitas, ipse uiderit. Nos ex capite sexto Iohannis scimus, carnem domini ea manducari: & Augustinũ dicere, Crede, & manducasti.

Quòd autem ait, se dubitare, an omninò aliquid credamus, minimè miror. Alios enim metitur pede suo. Vtinã, inquit, crederetis. Si hoc ex animo dicis, Inconstanti, cur non, positis sophismatis, & conuitijs, uerba potius scripturæ sacræ nobis proponis? Ex illis enim solis ordinaria uia fides in animis hominum accẽditur. Quàm autem rarò, & parcè audire ex te potuerimus uerbum dei, uel tuus iste liber potest optimus esse testis. Legi equidem aliquando declamationem tuam de Obedientia contra Papam, non sanè inelegantem, & bene munitam sacris literis. Sed cum tu non ita multo post, mortuo Henrico à doctrina tua, & à te ipso desciueris, facilè nobis indicasti quantum tu ipse crederes, tantùm, uidelicet, quantum princeps tuus uelit.

Ad rem redeo. Ais spirituali illa manducatione, quam nos docemus, excludi Sacramentum. Miror uerò te, qua fronte id dicere potueris: præsertim cum iam toties à nobis dictum, atq; explicatum sit, huiusmodi manducationem spiritualem posse constare etiam sine Sacramento. Illam autem uicissim cum Sacramento optimè congruere, tum quia Christus illud instituit, & symbola externa tanquam sigilla quædam, promissionibus suis adiecit, tum etiam, quia uerba, quę ibi recitantur, & externa manducatio Sacramenti instrumenta sunt spiritus sancti, quibus fides in nobis excitatur, & spiritualis manducatio promouetur. Certè nos è nostris templis usum Cœnæ Dominicæ non sustulimus: sed & Sacramentum, & rem Sacramenti unà piè, et diligenter conseruamus. Vos potius, cum eripitis substantiam panis et uini, tollitis omnem rationem Sacramenti. Neque nos Sacramenti uiolatores dici rectè possumus: illud enim, quantum possumus, à uestris fraudibus, & furtis asserimus.

Aduersarij, non nos, ratione Sacramenti ab Eucharistia tollũt.

Intolerabile uerò est, quod ait, nos in uerbo illo, Manducare, ineptè, & stultè ludere. Nam, si hoc idcircò dicat, quòd nos manducationem tribuamus fidei, & uerba ipsa sacrarum literarum, & patrum sententię satis nos tuentur. At si ea causa uisi sumus inepti & fatui, quod diceremus, Corpus Christi re ipsa & à nobis abesse ipsis, & à pane: non uerbis, & conuitijs, sed scripturis, & rationibus eramus confutandi. Profectò, si patres in deserto, ut Paulus ait, manducauerunt eundem cibum spiritualem, & potum eundem spiritualem nobiscum biberunt, quod Augustinus etiam disertissimis uerbis testatur, huiusmodi corporalis præsentia nec necessaria erat, nec dari etiam illo tempore potuisset.

Falsum ergo est, quod Inconstantius ore tam pleno crepat, Corpus Christi, nisi adsit realiter, non posse ullo pacto comedi. Capernaitæ, inquit, ueritatem carnis in manducatione spectabant ore excipi: & uos negatis, ore excipi: & aliam sentitis manducationem absentis corporis. Quare non in solo modo ab eis discrepatis, qui adeò dissentitis. Collige, quæso te, Inconstanti, & audi paulò attentius. Cum dicimus, nos in eò discrepare à Capernaitis, quòd illi putarint, corpus Christi ore ipso corporis, & faucibus comedendum esse, nos autem id referamus ad mentem, & ad fidem, nónne uniuersum discrimen

discrimen situm est in modo? Nam res certè eadem est utrinq; : contenditur autem tantùm de modo, & ratione comedendi.

Postremò concludit, Nos, cum oppugnemus institutionẽ Christi, non posse, spiritualiter comedere eius carnem. Nos uerò, Inconstãti, Christi instituta & seruamus, & colimus: quæ uos quotidiè tyranica, & prorsus sacrilega uiolentia rescinditis. Id enim in templis uestris fieri, nobis etiam tacentibus, res ipsa loquitur.

REGVLA VII.

ITEM cum legimus in Patribus, corpus Christi haberi, aut contineri in ijs mysterijs, nihil aliud intelligere debemus, quàm corpus Christi in illis denotari, ostendi, demonstrari, significari.

GARDINERVS.

AC *Regula ueras significationes falsò mutat, & per fallaciam tollit: qui tam ægrè alioqui fert mutationis uerbum.*

MARTYR.

NE parùm facetus uideatur, quod ego dixi, Haberi, aut Contineri, idem esse quod ostendi, aut significari, id ait, nec dictum, nec pictum, nec scriptum, nec auditum fuisse unquam. Hæc scurrilia missa facio. Ego autem dico, me hãc obseruationem proposuisse de sacramento Eucharistiæ: & sententiam meam confirmari posse ex dictis Patrum. Nam & Tertullianus, & Cyprianus, & Basilius, & Augustinus, & alij complures non obscurè scribunt, corpus & sanguinem Christi in pane & uino significari, ostendi, demonstrari. His testibus mihi, opinor, uti licuit: etsi uerba illorum nõ expresserim, quibus se ipsos, cum ita loquuntur, solent exponere. Neq; hæc obseruatio ad mentem referenda est Communicantium, nam ea corpus ipsum Christi fide complectitur, sed ad symbola. Nam illorum proprium est, in mysterijs, quemadmodum omnes Theologi testantur, significare. Omnes enim in eo consentiunt, Sacramentũ esse signum rei sacræ.

Proprium symbolorum est significare.

Deinde doctissimum simul, ac sanctissimum uirum Bucerum testem citat: quem tamen ait multis nominibus esse improbandum. Primùm, si iudicio tuo improbandus est, cur illum accersis testem? Si tu eum non probas, quomodò eum à nobis probari postulas? Si errauit alibi, cur non errat hic quoq;? Hæc quidem tibi responderi possent ab illis, qui Buceri authoritatẽ contemnerent. Ego uerò, qui eius uiri summam doctrinam, & perpetuam uitæ innocentiam semper sum admiratus, potius ad diligentem eius lectionem te remitto. Ibi quære, an ille Transubstantiationem uestrã unquam defenderit: an unquam substãtiam ipsam carnis Christi ad panem & uinum alligarit: an eam ipsam carnem promiscuè à pijs impijsq; percipi docuerit. Posteà de Buceri authoritate nobis insultato, quã tum uoles. Fateor illi, cum interpretatur hæc uerba, Hoc est corpus meum, Synecdochen magis placuisse. Et eam ipsam nos quoq;, modò rectè intelligatur, non reijcimus. Eucharistia enim, quod sæpè diximus, constat duabus rebus. Sed nihil necesse est, ut illæ res sese contingant locali præsentia. Antiquioribus tamen Patribus magis arrisit Metonymia: quos ego si sequor, non uideo, cur cuiquam uideri debeam iniuriam facere ueritati, aut sectarius, & hæreticus appellari. Ve-

Bucerus.

rùm, ut, quod res eſt, dicam, ego me ab Inconſtantio multò uituperari, quàm laudari malo. Tantum uidelicet eſt in eius ſuffragio momenti & ponderis.

„ Deinde calumniatur, me de Patribus ex me ipſo facere coniecturam: quaſi „ illi uoluerint ſuis uerbis lectori fucum facere, & aliud ſenſerint, aliud ſcripſerint, „ linguæ & cordis pernicioſiſsimo diſsidio. Hoc ego uitium patribus nō inuro. Hoc tantùm dico, illos, quod aliquo in loco ſcripſerint obſcurius, id alibi apertius declaraſſe. Cæterùm huiuſmodi iniurijs nemo Patres ſæpius, aut grauius afficit, quàm Inconſtantius. Sæpè enim iam ſuprà affirmauit, illos in calore atq; impetu diſputationis longè aliter ſcripſiſſe, quàm aut iudicarint, aut ſenſerint. Atq; ita diſtinguit illorum dicta, ut alia uelit ἀγωνιστικῶς, alia λογματικῶς intelligi. Inconſtātius ergo grauius, & contumelioſius lædit authoritatem Patrum, quàm nos. Is enim non dubitat, illis tribuere duo corda, non tantùm duas linguas: alterum cum diſputant: alterum cum ſedatè loquuntur, & figunt dogmata. Nam nos quidem unam tantùm illis linguā, & unum cor adſcribimus; ſed ita ut quod alicubi, ut fit, dictum erat obſcurius, id alibi clarius, & dilucidius explicent.

Inconſtantius, non ego, Patres afficit contumelia.

„ Addit, eſſe quoſdā, qui, cū explicent ſacramentū Euchariſtiæ hæc duo uerba „ Contineri, & Significari ita diſtinguant, ut dicant, corpus Chriſti myſticum in ſa„ cramento ſignificari quidem, non contineri: corpus autem Chriſti naturale & „ ſignificari, & contineri. Id ait non eſſe obſeruatum in mea Regula. Me enim uerbum illud Contineri, exponere per Significari. Hæc diſtinctio neutra ex parte dictis Patrum ſatisfacit. Nam illi & myſticum corpus Chriſti dicunt in ſacramento contineri, & corpus naturale ſignificari. Verùm id antequam declaro ex Patribus, unum locum citabo è ſcripturis. Paulus ait: Vnus panis multi ſumus. Hęc haud dubiè pertinent ad corpus myſticum. Quomodò hic iſte noſter exponit uerbum illud ſubſtantiuum, Sumus, neſcio. An enim dicet, nos re uera eſſe panem, an potius pane ſignificari? Significari, opinor, potius dicet: ita enim nunc in ſua iſta diſtinctione loquitur, quam tamen proponit aliorum, neſcio quorum, nomine. Alicubi ergo, Inconſtanti, & ſcriptum, & pictum uides, nō tantùm illa uerba, quæ ego dixi, Contineri, & Significari, ſed etiam uerbum ipſum ſubſtantiuum, Eſt, exponi per ſignificari.

Diſtinctio allata non poteſt probari.

Etiam myſticū Chriſti corpus in ſacramento continetur, non tamē ſignificatur, quod etiam de naturali corpore dari poteſt.

Auguſtinus.

Nunc ad huius diſtinctionē redeo. Auguſtinus in Sermone ad Infantes ait: „ Corpus ergo Chriſti ſi uis intelligere, audi Apoſtolum dicentem fidelibus, Vos „ eſtis corpus Chriſti, & membra. Si ergo uos eſtis corpus Chriſti, & membra, my„ ſterium ueſtrum in mēſa domini poſitum eſt. Myſterium domini accipitis ad id, „ quod eſtis. Amen reſpondetis: & reſpondendo ſubſcribitis. Ex his uerbis colligo, Communicantes reſpondiſſe Amen, cum illis daretur Sacer panis, et appellaretur Corpus Chriſti. Admonet ergo Auguſtinus, illos idē illud eſſe, quod reſpondeant. Neq; ait, illos ibi ſignificari, ſed eſſe: quod tamen ex hac diſtinctione allata dicere debuit. Ait enim in pane Euchariſtico corpus myſticum, non eſſe, ſed ſignificari. At Auguſtinus longè ſecus ait, nos ipſos eſſe illud ſacramentum. Idem alibi ab eodem Auguſtino multò clarius, & luculentius dicitur, ut habe„ tur De Conſe. diſt. 2. cap. Quia paſſus eſt dominus. Et per miſericordiam eius, „ inquit, quod accipimus, nos ſumus. Et mox: Hęretici, quando hoc accipiunt, te„ ſtimonium contra ſe accipiunt: quòd illi quærant diuiſionem: cum panis iſte in„ dicet unitatem. Sic & uinum in multis racemis fuit: & modò unum eſt. Et mox: „ Vbi uos eſtis in menſa, & in calice, nobiſcum uos eſtis. Similiter enim hoc ſu„ mus: ſimiliter bibimus, quod ſimul uiuimus. Hic rurſus uidemus noſtrā, id eſt, myſtici corporis coniunctionem, nō per uerbum, Significandi, ſed per uerbum ſubſtantiuum, Eſt, Sumus, Eſtis, notatam eſſe. Nunc autem, ſi uiciſsim ex Patribus probare uelim, corpus ipſum Chriſti naturale in Euchariſtia ſignificari, & ſuper-

superuacaneus esset labor, & infinitus. Et superuacaneus quidem, quia Incõstantius in hac sua distinctione, id ultrò confitetur. Ait enim, Corpus Christi naturale & significari in Eucharistia, & contineri. Oblitus est ergo sui, ut apparet. Hic enim fatetur id, quod anteà nusquam nec scriptum, nec pictum, nec fictum esse clamauerat. Rursus etiam infinitum esset, si omnia, quæ ex patribus in hũc locũ citari possent, uellem persequi. Infinita enim propè loca sunt, quibus hoc Sacramentũ, Figura, Signum, Symbolum, Similitudo, Typus, Ἀντίτυπον corporis Christi appellatur: quibusq; illud ipsum corpus in Eucharistia significari, ostendi, demõstrari dicitur: quæ attentus Lector ex ijs, quæ anteà à nobis scripta sunt, poterit facilè inuenire. Idem etiam Lector addet ad hanc regulam, id quod sæpè diximus, quodq; nostrũ istum Sophistam pessimè habet, significationem, quam hic statuimus, non uulgarem, aut profanam esse, sed diuinam, & efficacem: deinde etiam annotabit, quid fructus ex ea ad communicantes redeat.

Huc addit Inconstantius, Arrianos quoq; olim idem molitos esse, quod nos: sed longè subtilius & artificiosius. Qua autem in re, aut quemadmodum id illi fecerint, id prudenter, quia dicere nõ potest, tacet. Equidem minus me subtilem, minusq; astutum haberi, quàm olim fuerint Arriani, libenter patior. Illud uerò grauius est, quod ait me in aliena scripta exercere rudem, & rusticã tyrannidem. Me enim non parua aliqua significationis inflexione, in aliud cognatum, & proximũ uerba deducere, sed aperta ui uerbis significationes suas eripere, idq; nulla de causa. Sed bene habet. Mea enim tyrannis, id quod ipse fateris, uerbis tantùm & significationibus concluditur. Nam tua iam pridem in Anglia, non tantùm uerba, sed etiam omnia sacra rectissimè, & sanctissimè ab Eduardo Rege instituta, nullo iure, nullo exemplo, sed mera ui, & uiolentia prorsus euertit, & dissipauit: & in fortunas, & uitas sanctorum Martyrum ferro, & ignibus, & omni genere crudelitatis desæuijt. Verùm ista missa facio, Deus ea, non dubito, aliquãdo iudicabit. Ego uerò has interpretationes nec cõfinxi, nec adhibui sine causa. Ea tantùm retuli, quæ ne tu quidem, Inconstanti, negare potes, extare in scriptis patrum. Qua autem tu tyrannide & manifesta ui, uel potius quo sacrilegio significata sua uerbis soleas eripere, non ex uno tantùm loco, sed ex toto ferè libro isto tuo potest intelligi. Apud te enim panis & uinum sunt accidentia: substantiæ, sunt proprietates. Quos autem equuleos adhibueris ad Theodoretum, Gelasium, Cyrillum, Didymum, Basilium, & alios complures patres lacerãdos, aliorum potius esto iudicium.

Sed fortasse nõ erit alienum breuiter attingere, facilène illud, & usitatum sit, an potius durum & tyrannicum, quòd ego in hoc negotio de Sacramentis & signis uerba illa, Haberi, & Contineri, interpretatus sim per ostensionem, significationem, demonstrationem. Certè literæ diuinæ dicuntur uitam æternam continere. At quomodò tãdem, quæso, illam cõtinent? Non alio sanè modo, nisi quia illam significant, docent, insinuant. In Actis Apostol. cap. 13. ita legitur: Viri fratres, filij generis Abrahę, & qui inter uos tenent deum, uobis sermo salutis huius missus est. Hic prędicatio Euangelij dicit sermo salutis: nimirùm, quòd in se contineat & habeat salutem. Explicet hic mihi Inconstantius, quomodò uerba Euangelij salutem in se contineant. Dicet fortasse, quòd illa sint causa salutis. Ego uerò ulterius etiam quæro, quomodò ea sint salutis nostræ causa. Ad extremum necesse est dicere, significando. Eam significationem cũ spiritus sanctus reddit efficacem in animis auditorum, adfertur illis certa, & indubitata salus. Verũ quid hæc, inquies, ad Sacramenta? Plurimum. Ea enim, ut Augustinus ait, utq; uulgò in scholis iactatur, sunt uerba quædam uisibilia. Quare hac in re non est mea nec tanta, nec tam rustica tyrannis, quantam eam uideri uult Inconstantius. Neq;

Sacræ literæ uitam æternã cõtinent.

Quomodo sacræ literæ salutẽ contineant.

ego unquam dixi, quod iſte ſultè cauillatur, Continere ac Habere, ubique, atq; omni in loco idem eſſe quod ſignificare. Scio enim iſta duo uerba interdũ longè diſiuncta eſſe. Illud autem pronuntiatum meum ad hanc quæſtionem contrahi uolui. Eat ergo Sophiſta, & cum alijs litiget: hæc enim ad me nihil pertinent.

» Hic homo otioſus multa de ſimulatione, & diſſimulatione ſine ulla cauſa interponit. Neque enim nos patres in hac re aut ſimulaſſe, aut diſſimulaſſe dicimus. Nam quòd ad pios attinet, in Sacramentis omnia uerè aguntur, & efficaciter. Illi enim mente, ac fide corpus ipſum Chriſti re ipſa percipiunt: idq; illis Sacramenta & Symbola uerè, atq; efficaciter ſignificant. Deniq; re, ut ipſe putat, pulchrè geſta, ait, Offerri, Exhiberi, & alia uerba ſimilia apud me nihil eſſe aliud, quàm ſignificari. Qua de re ego ita reſpondeo, Cum domini caro dicitur nobis exhiberi, aut offerri, aut dari in ſacra Cœna, id, ſi referatur ad ſigna, fateor notare ſignificationem, ſed eam, ut ſæpè dixi, non uulgarem: at idem, ſi ſpectetur mentem, & fidem communicantium, indicat ueram perceptionẽ corporis Chriſti: quam etſi Inconſtantius contemnat, & faſtidiat, tamen homines pij, & ſancti, & Chriſti membra illa ſumma cum utilitate fruuntur.

Non dicimus patres ſimulaſſe.

REGVLA VIII.

CVMQVE audis Patres dicere, Panem & uinum non eſſe amplius in Euchariſtia, hoc intelligere debes, non ſimpliciter, ſed q̃d attinet ad ipſum communicantem. Ibi enim cogitandum tibi non eſt uel de pane, uel de uino: ſed mentem tuam, atq; omnes ſenſus oportet penitus defigi in illis rebus, quæ ſignificantur. Ideò enim dicitur, Surſum corda, ut ab illis rebus uiſibilibus animum tuum ſubuehas ad inuiſibilia, quę tibi in Sacramento offeruntur. Et ab hoc genere tropi ſcripturæ ſacræ nõ abhorrent. Paulus enim ait, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem. Idem tamen non negaſſet, animam noſtram carne & corpore aggrauari. Alibi enim ſcribit: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: &, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Neq; idem ignorauit eſſe multos malos homines, qui in ſcripturis appellãtur caro & ſanguis, à quibus nos aſſiduè infeſtemur, & quibus cum nobis ſit lucta quotidiana. Paulus aũt, cũ diceret, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, intelligi uoluit præcipuam illam, & ſummam contentionem, unde illæ aliæ ortum habent. Idem etiam alibi dicit, In Chriſto Ieſu nec marem eſſe, nec fœminam: nec ſeruum, nec liberum. Tamen iſta diſcrimina officiorum & ſexuum ab Eccleſia Chriſti non removentur. Scimus enim, ſeorſim de illis etiã prę̃cepta ſcripta eſſe. Sed Paulus hoc intellexit, iſta diſcrimina nõ eſſe in Chriſto, quod attinet ad Regenerationem, & remiſſionem peccatorum, & aſſequendam uitam æternam: præcipua, & ſumma ſunt in Chriſtianiſmo: & in iſtis diſtribuendis Chriſtus nõ ſpectat ſtatus, & conditiones hominũ. Idem alibi ſcribit, Regnum dei non eſſe in ſermone

mone: nec tamen idcircò ab Ecclesia, quæ est regnum dei, lectiones, admonitiones, conciones, quæ constant uerbo, & sermone, remouit. Hoc enim solùm sibi uoluit, illam summam uim, & efficaciam spiritus, eam esse, qua omnia in Ecclesia geri, & administrari debeant. Ad hũc modum Patres interdum aliqui loquuntur, cum negant in Eucharistia manere naturam symbolorum. Id enim, ut dixi, non est accipiendum simpliciter, sed quòd attinet ad cogitationem, & fidem nostram, quas nullo modo oportet in illis externis symbolis inhærere.

GARDINERVS.

PROXIMA *Regula uiolentior fuit: ista subtilior, scilicet ex Stoicorum schola huc accersita, qui in loquendi formis rerum obscurationes eleganter notarunt.*

MARTYR.

INconstantius & numero exemplorum, & ipsa rei ueritate uictus fatetur, & in diuinis literis, & apud bonos authores inueniri negationes, quæ rem non ominò tollant, sed tantùm ex collatione obscurent. Néue uideatur non audisse ali quando dogmata Stoicorum, ait, me hanc regulam ab illis accepisse. Quasi uerò eadem loquendi forma non possit, & in prophetis, & in ipso Dauide, & in plærisq; sacris libris obseruari: quos negare non possit, longè antè scriptos fuisse authore atq; impulsore spiritu sancto, quàm nomẽ Stoicorum auditum esset. Sed iste addit, hanc obscurationem ex collatione ibi demùm habere locum, ubi illa duo constet esse in eodem: idq; conatus est etiam exemplis illustrare. Constat, inquit, luctam & cum carne, & cum principibus aëris esse: constat item, in regno dei sermonem esse, & uirtutem: constat denicq; marem & fœminam esse in Christo, id est, cum gratiæ conditione. Quò ista spectẽt, si Lector nescíat, paucis apertam. Hoc, uidelicet, iste sibi uult: Si panis, & corpus Christi ita inter se conferantur, ut panis non auferatur prorsus, sed obscuretur, necesse esse statuere, utrunq; esse in Eucharistia. Nisi enim constet, utrunq; esse in eodem, huiusmodi obscurationem ex collatione esse non posse. Id autem putat cum nostra sententia maximè pugnare: quasi nos prorsus negemus, corpus Christi pertinere ad Eucharistiam. Atqui id nobis nunquam in mentem uenit. Semper enim & dixímus, & scripsimus, integrum sacramentum cõstare & signo, & re significata. Quæ enim relatio posset esse sine fundamento, & termino? Sed hic Inconstantius semper errat. Putat enim, sacramentum non posse constare ex corpore Christi, & pane, nisi tam adsit nobis in eo corpus Christi, quàm panis. At id ad relationem non est necessarium. Relatio enim paternitatis ad filium cõstat ex duobus terminis, quamuis interdum fieri possit, ut filius à patre lõgissimis terrarum spatijs diuisungatur. Quare dicimus, Eucharistiam constare ex signis, & re significata, eaq; ita inter se conferri, ut præ re ipsa significata symbola pro nihilo quodammodò haberi debeant. Simile quiddam cogita mihi in Baptismo. In eo aqua symbolum, aut signum est, res autem significata est remissio peccatorum. Iam quis ita rudis est, ut putet condonationem peccatorum re ipsa coniunctã esse cum aquis? Illa enim non alibi est, quàm in mente, & uoluntate dei. Quamuis autem duæ istæ partes tantùm inter se distent, quantum cœlum & terra, aut quantum corpus & spiritus, tamen ex illis duabus unum Baptismi sacramentum constare po

Cõdonatio peccatorum nõ est in aqua Baptismi, sed in mente dei.

teſt. Ita etiam Euchariſtia ex duabus ſuis partibus conſtat, quamuis alter terminus, corpus uidelicet Chriſti, quod ad locum attinet, in cœlo ſit, & longiſsimè abſit à pane.

„ Addit Inconſtantius, non ſemper notam negandi addi ſermonibus, ut rem „ obſcuret tantùm, non autem prorſus auferat: ſed interdum eam, quod ſignifica„ tur, uerè negare, ac tollere. Vt quod Paulus ſcribit ad Titum, Apparuit benigni„ tas dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuã miſericor„ diam ſaluos nos fecit. Hic, inquit, uera eſt negatio, & forma loquutionis ἀφαιρετικῶς „ profertur, non ut imminuat tantùm aut obſcuret, ſed ut prorſus, atq; omninò re„ moueat. Cui loquutioni illud etiã ait eſſe ſimile, quod dominus dixit Petro, Ca„ ro, & ſanguis non reuelauit tibi. Hic item caro & ſanguis non obſcurantur, ſed „ remouentur. Quale illud quoq; eſt, Non ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate „ uiri, ſed ex deo nati ſunt. Nõ diſplicent mihi hæc exempla. Sed illis aliud etiam addo: Nõ iuſtificari hominem ex operibus, ſed ex fide, idq; omninò dictum eſſe à Paulo ἀφαιρετικῶς: quamuis id Inconſtantius cum ſuis conſtanter neget. Ex his „ autem exemplis quid tandem uult iſte conficere? Hæc, inquit, ita tracto fuſius, „ ut oſtendam, ex indicio rerum intellectarum, non ex ſola loquutionis forma, ſen„ ſum eſſe æſtimandum: & hãc regulam multis eſſe obnoxiam erroribus, & ad id, „ quod agitur, nihil omninò pertinere: cum alia ſit ratio abſolutę negationis, quàm „ eius, quæ in collatione adhibetur. Veritatem loquutionum quærendam eſſe ex natura rerum intellectarum, libenter damus. Neq; ego in hac Regula ſolam, & meram loquendi formam attendi uolui. Imò Patres ita intelligendos eſſe, conclusi partim ex ijs, quæ in ſacris literis traduntur de natura ſacramentorum: partim etiam ex ijs, quę Patres ipſi alibi de eadem re ſcripta reliquerunt. Et ex altera parte hoc etiam obſeruaui, formulam ipſam loquendi huiuſmodi ſenſum facilè poſſe recipere. Neq; enim ſimpliciter dandum eſt, formulam ipſam orationis ad ſenſum inueniendum nihil facere. Quid enim ſępiſsimè faciet infœlix doctor in ſacris literis, ſi ignorabit Hebraiſmos? Quid in Patribus uel Latinis, uel Græcis, ſi phraſes ipſas Latinas Græcasq; non intelligat? Nihil profectò uidebit, niſi oculis alienis: neq; quicquam unquam ſecurè, & ſolidè poterit de uero ſenſu pronuntiare. Prudens ergo, & diligens interpres, non tantùm res ipſas, ſed etiam loquutiones & phraſes debet in conſilium aduocare.

„ Ne illud quidem uerum eſt, quod iſte ſubijcit: Nuſquam hoc legi apud Pa„ tres: Non eſt tibi panis, ſed corpus Chriſti. Etſi enim non eadem forte uerba, ta*Chryſoſtomus.* men ſimillima apud eos inueniuntur. Vtq; de Chryſoſtomo dicam, quem iſte „ nominatim attigit, ille in Sermone de Encœnijs ita ſcribit: Num uides panem? „ Num uinum? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum uadit? Abſit: ne ſic cogites. Et „ mox: Propter quod, & accedentes ne putetis, quòd accipiatis diuinum corpus „ ex homine, ſed ex ipſo Seraphim forcipe ignem. Nónne ijs uerbis indicat Chry ſoſtomus, non eſſe cogitandum de pane, nec putãdum, hominem antiſtitem adminiſtrare ſacramentum communicantibus, cum tamen ſenſus agnoſcant panẽ, & re uera homo miniſter Euchariſtiam porrigat. Tamẽ & panis, & miniſter ipſe pro nihilo quodammodò habendus eſt, præ ut illa ſunt, quæ pij in Communione *Chryſoſtomus.* conſiderant. Idem homilia 7. in epiſt. priorem ad Corinthios ita ſcribit: Ethni„ cus, cum audit lauacrum Baptiſmi, perſuadet ſibi, ſimpliciter eſſe aquam. Ego „ uerò, non ſimpliciter uideo, quod uideo, ſed animæ per ſpiritum purgationem. „ Ille lotum mihi corpus duntaxat, ego animam & puram, & ſanctam factam cre„ didi: nec non ſepulturam, reſurrectionem, ſanctificationem, iuſtitiam, adoptio„ nem, hæreditatem, regnum cœlorum, ſpiritus ſatietatem conſidero. Non enim „ aſpectu iudico ea, quæ uidentur: ſed mẽtis oculis uideo corpus Chriſti: aliter ego

hoc,

hoc, aliter incredulus accipit. In istis duobus mysteriis Aquã, & id, quod appel-
latur Corpus Christi, ait se longè aliter attendere, quàm hominem Ethnicum. Se
enim res externas, & symbola, quæ Ethnicus sola uidet, non respicere: sed to-
tum in illis esse, propter quæ consequenda illa sint instituta. Chrysostomo ergo
Baptismus non est aqua: nec Eucharistia est externa illa species panis & uini:
quamuis & aqua sit in Baptismo, & in Eucharistia panis & uinum. Augusti- *Augustinus.*
nus quoque in Sermone ad infantes: Quod uidistis, inquit, panis est & calix,
quod oculi uestri renuntiant: quod autem fides uestra postulat instruenda, pa-
nis est corpus Christi, calix sanguis. Docet his uerbis Augustinus, panem qui-
dem & uinum, re ipsa adesse: illos autem, qui instituti sint fide, illa non attende-
re. Illis enim ea esse corpus & sanguinem Christi; sed suo quodam modo: eo ui-
delicet, quo iam sæpè diximus. Sed plura loca similia ex patribus, ne sim proli-
xus, non indicabo.

Concludit tandem, se istam obscurationem, aut extenuationem tum demùm
uelle recipere, ubi magnum aliquod absurdũ sequeretur, si res ipsa uerè, ac pro-
priè diceretur auferri. Hanc obseruationẽ nos quoq; libenter amplectimur. Ab-
surda autem quæ iste se fingit in hac causa non uidere, nos maxima, & propè in-
finita conspicimus. Quæ cum Inconstantius absurda esse negat, non tam contra
nos dicit, quàm contra usum communem, contra experientiam, cõtra naturam,
contra sensus, contra patres, denique contra uerbum dei: & uidens, prudensq;
ita furit, ut iam uix helleboro curari possit.

REGVLA IX.

FIDES uera tantæ est efficaciæ, ut res præsentes cõstituat: non quidem realiter, sed spiritualiter: eas enim per fidem ita complectimur, ac si essent ante oculos. Atque ita Apostolus scribit, Christum crucifixum fuisse ante oculos Galatarum: & Christus ait, Abrahamum uidisse diem suum: & Paulus ad Corinthios ait, Veteres in suis Sacramentis habuisse eun dem Christum, quem nos habemus. Atq; ita non est neces-se ad hanc præsentiam, ut res ipsæ, quod attinet ad naturalem illarum situm, mutent locum, aut nobis adsint cum suis materialibus, ut loquuntur, & physicis conditionibus.

GARDINERVS.

HAEC *regula digna est, quæ diligenter excutiatur: aperit enim hominis fraudes, & fidem malam: tũ etiã detegit inconstantiã, quæ à confictis mendacijs nõ potest abesse.*

MARTYR.

INconstantius, si unquã aliâs egit Sophistã, & callidum ueteratorẽ, id hoc loco artificiosissimè præstitit: utq; fraudes suas, & perfidiam, & inconstantiã facilius tegeret, astutè eadem omnia in me contulit. Id autem quàm uerè, & rectè faciat, spero me æquo Lectori paucis uerbis planum facturum. Primùm pugnat ad-uersus efficaciam fidei: quam ego multis scripturarum testimonijs cõfirmaui: & ex epistola ad Hebræos ait, Fidem esse argumentum rerum non apparentium: id est, earum rerum, sic enim subijcit, quæ nos secundum sensum carnis lateant. Hic ego non nihil miror, ignorationem rerũ creditarum à nouo Theologo con-

trahi tantùm ad ſenſus carnis: quaſi uerò non ea etiam apprehendantur fide, quæ rationem humanam fugiant. Quid enim, quæſo, noſſe, aut ſuſpicari poſſunt ſenſus noſtri de Trinitate trium perſonarum in una ſubſtãtia? Quod tamen, quamuis fugiat rationem, nihilò minus fide comprehenditur. Sed ne omnes minutias perſequamur, dicemus, Gardinerum, etſi non totum, tamen aliquid dixiſſe, cũq; diceret, Senſum carnis, etiam rationem comprehendiſſe. Etſi enim ſit luriſperitus, tamen non ſemper retinet proprietatem ſermonis.

,, Deinde hoc etiam ſibi ſumit, Fidem ceu ſpeculum quoddã, nobis res abſcon
,, ditas referre. Id ego libenter recipio: Apoſtolus enim ait, nos hic uidere tantùm
,, in ſpeculo, & in ænigmate. Quod autem ait, fidem inſtar ſpeculi referre res, non
,, abſentes, ſed præſentes, uidetur mihi, etiam ad ea, quę ante oculos poſita ſunt, ſtu
,, pere. Speculum enim refert, non ea, quæ in ipſo ſint præſentia, ſed ea potius, quæ longius abſint: quæ tamen ita refert, & proponit ob oculos, ac ſi in ipſo eſſent. Et, ne loquar tantùm de rebus proximis, conſtitue ſpeculum ſub dio: uidebis in eo Solem, Lunã, aſtra, aliaq;, quæ ab ipſo ſpeculo ſint remotiſſima: quæ tamen omnia ita perſpicuè, itáque ad uiuum expreſſa uidebis, ac ſi eſſent re uera coram, & in ſpeculo præſentia. Ita ego dico uſu uenire etiam in fide: eius, uidelicet, ui, & efficacia, ea, quæ longè abſint, quòd ad rem ipſam attinet, fieri quodammodò præſentia. Non potuit ergo Inconſtantius commodiori ſimili meam ſententiam confirmare. Et quoniã ipſe uiam nobis muniuit, ut exempla, & ſimilia petamus à rebus familiaribus, non uideo cur non mihi quoque liceat idem facere. Vis in nobis intelligendi, quam philoſophi appellant poſſibilem, ut Ariſtoteles ait, poteſt fieri omnia. Ornatur enim infinitis rerum ſimulachris, quæ uulgò appellant ſpecies, aut imagines. Ea uerò ſimulachra, cum à rebus ipſis efluxerint, & primùm quidem per ſenſus exteriores, deinde etiam per interiores ad intelligentiam noſtram penetrarint, ibi omnium rerum formas quodammodò præſentes efficiunt. Atque ita fit, ut res longiſſimè diſtantes, & iam ſæpè præteritas in nobis ipſis, atque in animo noſtro præſentes habere poſſimus, uel potius re ipſa habeamus: etſi craſſa illarum hypoſtaſis, & ſubſtantia in animo noſtro non exiſtat. At iſta, inquies, ſunt philoſophica. Maximè. Non tamen propterea falſa ſunt. Deinde, ſcire uelim, cur tu ea loca ſcripturarum, quę à me allata ſunt, ita temerè contemnas: Abrahamum, uidelicet, uidiſſe diem domini: Chriſtum crucifixum fuiſſe ante oculos Galatarum. Quibus hoc etiam debes addere, Nos iam ſedere ad dextram dei in cœleſtibus: quemadmodũ ſcribitur ad Epheſios: &, quemadmodum habetur ad Romanos, Nos iam ſpe ſaluos eſſe. Hæc ita accipienda ſunt, quòd fides ea nobis, quàm adhuc ab eis longè abſimus, faciat præſentia. Quòd ſi ſcripturis non credis, audi ſaltem patres tuos. Nam Chryſoſtomus in ca. 11. ad Hebræos ita ſcribit: Quoniam ea, quæ ſunt
,, in ſpe, ſine ſubſtantia eſſe putantur, fides eis tribuit ſubſtantiam: magis autem
,, eis non tribuit, ſed ipſa eſt ſubſtantia eorum: utputa, necdum Reſurrectio fa-
,, cta eſt, & necdum eſt in ſubſtantia: ſed ſpes facit eam ſubſiſtere in anima noſtra:
,, hoc eſt, quod dixit, ſubſtantia. Si fides, aut ſpes, quæ hoc loco pro eadem re ſumuntur, poteſt rebus, quæ nondum ſint, dare ſubſtantiam: quantò probabilius eſt, eam poſſe efficere, ut corpus Chriſti, quod iam exiſtit, & habet ſubſtantiam, ſpiritualiter ſubſiſtat in anima noſtra? Idem hom. 83. in Matthæum: Hoc
,, eſt, inquit, illud cœnaculum, ubi tum Chriſtus erat cum diſcipulis. Hinc ad
,, montem Oliuarum exiuit. Hic ait, non tantùm corpus Chriſti, ſed etiam cœnaculum ipſum, & montem Oliuarum communicantibus adeſſe præſentia: quod certè aliter fieri non poteſt, quàm ui & efficacia fidei.

Theophylactus quoque in idem caput, Facit, inquit, fides, ut iſta mente noſtra

Speculũ refert abſentia.

Ariſtoteles.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus.

Theophylact.

noſtra cernamus, haud ſecus, quàm ſi eſſent præſentia. Si igitur talia poteſt fides, quid cupitis ea bona uidere re ipſa? Iſti ergo Patres mecum faciunt. Ego enim in illa mea Regula nihil aliud ſcripſi. Sed à Patribus redeo ad ſcripturas. Illæ enim manifeſtiſsimè teſtantur, Chriſtum per fidem habitare in cordibus noſtris: quod nihil aliud eſt, quàm fidem noſtram illum nobis præſentem facere.

Sed fides, inquit Inconſtantius, ut uerum ſit ſpeculum, nihil aliud monſtrare debet, quàm quod ueriſsimum ſit. Vnde ſi nos corpus domini ſtatuamus certo aliquo cœli loco contineri, ita ut nobis in myſterio non ſiſtatur, fides utiq; nobis illud in uno cœli loco monſtrabit, ubi Chriſtum oſtendit in gloria ſedere, ac regnare. Quod itaq; non eſt, fides minimè demonſtrabit. Quare ſi tantùm in cœlo corpus Chriſti eſt, illud alibi, quàm in cœlo, non oſtendet: ubi ſi non eſt realiter, & ſubſtantialiter præſens, quò tandem illa diuina corporis ſubſtantia euanuit, ſi in cœlo non eſt? Vbi, & non alibi corpus Chriſti uidere poſſumus. Hoc autem huiuſmodi dilemmate conatur concludere, quod propter obſcuritatem Opus Chryſippæum uideri poſsit: Si uera eſt, inquit, fides, quam docent Sectarij, Chriſti corpus extra cœlum exhiberi non poſſe, & illud in ſolo maieſtatis ſolio eſſe poſſe, erit illis eorum fides illius ueritatis certum argumentum, lux, demonſtratio, ſpeculum, ut Chriſti corpus in cœlo eſſe, & à nobis abeſſe monſtret, ac ſignificet. Vltra quod nihil poteſt fidei efficacia: ne, ſi aliter, ac res ſe habeat, monſtret, ſe ipſam perimat, ne ſit fides. Vbi ergo fides monſtret præſentiam, ibi detrahere ſubſtantialiter, & realiter, eſt abſurdiſsimum. Hucuſq; porrigitur prius cornu dilemmatis: de quo prius ingrediar dicere, quàm accedo ad alterum. Hoc enim fracto, ab altero, uti ſpero, minus erit periculi. Fides illorum, quos iſte pro ſua humanitate appellat Sectarios, cũ ipſe uel ſuo ipſius iudicio, cum ea ſcriberet, eſſet ſchiſmaticus, nondum enim redierat ad Romanam ſedem, ſi uera eſt, inquit, non poteſt corpus Chriſti demonſtrare præſens niſi certo aliquo in loco cœli: nam alioqui ſecus monſtraret, quàm res ipſa habeat. Non poteſt ergo efficere ui ſua, ut corpus Chriſti, cum ſit in cœlo, nobis adſit præſens in terris. Imò, inquit, ſi ita faceret, ſe ipſam interimeret, nec iam amplius eſſet fides. Falſa enim fides non eſt fides. Hoc ego cornu, quo iſte nos penitùs perculſos putat, ſpero non ita difficulter retundi poſſe. Scimus pro certiſsimo, ſpeculum fidei res ita referre, ut ſunt. Nam ſi quid aliter proponeret, quàm eſt, mendacium iam eſſet, non fides. Scimus etiam, corpus Chriſti certo aliquo cœli loco, etſi fortaſſe non ſemper eodem, contineri. Ex iſs ita conſtitutis, quid, obſecro, ſequitur? Hoc, ſcilicet: illum, quòd attinet ad realem & ſubſtantialem præſentiam non poſſe per fidem oſtendi, niſi in cœlo. Hoc cum mea Regula nihil pugnat. Ego enim non ſtatuo, ui aliqua, & efficacia fidei corpus Chriſti re ipſa, & ſubſtantia, atq; hypoſtaſi fieri nobis præſens: ſed tantùm ſpiritu, gratia, donis, & fructibus uiuificis, ſancta uidelicet, & pia cogitatione, qua illud complectimur: quemadmodum Auguſtinus docet lib. 20. cap. 21. contra Fauſtum. Ait enim carnẽ Chriſti poſt eius Aſcenſionem in cœlum per ſacramentum memoriæ celebrari. Et idem lib. 3. cap. 16. De Doctrina Chriſtiana, exponens, quemadmodum præceptum illud domini, quo mandauit, ut carnem ſuam comedamus, ſit intelligendum, Figura eſt, inquit, præcipiens paſsioni domini eſſe communicandum, & ſuauiter, atq; utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa, & uulnerata ſit. Audisne, Inconſtanti, quænam iſta ſit ſpiritualis præſentia, quam fidei efficacia nobis præſtet? Ea certè eſt eiuſmodi, ut, quamuis non ſit realis, qualem tu fingis, nobis tamen nihilominus & utilitatem, & ſalutem communicet. Neq; uerò id damus, quod tu, quaſi confeſſum, tibi ſumis, fidem utrunq; horum nõ poſſe conficere: nimirùm, ut monſtret, corpus Chriſti, quod attinet ad ſubſtantiam, & hy-

Auguſtinus.

Idem Auguſt.

Fides dum communicamus, duo demonſtrat.

postasin in cœlo esse, & unà spiritu, & gratia, & celebratione memorię nobis adesse in terris. Velim enim ex hoc homine intelligere, an cum esset in Anglia, eodem tempore habuerit amicum aliquem ultra mare. Quòd si unquam, ut fit, de illo absente amicè, & seriò cogitabat, nónne admonebatur, si guttam ullam habebat rationis, amicum suum, quod ad rem ipsam, & substantiam attinebat, esse ultrà mare, spirituali tamen quadam præsentia adesse sibi, cum illum animo, ac mente complecteretur? Neq; arbitror, Inconstantium negare posse, ea, quę uidemus, recte dici nobis præsentia: ex ea saltem parte, qua adsunt, & uersantur in oculis nostris. Sed quæ nam tandem illa est præsentia? Spiritualisne, an substantialis, &, ut ita dicam hypostatica? Certè, quod uidemus, id necesse est, ut certo aliquo spatio à nobis absit: nam alioqui non potest uideri. Nihilò tamẽ minus, quic quid uidemus, id dicimus oculis nostris esse præsens. Nam & cœlum, & Solem, & astra, cum à nobis uidẽtur, dicimus nobis esse præsentia. Id autem nihil aliud est, quàm esse in conspectu uidentium. Atqui id non efficit, quin loco longissimè abesse possint. Cum ergo efficitur ui fidei, ut corpus Christi, quod substantia, & re ipsa in cœlo tantum est, ponatur in conspectu mentis nostræ, nihil causæ ui deo, cur non etiam dici possit, illi præsens esse. Quod enim natura dedit cogitationi & oculis, ut ea, quæ longè absint, constituant sibi præsentia, id deus multò magis & efficacius dedit fidei. Fregimus ergo alterum cornu huius tam acuti dilemmatis. Idem enim corpus Christi potest re ipsa, &, quod ad substantiam attinet, esse tantùm in cœlo, & nihilo tamen secius efficacia, & ui fidei mentibus nostris spiritualiter præsens esse in terris. Hactenus ergo non cogor aut negare, corpus Christi realiter, & substãtialiter in cœlo esse: aut dicere, diuinam eius corporis substantiam euanuisse. Tu uerò, Lector, pro tua pietate, & prudentia iudicabis, recténe me Inconstantius fraudis, & malæ fidei, & inconstantiæ condemnarit: an isti tituli in ipsum potius conueniant. Nam ut ostendi, propositiones, & similia, quibus hactenus contra me usus est, egregiè pro me faciunt, & ipsius inepcias funditus euertunt. Verùm iste, ut est acutus, putauit me puerili illo suo laqueo ita capi posse, ut cogerer affirmare, fidem ostendere quidem corpus Christi præsens in cœlo, uerùm nec substantialiter, nec realiter. Ego uerò cõfido, nullum fore lectorem tam iniquum, ut putet me ita unquam fuisse bardum, & stupidum, ut dicere, aut etiam cogitare uoluerim, ueram fidem ita complecti corpus Christi in cœlo, ut illud careat sua hypostasi, atq; substantia. Eiusmodi enim fides mẽdax, uana, ridicula, & ne fides quidẽ esset. Sed hoc affirmo, illud, cum, quemadmodum scripturæ loquuntur, uersetur in animo, & mente nostra, non esse ibi iuxta substantiam suam, & hypostasin, sed tantùm, ut dixi spiritualiter. Ita enim res corporeæ, & ex materia concretæ ostendunt se in speculo, tanquam si ibi essent præsentes inclusæ concretæ, atq; corporeæ: quamuis ibi neq; materiam priè habeant, neque corpus. Nolim autem te mirari, piè lector, si in hoc cornu priori perrumpendo uoluerim longiusculè immorari. Postquam enim id infregerim, ab altero nihil erit periculi.

Sol & cœlũ dicuntur nobis interdiu præsentia, quãuis à nobis longissimè distant.

Quod datur oculis & cogitationi, fidei quoq; concedendum est.

Christus quo ad naturam humanam cum in animo nostro est, non ibi uersatur per hypostasin & substantiam suam, sed spiritualiter.

„ Illud autem sic habet: Sin autem hæc uera sit fides, quam tradunt Catholici,
„ quæ est profectò uerissima, diuinum corpus Christi simul in cœlo esse, simul fi-
„ delibus in mysterio manducandum dari, quando nobis hanc præsentiam fides
„ monstrat, & certum sit eius argumentum, quo intelligamus adesse, quod sensus
„ non assequuntur, quomodò fiat, ut corpus Christi à re diuidam? quod si non est cor-
„ res, nihil est: tum autem quomodò à substantia abstraham, sine qua non est cor-
„ pus uerum, ut dicam, nec realiter, nec substantialiter adesse, quod uerè adesse, ue-
„ ra fides indicat? Alterum cornu non inuitus recepi, quod Inconstantius existimauit, nullo modo à me defendi posse; ostendiq; hæc duo optimè inter se consentire,

tire, corpus domini realiter, & substantialiter esse in cœlo; & illud idem, ut uersatur in animis nostris, ibi nec materiam habere, nec substantiam corporatam, nec hypostasin. Hoc autem alterum cornu prorsus inficior: & Papistarum dogma in hoc articulo uanissimum, & falsissimum esse dico, nec ullo modo posse fieri, ut corpus Christi simul realiter, & substantialiter & in cœlo sit, & in Sacramento, aut omninò in locis pluribus: multò uerò minus in infinitis, aut in omnibus. Quod autem iste ait, Fidem indicare huiusmodi præsentiam, uanum, & commentitium est. Nunquam enim hactenus huiusmodi fidem quisquam intelligere potuit è sacris literis: ex quibus solis fideles omnes intelligũt, ueram fidem & nasci oportere, & confirmari.

Deinde negat, duo ista aduerbia, Corporaliter & Carnaliter, diuersa esse ab illis duobus, Realiter & Substantialiter. Ideoq; quantũ uideo, in ista sua præsentia priora illa duo repudiat: posteriora autem duo seruat. Verùm, cum illa præsentia, quam sibi fabricatus est, nihil aliud sit, quàm commentum, & somniũ, per me quidem uel affingat illi, uel ab ea remoueat, quantum uelit. Quod autem ait, Negare quippiam realiter & substantialiter esse præsens, non esse modum alicuius negare præsentiæ, sed prorsus ipsam præsentiæ ueritatem refutare, ac tollere, id nimis improbum atque importunum est. Quis enim non uideat, istum nihil aliud, quàm nugas agere? An enim ita stupidus est, ut id nesciat, quod uel scãna ipsa sciunt, artificem antè habere in mente designatas res eas, quas uelit instituere, quàm eas re ipsa educat, ut dicere solent, in actum? An ergo res illæ ita in mente, atque animo artificis comprehensę, re ipsa existunt, quod ad materiam attinet atque substantiam, an tantùm spirituali quadam ratione, atque intelligentia? Hæc ita clara sunt, atque ita perspicua, penè ut digitis palpari possint. Sed Inconstantij nostri acies impeditur magna nube peruicaciæ: ideóque negat, quicquam posse cogitari, aut dici præsens, quod non adsit re ipsa, atque substantia. Neq; ego ea causa usus sum hoc exemplo, quòd putem, corpus Christi non fructuosius, aut efficacius fide, & animo apprehendi, quàm imagines rerum apprehenduntur ab animo artificis. Ea tantùm causa id feci, ut iste Sophista uel inuitus intelligeret, aliquid dici posse præsens, quod tamen realiter & substantialiter non adsit. Nam alioqui fides omnem humanam notitiam infinitis partibus superat: potentiusq;, atque efficacius ea adsunt animis nostris, quæ credimus, quàm quæ mentis tantùm ui & acumine reuocantur sub aspectũ. Efficacia enim fidei potestas est diuini spiritus: cum ea autem uis, & efficacia rerum creatarum ne conferri quidem potest.

Artifex habet in animo designata, quæ uult efficere, priusquàm fiant.

Aliquid potest dici præsens, quod substantialiter non adest.

Fides omnẽ humanam notitiã superat.

Deinde taxat me hoc nomine, quòd istis aduerbijs, Realiter & Substantialiter, opponam aliud aduerbium, Spiritualiter. Ait enim, me hoc pacto Christum quodammodò è cœlo excludere. Certum enim esse, Christum totũ deum, & hominem, spiritualiter & substantialiter esse in cœlo. Alij interdum uolentes errant, & casu: iste autẽ ambitiosè errat, & ineptit, & de industria. Non enim uult intelligere, uocem illam hoc loco à nobis referri tantùm ad notitiam fidei. Nam cum fides nostra sit χρίσμα spirituale, & animus noster, quo complectimur corpus Christi, sit spiritus, quomodò tandem intelligi potest illud adesse, nisi spiritualiter? Est enim consentaneum rationi, ut res, quæ alicubi suscipiatur, modum suum ab eo habeat, à quo suscipitur. Itaque quemadmodum ea, quæ sensu recipiuntur, dicimus adesse sensibiliter: ita ea, quæ recipiuntur animo, & spiritu, dicimus adesse spiritualiter. Corpus autem Christi, quod iste ait, esse in cœlo spiritualiter, id ego sine exceptione non puto esse concedendum. Est enim ibi corporaliter, nimirùm, cum perfecta, atque absoluta forma, & paratura humani corporis. Cur enim non utar uocabulo Tertulliani? Exceptio autem hæc est, Si In-

Aduerbium Spiritualiter ad notitiam fidei refertur.

Res quæ suscipitur, unde nam suum modũ habeat.

Corpus Christi an sit in cœlo spiritualiter, an corporaliter.

constantius ideò uelit corpus Christi dici spirituale, quòd nunc forma diuinę maiestatis & habitus gloriæ, & conditio immortalitatis in eo resplendeat: quæ illud à spiritu sancto, & diuina natura secundæ personæ deriuantur. Ita dicere possumus, Corpus Christi esse in cœlo spiritualiter. Nos autē in hoc negotio ea uoce non ita utimur: neq; hoc aduerbium in hac significatione illis aduerbijs, Realiter & Substantialiter opponimus. Priori autem modo cum illis pugnat ex dialectro: atque ita dici non potest, corpus Christi agere in cœlo. Vt enim illud ibi sit, nihil opus est aut cogitatione, aut fide nostra. Vbi autem Ecclesia Catholica confiteat, Corpus Christi realiter & substantialiter, & spiritualiter esse in Sacramento, fateor, me hactenus non legisse. Eam enim ego Ecclesiam habeo pro Catholica, quæ diuinas literas, non quæ hominum inuenta, & somnia profiteat.

Sed quanta est perspicacitas huius uiri? Quantò prolixius disputat, tantò insulsitatem, & stuporem suū magis prodit. Quærit enim, quomodò fides dici possit uerè amplecti corpus Christi, si illud realiter & substantialiter non amplectatur: quodq; longè absurdius esse putat, si illud profiteamur uerè non adesse præsens? Ex illo ego uicissim quęro, quomodò patres in Veteri Testamento fide sua Christum in carne uerè apprehenderint. Non enim adhuc nata erat, aut extabat caro Christi. Tamen nemo est ita aut impius, aut impudens, ut dicere uelit, Patres illos non uerè Christū in carne apprehendisse. Abraham enim uidit diem domini, & gauisus est: & Agnus, quemadmodū habetur in Apocalypsi, quod attinet ad prædestinationem dei, & fidem sanctorum patrū, occisus fuit ab origine mundi. Potest igitur caro Christi non absolutè & simpliciter, sed modo quodam, & tamen interim uerè præsens adesse animis nostris per fidem: quicquid Inconstantius garriat.

Bucerus.

Bucerum sanctissimæ memoriæ uirū, cui, cū uiueret, hostis iuratissimus semper fuerat, tamen hic testem citat. Eum enim scripsisse, uoces istas duas, Vere & Substantialiter, quod ad hoc negotium attinet, idem sonare, atque cōuerti. Ad hoc testimoniū, quod ego semper habui pro grauissimo, ita respondeo: Corpus Christi, quod animo, & fide apprehendimus pro nobis traditum, & mortuum, uerè fuisse corpus, & substantiam. Nam alioqui phantasma fuisset, & inanis fictio. Atque ita utcunq; dici potest corpus Christi uerè, & substantialiter adesse & apprehendi. Sed ab hac loquutione idcircò abstinendum censeo, ne quis hoc significari putet, corpus Christi uel in Sacramento, uel in animis nostris ita adesse præsens, ut ibi substantiam suam, & hypostasin, & corpulentam materiam habere existimetur. Sic enim in cœlo tantùm est, & certo aliquo loco continetur, propter modum ueri corporis: menti uerò, atque animo fidelium potest nihilominus esse præsens, idq; efficaciter & uerè: etsi non realiter, aut substantialiter: quemadmodum nos in proposita regula docuimus, & similibus de humana cogitatione, & speculo luculenter declarauimus. Sin uerò Bucerus piæ memoriæ aliter intellexit, atq; ego dixerim, optandū esset ut uiueret, ac pro se ipso huic ueritatis hosti responderet. Id tamen haud reticebo, sanctum illum uirum studio pacis plusculum in quibusdam loquutionibus aduersarijs dedisse, quàm ego aut uelim, aut possim concedere. Video enim, & nimis uideo, quò tādem loquutiones istæ rapiantur. Sed hæc obiter.

Posteà Inconstantius accedit ad excutienda ea testimonia, quæ ego citaueram è sacris literis. Et primùm, locum illum è tertio capite ad Galatas ait esse ambiguum: quod uerbum illud, προεγράφη, non solùm possit indicare, Christum ob oculos Galatarum fuisse descriptum, & pictum, sed etiam proscriptum: nimirùm, quòd illi eū egerint in exilium, idq; illis Apostolus exprobret. Verbum quidem sua natura potest id significare: sed certè eo loco non potest. Pau-

Paulus enim ita arguit Galatas, ut priorem illorum statum illis in mentem reuocet. Nam cum uere, & rectè credidissent, posteà passi sunt se seduci. Itaq; illos appellat stultos & quodammodò fascinatos: quòd abduci potuissent à Christo, qui anteà in illorum animis tam altè impressus fuerat, ut ibi uideri potuerit descriptus, & ad uiuum expressus. Hæc plana, & perspicua sunt: neq; opus est ut propositia, quam Galatæ habebant comparatam per fidem, Christum illis quodammodò præsentem fuisse, & ob oculos mentis propositum: idq; apertissimè notat illa particula κατ' ὀφθαλμὸς. Atq; hæc illa est spiritualis Christi præsentia, quam nos defendimus. *Locus ad Galatas.*

Sed addit Inconstantius, nescio quid, de allegoria: quam negat idoneam esse ad argumenta. At ego nunquam putassem, illum ita desipere, ut putaret, me hoc loco sequi uoluisse allegoriã. Etsi enim uerba illa, Describere, & Pingere, transferantur ad significandam uiuam, & expressam repræsentationem rerum, tamen ego ab illa metaphora non duxi argumentum: sed ab illa significatione, & sensu, quem Apostolus uoluit indicare: nimirùm, Christum ita Galatis hæsisse in animis, & in oculis, ut illi eum habuerint cõspicuum, & quodammodò præsentem. Atqui ne parùm fœcundus uideatur responsionum, ait, uerbo illo, προεγράφη, significari potius efficaciam prædicationis, quàm fidei Galatarum: quasi uerò concionatores, & ministri possint ista cœlestia, & supernaturalia insculpere in animis auditorum, nisi illa fides illorum amplectatur. Hactenus ergo Inconstantius, quamuis multa dixerit, tamen primum meum testimonium ex epistola ad Galatas nihil potuit infirmare.

Posteà confert se ad alterum testimonium de Abrahamo. Et primùm quærit, an Abraham ita uiderit diem domini, uel dominum potius ipsum, ut eum uiderunt Galatæ. Quid ni? Nam & Abrahamus, & Galatæ Christum uiderunt per fidem: ille quidem, ut passurum: isti uerò ut iam passum, si uisionem illam ad mortem Christi referri uelis: at si eam referas ad ipsam domini naturam humanã, utriq; eam uiderunt longè à se distantem. Sed Abraham, inquit, uerè quidem credidit, & uidit, ut cæteri prophetæ: sed id uidit, & credidit, quod futurum erat. Quid tum posteà? Etsi enim Christus, quod ad carnem attinet, uenturus erat, tamen illi iam tum per fidem erat quodammodò præsens. Neq; enim uideri quicquam potest, quod non aliquo modo adsit uidenti præsens. Tanta autẽ erat prophetarum certitudo fidei, ut res futuras quodammodò haberent præsentes, & sic in conspectu, ut sæpè non loquuti sint uerbis futuri temporis, quamuis alioqui de rebus futuris, sed pro illis usurparint aut præsens tempus, aut etiam præteritum. Et sanè, quamuis Abrahamus, & corpore, & tempore longè abesset ab illis rebus, quæ posteà gerendæ erant per Christum, eas tamen haud dubiè præsentes habuit per spiritum. Et Paulus ad Colosſ. cap. 2. ita scribit: Quamuis carne sim absens, tamen spiritu præsens sum gaudens, ac uidens uestrum ordinem. Et in Secũdo libro Regnorum cap. 5. Elizæus ita alloquitur Ghiezi: Nónne cor meũ tecum erat, & ambulabat unà, cum tu acciperes uestes, & talenta à Naaman Syro? Ergo absentia prophetis per fidem, & spiritum fiunt præsentia: ita uidelicet, ut nos dicimus, corpus Christi nobis præsens esse spiritualiter. Et ne quis ambigere possit, ea ipsa, quæ nos hodiè percipimus in mysterijs, Patribus fidelibus in ueteri Testamento fuisse præsentia, Paulus ad Corinthios ait, eos comedisse eandem escam, & bibisse eundem potum spiritualem: néue dubites, eos comedisse eandem escam, & bibisse potum eundem nobiscum, addit, Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Eat nũc Inconstantius, & dubitet, an Abrahamus uiderit diem domini, aut dominũ ipsum ali-

Nihil uideri potest, quod uideri nõ sit quoquo modo præsens.

Paulus.

Eliſæus.

quo modo ante oculos fidei ſuæ præſentem habuerit. Et certè, quemadmodum prophetæ, qui Chriſtum habebant quodammodo in conſpectu, & tanquam præſentem, tamen eum credebant uenturum: ita nos quoq; quamuis Chriſtum habeamus aliquo modo in conſpectu, quaſiq; præſentem, tamen credimus, eum, quòd ad rem ipſam attinet & ſubſtãtiam corporis, abeſſe à nobis, & eſſe tantùm in cœlo. Neq; uerò iſta, ut Inconſtantius putat, inter ſe pugnant: ſed mirificè potius congruũt. Deinde clamat, me duo iſta teſtimonia parùm aptè inter ſe coniunxiſſe: alterum enim illorum ad præteritum tempus ſpectare, alterum ad futurum. Sed cum ille in tota hac quæſtione, ut, quod res eſt, dicam, nihil uideat, nihil mirum eſt, ſi ne hoc quidẽ uiderit, me id dedita opera feciſſe, & de induſtria: uidelicet, ut oſtenderem, tantam eſſe uim fidei, & diuini luminis, ut res non tantùm præteritas, ſed etiam futuras, modò ad ſalutem pertinentes, pijs hominibus conſtituere poſsit ante oculos.

Tandem iſte præclarus Circulator redit in orbem, & principia huius obiectionis, & primùm ſuum cauillum repetit. Ait enim, Fidem, cum habeat ueritatem pro certo obiecto, non poſſe monſtrare falſa. Poſſe quidem eam illa prophetis indicare uentura, quæ futura ſint: & fidelibus oſtendere ea iam præterita eſſe, quæ præterierint: ea autem indicare præſentia, quæ ſint abſentia, nullo modo poſſe. Sæpè iam docuimus, quemadmodum fides præſens nobis faciat corpus Chriſti. Id ſi Inconſtantius ne adhuc quidem intelligat, relego illum ad Paulum, ut ex illo quærat, quomodò, cum eſſet Romę, potuerit uerè dicere, ſe habere Philippenſes in corde. Nam ſpatijs locorum longiſsimè ab illis diſiungebatur. Negari tamen non poteſt, ea, quæ habemus in corde, eſſe aliquo modo nobis præſentia. Nihil ſibi timuit Paulus, ne de fide ſua periclitaretur apud Inconſtantium. Idem enim poſteà etiam inculcat epiſtola priori cap. 2. ad Theſſalonicenſes. Cæterùm, inquit, fratres, nos orbati uobis ad ſpatium temporis aſpectu, non corde, uehementius ſtuduimus. Quare ſi tanta poſsit eſſe uis charitatis, ut res abſentes, & longiſsimè diſiunctas nobis præſentes faciat: cur tanta eſſe non poſsit uis fidei, & efficaciæ ſpiritus ſancti? Sciebat quidem Paulus, illos re ipſa longè à ſe abeſſe: nec tamen dubitabat dicere, ſe illos habere in corde.

Paulus in corde habuit Philippenſes, qui erãt abſentes.

Poſteà iſte per Conceſsionem ſatis liberaliter dat nobis, fidem multa poſſe, montes transferre, dæmones fugare, morbos pellere, miracula facere: eam tamen ipſam ſemper contemplari ueritatem, quæ ſua natura ſit immobilis, eamq; nobis indicare, monſtrare, reuelare, quodq; in diuinis operibus uerè fiat, id ita fieri, quodq; uerè ſit, id ita eſſe, oſtendere. Me uerò docere præſentiam eius rei, quæ re uera abſit: eamq;, quãtumuis abſit, uelle haberi præſentem propter authoritatem fidei: illi enim me, ut in montibus transferendis, ſic etiam in mutandis ueritatibus tribuere poteſtatem. Hoc extremum, ut ab illo primum ordiar, quàm ſit manifeſtum mendacium, non dubito, prudentem lectorem, etiam ſine monitore, per ſe ipſum intelligere. Nos enim, fidem immutare poſſe ueritatem rerum, nunquam diximus. Imò hoc potius docemus, authoritate, & ui fidei perſuaſum eſſe fidelibus, corpus Chriſti, quòd ad rem ipſam attinet, & ad ſubſtantiam, abeſſe à nobis, & contineri in cœlo: eadem tamen ipſa ui, atq; efficacia fidei, dum corpus Chriſti animo uerſamus, & de illo in ſacra Cœna piè, ſanctèq; cogitamus, ut in mortem pro nobis traditum fuit, & omnem noſtram fiduciam in Chriſti ſolius morte, ac ſanguine collocamus, illud aliquo modo effici nobis præſens. Quòd ſi nos doceremus, corpus Chriſti eodem modo, eademq; præſentia adeſſe nobis, qua eſt in cœlo, Sophiſta iſte fortaſſe uideri poſſet aliquid dicere. Nunc autem cum uideat, & intelligat, nos longè aliter ſtatuere: quid ſupereſt, niſi ut lector iudicet, eum impudenter, & data opera mentiri?

Ratio-

Rationem autem meam, uel potius declarationem satis habuit duobus tantùm, aut tribus uerbulis attigisse. Ego enim dixi, Veteres in suis Sacramentis habuisse eundem omninò Christũ, quem nos habemus in nostris. Hoc, inquit iste, significat, ueteribus Christi corpus abfuisse, quod nondum erat assumptum: nobis uerò adesse in Sacramento, propter uerba Christi instituentis, ac dicẽtis post corpus assumptum, ut Theophylactus interpretatur, Hoc, quod sumitis, est corpus meũ. Quòd si ueteres in suis Sacramentis nõ habuerint corpus Christi aliquo modo præsens, cur non ostendit Inconstantius, quomodò Paulus rectè dicere potuerit, illos comedisse nobiscũ eundem cibum spiritualem, & nobiscum bibisse eundem potum? An solent homines edere, & bibere ea, quæ prorsus absint? Quid ergo est? Cur non fatetur, illis tum, non minus, quàm nũc nobis oblatum fuisse in mysterio, & significatione corpus Christi: illosq; , cum illud corpus pro salute humani generis offerendum esse, & dandum in crucem crederent, & animo, & cogitatione concíperent, illud aliquo modo habuisse præsens? Discrimina enim illa temporum, Fuisse, & Futurum esse, ad rem ipsam nihil momenti adferunt: nisi fortè hoc quispiam uelit dicere, illarum rerũ maiorem nunc euidentiam, & perspicuitatem esse, quàm tum fuerit. Illa autem uerba Christi, quæ iste semper iactat, Hoc est corpus meum, nihil nos mouere debent. Satis enim iam suprà docuimus, quemadmodum illa sint intelligenda.

REGVLA X.

EST etiam obseruandum, quoniã diuina natura Christi nobis ueriſſimè adest, idcircò per alternationem, & cõmunicationem proprietatum, idem tribui posse eius humanitati. Ita enim Christus cum loqueretur in terra, dixit, filium hominis esse in cœlo: & id tribuit humanitati suæ, quod propriè conueniebat diuinitati. Hoc pacto concederem, in communione esse naturam Christi humanam: quanquam id posteà exponerem per communicationem idiomatum.

GARDINERVS.

IS huius regulæ in prima fuit: sed quomodò hic specialiter explicat, constituit aliã: quæ eò ualet, ne humanitatem Christi in Eucharistia præsentem credas, sed diuinitatam solam.

MARTYR.

MVltum sudat Inconstantius, ut hanc obseruationẽ labefactet: quod tamen illi nõ succedit. Vim eius ait suprà expressam esse in prima Regula. Verũ id quidem est, sed multò aliter. Suprà enim diximus de alternatione proprietatum, maximè in scriptis patrum, quod attinet ad symbola externa, & rem ipsam in illis significatam: inter illa, uidelicet, esse communicationem quãdam idiomatum, & loquutionum, ut ea, quæ propriè pertineãt ad symbola, interdum tribui possint rebus ipsis: & contrà, quæ ad res ipsas pertinent, tribui possint symbolis. Hic uerò agitur de eadem communicatione idiomatum, quòd attinet ad duas distinctas naturas in Christo. Neque eò spectat hæc Regula, ut iste cauillatur, ut illam alteram regulam, quam proximè defendi, euertat. Hoc, inquit, ista regula sibi uult, ne Christi humanitatẽ credas præsentem esse in Eucharistia, sed diui- *Quod ista regula differat à prima.*

,, nitatem ſolam: atq; ita, ut in legibus ſit, poſterior priori derogabit. Nã iuxta hanc
,, regulam corpus Chriſti efficacia fidei ne quidem præſens eſt, ſed ſola diuinitas:
,, niſi quatenus nominetur adeſſe per cõmunicationem idiomatum: quomodò fi-
,, lius hominis à Chriſto dicebatur eſſe in cœlo: & quomodò dicimus, deum cru-
,, cifixum: quorũ dictorum ueritas in altera natura intelligitur. Hic mihi, quãtum
Hæc regula non pugnat cũ proxima iam expoſita. uideo, aliud onus ſuſcipiendum eſt, ut oſtendam, hanc Regulam cũ proxima ſu-
periori non pugnare. Dixi enim ſuprà, Corpus Chriſti non adeſſe nobis realiter
& ſubſtantialiter in Euchariſtia, ſed tantùm ſpiritualiter: quatenùs uidelicet, il-
lud in cordibus noſtris, & pijs cogitationibus uerſatur per fidem. Cum ergo ibi
negemus, corpus Chriſti propria, & ſubſtãtiali preſentia nobis eſſe preſens: quo-
modò nobiſcum ipſi pugnamus, cum ſolam diuinitatem præſentẽ eſſe dicimus,
humanam autem Chriſti naturam adeſſe negamus, niſi tantùm per communica-
tionem proprietatũ, & allœoſin naturarum? Iſta ſanè, meo iudicio, tantũ abeſt
ut ſeſe mutuo perimãt, ut optimè inter ſe conueniant. Imò uel hoc nomine poſte
rior hæc regula priorẽ iuuat, ut ſi fortè incidamus in loca aliqua patrũ uiolentio-
ra, quæ uideantur ſtatuere, Carnem ipſam Chriſti, quod ad ſubſtantiã attinet, eſſe
in cœna, ſciamus, quomodò oporteat huiuſmodi phraſes, & dicẽdi formulas tem
perare: & quemadmodum, quoq; ſenſu illas aut recipere poſſimus, aut negare.

Neq; ego, cum iſta traderem, laqueos ad fallendum ſtruere uolui, ſed Lecto-
rem monere, ut ſciret, ſibi à Papiſtarum, & à ſuperſtitioſorũ, & otioſorum homi-
num tendiculis diligenter cauendũ eſſe: utq; ſciret, quid loquutionibus aliquan-
do uſurpatis in Eccleſia, & ſententijs quibuſdam patrũ uiolentioribus ſit reſpon-
dendum. Qua in re quantũ ego meis illis regulis & obſeruationibus effecerim,
nolo Inconſtantium pro ſua libidine, ſed æquum Lectorem pro ſua prudentia et
pietate iudicare. Certè rationes meas nõ ita futiles, & leues eſſe ſpero, ut iſtius ho
,, minis inſanis tantùm exclamationibus poſſint refutari. O, inquit, doctrinæ in-
,, conſtantiam. Quod efficacia fidei iam aderat, rurſus cõmunicatione idiomatum
,, abeſt: puerili ſententia, quam deridet Comicus, Volo, nolo: & uolo rurſum: imò
,, nolo. An quod dicimus, Corpus Chriſti adeſſe efficacia fidei, pugnet cum Com
municatione idiomatum, tuum, Lector, erit iudicium. Non ergo ego ſum incon
ſtans, aut ita leuiter à me diſſentio, ut iſte clamat: ſed Inconſtantius ipſe, niſi mul-
tùm fallor, cum ſua Comœdia, & fabuloſa Scena ex toto hoc diſputationis thea
tro explodetur.

REGVLA XI.

VBICVNQVE patres loquuntur de uera præſentia, & man ducatione corporis Chriſti, quibuſcunque uerbis id exprimant, intelligendi ſunt loqui uel de natura diuina, uel figuratè, uel ſpiritualiter.

GARDINERVS.

ISTA *ſub nomine regulæ cenſura eſt, & ſummam reſipit authoritatem: præ ſeferet poſteà, neſcio quid, auguſtius.*

MARTYR.

HAs ego duas poſtremo regulas in meo libro non habeo: neq; unde iſte eas nactus ſit, ſcio: neq; certè uideo, quamuis putet ſe iuris eſſe ualde peritum, quo iure illas mihi inſcio, & ignaro uel adoptare potuerit, uel arrogare. Vnum hoc ſcio, me illas nunquã procreaſſe. Nec tamen huius ipſius regulę, qualiſcunq; tandem

tandem sit, sententiam aut damno, aut respuo. Est enim uerissima, si rectè intelligatur. Nam corpus Christi, cum iam sit impassibile, & nec commoli, nec minui, nec frangi possit, non potest propriè comedi. Hæc enim ad propriam manducationem omnia exiguntur. Nec realiter, aut substantialiter nobis in terris adesse potest: quemadmodum iam certissimis rationibus docuimus. Quare nisi uelimus Patres falsi arguere, omninò necesse est illorum sententias, quibus id uidentur dicere, uel per tropum, uel spiritualiter interpretari.

Nunc uideamus, quid aduersus ista Inconstantius moliatur. Nihil autem moror, quid ab initio de Cẽsura, de Authoritate, de Augusto edicto, animi, opinor, causa, scurriliter nugetur. Primùm ait, me hoc sentire, nomine corporis & sanguinis Christi intelligi posse naturam diuinam. Id autem in sacramentali manducatione non posse habere locum. Ibi enim Christum testatum esse, se dare humanam suam naturam manducandam: loquutum enim eum esse de corpore, quod erat daturus pro nobis. Cyrillum enim dicere, diuinitatis naturam non posse comedi, sed tantùm humanitatis. Ego uerò respondeo, me nunquam dubitasse nomine corporis & sanguinis Christi intelligendam esse naturam diuinã: aut diuinam naturam aut comedi posse, aut bibi. Sed hoc dixi, concedi posse interdum per allœosin & communicationem idiomatum naturam humanã Christi posse dici præsentem, cum diuina natura ubiq; sit, & præcipuè, atq; efficacissimè adsit electis suis. Figuratè autem dixi comedi corpus Christi, quòd, cum symbola, quę corpus Christi & sanguis appellantur, propriè comedantur, illud quoque per metonymiam dici possit comedi. Adesse uerò corpus Christi spiritualiter piè communicãtibus, idcircò scripsi, quòd illud per fidem uersetur in animo, & in corde nostro. Quæ omnia quàm uera sint, quamq; catholica, nihil opus est ut hic rursus doceam. *Natura diuina nõ comeditur.*

Sub finem mouet mihi rixam de illa uoce, Spiritualiter. Illam enim uocem ad modum manducationis pertinere, non autem imminuere rei manducandæ ueritatem: coniungi autem à Catholicis cum spirituali manducatione, quod ibi boni communicẽt, & sub uisibili specie percipiant ipsum corpus Christi, illudq; ipsum pia animi meditatione, & pura pectoris innocentia in os admittãt. Quod autem nos dicimus, uocabulum illud, Spiritualiter, excludere ueritatem spiritualis manducationis, id edicentis tantùm authoritate, & imperio niti, non autẽ sacris literis, aut dogmate Ecclesiæ: quę nos sola sequi, & amplecti debeamus. Particula illa, Spiritualiter, non tantùm, ut iste putat, ad manducationis modum pertinet, sed etiam ad formam, & rationem præsentię. Quod si Inconstantius nõ recipit, necesse est, ut fateatur, corpus Christi adesse corporaliter, & carnaliter. Verùm cum id suprà noluerit concedere, cur illud hic neget adesse spiritualiter, causam adhuc nullam uideo.

Adhæc, si illud aduerbium, Spiritualiter, modum tantùm significat manducationis, quatenus contrahitur ad pios rectè communicantes, non potest accommodari ad esum impiorum. Illi enim pia illa meditatione destituũtur. Quomodò ergo ex ista sententia manducabunt illi re ipsa uerũ Christi corpus? Nisi enim comedant spiritualiter, necesse est, ut comedant carnaliter, & corporaliter. Lacerabunt ergo, & scindent, & cõminuent corpus Christi, illudq; ita comedẽt, ut aliæ carnes corporali officio & manducatione solent comedi. Et si animalis homo mente, ac spiritu non percipit ea quæ sunt dei: quomodò tandẽ ille ore, dentibus & faucibus percipiet corpus & carnem Christi, quas res negari non potest maximè esse dei? Quod ergo dixi, Aduerbium illud, Spiritualiter, tam ad modũ præsentiæ, quàm ad manducandi rationem pertinere, nihil erat, cur iste me accusaret tyrannicorum edictorum, & audaciæ.

REGVLA XII.

VBICVNQVE Patres dicunt, naturam panis mutari, natura pro proprietate accipienda est, ut in Cypriano: ubicunq; autem dicunt, naturam non mutari, ea natura accipienda est pro substantia, ut in Gelasio.

GARDINERVS.

SI intelligas in Cypriano, naturam significare naturæ proprietatem, & eam proprietatem mutari, occurret mox epistola Iohannis Constantinopolitani, quæ Chrysostomi dicitur: quæ uerbis apertis ait, proprietates naturæ manere.

MARTYR.

HIc mihi rursus monendus es, Lector, ne hanc quidem regulam esse meam: ut nullam Inconstantio facturus fuerim iniuriam, si huius responsionis labore supersedere uoluissem. Tamen quid de hac re tota sentiam, non grauabor te paucis admonere. Cum in tractatione mea de Eucharistia responderem illi loco, qui obijci solet ex Cypriano, ita scripsi ad uerbum: Cyprianus uidetur loqui durius, quando panem ait, nõ effigie, sed natura mutari. Verùm uidendum est, quid ille scripserit ad Cæcilium, Ait autem, cum uino demonstrari sanguinem domini: & si uinum desit in calice, non posse uideri, sanguinem domini ibi esse. Quod autem nunc scribit de mutatione, illam quoq; nos concedimus, sed sacramentalem. Et tamen fatemur, non effigiem, seu formam, aut accidentia mutari, & subire hoc munus, ut sint sacramenta: sed naturã ipsam panis & uini mutari in sacramenta corporis & sanguinis domini. Vtq; substantia ipsa panis, non autem effigies nutrit corpora nostra: ita corpus Christi & alit animum nostrum, & fouet, atq; instaurat corpus: utq; substantia panis constat ex multis granis, ita mysticum corpus Christi, quod panis repræsentat, habet multa membra simul conjuncta. Itaq; tam nos quàm aduersarij dicimus, effigiem, id est, apparentiam panis, & aspectum non mutari: sed substantiam ipsam esse, quæ mutetur. Et illi quidem uolunt, mutationem eam esse per abiectionem naturæ panis: nos uerò ponimus, eam tantum esse sacramentalem. Et contrà aduersarios nostros facit ipsemet Cyprianus. Illi enim substantiam panis non mutant, sed prorsus auferũt: nos autem eam dicimus mutari, ut quæ fiat corpus Christi, hoc est, sacramentum corporis Christi, quod certè anteà non fuit. His addas, naturam apud bonos authores linguæ Latinæ, non semper significare substantiam, sed interdum ingeniũ, & proprietatem. Vnde Cicero de Somnio Scipionis, Natura, inquit, animæ propria, atq; uis, ut ipsa à se ipsa moueatur. Et ad Lentulum, Eam, inquit, esse naturam, & rationem prouinciæ tuæ: cumq; dicimus naturam herbarum, aut lapidum, proprietatem, & uim illarum rerum intelligimus, non substantiam. Atq; hæc significatio huic dicto Cypriani bene quadrat. Ex hisce uerbis meis facilè cognosci potest, quid ego hisce de rebus senserim. Hoc ego idcircò adscribere uolui, quod iste dicat, me in ista regula, quam mihi affingit, statuere proprietatem panis mutari. Id enim, nisi rectè intelligatur, & à ueritate, & à mea sententia alienum est. Nam hoc et ueritas ipsa exigit, & ego sensi, panem mutari, non quidem effigie, hoc est, quòd naturalia eius accidentia mutentur: sed quoniã subit iam rationem sacramenti, quam certum est, eum anteà non habuisse. Panis enim & uinũ, cum maneant in eadem substantia, quam habebant anteà, fiunt sacramenta corporis & sanguinis domini. Non ergo ego dico, proprietatem panis mutari, sed panem ipsum

Cicero.

ipsum aliam conditionem induere, quam anteà non habebat. Id autem, quod contra me excipitur ex epistola Chrysostomi ad Cæsarium, ad rem nihil facit. *Chrysostomus.* Ibi enim agitur de natura diuina & humana in Christo: in quibus, salua unione, Chrysostomus ait seruari proprietates naturarum, sine ulla illarum confusione. Quare, cum hic de Sacramento ipso Eucharistiæ agamus, si illa huc aliquo modo spectare possunt, longè certè diuersum suadent, quàm quod uult Inconstantius: hoc, uidelicet, quemadmodum in illa unione proprietates duarum naturarũ seruantur distinctæ unà cum substantijs: ita in Eucharistia naturam panis unà seruari & retineri cũ corpore Christi, saluis suis proprietatibus naturalibus. Sed rursus obstat, quod ait, uocabulo illo mutationis nõ posse intelligi accessionem. „ Absurdum enim, inquit, est dicere, Corpus Christi sic accedere ad panem, ut illud sit eius proprium. „ Quorsum ista? In me enim non conueniunt. Ego enim non dico, Corpus Christi accedere ad panem: sed panem effici Sacramentũ corporis Christi: neque in hoc Sacramento corpus Christi & panem ita esse inter se conferenda, ut unum sit alterius proprium. Ego enim nihil aliud statuo, quàm panem recipere conditionem quandam, quam anteà non habuerit.

Postea subijcit, quod utinam non minus sibi ipsi quàm mihi diceret, Si excutias omnes partes panis, & omnes proprietates, nil eorum decessisse comperies, sed manere in accidentibus. Nam appellatur panis: manet effigies, quæ erat: manet pondus: color durat: gustus est idem, qui fuerat: denique corrumpitur. An uerò ego eram ista docendus, Inconstanti? Quid, obsecro, aliud in hoc toto libro aut scripsi, aut egi? Cur tu te ipsum non audis? Cur, cum dicas omnes proprietates manere, non fateris eas in substantia hærere potius, quàm in accidentibus? Nam cum proprietates illæ ipsæ sint accidentia, quomodò possunt in accidentibus collocari? Accidentia enim non ab accidentibus, sed à substantijs sustinentur. Sed addit, Adijcere significationem nouam, quod Figuratores uolunt, non est nouæ proprietatis quicquam adijcere. Nam & anteà significabat panis corpus Christi: & si quid nunc addatur, adscititium quiddam, proprium non naturæ, sed gratiæ. Fingit iste, significationem tantùm nostra sententia accedere ad panem. Id autem falsum est. Nos enim dicimus, panem, quando adhibetur ad Sacramentum, re uera esse instrumentum spiritus sancti, ad fidem in animis nostris excitandam: quod etiam tribuitur diuinis literis. Quanquam fieri potest, ut Inconstantius pro sua modestia, & pietate, nihilò illis plus tribuere uelit, quàm profanis. Cæterùm, ne hoc cogatur confiteri, addit, Et si quid nunc addatur, adscititium quiddam est: quasi uerò nos unquam docuerimus, conditionem sacramentalem esse insitam, genuinam & naturalem. Nos quidem dicimus, statum illum aduentitium esse, eumq; non naturæ, sed uni gratiæ adscribimus.

Verum addit: Quòd uerò uolunt, naturam apud Gelasium, quia negat mutari, esse substantiam, expediant ergo, quid sit, quod idem dicat Gelasius transire in diuinam substantiam: in quam, ne gemina consistat substantia, quod uerba Christi non ferunt, desinat illa panis necesse est. Illud sanè ueritati consonantissimum est, ut natura apud Cyprianum, quæ mutari dicitur, substantiam significet: &, quæ apud Gelasium nõ mutatur, proprietatem. Nam naturæ nomen, & substantiam naturæ, & proprietatem elegãter significat: quod & hic Regulator non diffitetur. Vt hæc luculentius intelligas, Lector, operæ pretium erit locum illum Gelasij describere. Is autem in libro suo aduersus Eutychen ad finem ita scribit: *Gelasius.* Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ. Et tamen esse non desinit substantia uel natura panis & uini: & certè imago, uel similitudo

,, corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur. Satis ergo no-
,, bis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo domino sentiendum, quod
,, in ipsius imagine profitemur, celebramus, & sumimus: ut sicut hæc in diuinam
,, transeunt, spiritu sancto operante, substantiam, permanent tamen in suæ pro-
,, prietate naturæ: sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam,
,, ueritatemq; ueraciter repræsentat, ex ijs, quibus cõstat, propriè permanentibus,
,, unum Christum, quoniam integrum, uerumq; permanere demonstrat. Quis non intelligat ex istis uerbis Gelasij, illum posuisse naturam panis, pro eius substantia? Nam præterquam quod nomen ipsum Substantiæ non reticuit, ex eo etiam confirmat, humanam naturam eodem modo permanere in Christo, nec eam, ut Eutyches delirabat, ex coniunctione diuinæ substantiæ euanuisse. Frustra ergo se torquet Inconstantius, ut doceat illum uocabulo Substantiæ intelligi uoluisse proprietatem, aut accidentia. Nam si ita sensisset, aduersus Eutychetem nihil conclusisset.

Quod autem Inconstantius petit, ut explicem sibi, quomodò Gelasius dicere potuerit, panem & uinum transire in diuinam substantiam, id non ita est difficile expedire. Rectè enim dicuntur transire in diuinam substantiam, quòd efficiantur Sacramenta diuinæ substantiæ, eamq; singulari quadam ratione significent: quodq; suo quodam modo & dicantur, & sint corpus & sanguis Christi.

Theophylact. Imò Theophylactus quoque, quamuis alioqui in hac re durus, & uiolentus scriptor, tamen in commentarijs suis in Marcum ait, Panem & uinum conuerti in uim & uirtutem corporis & sanguinis Christi. Et Ecclesiastici scriptores non raro dicunt, nos ipsos mutari in corpus & carnem domini: cum tamen Inconstantius quidem negare uelit, nos retinere propriam nostram, & priorem substantiam. Scire etiam istum oportuit, non ita facilè satisfieri prudenti Lectori, si dicat tantùm, Verba Christi non ferre geminam substantiam in Eucharistia, id autem nulla ratione probet. Nos enim cum Eucharistiæ nomine totum

Irenæus. comprehendimus Sacramentum, dicimus cum Irenæo, illam constare duabus partibus: nec tamen necesse esse, ut loco, & situ duæ illæ partes inter se coniungantur. Quare nondum uidemus, quomodò uerba Christi prohibeant, quòminus duæ substantiæ possint in uno Sacramento Eucharistiæ conuenire. Il-

Signa & signata coniungun-tur inter se re-latione. læ enim relatione tantùm quadam, & respectu signi, & rei significatæ inter se copulantur: quæ tamen relatio, ut sæpè diximus, eximia sit, & singularis.

Lutherani uerò, & alij qui statuunt realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, quamuis substantiam panis non abijciant, arbitrantur, id rectè constare posse cum uerbo Christi: maximè uerò, cum scripturæ non minus, imò longè etiam apertius testentur, panem adesse, quàm Christi corpus. Quare In-

Scripturæ magis testãtur panem in Sacramento adesse quàm Christi corpus. constantius, cum dicat tantùm, non autem probet, uerba Christi ferre id non posse, cordato & prudenti Lectori quid aliud uideri potest quàm nugari?

Atqui, si deo placet, ille se arbitrum honorarium interponit inter Cyprianũ, & Gelasium: sed ita, ut & se ipsum faciat ridiculum, & ueritatem non expediat, sed obscuret, & uerbis ipsis diuinæ scripturæ fucum faciat. Natura, inquit, apud Cyprianum significat substantiam: illam enim ait mutari. Rectè. Non tamen addit, eam abijci, & in nihilum redigi. O pulchrum Grammaticum. Apud istum, mutari, nihil potest aliud significare, quàm tolli, & perimi. Sed recta ratio longè aliter docet. Illud enim potius mutari dicitur, quod manet, & uarias in se formas, & proprietates recipit. Nam alioqui nos quoque, cum mutamur in corpus & in carnem Christi, substantiam nostram abijceremus, & esse omninò desineremus. Apud Gelasium autem ait, Naturam, nihil aliud omninò esse, quàm proprietatem. Ac si Gelasius ita diceret, Substantia quidem panis mutatur,

tur, hoc est, discedit, & perit: quamuis proprietas eius in sacramento conseruetur. Sed Gelasius ipse reclamabit, & hanc sententiam nunquam feret. Ille enim expressissimis uerbis non tantùm, naturam, dixit, sed etiam substantiam: & si ita diceret, ut ostendi, contrà Eutychetem nihil concluderet: quodq; multò maius est, etiam diuinis literis aduersaretur.

Addit ad extremum, me ipsum non negare naturæ uocabulum posse satis Latinè, & eleganter significare proprietatem. Quid ni? Id enim diserte scripsi. Nunquam tamẽ aut sensi, aut docui, uocem illam ita perpetuò usurpari: minimè autem omnium, ubi illa significatio aperte pugnet cum consilio, & uoluntate Scriptoris, aut ueritati diuinarum literarum aduersetur. Hic tandem aliquando Inconstantius finem fecit & recensendis meis Regulis, & oppugnãdis: quas pro sua temeritaténe dicam, an malitia, & auxit numero, & inuertit, & obfuscauit, & lacerauit, & stilo suo, tanquam Harpyia quædam suis unguibus, fœdissimum in modum inquinauit. Illæ tamen ueritate, & ui sua adhuc consistunt, uel potius diuinarum literarum, & sanctorum Patrum testimonijs confirmantur. Nunc uidendum est, an fortuna meliori utatur in nostrorum hominum dissolutionibus refutandis.

PARTIS SECVNDAE FINIS.

TERTIA PARS EIVSDEM LIBRI.

HANC *partem Inconstantio ita uisum est inscribere.*

CONFVTATIO SOLVTIONVM, QVIBVS SECTARII DILVERE CONANtur quædam Catholicorum argumenta.

ARGVMENTVM GARDINERI.

PROMISIT dominus, se daturum nobis in pane carnem suam, dicens: Panis, quẽ ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Sed quod promisit Christus, non legimus eum præstitisse nisi in Cœna: Ergo in Cœna dedit carnẽ suam eandem, scilicet, quam dedit pro mundi uita. Præterea, quod dedit pro mundi uita, non erat substantialiter panis: ergo nec hoc, quod dabatur in Cœna, fuit substantialiter panis.

SOLVTIO.

FATEMVR, Christum promisisse, se ueram carnem suam daturum in cibũ, idq; maximè præstitisse in Cœna: sed non solùm tunc. Nam id etiam præstat, quoties uerè credimus, illum pro nobis fuisse mortuum. In Cœna autem dedit ueram carnem suam, non quidem carnaliter præsentem, sed in significatione: non autem carnaliter manducãdam, sed fide, & spiritualiter. In Cœna autem plus præstitit, quàm promiserat in sexto Iohannis. Nam ad illam spiritualem manducationem adiecit symbola externa panis & uini: quæ symbola adsunt realiter, & dantur carnaliter manducanda. Atq; ita dicimus, duo simul data fuisse in Cœna: uidelicet, Panem naturalem, & symbolicum, qui est caro Christi, non substantialiter, sed sacramentaliter: & uerum corpus Christi spiritualiter manducandum per fidem.

GARDINERVS.

SI hanc solutionem recipimus, fateamur oportet, quod est absurdissimum, æquipollere rem, & rei significationem: ut rem pollicitus, uideatur promissis satisfeciſſe, cum dederit significationem.

MARTYR.

„ HAec, inquit, doctrina efficiet, ut significatio rei æquipolleat rei ipsi: utq; Chri
„ stus uideatur promissis suis satisfeciſſe, si rem ipsam pollicitus tantùm dede
„ rit significationem. Quæso uerò te, Inconstanti, quomodò hoc ex illa solutione
consequetur? Nam Christus, uti iam dictum est, duo exhibet in sacra Cœna: uerũ uidelicet

uidelicet corpus suum comedendum per fidem spiritualiter: & symbola externa comedenda carnaliter. Nec tu adhuc ostendere potuisti, quemadmodum ista duo sint paria, & æquipolleant: cum ita inter se conferantur, ut unum sit res significata, alterum signum. Neq; uerum est, quod ais, nos statuere, Christum tantùm dedisse significationem. Nos enim dicimus, Christum utrunque dedisse, signum scilicet, & rem ipsam significatam. Quòd si nos diceremus, Christum tantùm dedisse panem, posset aliquis color esse argumenti tui. Ita enim ad tuendam fidem promissorum Christi, necesse esset dicere, signum par esse rei significatę. At cum nos eum utrunque dedisse fateamur, tu uide, quomodò id quod dicis ex nostra dissolutione possit consequi. Imò si nos statueremus, illa duo esse paria, diceremus potius, Christum in cœna alterutrum tantùm dedisse, non autem utrunque. Nam cum duo essent omninò inter se æqualia, & paria, alterutrũ oporteret esse superuacaneum.

Sed priusquam progredior longius, operæpretium erit aliquid interfari. Inconstantius nos tota ista sua disputatione appellat ubiq; Sectarios: non quòd ueritatem, quod certè facimus, consectemur, sed quòd uni alicui sectæ, ut ipse calumniatur, simus plus æquo addicti. Verùm, quoniam æquum est, ut qui tantoperè delectetur conuitijs, & perpetuò certet maledictis, aliquando uicissim malè audiat, cur nõ ego illum uicissim appellare possim Apostatã, aut Transfugam? Primùm enim, quod ne ipse quidem negare potest, transfugit à Papa: deinde à sanctissimis institutis Regni Angliæ, uel potius à Christo ipso, & ab eius agnita ueritate ad Papam defecit. Cum ergo bis transfugerit, & bis fuerit apostata, & bis sese manifestissimo periurio obligarit, tu uide Lector, an ego illum rectè, ac uerè possim appellare Transfugam, Apostatam, & Periurum. Sed nolo eũ ornare suis titulis. Ad rem potius redeo. Hoc tantùm uolui te paucis admonitum, ut scires, quali cum homine mihi negotium sit.

Ait nos confundere Sacramenta. Nam articulus, inquit, de morte Christi, creditur etiam à Catechumenis, priusquam Baptismi Sacramento tingi possint. Quare si credunt, inquit, Christum oppetijsse mortẽ nostra causa, iam nostra sententia, manducant carnem eius: cum tamen renati non sint ex aqua, & spiritu. Hoc loco putat nos prorsus teneri medios, nec posse effugere. Sed mirum est: cum sit episcopus, &, ut ipse de se putat, fulcrum, et columen Papistarum, tamen nondum eò promouit in sacris literis, ut intelligat, eum, qui uerè credat, etsi ad Sacramentum Regenerationis nondum accesserit, tamen iam esse iustificatum: quòd de Cornelio Centurione certò scimus ex sacris literis. Quòd si Catechumenus, qui uerè credat, iustificatur, quid impedit, quò minus ille spiritualiter uescatur carne Christi? An ea causa dices, Sacramentorum ordinem perturbari? Id quidem fieret, si nos Catechumenis ante daremus Sacramentum Eucharistię, quàm illi sacro fonte tingerentur: quod certè nunquam factum est in nostris Ecclesijs. Imò quem ordinem Christus posuit in rebus ipsis, ut prius iustificemur fide, & renascamur, deinde alamur & instauremur eius corpore & sanguine, eundem nos ordinem in Sacramentis obseruamus, ut prius Baptismum fidelibus, quàm Eucharistiam impertiamus. Non ergo nos, sed ipse potius Inconstantius confundit, & perturbat Sacramenta. Is enim sine ullo discrimine putat, Comedere carnem Christi, esse percipere Sacramentum Eucharistiæ. Quod cum impij & necdum credentes facere possint, dabit corpus Christi nõdum renatis, & necdum iustificatis.

Qui credit, licet nõ sit baptizatus, iã est iustificatus.

Deinde addit, nos non minori peruersitate nostrum etiam officium, hoc est credẽdi munus ita inuoluere, quasi ea sit pars aliqua exhibitionis ipsius rei. Sed hoc cauillum ita est subtile, ut uix possit intelligi. Nos enim dicimus, Fidem no

ſtram organum eſſe, & inſtrumentũ, quo corpus Chriſti à nobis ſpiritualiter per-
,, cipiatur. Non malè, inquit, loqueretur, ita nos admonens, fide à nobis perci-
,, piendum, quod datur, hoc eſt, fide intelligendum, ut dijudicemus corpus domi-
,, ni, ut dignè defungamur mãducatione. Mira eſt iſta ſtropha. Nos quidem non admiſcemus eiuſmodi fidem, qua credamus, corpus Chriſti adeſſe propriè, & ſubſtãtialiter in Cœna: hoc tantùm dicimus, opus eſſe uera fide, quòd credentes Chriſtum pro nobis eſſe mortuum, carnem eius manducemus: & cum Auguſtino dicimus, Credere eſſe manducare. Nec ſi putaremus, corpus Chriſti adeſſe ſubſtantialiter, perſuaſio illa eſſet uera fides. Aduerſaretur enim & ſacris ſcripturis, & ueræ humanitati Chriſti.

,, Argumentum, inquit, urget ueritatem carnis à Chriſto datæ in ſacra Cœna.
,, Quare non deberetis admiſcere, quomodò nos intelligamus illam adeſſe, & uta-
,, mur dignè data. Cum iſta dicat Inconſtantius, non uidet, quàm in refen-
da noſtra ſententia turpiter hallucinetur. Nos enim non dicimus, prius fide intelligendum eſſe corpus Chriſti adeſſe, ut poſteà realis manducatio conſequatur. Verùm hoc dicimus, ipſum illud per fidem apprehendere corpus Chriſti
,, pro nobis mortuum, eſſe illud corpus manducare. Poſteà inſimulat nos, qua-
,, ſi negemus, carnem Chriſti dari nobis ad manducandum. Atqui nos & in Scholis, & in omnibus Eccleſijs docemus, illam nobis dari. Dominus enim ut habuit non fictam carnem, ſed ueram: ita eandem nobis non fictam, ſed ueram dedit & credendam, & manducandam.

,, Addit, Sectarios ſtatuere, nihil adeſſe, præter ſignificationem: eam autẽ non
,, eſſe præſtationem ipſam, ſed præſtationis futuræ nouam, & iteratã pollicitatio-
,, nem, & quandam quaſi procraſtinationem carnis dandæ. An quicquam ex noſtra ſententia hic adſit præter ſignificationẽ, non eſt mirum ſi Inconſtantius non uideat. Nunquam enim uoluit animũ aduertere, quid à nobis diceretur. Si præter ſignificationem uelit eſſe etiã realem præſentiã, id omninò pernegamus. Corpus tamen ipſum Chriſti ſpiritui & fidei communicantium adeſſe nihilominus confitemur: illudq; ita eſſe præſens, ut ſatis ſit ad nos in hac uita alendos, & ſpiritualiter ſuſtentandos.

,, Sed ridiculum ait eſſe, quod nos in diſſolutione reſpondemus, Chriſtũ ad ſpi-
,, ritualem manducationẽ in Cœna adiunxiſſe ſymbola. Symbola enim non ſignificare actionem manducantiũ: nec ſpiritualiter manducantem ab eo, qui nõ ſpiritualiter mãducet, diſtingui ſymbolis. Ea aũt manducationis iam peractæ ſigna
,, eſſe: aut ſi ad futuram manducationem ſpiritualem addantur, indignũ, qui ſpiri-
,, tualiter non manducet, nunquã accepturum ſymbola. Illa enim actionis Chriſti
,, dantis ſigna eſſe, non hominis manducantis. Itaq; non rectè dici, ſymbola addita
,, eſſe ad ſpiritualem manducationem. Iſte aut ita pertinax eſt, ut nolit: aut ita hebes, ut non poſſit intelligere, quid noſtri ſibi uelint, cum dicant, & doceant, ad ſpiritualem, & internam manducationem adiecta eſſe ſymbola. Quæ tamen res ita perſpicua eſt, ut uel pueri intelligant, dum extra uſum cœnæ piè, & fideliter nobiſcum in animis cogitamus, corpus Chriſti pro nobis datum fuiſſe in crucem, & ſanguinem eius pro nobis fuiſſe fuſum, tum & corpus eius edi à nobis, & ſanguinem eius bibi. Sed præter iſta mandauit nobis Chriſtus, ut in Sacra Cœna externa etiam ſymbola, panem, uidelicet, & uinum unà comedamus, & bibamus: ut illa actione externa teſtemur coniunctionem noſtram, quam habemus cum Chriſto, utq; fidem in nobis, qua Chriſtum ſpiritualiter recipiamus, magis magisq; excitemus. Cum iſta millies iam à nobis & dicta, & declarata ſint, quid opus erat iſtis ambagibus? Nam ubi nos unquam, aut quando diximus, ſymbola eſſe ſigna actionis manducantium? Nos enim dicimus, & ſem-

per

per constanter diximus, Symbola illa esse signa, non aut accipientis, aut dantis, sed carnis & sanguinis domini: manducationem autem illorum symbolorum signum esse interioris, & spiritualis manducationis. Quemadmodum enim ore percipimus panẽ & uinum: ita fide, & spiritu percipimus corpus & sanguinem domini, & Christi promissiones, quas ut animis ac mentibus percepimus, ita illo esu, potuq; obsignamus, & beneficio diuini spiritus, qui illis mysterijs utitur tanquam instrumẽtis, fidem nostram instauramus. Nihil autem opus erat, ut iste sibi, nescio quid, cõminiscetur, spiritualiter manducantes ab illis, qui non communicant spiritualiter, distingui symbolis. Etsi enim non omnes utrunq; præstẽt, tamen in Cœna utrunq; requiritur ab omnibus. Nam symbola sæpè etiam indignis porriguntur. Non ergo ea distinctionis causa adduntur, sed ad illa effecta, quæ iam commemorauí, confirmanda, nimirùm ad obsignandum beneficium dei per Christum erga nos, & ad testificandam, excitandã, atq; augendam fidem nostram. Nescio, quid liquidius, aut planius dici possit. Sed quæ ista est amentia, uelle referre symbola uel ad futuram, uel ad iam peractam manducationem? Ea enim referunt nobis corpus & sanguinem domini, quatenùs illa oblata sunt in cruce pro salute nostra. Non equidem inficiabor, esum & potum symbolorum signum quoddam esse spiritualis manducationis intus in animis nostris, uel quæ iam peragatur, uel quæ peracta sit, uel etiam peragendæ, uel quæ peragi deberet, licet ab impijs eorum uitio nõ peragatur. Vnde frustra subijcitur. Ergo, inquit; iste, indigni ea nũquam sumunt. Vnde tandem hoc sequitur? obsecro. Signum enim sæpè haberi potest etiam sine re significata. Multi enim sæpè aut legũt, aut audiunt sacras literas, quamuis res significatas non intelligãt, aut fortasse ne considerent quidem: nec tamen ea causa uerba dei desinunt esse signa. Adulti interdum ficta, & simulata fide externam quidem ablutionem habent: etsi rem ipsam significatam non habeant. Quare aut ego nescio, quid Inconstantius sibi uelit, aut ille, quod mihi credibilius etiam est, prorsus sine sensu ullo uerba fundit.

Posteà uerò turbat, quantum potest, dissolutionem nostram. Aitq;, Patres dicere, Christum in sexto capite Iohannis promisisse se daturum carnem suam manducandam, eamq; dedisse in Cœna: illosq; promissionem à datione ipsa distinguere: quod uos, inquit, non facitis. Verba illa in sexto Iohannis sunt Inconstantio alijsq; similibus, non pro fonte ueritatis, ut esse debuerunt, sed pro cardine erroris. Putant enim, ibi promissionem esse tantùm de cibo & potu, & de illo tantùm cibo potuq;, quẽ Christus posteà daturus erat in Cœna. Atqui Christus, cum ea diceret, pollicitus est, se carnem suam pro pretio, & redemptione nostra daturum esse; in crucem, nimirùm, & in mortem, eamq; sic datam credentibus fore cibum, non tantùm in ultima illa Cœna, quam celebraturus erat cum Apostolis, quæq; à nobis communicantibus subinde repetitur; sed etiam quoties fidẽ nostram exerceremus, eamq; seriò in morte, & sanguine suo figeremus. Panem autem & uinum, tanquam sigilla, quædam promissionis suæ adhiberi uoluit. Distinctio itaq;, quam iste requirit, inter promissionem, & exhibitionem, nõ ita est assignanda, ut ille putat: quasi exhibitio tantum pertineat ad Cœnam. Nam & promissio, & exhibitio et in Cœna esse potest, & extra Cœnã. Promissio enim est, ubicunq; uerba nobis offeruntur, siue cum symbolis, siue sine symbolis: Exhibitio autem est, ubicunq; uel audientium uerbum dei, siue illud internum, siue externum fuerit, uel percipientium Eucharistiam accedit fides. Isti uerò somniant, Christum apud Iohannem sic dicere uoluisse: Panis ille, quem ego in ultima mea Cœna uobis porrigam, etsi uideri possit panis, tamen per Transubstantiationem erit caro mea. Sed hæc interpretatio nihil aliud habet, quàm merũ delirium. Christus enim ibi loquebatur de spirituali cibo animorũ, & clarissimis uer-

Quæ sit promissio & quæ exhibitio corporis Christi.

bis indicabat, illum cibum non esse externum, & carnalem panem, qui alat corpus, sed carnem suam, quam pro nobis daturus erat in mortem: sic enim ille tum loquebatur. Nos autem nunc illum carnem suam & credimus, & scimus, iam ita dedisse in mortẽ ut promiserat. Eaq; caro si à nobis uerè credatur, & alit, & æternum uiuificat. Illud autem tantum dei beneficium, non ita alligatum est symbolis, ut tantùm in Cœna quæri debeat. Toties enim nobis offertur, & datur, quoties nos ad oblatam promissionem seriò, & cum uera fide respicimus.

Dei beneficium non alligatũ est symbolis.

„ Sed addit, Symbola secundum istos Sectarios, nihil aliud, quàm alio sermo„ nis genere, id est, uisibili uerbo, promissionẽ semel, cum doctrina traderetur, fa„ ctam in Cœna repetunt, & repetunt quasi cum conditione noua: ita demùm, ui„ delicet, Christum daturum carnem, si symbola illa dignè susceperint, & mandu„ cauerint cum fide, nec quauis fide, sed quæ tantæ sit efficaciæ, ut quasi cunctan„ tem carnem inuitet, & acceleret. Nõ dicimus, symbola esse tantùm aliud quoddam, uidelicet, aspectabile sermonis genus, ut iste bacchatur, sed etiam hoc addimus, ea adhibita esse, tanquam sigilla quædam diuinarum promissionum: quemadmodum Paulus loquitur de Circumcisione. Quòd aũt dicimus, promissionẽ Christi repeti, quoties sacra Cœna celebratur, quæso, quid habet absurdi? Habeas tu tibi cum tuis sacram, uel potius execrabilem Cœnam, sine promissionibus Christi repetitis. Nos eã uolumus, in qua ea, quæ dominus pollicitus est nobis, luculenter commemorentur. Verùm quod calumniatur non esse in Cœna exhibitionem rerum promissarum, quod attinet ad spiritum nostrum, & ad fidẽ, uideat ipse, quemadmodum id ex nostra sententia possit elicere. Vbicunq; est uera fides, eaq; se porrexerit ad res oblatas, siue id in Cœna, siue extra Cœnam fiat, semper ibi habet res promissas. Nam quòd eam, tanta præsertim in re, nõ elumbem, aut mortuam, sed uiuam, & efficacem esse uolumus, quis id unquam æquus lector damnare possit? Neq; opus est, ut carnem domini cunctantem incitemus fide nostra, ut iste scurratur. Ea enim nos ipsos potius, & animos, atq; omnes facultates nostras torpentes, & iacentes excitamus, & ad uocem illam Ecclesiæ, quæ illo tempore ubiq; sonat, prouocamus. Efficacia ergo fidei, quam urgemus, nihil aliud sibi uult, quàm ut ne frigidè, aut ex hypocrisi, sed serio, & magno cum studio, atq; impetu ad dominum nostrum ascendamus. Id rideat Inconstantius quantum uelit, pijs quidem hominibus non dubito, quin utilissimum, & saluberrimum uideatur. Vt autem ad caput redeam, toties comedimus corpus Christi, quoties re ipsa, utq; ita dicam, actu credimus. Ad istam uerò actualem fidem excitandam in suis, Christus nobis, & uerba, & symbola dare uoluit.

„ Addit Inconstantius, Christum in Cœna dare nobis sua manu corpus suum „ comedendum, illudq; immittere in os nostrum. Id dicit ille quidem confidenter, ut omnia: sed nunquam ex sacris literis confirmabit. Magis uerò etiam illa „ insana sunt, quæ addit: Christum uidelicet, uiuis doctrinæ suæ uerbis non subsisti„ tuisse in Cœna mutarum, & insensibilium creaturarum uoces: quasi magis assi„ ciamur concionante pane, quàm concionãte homine. Hęc irrisio prorsus impudens, & canina est: & dictum illud, non meum, sed Augustini scurriliter exagitat: Sacramenta esse uerba uisibilia. Et Patres omnes passim admonent, quid nos externa illa sacramenta doceant. Quòd autem ait, nos dicere, mutarum creaturarum uoces substitutas esse uiuę uoci doctrinæ Christi, quid aliud esse dicam, quàm impudens mendacium? Nos enim adiuncta quidem, atq; addita symbola esse dicimus uiuæ Christi uoci, non autem substituta. Sunt enim sigilla quædam & testimonia promissionum dei. An autem Regiarum literarum sigilla concipiuntur, & doceant aliquid, ipse per me iudicet Inconstantius: qui cum nunc sit Cãcellarius Regni Angliæ, quotidiè utitur sigillo Regio. Videat etiam, obsigna-

tiones

tiones illas ſuas addátne, an ſubſtituat ſcriptis Regijs. Adhæc ſi mutæ creaturę ita concionentur de deo, ut Dauid cecinerit, Cœlos enarrare gloriam dei, atq; ita enarrare, ut in omnem terram exierit ſonus eorum: utq; Paulus ſcripſerit, Inuiſibilia dei cognoſci ex creaturis, & ita cognoſci ut impij iã ſint inexcuſabiles: quid iſte latrat, myſteriorũ ſymbola muta eſſe, eaq; ubi unà cum uerbis domini proponantur in cœna, nihil concionari, ſed inutiliter adminiſtrari? Reſpondeat ipſe nobis de ſuis accidentibus: mutáne ſint, an loquacia? loquantur ne aliquid, an prorſus taceant? Sed mitto accidentia: de illa potius carne ueſtra, quam uobis præſentem fingitis, uelim mihi aliquid reſponderi. Illa, inquã, cũ nec uideat, nec ullo modo ſentiatur, ſed deliteſcat tantũ ſub accidentibus, & dimenſionibus, concionatur ne aliquid, an tacet? Haud dubiè eam dices concionari: perpetuò enim iactas, eam eſſe ſignum ſui ipſius, olim, ſcilicet, pendentis in cruce. Imò etiã uerba ipſa myſtica, quæ occultè, ac tacitè pani, uinoq; tanquam in aurem inſuſurratis, concionantur ne, an prorſus muta ſunt, et tacent? Si ueſtra iſta omnia, quamuis omnes ſenſus fugiant, tamen poſſunt concionari, cur noſtra, quæ & uidentur, & tanguntur, & guſtantur, &, cum uerba coniuncta habeant, quodammodò audiuntur, idem non poſſunt? Quòd ſi ueſtra etiam dicetis muta eſſe, & nihil dicere: cur ea uerbis illis, quæ Chriſtus in cœna luculentiſſimè pronuntiauit, ſubſtituitis? Veſtra iſta omnia rectiſſimè dici poſſunt ſubſtituta: nihil enim nobis in ea re clari, aut aperti reliquiſtis. Caro illa ueſtra, & ueſter ſanguis (ueſtra appello, quoniam ea uos ipſi uobis cõfinxiſtis) ueſtra, inquam, illa occulta ſunt: uerba ipſa quæ anhelitis, occulta ſunt: modus, quo ibi accidentia ſubſtantijs abolitis ſubſtituitis, occultus eſt: in ſumma uniuerſum illud ueſtrum negotium occultum, & cæcum eſt. Neque mirum: eò enim ſpectant omnia opera, atque inſtituta Antichriſti, ut ueritatem hominibus aut eripiat, aut obſcuret, ut ita poſſit facilius captiuos abducere in exitium.

Omnia Papiſtarum ſunt occulta in Euchariſtiæ myſterio.

Neque uerò multum mihi laborandum arbitror, ut probem, homines magis moueri, ſi uerbis dei addantur ſymbola, quæ ſpectari, & uideri poſſint, quàm ſi ea nuda tantùm, & ſimplicia proponantur. Id enim & Rhetores docent, & Hiſtoria teſtatur, & experientia quotidiè mõſtrat. Verba M. Antonij, quamuis eloquentiſſimi oratoris, non ita multùm animos populi de morte Cæſaris commouerunt. Cum autem ille ueſtem ipſam Cæſaris laceram, & cruentam protuliſſet, populus totus ſtatim cœpit, quaſi Cæſar tum ante oculos occideretur, incredibili furore exardeſcere. Si tanta uis fuerit in illis humanis ſignis, & naturalibus, quid credendum eſt fieri, cum ſymbola diuina, inſtituta à Chriſto, & ad res cœleſtes pertinentia, fidelibus ante oculos conſtituuntur in ſacra cœna? Hæc enim ſignificatio, non humana eſt, ſed prorſus diuina, & ſpiritualis, ipſius, uidelicet, Spiritus ſancti inſtrumentum. Et quis neſcit, homines etiam in ciuilibus contractibus dare ſibi mutuò manus, cum aliquid paciſcuntur: aut digitos tollere, quoties aliquid affirmant iureiurando: aut dare annulum, cum ſibi deſpondent uxorem? An putamus, homines iſtis ſignis nihil afficí? Si caſſa, & inutilia ſunt, cur uſurpantur? Si proſunt, & afficiunt animos, cum ſint tantùm humana: cur eandem uim negamus ſymbolis diuinis? Arcus Iridis concionatur de miſericordia dei: Circunciſio concionabatur de pacto, & fœdere dei inito cum hominibus: omnia ſacrificia Veterum concionabantur de Chriſto uenturo. Et ſola ſymbola Euchariſtiæ, quæ Chriſtus mortis ſuæ monumenta, & promiſſionũ ſuarũ pignora, & ſigilla eſſe uoluit, illa, inquã, ſola muta ſunt, & nihil poſſunt cõcionari?

M. Antonius.

Addit Inconſtantius ad finem putidam illam ſuam cantionem, iam anteà centies, credo, repetitam: nimirùm, poſt conſecrationem corpus Chriſti eſſe huius Sacramenti materiam. Huius dicti, uel potius oraculi, ſi rationem petas, redeun-

dum est ad uersum illum intercalarem, Hoc est corpus meũ. Quæ uerba, quemadmodum sint intelligenda, satis iam suprà suo loco diximus.

ARGVMENTVM GARDINERI.

VERBA *Christi sunt clara, & perspicua, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur: quæ declarant substantiam illius, quod discipulis dedit. In quibus si admittamus tropos, nihil erit tutum ab Hæreticis. Nam nisi uerba hæc essent simpliciter intelligenda, ita ut sonãt, Euangelistæ nunquam inter se tanta concordia consensissent.*

SOLVTIO.

PERSPICVITAS uerborum non est tantoperè obijcienda. Omnes enim ferè Hæretici collegerunt opiniones suas ex eo sensu, quem uerba perspicuè præ se ferebant. Quare oportet ex alijs scripturarum locis, & circumstantijs bene circunspicere, quid in istis agatur. Christus, ne beneficium mortis suæ nobis intercideret, hoc Sacramẽto uoluit memoriam nostram refricari: ut per fidem in animo uolueremus, corpus suum pro nobis traditum fuisse in mortem: atque ita credendo illud corpus manducaremus. Quod ut efficacius fieret, adiecit symbola panis & uini. Quod autem dixit, Hoc est corpus meum, perinde erat, ac si diceret: Corpus meum pro uobis tradendum, si fide ac spiritu à uobis comedatur, erit uobis pro pane, uel instar panis ad uos nutriendos, & sustendos: & ita est metonymia: signo enim tribuitur nomen rei significatæ. Potest etiam esse synecdoche, ut id dicatur de toto, quod est partis: aut, quod est unius partis, tribuatur alteri. In hac interpretatione omnia sunt facilia, uitantur absurda: nec unus locus scripturarum pugnat cum alijs. Talis autem phrasis, & locutio frequẽs est in sacris literis: ita enim legimus, Semen est uerbum dei: &, Petra erat Christus.

GARDINERVS.

HAERETICI *lucem tenebras, & tenebras lucem dicunt: sed certam perspicuitatem sequitur Ecclesia Catholica.*

MARTYR.

» COllationem scripturarum, quæ alioqui necessaria est, maximè in locis con-
» troversis, Inconstantius queritur nos hic iniquè postulare, quòd ista uerba
» in Ecclesia non sint controuersa, sed à primis eius incunabulis semper ita acce-
» pta fuerint, ut sonant: præsertim cum in omnibus scripturis, nihil possit inueniri,
» quod istis uerbis opponatur. De sensu Ecclesiæ in hac re, iudicium facere possumus ex scriptis patrum, qui in ea fideliter uersati sint. Quantum autem illi abhorruerint, suprà non uno loco fusè, & copiosè

pioſe demonſtrauímus. Eadem autem hic repetere, níhil aliud eſſet, quàm actum agere. Quanquam Eccleſiæ ſenſus magis ex diuinarum literarum teſtimonijs, quàm ex hominum ſententijs petenda eſt. Ecclesia enim tantiſper eſt columna & firmamentum ueritatis, quàm diu nititur unico uerbo dei. Quàm autem multa ſint loca in ſacris literis, quæ pugnent cum ſimplici uerborum intelligentia, in priori parte huius libri luculenter & fuſe expoſui: quo in loco argumenta noſtrorum hominum contra ſuperſtitiones & ineptias Papiſtarum cõfirmauímus. *Eccleſiæ ſenſus è ſcripturis eliciendus, nõ è diuerſo.*

Quòd autem iſte dicit, nos à Catholycisne dico, an à Cacolycis potius, illud mutuatos eſſe, ut diceremus, Chriſtum, ne mortis ſuæ beneficium nobis excideret, uoluiſſe hoc Sacramento memoriam noſtram refricari, uanum, & falſum eſt. Nos enim id non ab hominibus habemus, ſed ex diuinis literis, Chriſtus enim ipſe mandauit, ut quotieſcunque hoc facimus, id in ſui memoriam faciamus. Quod idem Apoſtolus etiam Paulus commemorauit, atque etiam addidit: Mortem domini annuntiabitis, donec ueniat. Hæc uerba optimi paſtoris Chriſti, & eius fideliſſimi diſcipuli Pauli ſunt, non Papiſtarum, aut luporũ. Imò ne hoc quidem habemus ab illis, quòd dicimus, uiua & ſyncera fide communicandum. Id enim nos Chriſtus ipſe docuit in cap. 6. Iohannis. Vocabulum autem illud, Efficaciæ, de quo Inconſtantius, neſcio quid, uoluit dicere, non iniuria nos attribuimus fidei. Non enim quæuis credulitas apprehendit corpus & ſanguinem domini: ſed ea tantùm, quæ germana ſit, & ſeria, & uiua, & ualida. Ad eam uerò augendam, & confirmandam ſi dicimus ſpiritum uti pane & uino & tanquam inſtrumentis, quid erat iuſtæ cauſæ, cur iſte Lucianus tam effuſè id rideret? Ne illi quidem ridendi erant, rectiſſimè enim & ueriſſimè loquuntur, qui dicunt, Corpus Chriſti, non minus in uerbo dei fideliter audiendo accipi, quàm in ſymbolis. Hoc enim ſignificare uoluerunt, ſymbola externa quaſi ſigilla quædam eſſe addita, quibus promiſſiones dei confirmarentur. Quiuis autem intellígit, promiſſionem principis uerbo prius impetrandam eſſe, quàm ut ea poſſit communiri ſigillis. Abrahamus enim prius adeptus eſt iuſtificationem ex uerbis promiſſionis diuinæ, quàm eius ſignum, aut ſymbolum reciperet in carne per Circunciſionem. Torqueat ſe Inconſtantius, quantum uelit: hæc certè ſemper fuit natura Sacramentorum. In Baptiſmo non mundamur à peccatis, quia aqua tingimur: ſed, quemadmodum rectè docuit Auguſtinus, quia uerbo, quod proponitur, credimus. Et qui uerè, atque ex animo credunt uerbo dei, etſi fortè deſtituantur aqua, tamen nihilò minus habent iuſtificationem ex uerbis dei, quàm ſi externo ſymbolo tingerentur, quemadmodum Auguſtinus ſuper Leuiticum 9. 84. fuſè diſputat. Sed iſti noſtri elementarij Chriſtiani, nihil prorſus actum putant, niſi accedant externæ ceremoniæ. Tamen Cornelius Centurio, antequam à Petro aqua contingeretur, receperat uiſibili forma ſpiritum ſanctum. Quòd ſi hoc & in Baptiſmo, & in Circunciſione accipere potuit, quibus, malùm, intemperijs aguntur iſti homines, ut id in edenda Chriſti carne fieri poſſe negent? Neq; tamen nos propterea uſum externum Sacramentorum docemus eſſe contemnendum. Verùm ea de re tantum à nobis ſuprà dictum eſt, ut nihil hic ſit repetendum. *Verba præcedunt ſigilla.* *Abrahamus.* *Natura Sacramentorum.* *Auguſtinus.*

Conqueritur Inconſtantius, nos tropos, & figuras orationis petere à Grammaticis. Prodeat ergo ipſe in medium, & omnia diuinarum ſcripturarum loca, maximè uerò ea, quæ nos inſtituunt de ſacris myſterijs, interpretetur nobis ſine figuris & tropis. Exponat, quid ſit, In carne portare pactum, aut fœdus domini, Agnum eſſe paſcha, aut tranſitum, Eos, qui baptizantur, induere Chriſtum: atque alia huiuſmodi loca penè infinita ſine tropo. Si hoc illi moleſtum eſt, quòd figuras petimus à Grammaticis, unde ergo illas potius peti uellet? Mirum, ni aut

è suis Sophismatis, aut è myrothecijs Romanæ meretricis. Eam enim semel anteà, & diu, & contumelioſè repudiatam, mirum est, quàm nunc afflictim deprecat. Sed istis licet suo arbitratu esse tropicis: nos uerò miseri ab hoc genere toto, tanquam à peste, & ab omnis pietatis contagione arcemur. Hoc uidelicet, inter nos, atque illos interest: quòd nostri tropi lumen & perspicuitatem adferant: illorum autem simplex & nudus sensus offundit tenebras.

Iste uerò, qui nos tanta authoritate, & strepitu uetat, ut ita dixerim, tropicari, pergit ipse incredibili licentiáne dicã, an impudẽtia, sophisticari. Ex nostra enim sententia ait sequi, Christum in cœna nihil dedisse: ut qui tantùm ibi docuerit uirtutem, & uim sui corporis: nimirùm, quòd illud fidelibus futurum esset instar panis, & spiritualis alimoniæ: quatenus, scilicet tradendũ erat in mortem. Et uidetur sibi reperisse argutissimum cauillum, quòd dicat, nos loqui de corpore Christi tradendo, non autem adhuc tradito. Istos autem fumos nos sine ullo negotio dissipabimus. Corpus enim illud, quod tum tradendum erat, nunc tradi-tum est in mortem, & tunc quidem Apostolis in Cœna offerebatur, nunc autem nobis, dum communicamus, offertur fide, ac spiritu recipiendum ad æternæ uitæ alimoniam. Sed dicat nobis uir iste tam argutus, Cur hodiè in scripturis legantur & recitentur hæc uerba, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur: cum illud iam olim ante mille quingentos annos traditum fuerit? Nostra sanè uerissima sententia est, Corpus Christi, quod tum tradendum erat in mortem, quodq; nunc traditum est, omnibus, qui credant, & annuntient mortem domini, dari pro pane, atque alimonia uitæ æternæ: siue hoc in sacra Cœna fiat, siue alibi. Neque tamen ea causa negamus, imò multò potius docemus atque affirmamus, Christum dare nobis carnem suam comedendam, & fideles de illo ipso sacrificio, quod in cruce factum est, manducare. Christum uerò in cœna seipsum suis manibus sacrificasse, nõ iudicamus sobria & sana fide posse dici: quamuis illum sua quidem ipsius uoce, & gratiarum actione seipsum Eucharistico sacrificij genere sacrificasse, concedimus. Quod autem dicunt, illum suis manibus seipsum sacrificasse, quod nihil est aliud, quàm seipsum mactasse, uideant illi, qui ita loqui uolunt, quo sensu, & quàm orthodoxè possint id interpretari.

An Christus sacrificarit seipsum in cœna.

Deinde iste nostram interpretationem uerborum domini, tanquam nimis coactam & uiolentam respuit: quasi transferamus terminos, & nouum sensum pro nostro arbitratu inuehamus. Nos uerò nihil aut transponimus, aut immutamus sine authoritate scripturarum. Christus apud Iohannem ait, Ego sum panis: loquutione haud dubiè tropica. In cœna autem è conuerso dixit, Panis est corpus meum. Quis ita iners, aut stupidus est, ut non uideat, in istis uerbis, Corpus est panis, &, Panis est corpus: et in istis, Caro est panis, et Panis est caro, eundem inesse sensum? Hanc aũt interpretationem, & lucem non nos primùm inuenimus: ut iste calumniatur. Author doctissimus, & uir sanctissimus Theodoretus eam uidit, quemadmodum suprà ostendimus. Vt ergo uerum est, corpus & carnem Christi metaphoricè esse panem: ita uicissim uerum est, panem esse corpus & carnem domini. Neque nos, ut iste queritur, uerba Christi luce carnis, & humani sensus iudicio illustramus. Hæc enim accepimus, & hausimus è diuinis literis. In illis enim utraque ista propositio inuenitur & legitur.

Theodoretus.

Sed iste falsò putat, ex isto nostro sensu consequi, Christum in cœna nihil aut dixisse, aut fecisse, quod superaret captum humanæ rationis: nec ex illis, quæ fecit, posse confici, illum fuisse filium dei fabricatoris huius mundi: quemadmodum colligit Irenæus. Mihi quidem permolestum est, pie Lector, toties tibi eadem obtrudere. Sed iste me sua importunitate ita trahit, ut cogar ea facere, quæ nolim. Sæpè iam diximus ad confectionem Sacramentorum requiri dei

ri dei omnipotentiam: ideoq; neminem potuisse ea instituere, nisi filium dei. At Inconstantius colligit ex nostra sententia, Christũ nihil aut dixisse, aut fecisse in cœna, quod esset supra humanum captum: quod nisi uelimus dicere, necesse esse, ut fateamur, corpus Christi realiter, carnaliter, substantialiter uel in pane, uel sub accidentibus panis latitare. Sed cur non etiam dicit, Christum in Baptismo nihil aut dixisse, aut fecisse, quod humanum captum superaret? Cur non ibi quoque requiritur, aut carnalis ista præsentia, aut Transubstantiatio? Quemadmodum autem Irenæus ex institutione cœnæ colligat, Christum fuisse filium dei fabricatoris mundi, quoniam suprà fusè docui, satis erit hic uno tantùm uerbo repetere. Nam si Christus fuisset filius alterius alicuius dei, maximè uerò, quemadmodum Marcion somniabat, qui Creatori mundi inimicus esset, ad instituenda Sacramenta usurpasset non suas creaturas, sed alienas. Verùm Inconstantius, quoniam ueris & firmis argumentis destituitur, ad Sophismatum, & mendaciorum suorum lecythos, & myrothecia redire cogitur. Quantùm autem dignitas Sacramentorum superet captum humanæ intelligentiæ, nihil opus est repetito. *Irenæus.*

Posteà garrit, nescio quid, euitationem istam absurdorum, quam nos sequi-,, mur, & commendamus, esse abolitionem mysteriorum: & addit, ea nos tantùm ,, habere pro absurdis, quæ carnis iudicio & rationi aduersentur. Vt autem ad id, ,, quod ultimo loco dictum est, primùm respondeam, Nos in religione non metimur absurda sensu & iudicio carnis, sed doctrina sacrarũ literarũ. Ex illis scimus Christũ uerè habuisse humanũ corpus: quod corpus si quis dicat esse desinere, non potest nobis non uideri ualde absurdum. Ex illis scimus, panem & esse, & manere in Eucharistia: ut illum iam aut abijsse, aut non manere, pugnet non tantùm cum humana ratione, sed etiam cum uerbo dei. Si autem habemus pro absurdo, accidentia consistere sine subiecto, idq; sine authoritate ulla uerbi dei, in eo non carnem aut sensum sequimur, sed probatissimum iudicium rationis. Quòd uerò addit, nos nostra interpretatione abolere mysteria, falsum est: nisi fortè, iste nobis probare possit, sine ista Transubstantiatione, aut reali præsentia non posse constare naturam Sacramenti. Id nos cum tota hac disputatione petierimus ut nobis probaret, ne adhuc quidem id potuimus impetrare. Quare aut præstet id aliquando Inconstantius, aut desinat iactare, nos nostra sententia abolere uim Sacramenti.

Posteà negat, opinionem suam pugnare cum ullis locis scripturarum: me ,, uerò ait, quod olim fecit Labeo Iudex Romanus, ibi fingere contentionem ,, ubi nulla sit. Hic me propter istorum fictam, atque ementitam pacem, non ,, oportet omnia scripturarum testimonia, quæ adferri possent, coaceruare, quibus cum isti non tantùm dissideant, sed etiam apertissimè, atque impudentissimè pugnent. Quibuscunque enim uerbis diuinæ literæ testantur, Eucharistiam constare pane, aut docent, Christum, quod attinet ad humanam naturam abijsse è mundo, & uersari in cœlo, nec amplius esse in terris, cum illis omnibus istorum imposturæ pugnant. Cumq; nos istas contradictiones indicamus, non sumus, ut iste suauis literarum suarum ostentator nos appellat, Labeones: sed Mercurij potius, qui in triuijs ueram, & commodam uiam Lectoribus ostendamus, ne in sacris dogmatis ab istis Lamijs miserè seducti aberrent, & pereant. *Quæ scripturæ contra istos pugnent.* *Labeones.* *Mercurij.*

Ad extremum negat in omnibus sacris libris phrasim ullam inueniri simi-,, lem, illi phrasi, qua Christus dixit, Hoc est corpus meum. Illas enim, quas nos ci-,, tauimus, Semen est uerbum: &, Petra erat Christus constare terminis dispara-,, tis, & idcircò exponi debere per significationem. In ista autem, inquit, senten-,,

,, tia, Hoc est corpus meum, non prædicatur disparatum de disparato: sed pronomini, Hoc, explicando adijcitur in prædicato, Corpus: non ergo hic esse, ut ibi, ,, analogiam similitudinis. O profundū hominis acumen. Dici non potest, quantum de suo illo uago indiuiduo sibi placeat. Neque uidet, illud suum commentum, non tantùm à ueritate, quam nunquam magni fecit, sed etiam à patrum suorum sententijs alienum esse. Illi enim omninò uolunt, corpus Christi prædicari de pane. Nam Irenæus ait, Christum confessum esse, panem, qui est creatura secundum nos, esse corpus suum. Epiphanius etiam ait, Christum de eo, quod esset rotundæ figuræ dixisse, illud esse corpus suum. Et Cyrillus ait, illa, quæ Christus dedit discipulis, fuisse fragmēta panis. Quomodo ergo uerum est, quod iste Sophista noster comminiscitur, in illis uerbis Christi non esse disparatum quod prædicetur de disparato? Falsum etiam est, quòd ait, in omnibus scripturis similes loquutiones non inueniri. Nónne enim legimus, Circuncisionem uocari fœdus domini? Atqui eam negare non potest, fuisse Sacramentum. Agnus etiam Paschalis, quamuis esset Sacramentum, tamē dicitur, Transitus: idq; cum pronomine demonstratiuo, Ipse, dicitur. Istæ phrases quomodò non sunt similes loquutioni illi Christi? Ibi enim etiam agebatur de Sacramentis: ibi quoque in altera saltem phrasi, subiectum est pronomen demonstratiuum: ibi quoq; prædicatum rem significatam indicat. Quid hic, obsecro, deest ad similitudinem? Nihil sanè aliud, nisi ut eam Inconstantius aliquando uideat. Verùm ille præ animi impotentia, & rabie iam pridem amisit oculos.

Irenæus.
Epiphanius.
Cyrillus.

ARGVMENTVM GARDINERI.

PROPOSITIONES huius generis, ut ista est, Hoc est corpus meum, accipi debent, ut prædicatum referat subiectum: nisi aliquid ante, uel post in contextu reperiatur, quod nos ad tropum adigat: quod hic non inuenitur, imò quæ consequuntur, ad simplicitatē propositionis nos potius reuocant. Nam dicitur, Quod pro uobis traditur: et planum est, traditum fuisse ipsissimum corpus Christi.

SOLVTIO.

NOS, ne sic accipiamus ea uerba, multis cōsiderationibus mouemur. Primū, quòd Christus adfuerit in cœna: unde opus non erat, ut ostenderet Apostolis corpus suum: uidebant enim ipsum. Deinde, qui fieri potuit, ut ipse seipsum realiter & corporaliter manducaret? Deinde, planum est, eum in mystica illa cœna bibisse uinū. Nam ait, Non bibam ex hoc fructu uitis. Is autē fructus, ut ait Chrysostomus, est uinum naturale. Videmus etiam, hic agi de memoria, ubi indicatur tropus. Deinde uidemus, ipsos etiam aduersarios in hac loquutione mutare tempora: &, quod de traditione corporis, & effusione sanguinis enūtiatur per tempus præsens, id interpretari in præteritum. Consideramus præterea, ne aduersarios quidem in consecrando carere posse tropis. Verbum enim Est, accipiunt pro Fit, aut Conuertitur, aut Transubstantiatur. Videmus etiam Christum instituere Sacramen-

tum,

tum: ubi conuenit, ut symbola per significationem accipiantur tropicè. Natura enim sacramenti est, ut sit signum. Consideramus etiam Ascensionem Christi in cœlum; & ueritatem humanæ naturæ, quam assumpsit, & uerba illa Christi in sexto Iohānis, Verba, quæ ego loquor, spiritus sunt & uita: caro non prodest quicquam: nimirùm, carnaliter mandu cata: spiritus est, qui uiuificat. Adhæc uidemus, Paulum hic ponere apertè panē: quo in loco aduersarij nostri, quamuis alioqui tropos tantoperè auersentur, tamen uolunt esse tropum. Videmus etiam Paulum testari, Veteres habuisse eadem nobiscum sacramenta. Nam, ut ait Augustinus, non satis illi fuit dicere, eos habuisse spiritualem cibū & potum, nisi adijceret etiam eundem. Videmus etiam, uicinas istis loquutiones accipi tropicè. Quales sunt: Panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est: &, Hic calix est nouum Testamentū in meo sanguine. Deinde etiā nō propriè cōuenit corpori Christi, ut edatur. Postremò certū est, nos nō accipere illud corpus, quod tradebatur. Nā illud & uisibile fuit, & passibile. Cōditiones aūt corporis corruptibilis, & glorificati non possunt simul cōuenire in eodē subiecto.

GARDINERVS.

HAEC *ferè sunt in aceruum hic coacta, quæ alibi separatis obijciunt argumentis, quibus suis locis abundè responsum est.*

MARTYR.

EGregius disputator, postquā cum singulis argumētis nostris malè pugnauit, nunc tandē experiri uult, quid possit cū uniuersis. Quærebatur, cur oportuerit dominū suum corpus ostendere in pane, cum omnes cōuiuæ uiderent ipsum iuxta se accumbere. Respōdet iste, quòd institueret iugem memoriā mortis suæ, ad quā exprimendā uera præsentia eius corporis passi, permultū esset profutura. Christum in hoc sacramento instituisse memoriā mortis suæ, nos quoq; libenter damus. Ad eam aūt excitandam quid corpus præsens, & præsertim inuisibile, & delitescens sub accidentibus, plus faciat, quàm sacramentū, non uidemus. Mirū uerò est, qua prudentia dicat, institutā tū fuisse presentiā corporis passi. Christus enim tum nondū passus, sed posteà passurus erat. Sed iste eodē loco habet & preteritum tempus, & futurū. Néue putes, illū dicere, memoriā eam excitari ignota aliqua præsentia corporis, cōminiscitur astutè illam præsentiam, etsi non innotescat sensibus, tamen percipi fide. Sed quomodò tandē potest huiusmodi præsentia fide percipi, cū nec scripturæ ullæ eam doceant, nec usquam legamus, corpus Christi nobis aliquando datū iri inuisibile, aut sub accidentibus abscondendum? Nihil enim uera fide percipitur, nisi quod probari possit ex uerbo dei. Ea enim tota, ut Paulus ait, pendet ex auditu: auditus aūt ex uerbo dei. Deinde, quis nescit, ita comparatā esse naturā rerum ut memoria excitetur ex illis, quæ sentiuntur, non aūt ex illis, quæ creduntur? Ea enim quæ credenda sint, sæpè non minus obscura sunt, quàm ea ipsa, quæ oporteat ab obliuione uendicare.

Memoria excitatur ex sensibilibus.

„ Atqui, inquit iſte, deus ab externis nos ita auocat, & ad contemplanda cœ-
„ leſtia excitat, ut qui ſecundum ſpeciem uiſibilem Chriſtum in carne non norunt,
„ noſcant per fidem iam in ſacramento præſentem. Quæſo uerò te, quomodò hic excitamur ad contemplandum cœleſtia? Non enim uocamur ad intuendũ Chriſtum regnantem in cœlis: ſed ad illum, ut tu comminiſceris, latentem, atq; abditum ſub ſacramento. Nõ ergo ad cœlum, ſed uel ad panem, uel ad panis accidentia, uel ad id quod ſub eis latet, prouocamur. Sed noſtrum eſt, Inconſtanti, noſtrum eſt hoc totũ, quod tu tibi uẽdicas. Nos monemus noſtros, ut in ſacra Communione corda ſua ſurſum ſubuehãt: utq; admoniti ſymbolis uiſibilibus, animos ab illis ad cœlũ transferant: ibiq; contemplentur, atq; etiã cupidè complectantur beatũ illud corpus, quod olim noſtra cauſa mortem tam grauem, & contumelioſam pertulit. Nunquam nos, aut Paulus, aut quiſquam ex Apoſtolis in omnibus ſuis literis, & ſcriptis huiuſmodi inuiſibilem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia fide comprehendendam docuit. Veſtra ſunt hæc delíria, & ueſtra mendacia: non ſcripturarum ſanctarum dogmata.

„ Addit iſte, oportuiſſe omninò Chriſtum ita ſeſe dare, ut promiſsionem illam
„ de danda carne ſua impleret: quam uiſibili ſpecie datam non comediſſemus præ
„ horrore. Obſtinata iſta capita adduci nõ poſſunt ullis rationibus, quin perpetuò iactent, uerba illa Chriſti in 6 cap. Iohan. omninò intelligenda eſſe de manducatione carnis Chriſti ſacramentali: quaſi Chriſtus nihil aliud ibi agere aut docere uoluerit, quàm corpus ſuũ aliquando comedendum eſſe inuolutũ ſub accidentibus. Quod ut eſt falſiſsimũ, ita nunc à me euidẽtiſsima ratione refutabitur. Chriſtus eo in loco de eiuſmodi agit eſu carnis ſuæ, ſine quo haberi non poſsit æterna uita. Niſi enim, inquit, comederitis carnẽ filij hominis, et biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis uitã in uobis. Nũc dicant iſti mihi, an Chriſtus ita gratiam ſuam, & uitam æternã alligarit ſacramentis, ut prorſus ſine illis nemo poſsit eſſe ſaluus. Non dicent, opinor. Chriſtus enim id ne de Baptiſmo quidem uoluit dicere. Dixit quidem, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: & addidit, Qui non crediderit, condemnabitur. Non autẽ dixit, Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur. Poteſt enim fieri, ut aliquis aliquando credat, cui externi Baptiſmi copia denegetur. Eum autem, cum iam aſſequutus ſit iuſtificationem ex fide, dubitare non poſſumus eſſe ſaluum: præſertim cum per ipſum non ſteterit, quò minus etiam Baptiſmo externo tingeretur. Chriſtus autem in ſexto capite Iohannis de illa manducatione loquitur, quæ prætermiſſa excludat è regno cœlorum. Neceſſe eſt ergo, ut ibi promiſerit, eam carnem, quæ ſumeretur fide. Veriſsimum enim eſt, neminem adultum poſſe ſalutem adipiſci, niſi uera fide apprehendat mortem Chriſti. Hanc ibi Chriſtus manducationem ſuis promiſit: eamq; fidelibus perpetuò largitur, & præſtat. Illi autem mãducationi in ſacra Cœna ſymbola illa externa tanquam ſigilla quædam promiſsionum ſuarum addi uoluit, ut ea quaſi admonitione animus noſter, & ſpiritus ad ſpiritualem manducationem uehementius, atq; ardentius excitaretur. Horrorem autem illum, qui nauſeam, opinor, commouit Inconſtantio, noſtra ſententia multò melius arcet, quàm iſtorum delirium. Quid enim horreamus, cum intelligamus, nos ore, palato, dentibus, non carnem, aut oſſa Chriſti, ſed panem & uinum uſitata ratione manducare? Ipſi autem, cum perſuadeãt ſibi, ſe comedere carnes humanas, easq; etiam crudas, quamuis illas ſomnient abditas eſſe ſub accidentibus, quomodò tandem poſſunt fugere horrorem? At iſta non uidentur, inquiunt. Scio. Sed ad tollendum horrorem, id certè non eſt ſatis. Nam ſi quis aut in pilulis, aut in catapotijs uel carnes humanas diligenter tritas, aut aliud quippiam natura ſua fœdius, & immundius, miſceret, & reconderet, idq; ægroto indicaret, an putas eum, quamuis

Gratia non alligata ſacramentis.

Locus è 6. cap. Iohannis.

De eo qui credit & non habet copiam baptiſmi, quid exiſtumandum.

Nos melius horrorem in manducando tollimus, quàm Papiſtæ.

uis id oculo non cernat, posse huiusmodi pharmacum sine horrore in se recipere? Ad populum phaleras. Desinite uestram istam ἀσφασίαν iactare apud prudentes homines, & sobrios. Fabulæ istæ uestrę sine argumento iam dudum prudenter cogitantibus pariunt fastidium.

Iam uideamus, quid sequatur. Dicebatur in solutione, non potuisse fieri, ut Christus, cum unà cum Apostolis communicaret, seipsum comederit. Oportuisse enim non unum eum fuisse Christum, sed geminum. Nec, cum se haberet totum in semetipso, potuisse seipsum totum in seipsum rursus ingerere. Ista inquit, Inconstantius, sunt Iudaica: Christianos enim credere, Christum, quod uoluerit facere, facere etiam potuisse. Eum enim, cum esset deus, & posse, & uelle ex æquo habuisse. Hic rursus, quod Sophistæ crebro faciũt, Inconstantius principium petit: sumit enim sibi id, quod probare potius oportuit, Christum uoluisse realiter, & substantialiter comedere corpus suum. Id autem nos, nisi melius probetur, non dabimus. Sacramentum quidem Christus sui corporis, & comedere uoluit, & comedit. Corpus autem suum reale, & substantiale neq; comedit, neq; etiam potuit comedere, nisi quis dicere uelit, eum geminum corpus habuisse. Quomodò autem res natura sensibilis, & corporata, & solida possit prorsùs comedi, nisi gingiuis, & dentibus cõmolatur, non uideo, neq; id Inconstantius unquam aut potuit, aut poterit explicare.

Deinde negat, Christum in sacra Cœna bibisse uinum. Cum autem nos uerba illa, quæ maximè sunt perspicua, obijcimus, Non bibam amodò de hoc genimine uitis, respondet, id illa uerba non probare. Locum enim illũ indicare, Christum non bibisse uinum, sed quod benedictione fecerat sacramentum. Mirũ est, quàm iste Heraclitus gaudeat obscuritate, ac tenebris. Quod idcircò dico, quia nos quoq; fatemur Christum bibisse sacramentum: qui tamen interim nihil dubitamus sacramentum illud fuisse uinum. Quicquid iste garriat, Christus ipse dicit, se bibisse fructum uitis. Atqui ego nunquam quenquam putaui fore, qui negaret, fructum uitis esse uinũ. Id enim & multi ex Patribus, & nominatim Chrysostomus, & experientia, & sensus ipsi, & agricolæ testantur. Solus reclamat Inconstantius. *Chrysostomus.*

Additur in solutione, Cum Christus disertis uerbis mandauerit, ut in Cœna memoria sui fieret, illud ipsum nõ parùm liquidò indicare, uerba illa Christi exponenda esse per tropum. Inconstantius autẽ respondet, memoriam agi mortis præteritæ, quæ præsentis corporis exhibitione ἐναργῶς exprimitur. Id, uidelicet, uult, quantum uideo, rem obscuram, & dubiam, & propterea minus cognitam, argumentum esse facti cuiusdã manifesti, & cognitissimi. Vndè quæso, constare potest satis clarè, & perspicuè ista præsentia, cum nos inter nos tam acriter de illa dissideamus? Est hoc nouum sanè genus philosophiæ, rem claram, & cognitam, per rem incertam, & dubiam in memoriam reuocare. Nihil autem te hic iuuare potest notitia fidei, quam toties iactas. Illa enim sine uerbo dei nulla est. Posteà negat, in illis uerbis ullam esse cõmutationem temporum. Illo enim genere orationis ait tantùm rei certitudinẽ indicari. Christus ergo dixit præsenti tempore, corpus suum tradi, & sanguinem fundi, nõ per tropum, sed usitato modo loquendi. Resistat Inconstãtius, quantum uolet: nunquam tamen hoc efficiet, quantacunq; sit rei certitudo, & quantumuis sit ille loquendi modus usitatus, quin ibi sit ἐτερώσις temporis. Fateor equidem, homines in loquendo tempora interdum commutare: id autem affirmo, non posse fieri sine tropo. Quid enim usitatius est, quàm quod quotidiè ferè dicitur, Vites aut gemmare, aut oculos emittere? Nemo tamen est, qui id negare uelit dici metaphoricè. Non adimo orationi certitudinem: nec tamen certitudinis causa puto remouendum esse tropum. Quare

nisi Inconstantius argumenta nostra, & confutationes, quibus aduersarios re-
ijcimus, melioribus rationibus refellat, mirari non debet, si causa nobis adiudice
tur. Sed quę tandem ista est dementia, si uerba domini uindicare nō possis à tro-
pis, uelle tamen tropis niti, ut illa omnibus modis disiungas, ac distrahas.

„ Negat etiam suos, uerbum illud Est, in illa sententia, Hoc est corpus meum,
„ accipere pro Fit, aut conuertitur, aut transubstantiatur. Illos enim potius ample
„ cti simplicitatem sermonis, ut sit omninò, quod Christus esse dixit. Illum enim
„ de una substantia pronuntiare, Hoc est corpus meum. Suos ergo sequi uerba
„ Christi, & illam substantiam esse corpus domini, profiteri. Nónne uides Lector,
Inconstantium hic omnia narthecia suorum sophismatum effudisse? Vim ta-
men, & nodum argumenti fortiter dissimulat. Ait Christū de una quadam sub-
stantia pronuntiasse, Illam esse corpus suum. Sed dic mihi hoc, quæso: quid illud
oportuit pronūntiari? An ignorabant homines, corpus Christi id esse, quod
erat? Quomodo traditis, corpus domini fieri ex pane? Cur in hoc sacramento
ponitis mirabilem illam conuersionem, uel eam potius, quàm barbarè appellare
soletis Transubstantiationem? Si uerbum illud Est, apud uos nec fieri signifi-
cat, nec conuerti, nec Transubstantiari, unde tandem hausistis commentum il-
lud uestrum? Responsum istud tuum magnum, mihi crede, uulnus & causæ
tuæ, & omnibus Transubstantiatoribus inflixit. Nam, quemadmodum omnes
fatemini, uerba illa conficiunt sacramentum. Cumq; illa uocula pronuntiatur,
nondum ibi adest corpus Christi: expectare enim cogitur perfectam prolatio-
nem orationis quinqueuerbiæ. Ergo cum panis adhuc maneat, uerbum illud
Est, non potest ostendere prædicatum aut in subiecto esse, aut adhuc illi conue-
nire. Neq; corpus Christi potest de substantia ea, quæ nondum ibi sit, prædicari.
Breuiter, si uerbum illud Est, ibi propria significatione sumeretur, prius oport-
teret secundum uos, id quod Christus acceperat in manus, fuisse eius corpus,
quàm de illo dici rectè potuerit, Hoc est corpus meum. Neq; enim quisquam
hoc mihi permittet, ut de re aliqua dicam, Hoc est mel, hoc est saccarum: nisi res
ea ita sit, antequam ego ita pronuntiem. Atq; huc etiam nonnihil facit, quod
illum sermonem Christi dicitis fuisse operatorium. Quid autem uestra sententia
fingi potest aliud operari, quàm ut uestras illas conuersiones, & Transubstantia-
tiones efficiat? Vos enim ipsi indicate, quánam alia uoce ex tota illa sententia id
significetur, si uni uerbo Est, ea tanta uis adimatur. Nihil autem huc facit,
quod quidam ex uestro grege solent dicere, sacrificos uestros illa uerba tantùm
recitando pronuntiare, non autē oratione cathegorica, & affirmatiua. Nos enim
non tantùm de uestris sacrificulis mouemus litem, sed etiam de Christo ipso, qui
primus ea uerba pronuntiauit, nec recitatiuè, ut isti aiunt, ea efferre potuit.

„ Quòd nos dicimus, Christum in Cœna instituisse sacramentum, id iste fin-
„ git à se facere. Substantiam enim sacramenti credendam, & metiendam esse ex
„ eius uerbis, qui dixit, Hoc est corpus meum. Dissimulat autem satis astutè id,
quod in argumento sequebatur, eam esse naturam sacramentorum, ut symbola
„ per tropū & significationem dicantur illæ res ipsæ quæ significantur. Quodq;
„ addit, Corpus & sanguinem dari sub formis panis & uini, quo sensu ab eo dici-
tur, alienum à uero, & falsum est. Is enim formas intelligit accidentia, quibus
inuoluatur, & quodammodò uestiatur corpus Christi. Hanc enim ait, partem
„ esse uisibilem mysterij. Deinde non solum absurdissimè, sed etiam contrà
„ omnium Scholarum authoritatem statuit, illa accidentia esse formam sacra-
„ menti. Qua de re satis à me suprà dictum est suo loco. Posteà tamen fatetur,
„ illas formas, & accidentia induere nomen substantiæ, & materiæ huius sacra-
„ menti; cum ἀκριβῶς figura sint: & id, quod intus in ueritate creditur, ut Hilarius
ait,

ait, sit ipsa ueritas. Accidentia habere nomen substantiæ, nec sacræ literæ, nec ulli unquam Patres monuerunt. Panem autem & uinum uocari corpus & sanguinem domini, & scripturæ clarissimè dixerunt, & Patres constantissimè confirmarunt. De sententia Hilarij suo loco satis copiosè respondimus. Ea uerò quæ posteà à nobis adducta sunt de ueritate humanæ naturæ in Christo, de eius Ascensione in cœlum, de dicto illo Christi, Verba mea spiritus sunt, & uita: Caro non prodest quicquam, nimirum carnaliter manducata, spiritus est, qui uiuificat: hęc, inquam, omnia Inconstantius leuissimè percurrit. Verebatur enim, ne si firmius imprimeret uestigium, pedem sibi grauius uulneraret.

Tantùm ergò hoc dicit, carnem Christi per mysterium ineffabilis unionis esse quodammodò spiritum: quoniam, uidelicet, sanctificat ut spiritus. Interponit autem nomen Cyrilli, ut eo splendore oculos lectori perstringat. Ego hujus hominis breue dictum, breui argumento retundam. Si tibi id satis est, ut caro Christi sit quodammodo spiritus: cur nobis etiam non sit satis, ut corpus Christi sit quodammodò præsens? aut ut symbola sint quodammodò corpus Christi? Si tu uis, interpretationem tuam recipi à nobis, nostram uicissim non debes contemnere. Diximus in Solutione, Paulum in hoc negotio apertissimè statuere tropum: cum dicat, Panis, quem frangimus, communicatio est corporis Christi: cumq; clarissimam faciat mentionem panis, ibi aduersarios nostros, alioqui omnium troporum iuratos hostes, ubi nihil sit opus, tropum agnoscere. Hic iste noster respondet, etsi Paulus alicubi utatur tropo, nihil tamen necesse esse, ut id eum putemus fecisse in uerbis illis domini. Quàm prudenter & considerate hoc dicatur, uel ex eo liquere potest, quòd nos tropum in Paulo notauimus, non in alijs, nescio quibus, locis, ab hoc instituto alienis, sed in ipsa doctrina de Eucharistia. Apostolum enim dicimus, illo ipso in loco adhibuisse tropum, ubi de ijs mysterijs agebatur.

Verùm Inconstantius, ne fortè uideatur non habere, quid respondeat, ait, non ita perspicum esse, aut confessum apud omnes, Paulum, cum diceret panem, usum esse tropo. Vti enim, inquit, uoluit communiori appellatione panis, quæ tam propriè significat omnem cibum, quàm ex aqua, & farina factum, & coctum panem. Equidem Hæbraicam uocem non tantùm panem, sed etiam omne genus cibi significare, non inficior. Quem autem in sensum Paulus usus sit ea uoce in præsentia, & Græcus sermo, quo ille scripsit, & historia de Cœna satis indicat. Nam ἄρτος apud Græcos, quod ego sciam, non aliud significat, quàm panem. Itaque si Apostolus uoluisset eo loco intelligi omne genus cibi, nunquam usus fuisset Græca uoce ἄρτῳ. Nec enim ita inops erat Græcæ linguæ, ut communi uoce uti non potuerit, si uoluisset. Ad hæc, Christus cum distributurus esset sacramentum, accepit in manus panem, illumq; fregit, ac discipulis edendum dedit: Vinum etiam fuisse, quod illis propinauit, uel ex eo liquet, quòd addit, Non bibam amplius ex hoc fructu uitis. Quærat ergo Inconstantius communia quæcunq;, & undecunq; uolet: nos ex Euangelica historia, & ex uerbis Christi non pigebit tenere propria.

Sed quia uidet, se audacius affirmasse, uocem illam, Panem, tam propriè significare omne genus cibi, quàm, ut loquitur, ex farina factum, & coctum panem, ut illud dictum suum aliquantulum castiget, & mitiget, ista subijcit: Quod propriè dico, ad ueritatem significationis dico: ne quis de significatorum proprietate cauilletur. At si propriè, ac uerè idem sunt, ut in isto genere sermonis esse debent, quid hic nugaris? aut quid istos fumos, & pulueres oculis lectorum adspergis? Nam quod ad Hebraicæ uocis etymon attinet, affirmo, לחם, unde nomen illud, de quo nunc agimus, deriuatur, significare inci-

dere. Id autem siue gladio fiat, siue dentibus, nihil refert. Nam inde deducitur uocabulum illud מלחמה quod significat bellum, aut prælium, quòd ibi homines concidantur. Quare etsi uox illa לחם ad omnem cibum significandum traducatur, propriè tamen de illis tantùm cibis dicitur, qui franguntur, & aliquo modo inciduntur: quod certè carni Christi, ut quidem nunc est, attribui nec potest, nec debet.

Posteà rationem illam, quæ ducta est à sacramentis Veterum, uno tantùm uerbo attingit. Illam enim ait, à se iam anteà dilutam esse: quasi uerò non ista quoque omnia, quæ hic tam multis repetit, centies anteà dixerit. Sed longè alia erat causa, cur eam rationem ita tacitè præteriret. Non enim inuenire potuit fucum satis commodum, quo eam aut induceret, aut offuscaret. Quòd autem ad Fractionem attinet, ait, eam uerè explicari in signo: in mysterio autem mysticè. Corpus enim Christi sine fractione frangi, quò memoria passionis illo symbolo apertius repræsentetur. Symbola uerè frangi, quid aliud est, quàm accidentia sine subiecto frangi? Id quoniam, & dictu, & auditu absurdum est, ideò Sophista noster maluit per ambages explicare. Corpus autem Christi sine fractione frangi, recipiat qui potest. Id enim mihi perinde uidetur, ac si dicas, aliquem sine morte mori, aut sine aliqua passione pati: quæ tamen ipsa forte fortasse huic nostro non uidebuntur absurda. Nemo ergo sobrius aut sanus dicet, corpus Christi propriè frangi. Tropicè tamen id, & figuratè dici rectè potest.

Figuratam uerò orationem, quam negare non potest, adhibitam esse ad calicem, ait ab alijs Euangelistis propriè referri. Tamen hoc mihi, opinor, dabit, cum & Paulus, & Lucas ita loquantur, non esse nefas, aut hæresim tam grauem, dicere, etiam in illis uerbis, quæ appellant Consecrationis, esse tropum: nisi forte Paulum quoq; & Lucam habebit pro hæreticis. Quòd autem addit, alios Euangelistas id propriè retulisse, id non tam dictum ab isto oportuit, quàm probatum. Ego enim affirmo, & omnibus modis contendo, aliorum quoq; Euangelistarum sermonem esse tropicum.

Porrò, quod nos dicimus, non posse conuenire corpori Christi, ut comedatur, iste respondet, hanc esse considerationem carnis, quæ non intelligat mysterium. Nam secundum id, ex institutione Christi factum esse proprium, obtinente fide, quod erat minus proprium, contendente ratione. Id enim, quod Christus instituit, iam incipere esse proprium. In eius autem uoluntate quærendam non esse rationem: eam enim esse summam regulam rationis. Hæc iste. Verùm, cum nulla nos scriptura usquam doceat, corpus Christi propriè manducari, quî tandem id potest fides obtinere? Ea enim, quanta quanta est, tota pendet ex uerbo dei. Dixit quidem Christus, se traditurum esse carnem suam, ut comederetur: sed ut ostenderet, id non esse propriè accipiendum, se ipsum appellauit panem, & mentionem fecit de Ascensione sua in cœlum. Et Patres diserte scripserunt, Manducare esse Credere: idq; non ad dentes, sed ad fidem referendum.

Postremò, quod nos ultimo loco diximus, duas contrarias qualitates, quales sunt, Visibile, & Inuisibile: Corruptibile, & Incorruptibile, non posse consistere in uno, & eodem subiecto eodem tempore, id reijcit, tanquam sophisma, & nos in eo uehementer reprehendit, quòd uelimus accidentibus definire corporis substantiam, nihil enim obstare, quin Visibile, & Inuisibile diuersis relationibus prædicentur de eodem corpore: deinde iactat, se hac de re dixisse aliâs. Sed unde, obsecro, potuit iste suspicari, nos ab accidentibus definire substantiam corporis? fortasse non satis cogitauit, quid scriberet. Nos enim hic corpus non definimus.

Hoc

Hoc tandem dicimus: Contrarias qualitates non posse unà consistere in uno, & eodem corpore. Visibile autem, & inuisibile: Corruptibile, & incorruptibile, negari non potest, esse oppositas qualitates. Relationes uerò istas diuersas nihil opus fuit comminisci. Corpus enim Christi ad mensam accumbens ab Apostolis uidebatur: in pane autem non uidebatur. Interim tamen omninò uultis, unum, atq; idem fuisse corpus. Idem in sacramento erat incorruptibile: in Christo ipso paulò pòst passuro corruptibile: in pane, uel potius, ut uos fingitis, sub accidentibus erat glorificatum: in ipso Christo non glorificatum. Cur ista explicatius non componitis? Cur uestras illas diuersas rationes, ut relationes non declaratis? Nos pro tua modestia appellas Sophistas: cum ipse nihil aliud exhales, aut crepes, quàm sophismata. Dixit quidem de hac re superius: sed ita, ut multò præstiterit tacuisse. Ad extremum autem quòd nos appellat Figuratores, Desertores, malitiosos, authores inanium, & ineptorum prætextorum, fortasse uoluit sua uitia nobis utcunq; affricare, & de sua plenitudine nos quoque perfundere.

ARGVMENTVM GARDINERI.

PAVLVS *demonstrat, Corpus domini esse id, quod traditur, cum inquit, Qui manducat, & bibit indignè, reus erit corporis, & sanguinis domini: item, Iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus domini.*

SOLVTIO.

HOC nihil est: quoniam, quod ad priorem locum attinet, Ambrosius sic respondet: Quid est reos esse, nisi pœnas dare mortis domini? Occisus est enim pro ijs, qui beneficium eius in irritum ducunt. Hoc Ambrosius uocat, Reos esse corporis domini. Ad hoc autem non requiritur transubstantiatio. Et indignè sumẽtes dicuntur non dijudicare, hoc est in pretio non habere corpus domini. Quia tanta est coniunctio inter symbola, & significata, ut istorum contumelia in illa redundet. Præterea Paulus scripsit illa ad Corinthios, qui non erant penitus destituti fide, quamuis laborarent quibusdam infirmitatibus. Tales autem non tantum accipiunt symbola, sed etiam habent corpus Christi: quod non habent Epicuræi, infideles, & ἄθεοι, & excisi ab Ecclesia. Vnde rectè dicitur de Corinthijs, non solùm quòd ad symbola, sed etiam, quòd ad rem ipsam attinet, illos fuisse reos corporis domini: quòd non dijudicarent corpus domini: quòd cum ista fide perciperent, uita, ut par erat, non exprimerent. Hoc etiam annotandum est, Paulum cum agat de sacramentali actione, mentionem facere de pane: postea autem, cum uitium sit exaggerandum, dicere corpus domini.

GARDINERVS.

QVOD *ad Ambrosium attinet, quatenus reos esse corporis domini, ita interpretatur, ut pœnas dent mortis domini, cum illis consentit qui par esse crimen eorum aiunt, qui indignè manducant, cum ijs, qui Christi sanguinem in Cruce fuderunt: quod certum est argumentum præsentiæ corporis domini.*

MARTYR.

„ INconstantius, ut interpretationem Ambrosij aliqua ui, aut arte trahat ad par-
„ tes suas, ait illum hoc sentire, crimen illorum, qui manducant indignè, par esse
„ illorum crimini qui Christi sanguinem fuderunt in cruce: idq; ait certum esse
„ argumentum præsentiæ corporis domini: eam autem præsentiam ostendere in
„ sacramento absentiam, siue desinentiam panis, quæ est transubstantiatio. Certè
quicunq; uel micam salis habeat, facilè uidebit, ista duo argumenta ex uerbis
Ambrosius. Ambrosij ineptissimè colligi. Nam quod ad primum attinet, quæ quæso te, est necessitas, ut, si par sit crimen & indignè manducantium, & crucifigentium, ut idcirco corpus Christi perinde sit in Cœna, ut fuit in cruce? possunt enim indignè manducantes pœnas dare mortis domini, etsi corpus domini non sit in Cœna substantialiter. Dant enim pœnas uiolatæ Cęsareæ maiestatis, qui tantùm statuam Cæsaris aut deformarunt, aut ignominia aliqua affecerunt: etsi Cæsar ipse non adsit inclusus in statua. Alterum autem argumentũ suum nunquam cuiquam sano probare poterit. Etsi enim uellemus dare, corpus Christi re ipsa adesse in Eucharistia, tamen quid necesse esset substantiam panis ea causa subduci, aut esse desinere? Dices: ne duo corpora simul sint in uno loco. Rectè. At uos ipsi, cum accidentia, & magnitudinem panis conseruatis, necessario cogimini, ut duo corpora simul statuatis esse in uno loco. Adhæc cum corpus domini uelitis uno tempore esse in multis locis, quæ tandem tanta religio uos prohibet, quò minus patiamini, duo corpora esse simul in uno loco? Quamuis ergo uera sint uerba Ambrosij, tamen illa duo argumenta tua, Inconstanti, ex illis nec uerè, nec rectè colliguntur.

„ Quod autem ais, necessariam esse transubstantiationem, ut ueritas mysterij
„ prædicetur, & ridiculum, & falsum est. Veritas enim mysterij in Eucharistia
etiam sine portentis constare potest. Imò è diuerso potius adhibita ista uestra
„ transubstantiatione, & perfectio, & ueritas sacramenti extinguitur. Confite-
„ tur quidem, contumeliam irrogatam symbolis redundare in rem ipsam significa-
„ tam: id tamen negat simpliciter, & absolutè fieri, sed gradu tantum, inquit, re-
„ motiori: ne par sit pœna uiolantium symbola, & ipsam indignè tractantium sub-
„ stantiam corporis Christi. Nam pro qualitate criminis adhiberi oportere plaga-
„ rum modum. Equidem uidere non possum, quo iure licuerit Inconstantio, hu-
iusmodi sibi gradus confingere. Nam si corpus Christi, ut ille uult, adest substantialiter sub accidentibus panis, necesse est, ut eodem modo peccetur in symbola, quo in corpus Christi: & si symbola tractentur indignè, ut corpus Christi afficiatur eadẽ iniuria. Deus enim, non tam quid agatur, quàm cor, atq; animum, quo quidq; agitur, intuetur. Quare, qui opinantur, carnem Christi re ipsa præsentem esse, & coniunctam cum accidentibus, interim tamen symbola indignè tractant, fieri non potest, quin sua eos arguat, atq; accuset conscientia, quod ipsum Christi corpus affecerint contumelia. Neq; oportuit Inconstantium
„ ista subijcere: Et licet domino per seruum, patri per filium, marito per uxorem
„ fiat iniuria, non est tamen eadem, neq; tam atrox, quæ in nos per alios deriua-
„ tur, atq; est ea, quæ nos proximè, atq; immediatè attingit. Sed fortasis hæc dicet
se loqui

se loqui, non ex sua, sed ex nostra sententia: nempe, si esset, quemadmodum dicimus, ut à symbolis corpus Christi abesset, oportere tamẽ istos gradus constitue re. Sed esto, quid tandẽ nouit, aut quàm pro certo potest nobis affirmare, deum uelle eodẽ pariq; supplicij genere & gradu punire illos, qui indignè accedunt ad Eucharistiam, quo illos, qui Christum ipsum ex malitia affixerunt ad crucem? Vtroq; rectè dicimus reos corporis, & sanguinis domini: de paritate uerò supplicij nihil scimus. Nam quidam ex patribus non dubitarunt dicere, illos grauius peccare, & durius tractandos esse, qui Christo iniuriam adferunt in Eucharistia, quàm illos, qui eum in terris occiderunt: quòd eius tum maiestas abscondita fuerit, & uelata carne, atq; ita humana iudicia fefellerit: nunc autem regnet, & resplẽdeat in cœlis. Hæc ego non ignoro: imò hoc etiam scio, cum uos corpus Christi mysticũ prematis, & crudelissimè uexetis in terris, Christum ipsum à uobis peti, & crudelissimè trucidari. Clamauit enim de cœlis: Saule, Saule, quid me persequeris? Sed aliter, inquis, patitur in corpore naturali. Fateor, Sed utri grauius peccauerunt? illine, qui Christum ipsum crucifixerunt: an uos, qui tot eius Martyres, hoc est uiua ipsius membra, hodiè nefariè ustulatis, mergitis, & omni supplicíorum, & tormentorum genere extinguitis, atq; etiam sepultos effoditis, & in mortuos desæuitis?

Redundat, inquis, in Christum ipsum contumelia, quoties ministri, & doctores uerbi spernuntur, quoties sacra uerba, uel non retinentur, uel negligenter audiuntur: non tamen legimus ita uindicatum in eos, ut quia beneficium Christi neglectum fuerit, ita aliquis dictus sit reus corporis & sanguinis domini, ut propter hoc infirmi fuerint multi, & dormierint multi. Huius hominis, & mens & memoria ita prorsus cæcata est odio, & malitia, ut non meminerit & morbis, & immatura ac fœda morte uindicatum aliquando fuisse in eos, qui indignè tractarint diuina symbola. Atqui ego memini, Palęstinos grauissima plaga percussos fuisse à domino, qui tantùm arcam fœderis, quæ nihil aliud erat quàm typus, & signum Christi, captiuam abduxissent, eamq; in templo sui Dagonis collocassent. Memini etiam, multos ex Bethsamensibus à domino percussos interijsse, quòd eandem Arcam curiosè intueri, & parùm religiosè scrutari uoluissent. Memini etiam dominum in Leuitico comminari mortem animæ illi, quę carnes sanctificatas cum immunditia comedisset. Memini Nadabum, atq; Abiam propter ignem altaris non ritè, nec ad præscriptum domini inductum, combustos misere perijsse. Memini eos, qui monita prophetarum contempsissent, non tantum anima, sed etiam sæpè corpore interijsse. Memini, illum, qui Elizæo prædicenti futuram annonæ copiam non crediderat, in ipsa porta fuisse conculcatum. Memini, Heliodorum, quòd symbolum indignè habuisset, & contempsisset, à domino fuisse flagellatum. Et quid multa? Me sanè piget, pudetq; de re manifestissima tam multa colligere. Cum itaq; iste talia exempla legi, aut uspiam extare neget, his admonitus necesse est, ut aut Veterum sacramenta inficietur fuisse symbola Christi, aut fateatur ob ea indigne tractata multos infirmos fuisse, & dormisse multos. Et certè iste etsi alia omnia obliuioni tradidisset, tamen seipsum saltem audire debuisset. Ipse enim cõmemorat dictum illud Christi: Qui uos audit, me audit: &, Qui uos spernit, me spernit: quodq; Paulus scribit, Iram dei reuelatam fuisse de cœlo in eos, qui ueritatẽ dei in iniustitia detinerent. Eosq;, qui uelient iterare Baptismũ, uideri iterum uelle crucifigere filiũ dei. Nã, si diuinæ literæ ista cõminantur illis, qui Verbum dei, & sacramenta contẽnunt, quid iste cauillatur in re perspicua? Aut quid ex illis pœnis, quas Paulus scribit impendere indignè communicantibus, colligit prętentiam corporis Christi in Eucharistia? Neq; enim propter similia, atq; eadẽ supplicia corpus Christi aut olim in ueterũ

Palæstini percussi propter typum indignè tractatum.

Alia exempla, quæ eodẽ spectant.

ſacramentis fuiſſe, aut nũc in uerbo dei realiter & corporaliter eſſe, neceſſe eſt.

Verum iſte fortaſſe hoc fuco inducet, & ornabit commentum ſuum, quòd de nullo illorum omnium, quos ego commemoraui, ſcriptum ſit, Reus erit corporis & ſanguinis domini. Sed meminiſſe debet, ſe locum illum ex epiſtola ad Hebræos, non ita citaſſe, ut habet re uera, ſed illum pro ſua libidine deprauaſſe. Vbi enim in ſexto capite ita ſcribitur: Etenim fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintq; bonum dei uerbũ, & uirtutes futuri ſæculi, ſi prolabantur, denuò renouentur per pœnitentiam, ab integro crucifigentes ſibimetipſis filium dei. Quid, obſecro, eſt reos eſſe corporis & ſanguinis domini, ſi hoc non eſt? Qui ſibi denuò crucifigit filium dei, quomodò non eſt reus corporis, & ſanguinis Chriſti? Id autem Apoſtolus pronuntiauit de illis, qui guſtauiſſent bonum dei uerbum, illudq; non dignè, nec ut oportuit, recepiſſent: poſteà enim prolapſi ſunt in ſcelera, non minus, quàm ſi illud nũquam audiuiſſent. Etſi autem multi ex interpretibus locum illum intelligant de repetitione Baptiſmatis, tamẽ id ex ipſo textu non poteſt ſatis manifeſtè colligi. Sed ea de re ego hoc loco non contendo. Hoc tantùm affirmo, denuò crucifigere filium dei, non eſſe minus, quàm eſſe reos corporis & ſanguinis domini. Hæc haud dubiè funditus euertũt ea, quæ Inconſtantius noſter malè colligit.

Iam uerò uideamus, quid addat: Indigne, inquit, comedenti panem, qui nihil
" aliud eſſet, quàm uiſibile uerbũ, & tantum ſignificaret, proponi pœnã corporis,
" & animæ, & in lege noua, quæ eſt fauoris, & gratiæ, nõ eſt cæteris eius partibus
" conſentaneũ. Externa ſymbola, quæ tantùm ſignificant, ſi manducentur, & tractentur indignè, noſtro Sophiſta iudice, nõ poſsũt ad ferre mortem. Atqui ſacra ſcriptura, cui maior fides habẽda eſt, quàm Inconſtantio, diſceptatrice & iudice, ea ita habita, & faciunt homines mortis reos, & mortem adferunt: quemadmodum iam de ſacrificijs ueteris Teſtamẽti, & de arca fœderis oſtendimus. Iſta, inquit, fateor, accidiſſe in ueteri Teſtamento: in lege autem gratiæ, hoc eſt, in nouo Teſtamento non ſunt conſentanea. Quid ego audio? Nonne etiam Apoſtolico tempore mendacium Ananiæ & Saphiræ mortem attulit mentientibus? At certè, qui ingerunt ſe in cœtum fidelium, & accedunt ad Sacram menſam, & fingunt ſe credere ea quæ re uera non credunt, non minus, aut leuius mentiuntur ſpiritui ſancto, quàm Ananias & Saphira, qui cum dixiſſent, ſe totum agri pretium attuliſſe, partem ſibi aliquã ſepoſuerant. Neq; uero ea de cauſa Euangeliũ appellatur lex gratiæ, quod à malefícis remouerit ſupplicia capitalia. Imò Paulus in priori epiſtola ad Corinthios monet fideles ſui temporis, ut meminerint, ſi donis dei & ſacramentis abutantur, ſe non minus daturos pœnas, quàm olim ueteres dederint in deſerto. Hæc, inquit, illis in figura contigerunt: propter nos autem ſcripta ſunt, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Si huiuſmodi ſupplicia, & pœnæ conſtare non poſsent cum Euangelio, & lege gratiæ, illa exẽpla Pauli facilè poſsent infirmari: liceret enim illi ita reſpõderi, Quorſum tandem tu iſta tã antiqua cõmemoras? Nihil enim eſt, cur nos in Euangelio, & in lege gratiæ ſupplicia tam atrocia extimeſcamus, etſi noſtris ſymbolis & ſacramentis contumelioſius abutamur. Inconſtantio enim iudice, Euangelium eſt lex fauoris, & gratiæ. Fortaſſe dicet, fateri ſe, etiã in lege gratiæ exiſtere poſſe pœnam mortis, idq; tam animi, quàm corporis: non tamẽ ſi ſymbolum, aut ſacramentum, ſed ſi ipſum corpus Chriſti indignè, & contumelioſè comedatur. Hic ego reſpõdeo, nos nõ ſtatuere ſymbola nuda, & inania, utq; iſte ſemper cõuitiatur, tãtùm ſigna, & uulgares, neſcio quas, notas. Deinde hoc etiam quæro ab Inconſtantio, quis animo ficto, & ſine fide accedat ad Baptiſmũ, quodq; fieri poteſt, nihil aliud quærat, quàm ut derideat, & contẽnat ſacramentũ, an illũ putet reũ eſſe mortis?

In nouo Teſtamento Ananias et Saphira mortẽ ſunt puniti.

Qui ſine fide communicant, & indignè, mẽtiuntur.

Euangeliũ pœnas à maleficis non aufert.

Videa

Videat diligenter, quid respondeat. Nam si fateatur, cum aqua illa tantùm sit aqua (ut isti solent symbola mysteriorum eleuare) neq; corpus Christi realiter & substantialiter præsens habeat, & tamẽ indignè utenti mortem adferat, Cur non idem etiam euenire potest in Eucharistia, ut, qui ea indignè utantur, rei sint mortis, etsi in ea corpus Christi non sit præsens? At si neget, statim opponet se illi Augustinus. Is enim contra Faustum li. 12. ca. 17. ita scribit: Præter Ecclesiæ societatem aqua Baptismi, quamuis eadem sit, non solùm non ualet ad salutem, sed ualet potius ad perniciem. Quid autem, quæso, est pernicies, nisi corporis, animiq; interitus? Vt enim id obiter admoneã, Pernicies dicta est à pernecando. Idẽ etiam Augustinus ca. 6. contra Fulgentium ita scribit: Sicut, qui manducat corpus domini, & bibit sanguinem domini indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: sic & qui accipit indignè Baptisma, iudicium accipit, non salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum Baptisma Christi accepit: sed quia bono bene non sunt usi, mali malè utendo deleti sunt. Augustinus ergo, & ueteres patres sic senserunt, illos qui sine fide, & animo ficto tinguntur, & sacro signo abutuntur, iudicium, hoc est, condemnationem sibi acquirere, illosq; ad mortem, & ad perniciem suam sacra symbola usurpare. Inconstantius ergo noster & frustra pugnat, & ineptè concludit: quòd Paulus indignè utentibus comminetur mortem, idcircò in Eucharistia adesse corpus Christi.

Augustinus.

Vnde dicatur Pernicies.

Augustinus.

Quòd uerò nos in Solutione adiecimus, illos, qui nõ prorsus destituãtur fide, quamuis uitijs aliquibus, & uitæ sordibus laborent, non tãtùm ore symbola externa sumere, sed etiam fide, quæ in illis adhuc utcunq; supereſt, recipere ipsum corpus Christi, illosq;, cũ ita sordeant, & minus expendant q̃ par sit, quid agãt, ad suum iudicium comedere, & bibere: ob ista, inquam, sic à nobis adiecta, Sophista noster ita incipit importune nobis & petulanter insultare: Nam si habẽt, inquit, ergo acceperunt. Paulus enim ad Corinthios ista duo coniunxit: Quid habes, inquiens, quod non accepisti? Et quomodò, inquit, accipiebant, qui laborabant infirmitatibus: in quibus non uigebat fides: cuius efficacia haberẽt secundum Sectarios? Nam indigni sunt isti, de quibus loquitur Paulus: quibus nõ audet Sectarius tribuere fidem. Sed dicit, eos non prorsus destitui fide, quod est, languere fidem, & modicã esse: unde fit, ut laborent infirmitatibus: & tamen secundũ Sectariũ, habent corpus Christi. A quo Sectario quæro, quod ille quære re solebat, Quo instrumento acceperunt? Orisne, an fide? De ore negabit, ut sectæ inseruiat. De fide non potest cõcedere: quia lãguet, & modica est, atq; adeò extrema linea hęret: unde est illud, Non penitus destitui fide. Hic tenetur Sectarius medius, nec se poterit expedire: quomodò habeant corpus Christi, quos dicit habere, nec tamẽ accepisse in sacramento. Quæso te, pie Lector, ut tecum diligenter cogites, quàm iste modestè nobiscum agat. Tam paucis enim uerbis me, aut nescio quem alium, quem putat esse mei similẽ, octies appellauit Sectarium. Ego uicissim possem eum & uerè, & secundum ipsius uirtutes, & merita, Schismaticum, Hæreticum, Perduellionẽ, à suo Papa cõdemnatum, regni sui, & patriæ proditorem appellare, & alijs huiusmodi meritissimis, & illo dignissimis titulis condecorare. Sed uolo potius pudori parcere: non illius quidẽ, quem iam olim absterſit, sed meo. Interea uerò pro nomine Christi nõ recuso appellari Sectarius. Memini enim, Religionẽ ipsam Christianã primis temporibus à Iudæis appellatam fuisse Sectã. Sic enim in Actis Apost. ca. 24. Tertullus loquitur contra Paulũ: Nacti sumus hunc uirum pestiferum, & concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & authorẽ sectæ Nazaræorum. Et Paulus ipse in eodem capite, Confiteor, inquit, quòd iuxta uiam, quam uocant hęresim, sic colo patrium deũ. Quare nos indignè ferre non debemus, si mancipium

Religio christiana diceba= tur à quibusdã Secta.

Antichriſti nos perpetuo appellet Sectarios. Nam Paulus poſteà ca. 26. nõ uere tur fateri, ſe uerſatum eſſe in Iudaiſmo ſecundum exquiſitiſsimã ſectam, ſeu hę reſim Phariſæorũ. Et ultimo capite Iudæi reſpõdent Paulo, cum ueniſſet Romã, De ſecta iſta notũ eſt nobis, ꝙ ubiq; illi cõtradicitur. Nos ergo appellari Secta rios, ab eo preſertim, qui omnibus Iudæis, & Tertullo ipſo ſit nequior, & crude lior, & ſanguinolẽtior, nõ poteſt nobis eſſe ignominioſum. Hæc mihi uiſum eſt ſemel aliquãdo reſpõdere ad illã uocẽ, in qua iſte uidetur ſibi tãtopere placuiſſe.

Iam ad obiectiones redeo. Qui nõ prorſus deſtituti ſint, & uacent fide, eos dicimus non tantùm ſymbola percipere, ſed etiã habere corpus Chriſti. Sed, ſi habent, inquit iſte, acceperunt. Quid ni? Certè acceperũt. Non enim corpus Chriſti inſitũ eſt nobis à natura. At quomodò, inquit, acceperunt, cũ fide non uigeãt? Reſpõdeo, Etſi fides in illis nõ ita uigeat, ut prorſus omnes ſordes potuerit eluere, ineſt tamen in illis, atq; ita ineſt, ut ſatis ſit ad apprehendendũ Chriſtum pro ipſis in crucem traditũ. Nam quòd ais, nos nõ audere tribuere illis qualemcunq; fidem, mendaciũ eſt. Cũ enim dicimus, eos non prorſus eſſe deſtitutos fide, cũq; illam dicimus languere, & infirmã eſſe, profectò non obſcurè eam aliquam eſſe ſignificamus. Sed uelim, ut mihi iſte reſpõdeat, an cũ ipſe, ut fit, infirmus interdũ ſit, & lãgueat, hominem ſe eſſe putet, & aliquã humanam actionem poſſe edere? Quod ſi fatetur, quid ambigit, fidem, quãuis infirma ſit, & lãgueat, tamen eſſe fidem, & poſſe aliquid, quod ex uerbo dei offeratur, apprehendere? Quod ergo ex me quærit, quónã inſtrumento homines infirmi, ac debiles acceperint corpus Chriſti, Oriſne, an fidei? De ore nego: nõ ut ſectę, quemadmodũ ille calũniatur, ſed ut ueritati inſeruiã: de fide uerò cõfiteor. Sed ea, inquit, lãguida eſt, & modica. Quid tũ poſteà? Etiã corporis os, quãuis infirmũ, & ulceratũ, tamen cibum capit. Quòd ſi probari poſſet, fidem nullo modo cõſiſtere poſſe cũ aliquo peccato, uiciſſet Incõſtantius: ego medius tenerer, ut ille iactat, & manus darem. Non hic loquimur de hominibus ſceleratis, & perditis, ſed de infirmis, qui tãtũ quibuſdam uitijs cõtaminentur. Iſti enim etſi nõ operã dederunt mũdandæ cõſcientiæ, ut oportuit, tamen cũ ſumunt ſacramentũ, unà etiã ſpiritualiter, & per illã fidem, quam habent, recipiũt corpus domini: & ſuæ negligentię dabunt pœnas: nõ quidem æternas, ſed ut aliquo tẽporario ſupplicio caſtigentur, & reuocẽtur ad pœnitentiã: ne cum hoc mũdo dãnentur. Ita Paulus Corinthios negligentes minatur eſſe puniendos, & alios ex illis iam infirmios factos dicit, alios etiam dormire, morte, uidelicet, temporaria: nõ autem æterna. Illa enim mors poteſtatem nõ habet in eos, qui prædiți ſint uera fide: quantũuis ea ſit infirma. Egóne hic medius teneor, Lector, an Incõſtantius? Mea quidem explicata, & aperta ſunt, & ſacris literis cõfirmata. Neq; aduerſus me facit illud argumentũ, quo ego aliquãdo uſus ſum contra eos, qui dicerent impios homines, & ſceleratos, & omninò omni fide carentes, tamen in Euchariſtia accipere corpus domini: quòd illi id fide non poſſint percipere, cum fide ſint funditus deſtituti: illud autem dicere corporis ore ſumi, cum corpus Chriſti ſenſu non percipiatur, abſurdum ſit. Hoc argumentum ita illos oppugnat, & uerberat, ut nulla ex parte contra me faciat. Ego enim hoc loco de illis diſputo, qui aliqua fide ſint prædiți: quamuis ea, ut dixi, infirma ſit, & langueat. Argumentum autem illud inſtitui de ijs, qui prorſus careant omni fide, & ficto tantùm animo uſurpent Euchariſtiam.

„ Deinde expoſtulat mecum, quòd ego me conferã ad indignitatem cõſequen
„ tem: quaſi uerò ego de illis loquar, qui guſtata ſuauitate domini poſteà immer-
„ gunt ſeſe in cœnum uitiorum, & ſcelerum: uidelicet, quòd non imitentur illum
„ quem acceperint. Nam hæc indignitas, quæ in multis cõtingit, nõ excludit prio
„ rem. Equidẽ neſcio, an iſte ſit ſatis cõpos mentis. Ego enim in tota mea reſpon-

ſione

sione de indignitate, quæ posteà consequeretur, ne unum quidem uerbum feci. De illis tantùm dixi, qui præditi qualicunq; fide, qua uerè credant, Christum pro sese esse mortuũ, eaq; fide corpus eius in Eucharistia spiritualiter recipiant, non tamen id, quod credunt, uita, & moribus exprimant. Hic nulla mentio fit de illis rebus, quæ post communionem consequantur. Iste tamen hæc omnia sibi fingit: pergitq; ut solet, non contra nostra dogmata, sed contra suas fictiones, & umbras disputare. De ἀθέοις uerò, & Epicureis ait, Ecclesiã idem fateri, quod nos asseri-
mus: idq; se alibi dixisse. Verùm hoc ipsum ego alibi ostendi esse peculiarem hę-
resim Incõstantij. Omnes enim Scholę Papatus habẽt pro certissimo dogmate, & impios homines, & Epicureos, & hypocritas, quãuis nihil credãt de Christo, aut deo, sed nostram religionẽ potius contẽnant, & rideant, tamen cum se adiun gant ad cœtum hominum piorum, & unà cõmunicent, recipere non tantùm spe cies externas, & accidentia, sed etiã sub illis delitescens corpus Christi. Vnde au tem iste noster singularẽ istam doctrinã hauserit, ipse uiderit. Et certè, cũ transub-
stantiationẽ suam, & realẽ substãtialemq; præsentiã tam strenuè propugnet, quî tandem potest ἀθέους, & Epicureos à corpore domini prohibere? Hoc etiam nos in responsione nostra annotauimus, Paulum cum agat de institutione, & admi-
nistratione sacramẽti, elementũ illud externum disertè appellare panem: posteà tamen, cum uelit uitiũ Corinthiorũ, & rei indignitatẽ exaggerare, illum eũdem panem appellare corpus Christi. Hoc quidem documentũ nostrum Sophista-
noster cõprobat: sed ita, ut nomine Panis, tropicè intelligi uelit cibum uerè cœle-
stem. Sed quoniam suprà fusè, & copiosè docuimus, in Eucharistia uerè manere substantiam panis, ut otiosum sit, & non necessarium quicquam hoc loco uelle repetere: hoc tantùm dicam in præsentia, istos, cum alioqui esse soleant iniquissi-
mi omnium troporum aduersarij, tamen, si quid à tropis possint præsidij petere, nunquam illis satis expleri posse. Mitto uerò, quàm insolenter triumphet in calce, quasi parta iam uictoria, suos & transubstantiationem, & realem præsen-
tiam rectè, atq; ordine concludere ex eo, quòd Paulus dicat, eos, qui accedant in-
dignè, reos esse corporis & sanguinis domini. Hæc enim ratio quàm infirma, & inepta sit, facilè quiuis ex ijs, quæ iam diximus, uidere potest.

ARGVMENTVM GARDINERI.

QVAE *sunt disparata, hoc est, natura & specie discreta, nullo modo possunt de se mu tuò prædicari, ut lapis, & homo. Ergo cum certum sit, hoc, quod Christus dedit in cœ-
na, esse corpus Christi, necessarium est, non esse panem: & sic per consequens, non adesse substantiam panis.*

SOLVTIO.

FATEMVR, disparata non posse de se mutuò prædicari idẽticè, ut loquuntur Scholastici, cũ utraq; sumantur propriè. At si prę dicatum intelligatur analogicè, per significationem potest rectè de altero prædicari. Vt, quod Christus dixit, Semen est uerbum dei, id est, significat uerbum dei. Atq; ita uera est propositio, Hoc est corpus meum: quæ alioqui esset falsa.

GARDINERVS.

ARGVMENTVM *Catholicorum Lutheranos petit Consubstantiatores, qui uocantur: qui substantiam corporis Christi adesse fatentur, & uera præsentia substantialiter, ut ipsi loquun-*

tur, etiam & corporaliter, in hoc cum Catholicis ſummè conſentientes: ſed contendunt, ſimul adeſſe ſubſtantiam panis.

MARTYR.

„ INconſtantius fingit, hoc argumento peti maximè Lutheranos, qui corpus
„ Chriſti in Euchariſtia unà conſtare uelint cum ſubſtantia panis, & duas iſtas
„ naturas uerè præſentes adeſſe contendant: ut uerba illa Chriſti, Hoc eſt corpus
„ meum, omnino exponere non poſsint ſine tropo. Illud enim, Hoc, intelligunt de
„ pane, quem Chriſtus indicarit: & ita exponunt, In hoc, uel cum hoc, eſt corpus
„ meum. Itaq; addit Lutheranos in conuentu Bernenſi, quòd nollent Sacramenta
„ rijs uicisſim permittere tropum ſuum, ab illis fuiſse exploſos: & Zuinglium,
„ atq; Oecolampadium in eo maximè ſolitos ridere Lutherum, quod uerba Chri-
„ ſti ſic exponeret, Hic panis eſt hoc corpus: quòd diſparata non poſsint de ſe mu-
„ tuò prædicari. Poſt hanc narrationem Inconſtantius addit, ſuos uſus eſſe hoc ar-
„ gumento ex interpretatione Lutheranorum, non autem quaſi ſumpto ex uer-
„ bis Chriſti, ac ſi ipſi ſentirent, Chriſtum ita dixiſſe. Voluerunt ergo, uidelicet, ſo
„ dales illi Inconſtantij oſtendere, quantum abſurdi ſequeretur ex interpretatio-
ne Lutheranorum. Non latet me, pie lector, controuerſia illa diriſsimis auſpi-
cijs inter nos excitata & Lutheranos, cum eam deplorem quotidie, ac lachry-
mis & ſingultibus aſsiduis proſequar. Quare hiſtoriam iſtam miſſam facio, ut
quam ſine gemitu nõ poſsim attingere. Quod autem iſte garrit, ſuos illos, ne-
ſcio quos, excogitaſſe hoc argumentum tantùm contra Lutheranos, improbum
Scholaſtici. & impudens mendacium eſt. Scholaſtici enim uſi ſunt hoc argumento multò
antequam Lutherus naſceretur. Si mihi non credis, illos ipſos lege in quartum
librum Sententiarũ. Et ſanè in eo diluendo etſi ſudent egregiè, tamen non om-
nes ſeſe expediunt eodem modo. Deinde ſi Zuingliani iſtud argumentum
obiecerunt Lutheranis, qua fronte dicit iſte, inuentum illud fuiſſe Catholicorũ:
niſi forte, quod etiam ueriſsimè ſentiret & diceret, Zuinglium & Oecolampa-
dium habeat pro Catholicis. Res autem ipſa ſic habet. Viderunt noſtri, diſpara-
ta non poſſe de ſe mutuò propriè prædicari: eoq; nomine Lutheranos, qui in id
impegiſſent, iure ac meritò reprehenderunt: oſtenſo enim pane dicebant, Hoc
eſt corpus meum. Viderũt etiam Scholaſticos primos mouiſſe hanc quæſtionẽ,
& ex ea non ſatis fœliciter enataſſe. Itaq; illi ſapienter, & piè uerba illa domini
ad analogicam, & ſacramentalem, & metaphoricam prædicationẽ traduxerunt.

„ Hic nunc ſophiſta nobis obijcit: diſparata non poſſe de ſe mutuò prædicari,
„ nec tamen idcircò, inquit, recipimus prædicationem analogicam. Cur ita? Quia
„ inquit, illa propoſitio, Hoc eſt corpus meum, non conſtat duobus terminis di-
„ ſparatis. Quoniam pronomen Hoc in ſubiecto nõ eſt naturæ termini diſparati.
„ Qua de re, inquit, alibi dictum eſt fuſius: & ideò illa propoſitio non eſt ſimilis
„ huic propoſitioni, Semen eſt uerbum dei. Arbitror te, Lector, ſatis iamdudum
intelligere, quid iſte de pronomine illo Hoc, nugari uelit. Venditare, uidelicet,
tibi uult uagum illud ſuum, & nunquam hactenus uiſum indiuiduum. Sed illud
ſomnium nos ſuprà ex multis patrum clariſsimis ſentẽtijs refutauimus. Illi enim
apertè ſcribunt, Corpus Chriſti dici non de uago indiuiduo, ſed de fragmentis
panis, de creatura, quæ ſit ſecundum nos, de eo, quod ſit rotundæ figuræ, deq;
ea ſubſtantia, quæ conſtet ex multis granis. Mitto etiam, uerba ipſa ſacrarum ſcri
pturarum ineptias iſtas liquidò refellere. Quod cum Lutherani uiderent, ſeſe
uel ad ſynecdochen, uel ad metonymiam contulerunt. Id autem ego de illis Lu-
theranis dico, qui minus pertinaciter uelint agere. Sunt enim etiam inter illos
quidam ita craſsi, atque hebetes, ut in illis uerbis Chriſti omne genus troporum
prorſus reſpuant.

ARG.

ARGVMENTVM GARDINERI.

CHRISTVS *non temerè usus est uerbo substantiuo præsentis temporis, ut diceret, Hoc est corpus meum. Potuisset sanè dixisse, Hoc significat corpus meum, Hoc repræsentat corpus meum, Hoc est figura, uel signum corporis mei: aut, Hic panis est corpus meum. Quæ omnia cum euitarit, simpliciter accipiendum est dictum, ut ille protulit.*

SOLVTIO.

REGERIMVS in uos idem argumentum: Christus non dixit, sub illis accidentibus absq; subiecto corpus suum latitare, aut substantiam panis esse desinere, aut conuerti, aut transubstantiari in corpus suum. Nostræ autem illæ expositiones de significatione, de repręsentatione, quodq; dicimus, panem & uinum esse typos, antitypa, signa, & figuras corporis domini, sæpissimè inueniũtur apud patres. Nec ab illis ad mortem, ut uos cauillamini, sed ad ipsum corpus Christi referũtur. Deinde etiã ostendimus, uerbum illud Est, in sacris literis sæpissimè accipi pro Significat. Quare isti infirmiter concludunt, phrasim illam esse simpliciter accipiendam.

GARDINERVS.

INIQVE *regeritis hæc, quæ non eadem ratione reijciuntur à uobis, quomodò Ecclesia reijcit quæ uestra sunt.*

MARTYR.

QVare id, quod nobis Papistæ obijciunt, nõ possit à nobis in illos uicissim regeri, hanc adfert Inconstantius rationem: quòd ista nostra eximium sacramentum Eucharistiæ imminuant, & uerborum Christi sensum omnino immutent. Pulchrè uerò. An illud oportuit adferri pro ratione, de quo nos inter nos maximè altercamus? Meo iudicio, oportet rationem multò clariorem esse, quàm sit illud de quo ambigitur. In hoc omnis inter nos sita est controuersia, an tanta sit præstantia & dignitas Eucharistiæ, ut panis in illa esse desinat, & illi re ipsa substituatur corpus Christi. Hoc ipsum iste, si deo placet, tanquam confessum accipit, & ineptissimè petit principiũ ad nostram sententiam refutandam. Nam quòd ait, nostram expositionẽ imminuere uim sacramenti, ridiculũ est. Re enim uera nos constituimus, atq; ornamus sacramentum: Papistæ autem illud cum suis fictionibus & somnijs planè euertunt, & tollunt. Illi enim utranq; partem sacramenti labefactant: cum & panem & uinum prorsus auferant: & corpus Christi, quod illis symbolis significatur, in infinitis locis esse contendant, atq; ita ueritate humanæ naturæ prorsus exuant. Cum ergo isti nobis instãt, Christum nõ dixisse, Hoc significat corpus meum: nos illis iure optimo regerimus, ne ista quidem illum dixisse, Hoc transubstantiatur in corpus meum: aut, Accidentia hic sunt absq; subiecto: aut, Corpus meum est in multis locis: aut alia absurda pene infinita, quæ ex istorũ sentẽtia necessariò consequũtur, quæq; sanctũ Eucharistiæ mysteriũ non tantùm imminuunt, sed etiã lacerant, corrũpunt, & ad nihilũ redigunt. Miror autẽ, quid isti uenerit in mentem, dicere, absurdum esse, si in sacramẽtis plus uerbis & sono uocis significetur, quàm re ipsa fiat, ac præstetur.

Aduersarij uterq; partem sacramenti labefactant.

Neſcire enim non poteſt, paſsim dici, homines regenerari aqua Baptiſmi: cum aqua illa ſignũ tantùm ſit regenerationis: ſpiritus autẽ ſanctus ſit, qui regeneret.

„ Deinde addit, interpretationem illam ſuorum plurimum facere ad confirmã-
„ dam utranque naturam in Chriſto. Niſi enim homo eſſet, non haberet corpus:
„ & niſi deus eſſet, non poſſet, inquit, conſtare nobis ueritas uerborũ eius: quem-
„ admodum ait Irenæus. Quæ nam iſta ſit conſeruatio utriuſq; naturæ, quam iſte iactat, neminem puto poſſe intelligere. Humanam enim naturam Chriſti diffun dit: neq; eam humanam eſſe patitur. Noſtra autem ſententia nõ ſolùm agnoſcit diuinitatẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed etiam humanam eius naturam ueriſsi- mè defendit, corpusq; eius, ut ueri hominis corpus, affirmat certo aliquo loco cõ tineri. Deinde etiã Chriſtum habuiſſe ueram carnẽ, euidentiſsimè colligimus ex myſterio Euchariſtię. Nã quemadmodũ ait Chryſoſtomus, Niſi dominus uerũ corpus, & uerũ ſanguinem habuiſſet, cuiũsnam tandẽ rei eſſent hæc noſtra ſacra menta? Hoc autem ideò dicit, quòd illarum rerũ, quę nullæ, & nuſquã ſint, nulla eſſe poſsit uera ſignificatio. Deum autẽ fuiſſe Chriſtum, ita colligimus ab Eu- chariſtia, quòd dei tantùm ſit inſtituere ſacramenta, & carnẽ habere ita coniun- ctam, ut ea fide apprehenſa uiuificet. Sed quomodò putat iſte à ſe facere ſentẽ- tiam illã Irenæi? Is enim li. 4. ca. 34. ita ſcribit: Quomodò conſtabit eis, eũ panem in quo gratię actæ ſint, eſſe corpus domini, & calicẽ ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mũdi filium dicant, id eſt, Verbum, per quod, &c. His enim uerbis uidere potuit ſe bis grauiter feriri. Primùm enim ait, panem illum, in quo gratiæ actæ ſint, eſſe corpus domini: non enim adhuc natum erat uagum Inconſtantij indiuiduum. Deinde non affirmat Irenæus, diuinitatem Chriſti conſtare nobis aut propter tranſubſtantiationem, aut propter realem præſentiam: ſed quòd ille in inſtituendo ſacramento uſus ſit pane & uino, quæ ſunt creaturæ fabricatoris huius mundi. Neq; enim ueriſimile eſſe, illũ uoluiſſe uſurpare aliena, aut de ma li, & inimici dei creaturis, quod Valentiniani ſomniabant, pronuntiare, illas eſſe corpus, & ſanguinem ſuum. Hæc eſt ſententia genuina Irenæi, à me fideliſsimè ad ueritatem iam ſæpius explicata. Ea autem nec tranſubſtantiationem, nec rea- lem præſentiã quicquam promouet. Iſte autem moleſtus interpellator, cum ea- dem ſemper atq; eadem obijciat, cogit me interdũ pluſquã uelim eadẽ repetere.

Hoc ſacramentum oſtendit Chriſtum habuiſſe ueram carnem. Chryſoſtomus.

Teſtatur Euchariſtia diuinitatẽ Chriſti. Irenæus.

„ Huc Inconſtantius addit turpe mendaciũ: nos ea ſtatuere de Euchariſtia, quæ
„ Chriſtus, etſi nihil aliud fuiſſet, quàm purus, & merus homo, tamen facere, & di-
„ cere potuiſſet, prorſus ſine ulla ope diuinitatis: quaſi uerò nos dicamus, nudum,
„ & purum hominem poſſe inſtituere ſacramenta. Sed nemo noſtrũ hoc unquam dixit. Neq; enim eſt hominis, præſcribere inſtrumenta ſpiritui ſancto, quibus il- le efficax eſſe debeat. Nam quòd Chriſtus ita illuſtrem, & magnificam ſignifica- tionem imponere uoluerit pani & uino, ut ea fideliter apprehenſa communican tium animos paſceret ad ęternam uitam, hominisne id opus cenſeri debet, an po tius dei? Cur non aquæ etiã ſignificationem in Baptiſmo, cur non circunciſionẽ, cur non etiã ſacrificia ueterũ dicis proficiſci potuiſſe à puro, ac ſimplici homine?

„ Adhæc fatetur, uerbum illud Eſt, interdum accipi pro Significat: non tamen
„ eſſe eam ſatis iuſtam cauſam, cur hic quoq; eo modo ſumi debeat. Neq; nos In-
conſtanti, unquam id ſequuti ſumus, tanquam cauſam: ſed tantum ut omnes in- telligerent, non eſſe aut abſurdum, aut nouum, ſi hac quoque in re illud uerbum ad eam ſignificationem traducamus. Cur autem uerbum Eſt, in illa Chriſti ſen- tentia poſitum iudicemus pro Significat, perſuaſit nobis primùm natura ſacra- mentorum: deinde etiam ueritas uerborum domini: quæ conſtare omninò non poſſet, ſi illud uerbum propriè acciperetur.

„ Addit poſteà, coactum fuiſſe ſe, ut ea, quæ ſibi à nobis iniuſtè obiecta eſſent,

regereret,

regereret. Coactum autē se fuisse ipsis Christi uerbis: quæ, inquit, quatenus ue-
ram corporis præsentiam affirmant, & unum illud, Hoc, in una corporis Chri-
sti substantia declarant, consequentia quadam dicunt, non esse aliam ab illa sub-
stantiam, quæ sit panis. Dicit tantum ista Inconstantius: sed, ut solet, nihil pro-
bat. Et nos fortasse idcircò istis dictis possumus tantò liberius abrogare fidem.
Sed si tanta sit uis uerborum dei, cur ea non æquè accidentia tollit, atque sub-
stantiam? Si illa manere possunt, cur istam solam ita necesse est excludere? Chri-
stus, inquis, ita uoluit. Rectè. Sed quî tibi constat illa uoluntas Christi? Id nobis
communicatum oportuit, si nos uolebas tuis istis dictis credere. Si consecutio
ipsa hoc efficit, eam oportuit nobis dilucide patefieri. Quod tu, cū uel dedigne
tis facere, uel non possis, non uideo, cur nos urgere debeas, ut tibi credamus.
Ad extremum, fateris, in patrum scriptis extare uoces illas, typum, ἀντίτυπον,
figuram, signum, & alias consimiles, cum agatur de hoc sacramento: sed eas uo-
ces ita dicis ab illis esse usurpatas, ut à sensu catholicorū non discedāt. Idq; dicit,
à se alibi esse explicatū. Ego uerò respondeo, id esse à me alibi copiosè refutatū.

ARGVMENTVM GARDINERI.

CARO *Christi adoranda est in sacramento: ut Ambrosius, Augustinus, & alij sancti patres nos docent: Ergo caro Christi realiter ibi continetur.*

SOLVTIO.

IMO nos dicimus, dominum non esse ibi realiter, & corporaliter: & ideò non esse in Sacramento adorandum: uerum in oratione mentem non esse conuertendā ad symbola, sed ad Christum ipsum regnantem in cœlis.

GARDINERVS.

IMO, *quia in ueritate Catholica ab Ecclesia dissentitis, ex deo non estis: qui cum sitis abalienati, nihil refert, quid doceatis.*

MARTYR.

PRimùm hoc te admoneo, lector, responsionem istam, quæ huc adiecta est nostro nomine, ueram quidem esse, sed ualdè frigidè propositam, atque explicatam: idq; Sophistā istum de industria curasse, ut causa nostra iacere uidere tur: quasi nihil sit, quod satis commodè aut proponere possimus, aut respōdere. Nos enim disertis uerbis semper professi sumus, quemuis hominem fidelem in percipienda Eucharistia, non solum posse, sed etiam debere Christum ex fide adorare. Nam in sacra mensa & gratiæ agendæ Christo sunt, & preces adhibendæ de æterna uita, & condonatione peccatorum. Istæ autem actiones in uera adoratione continentur. Quemadmodum autem audita recitatione quorundam sacrorum uerborum adoramus deum, quamuis uerba ipsa, quæ ibi reciten-
tur, non adoremus: ita in sacra communione adoramus quidem Christum, etsi symbola illa externa, quæ ponuntur ante oculos, non adoremus.

Quæ pertineant ad adorationem.

Noster autem iste pro suo more, & ingenio confutationē suam orditur à conuitijs. Primū enim ait, nos à catholica ueritate discessisse, & à deo esse alienatos. Ego uerò uno uerbo respondeo, non posse uideri eos discessisse à ueritate catholica, qui non discesserint à uerbo dei. Quemadmodum autē coniungamur cum deo per Christū, eiusq; uerbū, ac spiritū, nihil attinet in præsentia cōmemorare.

„ Addit, nos adorationem uerbo quidem concedere, re autem uera illam tolle
„ re, &, cum uerba patrum negare non possimus, tamen sensui illorum fucum fa-
„ cere. Expectamus, Inconstanti, ut ista probentur: iniquum enim est, haberi nos
„ pro impostoribus, nisi rationibus conuincamur. Christus, inquis, semper re-
„ gnat in cœlis: ibiq; semper est adorandus. At Ambrosius dixit, nos adorare Chri
„ stum etiam in mysteriis: & Augustinus ab adoratione Christi elicit uerũ sensum
„ uerborum Dauidis. Hæc uidelicet est uis huius argumenti, si penitùs excutia-
„ tur. Adoratio Christi regnantis in cœlis perpetua est, & omnibus temporibus
„ communis: patres autem prouocant nos ad adorationem Christi etiam in myste
„ riis: ista ergo adoratio, qua Christum adoramus in mysteriis, non est eadem cum
„ ea, qua illum adoramus regnantem in cœlis. Hic nos respondemus, Christum
quidem in cœlis, ubi semper regnat cum patre, semper esse adorandum. Sed
quoniam ad hanc adorationem excitamur, & prouocamur, auditu, atq; admoni
tu sacrorum uerborũ, & perceptione sacramentorũ, idcirco patres nos ad illam
eandem maximè inuitant interim dum peraguntur sacra mysteria. Ibi enim &
uerbis, & symbolis uisibilibus excitamur ad Christũ ipsum, & agnoscendum, &
adorandum. Idq; cum facimus, quamuis ille reipsa sit in cœlis, tamen rectè dici-
mur eum adorare in mysteriis. Quòd autem seorsim dicit de Augustino, il-
lum ex adoratione Christi elicuisse ueram sententiam uerborum Dauidis, satis
prodit, se uerba Ambrosij per seipsum aut non legisse, aut non considerasse, sed
Ambrosius. Augustinus. ea tantũ ab operis suis accepisse. Ambrosius enim exponit uerba eiusdem Psal-
mi, eaq; eodem modo tractat, quo Augustinus. Nam illam expositionem Augu
stinus accepit ab Ambrosio. Quare nihil erat, cur Inconstantius hoc propriè tri-
bueret Augustino. Nisi fortasis in Augustino id peculiariter annotauit, quòd
ait, Nemo autem illam carnem mãducat, nisi prius adorauerit. Quæ uerba quàm
apertissime testantur, impios carnem domini non manducare, cũ eam adorare
nequeant, ut qui prorsus fide sint uacui. Ambrosius uerò li. 3. de Spiritu san-
„ cto, ca. 12. ita scribit: Adorate scabellum pedum eius: consideremus: Non enim
„ ex usu hominum æstimare debemus scabellum. Neque enim corporalis deus,
„ aut non immensus: ut tanquam fulchrum pedibus eius scabellum subiectum pu
„ temus. Neque adorandum quicquam præter deum legimus, quia scriptum est:
„ Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quomodò ergo aduersus le
„ gem propheta præciperet sub lege nutritus, & educatus in lege? Non mediocris
„ igitur quæstio: & ideò diligentius consideremus, quid sit Scabellum. Legimus
„ enim alibi, cœlum mihi thronus: terra autem scabellum pedum meorum. Sed
„ nec terra adoranda nobis: quia creatura est dei. Videamus tamen ne terram il-
„ lam adorandam dicat propheta, quam dominus Iesus in carnis assumptione su-
„ scepit. Itaq; per scabellum terra intelligitur: per terram autẽ caro Christi: quam
„ hodieq; in mysteriis adoramus: & quam Apostoli in domino Iesu adorarunt.
Hæc ego idcircò referre uolui, ut lector intelligeret, non oportuisse Incon-
stantium id peculiariter tribuere Augustino, quod anteà dictum fuisset ab Am-
brosio. Vt autem intelligamus, quid sit apud Ambrosium, carnem Christi ado
Quid sit adorare carnem Christi in mysterijs. rare in mysteriis, scire debemus, illud, in mysteriis, non ad carnem Christi refe-
rendum esse, quæ ibi realiter contineatur, sed ad nos potius, qui communica-
mus. Nos enim dum sumus in mysteriis, fide ac spiritu percipimus carnem
Christi pro nobis in mortem traditam, & sanguinem eius pro nobis effusum:
atque ea uenerabundi colimus, & adoramus. Adoramus etiam carnem Christi
in mysteriis, quòd ea sacramentali significatione fidei, & spiritui nostro in my-
steriis adoranda quodammodo offeratur. Nam ita rectè dicimur colere, atque
adorare deum in uerbis Apostolorum, & prophetarum: cum illum adoramus,

& coli,

& colimus, prout in illis sacris scriptis nobis ostēditur, & significatur. Huc allegat Inconstantius Emissenum: eumq; ait hortari accedentes ad altare, ut respiciant corpus dei sui. Non enim dicit, inquit iste, mentem conuertendam esse ad symbola, quasi in symbolis hæreat adoratio: sed quòd in ipsum corpus Christi, quod ibi est, dirigatur adoratio: quæ cœlum quoq; ipsum penetrat, quãdo in mysterio & in cœlo unus sit deus & homo Christus, ut uni & integro corpori Christi, una & integra adhibeatur adoratio. Quod ad Emissenum attinet, nos quoq; accedentes ad mensam sacram uniuersam illam actionem edendi panem, & bibendi uinum dirigimus in corpus Christi, quamuis illud non arbitremur ibi latere abditum sub accidentibus. Imò ne Emissenus quidem id dicit. Nos autem aduersarios nostros iure optimo reprehendimus, quòd adorationem suam dirigant in symbola, & sub illis carnem Christi latitare arbitrentur: ut illis nihil opus sit mente, atq; animo in cœlum penetrare, cum quod adorent, habeant ibi præsens sub accidentibus. Videat ergo Inconstantius, qua ratione dicat, adorationem suam penetrare in cœlum: illam, inquam, adorationem, quam uult adhiberi ad mysteria. Non enim satis est dixisse, idem Christi corpus & in cœlo esse, & in mysterio. Id eñ etsi falsum est, ut sæpè ostendimus, tamen, si daretur, mens Inconstantij, non posset simul, & eodē tempore & uersari in cœlo, & spectare id, quod putat in symbolis latere sub accidentibus. At idem, inquis, est corpus. Hoc prímùm falsum est. Et si esset idem, tamē adorationem tuam utrobiq; eandem esse, sophisticè, atq; ineptè concluderes. Ad hæc si corpus domini plenum est hic, ut tu dicis, & plenum in cœlo, euitari non potest, quin dicas, multos esse, & penè infinitos Christos.

Emissenus.

Post hęc omnia addit Inconstantius satis confidenter, nos cũ corporis Christi adorationem negligamus in sacramento, ne regnantē quidem in cœlis adorare posse in ueritate. Cõsidera, quæso te, prudēs lector, quàm hebes, & diluta sit ista connexio: Non credimus corpus Christi esse præsens in sacramento: ergo non possumus Christum adorare regnantē in cœlis. Hoc enim perinde est, ac si dicerés, Non creditis, Imperatorem præsentem esse in suo diplomate: ergo non potestis illum uenerari sedētem in throno suo. Et uel hinc facilè liquere potest, quàm iste splendidè mentiatur, nos in usu sacramentorum prorsus omnem adorationē contemnere. Quemadmodū enim ciues, & proceres Imperatorem ipsum uenerantur in purpura, aut in diplomate, quem tamē satis sciunt in illis rebus præsentem non contineri: ita nos in Eucharistia adoramus corpus & sanguinem domini: quæ tamen scimus, in ea realiter, & substantialiter non adesse.

ARGVMENTVM GARDINERI.

AVM *constet, corpus Christi adorandum esse in Eucharistia, si panis in sua substantia ibi maneret, is quoq; adoraretur.*

SOLVTIO.

CVR eadem ratione non summouetis etiam accidentia, ne illa quoque fortè adorentur? Si respondeatis, quòd nullus uelit adorare accidentia, id nihil est. Picturæ enim, quas adoratis in tēplis, sunt accidentia. Nam si homines uellent substātias ipsas lapidū adorare, haberent passim in plateis quod adorarent. Deinde rustici homines, & simplices nō possunt distinguere inter accidentia & substātias. Quòd si dicere ue

litis, uos non adorare picturas, sed ea quæ in illis repræsentantur: cur non idem conceditis de pane, si eius substantia remaneat in Eucharistia: illam, uidelicet, non adoratũ iri, sed ea, quæ in illa significantur. Deinde illi, qui fingunt, se tanto isto zelo commoueri, debebant etiam transubstantiare calicem, ne ille quoq; cum ostenditur, fortè adoretur.

GARDINERVS.

NON *ratione humana constituitur Eucharistiæ mysteriũ, sed uoluntate, atq; omnipotentia dei: cuius operationem qui, quatenus datur, notant, & piè expendunt, pro facultatis suæ modo, quod à deo fieri credunt illustrant illi quidem, non aliqua artis aut ingenij fiducia refingunt: ne ridiculè ab hoc obijciatur Catholicis rationis paritas.*

MARTYR.

„ HOc primùm Inconstantius sibi sumit, Transubstantiationẽ constitutã esse, „ non ratione humana, sed uoluntate atq; omnipotentia dei: eam aũt omnipo „ tentiam se, suosq; cum expenderent, & annotarent, pro suæ facultatis modo illu „ strasse, non artis, aut ingenij sui fiducia, sed ex eo, quod credant à deo fieri. Istæ impostura, etsi sint ineptæ, & perridiculę, tamen egregiè, & speciosè colorantur. Nam si Transubstantiatio ista uestra pendet à uoluntate dei, ubinam eã deus uobis reliquit consignatam? Hoc enim nisi potestis ostendere, non dei illa uoluntas erit, sed uestra. Deinde, si ornare, atq; illustrare uultis cõmentum uestrum, cur illud ipsum, quod affertis, adducitis tanquam rationem transubstantiationis: & rogati, cur substantia panis manere nõ possit, ita confidenter respondetis, ne creatura panis unà cum corpore Christi adoretur? Aut cur nobis non liceat uanã, & à uobis conflictam rationem simili ratione refutare? Quòd si uos inuentũ uestrũ certo aliquo, & euidenti testimonio sacrarũ literarum confirmaretis, flagitium esset, si quis auderet aduersari. Inane autem, & à uobis solis excogitatum, & penè puerile commentum, non tantùm possumus, sed etiam pro eo, quanti Christum, & eius Euangelium, & ueritatem facimus, debemus omnibus modis refellere.

„ Valdè aũt iniquum est, quòd ais, nos cum panem relinqui uelimus in Eucha „ ristia, occasionẽ dare idololatriæ: neq; fas esse, nos eadem incõmoda uobis obijce „ re: nihil enim falsi, aut absurdi uestrã sententiam consequi. Hęc inquam in nos à te torqueri, iniquũ est. Nos enim, etsi Christũ ipsum in percipiendo sacramẽto sa tęamur esse adorandũ, tamen nunquã aut sensimus, aut diximus, fas esse adorare „ sacramentũ. Sed clamas, nostrorũ argumentorũ non esse parem rationem, nec „ licere ullo modo regeri uobis, quod uos tã fidẽter obijcitis. Neq; enim satis rectè „ posse ad hũc modũ agi cum Astronomo: Cur tu nõ efficis, ut Saturnus, & Mars „ eadem celeritate incitentur? Perinde quasi idem sit effector operis, qui opus ab „ alio factũ contẽpletur. Equidẽ arbitror, uel puerũ hoc uidere posse, istud simile ad rem propositã non conuenire. Nam Astronomus eius rei, de qua hic fingitur interrogari, potest rationẽ reddere, idq; ex ipsa rerũ, de quibus agitur, natura. Et si prudens sit, & artẽ suã probè teneat, eam reddet, quæ in ipsum non possit retorqueri. Neq; hoc illi quicquã obstabit, quòd author nõ sit illorũ motuum. Etsi eũ illos non effecerit, tamen potest eos rectè atq; ordine contemplari. Tantundẽ nobis aliquando faciat Inconstantius, & Transubstantiationẽ suam, non ex rerũ natura, sed ex uerbo dei tueatur. Quòd si rationẽ nullam adferre possit, quæ eadem non queat in ipsum retorqueri, author illi ero ut taceat, potius quàm ut seipsum multa nugãdo faciat ridiculũ. Nam quòd ad Martẽ, & Saturnum attinet, haud dubiè maxima sequeretur perturbatio in rerum natura, si duo planetæ eadẽ celeritate

ritate mouerentur. Nihil aũt incõmodi, aut absurdi sequetur, si, ut accidentia, ita etiam substantiæ ipsę panis & uini in sacramento relinquãtur. Et quãuis Astrono mus effector non sit motuum illorũ cœlestiũ, tamen Transubstantiationis uestrę uos soli fabri, architecti, inuentores, authores estis. Quare indignè ferre non de= betis, si à uobis causa huius diuersitatis requiratur.

Pergit porrò: Et, q̃d Christi, inquit, consecratio efficit in Eucharistia ne panis substantia maneat ab igne substantiæ diuinæ absumpta, à nobis cõuenienter fieri notatur, quò audacius adoremus: ne, si panis maneret, adorare ẽ unà. Nos uerò, Inconstanti, Consecrationẽ Christi causam esse Transubstantiationis uestræ non credimus. Sed tu, quod erat tibi probandum, id quasi probatum, & confessum su mis: quodq; est in omni disputationis genere uitiosissimum, semper principium petis. Deinde qua, quæso te, solertia notatis, id conuenienter fieri, & uos liberè, & fidenter posse adorare, quòd iam substantia panis esse desierit: cum, ea etiam sublata, tamẽ uos adhuc uersemini in eodem periculo? Quid autem me oportuit de re tam perspicua tã diu disputare? Quod obiicimus de Transubstantiatione calicis, id ait tantùm esse scurrilem iocum. Sed est ita graue, & firmum argumen tum, ut ille, cum nullo modo possit se explicare, cogatur ad strophas, & uerborũ κρυπτόφυγετα, & perfugia se recipere.

Panem non esse, inquit, uel propter adorationem annotarunt pij bene esse. Hæc cum iste dicat, cur nobis non liceat piè, atq; utiliter interrogare, quid illud tandem ad adorationẽ conferat? Respondet, scilicet, ne unà adoretur creatura. Hic nos non scurriliter, ut iste cõuitiatur, sed iustè, & in loco quærimus, quid pa= nis magis in hac re peccarit, quàm aut calix, aut accidentia. Possemus etiam in= terrogare, cur & aërem non remoueant, qui negari non potest esse in poris illius tenuissimi crustuli, ne is quoq; fortasis adoretur. Si ista te interrogata ita grauí= ter pungunt, discede sodes, ex arena. Nam uel manus tibi dandæ sunt, uel ad ista est solidè respondendũ. Neq; uerò nos, ut tu dicis, deliberationem suscepimus de eo, quod mutari non possit. Hic em̃ error facilè posset uulgò eripi, nisi uestris fabulis & mendacijs sustineretur. Si Patres Transubstantiationem uestrã credí= derunt, cur tu ex illis omnibus locum unum non ostendis, ubi dixerint, idcircò auferri substantiam panis, quò nos tandem liberè, & audacter adoremus. Hanc rationẽ adorationis uestræ cur nemo ex omnibus Patribus indicauit? Dicis, hoc esse piè annotatum. Rectè. Sed à quibus? Dic, obsecro: authores enim tam utilis uel inuenti, uel argumenti nos celare, non est humanitatis tuæ. O egregia lumina, & columina Ecclesiæ, quę Inconstantium pudeat commemorare. Ve= rùm ea, inquit, quæ oculis uidentur, non sunt adoranda: sed ad ea, quæ per fidem intelliguntur, est penetrandum: quod etiam obtineret, si panis substantia mansis= set. Hoc si ita est, ergo substantia panis, etiamsi relinqueretur, nihil impediret adorationem. Eam autem cum & scripturæ testentur, & Patres confiteantur re= manere, quæ ista, malum, uestra est impudentia, ut eam ita temerè extrudatis?

Sequitur posteà alia strophа, eaq; non tantùm mendax, sed etiam inepta, & ridicula. Si crederemus, inquit, Christum sumpsisse naturam panis, ut Luthe= rani uidentur uelle, eumq; iam impanatùm esse, adoratio pani ipsi deberetur, quemadmodum carni Christi. Quod, inquit, absurdum ueritas Transubstantia= tionis abstulit. Hic ego, piè Lector, fidem tuam imploro. Quis unquam audi= uit aliquem Lutheranum dicere, Panem assumi à corpore Christi ad unitatem suppositi? Nunquam illorum quisquam, quod ego sciam, scripsit, aut sensit, cor= pus Christi sic coniungi cum pane, ut in Incarnatione domini diuinitas cum hu manitate coniuncta est. Neq; Christus, cum uersaretur inter homines, & coleret humanam uitam, ita sibi assumebat uestes suas, ut prorsus impannaretur, & esset

cum illis idem omninò ſuppoſitum. Nec tamen iſta dico, quòd mihi Lutherano rum cauſa in hac re placeat. Ipſi potius, ſi uidetur, defendant partes ſuas. Ad extremum, hoc mihi etiam libet quærere: Cum Papiſtæ adorari uelint imagines ſuas in omnibus templis, cur non eas etiam tranſubſtantient, ne uideantur ligna & lapides cum periculo idololatriæ adorare?

ARGVMENTVM GARDINERI.

SACRIFICIVM *Eccleſiæ incruentum, quod dominus inſtituit, continuè in memoriam paſſionis eius offerendum, eſt corpus eius & ſanguis: quod non poteſt offerri à miniſtro, niſi adſit realiter, ut offeratur: uel ſi non adſit, tum deſtituimur ſacrificio: & ſic religio noſtra periret.*

SOLVTIO.

HIC pro nobis ſatisfaciet Cyprianus: qui lib. 2. epiſt. 3. ad Cęcilium ita ſcribit: Paſsionem eſſe domini, quã offerimus. Nemo aũt tam cæcus, aut hebes eſt, ut putet paſsionẽ Chriſti in Euchariſtia pręſentem eſſe, idq; in manibus miniſtri. Res enim ea iam elapſa eſt: & eius tantùm memoria in myſterijs retinetur: deq; ea publicè aguntur gratiæ. Sed hoc totum, quod prætexunt in hoc argumento, commentum eſt, & inanis fictio. Fingunt enim, filium ipſum dei à ſacrificulo uerè, ac propriè immolari.

GARDINERVS.

MYSTERIA *Chriſti ſummis ueritatibus nituntur, & ſuas habent proprietates. Paſſionis Chriſti recolitur uera memoria in Eccleſiæ ſacrificio.*

MARTYR.

„ PAſsionis Chriſti recolitur, inquit, uera memoria in ſacrificio Eccleſiæ: atq; ita „ pro ſuo candore inuertit uerba Cypriani. Is enim ait, Eam eſſe paſsionem do „ mini, quam offerimus. Iſte aũt ait, eſſe quoddam Eccleſiæ ſacrificium, corpus ui „ delicet & ſanguinem domini, in quo paſsionis domini uera memoria recolatur. Non eñ putauit, uerba Cypriani cõſtare poſſe, niſi ipſe ea ſuis uerbis infarſiſſet. Sed addit, uerum Chriſti corpus, & uerum ſanguinẽ in myſterio præſentia exhiberi: idq; ſatis ex eo probatum putat, quod ueritas dixerit, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus. Quis huic argumento tam inepto et friuolo habeat fidem, pręſertim, qui intelligat cum Auguſtino, Chriſtum, ſi id ſpectes, quod tenebat in manibus, dediſſe Signum, cum Tertulliano dediſſe figuram, cum alijs Patribus dediſſe typum, & ſymbolum ſui corporis? Omninò neceſſe eſt, Inconſtanti, ut præſentia iſta ueſtra corruat, niſi firmioribus præſidijs fulciatur.

„ Iam uerò audiamus, quemadmodum ſeſe uendicet à mendacio. Chriſtus, in „ quit, dixit, Hoc facite in meam cõmemorationem. Qui ergo ex Chriſti mãdato, „ quod Chriſtus fecit, faciunt, factores ſunt ueri, nõ fictores falſi. Dominus iuſsit, ut hoc faceremus, hoc eſt, ut unà inter nos pane & calice cõmunicaremus in memoriam ſui. Nuſquam aũt dixit, Sacrificate corpus & ſanguinem meum. Quod ſi Edere, & Bibere, eſſet Sacrificare, hoc argumentum ſpeciem ſaltem aliquã habere poſſet. Cum aũt edendo, & bibendo iubeamur agere memoriam paſsionis Chriſti,

Christi, & gratias agere de eius corpore oblato in crucem nostra causa, & de eius sanguine pro nobis fuso, uideat Inconstantius, quomodò hinc uerum sacrificiũ, & propriam oblationem possit elicere. Queritur deinde, se, suosq; à nobis indigne traduci, quasi qui putẽt, se filium dei uerè, ac propriè immolare. Quatenus enim, inquit, uerum, ac propriũ est immolationis mactare, atq; occidere, nõ hoc docet Ecclesia: & nihilominus ueram, & propriã immolationem Ecclesia docet: quatenùs immolationẽ exequitur, quam Christus instituit mysterij propriã, hoc est, ad mysterij modũ: non quomodò uisibiliter, & sensibiliter in cruce factũ est: sed quomodò ad recordationem mortis ex Christi institutiõe celebrari iussa est. Tu hic, Lector, considera, quàm iste contraria dicat, et inter se pugnantia. Ferre non potest, si quis nostrũ dicat, Papistas existimare, se uerè, ac propriè immolare filium dei. Nihilò tamen minus dicit, Ecclesiam suã docere ueram, & propriam immolationem. Si Ecclesia uestra uerã, uti dicis, & propriam immolationem doceat, quid tandem nos tibi obijcimus, quod non ipse fatearis? Aut qua tandẽ nos te afficimus tam indigna iniuria? Nam uera, & propria immolatio necessariò cõcludit à Coniugatis, uerè, & propriè immolari. Deinde nónne uides, uerã, & propriam immolationem esse nõ posse sine mactatione? Si nescires Latinè, ignosci aliquo modo posset inscitiæ tuæ. Cum autem nescire nõ possis, quid uox illa, Immolare, propriè significet, cur ita loqui uelis, mirari quidem possum, uidere autem non possum. Nam Patres, & Synodus Nicena, etsi interdũ faciant mentionẽ immolationis, & sacrificij, tamen, cũ sese explicant, satis docent, se non esse loquutos propriè. Nam Chrysost. homil. 17. in epist. ad Hebr. ita scribit: Hoc sacrificium exẽplar est illius. Quòd si est exemplar, certè nòn est propriè sacrificiũ. Et addit: Hoc enim, inquit, facite in meam cõmemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed id ipsum semper facimus: magis autẽ recordationem sacrificij operamur. Aduerbiũ hoc loco illud, Magis, nihil aliud facit, quàm ut id, quod prius dictum fuerat, quodãmodò corrigat: & uocem illam, Sacrificij, à propria significatione ad impropriã reuocet. Inconstantius tamen noster, inuitis omnibus, omninò uult propriã, & ueram immolationem etiam sine mactatione retinere. Neq; quicquã moratur authoritatẽ suorum Patrum: cum alioquí nihil ferè aliud, quàm Patres, quamuis peruersissimè intellectos, crepare soleat. Quod si sacram cõmunionem uellet idcircò appellari sacrificium, quòd sit recordatio sacrificij olim à Christo oblati in cruce, facilè posset inter nos cõueniri. Atqui nihil illi potest esse satis, nisi constitutũ sit, esse in Eucharistia mõstrosam illam immolationẽ, quæ nõ sit memoria, sed, ut loquitur, ad memoriã sacrificij Christi: quodq; etiam est intolerabilius, ait, Christum ipsum hoc genus immolationis instituisse. Id si ita est, cur non aut in uerbis domini, aut in literis Apostolicis exstãt uspiam uerba illa, Immolatio, Oblatio, Sacrificium? Quæ tandem est ista importunitas, & audacia, uelle tanta de re dogma constituere sine uerbo dei?

Sed dominus, inquit, non occiditur in Eucharistia more aliarũ uictimarum: & tamẽ uerum peragitur ueri corporis, & ueri sanguinis sacrificium. Si sacrificium dicas gratiarũ actionem, & mortis domini cõmemorationem, satis inter nos consentimus. Sin aliud quippiam uultis, cur id, quid sit, liquidò nobis non ostenditis? Nos enim uestra ista ænigmata sine aliquo Oedipo non possumus intelligere. Peragitur, inquis, uerum sacrificium ueri corporis, & ueri sanguinis, propter exhibitionis sub illis speciebus ueritatẽ, peractæ semel passionis, & præteritæ renouans memoriã. Quid sibi istę ambages uolunt? Dic planè, & uno uerbo, qua nam in re uestrum istud sacrificium situm sit. In ipsãne corporis, & sanguinis domini præsentia, quam fingitis? At si daremus, ea ibi esse maximè præsentia, non tamen ex eo necessariò sequeretur iusta ratio sacrificij. Christus enim

cum adhuc uiueret, multis in locis præsens adfuit, ubi nullum erat sacrificiũ. An uerò in eo sitũ est sacrificiũ uestrum, quòd panẽ illum modò circumagitis, modò attollitis, modò deponitis: an potius, quòd illũ populo adorandũ ostenditis: an quòd editis, & bibitis? Ista aũt nemini sano uideri possunt sacrificia. Nihil ergo supereſt, nisi ut uos ad passionẽ Christi, quæ ibi proponitur, & propter memoriã quodãmodò renouatur, cõferatis. Atqui ista memoria, & renouatio nec propriè dici potest sacrificiũ, nec necessariò requirit præsentiã corporis & sanguinis dñi.

Cyprianus. Verùm ait, Cyprianũ illis uerbis, quę nos citauimus, significasse causam sacrificij: nimirũ, quantum ego intelligo, quòd sacrificiũ Cœnæ fiat in memoriã Passionis Christi. Sed iste sensus non potest cum eius uerbis conuenire. Dicit enim, eam, quã offerimus, esse Passionẽ domini. Dicere aũt debuisset, corpus & sanguinem dñi uerè, & propriè offerri in Cœna, ad eius passionem cõmemorandam. Cyprianus ergo non causam expresit sacrificij, ut iste nugatur, sed ipsam potius sacrificij substantiã. Sacrificium aũt significauit, nõ uerum, & propriũ, sed aliquo modo intellectũ: ita enim Paulus eleemosynas nostras, & mortificationẽ carnis appellauit sacrificia. Quòd aũt iste addit, mysticam Passionis imaginẽ in uero corpore & sanguine domini repræsentari, quis nõ intelligat manifestum cõmentum esse? Repetã enim hic, quod iam semel, atq; iterũ diximus, Passionẽ, & mortem Christi multis certã, & notã esse, qui de uestra ista præsentia uel dubitẽt, uel prorsus nihil unquã audierint. Quomodò ergo tandẽ res ignota & dubia, rẽ certam & cognitã repræsentabit? Neue id te prætereat, Lector, Inconstantiũ ipsum hoc loco usum esse uerbo illo, Repręsentare, in ea significatione, quã anteà oppugnauit. Suprà emẽ omninò contendit, Repręsentare, esse rem præsentẽ exhibere: neq; quicquã repræsentari, nisi quod sit re ipsa præsens. Hic aũt ait, repræsentari mortẽ, & passionem dñi, quæ certũ est præterijsse. Quod aũt Cyrillus, & alij Patres interdũ dicunt, corpus & sanguinem dñi, quæ offeruntur, esse incruentũ, & uiuificum sacrificiũ, id ego totum ad cõmemorationem ueri illius sacrificij, & ad gratiarũ actionem refero. Quòd si Inconstantius exploratum habeat Patres aliter sensisse, equidem ab illo libenter doceri uelim.

Cyprianus. Nam locus quem citat ex Cypriano, prorsus nihil contra nos facit. Is enim uel ipso referente Inconstãtio, ita scribit: Nos Resurrectionẽ domini manè celebramus: quia Passionis eius mentionẽ in sacrificijs omnibus facimus. Passio emẽ domini est sacrificiũ, quod offerimus. Nihil aliud, quàm quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotiescunq; ederitis panem istum, & calicẽ bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec ueniat. Quotiescunq; ergo calicem in cõmemorationem domini, & Passionem eius offerimus, id, quod constat dominum fecisse, faciamus. Hæc Cyprianus. Inconstantius aũt addit, Licet dicat, Passionem domini esse sacrificium, quod offerimus, sentire tamen se, res, quæ ad Passionis memoriam offerũtur, præsentes esse, significat, dum generaliter dicit, Omnia, quę Christus fecit, nos facere debere: & specialiter illis uerbis, Ergo quotiescunq; calicem in cõmemorationem domini, & Passionis eius offerimus, id, quod constat dominũ fecisse, faciamus. Passionis hic est mẽtio, & Passionis memoria: ut eius recolendę causa institutũ sit sacrificium. Sed corporis sui, & sanguinis ueram præsentiam fecit Christus: ut sacrificium Ecclesiæ secundum August. ex duobus constaret: uisibili elemẽtorum specie, & inuisibili domini corpore, & sanguine. In uerbis illis Cypriani nihil inueniri potest, quod nostrã sententiam labefactet. Bis enim inculcat, id, quod offertur, esse Passionẽ domini. Inconstantius aũt urget illa uerba, eaq; putat à se facere, Quod constat dominum fecisse, faciamus. Quasi uerò Cyprianus id spectarit, Christum fecisse uerã præsentiam sui corporis & sanguinis. Id autẽ ille non dicit; neq; si diceret, ad eius institutũ quicquam

quam faceret. Reprehendit enim eos, qui in myſterijs aqua tantùm uterentur, uinum autem ex inſtituto Chriſti non adhiberent. Quare cum conſtaret, Dominũ in cœna ſua uſum fuiſſe uino, hortatus eſt Cæcilium, ut idem faceret. Quòd autem ad oblationem attinet, quam Chriſtus in cœna fecerit, nihil aliud nobis occurrit, quàm præclara gratiarum actio de ſalute & redemptione noſtra, quæ iam iam eſſet perficienda in cruce.

Dictum uerò illud Auguſtini, ex ſententijs Proſperi huc allatum, poſſem facilè reijcere, & ad ipſum potius Auguſtinum me conferre. Nam iſta neſcio, nec quo pacto, nec à quibus, nec ex quibus authoribus ſint cõſarcinata. Sed ne quid de me Inconſtantius, aut alius quiſquam poſſit conqueri, hoc teſtimonium, qualecunque eſt, nolo repudiare. Sacramentum ergo, ſi illud totum, hoc eſt, & ſignum, & rem ſignificatam complectaris, conſtat ex duabus rebus, Corpore uidelicet & ſanguine Chriſti, & ſymbolis uiſibilibus, hoc eſt, pane & uino. Species enim illas non intellígo, ut iſti ineptè ſolent, accidentia ſine ſubiecto, ſed externa ſymbola, panem uidelicet & uinum. Caro autem & ſanguis domini in cœlo ſunt: &, quoniam à nobis non uidentur, idcircò rectè dicuntur inuiſibilia. Iſta uerò duo, rem, inquam, ipſam & ſymbola, nihil neceſſe eſt re ipſa & ſubſtantialiter & loco inter ſe copulari. Vtcp ad Cyprianum redeam, ſatis apparet, quo ille ſenſu dixerit, id nobis faciendum eſſe, quod Chriſtus fecit. Inconſtantius autem hoc nobis ad uiuum, & liquidò probare debuit, Chriſtum in cœna ſeipſum propriè ſacrificaſſe: id quod cum in toto iſto ſuo libro non fecerit, non debet indignè ferre, ſi nos eum id ne potuiſſe quidem facere, arbitremur. *Auguſtinus.*

ARGVMENTVM GARDINERI.

CVM diſputatur de hac mutatione panis in corpus Chriſti, ſancti patres eam perſuadent credendam ex immenſa potentia dei, quam per miracula oſtendunt. At ſi panis in ſubſtantia ſua maneat, Corpuſq; Chriſti non realiter fiat præſens, quorſum opus eſt omnipotentiam dei allegare?

SOLVTIO.

ARGVMENTVM eſt debile: quia nõ oſtendunt, deum hoc uoluiſſe, etiamſi nos eum id potuiſſe concedamus. Illud aũt erat in primis oſtendendum. Nam quod adducũt, Hoc eſt corpus meũ, cõtrouerſum eſt, & poteſt habere alium ſenſum. Patres autem rectè loquuntur: nam ad potentiam dei pertinet, panem & uinum mutare, ut ſint Sacramenta, quæ anteà non erant. Neque eſt opus naturæ, ut ea tam potenter & efficaciter ſignificent, offerant, & exhibeant corpus & ſanguinem domini animis noſtris apprehendendum, & fide. His etiam adde mutationem & conuerſionem noſtram in Chriſtum, quę perficitur, dum ritè communicamus. Hæc omnia uim naturæ longè ſuperant. In Baptiſmo quoque requiritur eadem dei omnipotẽtia. Non enim eſt opus naturæ, ut aqua fiat lauacrum regenerationis: nec tamen eſt neceſſe, ut aqua tranſubſtantietur.

GARDINERVS.

IMO *ex uerbis ſcripturæ oſtenditur, deum uoluiſſe: niſi enim ita uoluiſſet, non ita loqueretur, ut diceret, Hoc eſt corpus meum.*

MARTYR.

„ VOluiſſe deum, corpus Chriſti adeſſe in Euchariſtia, & panem tranſubſtan-
„ tiari, iſte noſter non alia ratione probat, quàm quòd Chriſtus dixerit, Hoc
„ eſt corpus meum. Hoc autem eſt actũ agere. Nam illa uerba poſſunt & uerè, & commodè aliter exponi: ut neceſſe non ſit urgere tam acriter τὸ ῥητὸν. Sed hoc
„ modo, inquit Inconſtantius, omnia loca ſacræ ſcripturæ reddentur ambigua, &
„ controuerſa. Minimè. Sunt enim ibi infinita loca, de quibus non poſſit ambigi. Et uerba ipſa Chriſti, quibus uſus eſt in inſtituendo myſterio, ominò noſtram in-
„ terpretationem exigunt. Hic uerò Inconſtãtius triumphat, &, neſcio quo con-
„ ſilio, recenſet Manichæos, qui uetus Teſtamentũ exploſerint, & ex nouo quo-
„ que, quod minus placebat, expunxerint: illos quoq; qui uel Euangelia, uel Epi-
„ ſtolas Pauli interpolarint, quíq; Epiſtolas Iacobi, Petri, Iudæ, Apocalypſim Io-
„ hannis aut reiecerint, aut certè de illis dubitauerint. Hæc omnia nihil ad nos pertinent. Canonicas enim ſcripturas nec reiícimus, nec corrumpimus: nec ſpiritum rectè iudicandi de ſcripturis in Eccleſia uigere dubitamus: etſi illũ ſpíritum nec mitris, nec galeris, nec cathedris alligatum eſſe iudicemus. Nec tamẽ ea cauſa dicimus ſcripturas minoris æſtimari debere, quàm Eccleſiam. Sunt enim ominò ſuperiores. Neque mirum cuiquam uideri debet, ſi nos uerba illa, Hoc eſt corpus meum, aliter, quàm prima fronte prę ſe ferant, intelligamus. Quoniam in diuinis literis aliæ multæ ſimiles loquutiones inueniuntur, quas nemo dubitet eodem modo eſſe exponendas. Cumq; nos in Solutione dicimus, illa uerba poſſe aliter intelligi, non loquimur de uiolenta uerborum contortione, & tyrannide, ſed de uera, & probabili, & genuina interpretatione: eamq; in hoc libro ſæpè, & multis rationibus probauimus. Non ergo ut iſte fingit, argumentamur à Poſſe ad Eſſe. Nam Poſſe in noſtra reſponſione eſt legitimè, iuſtè, ſumma cum probabilitate, imò etiam ex neceſſitate habere alium ſenſum. Quod autem, poſſe, diximus, ex modeſtia tãtùm diximus: ut ipſi poſſetis intelligere, quàm ineptè concluderetis rationem ex illis uerbis, quæ cum poſſent exponi diuerſis modis, à uobis ſine ratione in unam tantùm ſententiam traherentur. Hoc, mihi crede, Inconſtanti, eſt uiolenter agere, & tyrannicè.

Spiritus interpretandi ſcripturas, non alligatur cathedris & mitris.

„ Deinde addis, nos uelle omnipotentiam dei reuocare ad interpretationem
„ noſtram: quòd ſtatuamus, ui ulla naturæ non poſſe inſtitui Sacramenta. Hoc au-
„ tem nos fruſtrà dicere: neminem enim eſſe ita ſtupidum, qui quicquam fieri arbi-
„ tretur ſine potentia dei. In illo enim nos uiuere, moueri, & eſſe: & Paulum dice-
„ re, ſe omnia poſſe in deo, qui ſe corroboret: utq; à deo eſt omnis ſapientia, ita ab
„ eodem eſſe omnem potentiã. Rectè quidem iſta. Sed intelligere debuit Inconſtius, magnum diſcrimen eſſe inter opera dei, quæ naturalibus ab eo inſtrumentis, & rationibus perficiuntur, & ea, quæ tantùm eduntur eius ſpiritu, & ad eius regnum ſpirituale pertinent. Nihil horũ ſine dei potentia effici poteſt. Sed ad illa opera, quæ naturã uincunt, & ad hominis inſtaurationẽ faciunt, opus eſt potentia dei extraordinaria. Ita enim Dauid canit: Non fecit taliter omni nationi. Eoaũt in loco Propheta & Legem, quã deus Iſraelitis dederat, & peculiaria Sacramenta, quibus illos ornauerat, celebrauit. Si opus ſit omnipotentia dei, ut homo reuocetur à peccatis, utq; ornetur afflatu dei, & donis ſpiritus ſancti, & æterna fœlicitate cumuletur, quid abſurdi eſt, ſi dicamus eandem omnipotentiam adhiberi

beri oportere, ut Sacramenta, quæ ad hæc omnia ualent, inſtituantur, & reddantur efficacia? Si res iſta uulgaris eſt, Cur deus inſtituendorum myſteriorum authoritatem ſibi ſoli reſeruauit? aut cur eos damnauit, & uerbi ſui gladio confodit, qui ſe hominum inſtitutis et mandatis colere uoluerunt? Hic uidemus, opus eſſe potentia, quæ planè diuina ſit, quæq; longè ſit maior, & infinitis partibus efficacior, quàm ulla potentia naturalis. Hoc ſi Inconſtantius noſter aut nō uidet, aut non cogitat, non uideo, cur ſeſe debeat gerere, non dico pro Theologo, ſed omninò pro homine Chriſtiano.

Verùm, inquit, edocti ſumus à Chriſto petere quotidianum panem: & uno uocabulo panis omnis generis alimentum ſignificauit: nimirùm corporale cannis, & ſpirituale animæ. Et nemo patrum ita eum locum tractat, ut dei omnipotia dicat fieri, ut unum panis nomen tot & tāta nobis ſignificet: & ſignificet unà etiam ipſum Chriſti corpus. Vocabulo Panis in Oratione Dominica ſignificari ſpirituale alimentum, aut corpus Chriſti, non eſt perſpicuum. Imò Chryſoſtomus putat, ea uoce cibum corporis poſtulari: idq; uerba ipſa ſatis indicant. Ita enim dicimus, Da nobis hodiè: atque ita excludimus ſollicitudinem de craſtino. Illud enim tantùm petimus, quod poſſit eſſe ſatis in diem. Spiritualia autem dona, non in diem tantùm petimus, ſed in perpetuū. Verùm fingito, ita eſſe, ut Inconſtantius noſter uult. An idcircò iſta uerba diuinitus à Chriſto dicta, ut eſſent inſtrumenta ſpiritus ſancti, quibus animi orantiū inflammarentur ad recte & ordine petendum, humana aliqua potentia uidebuntur eſſe inſtituta? Si ita res habet, cur non orationi Socratis, quæ eſt apud Platonem, tantundem tribuis, quantum orationi Dominicæ? Is enim ex terrenis iſtis opibus id ſolum precatus eſt, quod eſſet ad uitam tuendam ſatis. Aut cur in eodem pretio nō habes carmen illud Satyrici poëtę: Orādum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano? Non agitur in ſacris Inconſtanti, de ſignificatione uocabulorum, quatenus ea impoſita eſt ab hominibus, ſed quatenus uoces quædam adhibitæ ſunt à deo, ad hominum affectus atque animos ui diuini ſpiritus immutandos. Nam alioquí dicat, Chriſtum, & Prophetas non alia dei potentia fuiſſe loquutos, quàm qua ordinarius mundi curſus regitur, & rerum natura gubernatur: & ſimul etiam fateatur, quemuis hominem pro ſuo arbitrio poſſe inſtituere Sacramenta. Chriſtus autem dixit, Verba ſua ſpiritum eſſe, & uitam: Paulus non dubitauit ſcribere, Sanctum Euangelium eſſe potentiam dei: & Petrus reſpondit Chriſto, Ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Tamen Inconſtantius noſter, putat uerba Orationis Dominicæ, & ſanctarum ſcripturarum uulgares tantùm eſſe uoces: nihil enim in illis eſſe ſpiritus, aut diuinæ potentiæ. Quod tamen ipſum ego nō ita aſſero, quaſi in literis ipſis, aut in ſonis, aut in ſyllabis aliquid diuini ſuperſtitioſè conſtituam. Nunc enim ita tantùm loquor de uerbis dei, ut illa ſcimus eſſe inſtrumenta ſingularia ſpiritus ſancti: quod etiam de pane & uino loquor, cum illa ſuſcipiunt rationem Sacramenti. Id Sophiſta noſter, cum olfaceret, Sed Sectarius, inquit, dicet, Panis hic ſit Sacramentū, & deus eſt author Sacramentorū. Fateor: & eodem authore, Panis erat Sacramentū in ore Prophetarum: cum à ſpiritu ſancto dicerent, Mittamus lignum in panem eius: Panis erat Sacramentum in oblatione Melchiſedech, id eſt, ſignum rei ſacræ per Chriſtum exhibendæ: & item in panibus propoſitionis: qui cum eſſent, nemo patrum miratus eſt, nouam addi pani ſignificationem. Et tamen ijdem iſti Figuratores dicunt, Veteres habuiſſe eadem Sacramenta quæ nos habemus. Hæc Inconſtantius. Sed ita omnia confudit, & permiſcuit, ut in eius oratione nihil ſit ordine collocatum. Cum dicit, Panem fuiſſe Sacramentum in ore Prophetarum, non loquitur, opinor, de ſubſtantia panis. Agit enim de uerbis Prophetarum: quæ haud dubiè non erant

Quid uocabulo Panis in oratione dominica ſignificetur.

Chryſoſtomus.

Preces Socratis.

Iuuenalis.

Quomodo uis aliqua intelligatur eſſe in uerbis diuinis.

ſigna uiſibilia. Quomodò ergo potuit iſte ea propriè appellare Sacramenta? Deinde in uerbis illis Hieremiæ ſatis craſſè hallucinatur: qui tamen eius error, ſi uixiſſet ante aliquot ſæcula, cum iam lumen omne Hebraicæ linguæ inter Chriſtianos propemodum extinctum eſſet, excuſari aliquo modo potuiſſet. Hodie uerò, cum illa lingua ubique penè floreat, extentq; tot uerſiones & commentaria, et tamen iſte uerba illa, Mittamus lignū in panem eius, omninò referri uelit ad Eucharíſtiam, non poteſt iam uideri ex inſcitia tantùm errare, ſed etiam ex malitia. Perſpicuum enim eſt, impios illos non deliberaſſe inter ſe de Sacramẽto Eucharíſtiæ, ſed de pane, aut cibo Prophetæ ueneno inficiendo, ut illum perderent. Inconſtantius ergo in iſtis tam paucis uerbis bis peccauit. Primùm, quoniã Sacramentum, quomodò nunc de illo loquimur, non uerbis tantum conſtat, ſed etiam ſignis uiſibilibus: deinde etiam, quòd id accommodaret ad Euchariſtiam, quod prorſus ad eam nihil faceret.

Deinde de oblatione Melchiſedechi philoſophatur longè extra oleas. Fingit enim illum obtuliſſe panes deo: quod certè in hiſtoria Geneſeos non legimus. Hoc enim tantùm ibi ſcribitur, illum exercitui Abrahami redeunti à prælio diſtribuiſſe panes. Et quamuis ea res per allegoriam aliquam potuerit, & Chriſtū, & ſpiritualem alimoniam ſignificare, tamen, cum illud factum à deo peculiariter inſtitutum in diuinis literis non inueniamus, non potuit rectè dici Sacramentum. Adhæc memini, Inconſtantium aliâs noluiſſe ullo modo dare, Sacramenta Veterum fuiſſe nouorum Sacramentorum ſigna: quod tamen nunc nobis uel nolentibus obtrudit.

De panibus autem propoſitionis prorſus arbitror iſtum non intelligere, quid ſcribat. Ait, neminem ex omnibus patribus unquam miratum eſſe, nouam illis additam fuiſſe ſignificationem. Imò panes illi in tanta fuerunt ueneratione, ut, cum anteà fuiſſent omnibus conſpicui, & ad omnium uſus communes poſſent accommodari, poſtquam ſemel poſiti eſſent in Sacra menſa, ſtarent tantùm coram domino, & ita ſtarent, ut à uulgo hominum conſpici eos nefas eſſet, ut eſſent Sanctum ſanctorum, ut laicis dari non poſſent, ſed tantùm à ſacerdotibus comederentur. Tamen iſte noſter ait nullam in illis fuiſſe admirationem. Certũ tamen eſt, illos panes & habuiſſe uerbum dei, & numeratos fuiſſe inter alia Sacramenta. Hoc tamen uelim mihi ab Inconſtantio reſponderi, cum Veterum Sacramentis derogare ſoleat, quantum poſſit, cur ea nunc ſola nobis obiiciat. Cur non eadem opera dicit, Baptiſmum nihil egere omnipotentia dei? Cur non dicit, aquam ibi ablutionem tantùm animi à peccato uulgariter, & naturaliter ſignificare? Deinde naſo ſuſpendit, quod ſolemus dicere, Sacramenta, & præſertim noſtra in Euangelio, non habere leuem, aut uulgarem ſignificationem, ſed ita potentem, & efficacem, ut nobis offerant quodammodò, atque exhibeant corpus Chriſti.

Panes propoſitionis.

Hæc iſte, ſi uerborum apparatum diligenter excuſſeris, uana eſſe clamat, & inania. Nos enim in Sacramentis nihil omninò quicquam ſtatuere, niſi meram ſignificationem: eamq; etiam aliquantò tenuiorem, quàm quæ fiat uerbis. Atq; inde ait, noſtrum illud eſſe, Corpus Chriſti non minus in uerbis percipi, quàm in ſymbolis. Nos quidem Sacramentorum ſignificationem potentem, atque efficacem eſſe prædicamus: non, ut iſte, opinor, putat, ex ui naturæ, ſed ex inſtituto domini, & ex eo, quòd ſpiritus ſanctus illis utitur tanquã inſtrumentis ad fidem in communicantibus excitãdam: ut illi cœleſtia dei dona, & in primis corpus & ſanguinem Chriſti, quæ ibi exhibentur, conſequantur. Exhibentur autem, non quidem tanquam in pane & uino, uel, ut Papiſtæ nugantur, in accidentibus latitantia, aut quaſi ore ac faucibus poſſint recipi: ſed ut menti & ſpiritui hominum fidelium

Cur ſignificatio Sacramentorũ potens & efficax dicatur.

fidelium sese insinuent. Spiritus enim dei, significationẽ illam à Christo inditam efficacem & potentem reddit, & per eam animos communicantium emollit, & fidem in illis, & charitatẽ accendit. Non ergo iactamus inanem tantùm apparatum, et pompam uerborum, ut iste calumniatur. Re enim uera multò plura sunt, quàm nos possimus aut uerbis, aut mente consequi. Papistarum tuorum, Inconstanti, hoc est, nequissimorum impostorum est hic, quem dicis, apparatus: & prę sertim in Missa uestra: in qua, si diligenter omnia excutias, pręter superstitiones, & hypocrises, & inanem fastum, ac pompam nihil inuenias. Non inficior, no strum illud esse dictum, Corpus Christi non minus in uerbis percipi, quàm in symbolis. Nam perceptio ea fide perficitur: ad illam autẽ & uerbis excitamur, & Sacramentis: cumq; Sacramenta & uerbis constent, & symbolis, utriusque partis adminiculo perueniendum est ad significata. Neque uereor dicere, multò etiam magis ad ea per uerba peruenìri, quàm per symbola. Nam symbola uim omnem suã habent ex uerbis: quæ tamen isti nostri impostores Papistæ in Missis suis de industria obscurant, ne audiantur à populo, & mussitant.

Sed fortasse obijcies: Si uerba sunt satis, quid accedimus ad Sacram mẽsam? Respondeo: Quoniam Christus id mandauit: qui cum non minus symbola instituerit, quàm uerba, non minus ad illa uim suam adiungere uoluit, quàm ad ista. Adiecit autem symbola, ut non tantùm auribus, sed etiam oculis, gustu, tactu, olfactu ad salutẽ incitaremur. Ille enim est fictor noster: nemoq; illo melius nouit, ad cœlestia, & spiritualia quanta nostra sit hebetudo: ideoq; nobis tot modis consuit succurrendum. Eat nunc Inconstãtius, & pro sua impudentia ista rideat. Sed hoc certò sciat: Extrema risus, quod Salomon ait, luctum esse occupaturum.

Posteà sese utcunque colligit, atque ita scribit: Ergo cum Euangelium sit potentia dei ad salutem, non negauerim, signum quoque uel minimum fieri potentia dei: sed solam significationem, uel cuiusmodi statuunt Figuratores, nihil habere contendo præcipuum, & singulare, quod istam in patribus admirationem excitet, ut in hoc uno admirando obstupescant animi, ut uim non solum potentiæ, sed etiam omnipotentiæ dei agnoscere cogerentur, quasi exertæ in opus operatum in diebus nostris, quale non uidere priores, etsi multa deus in illis magnalia, & admirabilia fecerit: nihil, inquam, habet hęc Figuratorum significatio eiusmodi, neque conficta ab illis sacramentalis mutatio. Si ne minimum quidem signum, ut ipse confiteris, fieri potest sine potentia dei, necesse est, ut aut confitearis, maximam dei potentiã requiri ad instituenda Sacramenta, aut neges Sacramenta numeranda esse inter res maximas. Quàm autem falsum sit, quòd ait, nos in Sacramentis solam significationem constituere, nihil opus est commorare. Id enim iam anteà satis ostendimus. Quòd si arbitratur, Patres non esse admiratos uim Sacramentorum, quæ constet ex instituto dei, & ex actione, atq; efficacia spiritus sancti, & potenti significatione, necesse est, ut putet, eos ualde fuisse stupidos. Illi certè earum rerum omnium, quas nos cõmemoramus, mentionem sæpissimè fecerunt: Transubstantiationem autem, quam sibi Papistæ somniant, nunquam ne uno quidem uerbulo attigerunt. Quomodò ergo illi eam tantopere admirari potuerunt, si eam non tantùm non laudarint unquam, sed ne nomine quidem suo dignati sint? Rursus ijdem, cum substantialem istam prętiam nunquam aut commemorent, aut doceant, quomodo credibile est, eos illam tantopere esse admiratos? Sed quoniam tantopere patrum admiratione delectaris, scire debes, illos miratos esse etiã sæpè sanctum Baptisma, & nostram mutationem, quæ in regeneratione perficitur, amplissimis uerbis prædicare. Quòd si mihi non credas, Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, Tertullianum, & alios uetustissimos Ecclesiæ scriptores legito. Et si tantopere spectãdum

Patres interdū uehemēter admirati sunt chrisma. Cyprianus.

sit, quid patres ueteres mirati sint, Chrisma erit omnium Sacramentorum supremum & maximum. Quod enim aliud Sacramentum tanta pompa ceremoniarum, tot inuocationibus, tot salutationibus conficitur? Quātoperè autem patres illud sint admirati, audi Cyprianum, si tamen illud opusculum est Cypriani, qui de Chrismate ita scribit: Nō hæc medendis corporibus unctio est instituta. Quia sanctitatis elementis iam non propria natura præbet effectum: sed uirtus diuina potentius operatur: sed adest ueritas signo, & spiritus Sacramento: ut & ipsis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat: & interim homini quanta ex ijs detur authoritas deiformi conuersatione, & cœlestibus moribus innotescat. Hæc Cy-

Chrisma nō est Sacramentum.

prianus de Chrismate: quod tamen re uera non est Sacramentū, neque ullo mandato dei unquam fuit Ecclesię commendatum. Et Baptismus, atque Eucharistia, quæ nemo dubitat esse Sacramenta, laudari non possunt, nisi intercedat Trāsubstantiatio? Cyprianus iste dicere nō dubitauit, Virtutem diuinā in Chrismate potentius operari, ueritatem, & spiritum adesse Sacramento, dignitatem gratiæ patefieri, & interiorē hominem cœlestibus donis ornari. De Eucharistia uerò, nisi panis & uinum transubstantientur in corpus & sanguinem Christi, nihil potest huiusmodi prædicari: res tātùm erit profana, & nuda: simpliciter tantùm & uulgariter significabit: postremò abijcietur, tanquam uile, nescio quod, & abiectum signum. Verùm longè aliter se res habet. Cum enim in fictitio Sacramento ista sic prædicata sint: multò magis, & uerius prædicari & possunt, & debent in Eucharistia. Ea enim idcircò inter alia Sacramenta maximè eminet, quod obiectum habeat præstantissimum, ipsum, uidelicet, corpus & sanguinem Christi: eaq; unà cum signo nobis sunt admirationi. Non enim patres, cum mysteria nostra tantopere prædicent, signum à rebus significatis abstrahunt: quamuis ea inter se nec loco, nec substantiali præsentia copulentur. Iungunt etiam patres causas cum effectis: & signis imponunt nomina rerum: quemadmodum alibi docuimus. Vides ergo Inconstanti, nos non dicere, solam, & nudam significationem excitasse tantam admirationem in patribus. Iam recensui, quid illi prædicarint, & admirati sint in Eucharistia: nunc hoc etiam addo, illos in huiusmodi admirationibus sæpè mirè fuisse hyperbolicos: bono quidem illi animo, non dubito, sed hoc ausim dicere, non satis consideratè. Cum enim uellent efficere, ut Sacramenta essent apud populum augusta, & ueneranda, & in ea re sæpè modum non tenerent, imprudentes imperitā multitudinem impulerunt quodammodò in idololatriam. Hyperbolas autem illorum, uel ex eo ipso possumus deprehendere, quod Inconstātius ipse huc citauit è Chrysostomo ex libro tertio de Sa-

Chrysostomus.

cerdotio. Quod ut melius intelligas, Lector, non grauabor locum illum totum oculis tuis subijcere. Nam, inquit, dum conspicis dominum immolatum, Sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum uerò turbam circūfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiam'ne te inter mortales uersari, & in terris consistere arbitraris? An non potius è uestigio in cœlum transferris? An non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mēte pura circumspicis, quæ in cœlo sunt? O miraculum, ô dei benignitatem: qui cum patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit uolentibus ipsum accipere, atque amplecti. Fit autem id nullis præstigijs, sed apertis, & circunspicientibus circunstantium omnium oculis. Et mox: Adest enim sacerdos, non ignem gestans, sed spiritum sanctum. Is preces diuturnas sundit: non quod flamma cœlitùs delapsa sacra apposita consumat, sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat. Admiratur Chrysostomus in ijs uerbis Sacramentum Eucharistię. Sed quibus, obsecro, hyperbolis? Nemo certè nostrum in Eucharistia uidet dominum immola-

immolari: nisi id referre uelis ad immolationem olim in cruce factam. Nam eam mente atque animo recolimus, & quodammodò oculis subiicimus in sacra Cœna. Sed addit, Sacerdotem incumbere sacrificio: quod sanè nisi de gratiarum actione, ac precibus intelligi uerè non potest. Sacrificium enim mortis Christi iam olim peractum est. Neque uerum est, quod ait, nos uidere, turbam circumfusam tingi sanguine Christi, ac rubefieri. Videmus quidem cõmunicantes edere ac bibere. Sanguinem autẽ domini, aut eius colorem rubrum non uidemus. Adhęc, negat, nos inter mortales uersari, & in terris consistere. Quibus in uerbis ne Inconstãtius quidem, puto, ita hebes est, ut non agnoscat hyperbolem. Quòd si ista referri uelit ad animum, iam nobiscum faciet. Nos enim hæc omnia nõ corporis ore, sed mente, ac spiritu perfici affirmamus. Præterea addit, eum, qui sedet in cœlis ad dextram patris, omnium manibus pertractari. Atqui communicantes non corpus & sanguinem Christi manibus suis, sed panem & uinũ tractant. Ea enim tantùm tractantur manibus, quæ sentiuntur. Nisi quis fortè dicere uelit, animum etiam hominis tractari manibus, quotiescunq; ita tractatur corpus. Deinde etiam Papistæ ne panem quidem, & uinum manibus Communicantis multitudinis contingi & tractari patiuntur. Ea enim ceu paruulis & tenellis auiculis, quæ adhuc à matre pascendæ sint, hiantibus in os ingerunt. Eò, uidelicet, superstitionis, & stultitiæ peruentum est. Sed Chrysostomus addit, Hæc omnia fieri nullis præstigijs, sed apertis & circunspicientibus omnium circunstantium oculis. Hæc si oculis nostris & sensibus usurparentur, nihil esset, quod quisquam posset ambigere. Verùm addit etiam, Sacerdotem gestare spiritum sanctum. Atqui spiritus sanctus more corporum gestari nõ potest. Deinde ait, Sacerdotem illum orare, ut gratia in Sacrificium influat. At si Christus ipse est illud Sacrificium, quánam, obsecro, gratia opus habet? Certè ille ita abundat gratia, ut nos de eius plenitudine omnes acceperimus. Vides Lector, quot si guris, tropis, hyperbolis admirationes istæ patrum constent. Apage ergo, Inconstãti, & tuos istos fumos cæcis, & stultis, illisq;, qui nec sapere, nec uidere uelint, uenditato. Hoc denicq; unum addam, in illis omnibus, quæ Chrysostomus tam hyperbolicè in Eucharistia admiratur, quæq; nos hic & recensuimus ordine, &, ut temporis ratio patiebatur, excussimus, ne uerbulum quidem unum extare de Transubstantiatione, aut de Conuersione panis & uini: quæ tamen si credidisset, quibus, obsecro, ea uerbis, quibus figuris & coloribus amplificasset?

Citat deinde Inconstantius Ambrosium, qui dicat, miraculum Eucharistiæ,, longè alia omnia miracula superare. Sed quoniã Inconstantius uerba Ambro-,, sij hoc loco citare noluit, &, quoniam de eo iam suprà dictum est, infraq; etiam dicetur, quod erit satis, nihil me alienum facturum iudicabam, si hic eum locum præterirem. Hoc tantùm quæro, quomodò Inconstantius potuerit ista subiicere: Non loquor de effectu, quomodò in nobis operatur: quod paris quoq; ad-,, mirationis est. Nam si paris est admirationis, quod agitur in nobis, haud dubiè,, nos quoque transubstantiamur. Nam patres hoc etiam dicunt, nos per Sacram communionem mutari & quodammodo transelementari in Christũ, quod non minus est, quàm panem per Consecrationem immutari. Si par est utrinque admiratio, par etiam erit utrinque miraculum. At si sit utrinque Transubstantiatio, necesse est, ut ea utrinque credatur. Vide ergo, obsecro te, Inconstanti, per tuam Sophisticen, quid dicas. Iactas enim, nunquam patres adduci potuisse ad tantam admirationem, nisi credidissent panem transubstantiari in corpus Christi. Atqui, ut nunc fateris, par est admiratio in eo, quòd nos mutamur in Christum: Ergo nos quoque sine ulla controuersia transubstantiamur. Sed ais, te loqui

„ de constitutione Sacramenti, quomodò panis fiat uerè corpus Christi, & uinum
„ uerè sanguis. Hac de re si loqueris, de nihilo loqueris. Re enim ipsa, quodq; ad
„ substantiam attinet, ista non fiunt. In Baptismo fateris, omnia plena esse mira-
„ culis: quæ tamen censeantur in effectu: quoniam, inquis, Sacramẽtum ipsum Ba
„ ptismi, actione ipsa baptizandi & incipit, & finitur. Quasi non etiam Eucharis-
stia actione edendi & bibendi & incipiat esse Sacramentum, & desinat. Nam
quemadmodum in Baptismo, cum ad aquam communem adiungitur uerbum
dei, &, qui baptizandi sunt, tingũtur, agente spiritu sancto habet efficaciã suam:
ita panis & uinũ, cum anteà fuerint res communes & profanæ, adiuncto uerbo
dei unà cum actione communicantium, efficiuntur Sacramenta, & per spiritum
sanctum redduntur fructuosa. Extra autem huiusmodi usum à Christo institu-
tum ne Sacramenta quidem dici possunt, neque cuiquam uideri fructuosa: quic
quid sibi comminiscatur, & fingat Inconstãtius. Satis enim est uerborum copio-
sus: rerũ autem, & rationum inanissimus. Cur autem aqua in Baptismo non
„ credatur transubstantiari, hanc causam adfert, quòd nihil de ea dictum sit usquã,
„ quod ad Transubstantiationem pertineat. At si uerba sequimur, ne illa quidem
uerba, Hoc est corpus meum, necessariò concludunt Transubstantiationem:
quemadmodum iam suprà sæpè, & fusè docuimus. Cumq; Sacramenta ad con-
Sacramenta ad coniunctionem nostrã cũ Christo spectant. iunctionem nostram cum Christo spectent, Baptismus quidem per modum ge-
nerationis, Eucharistia autem per modum alimenti, non tantùm hic, sed etiam
ibi aliqua Christi præsentia uidetur esse necessaria. Eam autem cum spiritualem
esse satis sit in Baptismo, satis etiam esse debet in Eucharistia. Substantia au-
tem sensibilis nihil causæ est, cur magis in Eucharistia auferri debeat, quàm in
Baptismo.

„ Inconstantius ad extremum concedit, supra naturam esse, quòd nos in Chri
„ stum commutemur: idq; non nisi spirituali, & admirabili ratione fieri in effectu
„ tam Baptismi, quàm sacræ communionis. Verùm, inquit, quod est mirabile in
„ effectu, nihil detrahit admirationi de constitutione Sacramenti. Nimis est So-
phistica, & importuna atq; aliena ista distinctio de Constitutione Sacramenti, &
effectu. Nam Sacramentũ Eucharistiæ nullam habere aliam cõstitutionem præ-
ter usum, uerba ipsa Christi & factum indicant. Christus enim post præsentem
usum non iussit seruari Eucharistiam: neque illam primùm fecit, & deinde post
aliquod tempus, aut dies aliquot Apostolis distribuit. Sed statim, cum dixisset:
Accipite, & manducate, Hoc est Corpus meum: Accipite, & bibite, Hic est san-
guis meus: ea edenda, bibendaq; porrexit, quæ in manibus habebat. Quicquid
autem Inconstantius de præparatione, & asseruatione comminiscitur, fictitium
est, & humanum tantùm commentum. Adhæc nos in responsione nostra con
tulimus inter se panis mutationem, & nostram: & adiecimus, si nostra mutatio
esse possit sine Transubstantiatione, idem etiam statuendum esse de pane: & si
nostra mutatio esse possit absque eo, ut substantia carnis Christi copuletur, & mi
sceatur cum carne nostra: panem etiam fieri posse corpus Christi, quamuis cum
eo substantia ipsa corporis Christi realiter non coniungatur, aut ibi sub acciden-
tibus abditum deliteſcat. Hæc nobis Inconstantius aliquandò refutet: interim au
tem insulsam illam suam, & putidam distinctionem de Constitutione et Effectu,
apud se retineat.

ARGVMENTVM GARDINERI.

IDES *Ecclesiæ de Eucharistia confirmata est multis prodigijs & miraculis: quæ leguntur apud Cyprianum, Optatum, Augustinũ, Nazianzenum, Gregoriũ et alios.*

SOLV-

SOLVTIO.

DICIMVS, hæc miracula posse fieri trifariam: Vel ad arcendos indignos à tanto Sacramento: & talia quidem miracula recipimus: nam Paulus eadem de causa ait multos infirmos fuisse, & multos dormiuisse: & in hunc ordinem redigenda sunt ea, quę Cyprianus commemorat: Vel ad illustrandum, atq; ornandum Sacramentum, quò eius dignitas & magnitudo melius explicetur: ne ista quidem miracula nos respuimus. Nam eadem de causa etiam Baptismi Sacramentum sæpè ornatum est miraculis. Tertium autem uel ab impostoribus, uel à diabolo inductum est, ad errorem de Transubstantiatione confirmandum. Illud autem in uniuersum reiici mus. Lex enim iubet, ut Propheta, qui populum ad superstitionem, & idololatriam prouocat, lapidetur. Et Antichristus uenturus est cum signis, & prodigijs. Et tempore Mosis Magi Pharaonis ediderunt miracula contra uerbum dei. Fuitq; Marcus quidã Hæreticus, & impostor, ut ait Irenęus, qui illudebat simplicibus, quòd mutaret colorem uini. Et Ethnici cultum idolorum solebant talibus prodigijs confirmare. Neque nobis ignotæ sunt impostura nebulonum, quibus illi sæpè usi sint ad edenda miracula.

GARDINERVS.

QVOD *hic fatetur, miracula facta esse, recipimus: quòd uerò eam sibi arrogat sententiã, ut cum edita sint, quò pertineant, dicat, non est necesse illi concedere.*

MARTYR.

PRimùm ait, se uelle recipere id, quod nos ultrò damus, uidelicet in Eucharistia aliquando edita esse aliqua miracula. Sed quid? An ea causa nos statim uicti sumus, si damus, aliquando miracula facta fuisse in Eucharistia? In Baptismo quoque facta sunt, idq; sæpius. Augustinus ait, Podagricum hominum sanatum fuisse in Baptismo. Et in historia Ecclesiastica scribitur, aquam ipsam è Baptisterio se subduxisse. An ex eo statim concludes Transubstantiationem aquæ, aut realem Christi præsentiam? Verùm iste addit, non esse credibile, deũ suis miraculis illudere uelle simplicitati nostræ. Quæ nam, quæso te, dicis dei miracula? Si de primo, aut secundo genere loquaris, ea dabo esse miracula dei. Tertium autem genus dæmonum, & nequissimorum nebulonum impostura esse affirmo. Neque dico, Deum illudere simplicitati nostræ. Id enim illorum merito, & culpa fit, qui charitatem ueritatis non receperunt: & idcircò deus immittit in illos deceptionem erroris: quemadmodum Paulus ait, ad Thessalonicenses. Quo etiam in loco addit, Antichristum uenturum cum prodigijs & signis mendacibus. Illa enim non sunt propriè miracula, si uerè uelimus loqui. Formam tantùm, & speciem habẽt miraculorum: cum re uera sint dæmonum, & impiorum hominum impostura. Neque hic mihi dicendum arbitror, quemadmodum

Augustinus.

Ecclesiastica historia.

deus ſoleat impijs illudere. Id enim paſſim occurrit in ſcripturis. Inconſtantius autem noſter ſatis id ſibi eſſe putat, ſi aliquid obijciat: quàm autem id conſentaneum ſit ueritati & ſacris literis, eam curam relinquit alijs. Ex quo autē tempore doctrina iſta de Tranſubſtantiatione obtinuit in Eccleſia, nego deum unquam illuſtraſſe Euchariſtiam ueris miraculis. Non enim ſolet doctrinam idololatricam ſuis miraculis confirmare. Cypriani autem, Nazianzeni, Optati, Auguſtini temporibus dico, non tantùm non doctrinam, ſed ne uocem quidem Tranſubſtantiationis auditam fuiſſe in Eccleſia. Id Inconſtantius, ſi uideri uelit aliquid dixiſſe, nobis probet. Nos quidem ſuprà copioſe oſtēdimus, hoc nouum dogma non ſolum cum ſcripturis pugnare, ſed etiam cum patribus.

" Hoc tamen unum iſte noſter ingenuè confitetur, miracula contra doctrinæ
" ueritatem nihil ualere. Hic ego adijcio Minorem propoſitionem: Sed Tranſubſtantiatio ueræ doctrinæ, quæ agnoſcit panem & uinum in Sacramento, aduerſatur: Ergo miracula, cuiuſcunque tandem generis ſint, ad eam confirmandam nihil ualent. Putat nos deſtitui rationibus, quibus probemus Tranſubſtantiationem pugnare cum uerbo dei. Verùm nos infinitis propè argumentis id iam ſatis ſuperq; oſtendimus. Quàm autem reſponſio noſtra aliena ſit à conuitijs, & ab impotentia animi, quod iſte calumniatur, tu optime Lector, iudicium facies. Iſte certè noſter nihil nobis dedit nō tinctū amariſſima bile: idq; in illis locis maximè, cum ſe ſentiret, aut argumentorū, aut reſponſionū noſtrarum pondere ſuperari.

ARGVMENTVM GARDINERI.

MAGNAM *uim habet in uerbis Chriſti ad ueram & propriam ſignificationem nominis exprimendam adiectio articuli, Quod. Et Cyrillus annotauit in nomine, λόγος, apud Iohannem, ubi est, ὁ λόγος, quaſi dicas, ille ipſe ſermo. Quare cum Chriſtus dicat, τοῦτο ἔστι τὸ σῶμα, illud, τὸ σῶμα, oſtendit proprietatem corporis ſignificari: quaſi ſit illud ipſum corpus, quod tradetur. Qua ratione excluditur tropus.*

SOLVTIO.

DECIPIVNTVR iſti: non enim ſemper ea eſt uis articuli Græci: quod ſatis patet ex capite octauo Lucæ: ubi Chriſtus ait, ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Vbi uides, ad uocabulum, λόγος, additū eſſe articulum. Nec tamen id efficit, ut ibi λόγος teneatur propriè: quaſi realiter et corporaliter inſit in illo ſemine, quod iactatur in agros. Ita nos dicimus, Corpus domini non prædicari de pane, niſi per ſignificationem.

GARDINERVS.

CATHOLICI *in æſtimanda ui uocabuli Græci authorem habent Cyrillum Græcum.*

MARTYR.

SCimus, annotationem illam Græci articuli obſeruatā eſſe à Cyrillo in primum caput Iohannis: nec eam improbamus. Sed hoc in Solutione reſponſum eſt, Græcum articulum non ſemper eam uim obtinere, nec ſemper facere prædicationem, ut Scholaſtici loquūtur, identicam. Atq; ad id probandum citata ſunt illa uerba ex octauo capite Lucæ, ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Adduci etiam potuiſſent alia multa ſimilia. Quale eſt illud Pauli ad Corinthios: ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. Nam Petra certè nō erat Chriſtus, niſi per ſignificationem, & tropum. Sed Sophiſta

phista putat nos in uerbis illis Christi apud Lucā, ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, exí-
stimare, uocem illam, λόγος, significare uerbum dei increatum, Filium uidelicet
eius Iesum Christum. Idq; ex eo colligit, quòd in Solutione respondetur, uocem
illam, λόγος, non teneri propriè, quasi realiter & corporaliter insit in eo semine,
quod iacitur in agros. At nemini nostrū | huiusmodi cogitatio ne per phrenesim
quidem in mentē uenire potuisset. Omnes enim, λόγον τοῦ θεοῦ, scimus ibi significa
re Sermonem prædicatum, & à deo Apostolis, aut Prophetis reuelatum. Et ta-
le uerbum dicimus in semine re ipsa non contineri, in eo, inquam, semine, quod
spargitur in agrum, quodq; in propositionis subiecto significatur. Itaq; uerbum
illud substantiuum, Est, in ea propositione necesse est sumi pro significat. Ve-
rùm Inconstantiū nostrum fefellit adiectio aduerbiorū illorum, Realiter & Cor
poraliter. At cogitare debuit, uerbum prolatum, & prædicatum non esse uerè
ac propriè in semine, sed eo tantùm significari. Diuinitas, etsi corpus non est, ta-
men à Paulo dicit habitasse in Christo corporaliter, hoc est, uerè, quodq; ad ip-
sam diuinitatis naturā attinet. Sermo aūt dei prædicatus non ita est in semine na
turali, ut re ipsa in eo concludatur. Quare nihil opus erat, ut iste noster tam mise-
rè sudaret, ut ostenderet nobis, quod nescire non potuimus, Genitiuū illum Ca-
sam, τοῦ θεοῦ, contrahere uocem illam, τὸν λόγον, ut significet non Filiū dei, sed uerbū
scriptum, & prædicatū. Stat ergo adhuc nostra responsio, Græcū articulum non
necessariò facere propositionem identicam: ita, uidelicet, ut intelligamus, prædi
catum realiter ineſse in subiecto. Fateor tamen in illa responsione parum pro-
priè positum fuisse aduerbium illud Propriè. Nam & apud Lucam, ὁ λόγος, & in
uerbis illis Christi, quæ nunc tractamus, τὸ σῶμα, habent suum & proprium signi
ficatum. Illud tamen significatum nihil necesse est propter usum articuli Græci
propriè esse in subiectis. Vbi enim propositiones non sunt identicæ, Subiectum
& prædicatū, etsi propriè significant, tamen nō propriè, aut re ipsa copulantur.

ARGVMENTVM GARDINERI.

CHRISTVS *promisit discipulis: Ero uobiscū usq; ad consummationē sæculi: quod non est referendū tantùm ad diuinitatē: quia & illi hoc sciebāt. Verū quia tristaban tur propter eius corporalem abitū, illos cōsolatur, quòd sit futurus cū illis suo corpore.*

SOLVTIO.

CONFITEMVR, Christum adesse nobis & per naturam, & per gratiam, & quòd multa dona sui spiritus nobis confe rat. Deinde si corpus etiam eius, & sanguinem cupimus, ea quoq; in usu Eucharistiæ complecti possumus, & ea fide, ac spiritu manducare. Atq; ad id postea consequitur uerissima quidē, sed arcana, & ineffabilis nostra cū Christi coniūctio.

GARDINERVS.

HAEC *uerba Sectarij ad fallaciam cōposita sunt. Nam quatenus dicit, nos, si sanguinem cupimus, in hoc Sacramento complecti posse fide, uideatur ijs, qui istorum artes non norint, haud aliena loqui à Catholica fide.*

MARTYR.

AIt, uerba nostra ad fallaciam esse cōposita, eaq; illis, qui artes nostras nō no-
rint, uideri posse nihil à fide Catholica abhorrere: quasi nos ita obscurè lo-
quamur, ut difficile sit, quid nobis uelimus, suspicari: aut quasi nō hoc sit Incon-
stantij propriū, mysteria sua ita occultare, & nebulis uerborū inuoluere, ut mihi

sæpè longè maior labor suscipiendus sit, in eius sensibus ex illa caligine educendis, q̃ in imposturis & mendacijs confutandis. Posteà fatetur, requiri quidẽ fidem ad complectendũ Christum in Sacramento, ut ille efficiat̃ noster, & ita noster, ut ex eo cõsequamur fructũ uitæ. Atq; ad hoc fatetur, sacramentalem mãducationem non esse satis: sed omninò spiritualem manducationẽ addendam esse. Deinde putat, se responsionem nostrã ita posse refutare, q̃ eam dicat ab argumenti sensu alienam esse. Et, ne nobis, si deo placet, parùm lepidus uideret̃, poëtæ cuiusdam sui carmen nobis recitare uoluit, in quo cũ quidam interrogasset, Quæ, alter respõderit, Ble. O festiuũ caput. Putauit, scilicet, istis facetijs Lectorẽ à rei ipsius consideratione posse abduci. Sed, quæso te, prudens Lector, rem ipsam potius excutiamus. Obijcitur nobis promissio illa Christi, Ero uobiscum usq; ad consummationem sæculi. An uerò Christus ista dixit, cum ageret̃ de institutione Sacramẽti? Non, opinor. Imò de discessu suo ex hac uita loquebat̃, & Apostolos de ea re mœstos, & conturbatos solari uoluit. Nunc quærit̃, qua illos ratione consoletur. Nos aũt, non, ut iste insuauiter, & putidè iocat̃, respondemus, Ble, sed quod res ipsa est, quod q̃ omnes patres nobiscũ sentiunt: nimirũ, Christum post mortem, & Resurrectionem, & Ascensionem in cœlos, præsentem esse nobis per diuinitatem: sed, quoniam ea adest promiscuè omnibus creaturis, adiecimus etiam, per gratiam, & per spiritum, quod q̃ nobis conferat multa dona. An hoc tibi uidetur, Inconstanti, esse aliena respondere? Vtinam tu nobis eodem modo ad res propositas responderes. Sed ad te intelligendum opus est Oedipo coniectore, ita prorsus mystica sunt omnia, & arcana, quæ scribis.

Tuæ aũt quæstioni, etsi illis ipsis, quæ iã dixi, potuerim abunde satisfacere, tamen, quoniã uidi, uos eo argumẽto maximè niti ad confirmandã præsentiã corporis Christi in Eucharistia, ut aliquid concederẽ insciti æ uestræ, eò etiã accesserit, ut dicerem, pios etiã in Eucharistia complecti posse corpus ipsum et sanguinem Christi, nimirũ, cũ illud manducent spiritualiter, ex qua manducatione sequatur denic̃ arcana & ineffabilis coniũctio nostra cũ Christo. Eã aũt idcircò dicimus arcanam, & ineffabilem, q̃ tota sit spiritualis, nec̃ ad realem nostri cũ Christo copulationẽ & coniũctionẽ pertineat. Spiritu enim perficit̃, quo à Christo capite, quãuis sedente, & regnãte in cœlis deriuat̃ in eius mẽbra uita beata, distribuũtur charismata, cõsolationes, uirtutes, gratiæ, & denic̃ omne bonũ: quò & Christus ipse in nobis uiuat, & nos in illo. Vt aũt hæc efficiant̃, nihil necesse est, corporalem illam uestram præsentiã confingere. An hoc tibi uideẽ esse, respondere, Ble? Sed argumentũ, inquis, tractat actionẽ Christi de instituendo Sacramento. Recte: sed nõ satis fœliciter illã tractat, præsertim ex illis uerbis, Ero uobiscũ usq; ad consummationẽ sęculi. Ibi enim Christus ea de re nõ loquebat̃: sed potius de spiritu sancto, quẽ missurus erat post Ascensionẽ: quo spiritu futurus erat cũ Apostolis, & futurus est semper cum Ecclesia usq; ad finem mundi. Sed sit ita, ut tu uis: nihil enim cõtendo. Dixerit ita Christus, ut ostenderet, se uelle sistere nobis humanitatẽ suã, & nos præsentia sui corporis cõsolari. Quid tũ posteà? Nos quoque fatemur, ueriss imã præsentiã corporis Christi à pijs hominibus, fideliter, & ritè communicantibus, satis haberi posse spiritualiter, & per fidem.

Verùm Inconstantius contendit, humanitatem Christi propriè & realiter sistendam esse in Eucharistia. Cõtendit ille quidem strenuè; sed, ut solet, nihil probat. Finalem tantùm causam allegat: nimirũ, ut Christus nos illa præsentia consoletur. Sed quæ tandem erit ista consolatio, cũ caro illa Christi nec uideri, nec gustari, nec olfieri, nec tãgi possit, nec ullo omninò sensu, aut humanę rationis experiẽtia percipi. Equidẽ, quod ad consolationẽ attinet, nihil uideo, quid intersit, in cœlóne sit corpus Christi, an in pane & uino, an potius, ut uos somniatis sub accidentibus.

cidentibus. Sed fide, inquies, potest percipi, etsi sensu & humana ratione non possit. Atsi istam præsentiã tribui uis fidei, nihil opus erat, ut nobiscum ea de re cõtenderes. Nos enim etiã dicimus, carnem & sanguinem Christi fide percipi. Verũ ista, inquies, nõ dicitis esse præsentia. Id certè nec dicimus, nec omninò credimus: uel quòd cum sacris literis, uel quòd cum ueritate humanæ in Christo naturæ, & cum eius Ascensione pugnet: uel quòd caro Christi nihilò plus præsens utilitatis adferat, quàm absens. Respõdimus hic multò plus, quàm momentum, & dignitas argumenti propositi postulabat. Missa uerò facio complura Patrum testimonia, qui uerba illa Christi, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi, non de humana Christi natura intelligunt, sed, ut nos facimus, de diuina, & solum Cyrilli dictis ero contentus, cui tu passim uideris multum tribuere. *Cyrillus.*

Is 8. libro super Iohannem cap. 7. ait. Denicq; cum de se dixit, me autem non sem,, per habebitis, loquebatur dominus de præsentia corporis sui: nam secundum ma,, iestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem,, diuinitatis gratiam impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego uobiscum sum om,, nibus diebus, usq; ad consummationem sæculi. Iam uides Iesu Christi domini,, nostri uerba sic exponi à Cyrillo, ut nos interpretati sumus. Quin & idem libro 5. in Iohannem cap. 8. ita scribit: Sanè post Ascensionem quæsiuerunt eum illi,, pio affectu, qui Petro prædicante compuncti sunt corde dicentes, Quid facie=,, mus uiri fratres? Non tamen corpore præsentem inuenerunt, quamuis secun=,, dum diuinitatis præsentiam eis non defuit, secundum quam nobiscum est usq;,, ad consummationem sæculi, omnibus diebus. Hic uides in eadem expositione,, authorem sibi optimè constare. Et rursum libro 6. cap. 14. Sed diligenter hic ani,, maduertẽdum, quod etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate ta=,, men diuinitatis semper adest, sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur, Ecce uo,, biscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi. Iis uerbis ego,, nescio quid clarius, quidue dilucidius afferri possit.

Cæterùm quia mihi à prudenti Lectore posset obiici, quatuor illos interme=dios libros, nempe 5. 6. 7. & 8. in Iohannem non esse Cyrilli, sed à Iohanne Clithoueo Theologo adiectos. Ideoq; me non rectè fecisse, qui sententias inde mihi sumpserim Cyrilli nomine, quibus absentiam corporis & carnis Christi probarem. Ad hoc respondeo, esse quidem paulò antè citata loca Clithouei, sed tamen à me nihil fraude aut dolo malo esse actum: cum enim libros Cyrilli (ut fit) legerem, uariatam inscriptionem, atq; mutatum stilũ minimè aduerti, siquidem plus æquò festinabam. Cæterùm quod ad rem attinet, Lectores nõ fallo, cum ipse Cyrillus in libris, qui genuini sunt eius, idem testetur: decimo enim libro eiusdem uoluminis cap. 10. scribit: Quia hæc loquutus sum uobis, apud uos manens: iam,, enim hinc ad cœlos, secundum carnẽ, abiturus erat. Ibidem cap. 38. Nullus am,, bigit cum ad cœlos ascenderit, quamuis uirtute semper adfuerit, præsentia tamẽ,, carnis ipsum abfuisse. Et 11. libro cap. 3. Nam etsi abest corpore, patri pro nobis,, apparens, ac à dextris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum, neq; pa=,, titur illos orphanos esse. Et mox: Posteà in cœlum ascendens, spiritum immisit:,, non enim cõuersari poterat cum Apostolis in carne cum ad patrem ascenderit.,, Et libro 11. cap. 22. Nihil ergo mali accidere uobis potest ait, si carne abfuero, cũ,, deitatis meę potestas, quę uos hucusq; seruauit, in posterum etiam seruatura sit.,, Et mox: Cum igitur deitati seruatio attribuatur, Non debetis, inquit, carnis prę-,, sentiam propter hoc desiderare. Iam igitur apparet, Clithoueum ex Cyrillo col,, legisse, quæ dixit, & neq; illum, neq; me uoluisse Lectoribus fucum facere. Satis enim constat, quomodò Christus & adsit, & absit à sua Cœna. Nobiscum item Augustinus, Fulgentius, & alij complures faciunt in illis domini uerbis inter=

pretandis, Inconstantium uerò Patres non habere sibi adstipulantes, qui hæc ad humanitatem Christi referant, ex eo satis apparet, quòd testimonia eorum non protulit.

ARGVMENTVM GARDINERI.

SI non adsit corpus Christi, nisi sola eius significatione, tum non haberent noua Sacramenta quippiam, quod in Veteribus non reperiretur. Nam et illa Christum significabant & amplius, & clarius, & uiuidius, quàm panis & uinũ: quoniam ibi animalia bruta cædebantur, & fundebatur eorũ sanguis: quod non contingit in pane & uino.

SOLVTIO.

QVOD ad rem ipsam attinet, dicimus eadem esse utriusq; Testamenti sacramenta: quemadmodum etiam Paulus dicit cap. 10. ad Corinthios. Sed nostra præ Veteribus multas habent prærogatiuas. Sunt enim magis firma, nec amplius mutanda usq; ad finem sæculi: ostendunt rem factam, non, ut illa, futuram: sunt simpliciora, & pertinent ad numerosiorem populum: sunt clariora, non, ut aduersarij fingunt, externa repræsentatione, sed ex natura, & claritate uerborum, quæ ibi proferuntur. Nam clarius annuntiant redemptionem perfectam, & maiorem fidem excitant: unde sequitur ex eis uberior copia spiritus.

GARDINERVS.

SACRAMENTA *Veterum eadẽ fuisse significatione cum nostris in signo, ut loquuntur, remoto, fatendum est: quoniam omnia eundem spectabant Christum.*

MARTYR.

AB initio uidetur uelle distinctionem quandam significare, qua sacramenta Veterum differãt à nostris. Sed eam nos salua ueritate sacrarum scripturarum non possumus admittere. Ait enim, illa significationem tantùm aliquam habuisse, & ea quidem in re conuenisse cum nostris. Nostra uerò præter significationem etiam res ipsas exhibere. Hoc qui dicit, negat, Veteres in suis sacramentis res ipsas habuisse, quæ ad salutem, & æternam uitam omninò erant necessariæ: idem Paulo etiã aduersatur. Is enim ait, Veteres comedisse nobiscum eundem cibum spiritualem, & eundem nobiscum bibisse potum spiritualem. Neue de re ipsa quicquam dubites, eam ait disertis uerbis fuisse Christum. Omnia ergo sacramenta, non solùm nostra, sed etiam ueterum, constabant & signis, & rebus significatis, quamuis quemadmodum in responsione dictum est, non eadem ratione. Quare Inconstantius fatetur, Veterum sacramenta & eadem fuisse cum sacramentis nostris, & diuersa. Atque ea quidem de re nos quoq; idem iudicamus, & dicimus: sed multò aliter. Nos enim ea quod ad rem ipsam significaram attinet, dicimus esse eadem, etsi signis externis, & symbolis sint diuersa. Alia etiã sunt discrimina, quæ satis liquidò persequuti sumus in Solutione.

Sed iste in explicanda sententia sua ait, se nolle suis uerbis uti, sed Patrum: & illorum pro more suo contexit, nõ solùm prolixum, & operosum, uerùm etiam in-

ineptum catalogum. Augustínus epístola 49. ad Deogratías, quæstione 3. ita scri *Augustinus.*
bit: Dispartíta diuínis eloquíjs sacrificia fuísse pro temporum cõgruentia: ut alía
fierent antè manifestationem noui Testamenti, quod ipsa uera, & ín unius sacer-
dotis uictíma, hoc est, effuso Christi sanguíne minístratur: & alíud nunc, quod
huíc manifestatióni est congruum, qui iam declarato nomine Christiani appella-
mur, offeramus, non solùm Euangelícis, sed etíam propheticis literis demonstra-
tur. Quod ex his uerbis Inconstantius elicit, díuersitatem temporum exígere di-
uersitatem sacrificíorum, non ínficior. Imò fateor, symbola Veterum, & nostra
non esse eadem. Deínde illorum sacramenta significabant aliquid futurum: no-
stra autem præteritum, & iam exactum.

Huc cítatur etiam Chrysostomus ín epístolam posteriorem ad Corínthios, ita *Chrysostomus.*
uerba illa explícans, Omnía noua. Et ín summa, ínquit, omnía noua: pro templo
uisíbili templum uídemus spirituale, pro lapídeis tabulís tabulas carneas, pro Cír-
cuncisíone Baptísma, pro Manna corpus domínicum, pro aqua petræ sanguí-
nem è latere, pro uírga Mosís uel Aaronis crucem, pro terra regnum cœlorum,
pro ínnumeris sacerdotíbus unum pontíficem, pro agno írrationali agnum spí-
ritualem. Hæc alía cogitans dicebat, Omnía noua. Hæc autem ex deo per Chri-
stum ex dono íllius. In his uerbis, ínquit Inconstantius, Chrysostomus Christi
Ecclesíam, & nostra Christíanorũ sacramenta cum íllis Veterum conferens, dí-
scrímina manifestíssima & certíssima demõstrat. Verba ísta Chrysostomi non
esse íta ἀκριβῶς, & rigidè accipienda, ut primo aspectu præ se ferunt, utq; Incon-
stantius ea uult íntelligi, multa nobis satís apertè índicant. Idq; ut tu, Lector, me-
líus uídeas, hũc locum totum paulò altíus repetam. Ecce, ínquit Chrysostomus,
omnía noua. Purificatum enim, & corpus nouum, & cultus nouus, & promís-
siones nouæ, & Testamentũ, & Vita, & Stola, & ín summa omnía noua. Etenim
pro Hierusalem, quæ ínfra, accepímus supernam metropolím: & pro templo ui
sibíli, &c. Sequuntur enim ea, quæ modò recitata sunt ab Inconstantío. Híc
míhi considera, piè Lector: an promíssiones noui Testamenti íta tíbi uídentur
nouæ, ut Patres ueteris Testamenti prorsus ab íllis sint excludendi? Mihi certè
íta potius uídetur, eas ad nos ab íllis peruenísse. Non enim possumus cogitare, íl
los íta habuísse Hierusalem íllam, quæ ínfra erat, ut ad supernam metropolím ni
hil omnínò pertínuerint: aut íta posse dísse terras, ut prorsus níhil íllis cõmune es-
set cum cœlo. Hoc etíam ínter cætera annotandum est, íllos habuísse uírgam Aa
ronis aut Mosís eodem loco, quo nos crucem. Sensus ergo Chrysostomi est,
Christum illa ætate nondum passum fuísse ín cruce. At quís dicat, nos hodiè uel
crucem, uel mortem Christi re ípsa habere præsentem? Verùm hoc, ínquiet
Inconstantius, unicè facit ad id, quod agímus, quòd Chrysostomus dícat, nos ha-
bere pro Manna corpus domínicum, pro aqua petræ sanguínem è latere. Si íta
res habet, ípse míhi respondeat, quomodò Paulus dícat, íllos eundem nobíscum
cíbum spíritualem manducasse, aut bibísse nobíscum eundem spíritualẽ potum.
Sed dícet, íllos habuísse ísta omnía eadem ínter se, non autem nobíscum. Ita quí-
dem ille putat se posse effugere. Sed nos suprà copiosè ostendímus, uerba Pauli
non posse íta constare: qua in re ídem etiam nobíscum sensit Augustínus. Neque
sanè credíbile est, Chrysostomum uelle dísidere cum Paulo. Quare affírmamus,
Manna antíquitùs fuísse sacramentum carnis domíni, & aquam è petra fuísse sa-
cramentum sanguínis domíni. Quid ergo nos habemus pro íllis? Alía sym-
bola, panem, uídelicet, & uínum: quæ nominatím appellantur corpus & sanguis
domíni, sed suo quodam modo: quod Manna, & aqua ín ueteri Testamento nõ
habebant. Deínde ad nostra mysteria adiunguntur etiam uerba Christi: quæ
certíssimè testantur, corpus ípsius olím pro nobis actum fuísse ín crucem, & san-

guinem eius pro nobis fusum. At ne id quidem habebant sacramenta ueteris Testamẽti. Hunc necesse est fuisse sensum Chrysostomi, nisi eum uelis aperte pugnare cum Paulo.

Hesychius. Sequitur Hesychius libro 6. cap. 22. in Leuiticum. Non oportet, inquit, nos habentes in manibus, & consummantes uerum mysterium, sequi figuras, quæ prædicta demonstrent. Neq; enim est eiusdem temporis: sed aliud quidem adfiguram, aliud autem ad ueritatem, qui utraq; sanciuit, præcepit. Propter quod & Christus primùm celebrauit figuratum Pascha: post Cœnam autem intelligibile tradidit. His addit Inconstantius: Hesychius aliud figuræ tempus dicit, aliud ueritatis, propter præsentiam corporis Christi in Cœna, quam soli fideles intelligunt. Hanc nos temporum distinctionem libenter recipimus. Nam quæ antiquitùs in Christo futura significabantur, ea nunc à nobis ut iam olim facta celebrantur, & memoria recoluntur. Et quidem, quod Hesychius ait, ueriſsimũ est, Nõ enim fas nobis est hoc tempore, cum habeamus in manibus mysteria ipsius ueritatis, ad figuras, quæ res futuras significent, recurrere. Mysteria enim Veterum significabant, Christum aliquando uenturum in carne, & passurum esse: nostra uerò eum iam uenisse, & pro nobis passum esse, euidentissimè declarant. Cum Christus in ultima illa sua Cœna à ueteribus sacramentis sese ad nouos ritus contulerit, nefas esset, si nos à nouis ritibus redire uellemus ad ueteres. Præsentiæ autem istius, quã sibi Papistæ fingunt, corporis domini in Cœna, ne uno quidem uerbo Hesychius mentionem fecit. Id autem Inconstantius noster pro sua authoritate, & copia uoluit addere.

Augustinus. Huc adducitur etiam Augustinus libro 2. cap. 37. Contra literas Petiliani: Sicut, inquit, aliud est carnis Circuncisio Iudæorum, & aliud quod octauo die Baptizatorum nos celebramus: & aliud est Pascha, quod adhuc illi de oue celebrant, aliud autem, quod nos in corpore & sanguine domini accipimus: sic alius fuit Baptismus Iohãnis, & alius Baptismus Christi. His uerbis, Aliud, & aliud, Inconstantius putat Augustinum annotasse, tantùm interesse inter sacramenta Veterum, & nostra, quantum inter promittere, & dare. Id enim uerba ipsa Augustini sequentia indicare. Quando promittebatur, inquit, tunc dicebatur: cum autem datum est, quod promissum est, ablata sunt uerba promissiua, & data completiua. Sacrificia ergo illa, tãquam uerba promissionum ablata sunt. Quid est, quod datum est completiuum? Corpus quod nostis: quod utinam, qui nostis, omnes non ad iudicium noueritis. Videte, quando dictum est. Christus enim ille est dominus noster modò loquens ex membris suis: modò loquens ex persona sua. Sacrificium, inquit, & oblationẽ noluisti. Quid ergo nos iam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit: Corpus autem perfeciſti mihi. Ex ijs uerbis, inquit Inconstantius, liquet Augustinum sensisse, Sacramenta Veterum tam distare à nostris, quàm promissionem ab ipsa datione, & præstatione: quod consentit cum uerbis Pauli, habuisse illos umbram, nõ ipsam imaginem rerum. Vnde intelligamus, in uno Christo impleta omnia. Quæ uerò præcesserunt, figuræ, & significationes erant. Duo hæc Augustini loca nullum aliud afferunt discrimen inter Veterum sacramenta, & noua, nisi quòd ait, illa fuisse uerba promissiua, ista autem esse completiua: illa futura & expectanda indicasse, ista uerò iam data, & completa esse, quæ tum promittebantur, fidem facere. Vtrinq; enim esse uerba, & utrinq; significari quippiam: ibi, quod erat dandum, & aliquando futurum: hic uerò, quod iam datum est, atq; completum.

Sed illud fortasse nõnihil mouere possit, quod Augustinus dicat, Aliud esse Pascha, quod adhuc illi de oue celebrent: aliud autem, quod nos in corpore & sanguine domini accipimus. Cæterùm, si animaduertas, quid ibi Augustinus agat,

agat, nihil erit, quod possis ambigere. Confert enim Pascha illud, quod Iudæi ad illa usq; tempora celebrabant, cum sacramento Eucharistiæ. Rudes, & carnales Iudæi hodiè quoq; Pascha suum celebrant: & præter sanguinem ouis, & ritum uetustum maiorum suorum nihil ibi aut habent, aut cogitant. Nemo ergo tam hebes est, ut non intelligat, nostrũ Pascha, quod accipimus in sacramento corporis & sanguinis domini, illorum mortuis ceremonijs infinitis partibus esse præferendũ. Neq; uerò tanti est, quòd Augustinus dicat, In corpore, & sanguine domini: non autem dicat, In sacramento. Symbola enim ipsa appellantur corpus, & sanguis domini: & pij interim, dum cõmunicant, corpus & sanguinẽ domini sibi proponũt antè oculos, & toti in illis uersantur, cum ea fide, ac spiritu complectantur. Imò etiam mysteria ipsa piorum illorum, & ueterum Patrum, quamuis ab illis cum fide, & spiritu usurparentur, tamen collata cũ nostris erant multò inferiora: quòd nostra rem, non futuram, sed factam indicent, quodq; sint multò, quàm illa erant, clariora. Et quamuis illi fide, atq; animo idem omninò in mysterijs suis apprehẽderint, quod nos hodiè in nostris, tamen nondũ extiterat, aut natum erat ipsum Christi corpus: quod tamen nunc nos certissimè iam olim natum scimus, & adhuc hypostasim, & existentiam suam obtinere. In eo aũt ipso quantum intersit ad uberiorẽ spiritus, & donorũ dei perceptionem, tuum erit, Lector, iudicare. Deus quidẽ pro sua prouidẽtia, & gratuito proposito decreuerat uelle dare multò plura, & ampliora dona tẽpore Euangelij, cum iam uerbũ dei re ipsa nostram naturã suscepisset, quàm sub Lege, cum id adhuc, ut fieret, tantùm expectaretur. Itaq;, quòd ad ipsam rem attinet, Patres in mysterijs suis omninò idem habuerunt, quod nos: quãuis ex eadem ipsa re multò plus fructus ad nos redeat, quàm olim redierit ad illos. Quòd aũt ad uerba promissiua, & completiua attinet, fateor, Augustinũ rectè scribere. Nã in sacramento Eucharistiæ profitemur, & prædicamus, corpus Christi iam olim pro nobis datum esse in crucem, nec exspectandum esse, ut iterum detur. Illud etiam ipsum, quod Inconstantius colligit, recipio, modò rectè intelligatur: sacramenta uidelicet, ueterum tantùm differre à nostris, quantum promissionem ab exhibitione. Christus enim Patrum temporibus promittebatur tantùm: non autem adhuc datus fuerat. Corpus autem & sanguinem realiter, & substantialiter adesse, atq; exhiberi in sacra Cœna, id uerò prorsus pernegamus: neq; id Augustinus uno uel uerbulo significauit. Corpus quidem Christi extat nunc in natura rerum, & in cœlo uersatur glorioſum: quod in ueteri Testamento nondum natum erat. Illud autem corpus diffundi, & dissipari per infinita loca, & adesse coram in omnibus sacris mensis, pugnat euidentissimè cum sacris literis, nec Augustinus in istis uerbis, quæ hic ab Inconstantio recitata sunt, affirmauit. Quod aũt Paulus ait, illos habuisse umbram tantùm, non ipsam imaginẽ rerũ, id eò tantũ spectat, ut ostẽdat, significatio nes Legaliũ sacramentorũ non tam aut expressas, aut claras, aut efficaces fuisse, quàm sunt hodiè nostrorum in Euangelio. Quid tamen Augusti. de cõsensu ueterum sacramentorum & Euangelicorum senserit, alibi copiosè ostendimus.

Huc etiam aduocatur Chrysostomus hom. 83. in Matth. ita scribens: Quamobrem passionis tempore hoc mysteriũ tradidit: Vt undiq; discamus, ipsum etiã ueterem Legem sanxisse: & omnia etiam, quæ in illa sunt, propter nouam hanc adumbrata fuisse. Hac igitur de causa ueritatem figuræ adiunxit. Qui copulat præstationem promissioni, ueriſimiliter probat, se authorem esse & promissi, & dati. Quod aũt ait, ad figuram adiunctam esse ueritatem, id non ita intelligendũ est, quasi dicere uelit, ipsum Christi corpus realiter, & substantialiter uel cum pane, uel cum eius accidentibus copulari: sed quod in nouo Testamento id ostenditur impletum, & re uera præstitum, quod in ueteri sub figura Paschalis agni

Chrysostomus.

promittebatur implendum. Et sanè in ueterum sacramentis id, quod futurum erat, adumbratur: in nostris autem id, quod iam olim factum est, memoria recolitur, & gratiarum actione celebratur.

Origenes. Hæc Incõstantius ait se attulisse ex Patribus, ut ostẽderet generale discrimen ,, inter sacramẽta Legis, & Euangelij: nunc aũt uelle se illa testimonia adducere in ,, medium, quæ peculiariter ad nostrum cibum spiritualem pertineãt. Origenes, ,, inquit, in Numeros hom. 7. ita scribit: Tunc in ænigmate Manna erat cibus: nũc ,, autem in specie caro uerbi dei uerus est cibus. Sicut & ipse dicit, Caro mea uerè ,, est cibus: & sanguis meus uerè est potus. Hic Origenes, inquit Inconstantius, ,, conferens Manna cum cibo nostro, qui est caro Christi, uocat illud ænigma, &, ,, quod nos habemus, speciem: significans, idem spectare utrunq; cibum, sed nobis ,, in specie datum, quod illis secundum Paulum contigerat in figura: quod ipsum ,, Origenes ænigma dicit. Vnde sequitur, nos in specie, & ueritate carnem Christi ,, datam accipere: quã illi in ænigmate promissam acceperunt. Nihil unquã scribere potuisset Origenes magis accõmodatè ad nostram sententiam. Nam cum Manna, quod Patres habuerunt in deserto, conferat cum nostra Eucharistia, q̃d etiam Inconstantius fatetur, utrunq; dicit idem spectare: sed id nobis dari in specie, quod Patres habuerint in ænigmate. Id autem nihil aliud est, quàm in Mãna significationem fuisse corporis Christi, sed magis obscuram, & confusam: in Eucharistia autem eandem significationem esse, sed magis distinctam, illustrem, dilucidam. Hic enim certissimè, atq; euidentissimè demonstratur, corpus Christi esse nostrum cœlestem & spiritualem cibum, quo alendi simus ad uitam æternã. Hoc ipsum Patres etiam uiderunt: sed obscurè tantùm, & in ænigmate: quũ à nobis in sacramento nostro clarissimè uideatur, & in specie. Sed Inconstantius unà cum suis σαρκοφάγοις, ut est hebes, & crassus, putat, In specie, & ueritate accipere carnem datam, esse, illam in pane, uel sub accidentibus panis, ore, dẽtibus, ac faucibus deuorare. Nos uerò missis istis impostoris, & ineptijs, dicimus, carnem domini, quæ nobis hodiè proponitur in Eucharistia, mente, fide, ac spiritu hominũ piorum clarè, & apertè, hoc est in specie manducari.

Quid sit in specie accipere carnẽ domini.

Cyprianus. Verùm audiẽdus etiam est Cyprianus in Sermone de Cœna dominí ita scribens: ,, Cœna dispositа, inter sacramentales epulas obuiauerunt sibi institutа anti- ,, qua, & noua: &, cõsumpto Agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsum- ,, ptibilem cibum Magister apponit Discipulis. Nec iam ad elaborata impensis & ,, arte conuiuia populi inuitantur: sed immortalitatis alimonia datur, à cõmunibus ,, cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed uirtutis diuinæ inuisi- ,, bili efficientia probans adesse præsentiam. Hæc, inquit Inconstantius, Cypria- ,, nus: qui quatenùs inconsumptibilem cibum dicit, carnem Christi diuinã, & spi- ,, ritualem intelligit: quæ iam glorificata consumi non potest: cuius ueram præsen- ,, tiam ab effectu mirabili Cyprianus astruit. In istis uerbis Cypriani nihil prorsus est, quod Inconstantio suffragetur. Ait, apponi nobis cibum inconsumptibilem: quoniam uetera sacramenta expectabant successionem nouorũ: & ea causa rectè dici potuerunt consumptibilia, cum aliquando essent abrogãda. Nostra uerò sacramenta, cum sint postrema, nec unquam locum cessura sint alijs, iure optimo dici possunt cibus inconsumptibilis. At si uocem illam, Inconsumptibilis, non ad symbola, sed ad rem significatam referre uelis, perspicuum est, ipsum Christi corpus, quod fide, & spiritu percipimus, esse inconsumptibile: non enim potest amplius mori. Sed obijcies, nos dicere, Patres quoq; in agno Paschali comedisse per fidem uerum corpus Christi: itaq; ex nostra sententia illos quoq; habuisse cibum inconsumptibilem. Habuerunt illi quidem ipsum Christi corpus: sed, quemadmodum iam dictum est, multò obscurius, quàm nos: & cum res ipsa adhuc

Quomodò in Eucharistia cibum habeamus inconsumptibilem.

adhuc expectaretur complenda, & tantùm promisso aliquo teneretur, si eorum perceptio ad nostram conferatur, per tropum dici possunt, non habuisse. Neque uerò id uideri debet absurdum. Sacramenta enim ueterum ita dicuntur eadem cum nostris, ut nihilo tamen minus inter ea deprehendatur notabilis uarietas.

Illud autem fortasse uideri potest magnam adferre accessionem, & pondus ad causam Inconstantij, quod Cyprianus scribit, Inuisibili efficiētia probans adesse præsentiam. Verum nos uim diuinam, & efficientiam spiritus sancti, & dona spiritualia, & fructus, ac merita mortis Christi ab Eucharistia nunquā disiungimus. Sed hic, non de his rebus, sed de carnali, & substantiali præsentia contendimus. Neq; Cyprianus de præsentia corporis, aut sanguinis Christi quicquam loquitur: nisi quantum uisum est Inconstantio, illum inuitum, & reluctantem, in eam sententiam torquere, & trahere.

Posteà citat Ambrosium ex libro, De ijs, qui initiantur sacris, ca. 9. Cōsidera, inquit, nunc, uter præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utiq; corpus est uitæ. Manna illud de cœlo, hoc supra cœlum: illud cœli, hoc domini cœlorum: illud corruptioni obnoxium, si in alterum diem seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione: quod quicunq; gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua è petra fluxit, tibi sanguis è Christo: illos ad horā satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Hactenus Ambrosius: qui hac collatione, inquit Inconstantius, & discrimen sacramentorum, & nostri præstantiam sacramenti luculenter exprimit. Hæc omnia Ambrosij uerba, si ad res in Eucharistia significatas referantur, uerissima sunt: at si ad symbola, non possunt ullo modo consistere. Nam etiam panis Eucharistiæ, uel potius, ut uos ineptè fingitis, panis accidentia, quemadmodum experientia testatur, sunt obnoxia corruptioni, si paulò diutius conseruentur. Cæterum dices, Manna quoque, si eius significata considerentur, eadem habuisse omnia, quæ commemorantur ab Ambrosio. Ad hęc iam suprà satis responsum est, cum Cypriani locum explicaremus. Quare, quod ibi dictum est, tuum erit, Lector, etiam huc traducere. *Ambrosius.*

Adfertur etiam Hieronymus in Psal. 105. Sicut illi, inquit, de cœlis fluente manna refecti sunt: ita nos hodie in Ecclesia, corpore Agni accepto, reficimur. Hæc paucis Hyeronimus, inquit Inconstantius: quibus tamen quid potest dici clarius? Sed & de panibus propositionis loquens in epistolam ad Titum ca. 1. sic ait: Tantum interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & ueritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. Atq; hæc, ne quid erres, inquit iste noster, loquitur Hieronymus de Christi corpore in mysterio Eucharistiæ exhibito, quod, ut illius uerbis utar, conficiunt sacerdotes. Hoc facile est in patribus animaduertere, quod etiam dignissimum est obseruatu, illos, cum conferant ueterum sacramenta & nostra, in illis tantùm rem sensibilē & externam consideraſſe, nec symbola cum symbolis, sed illorum symbola cum re ipsa, quam nos in nostris significatam habemus, & fide percipimus, contulisse: quò magis, & illustrius præstantia, & dignitas nostrorum sacramentorum eluceſcat. Cur autem ueterum symbola à re significata distrahant, præsertim cum multi sancti illorum temporum rem ipsam fide comprehenderint, hæc causa fuit, quòd permulti illis temporibus, quid sibi symbola illa externa uellent ignorarēt. Idq; Augustinus apertissimè docet in Psalmum 39. Antiqui, inquit, quando adhuc sacrificium uerum, quod fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futuræ rei, multi scientes, sed plures ignorantes. Nam Prophetæ, & sancti Patriarchæ nouerunt, quod celebrabant: cætera autem multitudo iniqua, carnalis sic erat, ut fieret de illa, quod significaret posteriora uentura. Patres ergo in *Quid patres persæpe obseruent in collatione ueterum & nouorum sacramentorum.* *Augustinus.*

ſuis iſtis collationibus maiorem partem, & multitudinem ſpectabant, rerum diuinarum ignaram. Ea autẽ, ut erat carnalis, & iniqua, ſignis tantùm, & externis ſymbolis fruebatur: quæ ſi conferantur cum re ipſa, quam nos per fidem habemus, & percipimus in ſacramẽtis noſtris, longè ſunt & inferiora, & indigniora.

Sed in Chriſtiano etiam, inquies, populo multi ſunt impij, qui tantùm utantur externis ſymbolis: fidem autem non habeant, qua una poſsint ad rem ipſam peruenire. Fateor: idq; nimium uerum eſſe, uehementer doleo. At illi ignorationis ſuæ occaſionem ex noſtris myſterijs non habent. Verba enim illa, quibus homines de re ſignificata admonentur, ita perſpicua, & clara ſunt, ut nemo tam rudis ſit, qui neſcire poſsit, in ſacra cœna renouari memoriam mortis domini, quam ille noſtra cauſa iam olim in cruce pertulerit. Longè autem aliter ſese res habebat apud ueteres. Multitudo enim, ut Auguſtinus ait, maiori ex parte hæc ignorabat: etſi ea non potuerit huiuſmodi ignoratione excuſari. Atque ad hunc modum Chriſtus loquutus eſt de carnalibus illis, & impijs patribus, qui manducauerant manna in deſerto, & mortui erant. Re enim uera alij fideles, & boni, quales erant Moſes, Aaron, & Ioſuẽ, & alij ſimiles cœleſtem illum cibum non receperunt ad iudicium: & quamuis mortui ſint corpore, quomodo nos quoq; morimur, tamen nõ inciderunt in mortem æternam. Et temporibus Scribarum, & Phariſæorum, cum iam populus deſtitutus eſſet Prophetis, perpauci uel potius propemodum nulli erant, qui in illis ceremonijs, & ſacrificijs rem ipſam intelligerent, aut quærerent. Itaque externis tantùm ſymbolis inhiabant: quemadmodum adhuc noſtrorum temporum Iudæi faciunt. Rectè ergo Hieronymus, & alij complures patres hac ratione uſi ſunt in conferendis inter ſe ueterum ſacramentis, & noſtris. Deinde in collatione panum propoſitionis cum corpore Chriſti, ſi totum utrinq; ſacramentum, & plenum ſpectare uolumus, diligenter obſeruanda eſt ratio, & differentia temporum. Noſtrorum enim temporum ſacramenta longè ſunt perfectiora, quàm erant olim ueterum.

Cyrillus. Adducitur in eandem ſententiam Cyrillus li. 4. ca. 16. in Iohannem. Mannæ, „ inquit, alimentum, non æternam uitam, ſed breue famis remedium adferebat: „ non ergo erat cibus uerus, hoc eſt, panis de cœlo. Sanctum uerò Chriſti corpus „ ad immortalitatem, & uitam æternam nutriens cibus eſt. Sic Cyrillus, inquit „ Inconſtantius: quem ut intelligas de Euchariſtiæ cibo ſentire, illud adijciam ex „ eodem: Aquam illi ex petra bibebant: quid igitur lucrati ſunt, qui mortui fue„ runt? Non igitur potus ille uerus: ſed uerus potus eſt ſanguis Chriſti, quo radi„ citus mors euertitur, atque deſtruitur. Non enim hominis ſimpliciter ſanguis „ eſt: ſed eius, qui naturali uitæ coniunctus uita effectus eſt. Propterea corpus, & „ membra Chriſti ſumus: quia per hanc benedictionem myſterij ipſum filium dei „ ſuſcepimus. Hæc Cyrillus: qui Euchariſtiam uocat benedictionem myſticam. Manna remedium tantùm, idq; breue, fuiſſe famis, fateor: ſi Cyrillus de impijs, & indignè ſumentibus loqui uelit. At ſi de ſanctis patribus loquatur, qui illo cibo rectè, & cum uera fide utebantur, longè ab illo diſſentio: & in ea re ſequi malo authoritatem Auguſtini. Quæ autem ſit ratio collationis Mannæ ad corpus Chriſti, ſatis iam expoſuimus. Aquam autem de petra Paulus ad Corinthios diſertè uocat potum ſpiritualem, & patres illos ait bibiſſe de Chriſto: petram enim illam fuiſſe Chriſtum. Impios uerò, qui illo potu abuterentur, neceſſe eſt, ut fateamur, duplici morte fuiſſe mortuos. Pij autem, qui ad illam externam corporis refocillationem fidem adiunxerunt, etſi mortui fuerint in deſerto, non tamen fruſtrati ſunt æterna uita. Sanguis enim Chriſti non minus illis uita fuit, quàm nobis. Quare iſtæ collationes apud patres uel ita accipiendæ ſunt, uti iam diximus, uel prorſus reijciendæ. Hoc etiam prudenter cogitet Inconſtantinus,

ſtantius, quàm rectè Cyrillus dicat, Nos propterea eſſe corpus, & membra Chriſti, quòd per benedictionem myſterij ſuſceperimus ipſum filium dei. Nam ſi hæc eſt uera, & propria cauſa noſtræ coniunctionis cum Chriſto: quid futurum eſt de illis, qui diſceſſerunt ex hac uita antequam percepiſſent Euchariſtiam? An tantam multitudinem infantium & puerorum abalienabimus à corpore Chriſti? Atqui gratia dei non ita alligata eſt ſacramentis, ut, qui ad Euchariſtiam non acceſſerit, ſtatim explodendus ſit ab æterna ſalute. Deinde Baptiſmus ſemper appellatus eſt Sacramentum regenerationis: quemadmodum Paulus etiam affirmat cap. 6. ad Romanos. Quamobrem dicta iſta patrum diligenter, & attentè expendenda ſunt, ne illorum hyperbolis, & tropis decipiamur.

Citat etiam Inconſtantius Auguſtinum ex libro Quæſtionum ueteris, & noui Teſtamenti, quæſt. 95. Manna inquit, typus eſt eſcæ ſpiritualis: quæ Reſurrectionis domini ueritas facta eſt in Euchariſtiæ myſterio. Hæc Auguſtinus: qui Manna typum eſcæ ſpiritualis in Euchariſtia eiuſdem eſcæ ueritatem aſſerit. Mitto nunc, librum illum, unde hoc teſtimonium petitur, incertum, & nothum eſſe. Ita enim Eraſmus iudicauit, idq; prudenter, & magnis cum rationibus. Inconſtantium potius uoco ad uerba ipſa, quæ citauit, diligenter expendenda. Quæ, obſecro te, eſt illa ueritas Reſurrectionis domini facta in Euchariſtia? Anne tu in Euchariſtia re ipſa, & uerè, & propriè eſſe dices præſentem Reſurrectionem domini? Sic enim habent uerba, quæ citas. Non eras, credo, ſatis animo attento, cum iſta ſcriberes. Sed ignoſcendum eſt tibi, ſi nullum ex Auguſtino teſtimonium, quod uel leuiter tecum faceret, inuenire, & citare potueris. Is enim ubique apertiſsimè oppugnat cauſam tuam. *Auguſtinus.* *Eraſmus.*

Sed fateris, te non eſſe neſcium, Auguſtinum authorem eſſe illius ſententiæ, peruulgatæ, ueterum ſacramenta eadem fuiſſe cum noſtris. Illum enim in libro de Vtilitate pœnitentiæ, capite primo, cum exponat uerba illa Pauli (Omnes eundem cibum ſpiritualem manducauerunt) ita ſcribere: Suffecerat, ut diceret, cibum ſpiritualem manducauerunt: Eundem, inquit: Eundem non inuenio, quomodò intelligam, niſi eum, quem manducamus & nos. Quid ergo, ait aliquis: Hoc erat Manna illud, quod ego accipio? Ergo nihil modò uenit, ſi ante iam fuit: Ergo euacuatum eſt ſcandalum Crucis. Quomodò ergo eundem, niſi, quia addidit ſpiritualem? Nam qui Manna illud ſic acceperunt, ut tantummodò indigentiæ ſuæ corporali ſatisfieri putarint, & uentrem ſuum paſci, non mentem, nihil magnum manducauerunt: factum eſt ſatis eorum indigentiæ. Alios deus pauit: alijs aliquid nuntiauit. Hi tales cibum corporalem manducauerunt: non cibum ſpiritualem. Quos ergo dicit patres noſtros eundem cibum ſpiritualem manducaſſe? Quos putamus, fratres, niſi qui uerè patres noſtri fuerunt? Imò patres noſtri non fuerunt, ſed ſunt. Omnes enim illi uiuunt. Hactenus Auguſtinus: à quo quoniam Inconſtantius diſſentit, illi opponit Chryſoſtomum ex homilia in dictum illud Apoſtoli, Nolo uos ignorare: Sicut, inquit, dixit, quòd omnes per mare tranſierunt, ſic nobilitatem Eccleſiæ præfigurauit, cum diceret, Eundem ſpiritualem cibum comederunt. Hoc idem rurſus inſinuauit. Sic enim in Eccleſia non aliud quidem corpus diues, aliud uerò pauper: neque alium quidem ſanguinem ille, alium autem iſte: ſic & tunc: non aliud quid accipiebat diues Manna, aliud uerò pauper: neque alterius fontis particeps iſte erat, alterius uerò indigentioris ille, ſed ſicut nunc eadem menſa, & idem poculum, eadem & educatio omnibus, qui huc ingrediuntur, proponitur: ſic & tunc idem manna, & idem fons omnibus proferebatur: & hoc quidem *Chryſoſtomus.*

„ mirabile, & rarum. Hæc Chrysostomus: qui illud, Eundem, inquit Inconstan-
„ tius, in uerbis Pauli longè aliter exponit, quàm Augustinus: non ea significatio-
„ ne, quasi idem, quod nos biberint, & comederint ueteres patres: sed omnes illi
„ idem suum: quemadmodum & nos omnes sine personarum acceptione idem
„ nostrum: mirabili illi modo, & raro, qui nostrum maximè omnium admiran-
„ dum præfiguraret. Ad ista ego sic respondeo: primùm hoc consideret Inconstan
tius, Augustinum nobiscum sentire, ac dicere, ueteres, quòd ad rem ipsam attinet, idem in suis sacramentis habuisse, quod nos habemus in nostris: & nos non posse iure damnari nouitatis, nisi uelit Augustinum nobiscum unà condemnari. Atqui Augustinus nunquam ea de causa, quòd sciam, habitus est pro hæretico. Cur ergo Inconstantius nobis tam petulanter insultat, cum nihil ab Augustino alienum sentiamus? Sed Chrysostomus, inquit, dictum illud Pauli expo nit longè aliter. Quasi uerò nos id aut nesciamus, aut negemus. Hoc tamen uidissim cogitet Inconstantius, Chrysostomum ita adferre expositionem suam, ut alteram non improbet, aut condemnet: & fieri posse, ut utrunq; sit uerum: nimirùm, ueteres illos patres escam, potumq; habuisse & inter se, & nobiscum communem. Horum cum utrunq; possit esse uerum, Chrysostomus alterum sequutus est, Augustinus alterum. Quòd si uelis utrunq; coniungere, nos & cum Augustino sentimus, & cum Chrysostomo. Si dicas, Chrysostomum ita amplecti sententiam suam, ut alterũ abijciat, respondeo, id non dici tantùm à te, sed etiam probari debuisse. Et si id fecisset, tamen hoc supereſſet, ut ex ipsis Pauli uerbis cõiectura fieret, utra expositio esset aptior. Certè nisi Paulus ad nostra sacramenta respicere uoluisset, quid illum oportuit Baptismi facere mentionem? Sed uel ex eo uideri potest idem sensisse, quod nos uolumus, quòd dicat, illos ueteres bibisse de spirituali petra, id est, de Christo. Addit enim petram illam fuisse Christum. Quòd si, ut Paulus testatur, biberunt Christum, cur non rem sacramenti eandem nobiscum communem habuerunt? Deinde id propositum fuit Apostolo eo loco, ut Corinthios reprimeret, & reuocaret à luxu. Cum autem uideret, illos ad minas, quas intentauerat, ita respondere posse, quid tu nobis Paule comminaris exitium? nos iam sumus initiati Christi, & eius nomen profitemur, & eius imbuti sumus & consignati sacramentis, opposuit se, & ostendit, etiam ueteres illos patres, cum habuerint eadem sacramenta, tamen à deo grauissimè fuisse castigatos. Quòd si dicas, ueteres habuisse sacramenta non nobiscum eadem, sed tantùm eadem inter se, prorsus omnem uim argumenti labefactas. Dicere enim illi potuissent, Quid tu nobis narras ueterum sacramenta, quæ illi habuerunt inter se communia? Illa enim tantùm erant frigida, & externa symbola: & idcircò non potuerunt illos defendere ab ira dei. Nos autem in sacramentis nostris rem ipsam habemus, non umbras: Christum ipsum, non simulachra, aut imagines. Quare non perire non possumus. Hæc illi respondere potuissent, si sensissent cum Inconstantio, & facilè Pauli argumentum refutare. Vt autem nos cum Augustino sentimus, ita conuincuntur, ut nihil habere omninò possint, quod respondeant.

Conciliatio Augustini et Chrysostomi.

Cæterùm, Lector, ut magis etiam intelligas Augustini sententiam, non grauabor subijcere ea, quæ apud eum mox sequuntur illo ipso in loco, ubi Inconstantius finem fecit recitandi. Patres, inquit, nostri manducauerunt Manna in eremo, & mortui sunt. Quid est enim, patres uestri, nisi quos infidelitate imitamini? quorum uias non credendo, & deo resistendo sectamini? Et mox: Patres uestri manducauerunt Manna in eremo, & mortui sunt. Non enim intellexerunt, quod manducauerunt. Itaq; non intelligentes cibum, non nisi corporalem acceperunt. Sic & Apostolus dicit, patres nostros: non patres infidelium, spiritualem

ſpiritualem cibum manducaſſe, & ideo eundem. Patres noſtri, inquit, eun=,,
dem cibum ſpiritualem manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem bibe=,,
runt. Erant enim ibi, qui quod manducabant, intelligebant: erant ibi, quibus,,
plus Chriſtus in corde, quàm Manna in ore ſapiebat. Quid de alijs loquamur?,,
Ibi erat ille Moſes famulus dei fidelis in tota domo eius, ſciens quid diſpenſaret,,
& quia illo tempore ita diſpenſari deberent, clauſa præſentium, aperta futuro=,,
rum. Breuiter ergo dixerim, Quicunque in Manna Chriſtum intellexerunt,,
eundem, quem nos, cibum ſpiritualem manducauerunt. Quicunque autem de,,
Manna ſolam ſaturitatem quæſiuerunt, patres infidelium, manducauerunt, &,,
mortui ſunt. Sic etiam eundem potum: petra enim Chriſtus. Eundem ergo po=,,
tum, quem nos, ſed ſpiritualem: id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hau,,
riebatur. Audiſti eundem potum: petra erat Chriſtus. Non enim alter Chriſtus,,
tunc, alter nunc: Altera quidem illa petra: alter lapis, quem ſibi ſuppoſuit ad ca=,,
put Iacob: Alter Agnus occiſus, ut manducaretur paſcha: alter aries hærens in,,
uepribus immolandus, quando filio ſuo pepercit Abraham iuſſus, quem iuſſus,,
obtulerat. Altera ouis, & altera ouis: alter lapis, & alter lapis: idem tamen Chri=,,
ſtus. Ideò eundem cibum: ideò eundem potum. Et mox: Eundem ergo cibum,,
eundem potum: ſed intelligentibus, & credentibus. Non intelligentibus autem,,
illud ſolùm Manna: illa ſola aqua: ille cibus eſurienti: iſte potus ſitienti: nec ille,,
nec iſte credenti: credenti autem idem, qui nũc. Tunc enim Chriſtus uenturus:,,
modò Chriſtus uenit. Venturus, & Venit, diuerſa uerba ſunt, ſed idẽ Chriſtus.,,

Tamen, ne quid te, Lector, celare uidear, ſcire debes, librum illum, De utili=
tate pœnitentiæ, unde hæc omnia allata ſunt, Eraſmi iudicio non eſſe Auguſti=
ni. Quid igitur? An ea, quæ allata ſunt ex illo libro, Auguſtini non erunt? Mini=
mè. Eadem enim extant apud ipſum Auguſtinum alibi, idq; in eo libro, de quo
nemo unquam dubitauit. Nam tractatu 26. in Iohannem ita ſcribit: Manduca= *Auguſtinus.*
uerunt Manna, & mortui ſunt. Quare manducauerunt, & mortui ſunt? Quia,,
quod uidebant, credebant: quod non uidebant, non intelligebant. Ideò Patres,,
ueſtri: quia ſimiles eſtis illorum. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mor=,,
tem iſtam uiſibilem, & corporalem, nunquid nos non morimur, qui manduca=,,
mus panem de cœlo deſcendentem? Sic mortui ſunt & illi, quemadmodum,,
nos ſumus morituri: quantum attinet, ut dixi, ad mortem huius corporis uiſibi=,,
lem, atque carnalem. Quantum autem attinet ad illam mortem, de qua terret,,
dominus, qua mortui ſunt patres iſtorum, manducauit Manna & Moſes, man=,,
ducauit Manna & Aaron, manducauit Manna & Phinees, manducauerunt ibi,,
& multi, qui domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia uiſibilem,,
cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierunt, ſpiritualiter guſtaue=,,
runt, ut ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodiè accipimus uiſibilem cibum:,,
ſed aliud eſt ſacramentum, & aliud eſt uirtus ſacramenti, quem multi de altari,,
accipiunt, & accipiendo moriuntur. Et mox: Hunc panem ſignificauit Manna:,,
hunc panem ſignificauit altare dei: ſacramẽta illa fuerunt: in ſignis diuerſa ſunt:,,
ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Apoſtolum audi: Nolo, inquit, uos igno=,,
rare, fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſie=,,
runt, & omnes per Moſen Baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem,,
eſcam ſpiritualem manducauerunt: ſpiritualem quidem eandem: nam corpora=,,
lem alteram: quia illi Manna: nos aliud: ſpiritualem uerò eandem, quam nos.,,
Sed patres noſtri, non patres illorum: quibus nos ſimiles ſumus, non quibus illi,,
ſimiles fuerunt. Et adiungit, Et omnes eundem ſpiritualem potum biberunt.,,
Aliud illi, aliud nos: ſed ſpecie uiſibili: quod tamen hoc idem ſignificaret uirtu=,,
te ſpirituali. Quomodò enim eundem potum? Bibebant, inquit, de ſpirituali ſe=,,

„ quente eos petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Valde exa-
cum oportet esse, qui hæc uelit expositione, quasi obscura sint, illustrari.

Sed redeo ad Inconstantium: Is, quò magis Augustini authoritatem depri-
Chrysostomus mat, aliud etiam quiddã annotat in Chrysostomo: uidelicet, spiritualem cibum
„ apud Paulum, aliter longè exponi ab eo, aliter ab Augustino. Nam in eadem
„ homília, quam suprà citauimus, inquit Inconstantius, ita scribit: Sicut tu à laua-
„ cro aquarum ascendens ad mensam curris: sic illi à mari ascendentes ad mensam
„ uenere nouam, & admirabilem: de Manna loquor. Et iterum, Sicut tu admirabi
„ lem habes potum, salutarem sanguinem: sic & illi admirabilem habuerunt pocu
„ li naturam. Non enim inuenerunt fontes & amnes manantes, sed à dura, &
„ inaquosa petra multam fluminum largitatem acceperunt. Propterea & spiritua
„ lem appellauit: non quòd natura talis esset, sed quòd hoc modo suppeditabatur.
„ Non enim secundum naturæ conuenientiam ipsis dabatur: sed secundum ope-
„ rationem dei ipsos ducentis. Exijs duobus Chrysostomi locis apparet, inquit
„ Inconstantius, longè illum ab Augustino in interpretatione illorum uerborum
„ diui Pauli (Eundem cibum spiritualem) dissentire. Ego uerò tibi, Inconstanti,
respondeo, utrãq; istam interpretationem Augustini, & Chrysostomi posse non
incommodè consistere, & inter se conuenire. Primùm enim symbola illa exter-
na, Manna, inquam, de cœlo, & aqua de petra, quòd ad naturas ipsorum attine-
bat, non erant spiritualia: erant enim corpora, & percipiebantur sensibus. Sed
quòd educta essent ui diuini spiritus, idcircò dici potuerunt spiritualia. Et ipse
Christus qui in illis symbolis adumbrabatur, cum ab illis patribus spiritualiter,
hoc est, animo, fide, & spiritu sumeretur, nihil impedit, quin dici potuerint ci-
bus & potus spiritualis. Neque enim per se, & propriè corporis cibus & potus
erant, sed animi, & spiritus.

Nec Ambrosius, quem Inconstantius huc attraxit, alienus est ab hac senten-
tia. Exponens enim illum locum Apostoli in epistola ad Corinthios utranq; in-
„ terpretationem complexus est. Omnes inquit eandem escam spiritualem ede-
„ runt. Mãna, inquit, & aqua, quæ fluxit de petra. Hæc dicit spiritualia: quia non
„ mundi lege parata sunt, sed dei uirtute sine elementorum commixtione ad tem-
„ pus creata, habentia in se figurã futuri mysterij, quod nunc nos sumimus in com
„ memorationem Christi domini. Ideò & panis Angelorum dictus est, quia uir-
„ tute, qua Angeli subsistunt, creatus est, hoc significans, quia de cœlis uenturus
„ erat, qui spiritualiter pasceret. Rectè Ambrosius uocabulum illud Spirituale ad
utrunq; refert: & ad modum, uidelicet, quo res illæ eductæ sunt, & ad id, quod il-
lis rebus significabatur. Sed istud posterius Incõstantius uel non uidit, uel, quod
magis credo, uidere noluit. Nam qui animum suum aduersus omnẽ ueritatem
obfirmarunt, ea tantùm uident, quę uolunt. De Oecumenij autẽ interpretatio
ne, nihil est, quòd multa dicã. Idẽ enim illi respõderi potest, quod Chrysostomo.

Nec Theophylactus à Chrysostomi sentẽtia quicquam discesit: nam, quod
Lector diligens facilè per se uidere potest, collegit quodammodò eius interpre-
tationis epitomen. Ille tamen ipse ad extremum mentionem apertam facit spiri
Theophyla- tualis cibi, quem patres animo, & fide hauserint. Sic enim scribit: Hæc quidem
ctus. Paulus spirituali quodam differit sensu. Nam & hęc sensibilia erant, haud tamen
„ naturæ consentanea, sed spiritus gratia gerebantur: quæ gratia & corpora unà,
„ & animas aleret, & ad fidei credulitatem induceret. Sed hoc dictum Theo-
„ phylacti Inconstantius eò trahit, quasi consentiat cum Scholasticis, qui dicunt,
„ sacramẽta profuisse ueteribus, non efficacia sua, sed propter fidem utentiũ: cum
„ in noua Lege sacramenta ipsa conferant, & exhibeant gratiam illis qui obicem
„ non ponant, deo in illis, tanquã organis, operante potenter, & efficaciter: in Eu
charistia

charistia uerò Christo deo,& homine præsente: qui est illud Manna de cœlo ue,,
rum: & petra, unde nobis scaturit aqua saliens in uitam æternam. Qui dicunt,,
sacramenta nouæ Legis conferre, & exhibere gratiam illis, qui eis utantur sine
fide, nescíunt, quid dicant, aut affirment. Nam quî fieri potest, ut is, qui nullam adhuc fidem habeat, non ponat, ut illi loquuntur, obicem? Quicunq; enim talis est, cæcus est, & homo animalis, & deo mente inimicus, &, si quam habet sapientiam, eam habet inimicam deo, quæq;, quoad ita manet, deo subijci non possit. Est ergo dogma, non tantùm stultum, sed etiam pestiferum, & impium, dicere, gratiam dei ab ullis conferri sacramentis ex opere tantùm, ut illi loqui solent, operato sine fide. Ea enim unicum est instrumentum, quo promissiones, non modò in ueteri Testamento, uerùm etiam in nouo comprehẽdi possint. Non tamen negauerim, deum suo spiritu efficacius excitare fidem per nostra sacramenta, quàm olim per uetera. Sed ut olim sacramenta ueterum, quemadmodum Paulus ait, non iustificabant: ita ne nostra quidem hodiè iustificant. Itaque Augustinus pulcherrimè scribit de Aqua Baptismi. Vnde, inquit, fit, ut elementum corpus attingat, & cor abluat, nisi faciente uerbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Ecce, Augustinus, in Baptismo, quem negare non potes esse sacramentum nouæ Legis, requirit, non tantùm ut ne ponatur obex, sed etiam ut admoueatur fides. Cor enim negat ablui posse sine fide. Primùm ergo, Theophylactum nego hoc dixisse: deinde constanter affirmo, Scholasticos hoc & non recte, & parùm prudenter statuisse. Deus enim solus est author, est distributor omnis gratiæ: ut eius collatio nullo modo adscribi debeat sacramentis.

Qui destituuntur fide, necesse est ut obicẽ ponãt gratiæ.

Errat etiã præterea in eo Incõstantius, quòd putet nos commoueri authoritate Augustini, ut credamus, ueteres in suis sacramẽtis idem olim habuisse, quod nos hodiè habemus in nostris. Vt enim id crederemus, inducti potius sumus uerbis Pauli Apostoli. Vti autem uoluimus etiam testimonio Augustini, ne uideremur sensum ignotũ, & peregrinum inuexisse in Ecclesiam. Quod autem nos subijcimus, cum ueteres non comederint corpus Christi realiter, ut quod re ipsa nondum natum fuerit, aut extiterit, idcircò nè nos quidem illud realiter comedere, cum idem habeamus in nostro sacramento, quod illi olim habuerunt in suo, id Inconstantius insaniam esse clamitat. Sed quoniam effugere non potest, quin id certissima connexione consequatur, si uel Pauli sententiam, uel Augustini interpretationẽ uelit recipere, idcircò conatur quanto maximo potest astu, & ea, qua solet, prolixitate, & implicatione uerborũ Augustini interpretationẽ eneruare, atq; diluere. Ait autem illũ alio loco satis se ipsum explicare, cũ 45. tractatu in Iohannẽ ita scribat: Significata sunt ergo omnia: nũquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem, quæ credimus, prophetata prænũtiabantur? Vtiq; credebãt: sed illi uẽtura esse, nos uenisse. Ideò autem sic ait, Eundẽ potum spiritualẽ biberunt: sed spiritualẽ eundem: nam corporalẽ non eundẽ. Quid enim illi bibebant? Bibebant enim de spirituali sequẽti petra, petra autẽ erat Christus. Videte ergo, fide manẽte, signa uariata. Ibi petra Christus: nobis Christus, quod in altare dei ponitur. Et illi pro magno sacramẽto eiusdẽ Christi biberũt aquã profluentẽ de petra: nos quid bibamus, norũt fideles. Si speciem uisibilẽ intendas, aliud est: si intelligibilẽ significationẽ, eundẽ potum spiritualẽ biberunt. Ista profectò omnibus modis pro nobis faciunt. Corporalis enim cibus alius illorum fuit, alius noster. Ibi Manna, hic panis: ibi aqua, hic uinum. Res autem significata, & fide percepta eadem illis fuit, eadem nobis, Christus, uidelicet, quemadmodum Paulus docuit. Manifestissimè ergo liquet, etsi signa mutata sint, rem tamen manere eandem, & unam. Ibi, inquit Augustinus, petra erat Christus: nobis id Christus est, quod in altari ponitur,

Augustinus.

ſcilicet, panis, & uinum. Hæc enim myſticè, ſeu ſacramentaliter ſunt nobis Chriſtus: ſed non aliter, quàm Manna, aut petra erat Chriſtus apud ueteres Iudæos.

„ Verùm audiamus, quò Inconſtantius iſta rapiat. Primùm ait, illos ueteres
„ habuiſſe communem nobiſcum eundem potum propter unitatem fidei. Id qui-
dem uerum eſt: & ex eo ſequitur, illos, cum idem nobiſcum crederent, eandem etiam habuiſſe nobiſcum communem ſpiritualem alimoniam. Edere enim eſt Credere, quemadmodum ex ipſo Auguſtino ſæpè aliâs docuimus. Addit,
„ manente eadem fide, ſigna fuiſſe uariata. Hoc quoq; concedimus. Deinde ex-
„ pendit illam collationem, idq; ad rem putat maximè facere: Ibi petra Chriſtus:
„ nobis autem Chriſtus, quod in altari dei ponitur. Et negat, illis ueteribus alium
„ fuiſſe Chriſtum, quàm nobis, aut quàm nunc ſit in cœlis: idq; optimo iure, & re-
ctè negat. Nam & nos, & illi fide apprehendimus eundem, & unum Chriſtum: qui, quamuis nunc re ipſa agat in cœlis, tamen illis in aqua profluente de petra, nobis autem in eo, quod in altari ponitur, ſignificatur. Illos ait pro magno
„ ſacramento bibiſſe aquam, quæ ſcaturiret de petra. Alteram autem partem col-
„ lationis callida hypotypoſi ſubticuit. Subiecit enim, Quid nos bibamus, no-
„ runt fideles. Fateor, Auguſtinum non expreſsiſſe partem alteram collationis.
„ Sed ea ex illis, quæ ante dicta fuerant, poteſt facilè colligi. Fideles enim non aliud bibunt in myſteriis, quàm id, quod ponitur in menſa domini. Id autem, quod ad ſymbolum attinet, uinum eſt: accedente autem uerbo, fit ſacramentum ſanguinis Chriſti. Vt ergo illis aqua, ita nobis uinum eſt ſacramentum Chriſti. Ita ex omni parte impletur ἀντιπόδοσις huius collationis: quicquid ſibi fingat, &
Ambroſius. nugetur Inconſtantius. Ambroſius quidem dixit, Sanguis è Chriſto: & Chryſo-
Chryſoſtomus. ſtomus dixit, Sanguis qui fluxit è latere: ſed illi, non ſymbola, ſed res ipſas ſigni ficatas exprimere uoluerunt. Neq; illi negant, pios, & fideles patres fide, & ſpiritu eadem omnia percepiſſe in ſuis ſacramentis, quæ nos in noſtris: quamuis impij, & multò maxima pars populi externis tantùm ſymbolis paſti fuerint.

„ Poſteà iſte noſter iactat, ſe uelle quiddam explicare, quod Auguſtinus reti-
„ cuerit. Ait enim uir prudens, & magnus rerum obſeruator, ueteres, non petrã
„ bibiſſe, ſed de petra: uidelicet, quòd illi gratiam ex petra profluentem biberint,
„ non autem fontem ipſum omnis gratiæ. Eadem quidem, inquit, eſt aqua fontis,
„ quæ profluit, & ea, quæ reſtat: ſed uberiori, & pleniori hauſtu ebibitur totus
„ fons, quàm aqua, quæ ex illo manat, hauritur, quantumuis ea abundè, & co-
„ pioſè manet. Chriſtus eſt fons gratiæ inexhauſtus, à quo in nos profluit omne
„ bonum. Hic nobis in altari dei adeſt totus à nobis manducandus, & bibendus:
„ quia totus ibi adeſt ſub uiſibilibus ſpeciebus: ſub quibus nobis in ueritate datur,
„ qui illis promittebatur. Nos non de petra bibimus profluentẽ aquam, ſed ipſam
„ aquam cum fonte in myſterio ſumimus. Primùm oſtendam, hanc diſtinctionem Inconſtantij planè pugnare cum Paulo: deinde etiam cum Auguſtino, de quo nunc agitur, non conuenire. Nam Paulus quidem pro eadem re habet, Edere aliquid, & Edere de aliquo. Sic enim ſcribit: Quotieſcunq; ederitis hunc panem, & biberitis hunc calicem, mortem domini annuntiabitis, donec ueniat. Et ſtatim ſubiungit, Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Hic tam arguta Inconſtantij noſtri diſtinctio ab Apoſtolo confunditur. Deinde idem Paulus apertè ſcribit, illos omninò habuiſſe eundẽ cibum ſpiritualem, quem nos: non autem, ut iſte ſomniat, comediſſe de eodem cibo. Eundem autem nobiſcum cibum dico, quòd uideam, Auguſtinũ ita diſertè ſentire: cuius interpretationẽ iſte noſter dicit, ſe nolle repudiare: maluit enim uidelicet, eã ſuis ex-
Auguſtinus. plicationibus adulterare. Adhæc Auguſtinus, ut iã ſuprà annotauimus, ita ſcribit: Erant

bit: Erāt ibi, qui, quod mãducabãt, intelligebant: erãt ibi quibus plus Christus in corde, quàm Mãna in ore sapiebat. His uerbis Augustinus non obscure fatetur, Veteres quoq; comedisse Christũ, & ita comedisse, ut illũ habuerint in corde. Quare, si istam distinctionem non recipio, nihil habet Inconstantius, quod meritò possit conqueri. Multò autem minus id recipio, quod addit, corpus Christi totum adesse nobis sub speciebus uisibilibus. Id enim non tantùm cum scriptu-
ris pugnat, sed etiam cum ueritate humanæ naturæ in Christo: deinde nec ab Augustino docetur, nec à Paulo. Hoc tamen concedo, & carnem, & sangui-
nem domini, & omnes fructus mortis Christi uberius nobis, & largius quàm il-
lis ueteribus communicari. Sed Inconstantius huiusmodi nobis illorum con-
ditionem discribit, quasi illi in suis mysterijs non nisi externis symbolis, & ina-
nibus umbris pasti fuerint. Illos enim, etsi aliquam gratiam, nescio quam, & qua-
lemcunq; spiritum perceperint, non tamẽ nobiscum aut comedisse corpus Chri-
sti, aut bibisse eius sanguinem.

Ad Chrysostomi uerò sententiam, quam iste sibi putauit suffragari, non est *Chrysostomus.*
difficile respondere. Animaduerte, inquit, Pauli sapientiam, quo pacto Chri-
stum utrorunq; largitorem ostendat. Et hac in parte figuram iuxta ueritatem ad-
ducit. Quia enim illa illis præbuit, inquit, his etiam hanc præparauit mensam:
& ipse idem & illos per mare, & te per Baptismum adduxit: & illis Manna, &
aquam, & tibi corpus, & sanguinem tradidit. Et illius munera huiusmodi sunt.
Hæc Chrysostomus, qui ab uno datore Christo, inquit iste, eadem munera sentit,
non tamen eodem modo data: quia illis Manna, & aqua: nobis datur corpus, &
sanguis. Collatio ista Chrysostomi sic habet, ut suprà annotauimus. Symbola
enim ueterum, non cum symbolis nostris confert, sed cum rebus ipsis. Cur au-
tem ita Chrysostomus alijq; patres fecerint, suprà satis diximus, ut hic nihil sit repetendum.

Iam uideamus, quid Augustinus dicat in libro Quæstionum ueteris, & noui Testamenti. Quæstione uicesima ita scribit, quemadmodum citatur etiam ab Inconstantio: Dixit Apostolus inter cætera, Petra autem erat Christus: ut quia Christi uirtute aqua fluxit de petra, petra appellatus sit Christus: simili modo, & quia Manna potestate eius uenit de cœlo, Manna, id est Christus, panis dicatur: quòd tunc factum eius rei, quæ nunc in Ecclesia offertur, figura fuisse existime-
tur. Hic subijcit Inconstantius: Quibus uerbis Augustinus à uirtute Christi, Manna, & aquam, quæ illis data sunt in cibum, & potum ab authore Christo æsti-
mat, qui idem est author nobis: & hoc interesse censet, ut ibi sit figura eius quod nunc sit in Ecclesia. Et hic consentit Augustinus uerbis Pauli, qui sic eodem lo-
co scripsit: omnia in figura contigisse illis: adeò non oportet urgere uerba Pau-
li, quatenus dicit, eundem esse potum, & eundem cibum: quasi & in modo, & in ubertate dandi sit ueteribus, & nobis cibus, & potus idem. Hic mihi fas esset, ut suprà admonui, libri huius authoritatem contemnere. Sed ea de re nihil pu-
gno: nam in istis uerbis nihil uideo, quod meam sententiam labefactet. Hoc ta-
men obiter admonebo, Manna, & petram sortita fuisse nomen Christi ex eo po-
tius, quòd fuerint mysteria, & sacramẽta Christi, quemadmodum uerus Augu-
stinus multis in locis docet, quàm quòd Christus fuerit illorũ author, & ea po-
tentia, & ui sua produxerit. Nam, si eam rationẽ uelimus sequi, quæ uis alia crea-
tura posset dicit Christus: per illum enim facta sunt omnia: & omnia miracula, quæunquam edita sunt uirtute Christi, possent censeri eius nomine. Quod au-
tem dicitur, Manna, & aquam figuras fuisse eius, quod nũc offertur in Ecclesia, non inficior. In Ecclesia enim, uti sæpè iã diximus, offertur corpus Christi, cum pro eo nostra causa acto in crucẽ aguntur gratiæ, Itaq; nunc panis, & uinũ figurę

ſunt corporis,& ſanguinis Chriſti, quemadmodum ſuo tempore fuit Manna, & aqua. Hoc etiam non inuitus dabo,ſacramenta ueterum aliquo modo fuiſſe noſtrorum ſacramentorum figuras:quod tamen Inconſtantius aliâs omninò negauit. Mea autem ratio hæc eſt:quòd illa, cum fuerint obſcura,ſi ad noſtra, quæ clariſsima,& illuſtriſsima ſunt,conferantur,non iniuria umbræ, & figuræ dici poſsint: maximè uerò, quòd illa Chriſti uenturi ſigna fuerint, noſtra autem iam paſsi,& dati.

Deinde Inconſtantius deprauat id, quod Paulus ait, Omnia illis in figura
" contigerunt. Non enim Paulus ſenſit,illos nihil habuiſſe præter inanes figuras,
" & umbras:ſed illorum ſupplicia,quæ commemorauerat,figuras eſſe, & typos, oſtendentes quid Corinthijs quoq; euenturum eſſet,niſi reſipiſcerent.Nam alioqui apertiſsimè teſtatur,ueteres in ſuis ſacramentis idem omninò habuiſſe,quod nos in noſtris. Quod autem iſte addit, uerba Pauli non eſſe urgenda ex ea parte, qua dicunt, eundem fuiſſe illorum cibum,& noſtrum, uehementer errat. In eo enim eſt robur argumenti, quo Paulus uſus eſt ad Corinthios reuocandos. Non tamen dicimus, aut modum eundem, aut eandem ubertatem fuiſſe ſacramentorum ueterum, & noſtrorum. Nam quòd ad modum attinet, illorum ſacramenta obſcura erant, noſtra perſpicua,& clara: nos alia habemus ſymbola, illi alia:illi de rebus futuris admonebantur, nos de præteritis agimus gratias. Qui autem poſt aduentum Chriſti ſpiritum,& gratiam in homines pios largius,& uberius effundi negat,nihil uidet. Modus ergo, & uberta[illegible], de quibus iſte nobis litem mouet, nihil nos debet impedire.

Sed quoniam Inconſtantius hoc Auguſtini teſtimonio tantopere delectatur, libet mihi quiddam ex eo recitare, quod ille tacere maluit. Nam in calce quæ-
" ſtionis uiceſimæ ille, quiſquis eſt, ita ſcribit: Ad comparationem temporum, &
" gratiarum Chriſtiani Angeli dicti ſunt: quorum pane, qui Chriſtus eſt, ſatiati
" ſunt Iudæi,quos homines dixit. Tractat locum illum:Panem Angelorum manducauit homo: & per allegoriam ait, Chriſtianos appellari Angelos: quorum panem, uidelicet Chriſtum, Iudæi olim manducauerint, qui appellentur homines. Quare etiam iſte Auguſtinus teſtatur, Iudæos in deſerto manducaſſe Chriſtum,& ita manducaſſe ut illo fuerint ſatiati. Neque adhoc multum Cyrillus uariat cum eundem locum tractat uti ſuperius declaraui. Eat nunc Inconſtantius, & iactet, Iudæos tantum bibiſſe de petra, nos uerò haurire fontem ipſum: quaſi Iudæi gratiam tantùm aliquam fluentem de Chriſto manducauerint, & biberint: nos autem recipiamus Chriſtum ipſum.

Pergit iſte & laqueum ſibi multò adhuc arctiorem nectit. Fingit enim, iden-
" titatem, ut ſic loquar, cibi, & potus inter nos, & Iudæos in uita conſiſtere. Illis
" enim, inquit, uita erat à ſolo Chriſti ſpiritu: nobis autem eſt etiam à carne Chri-
" ſti in ſacramento data: quaſi Iudæi habere potuerint uitam à ſpiritu Chriſti, ni-
Nec Iudæi antiquitus poterãt uitam ac ſpiritum habere niſi per carnem Chriſti.
ſi Chriſtum haberent ipſum per fidem in cordibus ſuis habitantem, & mente, atque animo carnem eius pro ſe in crucem aliquando dandam complecterentur. Adhæc fatetur, ſacramenta ueterum eadem fuiſſe cum noſtris in ſigno remoto: nimirum, quòd illa quoque dirigant ad eandem uiam in cœlum, & ad eandem rerum credendarum ueritatem, & ad eandem cœleſtem uitam
" hic adipiſcendam per gratiam, ibi uerò per gloriam: quarum rerum Chri-
" ſtus ſit & author, & ductor, & dator. Illum enim de ſe dicere: Ego ſum uia,
" ueritas, & uita. Qui licet non eodem modo ſemper duxerit, docuerit, de-
" derit, eandem tamen uitam, inquit Inconſtantius, ueteres nobiſcum man-
" ducaſſe, & bibiſſe, fatendum eſt. Quid iſte de ſigno remoto ſibi fingat, non planè intelligo: neque id ad noſtrum inſtitutum ita multum facere arbi-
tror.

tror. Fortasis remotum signum intelligit æternam beatitudinem, & uitam, & gratiam: propinquum autem signum, corpus, & sanguinem domini. Quòd si ita est, uti auguror, omninò falsum est, quod ait, ueteres excluſos fuisse à cibo & potu carnis & sanguinis Christi. Illi enim hæc quoque potuerunt per fidem apprehendere. Sed, quoniam fatetur, ueteres nobiscum comedisse, ac bibisse eandem uitam, omninò necesse est, ut fateatur, illos comedisse etiam, & bibisse carnem, & sanguinem domini: ut sine quibus nemo unquam adeptus sit, aut adipisci potuerit æternam uitam.

Postremò discrimina illa, quæ nos in responsione posuimus inter ueterum sacramenta, & nostra, cum coarguere, aut refellere nō possit, arrodit tamen, quantum potest, & petita esse dicit à Scholasticis, & à nobis, tanquam simijs Catholicorum, nonnulla ex parte composita esse ad fallaciam imitatione loquendi. Primum, intelligere debet, me illa discrimina ab Augustino accepisse, non à Scholasticis. Deinde, quod ait me commentum esse ad fallaciam, id proferre debuit, & confutare, quod utiq; non fecit: non, opinor, quò mihi parceret, sed quòd nihil haberet, quod adferret. Hoc solùm dicit, me annotasse claritatem uerborum Christi, cum interim pro uiribus ea coner obscurare. Verba illa domini, quæ commemorantur in cœna, de eius corpore pro nobis tradendo in mortem, perspicua, & clara esse fateor: præsertim si conferantur cum doctrina, quam antiqui patres illa eadem de re habuerunt in umbris. Neq; ego obscuro sermonem domini: nisi quòd iste omnia obscura esse putat, ubi non lucet realis præsentia, & transubstantiatio.

ARGVMENTVM GARDINERI.

VM *Christus promiserit, fidem Ecclesiæ non defuturam, cumq; ea sit sponsa Christi charissima, mirum est quomodò eam tam diu in tam graui errore, & horrenda idololatria deseruerit, neq; ostenderit ei ueritatem rei contra tantam impietatem: si ita sit, ut uos dicitis.*

SOLVTIO.

NON ita mirarentur, si cogitarent, quid Christus dixerit de suo postremo aduentu. Putásne, inquit, cum uenerit Filius hominis, fidem inueniet super terram? Ostendit autem, tam graues fore errores, ut, si fieri possit, etiam electi sint seducendi: quemadmodum ante eius priorem aduentum Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes omnia corruperant suis traditionibus. Non tamen Ecclesia eo tempore prorsus deserta fuit in errore. Supererant enim aliquot uiri boni, ut Simeon, Iohannes Baptista, Ioseph, Anna, Maria. Ita factum est ultimis hisce temporibus: non enim uniuersa Ecclesia prorsus fermentata est istis humanis traditionibus, & erroribus.

GARDINERVS.

AGITVR *hoc argumento, quid fiat media diei luce: & hic Sectarius quærit occasum secundo Christi aduentui proximum.*

» INconstantius, ut uideatur mihi scitè, & argutè respondere, & probare solutio-
» nem meam longè esse à proposito alienam, cauillatur, me, cum quæratur de
» meridie, ostendere, quid factum sit in aurora, & quærere, quid futurum sit sub oc
» casum solis: quasi fateri uelit, sub initijs primitiuæ Ecclesiæ inter Iudæos omnia
» fuisse corruptissima: eaq; ultimis temporibus etiam inter Christianos fore quo-
» dammodo desperata: dominum enim prædicere, uix fidem superfuturam in ter-
» ris. Sed nos, inquit, de istis temporibus non quærimus; sed potius, quid agatur
» in meridie, hoc est, ut ego interpretor, in optima, & perfectissima constitutione
» Ecclesiæ. Cæterum, cur huic non uenit in mentem, quod Paulus scribit ad Thes
salonicenses: Antichristum, hominem illum peccati, iam tum cœpisse exercere
mysterium iniquitatis suæ: quodq; Iohannes scribit, illud ipsum suum tempus
esse ultimam horam. Simeonem, Iohannē, Iosephum, Annam, Mariam non eo
consilio recensuimus, ut qualis Ecclesia fuerit in ipsis incunabulis, doceremus,
sed potius contrà, ut illis exemplis ostenderemus, ueterem illam Ecclesiā, quam-
uis esset corruptissima, tamen bonis, & pijs uiris non prorsus fuisse destitutam.

» Neq; uerò est, quòd Ecclesia queri possit, quod impiè sibi fingit Inconstan-
» tius, multa iam sæcula elapsa esse, nec tamen adhuc deum illuxisse populo suo,
» gloriam domini non esse adhuc exortam, lumen nondum esse uisum, nondum
» fugatam esse idololatriam, sed potius mutatam: ut miseri mortales in Ecclesia ad
» hanc usq; ætatem coluerint panem, & uinum, tanquam Bacchum, & Cererem.
» Hæc, inquit, tam absurda, & abominanda Christum permittere, ac permisisse in
» Ecclesia non est credibile. Atq; hinc ait argumenta suppeditari suis à uoluntate
» dei per signum. Nihil causæ est, Inconstanti, cur Ecclesia ad hunc modū queri
» debeat. Ea enim iam inde ab initio luculenter instructa est de uoluntate dei ex
sacris literis, ut satis armata esset & contra idololatriā, & contra uestras istas de
transubstantiatione atque reali præsentia inanissimas fictiones. Ex eodem fon-
te didicit, Christum agere iam in cœlo, & adhuc retinere ueritatem humanæ
naturæ, nec secūdum eam iam amplius uersari in terris, aut omnino uersaturum
esse, antequam redeat ad iudicandos, & uiuos, & mortuos. Atque ex eo in-
tellexit, præsentiam sponsi sui in Eucharistia nullam esse, nisi spiritualem, eam,
uidelicet, quæ possit fide, atque animo comprehendi. Nec ueteres patres il-
lam de istis dogmatis unquam aliter instituerunt. Atque ita diu bene, ac tolera-
biliter habuit. Nam ferè usq; ad tempora Caroli Magni nec transubstantiatio-
nes, nec reales istæ præsentiæ, nec Missæ priuatæ, nec alia portenta penè infini-
ta in Ecclesiam inuecta sunt. Posteà uerò dormientibus ministris, quemad-
modum dominus ipse futurum prædixit, uenit inimicus homo, & superseminā-
uit zizania. Tum demùm impuræ istæ doctrinæ inualuerunt: quæ nostris tem-
poribus, quoniam scripturis nō possunt, ferro flammaq; defenduntur. Non ergo
commemoramus, quid factum sit à primordijs Ecclesiæ, & à temporibus Apo-
stolorum, sed quid post multa sæcula corruptis ferè iam rebus omnibus infeliciter contigerit, quidq; illud sit, quod hodiè miserabiliter premat, & affligat Eccle-
siam, non sine summo animi nostri dolore narramus.

Eam autem sæpe, acq; etiam penè dicam, semper fuisse conditionem Ecclesiæ, præsertim iam declinantis, ut impij ferè ubiq; dominarentur, pij autem, & rectè sentientes malis omnibus afficerentur, facilè uidere possumus ex sacra historia. Quis enim nescit, quid Hieremiæ, Esaiæ, plæriscq; omnibus Prophetis, Apostolis, & Christo ipsi acciderit. Nam de Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio, deq; pijs hominibus nostrorum tempornm nihil attinet commemorare. Atq; ea causa dixi-

sa diximus, Ecclesiam nunquam prorsus totam potuisse fermentari, & corrumpi: quòd semper fuerint in ea aliqui boni uiri, etsi non ita multi, qui de deo, & uera religione rectè senserint. Nos ne uerò, an isti assecłę, & parasiti Paparum sine sale computruerimus, Christus ipse, ubi redierit ad iudicandũ, publicè decernet. Interim non tanti faciemus, quicquid garriat Inconstantius.

ARGVMENTVM GARDINERI.

SI *in Eucharistia non adsit ueritas corporis Christi, sed tantùm significatio spiritualis nutrimenti, tum nihilo plus habebitur in sacramento, quàm in communibus cibis, & conuiuijs. Nam ibi quoq; fideles panis & uini significationem intelligunt: & sufficiet panis catechumenorum: & ita peribit effectus, & dignitas sacramentorum.*

SOLVTIO.

ETSI uulgaris panis præstare possit eandem significationem, tamen argumentum est infirmum. Nam in communibus cibis nec domini institutum est, nec sacramentum, nec uerbum dei, nec promissio talis, qualis est in Eucharistia. Ideoq; hæc non sunt inter sese conferenda.

GARDINERVS.

SI *nihil aliud est, quàm panis, quod datur, quin intelligatur in pane sacramentum, quoties manducatur, nihil prohibet.*

MARTYR.

PRimùm hoc mihi iste dicat, utrum plus putet fuisse in sacrificijs ueteris Testamenti, an in cæteris carnibus, quæ uendebantur in macello. Nam si plus fuit in illis, quid nobis mouet rixam de pane ac uino Eucharistiæ? At si nihilo plus in illis fuit, quàm in alijs carnibus, cur deus huiusmodi oblationes quandoq; uocat Sancta sanctorum? & quare cõminatur mortẽ illis, qui eas indignè comedissent? Dicat etiam hoc mihi, nunquid putet amplius esse in aqua Baptismi, quàm in profano balneo. Si nihil est, cur Baptismus prohibetur iterari? Cur appellatur lauacrum Regenerationis? Si est quiddam in eo amplius, quàm in alijs aquis, desinat Sophista de pane & uino Eucharistiæ calumniari.

Si quod datur, inquit, nihil aliud est, quàm panis, nihil prohibet, quin in pane, quoties comeditur, intelligi possit sacramentum. Nam, si omnia in nomine domini facienda sunt, siue edimus, siue bibimus, uerba autem Christi cognita, nobis, & cogitatione fixa retineamus, ubi nullum est sacerdotium, quod contendunt isti, altaria nulla, sed mensa ad edendum, & bibendum proposita, in qua nihil prætereà agitur, nisi gratiarum actio, quid ni obtineat, quod Psalmista canit, Benedicamus domino in omni tempore? Et huic isti Sectario manducatio ita discribitur, quasi dicas, meditari mente symbolum cum Cantico Zachariæ. Quod autem hic loquitur de promissione, nulla est adiecta symbolis, si nihil aliud concionentur, quàm abesse carnem Christi, cuius manducationi addita est à Christo promissio. De auditu uerborum, quem nunc exigit Sectarius, non erit, scilicet, difficultas. Recitabuntur per uices ab uno, & altero: & simul asseuerabitur fortiter, esse domini institutum: quod istis est loco firmissimi argumenti. Non atramento, Inconstanti, sed ueneno aterrimo tinxeras calamum, cum ista scriberes. Sed in eo indulge sanè tibi, quantum libet. Tamen ista, quæ tibi tanto

perè placent, quibusq; putas nos prorsus iugulari, noſtram cauſam nihil attingunt. Multa enim obſtant, quò minus, quoties comedimus panem eum habeamus pro ſacramento: eaq;, ne neſcire poſſes, aperte, & diſtincte indicauimus. Nam, ut habeatur ſacra Communio, neceſſe eſt, panem, non tantùm intelligi, ſed etiam eſſe ſacramentum. Siue edimus, ſiue bibimus, omnia facienda ſunt in nomine domini. Itaq; concludis poſſe fieri, ut Chriſtum ſemper, & in omni loco uera fide comedamus. Vtinam quidem, Inconſtanti, utinam id ſemper à nobis, & uerè fieret. Sed quoniam caro noſtra infirma eſt, idcircò iuſſu, & inſtituto dei habemus ſacros conuentus, ubi & uerbo dei, & ceremonijs Cœnæ dominicæ prouocemur ad id uehementius, & attentius faciendum. Repetuntur etiam, & inculcantur uerba Chriſti, quòd ea alioqui minus multò, quàm par eſſet, ſenſibus, & cogitationibus noſtris infigantur.

Eccleſia noſtra ſacerdotio minimè deſtituitur, cum Chriſtum ſacerdotẽ habeat.

Deinde impudenter mentitur, nullum nos habere ſacerdotium. Quomodò enim eſſemus Chriſtiani, ſi Chriſtum ſacerdotem non haberemus? In illum autem ſolum ita collata eſt omnis dignitas ſacerdotalis, ut illi iam nullus ſacerdos aut poſsit, aut debeat ſurrogari. Quod ergo ad Chriſtum ſacerdotem attinet, nos ſacerdotio noui Teſtamenti non deſtituimur. Deinde in Eccleſijs noſtris habemus cõcionatores, & miniſtros, & diaconos: qui, etſi nõ ita aut uncti, aut tõſi, aut raſi ſint, ut moriones iſti Papiſtici, nihilò tamen minus uerbum dei, & ſacramenta rectè, atq; ordine diſpenſant. Sacerdotes quidem illos non appellamus, ne quid Chriſti unico, atq; æterno ſacerdotio derogemus. Nec uſquam legimus in nouo Teſtamento, uel ipſos Apoſtolos unquam dictos fuiſſe ſacerdotes, uel eos, quos ordinarunt miniſtros in Eccleſijs, uoluiſſe ſacerdotes appellari. Hac in re ſi quid erramus, cur non redarguimur è uerbo dei?

Noſtros miniſtros non appellamus ſacerdotes.

„ Addit, nos non habere altaria, ſed menſas tantùm proponere ad comeden-
„ dum, & bibendum. Et quid, obſecro te, opus eſt altari, ubi nec ignis ardeat, nec
„ uictimæ cædantur? Oſtende nobis uel ex uerbis Chriſti, uel ex doctrina Apo-

Non habentur propriè altaria in eccleſia Chriſtiana.

ſtolorum certum aliquod mandatum de excitandis altaribus, ſi uelis nos in tuam ſententiam deſcendere. Menſas potius habemus: quòd uideamus Chriſtum non ad altare, ſed ad menſam myſterium Euchariſtiæ inſtituiſſe. Et Paulus cap. 10. prioris epiſtolæ ad Corinthios, cum hac ipſa de re ageretur, non dixit unquam Altare, ſed Menſam domini. Nõ poteſtis, inquit, menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Neq; illud uerum eſt, quod addit, nos ad hanc menſam noſtram nihil aliud uelle fieri, quàm ut edatur, & bibatur, & agantur gratię. Præter enim hæc omnia, quemadmodum iuſsi ſumus, celebramus memoriam mortis domini: adhibemus etiam preces, exhortationes, confeſsiones peccatorum, & eleemoſynas. Sed hæc omnia præ ſuis Tranſubſtantiationibus, uagis illis, & realibus præſentijs, Inconſtantius pro nihilo ducit, & contemnit. Vnde autem aut audierit, aut ſuſpicari potuerit, Edere, apud nos nihil aliud eſſe, quàm animo ac mente meditari ſymbolum cum Cantico Zachariæ, equidem non poſſum diuinare. Nam, Edere, ſi ad ſymbola referatur, opus naturę eſſe dicimus: ſin autem referatur ad carnem Chriſti, dicimus unà cum Sãctis, & Orthodoxis Patribus, edere, nihil aliud eſſe, quàm credere. Fides autẽ illa noſtra nihil aliud ſpectat in Euchariſtia, quàm corpus Chriſti pro nobis oblatum in cruce, & ſanguinem eius pro nobis fuſum. Neq; ibi aut ſymbolo fidei, aut cãtico Zachariæ opus magis putamus eſſe, quàm alijs ſacrarum ſcripturarum locis, in quibus illa uel promiſſa, uel exhibita leguntur.

„ Præterea etiam errat, quòd dicat, ſymbolis, poſtquam facta ſunt ſacramenta,
„ & ſumuntur cum uera fide, nullam additam eſſe promiſsionem, quis enim hoc
„ non uideat ad promiſsionẽ ſalutis noſtræ facere, quod audimus, corpus Chriſti

pro

pro nobis fuisse traditum, & sanguinem eius pro nobis fusum? Et cum rectè, atq; ordine ore corporis edimus, & bibimus externa symbola, mente, & spiritu edimus, & bibimus corpus & sanguinẽ Christi: cuius rei promissiones in 6. Iohan. amplissimè describuntur: nempè, nos in Christo mãsuros esse, & Christum uicissim in nobis: nos uicturos esse, & salutariter resurrecturos. At istæ, inquies, promissiones non adiectæ sunt symbolis. Fateor: si ea seorsim à rebus significatis, & illarum perceptione consideremus. In responsione autem proposita non ita accipiuntur. Ibi enim assignatur ratio, cur panis & uinum, cum eduntur, & bibuntur in sacra Cœna, non habenda sint pro cõmunibus cibis. Illi enim non habent aliam spiritualem promissionem, nisi quòd sanctificentur per precationem, & uerbum dei. *Quæ promissiones ad hoc sacramentum pertineant.*

Illud etiam luculentissimum est mendacium, quòd ait, symbola illa in sacra Cœna nihil aliud nobis prædicare, quàm abesse carnem Christi. Illa enim dicunt nobis testimonium de morte domini: prædicantq;, nos eius carne non minus pasci atq; ali spiritualiter, quàm naturali ratione alimur, & nutrimur pane ac uino: hortanturq;, ut quemadmodum in pane multa grana miscentur, & coeunt in unam massam, ita nos maneamus quàm arctissimè coniuncti in Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi. An hoc tibi uidetur esse, tantùm prædicare, abesse carnem Christi?

Deinde uerba, inquit, illa domini, quæ audiri uolunt in mysteriis, recitabuntur per uices, modò ab uno, modò ab altero: atq; hoc ipsum asseuerabitur, esse institutum domini. Tu ista, Inconstanti, tibi fortasse ipsi canis. Nos enim ab Apostolo Paulo longè aliter sumus instituti. Is enim in priori epistola ad Corinthios pulcherrimè distinxit sacram Cœnam à priuatis, & profanis conuiuijs. Monet enim, ut Christiani, cum uelint Communicare, conueniant ad Ecclesiam, & ibi unà comedant, & bibant, & sese mutuò expectent. Quòd si seorsim, & priuatim uelint comedere, id iam pronuntiat, non esse comedere Cœnã domini. Domos, inquit, habetis ad comedendum, & bibendum: &, si quis esuriat, domi comedat. Hic audis, quantum interfit inter domesticas, & priuatas epulas, & perceptionem sacramenti. Illæ enim priuatim fiunt: hoc in Ecclesia publicè celebratur. Quod autem pro sua modestia scurriliter addit, uerba domini modò ab uno, modo ab altero posse satis cõmodè recitari, id ad nostrarum Ecclesiarum instituta nihil pertinet. Nos enim habemus ministros: quorum de manibus, quemadmodum Iustinus Martyr, & Tertullianus in primordijs Ecclesię factum docent, sacramenta percipimus: & scimus, Paulum dicere 1. Corinth. 14. deum non esse authorem confusionis; eumq; monere, ut omnia ad ædificationem fiãt, idq; εὐχημόνως, & cum decoro. Quæ omnia quoniam & scimus, & in Ecclesijs nostris quàm possumus proximè sequimur, Inconstantium cum suis istis priuatis, & domesticis cœnitationibus patiemur facessere. Verbum quidem domini, & sacras literas priuatim in ædibus nostris recitamus: & de salutaribus rebus libenter inter nos colloquimur. Sed cum in illis mensis, nõ celebremus mysteria, sed reficiamus, & curemus corpora, nolumus ista inter se temerè, & sine ratione confundere. Quod autem Inconstantius noster ita effusè ridet, uerbũ domini ad priuatas mẽsas hominum Christianorum uel per uices aliquas recitari, uel ab omnibus unà cani, ut fratres sese mutò prouocent ad pietatem, id Tertulliano in Apologetico non ita uidebatur ridiculum. Atq; utinam illa ratio inter pios homines ubiq; seruaretur. *Iustinus et Tertullianus.* *Tertullianus.*

Queritur adhæc, nos, cum iactemus promissiones additas instituto domini, & magni fieri uelimus eius uerba, ueram eius corporis præsentiam denegare: quæ non tantùm constet & ex uerbo ipso domini, & ex sensu Ecclesiæ, sed etiam

,, sola dignitatem addat sacramẽto. Nisi crederemus, promissionem additam esse
institvto domini, sacras scripturas reijceremus. Cum autem opus hoc omne sit si
dei, ea uerò, quemadmodum Apostolus ait, constet ex auditu uerbi dei, cur, ubi
fides exuscitanda sit, adhiberi non debeat uerbum dei, equidẽ adhuc non uideo.
Aut quis unquam somniauit, sacramentum posse rectè, & legitimè administrari
Augustinus. sine uerbo? Certè Augustinus docet, accedere oportere uerbum ad elemẽtum,
ut fiat sacramẽtum. Nihil ergo nos alienum, aut absurdũ facimus, si in sacris my-
steriis sonare, & audiri uolumus uerbum dei. Realem autem, & substantia-
lem præsentiam corporis Christi negamus, quòd eam & ueritas humani corpo-
ris, & scripturæ ipsæ negent: quodq; ea, si reciperetur, dignitatem sacramẽti, nõ,
ut tu dicis, ornaret, sed, quod res ipsa loquitur, abrogaret. Quæ enim dignitas cõ
stare posset illi sacramento, in quo corpus domini spoliaretur suæ magnitudine?
Aut quæ posset in eo esse ueritas, ubi sensus ipsi deciperentur, &, relictis tantùm
accidentibus, symbolorum natura prorsus de medio tolleretur?

Theophylactus Sed Theophylactus, inquis, ita scribit in uerba illa Pauli, Non dijudicans cor
,, pus domini: hoc est, inquit, nil prius disquirens, aut internoscens præsentis my-
,, sterij magnitudinem. Nam si certiores essemus, quisnam, & quantus sit ille, qui
,, nobis in conspectu adiacet, nulla fermè rei alterius ope indigeremus: sed solus
,, ille & uigilantiam nobis, & diligentiam cõpararet. Hæc, inquit, Inconstantius,
,, Theophylactus habet; qui Christi præsentiam adeò in sacramẽto ueram esse per-
,, suasus est, ut illam solam satis esse putarit ad deterrendos nos, ne quid tanto my-
,, sterio indignum faciamus. Sed considerare Inconstantium oportuit, quánam
Quomodò Christus in conspectu nobis adiaceat, dum Cœna celebratur. ratione Christus, talis, ac tantus nobis constituatur in conspectu, interim dum
sacra Cœna celebratur. Nam, si de diuina natura loqui uelit, illa quidem uerè, ac
propriè adest: at si de humana, etiam illa nobis ante oculos, & in conspectu pro-
ponitur, cum à nobis uera, & sincera fide comprehenditur: cumq; nobis & uer-
bis, & symbolis, & externa illa mãducatione in memoriam reuocatur: & sublata
in crucem, & saucia, & mortua egregia hypotyposi quodammodò antè oculos
nostros constituitur. Verùm Inconstantius, quid nam illud sit apud Theophy-
lactum, Adiacere conspectui nostro, intelligere non potest, nisi Christus sub acci
dentibus panis concludatur.

,, Ad extremum ita concludit, Secundum istam doctrinam obtineri potest, ut
,, panis omnis triticeus, omni loco, omni tempore significet Christum: quò fre-
,, quentior fiat significatio Christi, & in uino largior, quatenùs pocula maiora ex-
,, hauriantur: ut ita protinus cõculcetur religio, & ipsa uilitate abeat in contemptũ.
Satis apparet, istum nostrum cudisse nobis hoc argumentum, cum iam rediisset
feruens, & æstuãs à poculis maioribus. An enim, quia Christus, quòd ad corpus
attinet, ut olim mortuus est, & sepultus, nõ est re ipsa præsens in aquis Baptismi,
idcircò quæuis aqua, aut quæuis tinctio erit Baptismus? Non, opinor. Et tamen
Paulus, ait, Omnes, quicũq; baptizantur, induere Christũ, & unà cũ illo mori, &
sepeliri in Baptismo. Imò etiã Chrisma illud uestrũ, cui tantũ uultis tribui, quam-
uis in eo nec Trãsubstantiatio ulla sit, nec realis Christi præsentia, tamẽ sacramen
tum, idq; maximũ esse uultis. Necq; tamen idcircò, opinor, uultis, omne oleũ, om
ni loco, omni tẽpore esse sacramentũ. Coniunctio etiã maris & fœminę refert no
bis coniunctionẽ Christi & Ecclesię. Non tamẽ id facit quæuis coniunctio: nam
alioqui stupra, & scortationes essent mysteria. Ridiculũ ergo est, quod iste no
bis ita petulanter obijcit, Omnẽ panem triticeũ significare Christũ. Quamuis eũ
maximè significet, nõ tamen idcircò erit sacramentũ Eucharistiæ. Possem hic cõ
uitia conuitijs, quibus ille me pro suo candore cumulauit, reponere. Sed ego re-
primo me: & hoc potius cogito, quid me, & hanc causam deceat, quàm quid ille
meritò audire debeat.

A R-

ARGVMENTVM GARDINERI.

SI tropicè accipiantur uerba Christi, tum facile fieri potest, ut multa præcepta subuertantur. Abraham iussus circuncidere se, potuit dixisse, sermo est figuratus: & huic mandato satisfacero, si cor meum circuncidero. Item, cum delectus ciborum mandabatur, dicere potuissent Israelitæ, exequutionem illius mandati posse constare morali obseruatione, si ea peccata non perpetrarent, quæ immundis illis animalibus significabantur. Et sic nec Circuncisio, nec delectus ciborum locum habuisset.

SOLVTIO.

INFIRMA est ratio: nam litera ipsa, & circunstantiæ euincunt, sermonẽ non esse tropicum. Nam Circuncisioni determinatus est octauus dies: & additur, fœdus domini gestandum esse in carne. In delectu autem ciborum tam disertæ conditiones animalium mundorum, & immundorũ describuntur, & huiusmodi purificationes præuaricantium, ut nullus relictus sit ambigendi locus.

GARDINERVS.

IMO *firma est ratio: nec defuerunt, qui religionem nostram illis artibus adorirentur: nec deerit ingeniũ malitiæ, ut illum diẽ octauũ, de quo loquitur Sectarius, tropo aliquo expediant.*

MARTYR.

ARgumentum, quod nos liquidò ostendimus infirmũ esse, id Inconstantius cum suscipiat confirmandum, nullo nouo fulchro, aut firmamento corroborat. Tantùm id, quod anteà posuerat, resumit, idq; aliquantò uerbosius, & molestius explicat. A qua illi, uidelicet, hærebat: & quemadmodum se ex isto Labyrintho explicaret, uiam nullam inueniebat. Ait, non defuisse homines, qui istis artibus religionem nostram aliquando adorti fuerint: & addit, non defutura ingenia pari malitia, quæ diem octauum, quem dominus Circũcisioni designauit, posśint tropo aliquo expedire: ut Circuncisione dicãt nouũ sabbatismum significari: nimirùm, ut in corde cessetur ab operibus carnis: cumq; deus sit spiritus, non in carnis præcisione, sed in cordis inscriptione notari fœdus: idq; ibi gestandus esse, non in pellicula. Si quis ita uelit euertere, ac tollere historiam de Circuncisione, illi facilè occurremus, & primùm quidem ei concedemus, hęc fuisse Circuncisionis mysteria quę commemorauit: & ad ista significata, maximè uerò ad Christum, illos, qui circuncidebantur, oportuisse spectare. Omninò autẽ circuncidi oportuisse membra genitalia, tum contextus ipse uerborum, tum etiam historia ipsa, quæ scribitur in libro Geneseos necessariò probat. Constat enim ex ipsa narratione rei gestæ, Abrahamum, non solùm se ipsum circuncidisse, sed etiã Ismaelem, & uernas, & Ischacum. Constat etiam, Iosuã instituisse generalem Circuncisionem totius populi: & Zipporam præciso filij præputio Mosen uirum suum liberasse à præsenti morte. Constat etiam, Iudæos ad hæc usq; tempora partem quandã uirilis membri præcidere, eosq; olim ea de causa dictos fuisse Apellas, & Recutitos. Oportet sanè & stultum, & omninò cęcum fuisse, qui sinere uoluerit sibi in re tam perspicua fucum fieri.

Iam uerò de cibis mundis & immundis nemo unquam potuisset ita subtiliter philosopharí, quin ut quiuis facilè intelligeret, illud præceptum eo tempore

ad hiſtoriam, utcp dicũt, ad literam pertinuiſſe. Nam prophetæ ſæpẽ, & uehemen ter conqueſti ſunt, hoc ab impijs Hebræis nõ fuiſſe obſeruatũ. Ezechiel dicebat, ſe nunquam quicquam immundũ comediſſe in omni uita ſua: & idcircò graua batur cibos ſuos coquere humano ſtercore. Daniel, & eius ſocij tẽperant ſibi à cibis, qui ad illos deferebantur à menſa Regia: ne fortè re aliqua immunda conta minarẽtur. In libris Machabæorum Martyres quidam, & ſancti uiri ſubire ma luerunt quæuis extrema ſupplicia, quàm, ut contrà præſcriptum Legis dei attin gerent ſuillam carnem. Et illud idem inſtitutum Iudæi noſtrorũ temporum ad hunc uſcp diem mordicùs retinent. Paulus etiam oſtendit, quãuis iam ſimus ab illa obſeruatione liberati per Chriſtũ, tamen illam in primitiua Eccleſia non po tuiſſe infirmis hominibus extorqueri. Et Petrus in ſua uiſione deprecabatur, ne ad immundorũ ciborum eſum adigeretur. Aduerſus tam euidentẽ, & tam perſpi cuam ueritatem qui tandem fuci, quæ fraudes, quæ cõmenta poſſint obtinere? Sed Inconſtantius trepidat, ubi nullus eſt timor: ubi uerò fides noſtra labefacta tur, & dogmatum ueritas concutitur, & corrumpitur, ibi ſecurè ſtertit.

Auguſtinus. Fateor aũt, rectè, ac prudenter annotatum eſſe ab Auguſtino in libris de Do ctrina Chriſtiana, q̃d tamen Inconſtantius noſter tacet, in mandatis dei non eſſe ,, recedendum à proprio ſenſu uerborũ (addit Inconſtantius, etiam in ſacramẽtis: ,, quod tamẽ in illo loco apud Auguſtinum non habetur) dummodò nihil abſurdi contineatur in litera, quod ſit à Fidei Regulis alienum. Nos uerò eius Regulæ optimè meminimus: nec alia de cauſa Reales iſtas ueſtras præſentias, & Trã ſtãtiationes repudiamus, quàm quòd ex illis multa abſurda, & à uera fide aliena conſequantur. Hoc tamen non omittam, Sophiſtã noſtrũ non ex ſimplicitate, aut incogitantia locum illum Auguſtini ſubticuiſſe, ſed ex mera aſtutia, & uafri tie. Sciebat enim, Auguſtinum eodem in libro, & penè etiam eodẽ loco docere, Manducare corpus Chriſti, & eius ſanguinem bibere, eſſe loquutiones figura tas. Hoc te, Lector, ut alia etiam eius generis multa, Inconſtantius pro ſua ſimpli citate celare uoluit.

ARGVMENTVM GARDINERI.

IN Prophetis, & in hiſtorijs tropi facilè poſſunt admitti: eò quòd ſpiritus ſanctus agat more hominum, ut uehementius, & magis exprimat, quæ ſunt dicenda. At in dogmatibus, & præceptis omnia ſunt ſimpliciter accipienda.

SOLVTIO.

HAEC ſententia non eſt uniuerſalis. Nam quoad præcepta Chriſtus ait, Cauete à fermento Phariſæorum: ubi apertè utitur tropo. Et in ſeptimo capite Matthęi: Cauete uobis à falſis prophetis. Veniunt enim ad uos in ueſtimentis ouium: intus autem ſunt rapaces lupi: in quo præcepto eſt figurata loquutio. Sunt etiam tropi interdum in Dogmatibus. Nam Paulus ait, Petra erat Chriſtus: &, Nos omnes ſumus unus panis. Et alibi de deo ipſo ſcribitur, Deus eſt ignis comburens.

GARDINERVS.

QUod hic adducit Sectarius, nõ infirmat uniuerſalitatẽ. Nã, Cauete à fermẽto Phariſæorũ, nõ ſimpliciter dogmatis cauſa à Chriſto dicebatur, ſed ut ſuorũ animos ab oſcitãtia excitaret.

MAR-

MARTYR.

REspondet, nostras istas instantias non efficere, quin Regula illa, quam ipse, nobis dedit in argumento proposito, sit generalis. Quod autem nos obiici-, mus, de fermento Pharisæorum, ait, Christum id dogmatis causa non dixisse; sed ut oscitantes suorum animos excitaret. Equidem hoc satis uideo, & scio, Christum uoluisse Discipulos suos attentos reddere, eosq; monuisse, ut cauerent. Tu uerò parùm attentus eras, Inconstanti, cum putares, nos hoc exemplum pro dogmate proposuisse. Disertis enim uerbis præceptum illud esse, non dogma diximus: & in responsione ostendimus, etiam in præceptis posse inueniri tropos. Quàm autem uerè dicat, id, quod à Christo speciali ratione factum sit, non posse id, quod generale sit, infirmare, nondum intelligo. Nam cum uerba illa Christi contineant præceptum, & in illis ipsis uerbis sit tropus, quomodò constabit uniuersalitas istius nouæ Regulæ, in præceptis non esse admittendos tropos?

Deinde, quòd à nobis secundo loco adductum est, Cauete uobis à falsis prophetis, fatetur præceptum esse simplicissimis, & apertissimis uerbis prolatum. Id autem, quod sequitur, de uestimentis ouium, ait, ad notam discernendi, non ad præceptum pertinere. Imò, Inconstanti, ea uidetur fuisse præcepti causa. Cur enim mandat, ut caueant, nisi quòd diligenti cautione sit opus, in tanta præsertim impostorum astutia? Illi enim, cum sint crudeles, feri, sanguinarij, tamen uideri uolunt clementes, mansueti, simplices. Neque uerò nos hoc loco quærimus, tropus ille, quem indicamus, causáne, an potius nota sit. Satis habemus, si hoc sit constitutum, tropum inueniri posse in præceptis domini.

Iam, si quis plura etiam loca audire uelit, an nõ id quoq; facit ad præceptum, quod Paulus ait, Ne contristetis spiritum sanctum? Aut, quod Christus monet, ne simus solliciti de postero tempore: sufficere enim suam diei malitiam: & crastinum sollicitũ fore de se ipso? In istis uerbis non ne est manifestus tropus? Possem huc alia permulta cumulare, si liberet: sunt enim in scripturis loca plurima. Memini uerò & quidem recte, Dialecticos hoc docere, propositionem uniuersalem falsam esse, si eius aliquæ particulares sint falsæ.

In sacramentis autem inueniri tropos, satis ex eo ipso docuimus, quod Paulus dicit, Petra erat Christus. Sed ibi Inconstantius negat esse tropum. Paulum enim loqui de Petra sequẽte: sensibilem aũt petrã non sequutam esse, sed Petram, Christum. Et addit, illa uerba non continere dogma nostræ Ecclesiæ: sed docere, quid Veteribus contigerit in figura. Sed Inconstantium meminisse oportuit, Paulum illam Petram sensibilem appellare sequentem, quòd obsequuta fuerit necessitati sitientiũ: cui sententiæ Græca uox, ἀκολουθούσης, nihil repugnat. Quòd si hoc non placet, possumus idem interpretari de ipso Christo, qui Israelitas continuè sequutus sit per desertum. Ipsum autem Christum appellari Petram, nõ est rarum aut inusitatum in sacris literis. Nam Esaias eum appellat lapidem offensionis, & petrã scandali. Et Dauid de Christo diserte canit: Lapis, quem reprobarunt ædificantes, is factus est caput anguli. Et Paulus, Ipso, inquit, summo angulari lapide Iesu Christo. Et Daniel, Christm appellat lapidem præcisum sine manibus. Deniq; dominus ipse Iohannis filiũ Simonem à se ipso appellauit Petrũ. Christum aũt appellari Petram, uideat Inconstantius, quàm rectè cõueniat sine tropo. Et si mihi fidem nõ habet, Augustino saltem credat, qui in libro Quæstionum super Leuiticũ. q. 57. ita scribit: Solet aũt res quæ significat, eius rei nomine quam significat nũcupari: sicut scriptum est, Septem spicæ, septem anni sunt, & multa huiusmodi: hinc est quod dictum est, Petra erat Christus. Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substãtiam

„ non hoc erat, sed per significationem. Audisne, tropum esse cum Petra dici-
„ tur Christus, Augustini iudicio: et eum tropum, qui à nobis docetur, nimirum ut
„ petra Christum significauerit?

Petram uerò illam cum aqua, quæ ab ea fluxerat, apud ueteres fuisse Sacramentum, negari non potest: & præsertim, cum Paulus Manna, & aquã illam è petra conferat cum nostro Baptismo. Nam Baptismum Sacramentum esse, nemo unquam hactenus dubitauit. Neque uerò refert, ueteris ne, an nouæ Ecclesiæ illa petra fuerit Sacramentum: modò Sacramentum fuisse constet.

Sed quid tandem ad illud respondebit Inconstantius, quod Paulus dicit:
„ Vnus panis multi sumus? Illa, inquit, uerba significant arcanum mysterij, quod
„ nullis alijs uerbis possit explicari. Nam cum dicimur corpus Christi, tropus est
„ necessarius: quemadmodum in prophanis dicuntur gemmare uites: quia pro-
„ prium uerbum deest. Et uulgò notatur, plura esse negotia, quàm uocabula. Hic
iste, quantum uideo, cogitur dare manus, & fateri, in dogmatis, & in Sacramentis esse aliquando tropos. Nihil autem eius causam leuat inopia uocabulorum. Nam nos quoq; illam agnoscimus: & cum efficax illa significatio in hoc Sacramento non possit exprimi uerbo alio proprio, idcircò dicimus, Christum uti uoluisse uerbo substantiuo: ne ibi leuem aliquam, aut uulgarem significationem esse suspicaremur. Errat enim iste noster, cum dicit, non defuisse Christo alia uerba propria, si figuram significare uoluisset. Etsi enim erãt uocabula, quibus communis figura posset indicari, tamen nullum fuit, quo hoc genus significationis, & figuræ posset ostendere. Atque idcircò Sacramentum sui corporis appellauit corpus suum. Circuncisio etiam dicta est fœdus: Agnus dictus est Pesach, aut transitus: & dominus de Iohanne, Ipse, inquit, est Elias: &, ne ab instituto discedamus, Paulus, & Lucas appellant calicem nouum Testamentum. Confectum ergo est, non tantùm præcepta, sed etiam dogmata, & Sacramenta recipere interdum loquutiones tropicas.

Cur Christus usus sit uerbo substãtiuo Est, potius quàm uerbo Significat.

„ Quod autem nos in Responsione obiecimus, deũ appellari ignem urentem,
„ id Inconstantius respondet, ad diuinam naturam pertinere, de qua nemo loqui
„ possit sine tropo. Sed in cœna, inquit, Christus de humana sua natura loquebat:
„ quare cum diceret, Hoc est corpus meum, uerbis usus est proprijs. Ista distinctio primùm ad rem nihil facit: deinde, ne uera quidem est. Christus enim naturam suam humanam appellauit granum frumenti: & eandem in sexto Iohannis appellauit Panem. Quare, quemadmodum iam diximus, & dogmata, & Sacramenta, & præcepta efferri possunt oratione tropica. Vniuersalis ergo illa propositio Inconstantij nostri, qua ita confidenter in uniuersum statuit, in præceptis, in dogmatis, & in Sacramentis nihil loci esse tropis, satis iam opinor est refutata. Quanquam ne illud quidem uerum est, quòd ait, Christum cũ diceret, Hoc est corpus meum, propriè ac precisè loquutũ esse de natura humana. Agebat enim tum de Sacramento sui corporis: in quo plenè, & pro rei ipsius dignitate explicando, proprium, atque aptum uocabulum non habebat.

TERTIAE PARTIS FINIS.

SEQVITVR QVARTA PARS LIBRI, IN QVA SENTENTIAE AC DICTA SANCTORUM Patrum excutiuntur.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Epistola 2. Clementis.

TRIBVS *gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorũ secretorũ: id est, presbytero, diacono, & ministro: qui cum timore & tremore clericorũ reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inueniatur: ne, cum negligenter agatur, portioni corporis domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis domini nostri Iesu Christi, si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint, in crastinũ non reseruentur, sed cum timore & tremore clericorum diligenter consumantur. Qui autem residua corporis domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos conueniant: ne putent sanctæ portioni commisceri cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur.*

SOLVTIO.

PRIMVM dicimus, hanc epistolam non esse Clementis, sed confictam à Papistis, & mundo obtrusam nomine Clementis. Deinde, etsi concederemus, eam esse Clementis, tamen illorum errori aduersatur in tribus rebus. Primùm, quòd hic panis in Sacramento uocatur corpus domini; & reliquiæ, seu fragmenta panis, uocãtur reliquiæ, & fragmẽta corporis domini: quod non potest intelligi, nisi figuratè. Deinde ait, Panem non debere reseruari: quod tamen ubique fit à Papistis. Postremò, ait, Sacerdotes non oportere solos sumere Sacramentum, sed unà cum populo. Annotandum autem est, non esse irreuerenter accedendum ad cibum mensæ Dominicæ, ut ad cæteros communes cibos: sed cum timore & tremore, ne accedamus indignè ad sanctam mensam: in qua Christus ipse non solum repræsentatur, sed etiam uerè nobis datur.

GARDINERVS.

ISTA *calumnia est facillima, uerbo, uelut fictitium reijcere, quod aduersetur. Sed est ex istis, qui bellè excogitauit, non esse hanc epistolam Clementis primi, sed cuiusdam Clementis tertij, qui post Gratianum, quo authore hanc epistolam editã habemus, annos fermè sexaginta fuit: scilicet, ut quod est in Prouerbijs, Antequam capra pareret, hædus luderet in tectis.*

MARTYR.

MVltæ sunt causæ, eæq; etiã iustissimæ, cur istas epistolas dicamus esse supposititias: quas istius improbitas, & importunitas cogit quodãmodò com

,, memorare. Ait enim, nos istarum epistolarum authoritatem reijcere, quasi nihil
,, pensi habeamus, quid dicamus, modò dicamus aliquid, quod à ueritate dissen-
Epistolæ Clemẽtis primi sunt suppositiciæ.
tiat. Primùm ergo dicimus, Stilum ipsum illarum epistolarum nulla ex parte redolere grauitatem Apostolicam illorum temporum. Deinde addo, tractari in illis futilia quædam & inania, & minimè illis temporibus cõuenientia: quæ, qui naribus sunt non omninò obtusis, ex prima statim lectione facilè poterunt subodorari. Adhæc nemo ex ueteribus Patribus has epistolas unquam citauit. Atqui id non fecissent, si tum istæ epistolæ extitissent: præsertim cum nescire non possent, Clementem fuisse discipulum Petri, & apud illum summo fuisse loco: addo etiam, cum multæ graues controuersię harum authoritate epistolarum, & unius nomine Clementis facilè potuissent tolli. Itinerarium Clementis, antiquum admodum scriptum, à Gelasio numeratur inter apocrypha: de istis autem Epistolis prorsus nulla fit ab eo mentio. Quodq; à Papistis omnibus diligenter, & in primis caueri debet, si has epistolas recipiãt, necesse omninò erit, ut primatum Papæ suo derogent, illumq; titulum ad Episcopum Hierosolymitanum
,, transferant. Iste enim Clemens primam epistolam suam ad Iacobum sic inscribit:
,, Clemens Iacobo fratri domini, & Episcopo episcoporum, regenti Hebræorum
,, sanctam Ecclesiam Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias dei, quę ubiq; dei pro-
,, uidentia fundatæ sunt. Quid, an Clemens ipse, cum esset Romanus Episcopus, iuxta Papistarum sententiam, non erat Episcopus episcoporum? An ille non regebat omnes Ecclesias, quę ubiq; erant per totũ orbem terrarũ? Ergo Papatũ uoluit Roma transferri Hierosolymam? Nam certè, cum ista scriberet, Petrus iam erat mortuus. Sed nugæ istæ sunt, inquies: Fateor. Cur ergo, cũ istas nugas prodo, & haberi uolo pro nugis, ita seriò, & acerbè condemnor? Additur in eadem epistola sub persona Petri: Non iudicem, aut cognitorem sæcularium negotiorum hodiè te ordinare uult Christus: ne præfocatus præsentibus hominũ curis non possis uerbo dei uacare, & secundum ueritatis regulam secernere bonos
,, à malis. Et mox, Tibi impietatis crimen est, neglectis uerbi dei studijs, sollicitudines suscipere sæculares. Et mox, Si enim mundialibus curis fueris occupatus,
,, & te ipsum decipies, & eos, qui te audiunt. Bona ista quidem, & salutaria monita sunt, fateor: & ad Episcopos uerè pertinẽt. Sed quid si eadem ista occinamus Antichristo Romano, & Cardinalibus, qui toti sunt in Laicis tribunalibus, in administranda re ciuili, in incendendis & gerendis bellis, in tuenda sua tyrannide? Quid si eadem obijciam Gardinero meo, qui relicto munere Apostolico, & administratione uerbi dei, perpetuò, & totus est in aula, & iã agit summũ Anglię Cancellariũ? Fortasse respondebũt, Epistolas istas Clementis tantùm esse unicula uoluntaria: se illis non teneri, nisi quantum ipsi uelint. Cur ergo me solum illis ita miserè astringi uolunt, ut si quid laxare uelim, statim sim hæreticus? An quod non sim nec Papa, nec Cardinalis, nec Vintonienſis Episcopus? Ettamen illos Clementem istum suum in primis oportuit colere. Is enim in istis epistolis illis diligenter cauit, ne possent à laicis hominibus accusari: & omninò decernit, omnes laicos oportere Episcopis esse subditos. Adhæc Episcopos esse claues cœli, illosq; habere potestatẽ, & aperiendi, & claudendi cœlũ: quòd claues cœli facti sint: illos aũt à nemine oportere admoneri, quòd sint oculi domini: quodq; qui eos tangat, tangat pupillam oculi eius: ut necesse sit, Paulum grauiter peccasse, qui Petrum reprehenderit: & Irenęum, qui ita liberè monuerit Victorem, ne Episcopos Asiaticos excõmunicaret: & Episcopos Aphricanos, qui monuerint Episcopum Romanum, ne suos, qui ultra mare, ad Apostolicam sedem appellassent, reciperet. Imò, quod longè etiam est absurdius, monet in illa epistola Reges, & orbis monarchas, quos constat illis temporibus fuisse infideles,
& ho-

& hostes nominis Christiani: aitq́, omnes Principes terræ oportere obedire, & capita sua summittere Episcopis. Sed quid ago? Prolixum esset, tres illas epistolas penitus excutere. Ego tibi, Lector, gustum tantùm dare uolui: tu cætera per te ipsum expendito. Quanquam ex istis ipsis facilè potes intelligere, non malè nos iudicare, epistolas illas esse spurias, & supposititias.

Sed redeo ad Inconstantium. Is ait non esse credibile, Papistas uoluisse epistolas illas confingere, cum ipsis authoribus ita apertè aduersentur. Sed non meminit, Papistas suos, postquam semel cœpissent deficere à uerbo dei, nõ semper errasse eodem modo. Nam Papæ ipsi nostrorum temporum quoties inter se diuersa & pugnantia statuerunt? Atque eo maximè nomine dicimus, istos tantò esse acrius & uehentius reprehendos, qui ne illis quidem stare uelint, quæ ab ipsorum maioribus decreta, &, quo plus haberent authoritatis, & ponderis, falsò Clemẽtis nomine fucata sint: quiq́ non solùm à ueritate sacrarum literarum, sed iam etiam à suis ipsorũ decretis defecerint. In uerbis aũt istius ipsius Clementis, quicunque tandem ille fuerit, quædam satis cõmode annotata sunt in responsione: idq́ in primis, quod reliquias panis, appellat Fragmẽta corporis domini: eam enim loquutionem sine figura non posse intelligi. Imò, inquit Inconstan, tius, ő bone, mysticam eam loquutionem dicimus, non figuratã. Illud enim esse mysterij proprium, ut Christus, qui non frangitur, tamen in mysterio frangatur, ad exprimendam passionem: quãuis fractio sensibilis tãtùm sit in signo. Deum immortalem, quas hic nobis offundit tenebras? Equidem, quæ sit mystica loquutio, nisi eadem sit tropica, non intelligo. Sed dic mihi: Corpus Christi an propriè comminuitur? an propriè habet fragmenta? Ego quidem confidenter affirmo, corpus Christi nullo modo propriè frangi posse. Quòd si quando dicatur frãgi, id dico referri oportere ad symbolum. Nam, si quemadmodum Paulus ait, Christus non amplius moritur, certè ne patitur quidem amplius, aut frangitur. Sed iste Sophista, cum dicat fractionem sensibilem tantùm esse in signo, & tamen interim affirmet, ipsum Christi corpus frangi in mysterio, ut est insulsus, non uidet se loqui pugnantia. Ista ergo duo uel sunt idem, atque ita non potest euitari tropus, cum id, quod propriè ad signum pertineat, attribuatur etiam rei, uel sunt diuersa. Explicet nobis aliquando Inconstantius, quid sit, Frangi in mysterio.

Verùm, quoniam uidit, id, quod primo loco responderat, non posse recipi, aliam quæsiuit rimam. Si hæc uerba, inquit, non possunt intelligi absque tropo, potest iusta, & necessaria causa assignari, cur tropus adscíscatur, nempè, quòd corpus Christi frangi nequeat: quæ necessitas in exponendis illis uerbis Christi, Hoc est Corpus meum, cum non inueniatur, ideo tropus ibi non habet locum. Si Inconstantius causas illas, & necessitates nõ audiuit, propter quas nos in exponendis illis uerbis docuimus omninò adhibendum esse tropum, id nobis non debet esse fraudi. Te autem, Lector, & audiuisse illas, & in memoria retinere, persuasum habeo. Sed iste posteà inuadit aliam ansam: nam alteram tenere nõ potuit. Ex uerbis, inquit, Clementis non sequitur, Panem appellari corpus Christi. Non enim ea exigunt, ut fateamur, manere panem: quandoquidem fractio in panis accidentibus expenditur sensibus: & corpus Christi dicitur impartibiliter diuidi, ut sub minimo fragmento sit integrum corpus: unde conuenienter fragmenta sunt indiuisibilis corporis. Quantò magis magisq́ in Lernã istam abstrudorum intueor, tantò magis, magisq́ miror, unde huic homini tanta uis monstrorum suppetat. Ait, accidentia frangi sine subiecto: quod certè, si ipse se audiret, non diceret. Deinde sub quouis illorum accidentium frustulo uult totum, atq́ integrum esse corpus Christi: id quod, si de similitudine, aut repræsentatione diceret, quemadmodum in speculo fracto uidemus usu uenire, ut in singulis

fruſtulis uultus intuentis integer, & totus conſpiciatur, non malè diceret. Cũ autem clamet, Corpus Chriſti integrum eſſe ibi ſub ſingulis particulis fracti panis, idq; realiter & ſubſtantialiter, quantùm id portentum ſit, tu ipſe per te Lector, optimè cogitabis. Ne id quidem dico, quàm abſurdum ſit, corpus, quod ſit indiuiſibile, tamen habere fragmenta, idq; non figuratè, ſed propriè. Hoc tantũ moneo, nos ex illis uerbis idcircò probare in Euchariſtia manere panem, quòd Clemens illas reliquias appellet fragmenta. Nam corpus Chriſti iam impaſſibile, & glorioſum eſt, & nec mori amplius, nec frangi poteſt: accidentia autem ſine ſubiecto nec recipere fractionem, nec omninò extare poſſunt. Tantùm ergo panis ſupereſt, qui frangatur. Et Cyrillus apertè particulas, & reliquias Euchariſtiæ appellat fragmenta panis. Cyrillus.

» Quod autem nos poſteà ex illis uerbis annotauimus, Euchariſtiam non eſſe
» reſeruandam in craſtinum, id ait non uerbis Clementis exprimi, ſed noſtra tan-
» tùm interpretatione colligi. Iuſſit quidem, inquit, Clemens, ne reliquiæ illæ ſer-
» uarentur in craſtinum: quoniam ei ita uidebatur conuenire: non dixit autem aut
» non debere, aut non poſſe ſeruari: quod Hæretici quidam putabant, quos Cy-
» rillus coarguit. Notat locum ex epiſtola Cyrilli ad Caloſyrium: quæ cum hodiè nõ extet, de ea nihil poteſt certi reſponderi. Quid tamen mihi de ea re uiſum ſit, dixi alibi. Cũ Clemens & Papa fuerit, &, ut uos uultis, uniuerſę Eccleſię præfuerit, & iuſſerit, ne reliquiæ Euchariſtiæ ſeruarentur, neceſſe eſt, ut uos eius iuſſa faciatis, niſi uelitis Apoſtolici uiri, & uniuerſalis, ut ſentitis Epiſcopi, & Capitis Eccleſiæ decreta conuellere. Si ille dei ſpiritu, quo uos iactare ſoletis illam ſedem regi, hoc decreuerit, quo tandem poteſtis uos ſpiritu illud decretũ uiolare?

Senſit hîc Inconſtantius, ſeſe hærere in luto: itaque, ne prorſus immergeret, quàm primùm ſeſe tranſtulit ad id, quod à nobis annotatum eſt tertio loco: idq; quod nos ex uerbis Clementis uolumus concludere, ait eſſe mendacium. Quo-
» niam, inquit, licet Clemens dicat, populo paranda holocauſta, quod Eccleſia ſem-
» per profeſſa eſt, & omnes Miſſæ ceremoniæ prædicant, tamen non dicit, Si popu-
» lus abfuerit, & præparato illorum cauſa Sacramento uel noluerint, uel nõ potue-
» rint adeſſe, non dicit, inquam, eo caſu ſacerdotem, qui myſterium confecit, ideò
» abſtinere debere, quia conuiuæ inuitati non ueniunt, ne ſolus poſſit manducare:
» imò contra potius, ne reliquiæ in craſtinum maneant, uult uniuerſum, quod pa-
» ratum eſt, à clericis conſumi: ut ubi unus modò clericus ſit, quod rurì accidit, ibi
» ſolum poſſe, & debere ſecundum Clementem ſumere, quod parauit, plusquàm
» manifeſtum eſt. Si Clemens iubet, ut populo parentur holocauſta, hoc eſt, Pa-
nes, qui ſint ueri illius holocauſti, Corporis uidelicet Chriſti oblati in cruce Sacramenta, & idcircò nomen accipiunt à re ſignificata, cur uos ita nõ facitis? Cur uos, contemptis Canonibus ueſtris aſtante ſæpiſſimè frequenti populi multitudine, unum tantùm habetis cruſtulum, quod comedi uelitis à ſolo ſacrificulo: pro toto autem populo nihil paratis? Si Eccleſia hoc ſemper profeſſa eſt, cur uos eam profeſſionem contemnitis & uiolatis? Si id Miſſæ ipſius ceremoniæ prædicant, cur uos non pudet in ipſis ſacris ueſtris ita publicè mentiri? cur uos multorum
» Communionem non habetis? cur panes multitudini non paratis? Quid, in-
» quis, ſi populus defuerit, & præparato illorum cauſa Sacramento uel noluerint,
» uel non potuerint adeſſe? Primùm reſpondeo, Si populus nõ conueniat, & adſit, non eſſe celebrandam communionem. Hoc enim Paulus mandauit Corinthijs, ut ſeſe mutuò expectarent: neque quiſquam præſumeret Cœnam ſuam ad manducandũ. Deinde hoc etiam addo, diebus feſtis, maximè uerò Domicis populum ueſtrũ adeſſe ſatis frequentẽ: nec tamen illis holocauſta à uobis præparari: ſed unum ſacrificulum ſuũ ſibi panem, quem populo non comedendũ, ſed uiden-

uidendum, atque adorandum exhibuerat, cæteris præsentibus, atque inspectantibus, deuorare.

Sed Clemens, inquis, non dicit, illum sacerdotem abstinere debere à mysterio, quod confecit. Si id Clemens non dixit, tamen & Apostolus, & Christus ipse dixit. Christus enim non solùm communicauit cum discipulis, sed etiam addit, Edite, & Bibite: iussitq; ut idem illud facerent, quod ipse fecisset. Cum ergo Christus comederit & biberit unà cum discipulis, illisq; mandauerit, ut idem facerent, cur uester Missificator sacrificulus comedit, & bibit solus? Aut si cœnam illam non uultis communem esse, cur eam appellatis cœnam? Si alij cunctentur, cur illos, quemadmodum Paulus monuit, non expectatis? Si Clemens uetat, reliquias reseruari, & manere in crastinum, cur uos eas, etiam inuito Clemente, reseruatis? Aut, si fortè supersint, cur clericos uestros, qui eas consumant, non adhibetis? Atqui rurí, inquit, sæpè unus tantùm est sacerdos. Esto. Sed cur id non fit in ciuitatibus, ubi negare non potes, sæpè multos esse clericos? Certè Clementem uestrum, etsi magno uerborum strepitu defenditis, tamen eum re ipsa, & factis apertissimè uiolatis. Si sacrificus ille tuus rurícola nec populum præsentem habet, nec clericos, cur instituit Communionem? An ut ceremonijs suis illudat, & mentiatur se communicasse cum multis, cum unus & solus comedat & bibat? Vtq; utar illa forma argumentandi, quam sæpè nobis Inconstantius inculcat, Clemens, si id uoluisset, quod iste fingit, potuisset ita dicere: Quòd si nullus adsit, aut è numero clericorum, aut è populo, &, ut fit interdum rurí, solus tantùm sit sacerdos, præparet sibi soli unum duntaxat holocaustum, ne in crastinum diem ullæ reliquiæ reseruentur. Hoc autem non dixit: uoluit ergo in Mensa dominí semper multa esse holocausta, & multos unà inter sese communicare. Non enim putauit necesse esse, ut Sacerdos rusticus seorsim & solus comederet panem suum.

Mitto etiam, uel id nobis fidem facere, epistolam istam non esse Clementis, quòd iubeat parari multa holocausta. Antiquitus enim panes in ipsa Communione frangebantur, uel potius frangendo distribuebantur: quemadmodũ Christum fecisse scimus. Non enim proponebatur in medio magnus aceruus minutulorum panum. Nam id uestrum tantùm commentum est: scilicet, ne micæ aliquæ, ut fit, inter frangendum dissilirent & caderent in terram. O homines circũspectos, & religiosos: qui culicem ita diligenter excoletis: camelum autem integrum deglutiatis.

Verùm iste hoc se ait ex nostris uerbis obseruasse, Epistolam istam Clementis, quam quasi notham & spuriam reijcimus, impulisse nos, ut hoc loco multò augustius, & reuerentius de Sacramento, quàm uspiam alibi loqueremur. Hic enim nos à Symmystis nostris timorem & tremorem exigere, & Mensam uocare sanctam, ut in qua Christus, non tantùm repræsentetur, sed etiam re ipsa, & uerè detur. Hoc, uidelicet, putat à nobis astutè fieri, ut interdum loquamur cũ Catholicis, cum tamen interim nihilominus sentiamus cum Hæreticis. Nam, si ur-geas, inquit, eos, ita elabentur, Christum ut deum ubique esse, & dari in Mensa, quòd suis uerbis adsit diuina gratia: & symbola esse uisibilia uerba: qua uerborũ specie mysterium humanitatis Christi mentione diuinitatis eluderetur: cum tamen proprium sit humanitatis in Sacramento manducari. Nos quidẽ, quòd sciam, de his rebus semper & sensu eodem, & eodem modo loquuti sumus. Potest tamen fieri, ut uerba nostra interdum communiora fuerint, interdum augustiora, prout loci cuiusq; ratio postulauerit. Id autem non in nostris tantùm scriptis fit, sed etiã in patribus, & in diuinis literis. Quis autem nostrum ita unquam scripsit de Eucharistia, ut timorem & tremorem remoueri uoluerit à communi-

cantibus? Certè scimus, Paulum dicere, illos, qui indignè accedant ad sacrã Mensam, iudicium sibi comedere, & bibere, quòd non dijudicent corpus domini: & ea causa multos infirmos esse, & multos dormire, atque ita corripi à domino, ne cum hoc mundo damnentur. Quis ista secum diligenter expendens non expauescat, & tremat? Non tamen ex eo uel Transubstantiatio, uel realis præsentia necessariò sequitur. Eadem enim ista deus comminatus est etiam in ueteri Lege illa sacrificia indignè manducantibus. Mensam autem idcircò uocamus sanctam, quòd à uulgari & profana mensa plurimùm differat. Fatemur enim, Christum nobis in ea non tãtùm repræsentari, sed etiam re ipsa, & uerè dari: idq; non tantùm, ut iste fingit, quod ad naturam diuinam, & gratiam, & spiritum, & alia dona cœlestia attinet, sed etiam quòd ad naturam ipsam Christi humanam. Cum enim uera, & syncera fide complectimur corpus ipsum & sanguinem domini, ut uerum pretium redemptionis nostræ, ea in animum, spiritum, & mentem nostram spiritualiter, & uerè recipimus. Dicimus autem, ea ibi maximè nobis dari, quòd ea uerbis illis, quæ audimus, & symbolis illis, quæ percipimus, efficaciter
Cyrillus. significentur. Atq; hoc illud est, quod Cyrillus ait, Christum se nobis per mystica benedictionem communicare, & ibi nos sanctificare carne sua, quos antea in Baptismo spiritu suo sanctificauerat. Nam spiritus sanctus in sacra Cœna per hæc symbola excitat in nobis fidem: per quam & nos apprehendamus Christum, & ille uicissim nobis se communicet. Sanctificari autem dicimur illius carne, quod illam spiritualiter comedamus, cum in eius morte, ac sanguine omnem nostram fiduciam collocamus. Quid si Cyrillus hoc loco cum carnem diceret, substantiam istam nostram corpoream præcisè, ab anima seu spiritu nostro seorsim intellexit, hanc eius distributionem non recipio. Neq; enim corpus nostrum tantùm sanctificatur in cœna, aut spiritus solus in Baptismo. Nam in communione quoq;, non tantùm corpore instauramur, sed etiã spiritu. Paulus enim ad Corinthios ait, nos potari eodem spiritu, quemadmodum eodem spiritu sumus Baptizati.

Sed Sophista illud etiam urget ex epistola Clementis, quòd ille ista appellet Sacramenta diuinorum Secretorum. Nam sola, inquit, significatio nihil habet secreti. Quid tu ais, Inconstanti? An non uidentur tibi sacræ literæ continere arcana secretorum dei? Et quo tandem, quæso, modo ea cõtinent? An non quòd ea significent, & exprimant? Mitto uerò id, quod centies diximus, nos in sacris mysterijs nudam, & simplicem significationem, quod iste calumniat, non constituere. Negligentiam in tractando hoc Sacramento graui dei uindicta ferirí non dubito. Scio enim etiam in ueteri Testamento Nadab, & Abiu, quòd non legitimè administrassent sacra, & Ozam, quòd temerè accessisset ad arcam domini, à domino fuisse extinctos. Quomodò autem accipiendum sit, quod symbola appellat corpus domini, & holocausta, iam suprà docuimus pluribus.

Ad extremum autem colligit, Clementem suum confirmare, etiam peracta communione, perfectum, atque integrum Sacramentum remanere: quòd iubeat eius reliquias tanta ueneratione consumi. Verùm, ut solet, longè fallitur. Hoc enim non Clemens dicit, sed Inconstantius ipse sibi fingit. Quomodò enim ueri simile est, Veteres uoluisse comburere Sacramentum, si id putassent esse integrum? Hoc tamen Hesychius de reliquijs Eucharistiæ factum testatur. Et certè non est credibile, institutum domini durare, cum id non agatur, quod ille præceperit. Atqui Christus dixit: Accipite, edite: Accipite, bibite. Vbi ergo nec editur, nec bibitur, ibi externa symbola nec sunt, nec dici ullo modo possunt corpus & sanguis domini. Ita nec aqua, in qua nemo tingatur ex præscripto Christi, ullo modo potest appellari Baptismus.

ARGV-

ARGVMENTVM GARDINERI EX Ignatio ad Epheſios.

ESTINATE *ergo frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam dei. Quando enim aſſiduè hoc agitur, expelluntur poteſtates ſatanæ, qui actus ſuos uertit in ſagittas ignitas ad peccatum. Et ad Romanos, Non comedam eſcam corruptionis: neq; uoluptatem huius mundi deſidero. Panem dei uolo, panem cœleſtem, panem uitæ, qui eſt caro Chriſti Filij dei ueri: & potum uolo ſanguinis eius, qui eſt dilectio incorruptibilis, & uita æterna.*

SOLVTIO.

PRIMA ſententia nihil facit pro opinione Papiſtarum: ſed tantùm uerſatur in commendatione ſacræ Communionis, & exhortatione ad eam: & certè ea à nemine ſatis pro dignitate commendari poteſt, ſi bene, & ritè uſurpetur. Altera ſententia loquitur tãtùm de ſpirituali manducatione per fidem.

GARDINERVS.

IMO *quod Cyprianus in hoc Sacramento annotauit, ab effectu uidelicet æſtimari cauſam, ſi hæc prima Ignatij ſententia conſideretur, inde nobis conſtare faciet.*

MARTYR.

ETſi nos quoque cauſam ab effectu æſtimandam eſſe cõfitemur, quemadmodum Cyprianus docuit, tamen ex eo non ſequitur, etiam ſi conſtaret poteſtatem ſatanæ expelli ab hominibus uſu ipſo Euchariſtiæ, idcircò neceſſariò concludi corporis domini realem & ſubſtantialem præſentiam. Idem enim ſequereť etiã de Baptiſmo: nam eius quoque ui patres ſæpè dicunt exufflari à nobis poteſtatem ſatanæ. Et Chriſtus ait eſſe quoddam genus dæmoniorum, quod eíjcí non poſſit, niſi in oratione & ieiunio. Quis autem ſanus idcircô concludat ex hoc effectu, in ieiunio, & oratione noſtra eſſe præſentiam carnis Chriſti? Hic etiã obiter admoneo Lectorem, uerã cauſam uel ſalutis noſtræ, uel eiectionis ſatanę non eſſe tribuendam aut Sacramentis, aut uerbo externo, niſi quatenùs ea inſtrumenta ſunt, quibus in nobis per ſpiritum ſanctum excitetur fides, qua poſſimus & Chriſtum ipſum, & eius omnia dona & promiſſa apprehendere.

Quo nomine magna effecta quandoque tribuantur Sacramentis.

Appellat quidem Ignatius Euchariſtiam gloriam dei, idq; mea ſententia, recte: non tantùm, quòd ea ſignificet Chriſtum, qui eſt gloria dei, & regnat in gloria patris: uerùm etiam, quòd ibi gratiæ agantur deo de ſummo illo, & ſingulari beneficio Redemptionis noſtræ. Nã ex eo ipſo Euchariſtia nomen habet. Actio autem gratiarum eſt gloria dei: in ea enim magnificatur, & celebratur eius nomen. Friuolum ergo eſt, quod iſte obiecit, Euchariſtiam non poſſe dici gloriam dei, niſi in ea adſit præſens corpus Chriſti, præſertim cum deus in Propheta dicat, Gloriam meam alteri non dabo. Oblitus fortaſſe erat, cum iſta ſcriberet, aream fœderis, cum eſſet tantum res creata, ex ligno & auro fabrefacta, tamen in ſcripturis non ſemel appellari gloriam dei. Et fortaſſe inconſiderãtius legit illud apud Paulum Euangelium eſſe potentiam dei. Nam quid, obſecro, aliud eſt Euchariſtia, quàm uiſibile uerbum Euãgelij? Iam ſi Euchariſtia rectè dici poteſt dei potentia, cur non etiam eodem iure dici poteſt dei gloria?

Secunda, inquit, ſententia Ignatij loquitur apertiſſimè de Sacramento. Quia,,

„ dicit, Panem dei desidero: uolo panem cœlestem: panem uitæ, qui est caro Chri
„ sti. Omninò autem negat, ista uerba trahi posse ad spiritualem manducationem:
„ quod nos in Solutione posuimus. Quoniam, inquit, ea sola meditatione peragi-
„ tur: cumq; nihil externum exigat, causa non est, cur ab Ignatio dicatur, Deside-
„ ro, & Volo. Nam quatenùs desiderat, & uult, fide iam habet, & charitate Christi
„ spiritum, quo Christo coniungitur habitudine uirtutum: quæ est manducatio spi
„ ritualis. Miram uerò subtilitatem: ego tamen pro mea hebetudine non uideo,
quid obstet, cum spiritualiter comedamus carnem Christi, quò minus possimus
„ eam interim & uelle & desiderare. At iam habemus, inquit: quomodò uel-
„ le, aut desiderare possumus, quo iam potimur? Habemus quidem, Inconstanti: sed nondum plenè fruimur. Et periculum est, ne ab eo ipso, quod habemus, abstrahamur: & certè sæpè abstrahimur. Volumus ergo et desideramus, ut quod datur, id nobis prolixè, & largiter, & quotidiè detur. Semper nomen dei sanctificatur: semper fit uoluntas dei: semper aduenit Regnum dei: semper datur nobis panis quotidianus: semper peccata nobis per Christum condonantur. Nihilò tamen minus semper desideramus & cupimus & petimus, ut ista fiant.

Quod habemus sed non plenè, adhuc possumus desiderare.

Sed manducatio spiritualis, inquit, meditatione sola peragitur, neque quicquam exigit externum. Imò uerò propter infirmitatem nostram spiritualis illa & interna manducatio, etsi animo solo, & spiritu perficiatur, permultum tamen iuuatur externo subsidio sensuũ: nimirùm, diuino sermone & Sacramentis aspectabilibus. Ideoq; Christus ad internã manducationem adiunxit externa symbola & actionẽ edendi ac bibendi. Eamq; ipsam actionem sancti cupiunt & desiderant, ut per illam spiritualis animi manducatio & tutius conseruetur, & magis, magisq; augeatur. Sed iste, cum ita subtiliter ponderet uoculas omnes Ignatij, cur illud præterit, sanctum illum patrem appellare Eucharistiam Panem dei, non autem Panem deum? Nam quod dicit, Panẽ dei, uidetur respicere ad symbola: eaq; cum ita uocat, satis indicat, non esse ea propriè corpus Christi: si distinctionem illam Augustini, quam iste nobis non semel obtrusit, uelimus sequi. At subiecit statim, Qui est caro Christi. Fateor: sed respondeo id, quod sæpè iam dixi, panem Eucharistiæ suo quodam modo esse corpus Christi. Sed iuxta hanc interpretationem dices, me applicare uerba Ignatij, non ad spiritualem manducationem, quod in Solutione responsum est, sed ad externam, & sacramentalem. Verum id est: & idcircò hanc quoque interpretationem adferre uolui, ut ostenderem, uerba illa Ignatij posse ad utranque manducationem pertinere. Etcertè utraque ista manducatio, quod ad pios, & sanctos uiros attinet, ita coniuncta est cum altera, ut sibi mutuò inseruiant. Externa enim cum sit ipsa etiam à Christo instituta, internam iuuat: & interna uicissim externam perficit.

Quicquid ergo agat, aut clamet Inconstantius, substantialem illam suã præsentiam ex his uerbis non euincet. Quòd autem addit, charitatem, & uirtutum habitudinem esse manducationem spiritualem, haud dubiè nescit ipse quid dicat. Quemadmodum autem coniungamur re ipsa cum Christo in sacra Cœna, ut scribit Chrysostomus: aut quomodò uniamur cum carne Christi, quemadmodum Cyrillus: aut quomodò Christus in nobis maneat naturaliter, quemadmodum Hilarius, suprà suo loco satis multis expositimus.

Ita autem carnem Christi habitare in nobis corporaliter, ut corporis eius substantia nobis communicetur, hoc est, ut iste interpretatur, carni & corpori nostro misceatur, ne si mille quidem Angeli, nedum unus Cyrillus diceret, nullo modo esset recipiendum. Fieri enim non potest, ut caro Christi misceatur carni nostræ, & ita per homines innumeros, & loca infinita diffundatur. Quod autem Cyrillus scribit, libro 2. in Iohannem cap. 3. Propterea cum in interiori homine

Cyrillus.

mine ſpiritus habitauerit, ipſe Chriſtus habitare dicitur: quodq; in Iohan. lib. 3. cap. 24. ait, Vt enim panis hic terreſtris facit imbecillitatem carnis noſtræ ſuſtinens, & conſeruans: ita & ipſe per ſpiritum ſuum, ſpiritum noſtrum uiuificat, & corpus ipſum à corruptione liberat, id ego in uniuerſum libenter amplector: atque ad hanc amuſſim alia huius patris uerba reuoco: ut, quod æquiſſimum eſt, ipſe ſe ipſum interpretetur. Vt autem ad Ignatium redeam, illum uel Sacramentum, uel rem Sacramento ſignificatam deſideraſſe, & uoluiſſe concedo: quamuis in Solutione, idq; nõ abſque magna, & probabili ratione, mentio facta ſit tantùm de re Sacramenti. Ita autem dari carnem Chriſti, ut à nobis oris officio recipiatur, id certè, non Ignatius dicit, ſed Inconſtantius.

Ad extremum calumniatur, nos fidei communicare omnipotentiam dei: ut cum caro Chriſti dei omnipotentia non ſit præſens, eam tamẽ efficacia fidei aſſerſamus, ut credenti ſit præſens. Ita nos uoluit Inconſtantius atro illo ſuo, ac uirulento dente attingere; quaſi nos, quotieſcunque uideatur, pro noſtro arbitratu uelimus nobis arrogare omnipotentiam dei. Sed idem in illum poſſet à nobis multò iuſtius & uerius retorqueri. Ille enim ſacrificulum ſuum, & orationem illam quinqueuerbiam omninò ſtatuit eſſe omnipotentem. Imò illi plus aliquantò etiam tribuit, quàm ipſi deo: ut, quod dei omnipotentia fieri non poſſit, ut corpus Chriſti diffundatur in immenſum, & ſimul exiſtat in infinitis locis, id tamen illorum uerborum ui atque omnipotentia efficiatur, idq; quotieſcunque ſacrificulus uoluerit. Nos uerò id, quod docemus de efficacia fidei, non aliunde habemus, quàm è ſacris literis. Illæ enim apertiſſimè teſtantur, Corpus Chriſti mãducari fide: & manducare eſſe credere: & nos, quamuis uerſemur in terris, tamen ui fidei ſuſcitari, & ſedere cum Chriſto in cœleſtibus; noſq; ſpe iam nunc ſeruatos eſſe.

Dicimus autem, carnem Chriſti ui fidei non ſubſtantialiter aut realiter, ſed tantùm ſpiritualiter nobis fieri præſentem. Quemadmodum enim cum accedimus ad ſacrã Menſam, per fidẽ habemus ante oculos, & in cõſpectu, atq; ita præſentem mortẽ domini: ita per fidem animo, ac ſpiritu ueſcimur præſente carne Chriſti. Neque aliud ferè toto iſto libro inculcamus, quàm fidem eſſe inſtrumentum, quo ſolo corpus domini poſſit à nobis apprehendi, & ſpirituali manducatione nobiſcum coniungi: non quidem per realem commixtionem, ut iſte fingit, ſed per ſpiritus, & gratiæ participationem.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Tertulliano de Reſurrect. carnis.

CARO *corpore & ſanguine Chriſti ueſcitur, ut & anima de deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit.*

SOLVTIO.

SIC exponimus Tertullianum: Caro ueſcitur pane & uino, quæ uocantur caro, & ſanguis Chriſti: quia, ut idem ait, repræſentant corpus Chriſti: quamuis non ſint ea realiter.

GARDINERVS.

LOQVITVR *Tertullianus magna, & arcana myſteria: Carnem, uidelicet, noſtram eo honore haberi, ut corpus percipiat & ſanguinẽ Chriſti: unde dicit, ſequi ſaginã animæ.*

ARcana myſteria loqui Tertullianum extra controuerſiam eſt. Neq; aliud agit eo libro, quàm ut doceat, deum pro ſua bonitate carnem noſtram habere in honore. Non eſt autem paruus honor, carnem noſtram poſſe ueſci corpore & ſanguine Chriſti, hoc eſt, Sacramentis corporis & ſanguinis Chriſti. Sed
„ illum honorem Tertullianus non tantùm Euchariſtiæ tribuit, ſed etiam alijs Sa-
„ cramentis. Sic enim ſcribit eodem loco: Caro abluitur, ut anima emaculetur: ca-
„ ro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut anima muniatur: caro manus
„ impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illumínetur: caro corpore & ſangui-
„ ne Chriſti ueſcitur, ut anima de deo ſaginetur. In iſtis omnibus facilè apparet, aliud eſſe quod corpore ſumitur, aliud quod animo et mente percipitur. Corpus abluitur à terrenis ſordibus, anima emundatur à peccatis. Adumbratur caro impoſitione manuum, anima illuminatur ſpiritu. Hęc ambigi non poteſt diuerſa & diſtincta eſſe.

„ Sed ueſci, inquit Inconſtantius, nihil aliud eſt, quàm manducare. Eſto. Sed
„ corpus, & animam uno opere manducandi ſimpliciter coniungi, nego. At ita lo
„ quitur Tertullianus. Minimè. Non enim ait, ea una opera iungi, ſed tãtùm ope
ra. Iſte de ſuo adiecit, una. Nec in alijs illis exemplis, quæ cõmemorauit, una ope
ra eſt, ſed diuerſa. Neque certè conuenit, ut anima & corpus unum, atque idem operis genus exerceant. Ita autem corpus, & anima in ſacra Cõmunione iunguntur opere, quod quemadmodum animus manducat ſpiritualiter, id q; ipſum Chriſti corpus, ita caro noſtra manducat ſacramentaliter, Sacramentum uidelicet Chriſti corporis: atque ita & opera, & merces eſt utrique communis. Nam ex ſpirituali animi manducatione fructus redundat ad corpus: utraque quidem pars operatur: ſed ita, ut utraq; habeat ſibi ſeorſim ſuum opus. Caro comedit ſymbola, animus corpus Chriſti. Fructus uerò, & ſaginatio ita pertinet ad ani
„ mum, ut ab eo redeat etiam ad corpus. Neque uerò Tertullianus hoc loco,
„ ut Inconſtantius iactat, neſcio quæ ſtupenda, & miracula commemorat: niſi miraculum eſſe uelit, carnem aqua tingi: carnem ſignari: carni manum imponi. Iſta Tertullianus omnia coniunxit. Vnde ergo tandem iſte noſter colliget, miraculum in ultima tantùm clauſula magis eſſe, quàm in exemplis prioribus?

Quod autem addit, Dauidem cum famulis ſuis & ſocijs fugæ, urgente fame, comediſſe panes propoſitionis, id ad inſtitutum nihil facit. Quod ſi de re ipſa uelimus loqui, uel inuito Inconſtantio, dicam, Dauidem ore corporis comediſſe ſymbolum tantùm, panes, uidelicet, illos, quos receperat à ſacerdote: animo autem, & fide comediſſe ipſum corpus Chriſti. Quid tandem hic aut abſurdi eſt, aut alieni à fide, aut pugnans cum ſacris literis? Si ſcriptura expreſſè dicat, Patres comediſſe Chriſtum in Manna, cur non potuit Dauid eundem comedere in panibus propoſitionis. Certè Cyrillus lib. 3. in Iohan. ca. 24. ita ſcribit: Verum Manna Chriſtus eſt, qui per figuram mannæ priſcis illis à deo patre dabatur. Quod Cyrillus dicit de Manna, non uideo cur non ego quoque poſſim dicere de panibus propoſitionis, ſi ſpiritualis Dauidis manducatio ſpectetur.

Dãdum eſt Dauidem in panibus propoſitionis comediſſe corpus Chriſti. Cyrillus.

Sed caro, inquies, Dauidis non ueſcebatur corpore Chriſti: quemadmodum hic loquitur Tertullianus. Fateor. Sacramentum enim externum nondum ſortitum erat hoc nomen: nondum Chriſtus uenerat, qui de illis panibus propoſitionis diceret, Hoc eſt corpus meum. At cum Tertullianus uiueret, id iam pridem anteà factum erat: ut ille iurè dicere potuerit, carnem noſtram ueſci carne et ſanguine domini.

Poſtremò Inconſtantius redit ad ueterem illam ſuã, & uſitatam cantilenam:

Omnem

Omnem panem significare corpus Christi: idq; cõstare ex propheta Hieremia. Illum enim ita scribere, Mittamus lignum in panem eius: non autem addere in hunc, aut in illum panem. Sophista ita cæcus est, atq; ita furit, ut non uideat, pronomen illud Eius, contrahere uocabulum panis, ad certam quandam, & singularem panis rationem. Quis enim, obsecro te, Lector, est panis Christi, nisi is qui hodiè consecratur, & ad sacram Cœnam adhibetur? Isti autem, si deo placet, quiuis panis est panis Christi. Nihil autem dico, quàm turpiter in illius prophetici dicti expositione hallucinetur. Posset fortè si alia ætate uixisset, sese aliquo modo excusare, quòd unà errare uoluerit cum suis Patribus. At nunc non potest ullo modo non reprehendi, qui in tanta luce linguarũ, & cognitione uerbi dei, nolit à recepto errore discedere.

Mitto hic, nos non de quauis, sed de sacramẽtali panis & uini significatione loqui. Iste autem eam non patitur ullo modo à uulgari, & profana significatione distingui. Quare necesse est, omnes creaturas, quæcunq; significẽt aliquo modo rem quampiam diuinam, esse Euangelica, & Ecclesiastica sacramenta. Verùm, ne nihil concluisse uideretur, addidit ad extremum, Tertullianum loqui de corpore & sanguine Christi, quæ caro nostra excipiat sub speciebus, id est, sub accidentibus panis & uini. Hic ego nihil dicam. Quàm enim ista uerè, & prudenter dicantur, piè Lector, malo relinquere iudicio tuo.

ARGVMENTVM GARDINERI ex Origene in librum Numer. homil. 7.

ANTEA *in ænigmate fuit Baptismus, in nube, & in mari: nunc autem in specie regeneratio est in aqua, & spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat Manna cibus: nunc autem in specie. Caro uerbi dei est uerus cibus: sicut ipse dicit: Quia caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Sic ergo iam nunc Moses apud nos positus, & huic Aethiopissæ coniunctus, uel ipse ad nos, uel deus ad ipsum non loquitur in ænigmate, sed in specie.*

SOLVTIO.

ORIGENES non hoc sensit, Christum esse corporaliter uel in aqua Baptismatis, uel in pane & uino: aut nos carnaliter, & corporaliter regenerari, aut Christi carnem realiter manducare. Nam nostra regeneratio est spiritualis: & manducatio item spiritualis: eoq; non requirit realem, & corporalem præsentiam corporis Christi: sed tantùm præsentiam in gratia, & in spiritu, & efficaci operatione.

GARDINERVS.

ORIGENES *speciem sentit apertam uerborum simplicitatem, & rerum congruentem præstationem: ut cum Christus dicat, Caro mea uerè est cibus, fidelibus non loquatur ænigma, sed ipsam rei speciem.*

MARTYR.

ORigenes, inquit iste noster, idcircò non putauit, Christum loquutum esse in ænigmate, cum diceret, Caro mea uerè est cibus, et sanguis meus uerè est potus, quòd sequutus sit apertam uerborum simplicitatem, & rerum congruen-

„ tem pręſtationem: ut, cum in Cœna id pręſtiterit, quod erat pollicitus, neceſſariò
„ ueram carnem ſuam dederit: non autem ænigmaticam carnis ſuæ ſignificatio-
„ nem: quomodò, inquit, Manna fuit: quod qui ſpiritualiter manducabant, ani-
„ mos cum corporibus paſtos ſentiebant. Nam & illis aderat gratia, & efficax ope
„ ratio à ſpiritu Chriſti, in uirtute etiam carnis Chriſti futuræ: ut & illis panis eſſet
„ Angelorum in cibum: & Petra erat Chriſtus, unde profluebant aquæ in potum.
„ Sed illa in ænigmate adhuc ſecũdum hũc Origenẽ, quæ nobis in ſpecie exhiben
„ tur: hoc eſt, non nouo ſignificãdi modo, ut pane ſignificetur caro, aqua uerò per
„ Baptiſmum Regeneratio: ſed in aqua, & ſpiritu ſancto fit Regeneratio: quemad
„ modum ſub uiſibilibus panis & uini ſpeciebus uera carnis & ſanguinis Chriſti
„ præſentium exhibitio: quia Chriſtus iam non amplius loquitur in ænigmate.

Antequam ad iſta uerba Origenis excutienda accedo, operæpretium erit, quid-dam obiter annotare. Baptiſmus antiquitùs datus eſt per nubem, & per mare, idq; in ænigmate: quòd nondum eſſet diſertis uerbis, & apertè declaratum, quid ea ſymbola ſibi uellent. Noſtris autem ſacramentis iam inde ab aduentu Chriſti additum eſt clarum, & perſpicuum uerbum dei, eoq; uerbo declaratur, quid noſtra myſteria ſignificent. Manna etiam erat illis cibus ſpiritualis, & comedẽtibus per Mediatorem promittebat generaliter ſalutem. Nobis autem nunc datur panis & uinum, & in ſpecie, ut Origenes ait, & apertè oſtenditur, quid illa ſibi uelint, quidq; nobis reuocare debeant in memoriam: ut nos nunc non poſsimus uideri uerſari in ænigmate, ut olim uerſati ſunt ueteres.

Iam uerò Origenes non dicit, carnem Chriſti dari nobis præſentem realiter in Euchariſtia: ſed tantùm ait de ratione loquendi, qua deus uſus ſit ad Moſen,
„ quaq; Moſes ad nos. Itaq; in calce argumenti additur: Itaq; Moſes nũc apud nos
„ poſitus, & huic Aethiopiſſæ coniunctus, uel ipſe ad nos, uel deus ad ipſum non
„ loquitur in ænigmate, ſed in ſpecie. Et ſub ipſo initio huius homiliæ ſcribitur: Ve
„ runtamen Moſes priuſquam acciperet Aethiopiſſam, non eſt ſcriptum, quia in
„ ſpecie loquutus ſit ei deus, & non in ænigmate: ſed ubi accepit Aethiopiſſam, tũ
„ dicit de eo deus, Quia os ad os loquar ad eum, in ſpecie, & non in ænigmate. Mo
„ dò enim, cum Moſes uenit ad nos, & coniunctus eſt huic noſtræ Aethiopiſſæ,
„ Lex dei iam non in figuris, & imaginibus, ſicut prius, ſed in ipſa ſpecie ueritatis
„ agnoſcitur: &, quæ prius in ænigmate deſignabantur, nunc in ſpecie, & ueritate
„ complentur. His uerbis Origenes annotauit, nos duo quædam habere in Euan
gelio, quæ ueteribus ſub Lege non contigerint. Primùm enim intelligentia nobis data eſt clarior, & illuſtrior, poſtquam res diuinæ non amplius traduntur ſub ænigmatibus. Deinde, quæ de Chriſto uenturo illis tantùm promittebantur, ea omnia nobis nunc re ipſa completa ſunt, & præſtita. Nullam autem Origenes fecit mentionẽ de præſentia iſta reali corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

„ At cum Chriſtus diceret, Hoc eſt corpus meum, inquit Inconſtantius, non
„ ſenſit figuram ſui corporis, quaſi ænigmaticè loquens. Imò ut Chriſtus uerè adeſt
„ in Baptiſmate ſpiritu, ſic uerè adeſt in Euchariſtia carne: ut ubiq; ſit ipſa in ſpecie
„ præſtatio. Non eſt hæc, Inconſtanti, ſacramẽtorum ueteris, & noui Teſtamenti
propria diſtinctio: ſed quemadmodum nos ſæpè diximus, & Auguſtinus rectè docuit, quòd illa promiſerint futura, noſtra autem ea, quæ iam data, & præſtita
„ ſint, commemorent. Quereris, nos duo illa uerba, Carnaliter, & Corporaliter
„ de induſtria inijcere, quò Lectori offundamus tenebras. Imò uerò nos ea cauſa uoces illas ſæpius inculcamus, ut lucem potius adferamus, & Lector ex antitheſi intelligat, inter noſtram præſentiam, & ueſtram quid interſit. Nos enim uerè dicimus, Chriſtum adeſſe tantùm per fidem, & tanquam in ſacramẽto: uos autem contenditis, illũ adeſſe, & aſſeruari, atq; includi ſub accidentibus realiter, & ſubſtan-

ſtantialiter, tanquam in artocrea. Et interea clamatis, id requiri ad ueritatẽ pro-
miſſorum, ut hæc adſint nobis in ſpecie: ne amplius noſter Moſes nobiſcum lo-
quatur in ænigmate: utq; caro intelligatur uera, & uerè data: & tamen in Cœna
data, & ſub illis ſpeciebus data: & denicq; ſub illis uerè præſens, ne panis abſen-
tem carnem ſignificet; illud enim eſſe ænigma nouum, & illo Mannæ ænigmate
etiam obſcurius. Illud enim præ ſe tuliſſe aliquid maioris uirtutis, non mundi
Lege compoſitum, ut Ambroſius ait: cum panis ab homine factus ex ſe nihil al-
tioris myſterij ſuggerat. Iſte omninò decernit, ea quæ Chriſtus dixerit, nunc
fieri in ſpecie, ne Moſes nobis loquatur amplius in ænigmate. Sed quoniam Ori
genes agit ibi tantùm de ratione loquendi, ſatis eſt, ſi id, quod tum proponeba-
tur tantùm generaliter, nũc in ſpecie, ac diſtinctè ſignificetur: quamuis, quod ad
effecta attinet, eadem ſit utrinq; rerum donatio. Veram quidem Chriſti carnem
omninò datam confitemur: neq; enim unquam aut diximus, aut ſenſimus, Chri-
ſtum aſſumpſiſſe fictitiam, aut phantaſticam carnem. Addimus etiam, illam car-
nem uerè datam eſſe pro nobis in mortẽ: eamq; etiam in Cœna uerè dari, ſed ſpi-
ritualiter, nimirùm, ut à nobis fide, ac ſpiritu percipiatur. Eam autem ſubſtantia-
liter adeſſe, & ueſtiri accidentibus prorſus pernegamus. Neq; id Inconſtantius
unquam, quamuis omnes ſuas machinas admoueat, probare poterit.

Nos autẽ, cum iſta docemus, non loquimur ænigmata. Illa potius ænigmata
ſunt, quæ Papiſtæ ferro, atq; igne defendunt, corpus Chriſti, quantum quantum
eſt, delitescere ſub accidentibus, & eius aduentu ſubſtantiã panis aboleri. Noſtra
plana ſunt, & perſpicua. Iſta ne Sphinx quidem ipſa unquam expedierit. Vete-
ribus, cum Chriſtus nondum carnem ſuam dediſſet in crucem, opus erat mira-
culo Mannæ, quo illi ſaltem in generalem fidem de corpore Chriſti ſpiritualiter
comedendo adducerentur. Nunc autem illius morte re[illegible]erfecta, & præſti-
ta, & eius ſacramento adiectis uerbis claris, & perſpicuis, [illegible]il amplius aut mi-
raculo opus eſt, aut ænigmate. Neq; dicere, aut cogitare quiſquam debet, quod
iſte dei, atq; hominum irriſor facit, panem Euchariſtiæ ab homine tãtum factum
eſſe. Deus enim ipſe rebus iſtis abiectis, & uilibus uti uoluit, & quod ad manum
ſemper eſſent, & inuentu facillima, & quod ad ea, quæ ſignificãtur, pulchram ha
beant analogiam; neq; ille ſibi ab Inconſtantio impunè illudi patietur.

ARGVMENTVM GARDINERI EX libro 3. Cypriani, epiſt. 10.

AT uerò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt: nec morientibus, ſed uiuentibus Communicatio à nobis danda eſt: ut quos excitauimus, & exhortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus: ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos eſſe tutos contrà aduerſarium uolumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodò docemus, aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodò ad Martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculum domini iure Communionis admittimus?

SOLVTIO.

CYPRIANVS hic non loquitur de craſſa, & carnali manducatione, quæ perficiatur ore corporis: ſed de interna, pura, & ſpirituali manducatione cordis, & mentis. Id autem eſt in corde credere, quòd caro Chriſti pro nobis lacerata ſit

in cruce, quodq; sanguis eius fusus sit pro salute nostra: quodq; eadem caro nunc sedeat ad dextram patris semper intercedens pro nobis: atq; hæc in mentibus nostris imprimere, & penitùs digerere, & omnem nostram fiduciam in illo solo collocare: & offerre nos ipsos ad diligẽdum illum, illiq; seruiendum omnibus diebus uitæ nostræ. Hoc est uerè, sincerè, & spiritualiter manducare carnem Christi, & sanguinem eius bibere.

GARDINERVS.

EFFECERVNT *hæc uerba Cypriani, ut se nobis aperiret hic Sectarius, & tandẽ euomeret, quid de manducanda Christi carne spiritualiter sentiat.*

MARTYR.

Quæ sit ratio spiritualis manducationis.

EST ita, ut dicis: In hac responsione, ut ea, quæ scribenda erant clarius intelligerentur, explicatum est, quæ nam illa esset manducatio spiritualis. Ea autem constat fide, quæ dirigatur in mortem Christi, ob redemptionem nostram, & eius apud patrem perpetuam intercessionem pro nobis. Néue quis ambigat cuiusmodi eam oporteat esse fidem, additum est oportere illam esse [illegible]am, quæ omnia apprehensa in mentibus credentiũ quàm firmissimè imprimat, & secum fiduciam certam, & constantẽ trahat, quam in Christo nostræ redemptionis pretio collocemus: quaq; sic afficiamur, ut nos ipsos totos domino Iesu, & deo nostro in omne genus obsequij offeramus. Hæc tam dilucida, & tam aperta explicatio tantæ rei cur te, Inconstanti, tam malè habuit? Reprehende sodes, si quid sit, quod absurdè dictum putes. Non sunt, inquis, mala, sed dicta malè. Quid ita? Quoniam, inquis, nituntur expugnare summam Christi benignitatem in danda sua carne ad manducandum. Imò ista, ne nescias, cum rationem manducandi explicent, propugnant potius bonitatem Christi: cum uos eam, quando realem & substantialem statuere uelitis, prorsus euertatis. Nam & crassum, & carnale est, &, non tãtùm cum diuinis literis, sed etiam cum Christi humanitate pugnat, putare carnẽ Christi ore externo corporis nostri comedi, & in uẽtrem trãsmitti.

Quod autem tu dicis, Christum ipsum manu sua porrigere carnem suam ad manducandum, primùm id non habes è sacris scripturis: deinde etsi dicatur interdum à patribus, tamen citra controuersiam figuratè dicitur. Addis, nos magna pompa, & strepitu uerborum uelle eludere Catholicos, cum magnificè prædicemus carnem ipsam Christi offerri, & exhiberi ad manducandum. Certè nos dum ita loquimur, uera loquimur: neque in præsentia quicquam mutamus. De te autem optimo iure queri possumus, quòd uerba nostra, ut soles etiam sæpissimè uerba patrum, mutilata tantùm, & manca referas. Nos enim dari quidem atque exhiberi carnem Christi dicimus, sed spiritualiter: eamq; carnem manducari etiam dicimus, sed fide, mente, atque animo: ore autem corporis comedi tantùm symbola. Te nobis, Lector, in hac causa fero iudicem, utrum in toto hoc libro unquam aliter loquuti simus. Qui uolunt hominibus imponere, & fucum facere, alia occultare solent, alia ambiguè pronuntiare, alia, quæ animaduerti nolint, obscurare. Cum nihil huiusmodi possis in nobis deprehendere, cur nos ita atrociter, & acerbè accusas? Significationem symbolorum sæpè appellamus potentem & efficacem. Quid ni? Sacramenta enim non sunt uulgaria, aut usitata signa, sed instrumenta spiritus sancti. Ille enim per ea fidem in animis nostris & excí-

excitat, & corroborat. Timorem, & tremorem inculcamus, ne homines indignè communicent, & iudicium sibi manducent, & bibãt. Quid hic est, quod à te iure possit reprehendi.

Quoniam, inquis, hæc omnia huc redeunt, ut spiritualiter manducare nihil aliud sit, quàm Symbolum Apostolicum cum Cãtico Zacharię animo uoluere. Quamobrem tandem? quæso. Quoniam, inquis, omnium eorum, quæ hic meditanda censentur, de Christi Morte, Resurrectione, Ascensione, Sessione ad dextram patris, & Intercessione pro salute in Symbolo fit mentio: & in Cãtico Zachariæ annumeratur etiam oblatio nostrum ipsorum, qua liberati de manu inimicorum nostrorum seruiamus illi in sanctitate, & iustitia omnibus diebus uitæ nostræ. Iste, quantum uideo, in animo uersare, & solida ac sincera fide complecti ea quæ nobis proposita sunt in sacris literis, ludicram rem putat esse, & nugatoriam. Ea quidem quæ potissimùm credenda sint, breui compendio comprehensa sunt in Symbolo Apostolorũ. Sed eadem in Lege, à patriarchis, à prophetis, ab Euãgelistis fusè & copiosè descripta sunt. Ego quidem semper uerum esse credidi, quod Paulus scribit ad Ephesios, Christum, uidelicet, per hanc fidem habitare in cordibus nostris: quodq; Christus dominus, & seruator noster in 6. Iohannis manducationem spiritualem explicat perficiendam esse per fidem. Persuasit etiam mihi nonnihil Augustinus, qui id sæpissimè inculcat: persuaserunt etiam alij Patres, quos in præsentia non est operæpretium recensere. Latret ergo iste Sophista, quantum uelit: nisi utatur rationibus melioribus, non facilè apud prudentem lectorem constantem ueritatem labefaciet.

Sed Inconstantius, his nonnihil collaudatis, quæ nos diximus ad spiritualem manducationem pertinere, statim subiecit: Sed hæc, ut obtineamus, nos sublenant, prouehunt, auxiliantur, roborant, confirmant ipsa sacramenta: quorum etiam protectione munimur: ut inquit Cyprianus: cuius dicta nos cauillatur dissimulare, ac nostra infarcire, quæ à Cypriano sint aliena. Etenim, inquit, Sectarius respondet, quæ sit summa officij nostri in Christum: dum Cyprianus tractat, gratiam beneficij Christi, qui secundum Cyprianum prouidit nobis in sacramento protectionem, munimenta, arma, quibus tecti, & armati quod facere debeamus nos offerendo deo, &c. etiam id facere possimus, qui sine Christo nihil possimus: & in illo gloriatur uerè Paulus se posse omnia. Qui Christus, quoniam nobis præsentissimè adest in Eucharistia, ubi corpus est, in quo ipsa diuinitatis plenitudo inhabitat corporaliter, hinc istæ uoces manarunt Cypriano, dandã Communionem his, qui ob Christi nomen patiuntur, ut quos excitamus, inquit, & exhortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus: ut hac nimirùm protectione muniti, & de timore inimicorum securiores effecti, & tutiores, liberè, & uerè offerant, & præstent, quod in illa persecutionis procella exigebatur, obsequium, & pro Christi nomine fortiter in illo prælio perseuerent. Vt obtineamus ea, quæ spectant ad manducationem spiritualem, certum, & confessum est, nos nonnihil imò plurimùm iuuari sacramentis. Sacramenta enim ea maximè causa sunt instituta. Ex illis autem Communicantes non alia ratione consequũtur protectionem, quàm quòd sint diuina quædam instrumenta, quibus spiritus sanctus excitat in nobis fidem. Fides autem, ut Paulus ait, est scutum unicum, quo tecti, & muniti possimus esse aduersus hostem. Atq; ita sacramenta aliquo modo dici possunt nostra munitio. Cauendum tamen est, ne in re, atq; actione externa, utq; loquuntur, in opere operato fiduciam nostram collocemus: aut ita putemus, nos muniri sacramentis, quasi corpus & sanguis Christi sub illis symbolis delitescat.

Quomodò sacramẽta dicantur nostra munitio & protectio.

Quod autem clamat, nos huc intrudere, & infarcire nostra, nonnihil miror,

Quomodò enim possunt ea dici nostra, cum ipse fateatur, eadem omnia haberi in Cantico Zachariæ, & in Symbolo Apostolorũ? Certè in Symbolo nihil est, quod non sit petitum, atq; haustum è sacris literis. Canticum autem Zachariæ utrum expungi uelit ex albo scripturarum, uelim ut benè apud se etiam, atque
„ etiam consideret. Ista tamen, inquiet, quæ adducitis, à Cypriano de quo nunc
„ agimus, aliena sunt. Quid ita? Quoniam ille, inquis, beneficiũ Christi erga nos
„ tractat, & eius gratiam: tu uerò summam officiorum nostrorum erga Christum
„ adfers. Ego quidem semper credidi, summum id esse Christi erga nos beneficium, quòd possimus eius carnem fide apprehensam spiritualiter manducare. Verùm hoc, inquit Incõstantius, officium nostrum est erga Christum. Et, queso te, cur non idem etiam est beneficium Christi erga nos? Certè Paulus ait, nobis datum esse, ut in Christum credamus: & ad Ephesios Fidem apertissimè uocat donum dei. Duplici ergo nomine probari potest, quòd fide comedimus carnem Christi, id esse beneficium Christi erga nos. Primùm, quòd caro & sanguis Christi oblata pro nobis in cruce, ex mera dei beneuolentia per uerba & sacramenta edenda nobis & bibenda spiritualiter offerantur: deinde etiam, quòd fides ipsa, qua illa comedimus, & bibimus, non contingat nobis, nisi singulari dono dei. Posteà ex hac fide, & manducatione spirituali sequi fiduciam, & oblationem nostrum ipsorum ad seruiendum Christo non inficior: quæ quamuis uideri possint nostra officia erga deum, tamen in nos à sola ipsius liberalitate & beneficio proficiscuntur. Neq; unquam negauerim, Christum nobis in Eucharistia prouidisse arma, & munitionem, non tamen alio sensu, quàm quo modò exposui. Magna ergo ratione Cyprianus mouebatur, ut contenderet, hominibus pijs ituris in certamen pro Christi nomine, danda esse Ecclesiæ sacramenta, ut fide muniti, & undique egregiè septi, alacrius & fortius cum hoste congrederentur.

Eius carnis Christi spiritualis donum dei est.

Hic tamen ego ab Inconstantio, quod ultrò dat, libenter accipio: nimirùm, Nos nihil posse sine Christo. Quod cum dicat, nescio, quid de suo Libero arbitrio uelit fieri. Sed dicet, scio, esse quidem Arbitrium nostrum liberum, etsi sine Gratia nihil possit. Verùm, si nihil potest sine Gratia, quomodò tandem erit liberum? Quoniam inquis, Gratiam oblatam potest uel recipere, uel non recipere. Ergo aliquid potest absq; Gratia. Quòd si ne recipere quidem potest oblatam Gratiam sine Christo, & eius spiritu, non erit certè liberum. Obsecro uerò te, Inconstanti, ut ita in posterum perpetuò, & constanter & loquaris, & sentias, Nos nihil posse sine Christo. Ita enim Opera illa uestra præparatoria, quæ statuitis fieri ab hominibus nondum conuersis ad Christum, funditùs euertentur.

Arbitrium cum absq; gratia nihil possit, non est liberum.

Verùm ut ad institutum redeam, ita dicimus, homines usu sacramentorum posse corroborari, quòd illis, tanquam instrumentis, excitetur, atq; augeatur fides, per quam spiritus sanctus, & Christus ipse habitat in cordibus nostris. Corpus autem Christi nobis adesse realiter, Cyprianus non dicit. Vult tamen hominibus pro Christi nomine occubituris dari sacramenta, quòd ordinaria ratione homines illis destituti adminiculo fidei quodammodò denudentur, & Sanctorum societate exuantur: quæ societas in illis casibus, & temporibus quanto solatio esse soleat, ille optimè nosse potest, qui id aliquando sit expertus.

„ Sed ex illis uerbis Cypriani Inconstantius tale nobis nectit argumentum. Si
„ hic, inquit est effectus huius sacramenti, certè causa etiam adest, quæ hunc effe-
„ ctum operetur: quæ est Cypriani regula de hoc sacramento. Ad hoc ait, nos nihil
„ respondere, qui ad internæ manducationis penetralia confugiamus: cumq; ne-
„ sciamus, quid loquamur, satis ostendamus, nos nihil eorum sentire, quæ loqui-
„ mur, & quamuis uideamur interea aliquid tribuere sacramentis, tamen omnem
„ Cœnæ ceremoniam superfluam, & minimè necessariam arbitremur: ut quibus

satis

satis sit Symbolum Apostolorum,& Canticum Zachariæ. In summa,nos in ornando isto mysterio nihil aut loqui,aut scribere bona fide. Argumentum ex uerbis Cypriani sic habet: Effectus huius sacramenti est corroboratio,& confirmatio communicantium: At corroboratio,& confirmatio nostra est ex Christo: Ergo Christus est in Eucharistia,& in illa sumitur. Audio: sed eadem ista ratione concludi posset, corpus Christi realiter contineri in sacris literis. Dauid enim canit in Psalmo, Legem domini restituere animum: Et diffluxit anima mea præ anxietate: conforta me secundum uerbum tuum: Et statim, Eloquium tuum uiuificauit me: Et, Nisi Lex tua oblectatio fuisset mea, perijssem in afflictione mea: Et, Sustenta me eloquio tuo,& uiuam: Et, Ostium eloquiorum tuorum lumen præbet, & dat intellectum simplicibus. Dic mihi obsecro te, Inconstanti, effecta ista confortandi, uiuificandi, defendendi, sustentandi, illuminandi, dandi intellectum, cuiusnam tandem sunt? Nónne Christi? certè sunt. Tamen eadem tribuuntur uerbis dei. Conclude ergo Christum in uerbis dei contineri realiter, idq; quod ad carnem attinet,& ad sanguinem. Id autē si tibi uideatur absurdum, desine clamare, Christum cum sua carne,& sanguine præsentem esse realiter in Eucharistia. Nam ut Christus pios corroboret in discrimine, satis est, si in illis inhabitet, ut Paulus ait, per fidem. Ad eam uel excitandam, uel augendā, quantum conducat usus Eucharistiæ, iam suprà diximus. Quantus autem fructus sit internæ manducationis per ueram,& efficacem fidem, ad quam Inconstantius quē[illegible]tur nos confugere, ille uel simulat se non intelligere, uel fortasse nondum gustauit: & ea causa nostram uerissimam,& consolationis plenissimam sententiam ita superbè contemnit, & fidem Apostolici symboli, & officia cantici Zachariæ ita scurriliter irridet. Nostri quidem, quod sciam nusquam ea in sacris mysterijs prædicarunt. Iste autem ea, tanquam uiles quasdam res,& abiectas, nobis obijcit, ut spiritualem manducationem, quam nos statuimus, eiusq; effecta, & fructus exagitet.

Petulātia Gardineri in Symbolum, & canticum Zachariæ.

Quod autem ad extremum dicit, nos omnem cœnę ceremoniam superfluam esse,& minimè necessariam arbitrari, id uerò intolerabile est mendacium. Vbi enim hoc reperit? cur locum aliquem ex omnibus nostris libris non ostendit? profectò uix sycophanta paulò pudentior tanta de re mentiri uelit sine testibus. Conferatur frequentia nostrarum communionum cum uestris: conferantur nostrorum ministrorum conciones cum concionibus uestrorum, cum populus hortandus sit ad sacram mensam. Aequus æstimator facile iudicabit, ab utris nostrum sacramenta pluris fiant. Nos quidem Christi mysteria habemus in iusto, ac decenti honore, ac pretio: & illorum cōtemptores detestamur. Atq; hæc quo animo, & quàm bona fide faciamus deus καρδιογνώστης uidet. Inconstantius autem non dubitat ea etiā, quæ nō uidet, condēnare: oblitus sententiæ domini, Nolite iudicare,& nō iudicabimini. Quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.

GARDINERI ARGVMENTVM EX CYpriano de Cœna domini.

CANIS *iste, quem dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia uerbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas, ita sacramento ineffabiliter diuina se infundit essentia.*

SOLVTIO.

POSTERIOR sententia declarat priorem. Nam diuinitas sacramentaliter infunditur, pane,& uino etiam remanenti-

bus: ſicut diuinitas in unitate perſonæ erat in humanitate Chriſti, ipſa humanitate etiam remanente cum diuinitate. Tamen panis non mutatur in effigie, nec in ſubſtantia, ſed in natura, ut Cyprianus uerè dicit. Non enim intelligit, naturalem ſubſtantiam panis abijſſe: ſed per uerbum dei addi tam eſſe pani aliam ſublimiorem proprietatem, & conditionem ſupra conditionem communis panis: hoc eſt, ut panis nobis ſignificet, nos eſſe participes ſpiritus dei, & puriſsimè coniunctos cum Chriſto, & ſpiritualiter paſci carne eius, ac ſanguine: ut iam myſticus ille panis ſimul ſit, & corporale alimentum corporis, & ſpirituale alimentum animæ. Sed eſt ex illo grege, qui ita reſpõdet: Quod Cyprianus dicit de mutatione, illam nos concedimus, ſed ſacramentalem. Et tum concedimus, non effigiem, ſeu formam, & accidentia panis ſubire hoc munus, ut ſint ſacramenta, ſed naturam, & ſubſtantiam ipſam panis, & uini mutari in ſacramentum corporis, & ſanguinis domini: &, quemadmodum ſubſtantia ipſa, non effigies nutrit, ita corpus ipſum Chriſti & animum noſtrum alit, & corpus noſtrum fouet, atq; inſtaurat. Sed aduerſarij contra Cyprianum ſubſtantiam panis non mutant, ſed prorſus auferunt. Nos autem illa mutari dicimus, & fieri corpus Chriſti, id eſt, ſacramentum corporis Chriſti, quod anteà certè non fuit.

GARDINERVS.

HIC *ſe ipſos diuidunt Sectarij: & quot homines, tot ſententiæ.*

MARTYR.

QVOD primo loco reſpondet, nos ſcindi, ac diuidi inter nos, uanum, & falſum eſt. Hæc enim duo reſponſa, quæ iſte uideri uult ita pugnantia, optimè inter ſe conueniunt, etſi non prorſus efferantur ijſdem uerbis. Quod ad priorem partem reſponſionis attinet, fatetur, uerum eſſe, quod nos dicimus, poſteriorem partem illius ſententiæ Cypriani exponere priorem. Illuſtrat enim, inquit, adductam ſimilitudinem: non tamen de ſignificatione prioris quicquam imminuit: ſed contra Neſtorianos à carne Chriſti non abeſſe diuinitatem, ſignificanter addit. Miror equidem iſta homini tam conſiderato Inconſtantio potuiſſe tam incogitanter excidere. Nam cum Cyprianus iſta ſcriberet, nondum natus erat Neſtorius. Addit, Cyprianum ibi id agere, ut tam certò credamus & diuinitatem, & humanitatem Chriſti eſſe in ſacramento, quàm in ipſa perſona Chriſti. Verùm hoc non Cyprianus dicit, ſed iſte fingit. Nam Cyprianus ſimilitudinem tantùm quandam adfert inter Chriſtum, & Euchariſtiam: idq; eo tantum conſilio, ut oſtendat, efficaciam quandam ſacramentis à deo tribui. Ea uerò nihil aliud eſt, quàm quòd deus ſacramentis uti uelit ad ſalutem noſtram, & illis, tanquam externis quibuſdam, & ſpectabilibus uerbis fidem in nobis exuſcitare.

Sic ergo

Sic ergo Cyprianus scribit: Sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas: ita sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infundit essentia: ita, uidelicet, ut iam diximus, quo uisibili sacramẽto utatur ad salutem nostram.

Itaq; addit, Sacramenta quidem, quantum in ipsis est, sine propria uirtute es se non possunt: nec ullo modo se absentat diuina maiestas mysteriis. Hoc Cyprianus probare uoluit, sacramentis adesse uirtutem dei, idq; eo modo, quo iam docuimus. Non autem instituit id probare, quod iste fingit: nimirùm, & diuinitatem, & humanitatem tam certò esse in Eucharistia, quàm in ipsa persona Christi. Concedimus in responsione, mutari naturam panis: at non ita, ut natura ipsa panis, quemadmodum isti somniant, prorsus auferatur, & esse desinat. Mutatur tamen quòd illi iam addita sit sublimior quædam proprietas, & conditio, quam anteà non habuit.

Ista Inconstantius ita oppugnat: Audis, inquit, Lector, tria uerba, Natura, Proprietas, & Cõditio, fermè sine sensu dicta. Primùm, si de significatione sola agitur, quomodò potest esse proprium panis, quod illi sit commune cum petra? petra enim significabat Christum: ut plæraque alia. Deinde quomodò dicatur esse de natura panis, quod neq; internam, neq; externam naturam attingat? An uerum erit, significationem rei additam mutare naturam? An uermis desinit esse natura uermis, quia significat Christum? Quòd autem ad conditionem attinet, dicunt aliàs isti, panem non fieri sanctiorem. Et, ut sit conditio alia, quid hoc ad naturam, quam dicit mutari Cyprianus? quid ad panis proprietatem? Iactas, Inconstanti, ut soles, illa tria uerba, Natura, Proprietas, Conditio tibi uideri à nobis sine sensu dicta. Sed scire debes, illa habere & certum, & præclarum sensum, idq; non tantùm nostro iudicio, uerum etiam tuo: nisi uelis contendere, sacramentum nihil esse. Id enim iam accedit ad naturam panis, ut sit sacramentum, quod antea non erat. Quod autem tu clamas nos in sacramento solam & nudam significationem constituere, satis iam suprà refutauimus. De proprietate litigat. Ea, inquit, non potest adscribi pani: est enim illi communis cum petra. Respondeo, istam proprietatem quod ad modum, & speciem attinet rectè assignari pani Eucharistiæ: etsi ea generaliter communis sit Eucharistiæ cum aliis sacramentis, non tantum Euangelij, sed etiam ueteris Testamenti. Omnia enim sacramenta significant ratione quadam sacramentali: quamuis seorsim singula habeant peculiares, & singulas rationes significandi. Imò ne ipsi quidem Dialectici omnia propria referri uolunt ad quartum modum proprietatis. Homini enim proprium est sentire: quamuis id illi cum aliis animantibus sit commune: interim tamen habet singulares quosdam modos sentiendi, quibus aliæ animantes non utuntur. Sed ne in hoc negotio, quod habemus præ manibus uideamur finxisse uocem istam Proprietatem, expẽdamus Cypriani ipsius uerba, quæ paulò suprà citauimus. Sacramenta, inquit, quantum in se est, sine propria uirtute esse non possunt. Hic ait, propriam esse uirtutem sacramentorum.

Atq; ex his ijsdem uerbis illud etiam alterum refutari potest, quod Inconstantius obijcit de natura. Quomodò enim, inquit, est de natura panis, quod neq; internam, neq; externam eius naturam attingat? Respondeo: Virtus ista sacramentorum, quatenùs respicit symbola, quæ sunt res naturales, dici potest natura externa. Ea enim fluit à spiritu dei utente symbolis. Id enim usu uenit omnibus instrumentis: accedit enim illis uis quædam ab eo, qui illis utitur. Ea autem uis, etsi accedat à principio extrinseco, tamen appellari potest natura. Ita Cicero de finibus, Vis, inquit, uerborum, & natura orationis. Orationes quidem & uerba instrumenta sunt, quibus utimur in dicendo: quæ ipsa per se ne- Cicero.

que uim, neq; naturam habent ullam. Habent tamen & naturam, & uim uel ab illo, qui primus illis significationes impoſuit, uel ab utentibus. Quòd ſi homines hoc poſſunt in uerbis ſuis, cur deus idem in ſuis ſacramentis non poteſt? Rectè ergo dicimus, ad panem & uinum in Euchariſtia accedere nouam proprietatem & naturam ex inſtitutione & uerbo dei.

Iam uideamus de Conditione, de qua uoce iſte nobis **tertio loco litem mouet**. Conditio, inquit, noua non poteſt aduenire: quoniam aliâs dicitis, panem
„ in Euchariſtia non fieri ſanctiorem. Hic adhibenda eſt huiuſmodi diſtinctio:
„ ſi id Inconſtantius uelit appellari ſanctum, quod accommodatum ſit ad ſacrum uſum, panis in Euchariſtia multò eſt ſanctior, quàm ante fuit: maximè uerò ſi conferatur cum uaſis templi & inſtrumentis ueteris tabernaculi. At ſi ſanctitatem intelligi uelit qualitatem piis hominibus afflatam, atque inditam à ſpiritu ſancto, qua fiunt diuinæ naturæ participes: ita negamus, panem ullo modo poſſe uocari ſanctum. Noua ergo illa conditio, quam dicimus accedere ad panem, eſt, ut fiat ſacramentum corporis domini, & inſtrumentum ſpiritus ſancti.

„ Sed eſto, inquit, accedat noua conditio: quid hoc ad naturam panis, quam
„ mutari dicit Cyprianus? uel quid ad panis proprietatem? Permultum, ne neſcias, Inconſtanti. Etſi enim ſubſtantia panis maneat, tamen eius natura mutatur. Accedit enim ad eam uis noua, & uirtus alia, quæ naturam ſuperat, dimanátque à ſpiritu ſancto. Eaq;, ut ſuprà docui, rectè appellatur proprietas ſacramenti. Atque ita mutari, nihil aliud eſt, quàm ad ſublimiorem, & præſtantiorem efferri gradum. In eo autem decipitur Inconſtantius, quod putat, uerbum illud, Mutari, eſſe formalem, ut ita dixerim, & ſubſtantialem mutationem fieri. Neque interim cogitat, ſubſtantiam, quamuis maneat, tamen dici poſſe mutari, quod nouum habitum, & nouum reſpectum ſubeat. Nihil ergo abſurdum eſt, ſignificatione addita mutari naturam; non quidem phyſica mutatione, ſed religioſa, ut iam fiat ſacrum, quod fuit anteà profanum. Quæ ſi Inconſtantius non intelligit, neceſſe eſt, ut ſit rerum diuinarum admodum imperitus. Cum ergo Cyprianus dicat mutari naturam panis, non debemus de abiectione phyſicæ ſubſtantiæ cogitare, aut de noua ſuſceptione phyſicæ alicuius formæ, aut qualitatis. Nam, quod iſte nugatur de uerme, qui, quamuis ſignificet Chriſtum, tamen eſſe uermis non deſinat, nihil eſt. Primùm enim uermis ſua illa ſignificatione non efficitur ſacramentum: nos autem hic de ſacramentali tantùm mutatione loquimur. Eam autem ſi iſte tribuere uelit uermi, neceſſe erit, ut & faciat contra definitionem ſacramenti, utq; uermem ſuum tranſubſtantiet, eumq; pari in honore habeat cum reliquis omnibus ſacramentis. Ad iſta uerò ſi ipſe nolit ſeſe adigi, non debet nobis obſtrepere, iuxta noſtram doctrinam propter nouam ſignificationem, naturam uermis oportere mutari.

„ Adhæc alio etiam nomine calumniatur reſponſionem noſtram, quòd eam
„ tribuamus pani ſignificationem, non quæ id referat, quod uel accipiamus, uel
„ accepturi ſimus, ſed quæ id, quod iam olim accepimus, repræſentet. Dicere enim nos, hæc ſymbola ſignificare, nos eſſe participes ſpiritus dei, & puriſſimè coniunctos cum Chriſto, & ſpiritualiter paſtos: ſecundum quem ſignificandi modum Baptiſma non conferet, nec efficiet regenerationem, ſed teſtabitur collatam: ut omnia, opinor, referantur ad abyſſum diuini conſilij in prædeſtinatione ante conſtitutionem mundi. Nulla eſt, optime Lector, in noſtro reſponſo uacillatio, aut inconſtantia: ut, cum antè dixerimus, pane ſignificari corpus Chriſti actum in crucem, & uino ſanguinem eius pro nobis effuſum,

fusum, posteà, quemadmodum iste nugatur, nouas illis significationes adscribamus. Non enim hæc diuersa sunt, aut pugnantia, sed ita coniuncta, ut ea, quæ posteriori loco dicimus, effecta sint illorum, quæ ante dixeramus. Corpus enim Christi crucifixum, & sanguis pro nobis effusus, fide apprehensa, efficiunt nos participes diuini spiritus, nosq; pascunt spiritualiter, & cum Christo purissimè coniungunt. Posterior ergo ista significatio non est à priori distrahenda.

Quòd si quæras, cur contenti non fuerimus priori, sed adscribere etiam uoluerimus posteriorem, id à nobis factum dico, quod uerba Cypriani tractaremus. Par enim erat, ut Responsum nostrum, ad illius sermonem accommodaremus. At ille in oratione de Cœna domini sic scribit: Fidei nostræ infirmitas, symboli argumento edocta est, uisibilibus sacramentis inesse uitæ æternæ effectum: & non tam corporali, quàm spirituali transitione Christo nos uniri. Hic notatur nostra cum Christo coniunctio. Scribit idem posteà, sinceriorem nobis patere accessum per hæc sacramenta usq; ad participationem spiritus. Illud idem nos quoq; significari posuimus. Sed diligenter annotanda sunt uerba illa Cypriani, quæ sequuntur. Ista, inquit, coniunctio non usq; ad consubstantialitatem Christi extenditur: sed usq; ad eius societatem germanissimam peruenit. Solus quippe filius patri consubstantialis est: nec diuisibilis est, nec partibilis substantia trinitatis. Nostra uerò, & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec unit substantias: sed affectus consociat, & confœderat uoluntates. Videant ergo isti nostri, quanta cum ratione dicant, carnem nostram uerè ali, & nutriri carne ac sanguine Christi. Nam si uerba ista sua propriè uelint accipi, non tantùm erit consociatio affectuum, ut Cyprianus ait, & confœderatio uoluntatum, sed etiam carnium, & sanguinum coniunctio: quod ille ijs uerbis inficiatur. A quibus tamen loquutionibus cum patres interdum non abstineant, etiam atq; etiam uidendum est, quid sibi uelint, ne pugnare secum existimentur. Ego quidem dico, quod me etiam aliâs dixisse memini, substantiam Christi ita nobis dari, quòd quamuis physica substantia nostri corporis conueniat quod ad speciem attinet cum substantia corporis Christi, tamen spiritu, gratia, atq; alijs donis longè ab illa distet. Efficitur tamen ista manducatione spirituali, ut ea etiam ex hac parte reddatur substantiæ Christi magis magisq; similis. Atq; ita aliquo modo dici possumus recipere substantiam Christi, & cum illa uniri: quamuis reipsa nihil aliud percipiamus, quàm spiritum, & gratiam, & alias cœlestes qualitates.

Tertiam partem significationis in nostro responso esse ait, quòd dicamus, nos pasci spiritualiter corpore, & sanguine Christi. Vt doceamus nos pasci corpore, & sanguine domini, nihil opus est citare uerba Cypriani: eius enim oratio fermè in illo est tota. Et pastum eiusmodi spiritualem esse, ea apertissimè indicant, quæ adduntur ad calcem. Hæc, inquit, quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus, & partimur. Inconstantius autem cum referre uellet uerba nostra, sic ea truncauit, ut tantùm scriberet, spiritualiter pastos, non autem adderet, corpore, & sanguine Christi. Videri enim uult in posteriori ista significatione, quam elicimus è Cypriano, nullam fieri mentionem de corpore, & sanguine domini: uidelicet, ut ista interpretatio uideretur prorsus aliena, & diuersa à priori. Atqui, uti diximus, ex illa spirituali perceptione corporis & sanguinis Christi ea, quæ posteriori loco commemorauimus, tanquam effecta consequuntur. Habes ergo, Lector, cur nos istam alteram significationem adscribere uoluerimus: nempè,

quòd Cyprianus, cuius uerba nobis à Papistis obiecta tractabamus, non solùm spiritualem manducationem indicarit, sed etiam eius effecta commemorarit.

Adhuc tamen nobis obstare uidetur unus scrupulus: quòd cum Cyprianus hæc tria recẽsuerit ut effecta Eucharistiæ, nos illa faciamus significata. Ad quod respondeo, Cyprianum ea tribuisse instrumento, nimirùm sacramento, quod sua illa oratione maximè commendabat, quæ alioqui sunt effecta spiritus sancti, tanquam præcipuæ, & uerissimæ causæ. Quare, cum hæc effecta deriuentur in nos à spiritu sancto, uidendum fuit, qua ratione instrumenta ad eius opus accommodentur. Ea autem ratio alia nulla esse potest, quàm significatio: quæ cum efficaciam suam habeat à ui diuina, non minus habet momenti ad excitandam in nobis fidem, quàm uerba dei, quæ auribus percipimus. Quod ergo ad hanc rem attinet, inter ista duo, Significare, & Facere, est maxima propinquitas. Maluit autem Cyprianus uti ratione efficiendi, opinor, quòd ista consideraret, tanquam instrumenta spiritus sancti. Nos autem significandi rationem sequi maluimus, partim quòd eam uideremus sacramentorum esse propriam, partim etiam, quòd sacramenta per significationem sint instrumenta spiritus sancti ad excusitandam in nobis fidem, qua fide possimus illa beneficia apprehendere. Huc adde, eundem Cyprianum alibi in epistola ad Cæcilium disertissimis uerbis tribuisse significationem Eucharistiæ.

„ Verùm ad Inconstantium redeo: ille nos ait statuere significationem earum
„ rerum, non quas aut accipiamus, aut etiam accepturi simus in usu Eucharistiæ,
„ sed quas iam olim acceperimus. Sed illi uno uerbo potest responderi: hanc esse naturam illarum rerum, ut quoad hic uiuitur, nunquàm ita perfectè à nobis, & cumulatè habeantur, quin ut semper perfectius, & cumulatius haberi possint. Itaque operam nobis dandam esse, ut illas in dies magis magisq; assequamur. Ad id autem, uti diximus, plurimùm ualet assiduus usus sacramentorum. Atq; ut hoc etiam obiter admoneam, iste noster non debet habere pro re ita absurda, si dicamus, sacramenta collatam iam nobis dei gratiam, & condonationem peccatorum, & iustificationem significare, & quasi certissimo testimonio confirmare. Paulus enim cap. 4. ad Romanos ita scribit de Abrahamo: Dicimus, quòd imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodò ergo imputata est: cum esset in Circuncisione, an cum esset in præputio? Non in Circuncisione, sed in præputio: & signum accepit Circuncisionis signaculum
„ iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio: ut esset pater omnium credentium. Ex his uerbis apparet, Circuncisionem, cui noster Baptismus & respondet, & successit, significasse iustitiam illam, quam Abrahamus prius habuerat in pręputio. Imò Ecclesia nunquam quenquam aut tingeret Baptismo, aut communicaret Eucharistia, nisi illum iam anteà ad Christum pertinere, & eius gratia ornatum esse crederet. Quid uerò sibi uult Paulus, cum iubeat, ut hunc panem dignè comedamus? Quis enim est dignus, nisi qui iam credat, & per fidem cum Christo sit copulatus? Nam ille per fidem habitat in cordibus nostris. Philippus etiam, & Petrus non dubitabant Eunuchum, & Cornelium credere, & imbutos esse spiritu sancto, priusquam eos ad Baptismum admouerent. Quis autem dubitet, Baptismum significare gratiam, & ablutionem à peccatis? At eam Eunuchus, & Cornelius iam anteà erant consequuti. Nec tamen necesse erat, ut Petrus, & Philippus confugerent ad abyssum diuinæ prædestinationis. Etsi enim ea sit caput ipsum, & fons salutis nostræ, tamen utitur medijs. Neque enim usquam legitur, deum aut contulisse gratiam, aut condonasse peccata, aut homines sibi reconciliasse ante constitutionem mundi, cum nemo hominum

Vsu sacramenti augetur gratia quam prius habebamus.

Sacramentis gratia prius habita obsignatur & adfirmatur.

Sacramenta danda nõ sunt, nisi ijs, quos iam ad Christum pertinere arbitremur.

minum adhuc extaret. Decreuit quidem deus ante omnem æternitatem, se ista daturum esse: sed suo tempore. Ita neminem regenerat, cui non prius inseuerit fidem suam. Eius autem regenerationis, uelit, nolit Inconstantius, Baptisma signum est: neq; tamen signum illud ea causa inutile, aut cassum est. Regeneratio enim nostra, & gratia in dies augetur, & confirmatior redditur ex fide. Vt ergo sacramenta dignè, & ritè usurpentur, necesse est, ut ea inueniant in nobis, quæ significant. Nihilò tamen minus illorum usurpatio ualet plurimùm ad augmentum, & confirmationem illorum donorum, quæ anteà in nobis extiterunt. Hæc autem hactenus intelligi debent à me dicta de adultis. De paruulis autem, qui per ætatem non possunt adhuc actu credere, alia ratio est: de qua hoc loco dicere supersedeo, quòd ea ad hoc institutum non faciat.

Posthæc Inconstantius ad alteram quoque responsionem excutiendam sese accingit. Eam autem esse meam satis ex eo indicat, quod scribit, se de ea non nihil dixisse suprà, cum uellet regulas meas refutare. Dicit autem me uerbis quidem Catholicorum libenter cedere: sed posteà ea torquere ad meum sensum. Concedit, inquit, iste sacramentalem mutationem: Ita est: uideo enim consentire cum scripturis: & patres eam mutationem omninò uelle. In eo tamen uehementer errat, quòd putat, meam istam sententiam à superiori responsione discrepare. Nam quòd in altera dicitur, naturam panis non mutari, id intelligi debet de natura panis abijcienda: eam enim certum est remanere. Dicitur ea tamen mutari, quod ad nouam conditionem, seu sacramentalem proprietatem attinet. Atq; ita dictum est, intelligendam esse mutationem apud Cyprianum. In priori ergo responsione negatur mutatio, sed non ea, quam ego statuo, uerùm illa uestra, quam uos omninò contenditis esse oportere transubstantiationem. Hoc tamen tu mihi monendus es, Lector, quid ego aut dicam, aut sentiam de sacramentali mutatione, hunc Sophistam non intelligere. Dixi quidem substantiam panis mutari in sacramentum, hoc est, fieri sacramentum: sed ita tamen, ut substantia ipsa maneat. Nisi enim ea remaneret, ne posset quidem esse sacramentum. Vt cum dico, Iohannem fieri Grammaticum, in ea mutatione sentio, Iohannem existere, & ita manere, ut ad eum accedat noua forma Grammatici. Ita dico, in Eucharistia manere naturam panis, ut subeat nouum respectum, & habitum sacramenti. Certum autem est, humanum corpus ali, & nutriri substantia ipsa, & natura panis, non autem respectibus, aut accidentibus. Et idcircò ea commodissimè, & aptissimè significat corpus Christi pro nobis passum in cruce. Illud enim fide apprehensum alit, & nutrit nos spiritualiter: ut inter corpus Christi, & panem naturalem communis sit in alendo analogia. In altero enim est physica alimonia, in altero spiritualis.

Quomodo natura panis in Eucharistia mutetur, & non mutetur.

Sed hoc pacto, inquit iste, nihil erit in sacramento uisibile. Substantia enim, quæ est cuiusque rei natura interna, nec uidetur, nec tangitur. Id autem putat maximè facere contra me, qui alibi dixerim, signum non posse latere: cum hic statuam eiusmodi sacramentum, quod totum delitescat. Nam substantia panis, inquit, quæ significat, non uidetur: quod autem significatur, quoniam abest secundum eos corpus Christi, multò minus. Concludit ergo me nihil relinquere, quod sit uisibile in sacramento. Me enim tribuere rationem sacramenti internæ substantiæ panis: accidentia autem relinquere omninò otiosa. Et si propriè loquamur, inquit, totum non prædicatur de singulis suis partibus: ideoq; terreni elementi species non est sacramentum, sed altera sacramenti pars, hoc est, post sacramentum quasi forma

cum ipsa materia, & res sacramenti sit uerum corpus Christi. Quod ait, me nihil relinquere in sacramento quod sit sensibile, quid ego id aliud esse dicam, nisi impudentem calumniam? Ipsa enim rerum corporalium substantia & uidetur, & sentitur per accidentia. Nam in Symbolo scribitur, deum esse creatorem uisibilium, & inuisibilium. Dic mihi, quæso, Inconstanti, an hic putas uisibilia, tantùm esse accidentia? Ego quidem semper ibi intelligi putabam substantias ipsas, & naturas rerum, fuisse à deo creatas, quas uisu, & oculis usurpamus. Quis enim sanus dicat, hoc tantùm significari uerbis illis, sola accidentia fuisse creata? Et cum quispiam aut hominem, aut equum uideat, aut gustet panem, aut uinum, an putabit, se tantùm uidere, aut gustare accidentia? Res ipsæ, & substantiæ percipiuntur: sed per accidentia tanquam per medium. Non ergo in pane, & uino Eucharistiæ relinquimus accidentia otiosa. Substantiæ enim ipsæ, & naturæ rerum sub illis recipiuntur, & per illa à sensibus usurpantur: quamuis alioqui substantias ipsas per definitionem, & distinctè cognoscere solus possit intellectus. Tamen, si uerè loqui uolumus, ipsæ rerum naturæ magis sentiuntur per accidentia, quàm accidentia diuulsa à substantijs, qualia isti in sua transubstantiatione fingunt, sensibus cognosci possint. Formæ enim per se, non concretæ, qualescunq; sint, non possunt sub sensum cadere. Quare cum ego statuam naturam panis, & uini remanere in Eucharistia, idq; cum suis accidentibus sensibilibus, uideat Inconstantius, quàm prudenter dicat, me in sacramento nihil relinquere sensibile. Idcirco autem dico rationem sacramenti in substantia panis collocandam esse, non in accidentibus, quòd omninò oporteat analogiam, & iustam proportionem retineri inter signum, & rem significatam. Ea uerò est, ut, quemadmodum panis alit corpus, ita corpus Christi nutriat, & alat animam. Cyprianum autem à me stare, unde potius colligam, quàm ex ipsius uerbis? Nam in eadem ista oratione ita scribit: Panis iste communis in carnem, & sanguinem mutatus procreat uitam, & incrementum corporibus: ideoq; ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est, uisibilibus sacramentis inesse uitæ æternæ effectum. Audis, Inconstanti, hunc panem etiam post mutationem sacramentalem, & nutrire, & procurare uitam, atq; incrementum corporibus. Atq; hoc argumento ducto ex analogia elementi ad rem significatam, intelligimus, quemadmodum panis alit corpus, ita corpus Christi alere, & nutrire animam spiritualiter. Atq; hæc causa est cur accidentibus tribui non possit ratio sacramenti: nimirùm quòd non alant, aut nutriant. Non tamen ea distrahimus ab ea re, in qua dicimus propriè situm esse sacramentum. Mitto recitare alia loca Cypriani, aliorumq; patrum, ex quibus clarissimè constare possit, panem, & uinum esse symbola sacramenti, eaq; alere, atq; augere nostra corpora. Quod autem sæpè dixi, figuram non posse latere, sed eam re significata esse oportere notiorem, id nunc & repeto, & constanter affirmo. Sed hic, inquit iste, totius sacramenti constituis delitescentiam. Minimè uerò. Naturam enim rerum non statuo nudam esse in Eucharistia, & spoliatam accidentibus. Conuitia autem sua relinquo Inconstantio. Vtrum enim nobis malitia mutauerit intellectum, deus optimè iudicabit. Possem quidem uicissim uerissimè regerere, deum uos propter fœdissimam istam uestram artolatriam dedisse in reprobum sensum. Verùm ego decreui mihi temperare, & rem potius ipsam agere.

Relatio sacramenti an in substantijs an in earum accidentibus fundetur.

Cyprianus.

Totum non prædicari propriè de singulis partibus, quoniam uerum est, libenter damus: atq; etiam addo, Eucharistiæ, si tota atque integra consideretur, duas esse pares, Symbola, uidelicet, & res significatas: idq; supra suo loco semel atq; ite-

atq; iterum inculcaui. Quoniam autem patres, etsi minus propriè, tamen interdum symbola ipsa appellant sacramenta, ego quoq; hoc loco unà cum illis ita loqui uolui, & panem ipsum appellare sacramentum. Imò ad hunc modum loqui sibi permiserunt Theologi, cum ita definirent sacramentum, Est inuisibilis gratiæ uisibile signum. Quiuis enim facilè uidere potest, signum in hac definitione ad symbola pertinere. Atq; ita Cyprianus quoq; locutus est in hac eadem oratione cum diceret, Visibilibus sacramentis ineſſe uitæ æternæ effectum. Nam cum diceret, sacramentum uisibile, necesse est, illum ad elementum uisibile, hoc est ad symbolum respexisse. Dico itaq;, sacramentum, quatenus quidem est signum, de pane, uino, & aqua, postquam ea cœpta sunt adhiberi ad sacrum usum, tanquàm de suis speciebus prædicari. Totam uerò Eucharistiam, atque integrum Baptismum unà cum Irenæo, aliisq; Patribus, constare dico ex duabus partibus, signis, uidelicet & rebus ipsis. Verùm illud interim dissimulare non possum, quàm constanter Inconstantius noster hæreat in errore suo, cum dicat, accidentia esse formam Eucharistiæ, corpus autem Christi eius esse materiam. Nam, ut est stupidus, non uidet, se plus tribuere accidentibus, illisq; fictis, & commentitijs, quàm carni Christi. Certùm enim est, formam dignitate longe præstare materiæ.

An symbolum externum dici possit sacramentum.

Ad extremum calumniatur, & rodit priorem Solutionem, quasi ea statuat, diuinitatem Christi coniungi cum pane in unitate personæ, quemadmodum coniuncta est cum humanitate. Id autem, inquit, Cyprianus non agit illa similitudine: sed tantùm, ut ostendat, diuinitatem latere: quod fieri intelligendum est in carne Christi præsente ex pane facta mutatione ineffabili. Nos autem, cum præcipites ruamus in monstra, & auersi à ueritate obcæcemur malitia, nihil pensi habere, etiamsi dicamus deum impanari. Nemo nostrum, Inconstanti, unquam dixit, aut sensit, deum impanari, aut de diuina persona talia monstra somniauit. Neq; certè unquam ita insaniuimus, ut putaremus, nos portentosis, & absurdis loquutionibus posse uobiscum contendere. Expositum iam, illud apud Cyprianum, Diuinam essentiam ineffabiliter se infundere sacramento, nihil aliud esse, quàm spiritum sanctum adesse sacræ cœnæ, & efficaciter uti illis symbolis, ad excitandam, accendendam, atq; instaurandam fidem in animis hominum piorum. Non ergo impanamus deum, sed usu sacræ cœnæ, & de ui, atque efficacia sancti spiritus sobriè, & modestè loquimur. Vos autem cum illa uestra transubstantiatione, non quidem impanatis deum, sed panem ipsum expanatis.

Nihil enim te id iuuat, Inconstanti, quòd ais, Ecclesiam non auferre substantiam panis, cum tantùm explicet constitutionem mysterij, nec eam in ipso mysterio annihilare, propter successionem substantiæ melioris: sed eam dicere mirabiliter mutari præter naturæ regulas. Certum est, Ecclesiam id non facere: neq; uobis ea uis data est, ut, quamuis maximè cuperetis, possetis id efficere. Hoc autem nos reprehendimus, quod uos pro uestra impudentia tanquam credendum, & omnibus modis retinendum obtruditis: idq; non tantùm sine scripturis, sed etiam sine authoritate patrum. Quid, obsecro, interest utrum dicatis annihilari substantiam panis, an eam esse desinere? Nam, quod fingitis, id, cuius & materia, & forma prorsus esse desinat, non annihilari, insanum portentum est. Nihil ergo necesse fuit, Inconstanti, ut uestram istam fabricam prodigiorum, in qua uos regnum iamdudum obtinetis, nobis transcriberes. De malitia autem, quam criminis loco obijcis, nihil regero. Quàm enim uos sancti, atq; innocentes sitis, orbis iam terrarum uniuersus uidet.

ARGVMENTVM GARDINERI ex Hilario de Trinitate libro 9.

SI uerè uerbum caro factum est, & nos uerè uerbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodò non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam nostræ carnis iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes sumus unum, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter, uel se in Christo, uel Christum sibi inesse. Quia in Christo pater, & Christus in nobis unum in eis esse nos faciunt. Si uerè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & uerè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; uerè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, qui pater in eo est, & ille in nobis, quomodò uoluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unionis? Non est humano, aut sæculi sensu in dei rebus loquendum.

SOLVTIO.

HILARIVS quemadmodum dicit, Christum esse in nobis naturaliter: ita etiam idem dicit, nos esse naturaliter in eo. Neq; id intelligi uoluit de naturali, & corporali præsentia substantiæ corporis Christi, & nostri. Nam ut nostra corpora non sunt eo modo in eius corpore: ita corpus eius non est eo modo in nostris corporibus. Sensit autem hoc Hilarius, Christum in incarnatione sua assumpsisse à nobis naturam mortalem, & eam uniuisse diuinitati suæ, atq; ita nos esse naturaliter in eo. Deinde etiam sacramenta & Baptismi, & sacræ Cœnæ, si ritè usurpentur, certos nos reddunt, nos esse participes diuinæ naturæ, habentes ab eo datam nobis immortalitatem, & uitam æternam. Et sic Christus est naturaliter in nobis. Et idcircò Hilarius ibi disputans de utroque sacramento nullam differentiam facit inter eam unionem, quam habemus cum Christo in Baptismo, & illam, quam habemus cum eo in sacra Cœna. Nihil autem istorum aduersatur sententiæ nostræ. Hilarius enim non contendit, corpus Christi in hoc sacramento latere abditum sub accidentibus, sed hoc tantùm asserit, nos communicando uerè coniungi cum eius carne. Quod certè nos nunquam negauimus.

GARDINERVS.

HILARIVS *tractat mysteriũ nostræ cum Christo unionis secundũ carnem: quam Christus ex nobis assumpsit, & diuinitate suæ unitam, nobis deinde in sacramento dat, & cõmunicat.*

MARTYR.

PRimùm hoc dissimulari non debet, uerba ista Hilarij admodum esse obscura; ut nisi quis diligenter, & attentè animaduertat, quid ille anteà tractauerit, uix pos-

uix posſit, quid hic dicatur, intelligere. Illis autem in libris de Trinitate disputat aduersus Arrianos: qui docebant in beata Trinitate inter patrem, & filium nullam intercedere aliam unionem, quàm uoluntatis, & concordiæ. Contra eos disputans Hilarius multis argumentis probat, inter nos, & Christum maiorem multò unionem esse, quàm consensus, & uoluntatis: nam & illum nobis, & nos illi unitos esse naturaliter. Atq; ex eo probat, Christum etiam cum patre non tantum uoluntatis unione coniunctum esse, sed etiam naturaliter. Nos autem coniungi naturaliter cum Christo, ut rem eam paulò altius repetam, sic probat. Primùm Arriani ex illis uerbis Christi precantis patrem apud Iohannem, Non pro his rogo tantùm, sed & pro ijs qui credituri sunt per uerbum illorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ex his, inquam, uerbis Arriani colligebant, filium unum esse cum patre tantũ assensu uoluntatis: sic enim homines inter sese coniunguntur, & unum sunt. Hic se illis opposuit Hilarius, & docuit, homines Christianos coniungi inter se, non tantùm uoluntate, sed etiam naturaliter. Sic ergo disputat: Quorum anima, & cor unum omnium erat, quæro, utrum per fidem dei unum erãt? Vtiq; per fidem: per eam enim anima una, & cor unum omnium erat. Et interrogo, utrum fides una, an altera sit? Vna certè, etiam ipso Apostolo authore, Vnam fidem, sicuti unum dominum, & unum Baptisma, & unam spem, & unum deum prædicante. Si ergo per fidem, id est, per unius fidei naturam, unum omnes erant, quomodò non naturalem in his intelligis uoluntatem, qua per naturam unius fidei unum sunt? Ex unitate igitur fidei Hilarius concludit, fideles inter se naturaliter unitos esse. 1.

Deinde idem probat argumento ducto à Regeneratione: ad hunc modum. Sin uerò, inquit, regenerati in unius uitæ, atque æternitatis naturam sunt, per quod anima eorum, & cor unum est, cessat in his assensus unitas, qui unum sunt in eiusdem regeneratione naturæ. 2.

Posteà etiam unitatem istam inter fideles naturalem esse, probat etiam ex Baptismo. Docet, inquit, Apostolus ex natura sacramentorum esse hanc fidelium dei unitatem, ad Galatas scribens, Quotquot in Christo Baptizati estis, Christum induistis. Non ineſt Iudæus, neque Græcus: non ineſt seruus, neq; liber: non ineſt masculus, neque fœmina. Omnes enim uos unum estis in Christo. Quòd unum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diuersitate, nunquid ex assensu uoluntatis est, aut ex sacramenti unitate: quod his & Baptisma sit unum, & unum Christum induti omnes sint? Quid ergo hic animorum concordia faciet, cum per id unum sint, quòd uno Christo per naturam unius Baptismi induantur? Aut, cum qui plantat, & qui rigat unum sint, nunquid non per hoc unum sunt, quia ipsis in uno Baptismo renatis, una unius regenerantis Baptismi dispensatio est? Nunquid non & idem agunt? Nunquid in uno unum sunt? Itaq; qui per rem eandẽ unum sunt, natura etiam unum sunt, nõ tantùm uoluntate: quia & ipsi re eadem affecti sunt, & eiusdem rei, atq; efficientiæ sunt ministri. His argumentis Hilarius probauit, nos inter nos unum esse natura: uidelicet, ut ex eo concluderet, Christum quoq; natura unum esse cum patre, non tantùm assensu, aut uoluntate. Ex uerbis autem illis Christi hanc elicit sententiam: Vt omnes unum sint, sicut tu, pater, in me, & ego in te: ut ipsi unum sint in nobis: Ergo nos qui natura sumus unum inter nos, quemadmodum iam probatum est, erimus natura unum cum patre, & filio. Christus enim dicit, Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi illis. Concludit ergo Hilarius, per hunc honorem nobis datum à filio nos esse unum cum patre, & filio, non tantùm uoluntate & consensu, sed etiam natura. 3. 4.

Pergit Hilarius, & hanc eandem unionem, quam probauerat per fidem, per regenerationem, per Baptismum, & per honorem, probat etiã per sacramentum Eucharistiæ: & ea subiicit, quæ proposita sunt ab Inconstantio in argumento; probatq́, Christum in nobis esse per naturæ ueritatem, non tantùm propter consensum uoluntatis. Id autem ex eo probat, quod Christus, cum homo nasceretur, naturam assumpserit nostræ carnis: nos uerò uicissim esse in Christo naturaliter ex eo probat, quòd ille naturam suæ carnis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuerit. Itaq; concludit, negari non posse, patrem esse in Christo naturaliter, nisi quis eadem opera negare uelit, uel nos in Christo, uel Christum in nobis esse naturaliter.

„ Id uerò ad rem maximè uidetur facere, quod subiicitur, Nosq́ uerè sub my-
„ sterio carnem corpus eius sumimus: & per hoc unum erimus, quia pater in eo
„ est, & ille in nobis: quomodò uoluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacra-
„ mentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis? Atqui nos carnem Christi sub mysterio uerè sumi, nunquam negauimus. Carnem enim eam Christi, quam credimus pro nobis mortuam in cruce, & fide complectimur, spiritualiter & per fidem uerè sumimus, uereq́ comedimus. Aduerbiũ autem illud Verè non indicat realem, aut substantialem præsentiam, sed tantùm docet, sumptionem illam spiritualem ueram esse, illudq́ corpus, quod ita sumimus, non fictum, aut commentitium, sed certum esse, & subsistens, & uerum. Alterum etiam illud aduerbium, Naturaliter, non ita usurpatur ab Hilario, quasi carnem Christi realiter, & substantialiter admisceatur carni nostræ: id enim neq́ conuenit, neq́ fieri omninò potest. Opponitur tantùm illa uox uoluntati, & consensui. Vult enim Hilarius plus nobis esse coniunctionis cum Christo, quàm consensus, aut uoluntatis. In eo autem sita est illa coniunctio: primùm, quod filius dei assumpsit naturam humanam: deinde quòd nos uicissim eius carnem apprehendimus per fidem, & comedimus spiritualiter. Et quemadmodum in illis argumentis, quæ suprà commemorauí statuit naturalem esse coniunctionem inter nos & Christum propter fidem, propter regenerationem, propter Baptismum, & propter honorem, quòd ista omnia nobis sint cum Christo communia: ita hic quoq́ ait, nos uniri cum Christo naturaliter, quòd communicando eius carnem apprehendamus per fidem, & spiritualiter comedamus. Certè si fides, si regeneratio, si Baptismus, si honor hoc efficiat, nihil causæ uideo, cur non etiam idem efficere possit caro Christi à nobis spiritualiter manducata. Hæc ego operæpretium esse duxi paulò altius repetere, quòd putarem, obscuritatem illam uerborum Hilarij, quæ adducta sunt in argumento, ex illis, quæ ab eo anteà dicta fuerant, & ex serie ipsa, & continuatione orationis posse utcunque illustrari.

Vnum tamen quiddam adhuc supereſt, in quo Lector fortasse non nihil hærere possit: illud, uidelicet, quod Hilarius scribit, Dominum carnem suam admiscuisse sacramento: deinde, Nos uerè carnẽ corporis eius sub mysterio sumere. Verùm hoc posterius facilè potest expediri. Neq́ enim aut inusitatum, aut nouum est, dicere, res ipsas abscondi sub uerbis: cum tamen nemo ita sit stupidus, ut ea causa putet, res ipsas in uerbis delitescere. Prior etiam illa loquutio ita potest nõ incommodè explicari. Nam de homine, qui aliquid uehementius, atq́ iracũdius loquutus sit, dicere solemus, Ille totũ suũ stomachum, & bilem uniuersam orationi suę admiscuit: & de homine festiuo, & perfaceto, Ille uerbis suis omnem suã amœnitatẽ, & leporẽ asperſit. Simili dicendi forma Hilarius ait, Christũ carnem suam admiscuisse sacramento, cum ille nobis instituerit huiusmodi mysterium,

sterium, in quo nihil aliud significaretur, nisi eius corpus & sanguinem pro nobis tradita fuisse in mortem.

Hæc præfatus, uenio ad Sophismata, & cauillos Inconstantij. Quòd primo loco ait, realem nostram unionem cum Christo dupliciter constare, uel quòd Christus naturam nostram assumpserit ex Virgine, uel quòd nos eius carnem uerè recipiamus in Eucharistia, citra cõtrouersiam recipio: modo istud posterius de Eucharistia intelligatur per fidem, & spiritualiter. Nã aduerbia illa duo, Naturaliter, & Spiritualiter, iam suprà ostendi non pugnare: quomodò quidem Hilarius in hac disputatione utitur illa uoce, Naturaliter: nimirùm, ex antithesi ad unionem uoluntatum. Aduersatiuam illam dictionem, quam iste taxat, ideò posuimus in Responsione, quoniã Christus dicitur esse in nobis naturaliter, quãuis nostrum cuiusq; naturam non assumpserit sigillatim. Ita nos in Eucharistia uerè sumimus carnem eius, quamuis eam substantialiter præsentem non habeamus. Nec tamẽ propterea negamus, in Cõmunione uniri nobis carnem Christi, idq; ut Hilarius ait, naturaliter, per antithesin uidelicet eius cõiunctionis, quam Arriani ponebant, consensus, & uoluntatis: nõ tamen ita naturaliter, ut quemadmodum caro, & natura humana in Christo unitur diuinæ naturæ, ita eadem uniatur naturæ & carni nostræ. Natura enim diuina & humana faciũt in Christo eandem hypostasin: quæ tamen nõ potest fieri ex carne Christi, & carne nostra. Vides ergo, Lector, aduerbium illud, Naturaliter, utrinq; positũ non eandẽ utrinq; habere uim. Caro quidem ipsa Christi sumitur à nobis in Eucharistia, sed spiritualiter, & per fidem. Non tamen idcircò realiter, aut substantialiter cohæret cum carne nostra. Huc spectauit aduersatiua illa distinctio Respõsionis, quam Inconstantius sine causa reprehendit.

Sed fortasse quæres, quid in nobis faciat illa caro Christi ita per fidem spiritualiter apprehensa. Respondeo: Transfundit diuinas illas qualitates, & dotes suas uirtutum, immortalitatis, fœlicitatis, primum in animũ, cui spiritualiter unitur, deinde etiam in corpus nostrum: ut iam duplici nomine dici possimus esse in Christo naturaliter, & quòd habeamus in nobis humanam illius naturam, quam ille assumpsit ex nobis, & quòd iam illius naturæ etiam proprietatibus ornati simus, quibus propter peccatum eramus anteà destituti: atq; ita efficimur caro de carne illius, quemadmodũ ille factus est caro de carne nostra: ut ille iam uicissim dici possit esse in nobis naturaliter. Necessitas ipsa hoc expressit ab Inconstantio, ut fateretur, corpora nostra non esse in Christo secundum integritatem individuarum substantiarum. Nihilò tamen minus contendit, corpus Christi in dispensatione Eucharistiæ integrum, atq; impartibile, ut Cyrillus ait, communicari singulis. Sed id nos etiam ipsi nõ inuiti damus, modò intelligatur corpus Christi dari spiritualiter, sine substantiali illa Papistarum præsentia: sic enim nullo modo potest. Neq; alia ratione uerba Cyrilli admitti debent.

Sed addit Inconstantius: Hilarius eandem ueritatem asserit carnis in mysterio datæ, & à nobis acceptæ, quæ est caro ab ipso Christo assumpta in utero. Et hinc colligimus apertissimè sentire Hilarium, ueram esse præsentiam substantiæ corporis Christi in sacramento, secundum quem Hilarium, ut ex eius uerbis liquet, nos tam uerè sumimus carnem Christi in hoc mysterio Eucharistiæ, quàm Christus sumpsit in mysterio Incarnationis. Adeò si illam carnẽ in mysterio Incarnationis sumptam uerè, substantialiter, realiter, corporaliter sumptam confitemur, illud ipsum cõfiteamur oportet de carne sumpta in Eucharistia. Quia apud Hilarium istum, quod ad ueritatem carnis assumptæ, & acceptę attinet, hæc duo mysteria Incarnationis, & Eucharistiæ pariter cẽsentur & æstimãtur. Nos quidem, Inconstanti, fatemur utrunq;, & Christum uerè assumpsisse humanam car-

nẽm ex utero Virginis, & eandem illam carnem, non fictam, aut cõmentitiam, sed integram, & ueram dari nobis in Eucharistia: sed, ut sæpè iam diximus, fide, & spiritualiter. Nec propterea necesse erit realem illam uestram præsentiam constituere. Malè ergo & frustrà colligis ex Hilario: Tam uerè sumimus carnẽ Christi in Eucharistia, quàm uerè Christus eam assumpsit in mysterio Incarnationis. Nam aduerbiũ illud, Verè, utrinq; rectè conuenit: non tamen eodem modo. Idq; ipse cogeris confiteri. Ibi enim erat una hypostasis: quæ hic certè nõ est. Non debet ergo tibi uideri mirum, si negemus eandem esse utrinq; præsentiam. Fuit ibi quidem præsentia substantialis: hic autem tantùm est spiritualis: utrinq; tamen uera. Neq; mirari debes Lector, si ego hic cõcedam carnem Christi uerè sumi in sacramento. Id enim non aliter concedo, quàm quomodò solemus dicere, uitam æternam dari in sacris literis. Ea enim in illis significatur, & ex illis hauriri potest, si quis eam fide apprehendat.

Adhæc uerba illa, Tam uerè, & eodem modo, quæ Inconstantius sibi tam liberè permittit, non sunt in Hilario. Christum quidem uerè suscepisse in Incarnatione carnem nostrã, ut ea uicissim à nobis uerè sumitur in Cõmunione, fateor, at non utrinq; eodem modo uerè. Iste aũt ita solenniter furit, ut utriq; mysterio, Incarnationi uidelicet, & Eucharistiæ uelit aduerbia illa, uerè, realiter, substantialiter, corporaliter eodẽ modo conuenire. Quæ qui uelit dare, necesse est, ut sese immergat in abyssum absurdorũ. Quomodò autem duo illa mysteria Incarnationis, & Eucharistiæ inter se conferri debeãt, iam anteà diximus. In altero Christus accepit naturã humanam, in altero dat. Non tamẽ necesse est, ut quemadmodum accepit substantialiter, ita etiam eam det substantialiter. Ita enim habemus eam eo ipso, quòd homines nati sumus. Id ergo tantùm superest, ut Christus det nobis eam spiritualiter. Ita enim à nobis hausta participes nos facit, & quod ad corpus, & quod ad animum attinet, qualitatũ, uirtutum, & proprietatũ Christi.

„ Dat rursus nobis Sophista noster, Christum quidem assumpsisse integrã naturam humanam, non tamen integros homines: quemadmodũ, inquit, singuli nos „ accipimus integrum Christũ: sed, quod ad effectum mysteriorũ attinet, sicut natura carnis nostræ est in Christo per Incarnationem, ita natura carnis Christi est „ in nobis per Eucharistiã. Et ita probat Hilarius naturalẽ Christi, & nostræ carnis „ unionem: quã dicit perfici per Eucharistiam, qua nos accipimus carnem Christi „ diuinitati unitam, & per carnem participamus diuinitati. Semper ingenuè fatemur, nos in Eucharistia Christũ recipere integrum, sed spiritualiter. Idq; nobis Inconstantius non ita grauatè dare debet. Quemadmodum enim ipse discrimen quoddam agnoscit inter modum eum, quo Christus recepit humanã carnem, & eum quo nos eius carnẽ uicissim sumimus, quòd Christus singulorum hominũ naturam non assumpserit, cum tamen dicat eum integrum, & totum sumi à singulis: ita nos aliud etiam quoddam discrimen statuimus: nimirùm, assumptionẽ illam humanæ naturæ in Christo fuisse substantialem, nostram autẽ uicissim tantùm esse spiritualem. Natura enim Christi humana non potest singulis hominibus distribui realiter, substantialiter, & corporaliter.

Accusat præterea nos grauiter Inconstantius, quòd dicamus in responsione, Hilariũ probare eandẽ unionem naturalẽ ex Baptismo. Id enim falsum esse, & à nobis confictum fortiter clamat. Quid ego hic faciam, nisi ut eum remittã ad librum, quem eius operæ anteà fortasse negligentius considerarunt. Quod ne Lector facere cogeretur, suprà Hilarij uerba huc trãscripsi. Arguta uerò, & subtilis illa expositio, quemadmodũ dicatur natura fieri, quod à pluribus eodẽ modo fiat, primùm non est uera, deinde ad rem nihil facit. Nã, ut intelligas non esse ueram, uidemus texturã sæpè & à pluribus fieri, & eodẽ modo: nemo tamẽ est, opinor,

nor, qui dicere uelit, texturã natura fieri: niſi uelit artẽ et naturã confundere. Ad inſtitutũ aũt nihil facit: quoniam, uti iam dictum eſt, Hilarius cũ dicit Naturam, & Naturaliter, intelligit tantùm quiddã, quod ſuperet cõiunctionem uoluntatũ atq; animorũ. Et unionem illã naturalem Hilarius ita probat ex Baptiſmo, quòd Baptiſmus unus ſit, quodq; omnes induti ſint unum Chriſtum. Quod cum dicit, naturam profectò carnis Chriſti non excludit. Imò quemadmodũ Paulus ait, in Baptiſmo inſerimur Chriſto, & cum eo cõplantamur, & cõſepelimur. Quæ cum referantur ad mortem, & ſepulturam Chriſti, ſatis oſtendũt, nos carnis eius, quà pro nobis mortua eſt, & ſepulta, in Baptiſmo fieri participes. Vnio ergo noſtra cũ Chriſto, quam celebramus in Euchariſtia, non ita diuerſa eſt, ut iſte fingit, ab ea, quam habemus in Baptiſmo. Sed iſte cum ea ita ſubtiliter diſtingui uelit, nodum tantùm in ſcirpo quærit. Neq; enim id agit, ut doceat lectorem, ſed ut eum abducat à uia, & inuoluat in caliginem. Sed indigniſsimè fert, quòd dicamus, nos in Euchariſtia reddi certiores de participatione noſtra cũ natura diuina: cum interim diſsimulemus ueram ſumptionẽ carnis Chriſti: eã enim Hilariũ docere, ut ꝓbet naturalẽ unionẽ. Nos quidẽ idcirco dicimus homines pios in Euchariſtia reddi certiores de participatione diuinæ naturæ, quòd fructus ſacramentorũ nõ redundet, niſi in eos, qui illa rectè uſurpant. Rectè aũt non uſurpantur, niſi ab illis, qui ad ea accedunt cum fide. Illi aũt, qui prẽditi ſunt uera et uiua fide, iã anteà habẽt participationẽ diuinę naturę: ꝙdẽ tamẽ cũ accedũt ad myſteria, in fide ſua magis magisq; confirmãtur: quemadmodũ ſigillis, et annulis fieri uidemus in humanis contractibus. Aucta aũt fide, augetur etiã participatio diuinæ naturæ.

Poſteà ſtudet elicere, neſcio quam, blaſphemiã è uerbis noſtris: quòd, uidelicet, poſtquã dixiſſemus, ſacramenta Baptiſmi, & Cœnæ reddere nos certiores, nos eſſe participes diuinæ naturæ, & habere immortalitatẽ, & uitã æternam, adiecimus etiam, Ita Chriſtũ eſſe in nobis naturaliter. Quæ hic ſit blaſphemia, nemi nem equidem uidere arbitror, præter unum Inconſtantiũ. Quid enim, an negabit, nos eſſe participes diuinæ naturæ? Non opinor. Id enim D. Petrus nimis perſpicuè teſtatur. Hanc aũt participationem dupliciter habemus per carnẽ Chriſti: primùm, quòd omnia dei beneficia per illã crucifixã ad nos deriuantur: deinde, quòd illa ipſa participatio non prodeſt, niſi eam ſibi quiſq; per fidem apprehendat. Beneficiũ enim dei, quod alioqui omnibus natura ſua cõmune eſt, hoc modo applicatur ſingulis. Hæc, ſcilicet eſt illa noſtra tam horrenda blaſphemia. Tu, Lector, optimè iudicabis, quàm iſte iuſtè ſic immodeſtè, & contumelioſè in nos inſaniat. Hilarium autẽ non ponere diſcrimen inter illam unionẽ, quam habemus cum Chriſto in Baptiſmo, & illã, quam habemus in Euchariſtia, ita dictum eſt in reſpõſione, ut ſæpè aliàs diximus, in genere. Vtrinq; enim recipimus Chriſtum, & in eo, & ſpiritu, & corpore renouamur. In modo tamen ſæpè differentiã eſſe docuimus: nimirùm, quòd in Baptiſmo mutemur in Chriſtũ per Regenerationem, in Euchariſtia aũt per ſpiritualem alimoniam. Verè dictũ eſt in Reſponſione, uerba Hilarij cum noſtra ſententia non pugnare: quòd ille nõ loquatur de accidẽtibus ſine ſubiecto: nec dicat, corpus Chriſti aut latitare, aut abditum, atq; opertum eſſe ſub ſacramento. At loquitur, inquit Inconſtãtius, de ipſiſsima ueritate preſentiæ carnis Chriſti. Deum immortalẽ: qua frõte, quo ore oportet hominem iſtum eſſe? Lector enim attẽtus facilè uidebit, in omnibus illis uerbis Hilarij nullam uſpiam fieri mentionẽ de præſentia carnis Chriſti. Sumere quidem nos illã dicit: & in ea nos cum Chriſto cõmunicare, dicit. Illam autem realiter, & ſubſtantialiter adeſſe, nuſquã dicit. Verùm, cum Hilarius dicat, carnẽ Chriſti ſumi à nobis in cibo dominico, illis uerbis haud dubiè, ſi deo placet, iugulamur. Atqui ego iam ſuprà non ſemel ſatis copioſè expoſui, quo ſenſu dari poſsit, car-

nem domini ſumi à nobis uel in, uel ſub Euchariſtia. Quàm aũt ego hic inſignia mendacia dixerim, id, Inconſtanti, non erit tuum iudicium. Apud te enim recta, & uera religio eſt mendacium. Prudẽs lector, & pia poſteritas melius, uti ſpero, edocta, ſincerius, & uerius de utroq; noſtrum iudicabit.

GARDINERI ARGVMENTVM EX Cyrillo in Iohannem lib. 10. cap. 13.

 ON *negamus, recta nos fide, charitateq; Chriſto ſpiritualiter coniungi. Sed nullam nobis rationem coniunctionis ſecundum carnem cum illo eſſe, id profectò pernegamus: idq; à diuinis ſcripturis omninò alienum ducimus. Quis enim dubitauit, Chriſtum etiam ſic uitem eſſe, & nos palmites, qui uitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, Quia omnes unum corpus ſumus in Chriſto. Quia etſi multi ſumus, unum tamen in eo ſumus. Omnes enim de uno pane participamus. An fortaſsis putat nobis ignotam Dominicæ benedictionis uirtutem eſſe? Quæ cum in nobis fiat, nónne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Chriſti ſunt? Neſcitis, inquit, quia membra ueſtra membra ſunt Chriſti? Membra igitur Chriſti faciam meretricis membra? Abſit. Saluator etiam, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, uerùm etiam & participatione naturali.*

SOLVTIO.

ETSI Cyrillus dicat, Chriſtum habitare in nobis corporaliter, cum ſumimus myſticam benedictionem, non tamen dicit aut Chriſtum habitare in pane corporaliter, aut etiam in nobis corporaliter habitare illis tantum temporibus, cum accipimus Euchariſtiam, aut Chriſtũ habitare in nobis, non autem nos in illo. Aequè enim dicit nos in illo, atq; illum in nobis habitare. Ea autem habitatio non eſt localis, aut corporalis, ſed cœleſtis, ſpiritualis, ſupernaturalis, per quam habemus æternam uitam: & idcircò Cyrillus ait, Chriſtum eſſe uitem, nos autem eſſe palmites. Nam ut palmites recipiunt uitam, atq; nutrimentum à corpore uitis: ita nos recipimus à Chriſto naturalem corporis eius proprietatem, quæ eſt uita, & immortalitas: atq; ita effecti membra eius uiuimus ex illo, & nutrimur ſpiritualiter: atq; hoc illud eſt, quod Cyrillus intellexit per uocẽ illam, Corporaliter, quodq; Hilarius per ſimilem uocem, Naturaliter. Quemadmodũ enim Paulus, cum dicit, Plenitudinem diuinitatis habitare in Chriſto corporaliter, nõ ſenſit diuinitatem eſſe corpus, ſed eam eſſe, atq; habitare in Chriſto, non leuiter, aut accidentaliter, ſed perfectè, & ſubſtantialiter cum omni ſua uirtute, ac potẽtia: ita Cyrillus, cum ſcriberet, Chriſtum habitare in nobis corporaliter, hoc ſentiri uoluit, eum non leuiter, aut perfunctoriè, ſed ſubſtantialiter, potenter, efficaciter eſſe in nobis, atq;

ita

ita esse, ut nos per illum habeamus redemptionem, & uitam æternã. Apparet ergo ex istis, Cyrillum non sensisse de manducatione corporali, & potatione, quæ fiat ore corporis.

GARDINERVS.

HAEC *uerba Cyrilli manifestè expugnant cauillum Sectariorum: qui ut excludant uerã carnis Christi communicationem, omnia fingunt expediri sola fide.*

MARTYR.

ANtequam accedo ad Inconstantium, libet mihi quædam præfari. Hoc agit Cyrillus, ut ostendat, inter nos et Christum non intercedere cõmunionem animorum tantùm, & uoluntatum, sed etiam naturarum: quod Christus in se habeat re ipsa, & uerè naturam nostræ carnis. Christum autem uerè habere in se naturam humanam, luculentissimè probat per sacramentũ Eucharistiæ. In ea enim uerè offertur fidei nostræ caro Christi, quod certè fieri non posset, nisi ille uerè haberet humanã carnem. Falsa enim non creduntur, nec credi omninò possunt. Huc adde, nos ex illa carne Christi uerè per fidem apprehensa haurire uitã, non aliter, quàm palmites succũ & uitam suam hauriunt è uite. Quod aũt Cyrillus hic uidetur dicere, nos per Eucharistiæ Cõmunionem fieri membra Christi, prudenter & cautè legendũ est. Non enim per sacramenta efficimur Christi mẽbra, sed per fidem, & spiritũ. Neq; potest quisquam dignè accedere ad Eucharistiam, nisi qui anteà sit membrũ Christi. Cogitare tamen debemus, coniunctionem illã, quam habemus cum Christo, augeri posse, idq; maximè fieri ubicunq; fides nostra augetur, & crescit. Efficitur aũt auctior, & constantior fides nostra ex pio, & legitimo usu Eucharistiæ; nosq; ipsi ex ea reddimur certiores de illa unione, quã habemus cũ Christo. In summa, nos quoq; unà cum Cyrillo ponimus, inter nos, & Christum coniunctionẽ esse, non tantùm uoluntatis, sed etiam naturę: idq; duplici nomine: primùm, quòd habeamus eandẽ carnem, quòd quidem ad speciẽ attinet, quam Christus assumpsit à nobis: deinde etiam, quòd per fidẽ, & spiritum adepti simus qualitates eiusdem illius carnis, quæ sunt naturæ quædam carnis Christi. Quemadmodum autem ista coniunctio transeat ad nos per sacramenta, satis iam diximus.

Nunc uenio ad insultationes Inconstantij. Primùm id affert, quod nos etiam iam dedimus, duo esse genera coniunctionis nostræ cũ Christo: unã habitudine uoluntatis, alteram naturalẽ. Quod aũt addit, hanc posteriorem naturalem effici ui sacramenti, id nõ est simpliciter recipiendũ. Eam enim anteà habemus, quàm accedamus ad Eucharistiam. Anteà enim & homines sumimus, & si dignè accedimus, per fidem & spiritum habemus etiam cœlestes eius proprietates: atq; ita ante Cõmunionem coniungimur cum Christo, non tantùm natura, & specie, sed etiam habitudine, & uoluntate. Ex Eucharistia tamen, ut dixi, efficimur de coniunctione illa nostra certiores, & quoniam fides nostra per eam excitatur, nosq; spiritualibus eius naturis, & qualitatibus imbuimur, multò arctius cum Christo copulamur. Atq; hoc pacto recipimus dictum illud Cyrilli, Nos uniri Christo per sacramentum.

Citat etiam prætereà eundem Cyrillum ex libro 11. & cap. 27. in Iohannem, qui sic scribat: Christum per mysticam benedictionem cõmunicare se nobis corporaliter, ut hominem: spiritualiter autem, ut deum: quæ uerba ego semper sic accepi: Symbola illa panis & uini, quoniam significant carnem & sanguinem Christi, quę pro nobis data sunt in crucem, idcircò repræsentare nobis Christum

hominem, ita, uidelicet, ut ille noſtra cauſa mortem ſubijt corporaliter: quoniam autem iſta credendo, & ſpiritualiter edendo, adipiſcimur etiam cœleſtẽ eius naturam, & proprietatem, qua & animus, & corpus noſtrum reparentur ad æternam uitam, idcircò rectè dici, Chriſtum ſe nobis ita communicare ſpiritualiter, ut deum: quòd conditiones, & naturæ carnis Chriſti dimanẽt per ſpiritum & ad animum, & ad corpus noſtrum. Collectis ergo undiq;, & diligenter excuſsis omnibus Cyrilli ſententijs, uideo illum hoc ſenſiſſe, Chriſtum tribus modis nobiſcũ coniungi: primùm, quòd ille aſſumpſerit carnem noſtram: deinde, quòd nos per fidem percipientes eandem illam carnem donemur uberiori ſpiritu: poſtremo, quòd nos hoc pacto aſſequamur proprietates, & conditiones, & gratias eius carnis: atq; id apud Cyrillum & Hilarium eſt cum Chriſto coniungi corporaliter.

Chriſtus tribus modis nobiſcũ iungitur ſecundum Cyrillum.

Cyrillus.

Et ne me putes, Lector, ita finxiſſe de meo, malo ipſum audias Cyrillum. Is in ,, Iohannem lib. 11. cap. 26. ita ſcribit: Vnum autem dico habitudine, atq; affectu, ut ,, incipientes dicebamus, unum pietatis conſenſu, unũ ſanctæ carnis Chriſti com- ,, munione, unum unius ſancti ſpiritus participatione. Hic expreſſos habes tres modos unionis noſtræ cum Chriſto. Communio autem, quam habemus cum Chriſto per carnem, diſtinguenda eſt dupliciter: uel quatenùs ſumus homines, & naturam humanam habemus cum Chriſto communem: uel quatenùs uirtutibus, & proprietatibus illius carnis induimur quodammodò per ſpiritũ, & confirmamur. Sed de his poſteà fuſius. Fatemur, Chriſtum ex eo, quod habet humanam naturam coniunctam cum diuinitate, dici uitem: per eius enim humanitatem omnia dona cœleſtia, & omnes gratiæ ad nos à deo deriuantur. Neque aliter iſta haurimus è Chriſto, niſi cum eo coniungamur, ut palmes cum uite. Hæc autem unio efficitur per fidem. Sic enim Paulus ait, Chriſtum per fidem habitare in cordibus noſtris: & Chriſtus ait in 6. Iohan. Qui credit in me, habet uitam æternam.

Coniunctio noſtra cum Chriſto ſecundũ carnem duplex.

,, Sed Inconſtantius clamat, Cyrillũ ſenſiſſe, non figuram carnis, ſed uerã carnẽ ,, dari in Euchariſtia, ut per myſticã benedictionem ſimus participes humanitatis ,, Chriſti. Quod ſi uelit ſimpliciter intelligi, nec uerũ eſt, nec cõuenit cum illis, quę hactenùs dedit. Quis enim dicat, nullã omninò eſſe figurã carnis Chriſti in Euchariſtia? Certè, ſi ita eſſet, non eſſet ſacramentum, hoc eſt, inuiſibilis gratiæ uiſibile ſignum. Imò nemo eſt tam fatuus ex uniuerſo grege Papiſtarum, quin fatea tur ſaltẽ accidentia panis eſſe ſigna Chriſti. At res ipſa, inquiet Inconſtantius, unà datur. Fateor: at non abdita, & inuoluta ſub accidẽtibus, aut incluſa in panẽ, ſed per fidẽ, & ſpiritualiter. Nos per myſticã benedictionem fieri participes humanitatis Chriſti non nego, modò id rectè intelligas. Habebamus quidem humanam Chriſti naturã anteà: quòd homines eſſemus, & natura noſtra cũ Chriſti natura conueniret: poſteà tamen facta eſt noua coniunctio, cum in Regeneratione eius naturæ proprietatibus induceremur. Eaq; etiam per omnem uitam noſtram partim audiendo uerbum dei, partim ex uſu myſteriorum amplificatur. Adhũc modum in Euchariſtia efficimur participes carnis Chriſti.

Reſponſum eſt in Solutione, Cyrillum non dicere, Chriſtum habitare in nobis corporaliter, tantùm cum percipimus Euchariſtiam. Id quoniam Inconſtantius non intelligit, turpiter hallucinatur, nos aſſerere, Chriſtum habitare in nobis corporaliter interim dum recipimus Euchariſtiam. Atqui ſenſus erat, Chriſtum non tantùm in uſu ipſo Euchariſtiæ habitare in nobis, ſed etiam & anteà, & poſteà, etiam citra communionem ullam Euchariſtiæ: quod Inconſtantius horret dicere. Cyrillus autem, etſi uideri poſsit tribuere ſacramento efficientiam huius unionis, tamen ueram, & propriam, & efficientẽ cauſam ijs uerbis non attingit. Ea autem eſt ſpiritus ſanctus: qui tamen utitur & externo uerbo, & ſacramentis, ad

ad fidem in nobis excitandam, & nos prorsus immutandos. Cũ itaq; instrumenta rationem causę aliquo modo habeant, non mirum si Cyrillus ita loquitur. Mitto, Sacramenta esse etiam signa quædam diuinæ erga nos uoluntatis, & testimonia donorũ, quæ in nos à deo collata sint. Rectè etiam additum est, Cyrillum non dicere, Christum habitare corporaliter in pane. Hoc enim ille certè non scribit. Et tamen si uoluisset à Papistis facere, ita eum oportuisset scribere. At non ita, inquit Inconstantius, loquunt Catholici: qui tamen colligunt ex Cyrillo, corpus Christi sub uisibilibus in Eucharistia speciebus uerè præsens esse. Vos quidem colligitis sæpè ea quæ nemo seminauerit. Certè Cyrillus nec species illas uestras habet, nec accidentia. Imò ea, quæ Christus appellauit corpus suum, ille expressè uocat frusta panis.

Fatetur adhæc iste noster, Cyrillum non dicere, Christum habitare in nobis, corporaliter pro illo tantùm tempore, quo recipimus Eucharistiam. Ait tamen, solo effici Sacramento, ut Christus habitet in nobis corporaliter: quatenùs ille ibi, nobis communicat carnem suam. Non habet Cyrillus, Solo: id tu, Inconstanti, addere uoluisti de tuo. Nec id quidem uerum est, Solo Sacramento Eucharistiæ communicari nobis carnem Christi. Augustinus enim ait, Crede, & manducasti. Neminem autem manducare posse carnem Christi, nisi cui illa communicetur in Sacramento, quod iste dicit, id equidem puto, neminem sanum esse dicturum. Taceo de illis fidelibus, qui nondum percepta Eucharistia moriuntur. Illi profectò, quantumuis fideles & sancti, tamen si Inconstantio credimus, non habent Christum in se manentem: nec illi manent in Christo. Hæc enim, inquit, tantùm contingunt ex communione Eucharistiæ.

Additur in Responsione, Cyrillum non magis dicere, Christum habitare in nobis, quàm nos in Christo. Eamq; habitationem nec localem, nec corporalem esse, sed cœlestem, spiritualem, supernaturalem. Hic Inconstantius ait, Cyrillum de habitatione nostra in Christo nihil dicere: sed illum tantùm citare uerba Christi, quibus docemur, nos manducatione carnis eius manere in eo. Equidem non arbitror, Cyrillũ ita desipuisse, ut ad id probandum citare uoluerit uerba domini, quod ipse nec sentiret, nec confirmare etiam uellet. Quare putare debemus, id illum sensisse, quod ex illis Christi uerbis probat: nos, uidelicet, manere in Christo, cum eius carnem manducemus. At illud mendacium est, inquit iste, quod affirmatis, Cyrillum scribere, nos æquè habitare in Christo, atque illum in nobis: cum id ille non dicat. Imò, Inconstanti, satis id dicit, cum commemoret uerba Christi, quæ illud dicũt. Christus enim apertissimè dicit, Ego manebo in illo, & ille in me. Nihil autem erat cur iste cauillaretur de aduerbio, Aequè, quasi uelimus actionem nostram parem facere cũ actione dei. Nemo enim nescire potest, nostras actiones imperfectas esse, & contaminatas: omnia autem dei opera purissima esse, & absolutissima. Aduerbium illud, Aequè, in responsione nihil aliud significat, quàm utrinque uerùm esse, & Christũ manere in nobis, & nos in illo. Et quamuis demus, Christum perfectius habitare in nobis, quàm nos possimus habitare in illo, propter eius uim & potentiam, tamen rationem habitandi oportet utrinque eandem reperiri. Neque enim satis est, fingere, alteram corporalem esse, alterã spiritualem. Hoc ita constituto, cum Inconstantius fortiter decernat, ex Cyrillo, Carnem Christi per communionem Eucharistiæ habitare in nobis realiter, substantialiter, corporaliter: oportebit illum è diuerso totidem uerbis dicere, nos quoque habitare in Christo, & in eius carne realiter, substantialiter & corporaliter: atque ita nos, quamuis uersemur in terris, tamen eodem tempore re ipsa & corporaliter esse cum Christo in cœlo. At si satis est, ut nostra caro habitet in Christi carne spiritualiter, satis etiam esse debet,

ut caro Christi habitet spiritualiter in carne nostra. Scio equidem, & memini & Cyrillum alicubi, & Hilarium non malè dicere, nos esse in Christo naturaliter: nimirùm, quod ille sumpserit ex Virgine humanitatem, & naturã nostram.

Potest dici nos perfectius esse in Christo quã illum in nobis.

Ex qua significatione concludere possum aduersus Inconstantium, nos multò magis, & perfectius esse in Christo, quàm illum in nobis: non quidem quin actio Christi multò sit perfectior omnibus nostris actionibus: sed quòd Christus habeat in se naturam nostram perfectam, atque absolutam, eamq; sine ullo uitio, aut macula: nos uerò non ita uicissim illum habemus in nobis. Sumus enim multis uitijs & corruptelis obnoxij: quod tamen non illius culpa sit, sed infirmitate nostra. Interim tamen non negamus Christum dici posse, esse in nobis naturaliter: si id ita intelligatur, quemadmodum iam declarauimus ex Hilario. Cyrillum autem dicere, nos habere spirituale nutrimentum à carne Christi, quæ latet sub accidentibus, & à nobis recipiatur ore corporis, id uerò omninò inficiamur. Fateor equidem, spiritualem & diuinam alimoniam ad nos proficisci à carne Christi, sed fide à nobis, & spiritu apprehensæ. Verùm ad id nec ore, nec dentibus, nec uentriculo opus est. Neque id, uti diximus, nobis ex mystica tantùm benedictione usu uenit. Nam alioqui nemo, antequam accessisset ad sacram Communionem, posset esse membrum Christi.

Nunc uenio ad uoculam illam, Corporaliter, de qua Inconstãtius mirabiles nobis tragœdias & rixas mouet. Ad explicationem eius Aduerbij in Responsione Paulus citatus est, qui in epistola ad Colossen. scribat, Omnem plenitudinem diuinitatis habitasse in Christo, corporaliter: & annotatum est, cum natura diuina non sit corpus, Aduerbium illud, Corporaliter, nõ posse ad eam propriè accommodari. Hanc annotationem iste noster, quoniam uidit nonnihil officere commento suo, conatus est eam, cum ratione non posset, saltem conuitijs eludere. Appellat, scilicet, nos homines temerarios, & Sycophantas, si uel non audiamus Cyrillum, cum se ipsum interpretur: uel si audiamus, dissimulemus. Non dicam, quid nos possimus iure optimo in illum regerere. Tuũ tamen erit, Lector, cogitare, cuius hominis sit, uelle nobis obtrudere è Cyrillo, Corpus Christi adesse realiter, & latere opertum, atque abditum sub accidentibus, cum harum nugarum ne tenuissimæ quidem umbræ in illo Patre extent uspiam. Suggillat explicationem illam, quam afferimus è Paulo, Omnem plenitudinem diuinitatis habitasse in Christo corporaliter: hoc est, ut adijcitur in Responsione, non accidentaliter, aut leuiter, sed perfectè, & substantialiter, cum omni scilicet sua uirtute ac potentia. Quasi, inquit iste, in alijs à Christo diuinitas possit esse leuiter: quod uerbum nescio, qua animi leuitate hunc locum occupet: aut accidentaliter etiam, quasi uspiam sit diuinitas per modum accidentis, quæ est ipsa substantiarum substantia, in qua sunt omnia. Tum autem, si aduerbium illud, Corporaliter, significat, cum omni uirtute & potentia, quæ tandem uis erit uerbi, Plenitudo, quod præcessit, ne sit otiosum? Ego quidem, quod ad me attinet, uocem illam, Corporaliter, in illo loco Pauli semper intellexi pro, Verè & Solidè. Corpus enim uerum est, & solidum, si conferatur ad umbras. Atque ad hunc etiam modum Christum habitare in nobis corporaliter, hoc est, uerè, integrè & solidè, non negauerim: quamuis id non aliter, quàm spirituali ratione fiat, & per fidem. Imò etiam ipse Apostolus, cum diceret, Christum per fidem habitare in cordibus nostris, eum certè docuit uerè, integrè, & solidè in nobis habitare, quantum quidem huius nostræ uitæ conditio, & imbecillitas patiatur. Nondum enim sumus plenè instaurati, nec spiritualis illius habitationis perfectè cõpotes. Quod autem ad locum illum ad Colossen. attinet, dico, omnem diuinitatem habitasse, atque habitare in Christo corporaliter, hoc est, uerè, integrè, solidè: non tantum per do-

Quomodo Christus dici possit habitare in nobis corporaliter.

per dona & gratiam, sed inseparabili nexu, & in eadem hypostasi. Atque hoc illud est, quod in Responsione dicitur, non leuiter, aut accidentaliter. Nam in alijs quidem hominibus dici potest diuinitatem habitare leuiter, quòd ea non efficiat unam cum eis hypostasin. Hoc autem ut dicerem, nulla me impulit animi leuitas, sed uera, & Orthodoxa fides. Quodq; in Responsione additum est, Accidentaliter, id non aliud significat, quàm diuinitatem ita esse in Christo, ut separari ab eo, ac diuidi non possit, quemadmodum accidentia separari possunt à subiectis: & illam per se coniunctam esse cum Christo, non autem, ut cum alijs hominibus, per dona & gratiam. Et licet uis, & potentia comprehensa sit illa priori uoce, Plenitudo, magis tamen exprimitur, cum additur, Corporaliter. Atque ea consuetudo est ferè perpetua in sacris literis, ut quod semel dictum sit anteà, id proximè consequentibus uerbis ornatius, aut plenius illustretur.

Verùm Inconstantius adfert nouam quandam, ut ipse putat, & inauditam, nobis interpretationem, Corporaliter apud Paulum esse substantialiter, hoc est, secundum naturam: quia Christus, inquit, est natura deus. Sed nouus Interpres nihil adfert noui. Nam in ipsa Responsione nostra, quam tantopere calumniatur, postquam dictum esset, Non leuiter, aut accidentialiter, statim subiectum est, Sed substantialiter, & perfectè. Verum à Paulo redeamus aliquãdo ad Cyrillum. Quo pacto dicemus, per mysticam benedictionem Christum habitare in nobis corporaliter? Primùm hoc referri potest ad naturam diuinam: qua etsi Christus sit ubique, est enim infinitus, tamen peculiari quadam ratione habitat in electis: nimirùm per dona cœlestia, per spiritum & gratiam. Quod ergo ad hoc attinet, unio illa diuinitatis in Christo, & in nobis quiddam quidem habet simile, quiddam autem dissimile. Nam & per essentiam & per gratiam & in Christo est, & in nobis: idq; pertinet ad similitudinem. Sed eadem natura diuina in Christo facit unam hypostasin cum humana, quod certè nobiscum non facit: atque istud rursus est dissimile. Adhæc gratiæ illæ, & dona in Christo sunt absque mensura: in nobis autem sunt finita & terminata: quod etiam est dissimile. Alia discrimina non attingo. Hæc autem dissimilitudo non facit, quin Christus iuxta naturam diuinam dici possit, quemadmodum Cyrillus loquitur, habitare in nobis corporaliter. Est enim in nobis non adumbratè, sed uerè, hoc est & per essentiam, & per gratiam, atque idcircò substantialiter. Dabimus autem, id fieri per benedictionem eo modo, quo iam diximus. Ex eo enim, quod fides nostra per sacram Communionem excitatur, coniunctio illa, quam habemus cũ Christo, redditur auctior, & copulatior.

Sed cur, inquies, non concedis, Christum ipsum, quod ad eius corpus & carnem attinet, per mysticam benedictionem habitare in nobis corporaliter? Respondeo, Quoniam natura ipsa et substantia carnis Christi per infinitos homines diffundi & diuidi non potest. Verè quidem illam nobis dari, & à nobis uerè & spiritualiter manducari, fateor: fateor etiam, Christum nobis uniri corporaliter, quòd conditiones & proprietates eius corporis pro nobis in mortem & crucem traditi, manent & fluant in corpus nostrum; quemadmodum iam suprà docuimus. Substãtiam autem ipsam corporis Christi re ipsa esse in corporibus nostris, ridiculum, & inane commentum est. Huc ergo citatus est locus ille Pauli ad Colossen. ut ostenderetur, Aduerbium illud, Corporaliter, posse rectè accommodari ad naturam diuinam.

Atqui, inquit Inconstantius, si Christus secundum naturam diuinam dicatur esse in nobis corporaliter, hoc est, quoad essentiam & substantiam, tum erimus dij. Nihil ibi est periculi, Inconstanti: non enim dicimus, diuinam naturam, aut essentiam ita esse in nobis, ut faciat nobiscum unam hypostasin. Sed dicito, quę-

so, nobis, quomodò natura diuina possit esse infinita, nisi sit etiam in nobis. Cre-
„ de mihi, non uides ipse, quid dicas. At sequetur, inquis, nos esse deos. Ponitis
„ enim, eam non simpliciter esse in nobis, sed cum donis, gratia & spiritu. Dici-
mus id quidem: non tamẽ ex eo sequitur, nisi per participationem nos fieri deos.
Idq; ita nõ est absurdum, ut maximè sit consentaneum sacris literis. Petrus enim
ait, Nos esse consortes diuinæ naturæ. Sed Sophista tamen acutus cur hoc etiam
non uidit: Si Christus, quod ad corpus ipsius attinet, realiter & substantialiter sit
in nobis, necesse esse, ut diuina etiam natura sit in nobis substantialiter? Ea enim
à carne Christi separari non potest. Cur ita cæcus erat, ut non uideret, suo isto ar-
gumento se ipsum iugulari? Imò hoc etiam addo, Si Christus iuxta utranque na-
turam substantialiter, & corporaliter sit in corporibus nostris, non tãtùm erimus
totidem dij, sed totidem etiam Christi.

Nos ergo ueriſſimè concluſimus, uerba illa Cyrilli non posse intelligi de cor-
porali manducatione, quæ ore corporis nostri perficiatur. Nam si ea referas ad
carnem & sanguinem domini, illa spiritualiter, & per fidem percipienda sunt: ad
os autem corporis, & ad dentes nihil pertinent. Multò autem minus natura Chri
sti diuina: ea enim prorsus est expers corporis. Diximus etiã, cur Cyrillus men-
tionem fecerit mysticæ benedictionis. Quemadmodum autem id uerũ sit, quod
Cyrillus alibi dicit, Christum in ultima cœna docuisse modum manducandæ car
nis suæ, nos alibi satis fusè docuimus.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Cyrillo eodem loco.

QVEMADMODVM *si quis ceram igne liquefactam alij ceræ similiter liquefa-
ctæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum uideatur: sic Communione corpo-
ris & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat aliter corru-
ptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem, & uitam perduci, nisi naturalis uitæ corpus
ei coniungeretur.*

SOLVTIO.

HAEC similitudo pro nobis facit. Docet enim ea Cyrillus, non debere nos crassè, & ruditer cogitare de manducatione Christi, quasi ea perficienda sit ore nostro. Fit enim per manducationem fidei, ut, quamuis Christus absit à nobis corporaliter, sedens in gloria patris, nos tamen simus uerè participes eius naturæ, & immortales futuri simus cum eo. Quòd si aduersarij uelint, ista similia æquari per omnia, oporteret auferri etiam panis accidentia. Cera enim liquefacta corrumpitur, & quoad substantiam, & quoad accidentia.

GARDINERVS.

HAEC *similitudo fidei Catholicæ ueritatem exprimit: qua credimus ueram Commu-
nicationem substantiæ carnis Christi in Sacramento: ut dignè communicantes uniantur Christo
& corpore, & spiritu.*

MARTYR.

VEriſſimè dicit in Solutione, hac similitudine ita hyperbolica nos admone-
ri, ne de mãducatione Christi crassè ac ruditer cogitemus. Hoc ergo solum

euincit

euincit in genere, ex illa manducatione carnis Christi, quæ spiritualis est, & fide tantum potest perfici, nos aliquam habere conformationem carnis nostræ cum carne Christi. Redditur enim idonea ad seruiendum spiritui sancto, & in dies efficitur magis, magisq; capax æternitatis, & beatitudinis, & proprietatum corporis Christi. Atque hæc illa est unio carnis nostræ cum carne Christi, quam Cyrillus hoc loco prædicat. Ita autem misceri carnem nostram cum carne Christi, ut cera liquefacta cum alia miscetur cera, nimis esset ridiculum cogitare. Imò ne ipsi quidem aduersarij nostri hanc similitudinem ex omni parte tenere uolunt. Certè, ne quid aliud dicã, oporteret Christi corpus liquefieri, & mutari à natura sua, si misceretur cum carne nostra: imò etiam ita permixtum carni nostrę redderetur obnoxium multis uitijs, & infirmitatibus: nostris enim uexaretur, & per homines innumeros in infinita loca distraheretur. Taceo alia absurda, quæ nec pos sem commemorare si uellem, nec certè uellem si possem. Imò Inconstantius ipse hoc satis uidit, similitudinem istam eò tantùm spectare, ut significetur summus congressus, & intima coniunctio & penetratio duarum naturarum. Sed ad eius uerba hoc etiam addendum erat, Quantum uerbum dei, & conditio corporis Christi iam glorificati, & nostræ carnis natura patiatur. At diuinæ literæ docent satis luculenter, Christum iam non amplius, quod quidem ad corpus attinet, uersari nobiscum in terris: multò autem minus misceri cum carne nostra. Deinde corpus Christi cum sit glorioſum, non potest amplius aut mutari, aut pati, aut magis esse obnoxium: tantum abest ut possit liquefieri, & cum nostris impuris carnibus temperari. Imò etiam nostra caro quomodò tandem potest liquefieri, & cum alia misceri carne? Diuinitas, inquit Incõstantius, hoc facit. Vn-
de hoc, quæso, habes. Non enim id sensus indicat: non ratio: non diuinæ literæ. Vrges nos isto Cyrilli simili. Verùm illud iam diximus quemadmodũ debeat, & possit intelligi. Nec ex illo simili probare potes realem illam tuam præsentiã. Facit quidem communio Eucharistiæ ad illam coniunctionem, quam habemus cum Christo per spiritum, & per conditiones eius carnis, quemadmodum ostendimus: ad ueram autem, & propriam commixtionem, quæ certè nulla est, nihil facit. Contactus autem, quem nos recipimus, non est physicus, sed omninò spiritualis.

Additum etiam est in Solutione, Si aduersarij per omnia uelint hęc similia de Cera urgere & persequi, necesse esse, ut accidentia quoque panis & uini omninò auferant ex Eucharistia. Liquefactæ enim ceræ, non solùm substantia perditur, sed etiam accidentia. Hic respondet Inconstantius, se in hoc simili nolle
æquari omnia. Hanc enim unionem inter duas carnes diuinam esse operatio-
nem, quam nulla umbra rerũ naturalium possit demonstrare. Hic mihi, pie Lector, considera huius hominis æquitatem. Si ipse nolit in isto simili omnia ita recipere crassè & ruditer, ut sonant, cur nos urgemur, ut recipiamus id, quod fidei regulæ non ferant? Sed addit: Quod Cyrillus dicat, de unione carnis nostræ,
cum carne Christi, id nos accipere, quasi dicatur de unione carnis Christi cũ pa-
ne in institutione Sacramenti. Atqui nos, Inconstanti, nullum hic in errorẽ incidimus. Vestro enim iudicio caro Christi non unitur nobis nisi per benedictionem, & symbolum Eucharistiæ. Ergo oportet carnem Christi prius uniri cum pane, quàm cum carne nostra: & cum illa unio fiat per liquefactionem, oportet panem quoque instar ceræ liquefieri. Id autem si fiat, necesse est eius diffluere, et perire accidentia. Superest ergo, ut uel dicas, carnem Christi non coniungi Benedictioni mysticæ, uel ibi quoque statuas liquefactionem. Est enim haud dubiè non minor duritiei in pane, quam in carne nostra.

Tamen hic quoque nos iste errare putat, quòd putemus in liquefacta cera

,, perdi & ſubſtantiam, & accidentia. Id enim cum Cyrilli ſimilitudine non conſi-
,, ſtere: illum enim ſtatuere ex duabus ceris liquefactis unam fieri. Id autem non
,, poſſe fieri, ſi cera abeat in nihilum. Nec liquefactionem eſſe ceræ diſtractionem,
,, ſed tantum alterationem qualitatis: ut, quod durum erat, mutetur in liquidum.
Hic omninò, ut, quod res eſt, dicam, manus Inconſtantio dandæ ſunt. Hoc ta-
men illum pro ſua prudentia oportebat cogitare, ſcriptionem illam fuiſſe corru-
,, ptam. Non enim ita ſcribi debuit, Cera liquefacta corrũpitur, & quoad ſubſtan-
,, tiam, & quoad accidentia: ſed ita, Cera liquefacta corrumpitur non quoad ſub-
,, ſtantiam, ſed quoad accidentia: qualia ſunt duritiés, figura, calor, & alia ſimilia.
Atque ex illa proportione & ſimilitudine in ueſtro quoque pane oportebat acci
dentia corrumpi, non ſubſtantiam. Non ergo noſter ille error fuit, ſed Librarij:
uel, quod ego magis credo, ipſius Inconſtantij. Is enim ad ſoluendum iſtum lo-
cum Cyrilli tranſtulit huc reſponſionem illam, qua ego uſus ſum in expedien-
do loco Chryſoſtomi ex Sermone habito in Encœnijs. Eius uerba ſic habent:
,, Num uides panem? Num uinum? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum uadunt?
,, Abſit: ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur,
,, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic puta myſteria conſumi cor-
,, poris ſubſtantia. Hæc ego in mea Tractatione adduxi pro Tranſubſtantiato-
ribus. Subieci autem huiuſmodi reſponſionem: Hic interrogandi ſunt aduerſa-
rij utrum uelint, hæc ſimilia æquari per omnia. Quod ſi uelint, oportebit eos ac-
cidentia quoque panis auferre ex Sacramento. Nam cera, quæ adhibeãd ignẽ,
deſtruitur, non tantùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad accidentia. Non
ergo ita autrudes, aut craſſi, aut mente capti eramus, Inconſtanti, atque tu puta-
bas. Nos enim cum Chryſoſtomo loquebamur de cera admota ad ignem, cuius
ſubſtantiæ pars nulla remaneat. Tu potius, neſcio, erroris ne dicam, an perfidiæ
accuſandus es, qui uerba noſtra ita uel temerè, uel malitioſè loco moues, & ea in
locum prorſus alienum transfers.

,, Sed ais, te habere argumentum ab effectis ad cauſam: Cyrillum enim facere
,, Benedictionem huius unionis cauſam, quòd in ea & uera Chriſti caro detur, &
,, uerè præſens. Hoc ſi iſti damus, caro Chriſti uerè præſens in Benedictione om
ninò liquefaciet panem, uti diximus. Aut, ſi id Inconſtantius nolit, accidentia ſal
tem panis peribunt & diffluent. Cætera huius obiecta, quibus uſus eſt in hac con
futatione, quoniam ſuprà à me non uno loco refutata ſunt putabam me hoc lo-
co pro meo iure poſſe omittere.

ARGVMENTVM GARDINERI EX BA-
ſilio de Baptiſmo, Sermon. 2. cap. 3.

*ET loquutus eſt dominus ad Moſen dicens, Dic illis, & generationibus ipſorũ: Quiſ-
quis hominum ab omni ueſtro ſemine ad ſancta, quæcunque filij Iſrael domino ſan-
ctificant, in immunditia ſua conſtitutus accedet, exterminabitur anima illius à facie
mea: Ego dominus. Si tales minæ aduerſus eos poſitæ ſunt, qui temerè ad ea ſacra acce
dunt, quæ ab hominibus ſanctificantur: quid dicendum eſt de eo, qui in tantum, ac tale myſteriũ
temerarius eſt? Quanto enim aliquis maior eſt templo ſecundum domini uocem, tantò grauius
& terribilius eſt, in animæ impuritate conſtitutum corpus Chriſti temerè contingere, quàm ſit
accedere ad arietes, uel tauros, dicente Apoſtolo: Itaque qui edit panem, aut bibit poculum domi
ni indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini: imò uehementius, ac terribilius iudicium ex-
primente per repetitionem.*

SOLVTIO.

HAEC, ut diximus in prima Regula, eſt allœoſis rerum & ſymbo-

symbolorum. Figura enim nomen habet eius rei, cuius est figura, Ideoq; idem dici potest de figura, quod de re ipsa.

GARDINERVS.

HOC *non est tractatorem agere, sed Imperatorem, ex Regulis tua authoritate editis, quæ proferantur, reijcere.*

MARTYR.

SAtis me pro imperio ait facere, qui dicta patrum examinari uelim ad eas Regulas, quas ipse mea tantùm authoritate ediderim. Basilium autem ait explicasse Catholicè ueritatem mysteriorum: nõ autem spectasse meas Regulas. Illum enim habuisse conciones ad rudem populum, quem expediebat doceri ueritatem: non autem falli desultoria alternatione loquendi, ut illo tanto uiro docente, crederent uerũ esse corpus, quod re uera nihil aliud esset, quàm figura. Inconstantius pro sua modestia alios omnes metitur suo pede; & quia ipse omnia facit arrogãter, alios quoq; putat arrogãter omnia facere, & pro imperio. Nos autem non Regulas præscribimus patribus, ut iste calumniatur: sed Lectorem admonemus, quemadmodum in patribus prudenter uersari debeat. In hoc loco Basilij diximus esse allœosim symbolorũ & rerum. Eam autem figuram non imperio, nescio quo, aut authoritate nostra cudimus, sed ex scripturarũ sanctarum & Patrum lectione hausimus. Neque puto cuiquam rectè uitio uerti posse, si quod alicubi quo in loco fusè & copiosè explanarit, id alibi breuiter, & succinctè attingat: & addat, ad illam doctrinam, quam alibi exposuerit, hæc quoque, quæ nunc habeat præ manibus esse expendenda. Si hoc omnibus, qui aliquid scribant, licere debeat, quid ego solus peccaui, ut mihi idem non liceat?

An autem Basilius, alijq; patres in suis concionibus ad populum, non ita rudem, atque iste fingit, sed multò doctiorem, quàm ipse uelit habere suum, semper proposuerint exquisitum quoddam doctrinę genus, an potius sæpe & de Sacramentis, & de rebus alijs, ut augustius, & magnificentius loquerentur, usi sint hyperbolis, & alijs rhetoricis ornamentis, nihil hic dicam. Qui in scriptis patrum cum iudicio uersati sunt, ipsi potius per se iudicabunt. Facere tamen non possum, Lector, quin unum hoc exempli causa tibi proponam è Cypriano. Is in Sermone de Cœna domini ita scribit: Crucí hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri uulnera figimus linguam: quo exterius, interiusq; rubricati à sapientibus huius sæculi iudicamur amentes. Obsecro te, Incõstanti, an persuadere uoluit Cyprianus rudi populo, quem ita docebat, ut putarent, in sacra Communione linguas suas re ipsa figi in uulneribus Christi? Aut, an credere uoluit suos, Crucem domini realiter præsentem esse in calice? Aut eos, qui tum bibebant de Sacro calice, & intus, & foris esse rubricatos? Cũ ista constet dicta fuisse ad populum, nec tamẽ propriè fuisse dicta: facilè, ac liquidò uidere possumus, quàm infirmo argumento Inconstantius probare uelit, uerba illa Basilij ex eo accipienda esse propriè, ut sonant, quòd habita fuerint ad populum. Possem huc alia multa exempla similia adferre ex Chrysostomo, Bernhardo alijsq; patribus. Sed breuitatis causa uno contentus Cypriano, unum hoc addam, Patres, cum populum ita docerent, nihil minus uoluisse, quàm quenquam fallere. Sciebant enim, suos satis edoctos esse à Catechistis, quid sacra mysteria sibi uellent. Et idcircò ita sæpè uerba faciebant de symbolis ad populum, ac si de rebus ipsis loquerẽtur, ut homines ijs hyperbolis exuscitati dignitatẽ Sacramentorum ex rebus significatis æstimarent, & de dei beneficijs uehementius gratias age-

Cyprianus.

rent, seseq; ad sanctam Communionem diligentius, & circunspectius compararent. Mitto autem ueterem huius hominis, & iam, credo, obsoletam calumniam, quòd nos ait nihil aliud in Sacramento statuere, quàm figuram. Neminem enim tam obtusum esse arbitror, qui non facilè intelligat, istum ita dicere, non quòd re uera ita de nobis sentiat, sed tantùm quò causam nostram apud homines imperitos in odium & inuidiam rapiat.

Id etiam oppugnat, quod à me dictum est alibi, id patres interdum dicere de figura, quod propriè conueniat ipsi rei: idq; me temerè, & sine ulla ratione, aut cuiusquam authoritate affirmare. Atqui ego primùm rationem adfero, quòd ui instituti domini tanta sit connexio inter rem ipsam, & symbola, ut proprietates illorum inter se permutentur: atque inde nasci allœosin istam, de qua loquimur: idq; etiam accidere in diuina & humana natura in Christo. Authoritatem autem in hac re habemus & scripturarum & patrum. Paulus ait, Hoc est corpus meũ, quod pro uobis frangitur. Hic fractio, quæ non potest conuenire nisi symbolo, tribuitur rei ipsi. Rursus, Hic, inquit, calix est nouum Testamentum. Hic è diuerso, quod rei est, tribuitur symbolo. Sanguis enim Christi est nouũ Testamentum, non calix: quanquam ne id quidem absque tropo. Et, Nos, inquit, omnes sumus unus panis. Hic quoque symbolo tribuitur, quod erat rei. Alibi enim dicit, nos esse corpus Christi. Illud autem corpus significatur pane. Christus etiam ait, Desiderio desideraui hoc pascha uobiscum manducare. Hic quoque rei tribuitur, quod erat signi. Non enim Transitus comedebatur, sed Agnus, qui signum tantùm erat transitus domini. Pactum meũ, inquit dominus Abrahamo, erit in carne uestra. At pactum ipsum domini non erat in illorum carne, sed Circuncisio. Possem huc alia similia adferre multa: sed si ista non sunt satis ad frangendam hominis obstinatissimi pertinaciam, equidem non uideo, quid possit ei se satis. Ex patribus uerò authores habeo Augustinum in epistola ad Bonifacium; Cyprianum in Oratione de Cœna domini, & alios multos, quos suprà indicaui in prima Regula.

» Sed iste urget uerba illa Basilij, Quanto aliquis maior est templo, secundum
» domini uocem, tantò magis, &c. Hic colligit, ui collationis distingui ueritatem à
» figura: quemadmodum, inquit, templum distinguitur ab eo, qui est author tem-
» pli: & figura arietum à ueritate præsenti, ubi corpus Christi contingimus in Sa-
» cramento. Secundum quæ Basilij uerba impurus homo, & malus potest contin-
» gere corpus Christi: ut appareat iuxta Basilium, corpus Christi omnipotentia
» dei in altari præparatum. Fateor, Basilium distinguere figuram à ueritate, hoc est, Sacramenta ueteris Testamenti à nostris. Quid autem inter nostra, & illa intersit, sæpè iam anteà docuimus. Rectè autem Basilius concludit, nostra Sacramenta, quò sunt digniora, eò maiore prosequenda esse reuerentia. Nostræ uerò figuræ tantò sunt figuris ueteris Testamenti præstantiores, ut præ illis dici possint ueritates. Et patres, quemadmodum suprà ostendimus, in istis collationibus illorum symbola nuda, & frigida ponunt omninò sine re significata: in nostris autem Sacramentis rem tantùm ipsam constituunt sine ulla mentione symboli: partim ut comparatio esset illustrior, partim ob alias causas, quas hic nihil opus est repetere. An autem impij corpus ipsum Christi realiter & substantialiter contingant, uideat Inconstantius. Ego quidem id nullo modo credo. Nam quod Basilius hic scribit, Hominem in animæ impuritate constitutum contingere corpus Christi, omninò referendum est ad symbola. Nam ea Basilius tractat per collationem ad symbola ueteris Testamenti: non autem tãto cum
» discrimine, quanto fingit Inconstantius. Addit adhęc, corpus Christi omnipo
» tentia dei in altari præparatum esse, non aũt communicantiũ fide esse accersen-
dum.

dum. Nos uerò illud, Inconstanti, neque præsens adesse præparatum in sacra Cœna concedimus, neque communicantium fide accersiri. Hoc potius dicimus, animos Communicantium per fidem attolli in cœlum, & ibi frui præsenti corpore Christi, quatenùs illud olim pro salute nostra datum est in crucem.

Verùm obijcit sibi nostro nomine, impios non contingere propriè corpus Christi, quòd non adsit sensibus. Deinde respondet sibi: non enim certè nobis. Quid tu narras, propriè? Quasi, quia digitus ad carnem Christi non penetret, non dicatur contingere. An non dicimus, eum propriè cõtigisse manu Regem, qui uestem, qua corpus eius tegebatur, contigit? & propter corporis præsentiam læsisse maiestatem? Verùm nos hac de re, Inconstanti, non rixamur. Non enim putamus, Corpus Christi realiter latere sub accidentibus. Et ea causa non quærimus, an impius, cum tangat illa accidentia, perueniat ad corpus Christi. Sed idcirco negamus, impios apprehendere posse corpus Christi, quòd, cum illud absit, nec alia re ulla apprehendi possit, quàm fide, impij, qui prorsus careant omni fide, huiusmodi spirituali contactu non possint ad illud peruenire.

Ad extremum, ait, Patres non ita lusisse, ut honorem, qui deberetur rei ipsi, umbræ tantùm uoluerint uendicare. Nunquam nos patres in hoc negotio lusisse diximus: nisi fortè rem ornare tropis, & hyperbolis, id Inconstantius putet esse ludere. Atqui ita, non tantùm patres, sed ipsæ etiam diuinæ literæ solent ludere. Honorem autem illum, qui propriè rebus ipsis deberetur, nunquam illi transtulerunt ad umbras. Nunquam enim illorum quisquam docuit, in mysterijs adoranda esse symbola. Imò monent adorationem nostram ad Christum, qui illis symbolis repræsentatur, esse conuertendam. Sed meminisse debes, Lector, id, quod Inconstantius fortasse oblitus est, hunc illum esse Basilium, qui in sua Liturgia symbola ista etiam post Consecrationem appellat ἀντίτυπα: ex quo apparet, illum in Sacramentis nostris non ita horrere uoces illas, Figurã, aut Signum. Adhæc ego sat scio, me nunquam ita ad hunc locum Basilij respondisse, quomodò iste me fingit respondere. Ex quo tu facilè potes, Lector, coniecturam facere, qua fide soleat aliorum obiecta, & responsa recitare. Ego tamen ista, quoniam non uidebantur aberrare à uero, uolui, tanquam nostra, defendere. Interim tamen non possum dissimulare, istis fictionibus, detractionibus, additionibus, inuersionibus magnam nobis ab Inconstantio fieri iniuriam.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Nazianzeno in Sanctum Pascha.

DE *baculo uerò, & eius ænigmate ita habeo. Scio enim sustentatiuũ unum esse, alium uero pastoralem, & instructiuum, quiq; rationales oues conuertat. Nunc uerò Lex ad illum, quò te firmius hortatur, ne alicubi consideratione labaris, cum de sanguine & passione, nec non de dei morte audias, ne forsitan, dum deo patrocinari conaris, sacrilegus esse uidearis, sed absque confusione, & dubio comede corpus, & sanguinem bibe: si saltem uitæ desiderio teneris: neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passionem offendaris.*

SOLVTIO.

LOQVITVR Gregorius de spirituali manducatione ac potatione corporis & sanguinis Christi per fidem: non autem de corporali manducatione, quæ constet ore ac dentibus, de qua Capernaitæ somniabant. At nos spiritualem tan

tùm manducationem ponimus: quia iuxta ſecundam Regu lam alimonia hæc ſpiritualis eſt, mentis, non gulæ, aut uen tris, aut dentis.

GARDINERVS.

VERBA *Gregorij digna ſunt annotatu: qui cunctantes comedere corpus Chriſti & bibere ſanguinem ijs uerbis animat, ne deterreantur, quaſi de corpore & ſanguine Chriſti dei non ſatis magnificè ſentientes: atque ideò abſtinerent, quaſi deo ſtultè patrocinaturi. Quæ uerba omninò eſſent frigida, niſi putaſſet, corpus & ſanguinem uerè adeſſe. Nam panem comedere aut bibere uinum cur uererentur, ſi nil aliud quàm ſignificarent, quod abeſſet? Nec Gregorius ea corpus & ſanguinem dixiſſet, quæ nihil eſſent aliud, quàm figura.*

MARTYR.

PRimùm hoc nobis obſeruandum eſt, Gregorium hic ſequi allegoriam de baculo, & uelle noſtrum baculum ad inſtructionem pertinere, ut ne erremus de humanitate Chriſti, & putemus, illum, cum eſſet deus, ueram carnem, & uerum ſanguinem non habuiſſe, aut uerè non fuiſſe paſſum, & mortuum, ne quid uideamur illo indignum cogitare aut credere. Atque ex his uerbis hoc firmiſſimè elicimus, Manducare carnem & bibere ſanguinem Chriſti, eſſe credere Chriſtum uerè pro nobis paſſum eſſe & mortuum. Quod autem iſte fingit homines abſterritos fuiſſe ab uſu Sacramenti, quòd non ſatis magnificè ſentirent de corpore & ſanguine domini, & infirmum eſt, & à ſententia Nazianzeni alienum. Is enim ait, illos ſtultè uoluiſſe patrocinari deo, qui negarent, Chriſtum uerè habuiſſe humanam carnem, & humanum ſanguinem, ne dici poſſet, deum fuiſſe mortuum; aut ex altera parte ſtatuerent, Chriſtum hominem tantùm fuiſſe, non deum. Hic adhibere oportuit eruditionis baculum, & credere, Chriſtum uerè fuiſſe & deum, & hominem; ne communicantes putent, ſe phantaſtici cuiuſdam hominis carnem comedere, eius uidelicet, qui non re ipſa, ſed ſpecie tantùm tenus, & apparentia uiſus fuerit pati, & mori: néue etiam ex altera parte putent, Carnem eam, quam comedant, eſſe nudi & puri hominis. Qui ita uolunt patrocinari deo, ſe ipſos faciunt ſacrilegos; cum Chriſtum aut diuina ſua natura ſpolient, aut humana.

,, Frigida, inquit Inconſtantius, fuiſſent illa uerba, niſi corpus & ſanguinem
,, domini Gregorius uerè adeſſe credidiſſet. Imò inania & falſa fuiſſent, niſi
Chriſtus re ipſa paſſus fuiſſet & mortuus. Nam quod nunquam extitiſſet, nec à fidelibus comedi poſſet, nec in myſterijs ſignificari. Citat etiam alium locum Nazianzeni ex Oratione in Baſilium Magnum. Loquitur autem de impijs, qui circa altaria ſaltarent, & ſanguine uictimarum, & hominum, quos mactaſſent, ſa-
,, crificia coinquinarent incruenta, idq; ludibrij cauſa facerent. Hic iſte ita col-
,, ligit: Si illa ſacrificia incruenta conſtitiſſent ſola gratiarum actione, ut uos uí-
,, deri uultis, quomodò ea ſanguine hominum potuiſſent uiolari? Miror, ſi iſte
,, tam acutus Sophiſta, ita ſit ſtupidus, ut non intelligat, ſymbola Euchariſtiæ po
,, tuiſſe humano ſanguine contaminari, aut aſpergi cruore uictimarum. At, in-
,, quit, uos ſacrificia non conſtituitis in ſymbolis, ſed tantùm in actione gratiarum. Cur non addis etiã in memoria, mortis, & paſſionis domini, quæ illa ſymbola repræſentant? Ipſa autem ſymbola dici poſſunt ſacrificium, quòd uerum illud atque unicum ſacrificium mortis domini nobis conſtituant ante oculos. Et ſatis iam anteà oſtendi & ex ſcripturis ſacris, & ex patribus, iniuriam, quæ infertur ſignis,

tur ſignis, redundare etiam in rem ſignificatam, & deum ipſum authorem ſacrificiorum uiolari & contemni in ſymbolis, quamuis corpus Chriſti ſub illis realiter & ſubſtantialiter non ueletur. Eodem modo, & ſenſu Cyprianus de Lapſis ait, malos inuadere corpus Chriſti, cum indignè accedant ad Sacramentū, quod ſuo quodam modo & eſt, & appellatur corpus Chriſti. Pilatus etiam, cum ſanguinem quorundam miſceret cum ſacrificijs Iudæorum, quāuis externa tantùm ſymbola uiolaret, tamen iniuria affecit ipſum deum. Leue autem ac nugatorium eſt, quod addit, Nazianzenum non fuiſſe dicturum corpus & ſanguinem domini, ſed panem potius & uinum, ſi ita ſenſiſſet, ac præſertim, cum doceret populum. Quoties enim id accidit & in ſacris literis, & in patribus, ut ſigna gerant nomina rerum earum, quas ſignificant? Non debuit Inconſtantius puerorum in morem ſemper nobis occinere eandem cantionem.

Rectè etiam in Solutione reſponſum eſt, Nazianzenum in illa ſua adhortatione, non de corporali, ſed de ſpirituali manducatione uerba facere. Cur ergo,, inquit iſte, illis uerbis alloquebatur populum, quæ corporalem manducationem,, ſonant, cum dicat, Comede, & Bibe. At non dicit ore & dentibus, quomodò,, putabant Capernaitæ. Hoc non malè: quoniam fideles alloquebatur, non Ca=,, pernaitas. Dentes certè, & os non excipit Gregorius nominatim: ſed generali=,, ter dixit, Comede, & bibe: quod quomodò ſine ore fieret, non uideo. Nec ſatis,, poſſum mirari, quare os & dentes excludantur: quorum officium Chriſti cor=,, pus uiolare non poteſt. Duplex erat cauſa, cur Gregorius populum ſuum il=,, lis uerbis alloqueretur: Primùm quia habebat eam orationem in paſchate, quo tẽpore cœna domini ſolebat in Eccleſia celebrari. Quare, quāuis ſpiritualis manducatio nec ore egeat, nec dentibus, tamen quoniam de ſymbolis etiam agebatur, addenda etiam erant ea uerba, quæ externam corporis manducationem indicarent: Deinde quoniam ipſa manducatio ſpiritualis, etſi nihil pertineat ad officium corporis, tamen uerbis illis edendi & bibendi exprimitur, idq; non tantùm à patribus, ſed etiam ab ipſo Chriſto, quemadmodum apparet ex 6. Iohannis. Ego uerò non dubito Nazianzenum illo tempore adhortatum eſſe populum ſuum ad utranque manducationem: maximè tamen, ut habetur in Reſponſione, ad ſpiritualem, quæ certè nihil eget officio dentium.

Sed columen Theologorum reſpondet, ſe non uidere, quo pacto comedi aliquid poſſit ſine ore. Quaſi nunquam audierit illud Auguſtini, Crede & manducaſti. Mitto enim ea omnia, quæ Chriſtus loquutus eſt in ſexto Iohannis. Sed fortaſſe Inconſtantius dentibus tantùm credit, & fidem ſuam omnem habet in ore. Nos autem ſcimus, Corpus & ſanguinem Chriſti mente, & fide comedi, idq; non propriè, ſed per metaphoram: os autem & dentes tantùm pertinere ad ſymbola. Sed mirum eſt, Inconſtantium dicere, Corpus Chriſti poſſe propriè manducari: non tamen idcircò poſſe uiolari. Propriè enim manducare, eſt cibū frangere & comminuere. Quæ ad extremum addit petulanter de meis Regulis, ea quoniam nec probę interrogationis, nec firmæ argumentationis uim ullam habent, poſſunt non iniuria ſilentio condemnari.

ARGVMENTVM GARDINERI ex Emiſſeno.

INVISIBILIS *ſacerdos uiſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui uerbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum: & ſanctificatione repetita, Accipite & bibite: Hic eſt ſanguis meus. Et paulò pòſt: Nec dubitet quiſquam, primarias creaturas nutu poten=*

tentiæ, præsentia maiestatis in Dominici corporis transire posse naturam: cum ipsum hominem uideat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem ueniens ante uerba Baptismi adhuc in uinculo est ueteris debiti, ijs uerò commemoratis, mox exuitur omni fece peccati, ita quando benedicendæ uerbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, substantia illic est panis & uini: post uerba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea, quæ uerbo potuit creare uerbo possit creata conuertere? Imò iam minoris miraculi uidetur esse, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius ualeat commutare.

SOLVTIO.

NON loquitur de reali & corporali conuersione panis & uini in corpus & sanguinem Christi, sed tantum de sacramentali conuersione. Vrget præterea mutationem nostram in Christum, quæ tamen fit absque Transubstantiatione. Quare Christus tam præsens est in Baptismo, quemadmodum Emissenus idē declarat, quàm est in Mensa Dominica. Id autem non est carnaliter & corporaliter, sed per fidem & spiritualiter.

GARDINERVS.

QVOD *hic dicit Sectarius de sacramentali mutatione, ex alia eius Regula est, cui hoc loco responsum est: & aliâs etiam hic locus Emisseni à me explicatus est.*

MARTYR.

DIci non potest, quàm illæ meæ obseruationes Inconstantium malè habeant. Eas cum conuellere ratione non queat, conatur, quantum potest, in odium adducere. Ego tamen eas non dubito prudenti, & attento Lectori ad intelligendos ueteres Patres, & ad molliendas quasdam illorum uiolentiores sententias, non mediocrem utilitatem allaturas. Ait se hanc sententiam Emisseni alias fusius explicuisse: itaque hic parcius de ea dicturum esse. Idem ego quoque respondeo. Nam quid mihi de isto Emisseno uideretur, alias satis copiosè exposui. Iste tamen negare non potest, sese & Lectori, & mihi molestum esse uoluisse; qui loca anteà tractata, & excussa iterùm, ac tertiò ita loquaciter inculcet.

„ Id fatetur uerè in Solutione responsum esse, Christum tam in Baptismo præ-
„ sentem esse, quàm in Eucharistia: modò id de diuina Christi natura intelligatur.
„ In una autem cœna esse mirabilem conuersionem: idq; uerba Emisseni indica-
„ re: qui ibi agnoscat Christum præsentem esse & deum, & hominem. Quæ dicuntur de præsentia Christi in Eucharistia, eadem conueniunt etiam in Baptismum. Nam si loquaris de præsentia substantiali, adest utrinque natura Christi diuina. At si præsentiam eam intelligas de natura humana, ea quoque adest utrinq;, sed spiritualiter. Non enim minus in Baptismo regeneramur, & efficimur membra Christi, illumq; prorsus induimus, quàm in Eucharistia eodem Christo alimur, potamur, & reficimur. Quemadmodum enim in Baptismo dum regeneramur, efficimur caro, os, & membra Christi; ita in Eucharistia pascimur carne domini spiritualiter, ut eius caro & ossa, & membra esse pergamus, útque in

que in ea conditione in dies magis magisque augeamur. Negari autem non poteſt, eandem eſſe naturam generationis, & cibi. Ex ijſdem enim & alimur, & ſumus: ut, ſi paſcamur in ſacra Cœna ſubſtantia ipſa carnis Chriſti, neceſſe ſit nos eandem omninò ſubſtantiam acquirere in Regeneratione, & naturam Chriſti humanam adeſſe nobis in Baptiſmo, quæ adeſt in Euchariſtia. At qui omnes fatentur, & conſentiunt, nos in Regeneratione effici membra, carnem & oſſa Chriſti ſpiritualiter: neceſſe ergo eſt, ut hoc etiam fateantur, carnem Chriſti in Euchariſtia dari nobis ſpiritualiter. Vtq; nos in Baptiſmo non tranſubſtantiamur in Chriſtum: ita non eſt neceſſe, ut panis in Euchariſtia tranſubſtantietur in corpus Chriſti.

Ratio quare in Baptiſmo quoque naturæ humanæ Chriſti iungamur.

Emiſſenus autem, cum dicit, illa Symbola conuerti in ſubſtantiam carnis & ſanguinis domini: nihil aliud intelligi uoluit, quàm ea fieri ſacramentum ſubſtantiæ carnis & ſanguinis domini. At ſi Inconſtantius interpretationem iſtam noſtram non recipiat, ſed omninò uelit uerba illa craſſè, & ſimpliciter intelligere, eadem ſimplicitate dicat, nos quoq; craſſè, & reipſa, utq; uerba ſonant, mutari in ſubſtantiam carnis & ſanguinis domini. Certè Paulus 1. Corinth. 11. de iſtis duobus myſterijs unà ſcribit. Nos omnes, inquit, uno ſpiritu in unum corpus baptizati ſumus: & omnes in unum ſpiritum potati ſumus: quæ loquutio ſatis indicat, Coniunctionem noſtram initam cum Chriſto in utroq; ſacramento ſpiritualem eſſe. Dionyſius etiam ille, quem uulgò iactant pro Ariopagita in eccleſiaſtica Hierarchia de Euchariſtia ita ſcribit: Symbola illa ſunt, quibus, ut ij qui initiantur, in deum tranſeant, ſacratius fit. Hic Dionyſius Communicantes ait tranſire in deum, non autem panem, aut uinum. Qualis autem ea ſit noſtri mutatio, ita explicat: Dum ſubſtantiam quidem, inquit, noſtram, atque uitam ad boni ſiſtit effigiem, & primitiuis illis uenuſtatibus diuinam in nobis ſpeciem format, diuiniorisq; habitus, & celſioris intelligentiæ participes efficit: inſuper prouidens, ut nos, qui per negligentiam noſtram, aut deſidiam diuinis deſerti, ac deſtituti muneribus ſumus, paratis, atque ad id inſtitutis bonis in antiquum ſtatum, ac dignitatem reuocet, perfectaq; noſtrorum aſſumptione exactiſſima propriorum munerum participationem, & tandem nobis diuinorum communionem largiatur. Hæc eſt noſtra mutatio in Chriſtum, nimirùm, ſpiritualis. Ipſe etiam in primo capite eiuſdem libri, ubi de miniſtro Eccleſiæ agitur, ita ſcribit: Vt ipſe pontifex pro ſuæ ratione ſubſtantiæ, & captus, atque ordinis diuinis in rebus perficiatur, atque in deitatis conſortium tranſeat, inferioribusq;, atq; ſubditis gradibus cuiq; pro merito indultum ſibi diuinitatis tradat tantæ excellentiæ munus, per quod ipſe participatione euaſit in deum. Et mox: Per quæ pontificali munere ad ſtatum illum unicum, quo tranſimus in deum pro modo noſtro quiq; prouehimur. Et mox: Ea uerò aliter prouenire nõ poteſt, niſi ij, qui ſaluantur, in dei conſortium tranſeant. Porrò ea in deum tranſitio fit, cum illi ſimiles euadunt, atque inſeruntur. Et mox: Ipſiq;, ut qui tranſiſſent in deum, poſteros ad diuina prouehere affatim cuperent, uiſibilibus ſignis cœleſtia ſacramenta texerunt. Poſſem ex alijs quoq; Patribus alia multa adferre ſimilia: ex quibus conſtare poſsit, mutationem illam noſtri, de qua loquimur, non aliam eſſe, quàm ſpiritualem. At, inquies, iſtæ mutationes ad nos pertinent, non ad Symbola. Ego uerò ueriſsimè reſpondeo, nos magis mutari in deum, & in Chriſtum, quàm externa ſymbola ſacramentorum: uel quòd magis capaces ſimus eius mutationis, ut qui facti ſimus ad imaginem dei: uel quòd illa mutatio panis, qualiſcunq; tandem eſt, inſtituta ſit in hunc tantùm finem, ut efficiat, atq; inducat (quantum inſtrumenta poſſunt) mutationem noſtrã. Quare uix uidetur conuenire, ut illa mutatio, quæ noſtræ mutationis cauſa ſit inſtituta,

Dionyſius.

Declaratio quæ nam ſit noſtra ſpiritualis mutatio.

Nos magis in deũ & in Chriſtum mutamur quàm externa ſymbola.

„ maior sit, quàm mutatio nostra. Sed redeo ad Inconstantium: Is nouum aiſt
„ esse doctrinæ genus, quod dicimus Christum adesse nobis spiritualiter per fidē:
„ quasi, inquit, cognitio præsentiæ, quæ per fidem est, sit etiam præsentiæ causa:
„ cum tamen in deo, qui futura præuidet, non dicimus, cognitionem illam in præ-
„ sentia, euentuum, & contingentium esse causam: nedum de cognitione nostra
„ qualicunq; id dicere debeamus. Sed ita loquuntur isti suo more, qui fidei omnia
„ tribui uolunt: quam ipsi nec habent, nec habere curant. Oportet hunc hominē
parùm sano fuisse capite, cum ista scriberet. Nos enim nūquam aut scripsimus,
aut omninò cogitauimus, cognitionem, seu fidem nostram de præsentia, causam
esse præsentiæ Christi. Nihil nos aliud tradimus, quàm quod accepimus ab Apo
stolo, Christum, uidelicet, habitare in cordibus nostris per fidē: nosq; fide appre-
hendere corpus & sanguinem domini, quatenùs ea pro nobis oblata sunt. Aliam
autem spiritualem præsentiam non agnoscimus. Vt autem fruamur hac præsen
tia, nihil opus est, ut fide nostra, quemadmodum iste, nescio quid, somniat, Chri-
stum de cœlo detrahamus: nos potius ipsi per fidem attollimur ad Christum in
cœlum. Nos autem omnia tribui uelle fidei, merum est, & impudens menda-
cium. Nos enim nihilo plus tribuimus fidei, quàm illi uidemus tributum in sa-
cris literis. Imò ne in fide quidem nostra fiduciam ullam collocamus: sed in illis
tantùm rebus, quas fide apprehendimus. Quam ut habeamus, aut habere cupia
mus, dominus aliquando iudicabit.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Hesychio in Leuiticum lib. 7. cap. 37.

SI quis templum dei uiolauerit, disperdet illum deus. Propter quod Sanctuariū eius paueamus, ut nec corpus nostrum polluamus, neq; ad corpus Christi, in quo est omnis sanctificatio (in ipso enim est omnis plenitudo diuinitatis) sine subtili dijudica-tione nostri temerè accedamus: sed prius nosmetipsos probemus, reminiscentes eius, qui dixit: Quicunq; comederit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem se ipsum homo: & sic de pane comedat, & de calice bibat. Qualem probationem dicit, id est, ut in corde mundo, & conscientia, & pœnitentia eorum, quæ olim deliquit, intendenti participetur sanctis ad ablutionem peccatorum suorum.

SOLVTIO.

HESYCHIVS hic, ut annotatum est in prima Regula, ita de symbolis scribit, quasi res ipsas, & significata pertractet. Idq; potest rectè congruere propter magnam similitudinem, quę inter illa intercedit ex instituto domini. Deinde etiam ignominia, quæ infertur symbolis, ab illis, qui ad ea accedunt indignè, redundat in ipsum Christum, cuius illa sunt symbola. Eoq; illi eius ignominiæ iustissimas pœnas luunt.

GARDINERVS.

SECTARIVS *petit præsidium Regularum, quas ipse confinxit. Hesychius hoc in loco Basilium fermè imitatur ex uerbis, & sententia: sed aliquanto expressius de corpore Christi in Sacramento sic loquitur, ut intelligamus ipsissimum esse.*

MAR.

MARTYR.

DEum immortalem, ut constans est, & ubiq; sui similis Inconstantius. Vt anteà in Obiectionibus, ita hic quoq; in Responsionibus nostris cudit, & fabricatur nostro nomine ea, quæ nemo nostrum unquam cogitarit. Ego quidem, quod ad me attinet, qui obseruationes illas edidi unà cũ Tractatione de Eucharistia, eas ad dissoluenda talia argumenta nunquam accommodaui. Neq; certè, quamuis probè sciam, quàm parùm instructus sim ad dicendum, ita ineptè, concisè, & confusè respondissem. Quod idcircò dico, Lector, ne tu me putes, cum ista, aliaq; multa similia defendam, ea agnoscere pro meis. Defendo tamen ea, quòd uideam in illis uerba quædam esse interdum mea, quamuis trũcata, & alieno in loco sæpè collocata: quodq; rem ipsam sentiam à summa nostræ doctrinæ non abhorrere. Quod si Inconstantius hausit ista ad uerbum ex libris nostris, cur locum non indicauit? Verùm id cum non faciat, satis ostendit prudenti Lectori, quàm bona fide aliena, uel sua potius, pro nostris subiecerit.

Sed ad rẽ redeo. Hesychius, inquit, monet, ne sine subtili nostri dijudicatione, accedamus ad corpus Christi, nempe in sacramento præsens. Cuius præsentiam, ideò credere, & dare oportet, quoniam adijcit, In ipso omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, quod de figura dici non potest. Verùm, Inconstanti, satis est, si illa uerba possint in illum conuenire, qui illa figura, aut symbolo significatur. Neq; enim hoc nouum uideri debet, si ea, quæ propriè conueniunt rei, tribuantur signis. Est enim frequens, & usitatum in sacris literis. Nam & Calix dicitur nouum Testamentum, & Agnus Pesah, & Baptismus dicitur dimittere peccata. Ita in Leuitico sæpissimè certis generibus sacrificiorum adscribitur peccatorum condonatio, quod profectò alia ratione intelligi rectè non potest, quàm ut dicamus, mortem Christi, quæ in illis sacrificijs adũbrabatur, si quis eam complexus esset per fidem, habituram fuisse uim condonandi peccata.

Cæterùm, si hoc pacto res habet, inquit Inconstantius, Patres nos fallere uoluerunt, & uerbis inanibus idola ex symbolis fabricarunt, ea ornando rerum magnitudine, quę non subessent. Non fuit illis animus, ut quenquam fallerent. Sed ita loqui uoluerunt, ut suos quàm efficacissimè hortarentur ad dignam sacramentorum perceptionem. Quòd si tu illorum uerba aliò trahas, quàm ipsi uoluerint, id non illorum fit uitio, sed tuo. Vtrum autem illi in figuris, & hyperbolis modum excesserint, nunc nihil dico. Certè quod ea, quæ rerum ipsarum sunt, tribuerunt Symbolis, nihil alienum fecerunt à sacris literis. Imò Inconstantius ipse confitetur, magnam similitudinem inueniri inter res significatas, & symbola, talemq;, ut signa interdum gerant rerum ipsarum nomina: non tamen eò usq; progrediendum est, inquit, ut rerum ueritates de illis prædicentur. Si per, Veritates, hoc intellígas, symbola propriè, ac uerè non esse res eas, quas significant, rectè sentis. Nemo enim, opinor, unquam dixerit, panem & uinum propriè, ac uerè esse corpus & sanguinem Christi. At si, Rerum ueritates, intellígas allegoricas, & sacramentales prædicationes, longè falleris. Cum res ita prædicatur de symbolis, nec mendacium ullum est, nec ulla deceptio.

At unum, inquit, est Christi corpus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis: quod de corporis domini figura prædicari non debet. Quia domini gloria non est communicanda creaturæ. Quasi uerò adoratio antiquitùs non fuerit ad Arcã fœderis: aut gloria diuina per rationem, & prædicationem sacramentalem non fuerit illi symbolo communicata. Putat etiam probari posse ex illis uerbis Hesychij, malos comedere corpus Christi. Sed ait, nos facilè esse respondeturos, Hesychium ita loqui, quòd ignominia illata symbolis, redundet in res ipsas,

„ ſignificatas. Verùm hoc, inquit, millies iam audiui. Quid tum? An continuò falſum eſt, ſi quid tu millies audiueris? Si nos idem tibi millies iam reſpõdimus, tuo id uitio factum eſt, qui idem plus millies inculcaris. Quod ſi tibi ita cordi eſt inſanire, non debes moleſtè ferre, ſi tibi ſecundum tuam inſaniam reſpondeatur.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Ambroſio de Sacramen. lib. 4. cap. 4.

TV fortè dicis, Meus panis eſt uſitatus: ſed panis iſte panis eſt antè uerba ſacramentorum: ubi acceſſerit Conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Et paulò poſt: Ergo didiciſti, quòd ex pane fiat corpus Chriſti: etiam quòd uinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis Conſecratione uerbi cœleſtis. Et cap. 5. Antequam conſecretur, panis eſt: ubi autem uerba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Deniq; audi dicentem, Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc eſt corpus meum. Et antè uerba Chriſti, Calix eſt uini & aquæ plenus: ubi uerba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo uidete, quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti uniuerſa conuertere. Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd corpus ſuum accipiamus, & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?

SOLVTIO.

ILLI libri de Sacramentis exiſtimantur à doctiſsimis non eſſe Ambroſij. Sed fac eſſe eos Ambroſij. Verba iſta non ita per omnia à nobis diſſentiunt. Nam alijs in locis planius exponit quid ſibi uelit. Sic enim ſcribit: Ante benedictionem uerborum cœleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Et ante Conſecrationem aliud dicitur: poſt Conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et alibi: Dixi uobis, quòd ante uerba Chriſti, quod offertur, panis dicitur: ubi uerba Chriſti deprõpta ſint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Hinc apparet, panem poſt Conſecrationem appellari nomine corporis: &, quamuis etiamnum ſit panis, tamen eum poſt Conſecrationem ſignari nomine eius rei, quam repræſentat. Idem etiam Ambroſius declarat, quomodò hæc mutatio fiat: nimirùm, non auferendo ſubſtantiam panis, ſed addendo pani gratiã corporis Chriſti: atq; ita panem uocari corpus Chriſti.

GARDINERVS.

LIBRI *de Sacramentis obtinuerunt, ut ſint Ambroſij. Quod ſi non eſſent, teſtium augerent numerum. Nam quin digni eſſent tali authore nemo negat.*

MARTYR.

„ SI libri illi non ſunt Ambroſij, augebitur, inquit, numerus teſtium. Imò ſi non ſunt Ambroſij, teſtimonium illorum erit minoris ponderis. Quòd ſi profecti ſunt ab authore anonymo, uix uidentur habere poſſe numerum, & locum proborum teſtium. Itaq; minus mirari debuit Inconſtantius, hanc ſuſpicionem in Re-

Reſponſione primo loco fuiſſe poſitam. Hanc autem litem non ita remitti-
mus, ut iſte putat, ut eam poſteà, ubi commodum ſit, repetamus: ſed ut quiuis in-
telligat, noluiſſe nos in re non magni momenti moroſè, & perplexè litigare. Nos
enim, Inconſtanti, clara tantùm, & perſpicua, & ſolida perſequimur: Sophiſtica
autem, & ambigua, & tenebricoſa tibi, tuoq; ordini non inuiti relinquimus. Ne-
que uerò nos ita grauiter peccare arbitramur, ſi ab iſtis uerbis Ambroſij ad alia
eiuſdem Ambroſij magis aperta, & perſpicua uerba prouocamus. Non enim id
agimus, ut aliquid de ſententiæ ueritate imminuamus: ſed ut locis obſcuris ex
alijs locis illuſtrioribus lucem aliquam adferamus. Id autem nõ eſt, Ambroſium
cum Ambroſio cõmittere: ſed potius Ambroſium Ambroſio conciliare. Is enim,
cum alibi dicat, panem eſſe, aut fieri corpus Chriſti: idemq; alibi, eundem panem
uocari, appellari, dici, ſignificare corpus Chriſti ſcribat, profectò uideri poteſt
nonnihil ſecum ipſe diſſidere. Vtriq; ergo noſtrum ſtudio eſſe debet, ut Ambro
ſius cum Ambroſio redeat in gratiam. Id tu, neſcio qua diſtinctiuncula putas fa-
cilè poſſe fieri: ego uerò puto, ſentẽtiam loci obſcuri ex alijs locis clarioribus de-
bere illuſtrari.

Sed age, quicquid eſt, diſtinctionem iſtam tuam excutiamus. Ais, Ambro-
ſium hic docere, quid uerbis Chriſti efficiatur: hoc eſt, Eſſe corpus, & ſanguinẽ:
fieri carnem, fieri ſanguinem. Verba enim Chriſti eſſe operatoria. Ea autẽ uer-
ba, quæ citata ſunt à me, referenda eſſe ad efficientiam. Fidem enim, inquis, lan-
guenti exuſcitat inclamata uoce domini, cui auſcultemus. Dominus enim, in-
quit Ambroſius, clamat, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt ſanguis meus: ut uer-
ba illa, Significare, Nuncupare, Vocare, Appellare, referenda tantùm ſint ad os
domini. Vt idcircò credamus rem ita ſe habere, quòd uox domini ſit efficax, &
operatoria. Vocare enim Chriſto eſſe efficere, qui portet omnia uerbo uirtutis
ſuæ. In priori diſtinctionis membro ait ſignificari effectum. Illud effectum ſi in-
telligat ſacramentum, ego facilè accedo: confecta res eſt. Sed longè aliter habet.
Vult enim omninò effectum illud eſſe corpus Chriſti. Atqui illud iam antè mille
quingentos annos, atq; amplius, factum eſt: & ualdè abſurdum ſit, ſi nunc denuò
dicatur fieri. Verùm ſcio, quò iſte rediturus ſit: noui enim latebram. Non fit
ſimpliciter, inquiet: ſed fit præſens. Hoc ego commentum ſi uelim, poſsim facilè
reijcere. Nam Ambroſius certè non ita loquitur. Deinde quod addit, uerba il
la Ambroſij, quæ ab ipſo in argumento citata ſunt, de effectu intelligenda eſſe,
nõ autem de efficientia, qua, uidelicet, Chriſtus uocauerit, & teſtatus ſit, hæc eſſe
corpus ſuum, & ſanguinem, id mihi non uidetur conſiſtere. Ille enim ſtatim ad
finem eius loci ſubiecit: Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd ac-
cipiamus corpus ſuum, & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & teſti-
ficatione dubitare? Hæc Ambroſius ſtatim poſt ea uerba, quæ tu in primo mem-
bro collocas: quibus tamen in uerbis, Appellatio, Fides, & Teſtificatio expreſſè
ponitur. Diſtinctionis ergo tuæ, Inconſtanti, membra inter ſe confunduntur,
&, ut Dialectici loqui ſolent, coincidunt.

Neq; ſimpliciter uerum eſt, quod ais, illa uerba, Vocari, Appellari, Dici, Si-
gnificari, referenda eſſe ad os Chriſti. Ipſum enim ſacramentum ſignificat, & à
nobis etiam appellatur corpus Chriſti, non tantùm ab ore domini. Itaq; idem
Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Fac nobis, inquit, hãc oblationem aſcri-
ptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis & ſanguinis domini
noſtri Ieſu Chriſti. Et in cap. 11. prioris ad Corinthios, Quoniam, inquit, morte
domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo, & potando, carnem & ſan-
guinem domini, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus. Vides ergo, Lector,
iſtam diſtinctionem Inconſtantij uafrè, & callidè excogitatam eſſe, ad eludendũ

id, quod alioqui non potuisset refutare. Sed aliam etiam eius fraudem, eamq; multò etiam nequiorem nullo modo possum dissimulare. Priorem enim partem argumenti sui noluit integram proponere. Pauculis enim tantùm quibusdam uerbis carptim delibatis, id omisit, quo uidebat causam suam facilè posse iugulari. Sic em̃ habet locus integer apud Ambrosium: Tu fortè dices, Panis meus
„ est usitatus: sed panis iste, panis est antè uerba sacramentorũ: ubi accesserit Con-
„ secratio, de pane fit corpus Christi. Hic sistit Inconstantius. Deinde addit: Et
„ paulò post. At ne nescias, Lector, Ambrosius hæc uerba subiunxit: Hoc igitur
„ astruamus, quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Ex istis uerbis perspicuum est, Ambrosium hoc sensisse, Panem ipsum, qui adhuc retineat substantiam & naturam suam, esse corpus Christi. Dissimulauit
„ etiam id, quod statim sequebatur in eodem capite, Vides ergo, inquit Ambro-
„ sius, quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta uis est in sermone domini
„ Iesu, ut inceperint esse, quæ non erant, quantò magis est operatorius, ut sint, quæ
„ erant, & in aliud commutentur? Hic etiam uidemus, panem & uinum manere, quæ erant, cum tamen interim dicantur mutari in aliud, nimirùm ut sint sacramenta corporis & sanguinis domini. Hæc iste noster, pro sua simplicitate bene tegenda, & longissimè à tuis oculis, Lector, auferenda esse iudicauit.

„ Deinde calumniatur, me ita uelle Ambrosium se ipsum explicare, quasi ali-
„ quid alibi non satis rectè tradiderit, aut quasi perperam docuerit, id esse corpus
„ Christi, quod re uera non esset eius corpus: & mutationem illam sine causa mira
„ tum esse, cum re ipsa in ea præter significationem nihil esset. Ista non consistunt,
„ inquit Inconstãtius, & quòd mirabilium exempla citat, ut conuersionem & mu-
„ tationem præter naturam ostenderet, argumento est, panem Ambrosio mutari. Atqui non ego ita Ambrosium secum ipsum committo, quasi ille uelit aliquid reuocare, quod anteà non satis consideratè docuerit: sed ut locis alijs clarioribus intelligatur, quid sibi Ambrosius uoluerit, cum obscurius diceret, panem fieri, aut esse corpus Christi. Ex his autẽ locis apparet, nihil illum aliud sensisse, quàm panem fieri sacramentum, quod & dicatur, & suo quodam modo etiam sit corpus Christi. Hoc autem non est mentiri, uelle obscurius dicta dilucidare. Mitto uerò, qua iste fronte possit nobis solam, & nudam, & frigidam significationem toties obtrudere. Nam ea profectò in re nescire non potuit, se mentiri. Cur autem Ambrosius tot miracula huc accommodarit, non est difficile uidere: nimirùm, ut ostenderet in usu Eucharistiæ quanta sit mutatio nõ solùm panis & uini, sed etiam nostrum ipsorum. Dicere autem Ambrosium, panem immutari, nunquam equidem negaui: illam autem eum statuere mutationem, quam isti somniant, id uerò pernego.

Sed istum nihil puduit, etiam Melanchthonem citare testem, qui dicat, Ambrosium his uerbis sensisse Transubstantiationem. De quo incomparabili, & omni uirtutum, ac doctrinarum genere ornatissimo uiro, ego hic nihil respondeo: uel quòd ipse adhuc uiuat, uel quòd eius scripta æternùm uictura sint, quæ hanc calumniam possint depellere.

„ Fatetur Inconstantius ad extremum, addi quidem gratiam pani, sed illo si-
„ gnificari beneficium Christi, qui ex naturali alimento corporis, effecerit spiritua
„ lem alimoniam & animi & corporis ad uitam æternam. Nos autem dicimus, Gratiam addi pani, non aliud esse, quàm panem fieri sacramentum corporis & sanguinis domini, & instrumentum idoneum spiritus sancti, ad excitandam in nobis ueram fidem, qua complecti possimus res ipsas, quæ in illo mysterio repræsentantur. Sed priusquam finem facio, non pigebit alium quendam Ambrosij locum indicare, ex quo clarissimè possit intelligi, eum sensisse, corpus Christi

Christi non ingredi, aut penetrare in corpora nostra. Sic enim scribit li. 5. ca. 4. De sacramentis. Dixi, inquit, uobis, quod ante uerba Christi, quod offertur, panis dicatur: ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus Christi appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ posteà sequitur, ait, panem nostrum? Panem quidem dixit: sed ἐπιούσιον dixit, hoc est supersubstantialem. Non iste panis est, qui uadit in corpus: sed ille panis uitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ex his uerbis uel cæcus uidere potest, Ambrosium non ita crassè sensisse de Christi corpore, ut putarit illud ingredi, & recipi in corpus nostrum.

ARGVMENTVM GARDINERI EX AMbrosio de ijs, qui initiantur mysterijs, cap. ultimo.

ALIVD *uideo: quomodò tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremq; uim esse benedictionis, quàm naturæ? Quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam proiecit Moses, & facta est serpens.*

SOLVTIO.

NON dicit Ambrosius, substantiam panis, & uini ablatam esse: sed naturam eorum dicit mutatam esse: id autem est, in sacra communione panem & uinum non debere sumi, ut cibum & potum communem. Per ea enim recipimus spirituale & supernaturale alimentum de cœlo de uero corpore & ipso sanguine seruatoris nostri Iesu Christi, per omnipotentiam, & mirabilem operationem spiritus sancti. Quæ res ita bene conuenit cum substantia panis & uini remanente, ut, nisi illa adsit, hoc nostrum nutrimentum spirituale non possit per eam doceri. Et idcircò in exemplorum magna parte sequentium uidemus substantias manere naturis mutatis. Vt cum aqua Iordanis retrorsum conuersa contra naturam suam in fontem reuertitur: & cum petra manens petra aquam uomuit contra naturam: & fluuius Marath, cum mutaret naturam amaritudinis, tamen substantiam suam retinuit integram. Ita substantiæ panis & uini manent in cœna domini, & naturaliter digeruntur in corpora nostra, nihil obstante sacramentali mutatione illorum in corpus & sanguinem Christi.

GARDINERVS.

QVOD *dicit Ambrosius naturam mutatam, de substantia sensit, non effigie: quemadmodum & Cyprianus.*

MARTYR.

GArdinerus habet pro re ualde absurda, quod nos dicimus, spirituale alimentum hauriri de cœlo per panem & uinum, alimentum, inquam, illud su-

pernaturale de uero corpore & sanguine seruatoris nostri. Id autem, ne quem offendat, præsertim ita ieiunè, ac frigidè recitatum, ita paucis est explicandum: Quæcunq; dona proficiscuntur in nos à patre nostro cœlesti, quæ conducant ad uitam æternam, ea omnia deriuantur ad nos per mortem Christi, qua ille nobis placauit iram patris. Conferuntur autem maximè in eos, qui Christum sub hac ratione passionis & mortis uera fide apprehendunt. Itaq; rectè dicimus, spiritualem nostram, & supernaturalem alimoniam fluere ad nos de cœlo è corpore & sanguine Christi. Id autem idcircò dicimus fieri per panem & uinum in sacramento Eucharistiæ, quòd per illa symbola fides in nobis à spiritu sancto excitetur. Hæc est illorum uerborum & plana, & facilis intelligentia. Nihil autem est, cur nos pudere debeat, si dicamus, Gratiam, & omne genus donorum fluere ad nos à cœlesti patre per seruatorem nostrum Iesum Christum. Eum enim pater dedit nobis pro capite, ut ab illo, quemadmodum scribitur ad Ephesios, omnis cœlestis, & spiritualis uirtus, tanquam per commissuras quasdam in nos deriuetur. Cum autem Christus, quod ad corpus attinet, absit à nobis, & sit in cœlo, non dubitamus istos influxus fieri omnipotentia dei, & mirabili opere spiritus sancti. Non enim, ut iste fingit, omnipotentiam dei mouemus loco. Nam & ad institutionem sacramenti, & ad id, ut spiritus sanctus eo utatur ad salutem nostram, omninò illam putamus esse necessariam. Verùm Inconstantius nullam aliam uidere potest omnipotentiam dei, nisi qua panis, & uinum transubstantientur in corpus & sanguinem Christi.

„ Sed Ambrosius, inquit, dicit, nos accipere corpus: non influxum de cor-
„ pore. Imò etiam hoc dicit, si eum attentè legas, in libro sexto ca. 1. De sacramen-
„ tis. Sic enim scribit: Ne plures hoc dicerent, ueluti quidam esset horror cruo-
„ ris, sed maneret gratia redemptionis: ideò in similitudinem quidem accipis
„ sacramentum, sed ueræ naturæ gratiam uirtutemq; consequeris. Ego sum, in-
„ quit, panis uiuus, qui descendit de cœlo. Sed caro non descendit de cœlo: hoc
„ est, carnem in terris assumpsit ex uirgine. Quomodò ergo descendit panis de
„ cœlo, & panis uiuus? Quia idem dominus noster Iesus Christus consors est &
„ diuinitatis, & corporis. Et tu, quia accipis panem diuinæ eius substantiæ, in il-
„ lo participaris alimento. Primùm ait Ambrosius, nos accipere sacramentum in similitudinem. Quid enim aliud est ille panis, & illud uinum, quàm similitudo quædam corporis, & sanguinis Christi? Deinde addit, nos gratiam, uirtutemq; ueræ naturæ consequi: quod certè non aliud est, quàm cœlestis influxus à corpore Christi.

„ Sed inter illa miracula, quæ Ambrosius commemorauit, Inconstantius id
„ in primis arripit, & urget de uirga Mosis, cuius substantia mutata sit in serpen-
„ tem. Ad quod ego duo respondeo: primùm, id ad transubstantiationem papistarum nihil facere. Illi enim etsi abijciant substantias, tamen portentosè retineri uolunt accidentia. Virga autem illa ita prorsus tota mutata fuit in serpentem, ut ne accidentia quidem priora retineret. Deinde Ambrosius ibi argumentum duxit à Maiori: ut, quemadmodum credimus sacris scripturis deum mutasse uirgam in serpentem: ita multò magis credamus, eum posse mutare panem in sacramentum. Præterea Gardinerus ipse fatetur, mutationem illam, quam statuit esse in Eucharistia, cum nullo illorum omnium exemplorum, quæ adducta sunt ab Ambrosio, per omnia conuenire. Quomodò ergo urget nos, ut illam mutationem recipiamus? Certè illis exemplis satisfiet, si dicamus in pane esse mutationem sacramentalem, talem præsertim, quæ perficiatur potentia, &
„ ui spiritus dei. Sed retentionem illam miraculosam accidentium sine sub-
iecto, Inconstantius accedere ait ad id, quod legitur de aquis, in quibus liqui-

dum con

dum contra naturam ſubſtiterit, nulla adhibita re externa, qua à motu ſuo natu-
rali cohiberetur. Verùm cogitare iſtum oportuit, curſum aquarum ita cohibi-
tum, & ſcripturas narrare, & patres magnis encomijs diuinæ potentiæ celebra-
re. De iſtis autem accidentibus, quæ maneant ſine ſubiecto, non tantùm in ſcri-
pturis, ſed etiam in patribus ſummum eſt ſilentium. Nec in eo quod adducitur
aquarum exemplo, tale quippiam uiſum eſt. A naturali quidem fluxu aquæ re-
tinebantur, ſed illarum ſubſtantię, ac naturæ à ſuis qualitatibus minime ſegrega-
bantur. Hoc ergo ſimile Inconſtantius potuiſſet ſibi reſeruare. Nam & alienum
eſt ab inſtituto, & aduerſatur uerbo dei. Et cum ſcriptura ita ſit diligens in com
memorandis miraculis, hoc tam inauditum, tam contra naturam, tam etiam cre-
ditu neceſſarium, ut ab iſtis in eo magna pars ſalutis noſtræ collocetur, quomo-
dò tandem potuiſſet tam alto ſilentio præteriri? Noſtram autem mutationem ſa
cramentalem, & diuinæ litteræ, quæ paſsim diſcrimen ponunt inter ſanctum, &
profanum, & omnes penè patres cumulatiſsimè teſtantur.

ARGVMENTVM GARDINERI è Chryſoſtomo in Encœnijs.

NVM ſi ſtercus in manibus haberes, auderes appropinquare fimbriæ Regis? Num uides panem? Num uinum? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum uadunt? Abſit: ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſsimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic puta, myſteria conſumi corporis ſubſtantia. Propter quod accedentes ne putetis, quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, ſed ex ipſis Seraphin forcipe ignem, quem ſcilicet Eſaias uidit: uos accipere reputate ſalutarem ſanguinem, quaſi è diuino, & impolluto latere effluere: & ita approximantes labijs puris accipite.

SOLVTIO.

CERTE ſi hic interroget ſenſus, illi reſponderent, non eſſe uerum, quod dicit. Nam iudicio noſtri ſenſus & panis, & uinum adeſt. Sed Chryſoſtomus uerè loquitur, cum ſubij-
ciat: Ne ita cogites. Quia quod ad noſtram exiſtimationem attinet, oportet iſta faceſſere. Ideoq; ſubinde inculcat uer-
bum illud, Puta: ut intelligamus, iſta nõ eſſe accipienda niſi quod attinet ad noſtram cogitationem, & fidem. Nos enim in communicando nõ complectimur panem, & uinum ipſa per ſe, ſed potius quærimus res illas, quæ per efficacem ſi-
gnificationem cum illis coniunctæ ſunt. Atq; ita fatemur, quoad complexum fidei & panem, & uinum abire, ani-
mumq; noſtrum hærere tantùm in rebus ſignificatis, hoc eſt, in corpore, & ſanguine Chriſti, quæ nobis per illa ſym-
bola offeruntur. Ergo in his uerbis Chryſoſtomi, ut anno-
tatur in Octaua Regula, eſt tantùm negatio per cõparatio
nem. Non enim abſolutè negat, in Euchariſtia eſſe panem,
& uinum. Alioqui ſi aduerſarij uelint urgere uerba, ut pro-
bent panem, & uinum non eſſe in Euchariſtia, eadem opera

probare possunt, nec sacerdotem ibi esse, nec corpus Christi. Sic enim Chrysostomus scribit: Ne putetis, quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim ignem. Quòd si non accipimus corpus Christi ex manu hominis, certè corpus Christi non est in sacramento realiter, corporaliter, aut naturaliter: nec datur nobis à sacerdote, nisi forte uelint etiam sacerdotem transubstantiare.

GARDINERVS.

HIC *locus Chrysostomi insignis est: & præterquam quòd certissimam & uerissimam corporis Christi præsentiam in Eucharistia docet, ipsam etiam aperit transubstantiationem.*

MARTYR.

EX his uerbis iste noster putat, se posse tria colligere: primùm, substantiam ipsam corporis Christi adesse realiter in Eucharistia: deinde substantiam panis, & uini aboleri: postremò, sola retineri accidentia. Istud autem ultimum ex eo confirmat, quòd, nisi accidentia remanerent, fimbria illa regis, de qua Chrysostomus loquitur, nulla esset. Nam fimbriam esse externam speciem elementorum. Quæ, inquit, accidentia specierum uisibilium si quis contenderet non esse fimbriam Regis, sed uini, & panis accidentia naturalia, ut creaturæ sint fimbriæ, non creatoris, irruit in eum quadam sermonis uehementia os illud uereaureum, Num uides panem? num uinum? Quasi dicat, Ergo tu putas, adhuc ibi esse panem, & uinum, quasi substantia in illis adsit, quæ ad instar reliquorum ciborum digeratur? Absit, inquit, ut sic cogites. Nisi manerent, inquit Inconstantius accidētia, nulla esset Regis fimbria. Sed fimbriam Regis Chrysostomus appellat sacramenta. Vnde ergo colligit iste, ea esse accidentia? An enim fimbriæ uestium sunt accidentia? Annon illæ potius ex panno constant ornato suis accidentibus? Os illud aureum Chrysostomi, cum tam amplo sermone dixerit, substantiam panis consumi, certè dicere etiam potuisset, substantia panis amota, eius qualitates manere. Quod cum ille ne uno quidē uerbulo dixerit, quomodò credere possumus Inconstantio, fimbriam apud illum esse accidentia? Cur ergo, inquies, mentionem fecit fimbriæ? Dicam. Reges solent ferè in sublimi sedere solio, ut homines qui stent in inferiori loco, non possint ad corpus illorum pertingere. Itaq; cum propius accedere non possint, satis habent, si uel fimbriam ipsam Regiarum uestium possint summis digitis attrectare. Vnde Esaias cap. 6. Vidi, inquit, dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & fimbriæ eius implebant templum. Atq; huc mihi uidetur etiam Chrysostomus alluisse. Nos ergo, qui ad Regium ipsum corpus Christi sedentis in cœlo in sublimi solio ad dextram patris non possumus aut ore corporis nostri, aut manibus peruenire, fimbrias tamen eius, hoc est, sacramenta in Ecclesia, quæ eius est templum, habemus nobis propositas. Eaq; sacramenta & tractamus manibus, & recipimus ore corporis. Accidentia autem sine subiecto, nec diuinæ literæ, nec patres nos uspiam hactenus docuerunt. Chrysostomus autē hoc loco, in quo Incōstantius sese tam magnificè iactat, hoc portentum nunquam attigit.

Sed iste, cum obiecisset sibi, accidentia ista esse panis, & uini, non autem Christi, aut Regis, homo prudens, & callidus, quod uidebat se non posse diluere, tacitè præterijt. Quare, cum dicere non posset accidentia illa esse accidentia Christi, quid supereſt, nisi ut dicat, illa non Regis esse fimbrias, sed panis?

Verùm

Verùm hoc, inquit, Chryſoſtomus non patitur. Grauiter enim reprehendit eos, qui putarent panem eſſe in Euchariſtia. Atqui id non efficit, quò minus accidentia illa ſint fimbriæ panis: etſi non præſentis, ut uos fingitis, tamen ſaltem abſentis. Quod autem Chryſoſtomus quærit, num uides panem? num uinum? ſi uelis loquutionem illam eſſe propriam, affirmabo, & panem uideri, & uinum. Id probabo non tantùm ſenſuum teſtimonio, ſed etiam ſcripturarum. Nam ille in Euchariſtia & panem teſtantur eſſe, & uinum. Huc etiam addere poſſem magnum numerum patrum, & præſertim Auguſtinum. Is enim in Sermone ad Infantes, quemadmodum habetur in Collectaneis Bedæ, ita ſcribit: Quod ergo uidiſtis, panis eſt, & calix, quod etiam oculi ueſtri renuntiant: quod autem fides ueſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis. Idem in Sermone ad Neophytos, Accipite, inquit, in pane, quod pependit in cruce. Id autem quomodò accipi poteſt in pane, ſi panis non adſit? Chryſoſtomus quoque in Pſal. 22. Vt quotidiè, inquit, in ſimilitudinem corporis, & ſanguinis Chriſti panem & uinum ſecundum ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in ſacramento. Si panis & uinum oſtendũtur in ſacramento, certè adſunt. Idem in cap. 11. epiſt. prioris ad Cotinth. homi. 27. Chriſtus, inquit, & in pane, & in calice in meam commemorationem facite hoc dixit: & cap. 10. hom. 24. Quidnam eſt panis? Corpus Chriſti. Quidnam autem fiunt, qui accipiunt? Corpus Chriſti. Non multa, ſed unum corpus. Nam quemadmodum panis ex multis granis unitur, ut minimè grana appareant, &c. Ex his apparet, patres agnouiſſe panem in Euchariſtia: idq; ipſum etiam ſcribere, & fateri Chryſoſtomum. Hęc idcirco commemorare uolui, ne putemus, cum Chryſoſtomus dicat, panem, & uinum non uideri in myſterijs, ne id putemus ſimpliciter, & craſſè, ut uerba ſonant, eſſe accipiendum. Nam alioqui Chryſoſtomus cum Chryſoſtomo ex diametro pugnaret. Quomodò autem uerba illa Chryſoſtomi, quæ hic adducta ſunt, ſint intelligenda, ſatis explicatum eſt in Reſponſione.

Auguſtinus.

Auguſtinus.

Chryſoſtomus

Chryſoſtomus

Idem.

De altera autem illa ſimilitudine Chryſoſtomi de cera iſte noſter ita diſputat: Quod ſentit, inquit, ſimilitudine explicat, ita ſubſtantiam panis conſumi à corpore Chriſti, ſicut ab igne cera. Et hinc habent, qui dicunt, ſubſtantiam panis deſinere in corpus Chriſti, nec ſuperfluentem in igne, nec augentem ignem: quemadmodum etiam nec panis ſubſtantia auget corpus Chriſti, aut in eo ſuperfluit. Vnde patet, ſubſtantiam elementorum non manere: Chryſoſtomum uerò corporis Chriſti ſubſtantiam tam præſentem facere, ut eam pro igne intelligat, qui abſumat elementorũ ſubſtantiam. Myſteria, inquit, conſumũtur corporis ſubſtãtia. Atq; hoc ita fieri, antequã ſumamus illud, oſtendit, quòd fimbriam Regis dicat ea, quæ uidentur. Nam nec uerum obiectũ oculorum aufert Chryſoſtomus iſs uerbis: ſed quod obiecto colligeretur eſſe interioris naturæ, id eſt, ſubſtãtiæ, ſecundum quam eſt panis, & uinum: quæ ſubſtantia conſumitur corporis præſentia uelut ab igne cera. Vnde & myſteria dicuntur abſumi, eorum ſubſtantia iam abſumpta. Quicquid iſte huic ſimilitudini aſpergat mitigationis, & fuci, Chryſoſtomus ita loquitur, ceram ita conſumi ab igne, ut nihil ſubſtantiæ remaneat, & ex ea nihil ſuperfluat. Quibus uerbis apertiſsimè indicat, & ſubſtantiam conſumi, & accidentia. Prior enim illa pars periodi ad ſubſtantiã pertinet: altera uerò illa, Et nihil ſuperfluit, non aliud referre poteſt, quàm accidentia. Et certè quicquid iſte garriat, cerã coniectam in ignem uidemus ità prorſus conſumi, ut eius ne accidẽtia quidẽ ſuperſint, nec ullæ eius omnino fimbrię remaneãt: quas unde Incõſtantius nunc fingat ſupereſſe, nõ uideo. Ne illud quidẽ uerũ eſt, cerã coniectam in ignem non facere ignẽ illũ maiorem, & auctiorẽ. Nam & uires ad ignẽ addit, & flammã luculentiorẽ ſuſcitat. Adhæc, cũ Chryſoſtomus dicat, myſte-

ria consumi substãtia corporis, obsecro te, Inconstanti, expone mihi, quęnam illa uelis esse mysteria? Substantiã panis, opinor, nõ dices: eam enim in conficiendo mysterio extruditis, atq; consumitis. Substãtia erga panis non est mysteriũ. Illud enim ita conficitur, ut conseruetur, & maneat. Nam si periret, quomodò in cœna sacra possemus uti mysterio? Deinde substãtia illa panis, secũdum uos, quoad manet, non est consecrata: & idcircò nõ potest appellari mysteriũ. At si per mysteria intelligi uelis accidentia, quomodò tandẽ ea consumuntur? Nã ea uos ipsi dicitis remanere. Verbum illud, Puta, quo uidet fictiones istas suas uehementer
„ infirmare, ita conatus est emollire. Verbo, inquit, Puta, idcircò utitur, ut in hoc
„ sacramento æstimando putet fidelis, quid dictet fides, & ratio nostra inferior spi
„ ritui subseruiat, qui est ex fide. Atqui Chrysostomus non potuit uti hoc uerbo in hunc sensum. Reclamant enim & scripturæ, & patres, & ratio, & experiẽtia sensuum. Hæc enim omnia in sacramento agnoscunt panem. Et idcircò Chrysostomus uti uoluit eo uerbo, ut intelligeremus, non esse id re ipsa, quod alterius rei gratia fingitur. Nam hac dicendi forma, & ratione, cum uolumus rudiores instruere, sæpè utimur. Dicimus enim homini pauperi: Putato, te nunc esse diuitẽ; quid faceres? Dicimus homini priuato: Putato te esse principem: nónne eius æquabiliter diceres, & causas innocentium susciperes? Neq; tamen fallendi causa ita loquimur; imò multò potius, ut aliquem officij sui utiliter admoneamus.

Sed Inconstantius, ne cogatur etiam sacrificulum suum unà cum pane transubstantiare, uideamus, per quas rimas elabatur. Quoniam, inquit, corpus Chri-
„ sti sic præsens in sacramẽto sisti, & nobis ad manducandũ dari, opus est homine
„ ministro maius, etiam illud docet, adesse, uidelicet, qui hæc efficiat inuisibilem sa
„ cerdotẽ, & quę tam diuina sunt, diuino modo porrigere: cũ interim minister ho
„ mo suo munere uisibiliter fungatur; in quo æstimãdo tamen ut sensus habeamus
„ captiuos monet. Atq; hæc, inquit, sentit Chrysostomus, si candidè intelligatur.
„ Candorẽ quẽ requiris à nobis, ne transubstantietur sacerdos, cur nõ tu quoq; eundem exhibes, ne transubstãtietur panis & uinũ? Profectò non minus absurdum est, symbolorum substantiã aboleri, quàm ministri. Quemadmodum ergo ex eo, quòd Chrysostomus dicit, Ne putetis, uos accipere diuinũ corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim ignem forcipe, non statim colligis, non adesse ministrum hominem, qui fungatur suo munere; ita, quamuis idem dicat, Ne cogites te uidere panem, & uinum, non debes ex eo statim colligere, substantiam ipsam panis, & uini consumi, atq; aboleri. Illum potius putare debes ista dicere propter alia quædã, quæ maiora sint pane, ac uino, quæq; communicantes in sacra mensa debeant sibi ante oculos animi constituere. Hoc candore efficere potes, ne cogaris uel panẽ & uinũ, uel sacerdotẽ tuũ transubstãtiare. Quod autẽ addis, Corpus Christi dari mãducandũ, maius esse opus homine ministro: si id de sacramẽ-
„ to, quod porrigendũ sit, intelligas, nõ uideo, quàm sit uerũ. Tu enim ipse sic scri-
„ bis: Cum ipse minister homo suo munere uisibiliter fungatur. Hoc autẽ munus ego interpretor esse, porrigere mysteria. In mysteriis autẽ, ut uos dicitis, realiter, & substãtialiter latitat corpus Christi: Ergo sacerdos cũ porrigat manu sua mysteria, porrigit etiã corpus Christi. Nec facit opus quod ab homine fieri nequeat, cũ hominũ sit nõ angelorũ administrare sacramenta, nec unquã dubitauit quisquã à ministro Eucharistiã distribui, & porrigi. Quantò autem cõmodius hisce uerbis exprimitur sententia nostra? Scimus enim ministrum Ecclesiæ dare symbola; sed nisi Christus ipse fidei nostræ ac menti porrigat corpus suũ spiritualiter recipiendũ, nihil agitur. Et idcircò requirimus in cõmunione præsentiam diuinitatis eius, & spiritus: nã ea spiritualis corporis, & sanguinis Christi perceptio perfi-
„ citur. At si ita, inquit, uerbũ illud Puta intelligatur, sequetur, Chrysostomũ uoluisse

luisse populum suum seducere. Verùm istæ nugæ tantùm sunt. Chrysostomus enim id tantùm egit, ut animos suorum à rebus minus utilibus abduceret ad alia utiliora. Neq; enim Paulus fallere quenquam uoluit, cum scriberet, Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: cum tamen nescire non posset, nos & à malis hominibus perpetuò oppugnari, & à nostris ipsorum cupiditatibus. Neq; inducere nos uoluit in fraudem, cum ita scriberet, Non misit me Christus ad baptizandum, sed ad euangelizandum: quamuis sciret, etiam munus baptizandi, ad uocationem suam pertinere. Sed Sectarius, inquit Inconstantius, uult illud, Puta, dici quoad fidem: quasi quicquid sit, putet tamen: scilicet, ut fides innitatur mendacio. Nam dicit Sectarius de suis loquens, illos fide non complecti panem, & uinum. Demiror igitur, cur ea pro uerbis uisibilibus habeant, quæ dicant significatiua, & exhibitiua, si libeat uerborum pompa ludere. Imò cur tanti faciunt panem, & uinum, & eorum significationem, ut conquerantur, substantiam abesse, cum nunc, ut uidetur, substantiam ipsam unà cum accidentibus non admodum curent? quia non amplectuntur: ne quid impediantur, opinor, dum istam diluunt in Chrysostomo sententiam. Siquidem nunc haud cogitant panem, & uinum, sed animum habent in rebus significatis totum occupatum. Adeò significatio iacet: negligitur substantia cum ipsis accidẽtibus, cum auertitur Chrysostomus. Ego, Inconstanti, bilem istam, & sentinam stomachi tui relinquo, & ad rem ipsam potius accedo. Nostra fides non nititur mendacio, ut tu calumniaris, sed uerbo dei. Non enim docemus, non esse ea panem, & uinum, quæ in sacra cœna comedimus, & bibimus: sed postquam, & quid ea sint, & quid significent, intelleximus, fides nostra non amplius in illis hæret, sed ad res ipsas significatas transmittitur. Quæ nisi Inconstantius intelligat, oportet illum satis crassum esse Theologum. Tamen ne excusare possit tarditatem, expẽdat mihi hoc simile: Qui legit aliquid, attẽtè ab initio consideraat, ut quid illud, quod legit, significet, intelligat: quod postquam intellexit, animum aliquantulum auertit à libro, & rem ipsam cogitat, nec intelligentiam suam habet, ut anteà, defixam in literis. Ita pij se gerunt in sacramentis, ut ab illis animum, & mentem referant ad res significatas, & in illis acquiescant. Sacramenta autem esse uerba uisibilia, non nos primùm diximus. Id enim dixit ante nos Augustinus. Postquam autem uerba illa uisibilia, beneficio spiritus sancti, deduxerunt nos ad res ipsas, quid absurdi est, si fides nostra eò translata tota in rebus illis sit occupata? Nam panem, & uinum non fide complectimur, sed sensibus. Nihilò tamen minus, cum panem, & uinum, quatenùs quidem illa sacramenta sunt, magni facimus, eaq; non tantùm significatiua corporis, & sanguinis Christi, sed etiam exhibitiua dicimus, non utimur inani pompa uerborum, ut iste clamat, sed ut omnes boni uident, & sentiunt, uerissimè loquimur. Vt enim illa significant, sic etiam exhibent; atq; offerunt spiritui nostro corpus Christi. Neq; leuiter querimur, istos sua importunitate, & audacia auferre uelle substantiam panis ex Eucharistia. Id enim ipsorum inuentum tantùm est, contra uerbum dei. Nugatorium etiam est, quòd ait, nos nec substantiam ipsam, nec accidentia tanti facere. Habemus enim ea, quod ne ipse quidem negare potest, pro sacramentis institutis à Christo: & sine illis omninò negamus esse sacramentum. Tamen addimus, non esse ea, quæ in cœna potissimùm quærenda sint. Illa enim quasi pædagogia quadam deducunt nos ad corpus ipsum, & sanguinem domini. Ibi uersatur, & hæret fides nostra: & inde exugit spirituale alimentum. Rectè ergo dicit Inconstantius, animum nostrum totum occupatum esse in rebus significatis. Res enim significatæ tantò superant symbola, ut omnis nostra cogitatio meritò in illis solis sita esse debeat; nec tamen interim

aut ſubſtantiam elementorum, aut accidentia, aut ſignificationes uel negamus, uel contemnimus. Iam uerò de meis Regulis, quicquid iſte garriat, non tanti facio: ſuprà enim reſpondimus, quod pio Lectori futurum ſit ſatis.

„ Adhuc contendit, nihil aliud colligi poſſe ex illis uerbis Chryſoſtomi, quàm „ ſubſtantiam panis, & uini, in conficiendo ſacramento interire, & ſola remane„re accidentia: nec tamen ea cauſa ſequi, ſacerdotem quoq; tranſubſtantiari. Ra„tionem autem nullam affert, niſi, quòd Chryſoſtomus in priori clauſula loqua„tur ſine ulla comparatione: in poſteriori uerò comparationem adhibeat. Quid ſi nos hoc negemus, & contendamus, utrinq; rem per comparationem extenuari? Qua tandem probatione impediemur? aut iſti ſenſui noſtro quid obſtabit? Certè, ſi urgere uolumus illud ſimile de cera, neceſſe eſt, quicquid eſt in ſymbolis, ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidentium, totum tolli. Nec fimbria illa Regis huc quicquam ſpectat. Poſſunt quidem iſta utcunq; ambagibus circunduci, utcq; iſte loquitur, mangonizari, ſed ita ſplendida, & clara ſunt, ut figuræ, & tropi undiq; reluceant. Vtrinq; eſt uerbum illud, Puta, utrinq; cogitatio noſtra abducitur à uiſibilibus: utrinq; apponitur ſimilitudo, hinc de cera, illinc de Seraphim.

Sed Chryſoſtomo, inquit, non deerat facundia, qua exprimeret, quid uellet. Quid tum? Certè ille ne hoc quidē dicit, uel miniſtrum hominem non adeſſe, uel in combuſta cera accidentia remanere. At mentionē, inquit, facit fimbriæ. Eſto. Sed idem etiam mentionem facit Seraphim, quem putare debemus ſtare ad altare ſuppoſitū loco ſacerdotis. At per cōparationē, inquis, dicit iſta de miniſtro. Vnde tu potes hoc ſuſpicari? Certè Chryſoſtomus ſimpliciter hortatur cōmunicantes ne putent, ſe accipere corpus diuinum ab homine. Quòd ſi omninò uelis comparationem hic intelligi, cur eadem intelligi non poteſt in priori clauſula?

„ Non uult, inquis, Chryſoſtomus, miniſtrū non eſſe: ſed unū non eſſe totum in „ hac functione. Ita nos quoq; dicimus: Non uult Chryſoſtomus panē, & uinum nullo modo eſſe: ſed ea nec una eſſe, nec præcipua, quæ quærēda ſint in ſacro myſterio: imò ea tantùm cōcedere rebus ſignificatis ut ea præ illis quodāmodo nulla ſint. Si reſpondeas, ſimile illud de cera non poſſe ferre hāc expoſitionem, ego illud dico ad amplificandam cōparationem à Chryſoſtomo allatum eſſe. Et illi ſimili oppono id, quod ſecundo loco poſitum eſt de Seraphim: ut ſi nolis, ſimile illud propriè ſumi ex una parte, cogaris idem & dicere, & ſentire de altera.

„ Verùm, inquis, Chryſoſtomus nūquā potuiſſet ita ſtultè cogitare, ut putaret, „ in cœna peragenda miniſtrum nullū eſſe. Id ego quoq; libenter fateor: atq; hoc etiam addo, neminem, cuius iudiciū cum Chryſoſtomi iudicio conferri poſsit, unquā fore, qui iudicaturus ſit, ſubſtātiam panis, & uini neceſſariò tollendā eſſe ex Euchariſtia: & Inconſtantiū, eiusq; totum collegium ſycophantarum, cū ita ineptè cogitent, longè à ſenſu, & iudicio Chryſoſtomi diſſidere. Vtq; propius accedam ad rem ipſam, addo, id, quod dicitur, ſacramentum nunc dari, & porrigi nobis manu Chriſti, ſi propriè accipiatur, falſum eſſe, neq; ſine allegoria, aut hyperbole, aut tropo aliquo poſſe recipi. Atq; eadem iſta ratione poſſem dicere, non eſſe nos, qui comedamus corpus Chriſti: ſed Chriſtum ipſum in nobis comedere corpus ſuum: Chryſoſtomum autem, cum iſta tam ridicula cogitare non potuerit, idcircò nullam unquam feciſſe mentionem de tranſubſtantiatione, aut de accidentium ſine ſubiecto retentione. Sed non loquutus eſt, inquit „ iſte, omninò ſimiliter, & iiſdem uerbis de miniſtro, & de ſymbolis. Nimirùm, quia non erat hominis eloquentis ſemper omnia dicere eodem modo. Satis eſt nobis, ſi idem dicatur, etſi non dicatur iiſdem etiam uerbis. Poſtremò etiam moneo te, Lector, Reſponſionem illam, qua ego ſuprà uſus ſum, quam Inconſtantius pro ſua ſimplicitate ne dicam, an diligentia, accommodauit ad locum

Non eſt uerū, ſi propriè loquamur, ſacramentum nobis porrigi manu Chriſti.

Cyr illi

Cyrilli, ſpectaſſe ad hunc locum Chryſoſtomi. Ibi autem iſte excepit me effuſiſſimis cachinnis, & ſcommatis, qui dixerim, ceram in igne prorſus interire. Id autem nunc repeto, ne, cum ſuprà hanc fraudem patefacerem, me finxiſſe aliquid, aut luſiſſe exiſtimes.

ARGVMENTVM GARDINERI EX eadem homília Chryſoſtomi.

HAEC *ego dixerim ad eos, qui ſanctorum communionem, & congregationem relinquunt: & ſub horam terribilis myſticæ menſæ in uaniloquentiæ conuenticulis occupati ſunt, Quid facis homo? Non promiſiſti ei, qui dixit, Surſum corda, & mentem? & dixiſti, Habemus ad dominũ? Non reuereris, & erubeſcis, & illa ipſa hora mendax inueniris? Papè, Menſa myſterijs inſtructa eſt: & Agnus dei pro te immolatur, ſacerdos pro te angitur, ſanguis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, Seraphim aſtant ſex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ uirtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt: Et non erubeſcis? Neq; deum tibi propitium facis?*

SOLVTIO.

HIS uerbis Chryſoſtomus conatur omnibus modis animos communicantium à ſymbolis externis, & craſsioribus auocare ad res diuinas, & ſpirituales, & cœleſtes cogitandas. Quodq; dicit, in cratere eſſe ſanguinem hauſtum è latere domini, non poteſt ullo modo κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi. Hodiè enim nec apertum eſt latus Chriſti, nec ex illo ſanguis defluit. Quiuis ergo uidere poteſt, hæc omnia dicta eſſe per hyperbolen ad excitandos animos noſtros in cœlum: ut ibi per fidem bibamus ſanguinem Chriſti ſpiritualiter.

GARDINERVS.

PRIMVM *ex hoc loco Chryſoſtomi conſtat illa uerba, Surſum corda, non eo ſenſu dici ſolere, ut mentes aſtantium auocent à ſymbolis: quod noto propter id, quòd in octaua huius Sectarij Regula de horum uerborum ſenſu aliter diuinatur.*

MARTYR.

IN ſexta mea Regula, cum de ſolennibus illis, & uſitatis uerbis in Eccleſia, Surſum corda, mentionem facerem, non citaui ſententiam Chryſoſtomi: ſed tantùm ex me ipſo dixi, homines hiſce uocibus admoneri, ut animos à ſymbolis ad res ipſas ſignificatas ſurſum in cœlum auferant. Neq; cum illa mea ſententia dictum iſtud Chryſoſtomi, quod quidem ego uideam, quicquam pugnat. Is enim ex illis iiſdem uerbis, Surſum corda, eos coarguit, qui, tãtum aberat, ut animam à ſymbolis abducerent ad res cœleſtes, ut etiam illa ipſa hora communionis, qua debebant cum alijs percipere ſacramentum corporis Chriſti, ſeſe ſubducerent à ſacro cœtu, & in uaniloquentiæ conuenticulis occuparentur. Multò autem grauius peccant illi, qui ita affixi ſunt ſignis uiſibilibus, ut ne cogitent quidem unquam de rebus ſignificatis. Hæc tamen non efficiunt, quò minus illa uerba ſolennia pronuntientur in illum finem, qui à me attingitur in ſexta Regula.

„ Huc addit Inconſtantius, Chryſoſtomum dicere, Agnum dei illa hora immo
„ lari: & in ipſa menſa proponi ſanctificata myſteria, ut nobis ex illis ſignificetur
„ uera præſentia corporis. Primùm reſpondeo, Chryſoſtomum ne apicem quidem unum habere de uera corporis præſentia: ſed hoc totum iſtum noſtrũ ſumma liberalitate affinxiſſe de ſuo. Deinde oro Sophiſtam tam acutũ, ut hoc mihi expediat, quomodò menſa poſsit inſtructa eſſe myſteriis, cum Chryſoſtomus ſuprà dicat, myſteria conſumpta eſſe præſentia corporis. Nam, quod ita prorſus conſumptum eſt, ut eius ſubſtantiæ pars nulla ſuperſit, quomodò tandem poteſt proponi? aut quomodò ex eo poteſt inſtrui, & ornari menſa? De immolatione autem ita reſpondeo, Idcircò Agnum dei dici pro nobis immolari, cum cœna domini celebratur, quòd in ea memoria eius immolationis renouetur, & de ea agantur gratiæ. Fateor equidem, quod iſte dicit, Chryſoſtomum ibi auocare populum à terrenis cogitationibus, & à uaniloquentia, & à conuenticulis, & illis obiicere, quod anteà promiſerint, & reſponderint, Habemus ad dominum. Atq; hoc etiam addo, ſanctum illum uirum, ut populum facilius ab illis cogitationibus, & ſtudiis remoueret, res ipſas, quę in ſymbolis repræſentantur, per amplificationem uehementius commendaſſe: idq; illum rectè, atq; ordine feciſſe: præſertim cum ſacramenta, quicquid habent dignitatis, id uniuerſum habeant à rebus ſignificatis.

„ Dolet autem Inconſtantio, me ſanctas iſtas Chryſoſtomi metaphoras, quas
„ ille adhibuerit ad exprimendam ueram præſentiam corporis Chriſti, appellare
„ hyperbolas, idq;, ut ait, per inuidiam. Illis enim, inquit, uir tantus nunquam
„ fuiſſet uſus, niſi de myſteriis ſublimius ſenſiſſet, & ueram corporis Chriſti præ-
„ ſentiam fide nouiſſet, & populum ex uerbis Chriſti ita credere cenſuiſſet. Nos tropos illos Chryſoſtomi, cum perſpicuę rei ipſius fidem, & ueritatem ſuperent, ſine ulla iniuria retulimus ad hyperbolem. Sanguis enim, inquit Chryſoſtomus, ſpiritualis ex ſacra menſa reſluit. Certè ſi ſanguis Chriſti re ipſa, uti dicitur, ex menſa reflueret, non tam ſui præſentiam teſtaretur, quàm inſignem miniſtrorum negligentiam. Chryſoſtomus tamen in hac ſua hyperbole ueritatem ſatis expreſſè indicauit. Sanguinem enim illum appellauit ſpiritualem: nimirùm, quòd communicantes illum ſpiritualiter amplectantur. Neq; uerum eſt, quod ait, liquorem illum, quem bibimus in ſacra menſa propriè hauriri è latere domini. Nam ſi haberetur in calice ſanguis Chriſti ex eius latere hauſtus, extra uenas, quî poſſetis ueſtrum ſacrificium dicere incruentum? cruenta enim ſunt quæ cruore aſperguntur, uel cruorem ſecum habent coniunctum. Hyperbolicum etiam illud eſt, quod alibi ſcribit, os noſtrum, & linguam ſanguine domini tingi, ac rubefieri: & dentes noſtros infigi in carnem Chriſti. Hæc, Inconſtanti, quî dicit eſſe hyperbolica, non mentitur, nec Chryſoſtomo conflatinuidiam. Senſit ille quidem magnificè de ſacris myſteriis: nos etiam de illis, pro eo ac debemus, magnificè ſentimus. Sed ſenſus noſtros arbitramur continendos eſſe intra ſuos fines: hoc eſt, ne putemus, ſymbola ſubſtantialiter, & realiter conuerti in res ipſas. Nec uos ſatis iuſtè poteſtis ex illis, quæ à patribus per tropos, & hyperbolas amplificata ſint, argumenta ducere, quibus portenta illa ueſtra de tranſubſtantiatione, & reali præſentia confirmetis. Non ſenſit Chryſoſtomus, ſacramenta nihil eſſe aliud, quàm figuram. Neq; nos id unquam aut docuimus, aut ſenſimus: quamuis ab iſto tam craſſo, & inuidioſo, & ſibi tam probè noto mendacio Inconſtantius nunquam poſsit abſtinere.

ARGVM.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Chrysostomo in Matthæum homil. 82.

QVOT *modò dicunt, Vellem formam, & speciem eius, uellem uestimenta ipsa, uel lem calceamenta uidere. Ipsum igitur uides: ipsum tangis: ipsum comedis. Vestimenta eius desyderas uidere: ipse uerò se ipsum tibi tradidit: non ut uideas solùm, uerùm etiam ut tangas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat.*

SOLVTIO.

HIC uidemus Chrysostomum, quod in prima regula notauimus, attribuere id rei sacramenti, quod est symbolorum: nimirum, corpus Christi uideri, & tangi: quod non potest uerè intelligi, nisi de symbolis.

GARDINERVS.

EXPLICAT *primùm Chrysostomus piorum affectus, si non ipsum Christum, aliquid saltem, quod eius sit, uidendi auidos.*

MARTYR.

OPortet hoc loco incredibilem fuisse stuporem Inconstantij. Omninò enim contendit, corpus Christi, non tantùm haberi à nobis, sed etiam re ipsa uideri, & tangi: & Chrysostomum Gradatione usum esse ad rem amplificandam: quòd amplius quiddam sit tangere, quàm uidere. Hæc, inquit, Gradatio ad externas elementorum species relata insulsa esset, & frigida. Quid enim magni est, uidere panem, tangere panem, comedere panem? Panis autem, inquit, nullus est alius usus æstimatione dignus, nisi ut tangatur dente, non tantùm manu. Agnosco Gradationem illam, & Amplificationem Chrysostomi: & fateor, plus esse, tangere, quàm uidere. Ista autem frigida & insulsa esse, si ad externas species elementorum referantur, omninò pernego. Quamuis enim magnum non sit simplicem tangere, & uidere panem, talem tamen panem tangere, & uidere, præclarum est. Ita enim uidere, & contingere hominem quemlibet unum è populo, magnum non est, imò etiam sæpè molestum est: at Regem, aut Imperatorem uidere, & contingere, & cum eo posse colloqui, magnum est. Et sanè uulgaris, & profani panis nullus est alius usus aliqua æstimatione dignus, nisi ut uescendo conficiatur dentibus. Illius autem panis, qui iam factus sit sacramentum, longè alius usus est dum in sacra cœna editur, nimirùm, ut sit uisibile uerbũ dei, & instrumentum spiritus sancti. Respondè mihi hic, Inconstanti, si potes: quis usus olim fuerit panum illorũ, quos appellabant propositionis? Certè nihil aliud erant, quàm panes: & tamen dicebantur sanctũ sanctorũ. Possem idem quærere de alijs panibus, qui illo tẽpore offerebantur ad altare dei. Nemini enim illis panibus uescí fas erat, nisi mundo: & grauissimũ supplicíũ, excidíũ, uidelicet, animæ constituebatur illi, qui eos comedisset immũdus. Et credibile est, Achimelechũ pontificẽ, cũ panes propositionis ita cunctanter Dauidi traderet, multò plus uidisse tum in illis, quàm Inconstantius hodiè uidere uelit in pane Eucharistico.

Sed ad illud uenio, quod iste ab initio huius confutationis suæ dixit, Christum, uidelicet, à fidelibus in cœna uideri, & tangi, idq; uerè, ac propriè. Id certè non tantùm patres, sed etiam omnes Scholastici ad unum negant. Scholastici enim, uel, ut uerius dicam, potius Sophistæ, docent, corpus Christi esse in sacramento inuisibile. Iam uerò, quàm consentaneum sit rem inuisibilem uiin

deri, deliberet Inconstantius cum suis Theologis. Ex patribus autem etsi multos possim in hāc rem citare testes, tamen hoc tempore contentus ero uno Chry
Chrysostomus sostomo. Is in Matthæum hom. 83. ita scribit: Hoc est corpus meum: nulla te»
» neamur ambiguitate: sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil
» enim sensibile traditum nobis à Christo: sed in rebus sensibilibus omnia, quæ tra
» didit, insensibilia sunt. Sicut in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, do»
» num illud conceditur: quod autem in ea conficitur regeneratio, scilicet, & reno»
» uatio, intelligibile quidem est. Hic Chrysostomus coniungit Eucharistiam cum Baptismo: & in utroq; sacramento docet, per symbola sensibilia dari res insensibiles: nimirùm corpus Christi, & regenerationem. Cum autem Chrysostomus dicat, utrunq; horum esse insensibile, quomodò potest idem dicere, corpus Christi à nobis uerè ac propriè tangi & uideri? Nam quæ uidentur, & tanguntur, ea profectò sunt sensibilia. Neq; enim ea propriè dici possunt uideri, aut tangi, de quibus per illos sensus nihil possimus iudicare. Patres autem ubiq; ferè dicunt, uisum, gustum, olfactum, & tactum nihil nobis aliud in sacramento renuntiare, quàm panem & uinum. Quod certè illi dicerè uerè non potuissent, si in eo uideri, & tangi posset corpus Christi. Necesse est ergo, ut Inconstantius fateatur, Chrysostomum id, quod erat symbolorum, tribuisse rei significatæ.

» At quomodò, inquit, potest hic sentiri panis & uinum, cum Chrysostomus
» dicat, symbola consumpta esse substantia corporis Christi, nec amplius superes»
» se panem, aut uinum, quæ uideri, aut tangi possint? Iam suprà respondimus, quemadmodum Chrysostomus senserit ea consumi, idq; non tantùm quòd ad substantiam attinet, sed etiam quod ad accidentia: quemadmodum uidemus euenire in cera coniecta in ignem: quo ille simili usus est. Hanc autem responsionem si iste nolit recipere, expediat ipse, quomodò corpus Christi uideri possit, & tangi, cum idem Chrysostomus dicat, Christum, quod ad rem sacramenti attinet, nihil instituisse sensibile. Imò Inconstantius ipse alibi non semel dixit, accidentia tantùm esse, quæ uideantur, gustentur, tangantur, frangantur. Hic uerò sui oblitus ipsum Christi corpus & uideri & tangi propriè affirmat. Quod autem hic repetit de fimbrijs, cum & ridiculum sit, & suprà satis copiosè refutatum, non uideo cur debeam de eo plura dicere.

ARGVMENTVM CHRYSOSTOMI EX eadem homilia Chrysostomi.

NON sufficit ipsi hominem fieri, flagellari, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit: neq; id fide solùm, sed re ipsa nos corpus suum efficit. Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat? Os, quod igne impletur spirituali lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat in mentem tibi quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea nanq; re nos alimur, quam Angeli uidentes tremunt, nec absq; pauore, propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt: & nos in unam cum illo massam reducimur. Et, in Iohannem idem ait: Vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare uellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant, Quis daret nobis, ut eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, ut maiori nos charitate astringeret, & suum in nobis ostenderet desiderium: non se tantùm uideri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.

SOLVTIO.

SOLVTIO.

SI ita est, nos tam arctè coniungi cum Christo, ut non solũ fide & dilectione, sed etiam re ipsa misceamur cum eius corpore, & tamen non transubstantiemur in ipsum, quid oportet panem transubstantiari, ut efficiatur corpus Christi? Præterea etiamsi statuamus, corpus Christi comedi à nobis per solam fidem, tamen ad illam ipsam participationem, quam habemus per fidem, sequitur non ficta, sed uera, & certa coniunctio inter nos, & Christum. Ita enim fit, non solùm ut animus noster illi uniatur, sed etiã, ut caro nostra ex eo habeat instaurationem, utq; nos uerè efficiamur membra Christi, & ex illo capite perpetuò spiritum, & uitã hauriamus. Atq; hoc illud est, quod Chrysostomus ait, nos re ipsa coniungi cum Christo, & eius impleri carnibus, & eius carni dentes nostros infigere. Figurata est loquutio, qua, quod est symbolorum, attribuitur rei significatæ. Nam alioqui dens noster non pertingit ad substantiam corporis Christi, sed tantùm ad panem, & ad externa symbola.

GARDINERVS.

QVOD *Cyrillus carnis Christi, & nostræ unionem explicans dicit, tanquam ex ceris liquefactis unum fieri, Chrysostomus ita explicat, Redigi nos cum Christo in unam massam: non solùm fide, inquit, sed etiam re.*

MARTYR.

EX illo simili Cyrilli, de duabus ceris, quę per liquefactionem in unũ coeunt, & ex eo, quod Chrysostomus ait, nos cum Christo redigi in unam massam, idq; non solùm fide, sed etiam re, quodq; idem addit, Christum per cibum communicare nobis carnem suam, & se ipsum nobis per corpus suum commiscere, quodq; ait, seruos apud Iobum dicere, Quis nobis det, ut eius carnibus impleamur, iste concludit, Chrysostomũ sentire ueram corporis Christi præsentiam exhiberi nobis in sacramento. Ego uerò respondeo, Primùm simile illud Cyrilli de duabus ceris ualdè esse hyperbolicum. Corpus enim Christi glorioſum liquefieri non potest, neq; per coniunctionem, ut loquuntur, indiuidualem in omnes Communicantes distribui. Imò ne nostra quidem corpora liquefiunt ad eũ modum, quem uerba illa Cyrilli præ se ferunt. Necesse ergo omninò est fateri, utrinq; esse loquutionem metaphoricam: qua significetur arctissima quædam coniunctio carnis nostræ cum carne Christi. Quemadmodum autem id non fide, & dilectione fiat, sed etiam re ipsa, proposita responsio satis declarat. Atque ista Communicatio dupliciter dici potest fieri per cibum: uel quòd Christus spiritualem perceptionem carnis suæ appellauit manducationem: uel, quòd ea in sacra Cœna per sacramentalem cibum, tanquam per instrumentum spiritus sancti subministratur. Quod autem additur, Christum se nobis commiscere per corpus suum, id ita debet intelligi, ut cogitemus, quicquid nobis est commercij cum filio dei, illud omne non alio pacto nobis contingere, quàm per carnem

Christi, quatenùs credimus, eam nostra causa suffixam fuisse in crucẽ. Nos enim cum Christo, tanquam cum capite nostro copulari, testantur beneficia illa, quæ ad nos per eius humanitatem deriuantur. Locus etiam ille Iobi, etsi à Chrysostomo in longè alienum sensum usurpetur, nihil tamen nostræ sententiæ aduersatur: modò communicatio ista, & repletio, non naturalis, sed spiritualis intelligatur. Hæc ergo, quæ Inconstantius coaceruauit ex Chrysostomo, neq; ipsius causam quicquam iuuant, neq; nostram premunt. Quod aũt nos quærimus, quid panẽ oporteat transubstantiari, cũ nos ipsi absq; ulla Transubstantiatione efficiamur re ipsa corpus Christi, & cũ eo misceamur, id iste non à se, sed à deo authore operis quærendũ ait. At ego respondeo, nihil esse, quod deũ de his rebus interrogemus: ille enim horũ portentorũ non est author. Te potius, tuosq;, Inconstanti, qui ista peperistis, et finxistis de uestro, & posteà inauspicatissimũ fœtũ dei nomini suppositistis, oportet de uestris ineptijs respondere. Sed tu te dicis ad ista aliâs respõdisse. Rectè. Et ego me memini illa tua respõsa aliâs satis copiosè refutasse. Quare, si nihil habeas noui, quod adferas, quæstioni nostræ succumbis, nec re potes ullo modo explicare. Verùm addit, omnem responsionem nostrã ad hanc
„ redire summam, nullam aliam esse coniunctionem inter nos & Christum, quàm
„ fidei. Chrysostomum autem coniunctionem illam, quę re ipsa fiat, à cõiunctione
„ fidei longè diuersam facere. Respõdeo, Chrysostomum coniunctionem nostrã,
„ quam habemus cum Christo, rectè distinguere: nec nos eam, quæ duplex sit, unã facere. Et certè Christum nobiscum primùm fide coniungi, & charitate, nulla ratione negari potest. Paulus enim ait, Christum habitare in cordibus nostris per fidem: & Iohannes, deum manere in nobis per charitatem. Sed huc accedit alia etiam cõiunctio: ut & animus, & corpus nostrum, quemadmodum in Solutione responsum est, à Christo, tanquam à capite, & instaurationem suam, & gratiam, & alia dona multiplicia percipiat, nosq; ipsi, cum ex eo spiritum, & uitam cœlestem hauriamus, uerè efficiamur membra Christi. Atq; hæc posterior cõiunctio priorem necessariò sequitur. Atqui Inconstantius prorsus decreuit nolle ullis rationibus acquiescere, nisi quo iure, quáue iniuria obtineat, carnem Christi realiter, & substantialiter conflari, & commisceri cum carne nostra. Id autem ego uicissim testor, nullo modo dari posse, nisi uelimus carnem domini per innumerabiles homines, & loca infinita diffundi, & corruptioni, immunditiæ, infirmitati, & morti deniq; subijci. Chrysostomus uerò nihil sibi aliud uoluit, quàm ne priori illa cõiunctione, quam habemus per fidem, rem omnem prorsus perfectam esse existimemus: sed potius, ut ad illam alteram, quæ efficitur, & pendet ex priori, respiciamus. Insaniat Inconstantius, quantum uelit: nihil amplius potest è scripturis, & fidei Regulis extorquere.

Christus quomodò coniungatur nobiscum.

Cyrillus.

Posteà citat Cyrillum ex libro 10. cap. 13. in Iohan. Is ait, nos coniungi cum
„ Christo habitudine uirtutum. Id ego ut non inficior, ita etiam addo, huiusmodi coniunctionem, quæ ad instaurationem pertineat, sequi priorem: illam uerò nos adipisci per fidem, non quidem quatenùs fides uirtus est, sed quatenùs Christus per eam à nobis comprehensus nos totos instaurat. Chrysostomus autem ita scripsit, ut ostẽderet, cogitationem illam, quam habemus ex fide de corpore Christi pro nobis in crucem tradito, non esse absolutam, & summã nostram coniunctionem cum eo: sed aliam quandam coniunctionem arctiorem sequi, propter illa, quæ Christus ita fide apprehensus in nobis efficiat. Corpus autem Christi cum nostro corpore penitùs coniungi, & commisceri, quemadmodum intelligẽdum sit, sæpè iam diximus: nimirùm, conditiones, & qualitates corporis Christi redundare in nostra corpora, ut iam eandem carnem cum Christo communem habeamus. Nam, quòd attinet ad speciem, & naturam humanã, anteà cum eo coniungebamur

gebamur per physicam nascendi rationem. Posteà autem magis etiam illi efficimur similes uirtutibus, & dotibus spiritualibus per nouam instaurationem. Atq; ita aliquo modo dici possumus cum Christi corpore commisceri.

Posteà Inconstantius noster ad παρεργα quædam, & aliena uoluit excurrere, quasi nos dicamus, post adeptam regenerationem, & coniunctionem cum Christo, quam habemus per Baptismum, nihil alia noua cõiunctione opus esse, & idcirco frustrà institutum esse sacramentum Eucharistiæ. Atqui nos Cœnam domini & pluris facimus, & sæpius frequentamus, quàm omnes Papistę solent. Scimus enim, dona illa, quæ anteà habuimus, istis exercitijs fidei & cõfirmari in nobis, & augeri. Addit iste, hac alimonia spirituali corpus ali corpore. Hic ego scire uelim, si hæc alimonia est spiritualis, quid iste dicat, corpus ali corpore. Nã cibus ille corporeus, quo aluntur corpora, certè non est spiritualis. Ad extremum, fatetur, uerũ esse, quod dicimus, Loquutiones illas Chrysostomi, Impleri carnibus Christi, & dentes in eius carnem infigi, figuratas esse: sed non nisi homini animali; nam eas homini spirituali esse proprias, et significare proprietatem mysterij. Verùm hoc ego à tam acuto Sophista expectabã, ut exponeret nobis, quónam tandem modo dentes nostri propriè, ac uerè infigantur in carnem Christi. Non enim satis erat hoc dixisse: explicasse etiam id oportuit. Sed ignoscendũ est Inconstantio. Homo enim simplex facere noluit, quod uideret nõ posse fieri. Quàm autem illud firmum sit, quod ait, Eandem loquutionem & figuratã esse, & propriam, suprà ostendimus.

GARDINERI ARGVMENTVM EX eodem Chrysostomo ad Neophytos.

ET aliam mihi deus ultrà tutelam donauit armorum. Quid illud? Mensam præparauit, ut cibum satietatis ostenderet: ut post epularum refectionem inimicum possim robustius superare. Cum enim te egredientem post conuiuium Dominicum uiderit inimicus, post cælestes epulas tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deserit omni uento uelocior: nec approximare contendit, & quum cruentam linguam tuam de longè ille crudelis perspexerit, mihi crede, non stabit: &, cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retrò cum timore torquebit.

SOLVTIO.

QVIS non uideat, hic esse hyperbolen, cum dicat, os rutilare, & linguam cruentam esse? Ne ergo cauilleris, cruorem intelligi inuisibilem, quo unà cum uino, aut accidẽtibus uini lingua nostra cruentetur.

GARDINERVS.

QVOD *Sectarius dicit hyperbolen, uehementia est sermonis, ex rei, quæ uerè adest, magnitudine nata: quæ nisi subesset uerè, eloquentia ridicula uideretur.*

MARTYR.

OMninò contendit, uerba illa Chrysostomi propria esse, nullo autem modo hyperbolica. Vehementia, inquit, sermonis est, ex rei, quæ uerè adest, magnitudine nata. Est quidem ea, Inconstanti, sermonis uehementia: sed quæ rei ueritatem longè superet. An enim ora ipsa Communicantium propriè rubent? An eorum linguæ uerè cruentantur? An ita prorsus furis, ut uelis ista defendere esse

„ propria? At, nisi res ipsa, inquis, adfuisset, eloquentia illa fuisset ridicula. Imò ridicula non erat, uel eo nomine, quòd exprimeret magnitudinem eximij sacramẽti. Quid, obsecrò te, uerè aderat in sacrificijs ueterum? Tamen deus ait se in illis odorari odorem suauitatis. Verùm huic homini nihil est in sacramento magnum, nisi ibi corpus Christi deliteſcat concluſum ſub accidentibus. Proprijs, „ inquit, uerbis dicit, Cœlestes epulas in mensa proponi. Audio, & fateor. Sũt Cœlestes epulæ. An idcircò statim necesse est, ibi adesse substãtialiter, & realiter corpus Christi? Certè Manna etiam dicebatur panis cœlestis, & panis angelorum. Et in Baptismo res nobis haud dubiè cœlestes dantur: & ita dãtur, ut, qui tingũtur, Christum ipsum induãt. An ea causa dicemus corpus Christi realiter, & substantialiter aut nunc esse in Baptismo, aut olim fuisse in Manna? Si illæ epulæ, quemadmodum Chrysostomus loquitur, sunt tutela animorum, quomodò sunt corpus, quo alatur corpus nostrum? Inconstantius enim paulò suprà ita scripsit: Et, quod corpore comedimus, corpus tuetur, & confirmat, non animum.

„ Deinde addit, Chrysostomum persequi allegoriam. Hic ego de isto quæro, sermo allegoricus propriúsne sit, an figuratus? Proprius quidẽ non est, cum allegoria inter figuras censeatur. At si est figuratus, cur iste reijcit hyperbolem, præsertim cum hæc eiusmodi sit allegoria, quæ rei ueritatem superet, & id, quod re ipsa non sit, enuntiet? Ora enim Cõmunicantium, eorum maximè, qui ægrotẽt, pallent, non rubent. Libenter recipio similitudinẽ, quam adducit ex epistola ad Galatas: ubi Paulus ait, Christũ depictum fuisse ante oculos Galatarũ, & in illorum conspectu fuisse crucifixũ: qua de re, cum multa suprà dixerim, hic nihil repeto. Ex illa tamen interpretatione sic cõcludo, Quemadmodũ Christus re uera non crucifigebatur ante oculos Galatarum, quamuis ita depictus fuerit, quasi re ipsa, & corã fuerit crucifixus: ita Chrysostomus ait, Sanguinem Christi ita communicari in sacra Cœna, quasi adsit realiter, & dentibus, atq; ore recipiatur, & illas partes corporis nostri cruentet: quãuis eius sanguis re ipsa non adsit substantialiter, nec uerè, aut propriè tingat ora communicantium. Neq; tamen uel ista à „ Chrysostomo, uel illa à Paulo uanè, atq; inutiliter dicebantur. Verùm ista, quæ „ Chrysostomus cõmemorat, ait dæmoni internè relucere. Atqui ea, quæ re uera non sunt, non possunt nec homini, nec dæmoni relucere. Quòd si ista falsò appareant, iam loquutiones illæ, os rutilare, & linguã rubere, non erunt propriæ: nisi affirmare uelis omnia re uera esse crocea, quod homini icterico ita uideantur. Omninò ergo Inconstantius cogitur in his uerbis agnoscere orationẽ figuratã. Postremò concludit, non quidem quod ratio, sed q̃d pertinacia dictauerat, Chrysostomũ non ita fuisse scripturũ, nisi persuasam habuisset ueram, realem, & certã præsentiam corporis Christi. Imò, Inconstanti, quæ argumentis probare, & persuadere uolumus, ea non solemus per tropos efferre, aut hyperbolas.

ARGVMENTVM GARDINERI EX eodem Chrysostomo De proditione Iudæ.

ET nunc ille præstò est Christus, qui illam ornauit mensam: ipse istam quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita in Consecratione mensæ domini corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille, qui crucifixus pro nobis est, Christus. Sacerdotis ore uerba proferuntur: & dei uirtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus meum. Hoc uerbo proposita consecrãtur. Et sicut illa uox, quæ dixit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita uox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usq; ad hodiernum diem, & usq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

SO-

SOLVTIO.

HIC locus, si bene consideretur, & conferatur cum alijs, apparebit, Chrysostomum nihil minus sensisse, quàm corpus Christi esse naturaliter, & corporaliter in pane. Nam eo modo tantùm in cœlo est. Nos autem mentibus nostris per fidem ascendimus in cœlum, & ibi illum comedimus. Sacramentaliter tamen, tanquam in signo & figura, corpus & sanguis Christi sunt in pane & uino: quemadmodum etiam in aqua Baptismi. In illis autem, qui ritè recipiunt panem & uinum Eucharistiæ, corpus Christi est in multò maiori perfectione, quàm si adesset in illis corporaliter: nam ita illis nihil prodesset. Cum autem sit in illis spiritualiter per diuinam potẽtiam, dat illis uitam æternam. Et, quemadmodum per uerbum eius omnia creata sunt, & uirtute, ac ui illorum uerborum, Crescite, & multiplicamini, hucusq; omnia generantur, & crescunt: ita uirtute horum uerborum, Edite, Hoc est corpus meum; Bibite, Hic est sanguis meus, non autẽ uirtute, aut ui ullius hominis, panis et uinum sunt eo modo consecrata, ut, quicũq; cum uiua fide illum panem comederit, & illud uinum biberit, spiritualiter manducet & bibat Christum sedentem cum patre. Hic est sensus uerus, & germanus uerborum illorum Chrysostomi.

GARDINERVS.

HIC *habemus ex Chrysostomo, uerba Consecrationis esse hæc, Hoc est corpus meũ: sed Christum adesse, qui uirtutem addat, & gratiam: ut quod semel ab eo dictum est, semper intelligatur, & sit ab eo dictum, dum facimus, quod Christus iussit fieri.*

MARTYR.

SI ista sunt uerba Cõsecrationis, quemadmodũ Chrysostomus uidetur dicere, & iste noster annotauit, cur ausi sunt Papistæ uoculã illã, Enim, interponere, & ex oratione quadriuerbia quinqueuerbiã facere? cur ne Cyprianus, uti superius ostendi, aliter illa producit? Certè nec ex Matthæo, nec ex Marco, nec ex Luca, nec ex Paulo, nec etiã ex Chrysostomo suũ illud, Enim, habere potuerũt. Sed apparet, istos ne Consecrationẽ quidem sacramenti aliqua sua traditiuncula carere uoluisse. Deinde Chrysostomus, cũ dicat, Verba sacerdotis ore proferunt, dei aũt uirtute consecrantur, & gratia, perspicuè docet, Sacramentũ non fieri ui, atq; efficacia illorum uerborũ: illud enim fieri gratia, & uirtute dei: etsi etiam uerba illa diuina ex domini instituto admisceantur. Et sanè Christum ipsum adesse, & sacramento uim, & gratiam Cõmunicantibus suppeditare, nos nunquam negauimus. Adest enim diuinitate sua, ac spiritu: idq; ad conficiendum sacramentum arbitramur esse satis.

Sacramentum propriè non fit ui & efficacia uerborum.

Verũ ex hisce uerbis Sophista putat, se reperisse causam, cur Chrysostomus, suprà dixerit: Ne putemus nos accipere corpus ab homine, sed à deo, quòd hoc illius sit opus, etiamsi id homo minister uisibiliter exequatur. Quòd si hæc ratio,

satis firma sit, nõ uideo, cur non illa in nostra quoq; causa ualere debeat: ut putemus, panẽ & uinũ non adesse, non quòd re uera non adsint, sed quòd non sit illarum rerũ opus, quòd nos alamur ad uitam æternã. Illa enim ingrediuntur in corpus nostrum, & corpus alunt. Illud aũt uerè præstant corpus, & sanguis Christi hausta à nobis & comesta spiritualiter. Chrysostomus, inquit, testatur hoc loco, Consecratione mẽsæ fieri corpus domini. De pane aũt, inquit, & uino nullã facit mentionem. Nam anteà dixerat, illa absumpta esse corporis substantia. Ego tamen in illis uerbis ita lego: In Consecratione mensæ domini proposita fieri corpus Christi. Quæso uerò, Inconstanti, quænam illa sunt Proposita, quæ Chrysostomus dicit fieri corpus Christi? Mirabor, si dixerit, accidentia. Illa enim nõ mutantur, neq; quisquã unquam dixit, accidentia esse corpus Christi. At si Chrysostomus cũ diceret, Proposita, significare uoluerit panem & uinũ, quomodò negas illum harũ rerum ullam fecisse mentionẽ? At illa, inquis, dixit absumpta esse substantia corporis. Memini. Verùm id dixi, nõ posse propriè accipi, utq; uerba ipsa sonant, quòd idem Chrysostomus dicat, illa proponi, & fieri corpus Christi.

Sed addit, omnia illa absurda, quæ nos cõmemorare solemus in Transubstantiatores, nunc recidere in Chrysostomum: panem uidelicet aboleri: accidentia manere sine subiecto: decipi, & falli sensus: leges naturę uiolari: miracula cõfingi sine necessitate: cum tamen ille pater ob hæc dicta à Catholicis nunquã passus sit calumniã. Quam, quæso, ob hæc pati potuit Chrysostomus calumniã, quæ ille nunquam dixerit? Nam, quemadmodũ à nobis satis fusè ostensum est suprà, ille & cum sacris literis, & cum alijs Patribus panem relinquit in sacramento. Quòd autem semel dixit, Mysteria consumi, id satis perspicuè docui & quo tropo, & quare dixerit. Accidentia uerò manere sine subiecto, in hoc sacramẽto illudi sensibus, Leges naturę uiolari, & alia infinita uestra miracula intercedere nusquam dixit. Quod autem alicubi facit miraculi mẽtionem, id quale esse uelit, suprà suo loco ostendimus. Quare utri nostrum corrumpant Chrysostomum, eumq; cogant alia dicere, quàm ipse uelit, & deus uidet, & prudens lector facilè iudicabit.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Hieronymo in Epistolam ad Titum.

SI autem Laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxoribus, quid de ipso sentiendum est, qui quotidiè pro suis populiq; peccatis illibatas deo oblaturus est uictimas? Relegamus Regum libros: & inueniemus, sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid, & pueris eius, nisi interrogaret utrum mũdi essent pueri à muliere, nõ utiq; aliena, sed coniuge. Et nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius uacasse ab opere coniugali, nequaquam panes, quos prius negauerat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes, & corpus Christi, quantum inter imaginem, & ueritatem: inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur.

SOLVTIO.

HIERONYMVS, si eum rectè intelligas, per hæc uerba sensit, panes propositionis fuisse tantum obscuram umbram Christi uenturi: sacramentum autem corporis Christi esse clarum testimonium, Christũ iam uenisse, & præstitisse ea, quæ erant promissa: eumq; in præsentia solari nos, & pascere spiritualiter suo corpore & sanguine; quamuis corporaliter iam olim ascenderit in cœlum.

GAR.

GARDINERVS.

IMO *Hieronymus apertè loquitur, panes propoſitionis eſſe figuram corporis Chriſti, quod iſti conficiunt in Euchariſtia, quorum ſanctimoniam & caſtitatem exigit.*

MARTYR.

REpetere hoc loco, quid ſit diſcriminis inter Sacramenta Legis, & Euangeliſj, cum præſertim id à me ſuprà non uno in loco ſatis fuſè dictum ſit, eſſet actum, quod aiunt, agere. Verum Hieronymus, inquit iſte, apertè loquitur, Panes propoſitionis fuiſſe figuram corporis Chriſti, quod conficitur in Euchariſtia. Ego uerò fateor, Sacramenta Veterum & figuraſſe Chriſtum, & eadem noſtrorum etiam Sacramentorum quoſdam fuiſſe typos. Paulus enim ad Corinthios manna, & aquam illam, quæ fluxit è petra, confert cũ Euchariſtia: & tranſitum maris, & protectionem nubis cum Baptiſmo. Addo etiam, Sacramenta illa ueterum propter obſcuritatem, fuiſſe inſtar umbræ: noſtra uerò propter claritatem eſſe quodammodo lucem: & illa fuiſſe notas quaſdam rei futuræ: noſtra autem eſſe promiſſionis iam factæ & præſtitæ conſignationem. Inter noſtra & ueterum Sacramenta hęc ferè ſunt diſcrimina.

Cæterùm, quòd Inconſtantius contendit, in illorum Sacramentis Chriſtum tantùm fuiſſe adumbratum, in noſtris autem illum realiter & ſubſtantialiter deliteſcere ſub accidentibus panis & uini, id ita demùm à nobis impetrabit, ſi confirmari poſſit è ſacris literis. Chriſti quidem, inquit, unum eſt corpus: cuius futuri panes propoſitionis figura erant, & ita uenturi, quomodò nobis in Euchariſtia daretur in cibum. Si iſte putat, me daturum, panes propoſitionis fuiſſe figuram corporis Chriſti aliquando per Tranſubſtantiationem futuri in Euchariſtia, uehementer errat. Non enim potuit uera figura antecedere eius rei, quę nunquam eſſet ſequutura. Fuit quidem in illis panibus figura corporis Chriſti, quatenùs illud aliquando dandum erat in crucem, & futurum noſtra ſpiritualis alimonia ad æternam uitam: modò ſub hac ratione apprehendatur, & comedatur per fidem.

At apparet, inquit, ex iſtis uerbis Hieronymi, Corpus Chriſti tam uerè dari nobis in cibum, quàm illis dabantur panes propoſitionis. Nam alioqui frigida eſſet collatio, ſi nihil aliud eſſet noſtrum altaris ſacrificium, niſi figura ſola. Hoc, Inconſtanti, nec Hieronymus dicit, nec nos ſentimus. Datur quidem nobis corpus Chriſti, ſed mente comedendum per fidem: ore autem corporis noſtri non corpus ipſum Chriſti recipimus, ſed tantùm ſymbola: quæ tamen ſuo modo appellantur, & ſunt corpus & ſanguis Chriſti. Neque tamen propterea frigida eſt illa collatio Hieronymi. Etſi enim utrinque ſignificetur, Corpus Chriſti eſſe ſpiritualem noſtrum cibum, tamen Euchariſtia noſtra multis modis dignitate uincit panes propoſitionis. Neque nos nudam in Euchariſtia, & profanam figurã conſtituimus: niſi quòd Inconſtantius homo delicatus, præter ſuam Tranſubſtantiationem, omnia tanquam profana, & inſulſa faſtidiat.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Auguſtino in Pſalmum 33.

ET *ferebatur in manibus ſuis. Hoc uerò, fratres, quomodò poſſet fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? In manibus aliorum poteſt portari homo: in manibus ſuis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam, non inuenimus: in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus*

ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Ipſa eſt humilitas domini noſtri Ieſu Chriſti: ipſa multùm commendata ab hominibus.

SOLVTIO.

HOC nos minimè inficiamur. Quid enim prohibet Chriſtum geſtaſſe manibus ſuis corpus ſuum, ſi per corpus intelligas corporis Sacramentũ? Idq; Auguſtinus ipſe ſatis oſtendit ſe ſenſiſſe, cum ad finem eius loci addat, Quodammodò: ferebatur, inquiens, quodãmodò in manibus ſuis. Ac ſi diceret, non ſimpliciter, non propriè, non realiter ſe geſtauit, ſed quodam modo. Is autem modus ille eſt, quem diximus.

GARDINERVS.

SI illud, Quodammodo, quod eſt in Auguſtino, de ſola figura intelligeretur, nihil magni dixiſſet: quin cuiuis in procliui eſt ſui ipſius figuram ferre.

MARTYR.

OCcidit miſeros crambe repetita magiſtros. Eſt enim, ut aiunt, bis crambe
» mors: qua tamen iſte noſter plus, quàm credi poſſit, delectatur. Si Augu-
» ſtinus illud ſuum, Quodammodò, inquit, intellexiſſet de ſola figura, nihil magni
» dixiſſet: nam cuiuis in procliui eſt ſui ipſius figuram ferre. Atqui Auguſtinus illud ſuum, Quodammodò, non de quauis figura intelligi uoluit, ſed tantùm de ea, quæ eſſet eximium Sacramentum. Id autem tantum eſt, ut inſtitui non poſſit, niſi à ſolo deo. Vt autem Chriſtus ſimpliciter, & propriè geſtauerit ſe ipſum in manibus ſuis, fieri nõ potuit. Nam ſi ita eſſet, uelint, nolint omnes Papiſtæ, oportuiſſet omninò Chriſti corpus congeminari: ut unum eſſet, quod geſtaret, alterum uerò, quod geſtaretur.

» Verùm Auguſtinus, inquit, ait, hoc ſe non legiſſe de Dauide ſecundum lí-
» teram: quaſi uerò ſignificare uelit, illud ſecundum literam uerum eſſe de Chri-
» ſto, id eſt, illum geſtaſſe ſe, non figuram ſui. Quod tamen modo quodam fieri, re
» ctè ſubijcit: non tamen eo modo, qui expoſitus eſt à Sectarijs, ſed qui nobis mi-
» randus, & captu noſtro ſuperior intelligatur: ne geminationem corporis, aut
» aliud rationis noſtræ figmentum adferamus. Hoc etiam, quod Auguſtinus ait, ſecũdum literam, quomodò eſſet intelligendum, ſuprà oſtendimus in Obiectionibus. Quoniam tamen iſte me ſua improbitate & importuna Sophiſtice ita cogit, non grauabor duobus uerbis eadem repetere. Etſi enim eadem toties audire Lectori moleſtum eſt, tamen uerum iterum, atq; iterum audire, ſpero, non erit inutile. Auguſtinus ergo Literam appellat hiſtoriam, ſecundum quam non legimus, Dauidem geſtaſſe ſe manibus ſuis ullo modo, neque ſimpliciter, quod fieri non poterat, neque in Sacramento. Id tamen Chriſtum feciſſe, quoad Sacramentum legimus in hiſtoria Euangeliſtarum. Iſta ergo Sophiſtica Inconſtantij eius craſſum & futile commentum nihil iuuat. Sed hac de re, Lector, ſi plura quæras, remitto te ad ea, quæ ſuprà hac ipſa de re copioſius à me diſputata ſunt.

ARGV-

ARGVMENTVM GARDINERI EX AVgustino de Trinitate lib.3.cap.4.

POTVIT *tamen significando prædicare dominum Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentũ corporis & sanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Quod cum per manus hominum ad illam uisibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu dei.*

SOLVTIO.

MIRVM est, istos in hoc Sacramento nullũ agnoscere opus spiritus sancti, nisi Transubstantiationẽ. Nam audito opere spiritus sancti, statim eam inferunt. Atqui symbola non possunt adduci ad conditionem Sacramẽtorum, nisi ope diuina: nimirùm, instituto domini, sacris uerbis, & efficacia spiritus sancti. Hæc enim facta iam Sacramenta nõ amplius incurrũt in animum nostrum uulgari & communi modo: sed uehementi, atq; efficaci impetu spiritus: cuius etiam spiritus operatione, ac ui mentes nostræ incitantur ad res ipsas, quæ in Sacramentis adumbrantur, complectendas.

GARDINERVS.

AVGVSTINVS *de mysterijs non semper loquitur apertè: sic enim ferebat hominum, quibus cum uersabatur, & temporum conditio.*

MARTYR.

QVid, obsecro te, obstitit Augustino, quò minus de Sacramentis apertè & perspicuè loqueretur? Conditio, inquis, hominum, quibus cum uersabatur, & temporum. Mirum. Augustinus enim Apher erat; & in Aphrica, ut ipse fateris, Cyprianus diu ante illum apertissimè de hac re loquutus est: tum adhuc Euãgelium nec à principibus Romanis, nec ab illa prouincia publicè receptum esset. Quid ergo in causa fuit, cur eadem in prouincia, melioribus temporibus, publicè iam ubique recepto Euangelio, Augustinus obscurius, & tectius loqueretur? Certè nisi tu causam aliquam probabiliorem & certiorem adferas, hoc totum à te confictum esse iudicabimus. Alij patres ante Augustinum, quales sunt Ignatius, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Hilarius, Basilius, Nazianzenus apertissimè, ut tu putas, de Eucharistia loquuti sunt. Solus Augustinus cogebatur scripta sua caligine, et fuco inducere, ne ab illorum temporum hominibus intelligeretur. O lepidum Sophistæ caput. Sed difficilè erat sub tam angustis foliis tam amplum mendacium occultare.

Tamen addit, eundem illum Augustinum eodem in libro collegisse spiritus, & de fide sua tulisse luculentum testimonium: cum dicat, nos accipere id, quod consecratum est, ad salutem spiritualem. Eius enim, inquit, quod sumitur, effectus, satis prædicat ipsius, quod sumptum est, dignitatem. At hoc nec inaudi-

tum nobis est, nec inusitatum in doctrina nostra, Eucharistiam sumi ad salutem spiritualem. Cum enim in sacra Mensa recipimus symbola, mente, ac spiritu per fidem Christum ipsum amplectimur, atque ab eo salutem, & omnia nostra bona in nos deriuamus. Cum ergo ex uero usu Eucharistiæ ui, atque ope spiritus sancti fides nostra excitetur, & augeatur, rectè dicimus, id, quod in Cœna consecratum est, sumi à nobis ad salutem. Fide enim nostra ita aucta, & inflãmata complectimur ipsum dominum omnis nostræ salutis fontem. Baptismus etiam, etsi in eo nulla sit realis & substantialis præsentia corporis Christi, tamen recipitur ad salutem.

„ Addit: Vnde magnum dicit Sacramentum, cuius quanquam quod uisibile
„ est, producat homo, sua opera dum fit panis, tamen inde fit Sacramentum, ope-
„ rante id inuisibiliter spiritu dei. Et notat Augustinus opus spiritus sancti in Sa-
„ cramento conficiendo, ex cuius posteà sumptione salus accedit: quæ quatenus
„ ita exprimat Augustinus, uidetur cum Ecclesiastica de hoc Sacramento tradi-
„ tione maximè consentire. Sectarius autem ita nugatur, quasi Catholici hunc lo-
„ cum citarint propriè ad probandum Transubstãtiationem: & orsus deinde à con
„ stitutione suæ figuræ, in qua frigidam quandam operam affingit spiritui sancto,
„ tandem delabitur ad operationem, quæ fit per spiritum in mentibus nostris, ut
„ amplectamur res significatas, quod est uerum, & magnum opus spiritus: sed de
„ quo patres non loquuntur, cum tractant mirabilem mysterij constitutionẽ, dum
„ præparatur in altari, ut uideatur primùm secundum Chrysostomum Christus: &
„ posteà à nobis ore sumatur. Cæterùm hæc est Sectariorum Sophistica perpetua,
„ cum aliud agitur, alia fabulari: & ideò semper reuocandi sunt ad statum causæ,
„ quem fugiunt, illo Comici dicto, Quin hoc agis. Vides, Lector, dentem In-
constantij satis atrum. Excutiamus singula, & uideamus, quantum nobis uulnus
„ impreſſerit. Fit, inquit, Sacramentũ, operante id inuisibiliter spiritu dei. Quid,
obsecro, illud est, quod dicis fieri Sacramentum? Id, inquit Augustinus, quod ex
terræ fructibus accipitur. Rectè. Sed an terra effundit accidentia sine subiecto?
Non, arbitror. Ergo accidentia sine subiecto non sunt Eucharistiæ Sacramentũ.
Sed quorsum ista tua tam multa? Nos enim nunquam scripsimus, Sacramenta
fieri absque opere, & ui spiritus sancti: imò semper docuimus, & adhuc conten-
dimus, deum solum posse instituere & facere Sacramenta. At spiritus sanctus in
conficiendo Sacramento habet opus suum. Quis hoc neget? Non tamen ita, ut
sint Sacramenta extra usum. Nisi enim illa perpetuò uerbum adiunctũ habeãt,
& nisi id fiat, quod dominus iussit, desinunt esse Sacramenta. Quod autem ui-
detur negare, suos citare solere hunc locum ad probandam Transubstantiatio-
nem, equidem non uideo, quid uelit. Quorsum enim alioqui illa tendunt? Quod
enim addit, Ex cuius posteà sumptione salus accedit, puto illum per salutem in-
telligere Christum ipsum. At si Christus ipse, quod ad corpus attinet, adsit reali-
ter & substantialiter, statuit, non posse unà adesse substantiam panis. Ergo, qui
istum locum Augustini citant, probare ex eo conantur beatam illam suam Tran
substantiationem. Duabus enim de rebus inter nos contenditur: nimirùm, de
Transubstantiatione, & de reali præsentia. Necesse ergo est, ut ad alterutrum ho
rum confirmandum adducatis hunc locum Augustini: ut si pro Transubstantia
tione uestra non faciat, necesse omninò sit uos eo uti uoluisse ad statuendam rea-
lem præsentiam. At, si ea uobis detur, statim concluditis necessariò sequi Tran-
substantiationem: non rectè quidem, sed ineptè, & putidè: tamen ita concluditis.
Quare iste noster, aut sui oblitus est, aut quod apertè facit, id se inficiatur facere:
quorum alterum hominis est stupidi, alterum uiri non boni.

Verùm ait, nos, nescio quam, leuem, & frigidam opellam tribuere spiritui
sancto

ſancto in figura conſtituenda,& ita à ſtatu cauſæ diſcedere. Sed an hoc eſt à ſtatu diſcedere, docere Sacramenta fieri à ſpiritu ſancto? Loquimini, inquit, de figura: quaſi omnia Sacramenta non ſint figuræ. Si patres paſſim appellant Sacramẽta Signa, Figuras, Symbola, Typos, quid nos ita grauiter peccamus, ſi interdum loquamur eodem modo: præſertim cum de profana, & uulgari figura non loquamur? Imò ex iſtis ipſis uerbis Auguſtini euincimus, Sacramentum eſſe ſignum. Sic enim ſcribit: Potuit tamen ſignificando Paulus prædicare, aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per Sacramentum corporis & ſanguinis eius. Hæc uerbà ſatis docent, Sacramentum corporis & ſanguinis domini ſignificando prædicare. At unde hoc habet Sacramentum? An à natura? Si ita eſſet, ſacrà myſteria eſſent res naturales. At ſi diuinitùs, neceſſe eſt, ut fatearis, id fieri opere ſpiritus ſancti. Verùm hæc opera leuis, inquit, eſt & frigida. Quid ita? An Sacramenta putas res uſq; adeò eſſe uiles? Apud nos certè ſunt in pretio. Sed tibi, ſcio, præter Tranſubſtantiationem tuam, omnia uidentur eſſe uilia.

Addit nos dilabi ad operationem eam, quæ fit à ſpiritu ſancto in mentibus noſtris: de ea autem patres non loqui, cum agatur de admirabili conſtitutione myſterij. Imò ſuprà oſtendi cõpluribus, & euidentiſſimis exemplis, patres cum loquantur de mutatione ſymbolorum, ſæpiſſimè, ac ferè ſemper adiungere conuerſionem noſtram in Chriſtum. Et ne longius diſcedam, Auguſtinus hoc ipſo in loco hęc duo coniunxit. Sic enim ſcribit: Sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem. Hic ego libenter ex iſto meo audire uelim, utrum putet, ſalutem noſtram ſpiritualem conſtare poſſe abſque opere, & ui ſpiritus ſancti. Cum nemo ſit ita impudens Sophiſta, ut hoc negare poſſit, confido ſatis perſpicuè oſtenſum eſſe, nos, cum iſta dicimus, à ſtatu cauſæ non diſcedere. Quid autem Chryſoſtomus ſibi uelit, cum dicat, Chriſtũ à nobis uideri, & ore ſumi, aliàs dixi, quod eſſet ſatis.

ARGVMENTVM GARDINERI EX AVguſtino in Pſalmum 98.

SVSCEPIT *enim de terra terram: quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ carnem accepit: &, quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit, inuentum eſt, quemadmodum tale ſcabellum pedum domini adoretur: & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

SOLVTIO.

QVOD Auguſtinus dicit, Chriſtum ipſam carnem ſuam nobis dediſſe manducandam, non efficit, eius carnem corporaliter adeſſe præſentem in Euchariſtia, & à nobis corporaliter manducari. Satis enim eſt ad Auguſtini ſententiam ſi adſit, & comedatur ſpiritualiter. Ille enim poſteà ſubiecit, Spiritualiter intelligite, quod loquutus ſum. Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi eſtis. Quod autem dicit de Adoratione, nõ probat, ullam Adorationem dandam eſſe uiſibilibus Sacramentis, aut alij ulli rei, quæ ſit in illis corporaliter. Nam re uera nihil eſt in pane realiter & corporaliter, quod ſit adorandum. Carnem autẽ Chriſti eſſe adorandam

propter coniunctam naturam diuinam minimè inficiamur. Verùm Augustinus posteà prudenter monet, Cum adoras illum, ne remaneas cogitatione in carne, ne à spiritu non uiuificeris. Ita ego quoque hic moneo, cum percipitur Eucharistia, non esse consistendum in symbolis: sed in spiritu, & ueritate adorandum esse Christum ipsum sedentem in cœlis ad dextram patris: quemadmodum auditis illis uerbis Euangelij, Et uerbum caro factum est, multi pij genu flectunt, & adorant: nec tamen rectà dici possunt uerba illa adorare, sed illorum significata.

GARDINERVS.

HOC *loco Augustinus Catholicam doctrinam apertissimè statuit, cum dicit, Christum dedisse carnem manducandam ad salutem.*

MARTYR.

NOs quoque dicimus, Christum dedisse carnem suam manducandam ad salutem, atque illam adeò carnem, quam assumpsit ex Virgine, & obtulit in cruce. Nullam enim aliam Christi carnem fides nostra cõplectitur: ut ego prorsus non intelligam, quid iste sibi uelit: nisi fortè hoc somniet, carnem Christi, quę est in cœlo, non esse eandem, quæ nata est ex Virgine. Nam cum nos dicamus, fide manducari carnem illam Christi, quæ est in cœlo, necesse est, ut eadem opera dicamus, manducari carnem illam, quam Christus suscepit ex Virgine. Annotatum est in Solutione, Augustinum adiecisse, se loqui spiritualiter.

„ Id Inconstantius ait significare modum dationis: non autem minuere ueritatem rei datæ. Rectè hoc quidem. Verissima enim caro est, quæ fide nostra spiritualiter recipitur. Neque enim nos Christi corpus regnans in cœlis ad patris dextram imminuimus. Verùm iste omninò persuadet sibi, Augustinum sensisse, Corpus ipsum Christi esse realiter & substantialiter in Eucharistia: quod tamen nec ille unquam dixit, nec nos concedimus, aut credimus. Nam si nullum, inquit, omninò corpus daret, id apertè Augustinus dixisset: qui duo Christi naturalia corpora propter absurditatem docere nõ poterat. Quorsum istæ ambages? Quis nostrum unquam dixit, Augustinum credidisse nullum corpus dari Communicantibus? Scimus illum & credidisse, & dixisse, in Eucharistia dari uerum corpus Christi: at non ore, aut dentibus, sed fide ac spiritu manducandũ: non realiter præsens uel in pane, uel sub accidentibus: sed regnans in cœlo ad dextram patris. Ad hoc autem nihil opus est duobus Christi naturalibus corporibus. Nam ad nostram manducationem unum Christi corpus est satis. Incõstantius aũt si sua insomnia sequaẽ, uelit, nolit, cogetur Christi corpus congeminare.

„ Sed quòd ad Adorationem attinet, subijcit, Augustinũ non sensisse, adoran-
„ da esse uisibilia: neque eum, nisi putasset carnem Christi uerè adesse, quicquam
„ loquuturum, aut scripturum fuisse de Adoratione, quæ adhibenda sit ante man-
„ ducationem. Imò agendum erat de adoratione carnis Christi maximè ante manducationem symbolorũ, quod ea sint illius carnis mysteria. Nec tamen ea causa necesse est realiter adesse, & coram sisti Christi carnem. Idq; ut euidentissimo argumento ostendam uelim mihi ab Inconstantio responderi, quid ipse cũ suis adorare soleant, cũ in parasceue maioris hebdomadæ genu flectũt ante crucem. Quàm idololatricè id faciant, nunc nihil disputo; hoc tantùm quæro, quid adorent.

rent. Respondebit, opinor, Christum passum, cuius eo die anniuersaria memoria celebretur. Rectè. Verùm adhuc scire uelim, utrum putent in illa cruce Christum ipsum adesse realiter. Si nõ adest, cur illum, quasi ibi adsit, adoratis? Cur ad eam adorationem uos mutuò cohortamini? Multi olim tẽpore Hieronymi adorabant, multi adorant ad locum Caluariæ, & ad sepulchrum. Neque tamen quisquam, quod sciam, collegit ex eo, humanam Christi naturam ibi realiter contineri; ergo ex adoratione iure non concluditur realis præsentia.

Augustinus, inquit, loquitur de carne data ad manducandum, ut adoretur, antequam manducetur: non loquitur de uisibilibus uerbis, ut isti uolunt, sed de carne data: cuius propria est manducatio, non diuinitatis. Christus in cœlo regnat deus, & homo: est autẽ in mysterio homo deus: quia humanitas datur manducanda, quæ prius adoretur, ut inquit Augustinus, quàm manducetur. Scio equidem, & fateor, Augustinum loqui de carne, quæ detur comedenda: & idcircò addo, Symbola non esse adoranda, sed significata. Vnde autem iste colligat, nos quod ad hanc adorationem attinet, loqui de uerbis uisibilibus, ipse uiderit. Nos quidem docemus, homines pios illis symbolis, aut uisibilibus uerbis prouocari, ut cogitent de rebus ipsis, quæ illis symbolis repræsentantur, easq; spiritu & mente comedant. Scimus etiam ex uerbis domini, Mãducare, ad carnem propriè pertinere, non ad naturam diuinam. Distinctionem tamen istam inter deum & hominem, & hominem deum, nouam esse & peregrinam iudicamus.

Verùm Adoratio, inquit Inconstantius, quæ in Christum regnantem fit, statim, & proximè dirigitur in cœlum, nec prius habet nec posterius: sed semper sine intermissione fit, nec quisquam sumit Sacramentum, nisi qui certissimè Christum anteà adorauerit regnantem in cœlo, cum solis baptizatis ab Ecclesia conferatur. Adoratio illa, quæ statim, & proximè dirigitur in cœlum, si nec prius habet, nec posterius, quomodò dici potest opus, aut actio humana? Nam certè actiones nostrę sine priori, & posteriori esse non possunt. Eas enim metimur tempore. In tempore autem qui non uideat esse prius & posterius, satis crassus est philosophus. Adhæc, si ab hac Adoratione prius & posterius auferri uelit, cur statim subiecit hæc uerba: Nec quisquam sumit Sacramentum, nisi qui certissime Christum anteà adorauerit regnantem in cœlo? Profectò ubi iste statuit Anteà, ibi ego pro meo iure addere possum Posteà. Ista enim duo Aduerbia relatiua sunt, & disiungi non possunt. Quod autem ait, Christum regnantem in cœlo perpetuò, & sine intermissione adorandum esse, uerum est: idq; utinam ab omnibus & ubique uerè fieret. Quoniam autem propter infirmitatem carnis nostræ fieri id non potest, idcircò assiduè renouandæ sunt occasiones, ut perpetuò & uerbo dei, & Sacramentis ad illam adorationem incitemur.

Sed locus ipse satis, inquit, declarat, Augustinum sensisse de adoratione, quæ exhibetur Christo in Sacramento. Susceperat enim explicandum, quo pacto adoretur scabellum dei: quẽ sensum ait se reperisse in carne Christi data ad manducandum. Quòd si de adoratione, quæ Christo in cœlo fit, egisset, cur meminisset manducationis, nulla est ratio. Imò dixisset, Christum sumpsisse terram, id est, carnem ex Virgine, & illam post expletam hic in uisibili corpore dispensationem in cœlũ euexisse, ubi terra iam in gloria adoratã. Neq; causa erat, ut mentionem faceret mãducationis, nisi ibi sensisset adorationem fieri. Iste nos abducit in longa, & cæca diuerticula. Sensus quem Augustinus ait, se reperisse, est, ut scabellum dei intelligamus terram, eamq; non quamuis, sed eam, quam Filius dei suscepit ex Virgine, carnem nimirùm Christi: quam ab hominibus Christianis adorari, quatenus quidem ea cum diuinitate coniuncta est, etsi aliis rationibus probare potuisset, tamen illo loco ex eo etiam probare uoluit, quod

tum agebatur, cum perciperetur Sacramentum Eucharistiæ. Nemo enim erat, imò ne nunc quidem est, quin priusquam communicet, adoret carnem Christi, quam sciat pro se datam esse in pretium redemptionis. Sub hac enim ratione ad sacram mẽsam fit solennis cõmemoratio carnis Christi. Atq; hoc pacto caro illa in mysterijs adoratur, quamuis nemo sapiens putet ibi eam sub pane, aut sub accidentibus delitescere. Ad illam enim adorationem satis est, ut intelligamus carnem Christi esse nostræ Redemptionis pretium. Atque hæc causa fuit, cur Augustinus, cum ageret de Adoratione, mentionem fecerit de manducatione.

" Quod autem, inquit Inconstantius, ad adorationem in spiritu & ueritate per-
" tinet, si in Sacramento est ueritas carnis, quæ semper, & inseparabiliter unita est
" diuinitati, pertinet etiam ad hanc ueritatem adoratio Sacramenti. Hic iste, ut solet, duo sumit, primùm falsa, deinde etiam non probata. Primum est, quòd ait, Carnem domini propriè, & substantialiter esse in Sacramento: alterum est, quod ait, Adorari Sacramentum. Etsi enim Sacramentum prouocet nos ad adorandũ Christum, tamen ipsum Sacramentum, cum & res creata sit, & cum natura diuina in eadem hypostasi coniuncta non sit, non potest à quoquam piè adorari. Imò eo maximè nomine detestamur Sacrificos uestros, uentres, inquam, & mancipia Paparum, quod in suis circungestationibus, & Missis cogant populum ubique horrendum in modum adorare panem. Neque cum nostra sententia quicquam pugnat, quod Ambrosius scribit libro 3. De Spiritu sancto cap. 12. se adorare Christum in mysterijs. Non enim ait se mysteria ipsa adorare: sed Christum ipsum in mysterijs, ut qui in illis sit per significationem. Atque ita rectè dicimus, nos in sacris literis dei uoluntatem adorare: non quidem, quòd ea in illis realiter contineatur, sed tantùm, quòd in illis significetur. Et ad eundem modum, quod in Solutione responsum est, pie, & rectè faciunt, qui adorant, & genu flectunt, quoties audiant in templis uerba illa ex Euangelio Iohannis pronuntiari, Verbum caro factum est: non quòd in illis uerbis putent contineri mysterium Incarnationis, sed quòd illud in eis tantùm significetur. Iis addam, notandam esse Augustini loquutionem qua dicit, neminem Christi carnem manducare, nisi prius eam adorauerit, quoniam inde rectè colligitur, impios carnem domini propriè non edere, cum illam non adorent.

ARGVMENTVM GARDINERI EX AVgustino contra Cresconium lib. cap. 25.

QVID *de ipso corpore & sanguine domini unico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse dominus dicat, Nisi quis mãducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se uitam, nónne idem Apostolus docet, etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri? Ait enim, Quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Ecce, quemadmodum obsint diuina & sancta malè utentibus. Cur non hoc modo & Baptismus?*

SOLVTIO.

DILIGENTER locum perpende, & inuenies, Augustinum nòn hæc sensisse de manducatione corporis Christi, sed tantùm de indigna usurpatione Sacramenti. Hoc enim Augustinus probare uoluit, res bonas non prodesse malè utentibus. Ita enim ait, lucem bonam esse sanis oculis, lippis

autem

autem noxiam: & cibum eundem alijs ſalubrem eſſe, alijs lætalem: & eãdem medicinam alios ſanare, alios perdere. Poſt hæc exempla probat, idem uerum eſſe etiam in Sacramentis & Baptiſmi, & Corporis domini. Et uerba quidẽ illa Pauli, quæ hic citantur, intelliguntur de ſacramentali pane & poculo, non autem de carne ac ſanguine. Tamen Auguſtinus panem ipſum, & poculum appellat carnem & ſanguinem: non quòd re uera ea ſint, ſed quòd ea ſignificent.

GARDINERVS.

ET *ego rurſus prouoco ad diligentem perpenſionem. Nam Auguſtinus ſumpſerat probandum, quòd diuina & ſancta obſint malè utentibus. Id autem ut probet, propoſuit ipſum Chriſti corpus.*

MARTYR.

VErum eſt, quod ait, ſcopum Auguſtini fuiſſe, ut probaret, diuina & ſancta obeſſe malè utentibus: eumq; pro argumento ſubieciſſe, Corpus & ſanguinem domini unicum ſacrificium pro ſalute noſtra malè, & indignè utentibus eſſe perniciоſum. Hinc noſter Sophiſta colligit, Corpus ipſum & ſanguinẽ domini ſumi ab indignis. Atqui Auguſtinus, cum diceret Corpus & ſanguinem domini, atq; etiam cum adderet, Sacrificium unicum pro ſalute noſtra, nihil aliud intelligi uoluit, quàm Sacramentum. Nam & Auguſtinus ipſe, & Cyprianus & Cyrillus, & Theodoretus teſtantur, Symbola ſæpè gerere nomina rerũ ipſarum, quas ſignificant. Eſt ergo uerum, quod dicit, Sacramentum & à dignis accipi & ab indignis: illudq; interdum eſſe utile, interdum noxium. Atque idẽ ſenſit Apoſtolus Paulus, cum ſcriberet, Quicũque manducauerit panem domini indignè. Verùm, inquies, Auguſtinus, ut probaret utilitatem illius corporis & ſanguinis, affert argumentum ex ſexto capite Iohannis, ubi haud dubiè nõ de ſymbolis agitur, ſed de re ſignificata. Itaque non uidetur huc accommodari rectè poſſe, quod alibi dicitur, nomina ipſarum rerum attribui ſolere ſymbolis. Reſpondeo, illam probationem tantùm ualere in illis, qui dignè accipiunt Sacramentum. Illi enim non tantùm ore corporis accipiunt ſymbola, ſed etiam mente ac fide carnem ipſam & ſanguinem domini. Verba enim Chriſti in ſexto Iohannis tantùm de ſpirituali manducatione, & de re ipſa, quæ per Sacramentum ſignificanda erat, intelligenda ſunt: nullo autem modo poſſunt ad Sacramentum, quod tum inſtitutum nõ erat, detorqueri. Nec neceſſe eſt, ut hæc probatio accõmodetur etiam ad impios, & in eis ualeat. Dominus enim eodẽ in loco expreſſiſſimè addidit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: Quibus uerbis docuit, manducationis ueræ carnis Chriſti propriam eſſe coniunctionem cum eo: quam certè impij non habent. Argumentum ergo illud Auguſtini duplici conſtat membro. Docet enim, Sacramentum Euchariſtiæ & utile eſſe pijs, quod illo rectè utantur: & noxiũ impijs, quòd illo utantur malè. Prius illud membrum probat ex uerbis Chriſti, quòd illi, qui rectè utuntur Sacramento, uerè comedant carnem domini, ſpiritu uidelicet & fide, & ex ea habeant ſalutem & uitam. Alterum autem membrum probat teſtimonio Pauli. Is aũt ait, eos, qui illum panem & calicem indignè ſumunt, iudicium ſibi manducare & bibere. Huc addo, Auguſtinum ipſum, quod ſuprà commemoraui, multis in locis diſertiſſimè ſcribere, Impios non ſumere corpus domini: ut hoc loco eum neceſ-

se sit ita interpretari, ut nos facimus, nisi eum uelimus pugnare secum. In istis autem probationibus, ut à nobis distinctæ sunt, nihil est omninò controuersiæ.

» Verùm Inconstãtius noster putat, Augustinum, cum mentionem fecisset de
» luce, cibo, & medicina, illis relictis, tanquam inferioris notæ bonis, contulisse se
» ad diuina & sancta, imò ad Sancta ipsa sanctorum, nimirùm, ad corpus Christi;
» quod nisi sumeretur etiam ut cibus & medicina, non esset, inquit, exemplum si-
» milis rationis, sed ab argumento alienum. Fateor equidem, lucem, cibum, medicinam, quæ priori loco commemorantur, esse inferioris notæ bona, si conferantur cum Sacramentis. Scimus enim & fatemur, Sacramentum esse rem diuinam et sanctam, atque adeò, si uelis, Sanctum sanctorum: sed nõ alio sensu, quàm quo olim in Lege quædam sacrificia eo nomine censebantur: quodq; ea, quę prorie conueniunt rebus ipsis, ut sæpè diximus, attribuantur Sacramentis. Quare cum Sanctus ille sanctorum, ut Daniel ait, Christus ipse in Eucharistia sanctificetur & laudetur, nihil prohibet, quò minus ea ex ratione significandi Sãcta sanctorum dici possit. Exempla autem illa Augustini ita rectè disponuntur, ut à minoribus bonis ascendat ad maiora: in eo tamen omnia conueniant, quòd & rectè & malè possint usurpari. Quòd si corpus & sanguinem accipias simpliciter & propriè, ratio illa non procedit. Nam quicunq; demum ille sit, qui comedat uerè carnem, & uerè bibat sanguinem domini, manet in Christo, ut Christus ipse testatur, & habet uitam æternam. Neque leuiter illud pro nobis facit, quod annotatur in Solutione, Augustinum ad extremum idem etiam concludere de Baptismo: illud uidelicet, Sacramentum & bene usurpari, & male: quod certè de re ipsa per Baptismum significata non est uerum. Imò Augustinus hoc maximè, & propemodum unicè probare uoluit de Baptismo. Res enim illi fuit cum Donatistis, aduersus quos non de Eucharistia, sed de Baptismo pugnandum erat: quòd illud Sacramentum semel datum illi impiè repeterent. Probauit ergo id appositissimè ex re alia eiusdem ordinis, nimirùm à Sacramẽto Eucharistiæ: quam si rei ipsius nomine appellauit corpus Christi, nihil discessit ab usu recepto in Ecclesia, maximè cum Sacramenti illius dignitatem amplificare, atque ornare uellet. De uerbis autem Pauli, quoniam satis uel cæco constare potest, illum eo loco egisse de Sacramento, nihil est, quod hic debeam litigare.

Eucharistia dici potest Sanctũ sanctorum.

ARGVMENTVM GARDINERI EX AVgustino de Baptismo lib. 5. cap. 8.

SICVT *Iudas, cui buccellam tradidit dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus, malum sit: aut quia non ad salutem acceperit, nihil acceperit: Corpus enim domini, & sanguis domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ergo quærant in Catholica hæretici quod habent, sed quod non habent, id est finem præcepti Charitatem: sine qua multa sancta haberi possunt, sed prodesse non possunt.*

SOLVTIO.

IDEM huic loco responderi potest, quod superiori. Hic enim ut Augustinus loquitur de Sacramento Baptismi, ita loquitur de Sacramẽto corporis & sanguinis Christi: quod nihilominus appellat corpus & sanguinem, quòd significet, & re-

& repræsentet nobis uerum corpus, & uerum sanguinem.

GARDINERVS.

HIS *Augustini locis mirè premitur Sectarius. Quod Augustinus asserit de Baptismo, probat ab Eucharistia, ne prosit indignè sumentibus.*

MARTYR.

VElle Augustinum, substantiam ipsam Sacramenti & bonis, & malis eandem esse, ut rem minimè ambiguam & controuersam damus. Non enim aut fides, aut malitia nostra immutare potest naturam Sacramenti. Et uidemus, Augustinum ad id probandum uti hac sententia; Corpus enim domini nihilominus erat etiam illis, quibus Apostolus dicebat, Qui manducat indignè, &c. Hic nihil est obscuri. Neque enim nouum est, Sacramentum Eucharistiæ uocari, atque etiam suo modo esse corpus Christi. Nihil aliud quærit Augustinus, quàm ut doceat tam piis, quàm impiis id quod in cœna traditur, esse Sacramentũ corporis domini. Nam & his, & illis signum idem est, & idem etiã quod significat. Atque hoc ita se habere, ipsius Augustini uerba, quibus eodem illo loco paulò anteà usus est, indicant. Sic, inquit, indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit. Quod post appellat corpus Christi, illud hoc loco uocat Dominicum Sacramentum. Receptum enim, atque usitatum est, ut hæc nomina permutentur. Neque id mirum, aut peregrinum uideri debet in Augustino. Vides enim, Paulum ipsum ista uocabula miscuisse, & cum anteà dixisset panem, statim subiecisse, Non iudicans corpus domini. Panem enim, quod esset Sacramentum corporis Christi, appellauit corpus Christi: non aliter, quàm dominus ipse de pane pronũtiauerat, Hoc est corpus meum.

Miror uerò, Inconstantium nostrum uoluisse dicere, Augustinum in his uerbis nullam fecisse mentionem de Baptismo. Is enim, cum illo in loco ita scribat, Ne ergo quærãt Hæretici in Catholica, quod habent, significat, Hæreticos, cum redeant ad Ecclesiam, non esse rebaptizandos: uidelicet, quòd iam anteà Baptismum habeant. Imò ipse etiam Inconstantius, nescio an repentè oblitus sui, statim subijcit, Augustinum ista commemorasse, ut quod dixerat de Baptismo probaret ab Eucharistia. Et certè ita est: neque in Solutione aliter est responsum. Vtraque ista sunt Sacramenta: itaq; Augustinus id, quod certum sit esse in uno, concludit esse etiam in altero.

At Sophista noster, quasi intemperijs agitatus, tumultuatur, & clamat: credo, ut ipse sibi faciat audiẽtiam. Et fortasse Lector aliquis, qui istum penitùs non norit expectare potest, ut istis tantis clamoribus grauis aliquis error indicetur. Quid ergo est? Non, inquit, uerũ est, quod dicitis, Vt loquitur in hoc loco Augustinus de Sacramẽto Baptismi, sic de Sacramẽto corporis. Imò dicit, Vt in Sacramento corporis est, sic etiã in Baptismo. Iste Lynceus, ita acutè uidet, ut nihil uideat. In Solutione nihil aliud respõsum est, quàm in utroq; Sacramento eandem tenendam esse rationem. Neque enim somniare potuimus, Augustinum eo loco à Baptismo aliquid probare uoluisse de Eucharistia. Contrà enim uidemus, illum ex eo, quod Sacramentum Eucharistiæ usurpari possit & à bonis, & à malis, idem concludere de Baptismo. Ad extremum iste aliam nobis mouet litem, quod dicamus, Augustinum Sacramentum appellare corpus domini. Illum enim agere, non de eo, quod uocetur, sed de eo quod sit corpus domini. Quasi uerò Augustinus nusquam senserit, aut scripserit, Sacramenta, quæ signi-

ficãt aliquid, eius ipsius appellari nomine, & aliquo modo illud ipsum esse, quod significant. De ea re qui dubitat, legat eius epistolam ad Bonifacium.

ARGVMENTVM GARDINERI EX epistola Augustini 163.



OLERAT *ipse dominus Iudam, diabolum, furem, & uenditorem suum: finit eum accipere inter innocentes Discipulos, quod fideles norunt, pretium nostrum.*

SOLVTIO.

FIGVRATA est loquutio in eo, quod uocat Sacramentum pretij nostri nomine: quemadmodum, cum uocat Iudam diabolum.

GARDINERVS.

IMO *Augustinus proprijssimo uerbo rem Sacramenti contentam exprimit, dum pro Christo dicit pretium nostrum.*

MARTYR.

O hominem impudentem: cum Augustinus pro Christo dicat pretium nostrum, uult eum omnino uerbo proprijssimo usum esse: atque etiam addit, illum propter admixtos Ethnicos tectè loquutum esse. Inconsideratè id quidem, Inconstanti: non enim Augustinus ea loquebatur inter Ethnicos: sed quemadmodum ex historia ipsa illius epistolæ colligi potest, inter Catholicos & Donatistas: quorum neutros, opinor, dicet fuisse Ethnicos. Nihil ergo causæ fuit, cur apud homines Christianos ita obscurè ac tectè loqueretur. Deinde ubi erat huius hominis acumen? Aut quomodò, cum hæc dicat, secum ipse non pugnat? Vix enim potest fieri, ut, qui tectè aliquid loqui uelit, uerbis utatur propris. Nam qui sententiam suam tegere, & obscurare uolunt, uerbis translatis, & figurata oratione uti malunt. Et certè, nisi iste omnia ea, quæ suspicaretur aliqua ex parte pro se facere, putaret esse propria, nunquam dixisset, Corpus Christi propriè appellari pretium nostrum. Cæterùm de Communione ludæ, quæ nobis obijcitur, quàm propriè Augustinus loquutus sit, unde potius liquere potest, quàm ex ipsius uerbis. Is in Psalmum 3. ita scribit: In historia noui Testamenti ipsa domini nostri
» tanta est, & tam admiranda patientia, quòd eum tam diu pertulit, tanquam bonum, cum eius cogitationes non ignoraret: cum eum adhibuit ad conuiuiũ, in
» quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit, & tradidit:
» quòd denique in ipsa traditione osculum eius accepit. Audis, Inconstanti, quemadmodum Augustinus illam tuam proprietatem uoluerit intelligi? Sed quid ego sententiam Augustini quæro ex Psalmis, cum hic ipse locus, qui hic ab
» Inconstantio nobis obijcitur, maximè pro nobis faciat? Sic enim scribit, Traditorem suum, qui iam pretium eius acceperat, usque ad ultimum pacis osculum
» inter innocentes secum esse perpessus est: quibus non tacuit, esse inter illos tanti
» sceleris hominem: & tamen primum Sacramentum corporis & sanguinis sui, nondum illo excluso, communiter omnibus dedit. Hęc uerba iste noster pro sua
» fide deprauauit. Tu tamen, Lector, uides, Augustinum hic disertè scribere, Iudam cum cæteris discipulis accepisse Sacramentum corporis domini. Non ergo est nostra fictio, quod dicimus, Sacramentum ipsum ab Augustino appellari corpus Christi.

Verùm

Verùm iſte addit, etiam Iudam appellatum eſſe diabolum, non figurata oratione, ſed propria: eo nimirùm nomine, quòd ille innocenti intenderit calumniam indigniſsimam, cum de Chriſto perfidis hominibus uendendo, & tradendo cogitaret. Atqui hoc ego nũquam anteà audiueram, eum, qui proderet, aut uenderet aliquem, appellari calumniatorem. Deinde, cum Iudas dicitur diabolus, non ad calumniam reſpicitur, ſed ad ſatanam: ad illum, inquam, malum, à quo in Oratione Dominica petimus liberari. Et certè nõ alia figura impij uocantur diaboli, quàm qua in ſacris literis pij uocantur dij, nimirùm, participatione. Nam impij non minus cum diabolo communicant, quàm pij cum deo.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Leone in Sermone de Ieiunio ſeptimi menſis.

TVNC & ſacrificij munda eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio, quando ij, qui iſta dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente domino, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de ueritate corporis Chriſti, & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtrà ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra id, quod accipitur, diſputatur.

SOLVTIO.

TALES ſententiæ non ſunt intelligendæ de humanitate Chriſti, ſecundum literam, ut uerba ſonant, carnaliter. Nam ſic non hoc ore ſumitur, quod fide creditur: ſed ſpiritualiter intelligendæ ſunt, & figuraliter.

GARDINERVS.

QVID *potuit dici apertius contra iſtorum figuratorum ineptias, qui negãt corpus Chriſti ore ſumi, cum hic Leo fidem, & os coniungat?*

MARTYR.

INconſtantius, quoniam aut non uidit, aut uidere ſe diſsimulauit, quid Leo illis uerbis ageret, idcircò ex iſto loco inaniter ante uictoriam triumphauit. Diſputatio, ne neſcias, Lector, Leoni fuit contra hæreticum Eutychetem, qui naturam Chriſti humanam opinione ſua prorſus ſuſtulit, unamq; tantùm in eo diuinam naturam eſſe uoluit. Aduerſus quem non modò Leo, ſed etiam alij Patres, qui cum eo congreſsi ſunt, argumenta duxerunt ab Euchariſtia: quemadmodum Tertullianus, Chryſoſtomus, & alij anteà fecerant aduerſus Marcionem. Nam ſi iſta myſteria ſunt ſigna, & ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, neceſſe eſt ea ſignificare res exiſtentes, & ueras. Alioqui enim non ſacramenta eſſent, ſed mendacia. Leo ergo ait, oportere pios, quid agant intelligere, atq; ita accedere ad Menſam ſacram, ut de ueritate corporis & ſanguinis Chriſti nullo modo dubitent. Quî enim accipiant ſacramenta corporis & ſanguinis domini, ſi illum ea non humana, & uera, ſed tantũ fictitia, & phantaſtica habuiſſe arbitrentur? Oportet autem certò, & uerè credere, ea quæ nunc in myſterijs per cõmemorationem celebrantur, aliquàndo re ipſa fuiſſe geſta. Leo autem cum dicit ueritatem corporis Chriſti, non intelligit eius occultationem ſub ſpeciebus panis & uini, aut eius in ſacramento ueram, & ſubſtantialem præſentiam. Veritatem enim corpo

ris ille per ἀντίδοσιν opponit fictitio, & phantastico corpori: quale corpus dominum habuisse, Eutyches somniabat.

„ Atqui, inquit iste, nisi caro Christi adsit uerè, & substantialiter, quomodo di-
„ cit Leo, hoc ore sumi, quod fide creditur? Respondeo: Non illa substantia cor-
Quomodò sit uerum nos ore sumere quod mente credimus. poris Christi ore sumitur, quæ olim crucifixa est, & nunc sedet ad dextrã patris. Id enim fieri nullo modo potest. Sed sacramentum, quod ore sumitur, per significationem illud idem est, quod fide creditur. Quemadmodum etiam solemus rectè dicere, nos ea credere, quæ scribimus, & loquimur. Tamen uerba nostra, & literæ non sunt re uera ea quæ credimus. Sũt enim tantùm illarum rerũ signa, quas credimus. Communicantes autem nullo modo ambigere oportet, de ueritate corporis domini. Ille enim non phantasticum, aut imaginarium, sed uerum,
„ & humanum corpus habet. Atq; hoc sensu Leo coniunxit os, & fidem. Imò,
„ inquit Inconstantius, Leo ista concionatus est apud populum: & idcircò loquu-
„ tus est apertè, & simpliciter, ne populus falleretur. Quasi uerò Patres in homi-
liis suis, quas habuerunt ad populum, non usi sint figuris, & tropis. Illis tamen auditores, cum essent assueti, quod etiam hodiè uidemus passim fieri, nihil fallebantur: imò potius multò maiori cum fructu erudiebantur. Mirum uerò est, doctrinam istam de Transubstãtiatione, & reali præsentia Inconstantio nostro tam uideri apertam, & simplicem, ut ea omnia, quę nos de hoc sacramento docemus, & loquimur per illa, putet esse obscura, atq; ambigua. Vocem illã, Carnaliter, quę adiecta est in Solutione, nõ debuit usq; adeò molestè ferre. Nã si caro Christi ore corporis externo comedatur, non potest id fieri, nisi carnaliter, hoc est instru
„ mẽtis carneis. At hoc, inquit, à uobis ad inuidiam dicitur. Scilicet: quasi tu nos
præ amore semper uoces Figuratores, Sectarios, Hæreticos. Verba uerò illa Leonis nos dicimus intelligi oportere figuratè. Nam ad literam, & simpliciter acce
„ pta non possunt ullo pacto consistere. At sensuũ, inquis, facitis absurdam meta
„ morphosim. Nobis ita non uidetur. Vos uerò nõ tantũ uerborũ, & intelligẽtię, sed etiã rerũ ipsarum, et naturarũ prodigiosissimas metamorphoses introducitis.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Fulgentio ad Monimum lib. 1.

HAEC, *inquam, ædificatio spiritualis nunquam opportunius petitur, quàm cum ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, in sacramento panis, & calicis ipsum Christi corpus, & sanguis offertur. Calix enim, quem bibimus, Communicatio sanguinis Christi est: & panis, quem frangimus, participatio corporis domini est: quum unus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim de uno pane participamus.*

SOLVTIO.

NON debet hic locus intelligi planè, ut uerba sonant: sed figuratè, & spiritualiter: ut anteà satis probauimus. Et uerba Pauli, quæ hic citantur, intelligenda sunt de tali pane, qui frangi possit. Idem respõderi potest ad locos citatos ex Gregorio, Sedulio, Cassiodoro.

GARDINERVS.

QVID *profuerit, loca plana & aperta ex authoribus proferre, si per istos nõ possunt planè intelligi?*

MAR.

MARTYR.

RESponsio illa, quã iste confutat, generalis est: uerùm ego ad argumentũ obiectum speciatim respondeo. Dico ergo, me uerbis illis Fulgentij libenter acquiescere. Fateor enim, corpus & sanguinẽ domini offerri in sacramento Panis & Calicis, quòd illa pane & calice significentur, idq; non uulgaribus quibusdam signis, sed eximijs, & præstantibus sacramentis, quodq; nos, cum ea in Communione sacra recipiamus, mente, ac fide corpus ipsum & sanguinem domini complectamur, deq; illis pro nobis in crucem datis gratias agamus. Vtq; uno uerbo dicam, quemadmodum in uerbo domini salutem, ita in mysterijs, hoc est, in sacramento panis & calicis, ut Fulgentius ait, haurimus corpus ipsum, & sanguinẽ domini. Sed cur ex istis uerbis Fulgentij non colligit Inconstantius, supereſſe in Eucharistia substantiam panis? Ille enim ait, corpus & sanguinem domini accipi in sacramento panis & calicis. Quibus in uerbis apertissimum discrimen statuit inter panem, & corpus domini, quod ait accipi in pane. Hoc ille debuit animaduertere: non autem semper clamare, quoties caro domini dicitur dari in re aliqua, eam in illa realiter, & spiritualiter contineri. Quemadmodum enim sumptio ea spiritualis est, ita etiã id, ꝙd sumit, dici potest esse in aliqua re spiritualiter.

Quòd autem dicimus, quædam uerba Patrum non ita planè accipienda esse, ut primo aspectu sonant, id non ex huius Sophistæ maledictis, sed ex diuinis literis expendendum est, & ex Regulis fidei, & ex alijs testimonijs eorundem Patrum. Et, ut intelligas, Lector, quid iste Fulgentius senserit de Christi corpore, ne pigeat te pauca ista considerare, quæ subijciam. Is libro 2. ad Regem Thrasymundum ita scribit: Vnus idemq; homo localis ex homine, qui est deus immensus ex patre: unus, idemq; secundum humanam substantiam absens cœlo, cum esset in terra: & derelinquens terram, cum ascendisset in cœlum: secundum diuinam uerò, immensamq; substantiam nec cœlum dimittens, cum de cœlo descendit, nec terram deserens, cum in cœlum ascendit. Quod ipsius domini potest certissimo cognosci sermone, qui ut localem ostenderet humanitatẽ suam, dixit Discipulis suis, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: deũ meum, & deum uestrum. De Lazaro quoq; cum dixisset, Lazarus mortuus est, adiunxit dicens, Et gaudeo propter uos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Immensitatem uerò suæ diuinitatis ostendens Discipulis suis dicit, Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quomodò ascẽdit in cœlum, nisi quia localis, & uerus est homo? Aut quomodo adest idem fidelibus suis, nisi quia idem immensus, & uerus est deus? Idem libro 3. Idem, inquit, & inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit: idem, atq; inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens ad cœlum ascendit, & in dextris dei sedet: & secundum eundem totum hominem uẽturus est ad iudicandum uiuos & mortuos, & coronaturus fideles, & pios. Ex his apparet, corpus Christi etiam gloriosum, & sedens ad patris dextram locale esse: ut nimis insulsus, & fatuus sit error, dicere, illud corpus sub accidentibus panis non occupare locum: aut Christum, quod ad carnem attinet, adesse nobiscũ in Eucharistia usq; ad consummationem sæculi. Fulgentius enim id disertè ad naturam diuinam refert, & clarissimè pronũtiat, Christum adesse suis fidelibus, quatenùs est immensus, & uerus deus: idem haud dubiè dicturus de Christi natura humana, si eam putasset realiter, & substantialiter esse in Eucharistia. Apparet ergo, nisi illis superioribus uerbis Fulgentij iusta, & commoda addatur interpretatio, ipsum nõ posse secum consistere. Neq; tamen, ut iste calumniatur, uerba Patrum tropicè, & figuratè interdum intelligere, est ueritatem in mendacium commutare; imò multò potius est, ueritatem obscuriorem illustrare.

ARGVMENTVM GARDINERI EX Theophylacto in Marcum cap. 24.

CVM benedixisset, id est, gratias egisset, fregit panem, quod etiam nos facimus preces adiungendo: Hoc est corpus meum: Hoc, inquam, quod nunc sumitis. Non enim figura, & exemplar quoddam Dominici corporis panis est: sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dixit, Panis, quem ego dabo, caro mea est: non dixit, Figura est carnis meæ, sed caro mea est. Et iterum: Nisi ederitis carnem filij hominis. Et quomodò, inquit, caro non uidetur? O homo, propter nostram infirmitatem fit. Quia enim panis quidem, & uinum ex ijs sunt, quibus assueuimus, ea non abhorremus. Sanguinem uerò propositum, & carnem uidentes, non ferremus, sed abhorreremus. Idcircò misericors deus nostræ infirmitati condescendens speciem quidem panis & uini seruat, in uirtutem autem carnis & sanguinis transelementat.

SOLVTIO.

SENSVS huius loci hic est: Vt ferrum ignitũ, ferrum etiam est, & tamen uirtutem habet ignis: & ut caro Christi manẽs caro uiuificat, ut eius uidelicet caro, qui est deus: sic panis & uinum Eucharistiæ manent in suis proprijs speciebus, & tamen conuertuntur dignè utentibus, non quidem in corporalem præsentiam, sed in uirtutem carnis & sanguinis Christi. Et quamuis Theophylactus loquatur de manducatione ueri corporis Christi, non autem tantum de eius figura, & conuersione panis & uini in corpus, & sanguinem Christi, tamen non sensit de crassa, corporali, & sensibili manducatione, aut conuersione. Sic enim non tantum corda nostra abhorrerent à comedenda carne, & bibendo sanguine, sed etiam eiusmodi mãducatio, & potatio nihil nobis prodesse posset. Intellexit autem Theophylactus cœlestem & spiritualem manducationem Christi, & sacramentalem conuersionem panis: eoq; uocat panem, non solum figuram, sed etiam corpus Christi, innuens nobis, quòd in sacramento non solum comedimus corporaliter panem, qui est sacramẽtum corporis Christi, sed etiam spiritualiter comedimus uerum Christi corpus, & bibimus eius uerum sanguinem. Hæc autem doctrina Theophylacti & uera est, & diuina, & salutaris.

GARDINERVS.

THEOPHYLACTVS apertius loquitur, quàm ut quicquam in eo sit annotandum: ipse enim se dilucidè explicat. Et tamen Sectarius conatur sensum affingere, qui ex uerbis non elicitur, sed uerbis impudenti uiolentia à Sectario ingeritur.

MARTYR.

AD ea, quæ in Solutione allata sunt, libet mihi quædam addere. Primùm de authoritate Theophylacti, quem ego ut ueterem, et sani iudicij scriptorem, non

non recipio, idq; magnis, & iustis de causis. Vixit enim eo tempore, cum iam dissidium illud flagraret inter Latinam & Græcam Ecclesiam de processione spiritus sancti: quemadmodum ex ipso apparet in nonum caput Iohānis. Deinde Catholicam ueritatem, quam Latini profitentur, nimirùm, spiritum sanctum procedere à patre, & filio, oppugnat, quantum potest. Qua in re cum ita turpiter à ueritate discedat, quid mirum si etiam in Eucharistia lapsus sit, & in loquendo modum excesserit? Huc adde, illo ipso satis infœlici tempore dogma istud nouum de Transubstātiatione cœpisse primùm pullulare, quod ut alijs multis, ita etiam Theophylacto fortasse impositum. Sunt etiam alia, in quibus non obscurè errauit, & quàm esset infirmo iudicio, manifestè prodidit. Hæc ego non idcircò commemoro, quò uelim hæc illius dicta, quæ hoc loco citantur ab aduersario, prorsus respuere. Nam si ea ita interpretemur, ut expositum est in Solutione, & ferri possunt, & cum fructu etiam audiri.

Verum noster iste ait, Theophylactum nullam hic mentionem facere, nec ferri candentis, nec unionis diuinæ Christi naturæ cum humana, nec illum omninò exponere, quomodò Christi caro sit uiuifica. Omnia ergo illa, quæ dicta sunt in Solutione, extra Theophylactum petita esse. Ego uerò respōdeo, illa nō inutiliter adducta esse, ut ex hisce tanquam exemplis agnosci possit, naturas panis & uini manere, quamuis in illis mutatio aliqua concedatur. Idq; ad causam præsentem facere, quiuis potest intelligere. Imò, inquit, Theophylactus dicit, panem non esse figuram, aut exemplar corporis, sed in illud ipsum conuerti. Vos autem dicitis, panem non conuerti in corporalem præsentiam. (Sic enim, Inconstantius uel non satis considerate, uel malitiosè scripsit, cum alioqui dictum sit à nobis, In corporalem substantiam) Et, quis, inquit, unquam audiuit de alienis uerbis quicquam fingi impudentius? Nihil nos Inconstati, in alienis uerbis fingimus: imò ad explicandam sententiam Theophylacti hęc omnia ex ipso illo authore depromimus. Nam si eum legas in sextum caput Iohannis exponentem illa uerba, Ego sum panis uitæ, inuenies illum sic scribere: Attende autem, quod panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Si panis, ut Theophylactus ait, non est tantùm figura, ergo & figura est, & præterea quiddam aliud. Non enim est uulgaris figura, sed sacramentum corporis domini: & idcircò suo modo rectè appellatur corpus domini. Non ergo nos ex nostro tantùm capite affinximus illud, Tantùm, ut diceremus, panem non tantùm esse figuram: sic enim, ut uides, Theophylactus ipse loquitur.

At, inquit, nisi Theophylactus sentiret de corporali præsentia, cur diceret seruari species panis & uini, ne carnem & sanguinem horreremus? Putat iste, species hoc loco esse accidentia. At species Theophylactus posuit pro naturis ipsis, & substantijs panis & uini. Ita enim dicimus, Christum humana specie uersatum esse inter homines. Et Ambrosius De ijs, qui initiantur mysterijs, cap. 9. cum ita scribat, Quòd si tantùm ualuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non ualebit sermo Christi ut species mutet elementorum? certè, uel ipso iudice Inconstantio, naturam, & substantiam elementorum intellexit, nō accidentia: illa enim in Eucharistia nō mutantur. Et mox, Ante benedictionem uerborum cœlestium alia species nominatur, post Consecrationem corpus Christi significatur. Ne hic quidem species significare possunt accidentia. *Ambrosius.*

Verùm illud, inquit, quod sequitur mutationem fieri in uirtutem corporis, non ita accipiēdum est, quasi uox illa, Virtutem, excludat ueritatē corporis præsentis. Sed modus loquendi est non insolens, ut significatio nominis, Virtus, genitiuo sequenti concludatur. Vnde à dextris uirtutis dei, est à dextris dei. Non

poteſt iſte, quantumuis argutus Sophiſta, nudo, & ſimplici uerbo ſuo probare, Virtutem corporis idem eſſe omninò, quod corpus: maximè cum certum ſit, illa poſſe ſeparari. Neq; certè eadem eſt uirtus hominis, quod homo: neq; cœlorum uirtus idem, quod cœlum. Imò in terra, in plantis, & elementis dicimus uim cœlorum eſſe: cum neq; ſanus dicat, in illis rebus eſſe cœlum. Et uis Regis porrigitur in omnes partes Regni, quamuis Rex ipſe ad eaſdem partes non perueniat. At, inquit iſte, A dextris uirtutis dei, idem eſt, quod à dextris dei. Verùm hoc exemplum alienum eſt. Fit enim propter ſimplicitatem dei, & infinitam ipſius naturam, ut uirtus eius ab ipſo ſpatijs locorum non diſtinguatur. Quare, quod proprium eſt deo, ut idem ſit ac ſemper coniunctus cum uirtute ſua, id non eſt transferendum ad res creatas. Imò, ut ne à re præſenti diſcedamus, corpus Chriſti eſt in cœlo: uirtus tamen eius interim nihilominus agit in nobis. Mors quidem eius iam olim ante annos 1500. anteceſsit, nec ea ſanè nunc amplius extat. Vis tamen eius æternum durat, & etiamnum eos omnes, qui ad Chriſtum accedunt, liberat. Non ergo idem eſt mutari in uirtutem corporis Chriſti, & mutari in ipſum corpus Chriſti, niſi uelis diſcedere à proprietate ſermonis. Mutari in uirtutem corporis Chriſti, eſt fieri eius corporis ſacramentum, illudq; efficaciſsimum, & ut ita loquar, uirtutis plenum: quemadmodū Paulus appellat Euangelium potentiam dei ad ſalutem.

Virtus rerū latius patet, quã earum ſubſtantia & natura.

„ Verùm, inquit, niſi Theophylactum ita intelligeremus, ea, quæ præcedunt,
„ uiderentur inaniter dicta: & illa quæſtio, quam ſibi proponit, Quomodò caro
„ non uideatur, non eſſet ex uero diſſoluta, nec ſuo loco propoſita, ſi nihil eſſet cor
„ poris præſens præter uirtutem ſolam. Quem in ſenſum Theophylactus illa dixerit, ſatis oſtendimus. Vtrum autem quæſtionem illam ſibi ſuo loco propoſuerit, alij iudicent. Mihi certè non uidetur. Nam ſi ſtatuamus id, quod res eſt, corpus Chriſti non eſſe realiter, & ſubſtantialiter in Euchariſtia, quid illum oportuit quærere, cur non uideatur? Illum tamen arbitror quæſtionem ſuam uerè diſſoluiſſe dicendo, Chriſtum noluiſſe dare corpus ſuum carnaliter, & uiſibiliter comedendum, ne ab huiuſmodi paſtu abhorreremus. Dedit ergo illud ſpiritualiter, ut fide, ac ſpiritu nullo cum horrore, ſummo autem cum fructu, & iucunditate comederetur. Iſtum autem horrorem Papiſtæ non poſſunt effugere. Nã qui credit, & certò ſcit, ſe comedere humanam carnem, quamuis eam non uideat, tamen non poteſt non ipſa cogitatione à tali, & tam inhumano cibo abhorrere.

„ Sed ait, ſe nihil in ſacramento craſsi ſtatuere, ita ſcilicet, ut craſſum ſignificet
„ carni iunctum: neque ſe carnem, quæ uerè adeſt, ſentire carnalem ad ſenſuum
„ iudicium, ſed ſpiritualem: nam caro, inquit, ea eſt ſpiritualis: nec corpus ad ra-
„ tionem noſtrorum corporum exhibitum: & tamen uerum corpus, & caro na-
„ tura ſua ſenſibilis, licet dei uirtute ibi ſit inſenſibiliter. Si nihil ſtatuas in ſacra-
„ mento craſsi, cur humanam carnem realiter, & ſubſtantialiter dicis manducari, idq; etiam ore corporis? cur tam abſurdè ſine ullo minimo apiculo uerbi dei ſtatuis totum hominem, atque integrum eſſe ſub tantillo pane? Quid autem tu, aut unde noſti, carnem Chriſti eſſe ibi uirtute dei inſenſibiliter? Nam iſtã latitationem, & cæcam præſentiam te diuinæ literæ non docuerunt. Docent illæ quidem Chriſtum transfiguraſſe ſe, abſcondiſſe ſe, cum à populo lapidibus peteretur, & abijſſe de medio, clauſum fuiſſe in ſepulchro, aſcendiſſe in cœlum: latere autem illum ſub pane ac uino, nec ſcripturæ, nec Patres uſquam docent.

THEO-

THEOPHYLACTVS IN
Matthæum cap. 26.

PORRO *dicens, Hoc est corpus meum, ostendit, quòd ipsum corpus domini est panis, qui sanctificatur altari, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura: sed, Hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione trãsformatur, etiamsi nobis uideatur panis, qui infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideò panis quidem apparet, sed caro est.*

SOLVTIO.

VBI asserit, panem non esse figuram corporis Christi, si intelligat uacuam, aut inanem figuram, rectè dicit: neq; nos talem figuram ponimus. Alioqui si neget, omninò figuram esse, aduersatur cæteris patribus: quos apertissimè ostendimus, signum ibi, & figuram agnoscere. Ait, panem illum transformari, conuerti, transelementari: à quibus nos loquutionibus, si accipiantur sacramentaliter, non abhorremus. Panis enim, & uinum fiunt sacramenta, & transeunt in elementa diuinarum rerum, & formam induunt symbolicam. Cæterùm horror omnis tollitur, si statuamus, mutationem non in rem fieri, sed in uirtutem.

GARDINERVS.

THEOPHYLACTVS *negat figuram, quatenùs figura opponitur ueritati præsenti, & est rerum haud præsentium expectatio, uel significatio absentium.*

MARTYR.

VSitata, & trita distinctione explicat, ut potest, quatenùs Theophylactus aut probet figuram, aut respuat. Negat, inquit, figuram, quæ ueritati præsenti opponatur, quæq; sit uel expectatio rerum non præsentium, uel significatio absentium. Eam uerò figuram, quæ rem occultet, obuelet, & palliet, ut loquitur Bernardus, quæ uerè subsit, & adsit, non negat. Hunc hominem oportuit cogitare, figuram illam, qua nos utimur, nequaquam opponi ueritati. Nam sine ea ne figura quidem esse posset. Nisi enim uerè rem aliquam certam, & ueram significaret, non posset eius esse sacramentum. Nec eam nos rerum præsentiæ opponi dicimus. Nunquam enim definitum est à nobis, figuram, quatenùs figura est, repugnare præsentiæ rerum. Scimus enim, corpora illa, quæ olim induebantur ab Angelis, figuras fuisse illorum præsentium.

Figura proprièe non opponitur ueritati, aut præsentiæ rei.

Verùm, ut ad rem propius accedam, dico, figuram illam, quam nos ponimus, significantem esse rerum absentium. Id autem Inconstantius detestatur, & horret: quamuis ipse, uelit, nolit, cogatur idem statuere. Nam negare non potest, in Eucharistia figuram esse mortis Christi, & effusionis eius sanguinis: quas res non potest dicere coram, & realiter adesse, nisi dicere etiam uelit, Christum quotidiè mori, & in singulas horas effundere suum sanguinem. Quòd si dicat, se non de morte Christi loqui, sed de eius carne, & sanguine, nihil dicit. Panis enim, & uinum in Eucharistia non sunt signa corporis & sanguinis Christi, ni-

si quatenùs corpus eius datum est in crucem, & sanguis effusus est pro nostra salute. Cum autem corpus, & sanguis Christi non possint ita esse præsentia, nec tamen ea aliter commemorentur, aut significentur in Eucharistia, superest, ut fateatur, hoc sacramentum esse figuram rerum absentium. Necp certè patres, cum sæpissimè scriberent, panem & uinum esse figuras, & typos, unquam hoc asseripserunt, ea esse typos, & figuras rerũ præsentium. Nos tamen corpus ipsum, & sanguinem Christi non prorsus abesse dicimus. Docemus enim, & profitemur ea adesse, & spiritu, & gratia, & effectis, & uirtute, & merito. Atque ad hunc modum etiam Inconstantius dicit, panem non prorsus abesse, quod eius maneant, & supersint accidentia: quem tamen modum ille ex Patribus non habet, ut ego habeo meum. Nam Theophylactus hoc ipso in loco ait, panem mutari in uirtutem corporis Christi. Quare, cum nos figuram nostram multis rebus, ijsq; præclarissimis, quas iam commemorauimus, impleamus, eam certè cassam, & inanem non statuimus.

Hæc tamen omnia, si unam sustuleris transubstantiationem, huic nostro ni-
,, hil aliud sunt, quàm strepitus, & inanis pompa uerborum. Et clamat, falsum
,, esse, quod affirmamus, ipsum uerum corpus Christi esse, quod spiritu & mente
,, percipimus. Quoniam, inquit, ad istam perceptionem minimè datur: neque ut
,, detur, opus est, cũ credatis, omnia peragi spiritu, dum meditamini Symbolum
,, cum Cantico Zachariæ. O hominem suauem. Quos iste sibi, & quàm sæpè ludos facit de Symbolo, & Cantico Zachariæ. Oportet isti suum inuentum mirificè placuisse, quod non dubitarit Lectori toties inculcare. Illud autem multò est grauius, quod putat, Habere fidem prorsus occupatam in Redemptore nostro, & opera, quæ ille pro nostra salute gesserit, considerare, & uesci illo cœlesti, & spirituali cibo, esse cuiq; arbitrarium, nec opus esse, ut id cuiquam diuinitus concedatur. Spiritus enim est, qui istas cogitationes, & huiusmodi exercitia fidei in nobis excitat. Id autem eo maximè tempore facit, cum uerbum dei, & sacramenta nobis ministrantur. Illis enim spiritus sanctus ad alendam, & augendam fidem nostram utitur pro instrumentis. Atq; in doctores, & pastores dici possunt, offerre, ac dare uerum corpus Christi spiritualiter, hoc est, spiritu, ac fide comedendum. Illi enim & uerbum nobis externum proponunt, & sacramenta. Quod autem ait, nos putare omnia peragi Symbolo, & Cantico Zachariæ, uanum, & falsum est.

Postremò autem id uexare instituit, quod nos in Solutione dicimus, horrorem omnem eo ipso tolli, quòd mutatio facta sit, non in ipsum corpus Christi, sed in uirtutem corporis: quodq; corpus Christi nobis detur spiritualiter, & fide,
,, non autem re ipsa, & substantialiter ore, ac dentibus comedendum. Verum, in-
,, quit, id est: sed quamuis eo modo horror omnis tollatur, tamen inuretur Theo-
,, phylacto magna nota ineptiæ, qui de eo, quod fateretur non adesse, à se ipso quæ-
,, rat, cur non uideatur: & deinde pergat nobis dei misericordiam commendare,
,, qui quod dat, specie elementi uelet, ne cum horrore uideamus: cum nihil absit,
,, quod obueletur. Respondeo, nullam hic esse notam ineptiæ. Possumus enim rectè uel à nobis ipsis quærere, uel ab alijs, quî fiat, ut illa oculis non uideantur, nec ponantur nobis in conspectu, quæ tamen non possimus, nisi fide, ac mente complecti, & cernere. Ita cum panis sit sacramentum corporis Christi, illudq; efficaciter significet, nosq; illud corpus, quatenùs pro nobis in crucem, & mortem datum est, credamus, & fide, ac spiritualiter comedamus, rectè quæri potest, cur deus ista percipi noluerit externis sensibus, cum istis mysterijs occultentur. Hæc, inquam, si quis quæreret, non posset rectè uideri, ineptè ea, aut sine ratione quærere.

ARGV-

ARGVMENTVM GARDINERI EX Theophylacto in Iohannem cap. 6.

ATTENDE *autem, quòd panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura est carnis, sed, caro mea est: transformatur enim arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem spiritus sancti in carnem domini. Et ne quem conturbet, quòd credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante domino, & ex pane alimentum admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum, & sustentationem eius conferebat, iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem domini mutatur.*

SOLVTIO.

QVAMVIS hæc collatio sit uiolentior, tamen generaliter acceptam concedimus. Nam nos in hoc sacramento mutationem sacramentalem non negamus. Quòd si dicas, te uelle hanc similitudinem urgere, & accipere ita, ut sonat, consequetur magnum absurdũ, quod pugnet apertè cum tua sententia: nimirùm, accidentia symbolorum non esse in hoc sacramento retinenda. In illo enim pane, quo Christus alebatur, cum hic uiueret, accidentia non seruabantur. Quòd si adhuc acrius urgeas, Theophylactum dicere, panem conuerti in corpus Christi, respondebimus, eundem Theophylactum dicere, cum scribat in Marcum, panem conuerti in uirtutem corporis Christi: & illam esse interpretationem horum uerborum, quòd ista symbola assumant uirtutem ipsarum rerum. Huc adde, eundem illum in hoc ipsum sextum caput Iohannis ita scribere: Qui manducat me, uiuet propter me, dum quodammodò miscetur mihi, & transelementatur in me. Hic uides, illum apertè ponere, quod alij etiam patres faciunt, transmutationem nostri in Christum.

GARDINERVS.

HIC *locus Theophylacti sensit Oecolampadij fraudem, qui uocabulo, Figuratio, addit Exclusiuam, Tantùm: quæ exclusiua in Græcis non est, ubi sic legitur:* οὐκ ἐστὶ ἀντίτυπον τῆς σαρκός.

MARTYR.

INdignum est, innocentem, & sanctum uirum Oecolampadium accusari fraudis. Quid enim tu nosti, illum Exclusiuam eam addidisse? Cãdidi animi erat, sic potius iudicare, illum in suo exemplari Græco Exclusiuam illam habuisse. Idq; ego mihi habeo persuasissimum. Nam cum ille apud Matthæum, & Marcum eadem uerba reddiderit summa fide, uix est credibile, eum in solo Iohanne

uoluisse agere perfidè. Huc accedit, Philippum Montanum, uirum Latinè, Græcèq; non indoctum, cum uersionem illam in Euangelia recognosceret, ad fidem Græci codicis impressi Romæ, particulam illam, tantùm, ita reliquisse, ut Oecolampadius uerterat. Nec tamen ille fuit homo Germanus, qui posset Inconstantio nostro suspectus esse: Gallus enim fuit, & nostræ religioni, atq; Euangelio malè propitius. Neque uerisimilè est, Theophylactum non uidisse Basilium, qui hoc sacramentum appellauit ἀντίτυπον. Ideoq;, cum alibi dixisset, panem non esse ἀντίτυπον, saltem cum scriberet in Iohannem, probabile est, illum declarare uoluisse, quo id sensu dixisset. Similitudinem autem illam non iniuria dixi esse uiolentiorem: & cur ita dixerim, rationem etiam attuli. Nihilo tamen minus comparationem illam quantumuis duram, quantum potui, mitigare, atq; excusare uolui.

„ Verùm audiamus, ad meam rationem quidnam iste respondeat. In physica
„ conuersione ciborum fatetur accidentia non seruari. Sed similitudo, inquit,
„ mutationem respicit: & sola substantia mutatur in naturam alitì: cum quanti-
„ tas cum cæteris accidentibus, licet desinat, non mutetur tamen. Sed respon-
deat iste mihi, quænam causa sit, cur quantitates, & reliqua panis accidentia, cum ille comeditur, & in comedentis alimentum uertitur, non unà mutentur? Quoniam, inquit, illa esse desinunt. At si ea uera causa est, cur panem in Eucharistia mutari dicis? Nam ille quoq;, si uos uera dicitis, esse desinit. Vnde sequetur, si uobis credimus, eum non mutari. Nos ergo in isto simili Theophylacti mutationem recipimus in genere, eamq; dicimus esse sacramentalem. Nam ne Sophista quidem noster, talem mutationem probare potest, quæ naturali mutationi respondeat. De transmutatione autem, seu transelementatione nostri in Christum, ait se abundè aliâs dixisse. Memini, conatum quidem illum esse, & aliquid dicere uoluisse: nunquam tamen sese explicare potuisse. Patres enim non minus dicunt nos ipsos, quàm panem mutari, & transelementari in corpus Christi: ut nihilo magis necesse sit, transubstantiationem in pane constituere, quàm in nobis ipsis.

„ Deinde, inquit, Christū misceri nobis, effectus est unionis carnis cum Chri-
„ sto per mysticam benedictionem: ut Cyrillus, & Hilarius dixerunt. Misceri nobis carnem Christi, quod ad substantiam attinet, uti aliâs docuimus, nullo modo est concedendum. Id enim tantùm fit per spiritum, gratiam, & alia do-
„ na cœlestia. At transelementationis significatio, inquit Inconstantius, rei cui
„ exprimendæ adijcitur accommodanda est: ne ueritati præiudicet, sed subser-
„ uiat: hoc est, ut carnis Christi substantia propter mysterium unionis, ipsa ma-
„ nente, ita censeatur mea, ac si in meam demigrasset. Et ad imminuendam transelementationis significationem additur, Quodammodo. Ita est, ut dicis: significatio transelementationis, aut mutationis ita sumenda est, ne præiudicetur ueritati panis, non magis, quàm ueritati naturæ humanæ. Nam à patribus perinde utrique attribuitur. Fateor Aduerbium illud, Quodammodò, non nihil de ueritate detrahere: sed illud ad panis etiam mutationem accommodandum est: ut cum patres dicant, panem mutari, aut transelementari in corpus Christi, addamus quodammodò: ut id non simpliciter fieri intelligamus, sed aliquo tantùm modo. Sic enim Augustinus etiam dixit, sacramentum Eucharistiæ quodam modo esse corpus Christi.

ARGV-

ARGVMENTVM GARDINERI
ex Damasceno libro 4. cap. 14.

Si igitur uerbum dei uiuens est, & efficax, & omnia, quæcunq; uoluit, fecit, &c. Si uolens ipse deus uerbum factus est homo, & ex sanctæ uirginis purissimis, & illibatissimis sanguinibus in se ipse sine semine carnis sustentauit, non potest panem sui ipsius corpus facere, & uinum, & aquam sanguinẽ? Dixit in principio, Producat terra herbam uirentem: & usq; nunc pluuia facta producit germina diuino coadiuta, & uigorata præcepto. Dixit deus, Hoc est corpus meum: &, Hic est meus sanguis: &, Hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto, donec ueniat, efficitur. Nam quemadmodum omnia, quæcunq; fecit dominus, spiritu sancto operante fecit, sic & nunc spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides.

SOLVTIO.

HOC genus argumenti à potentia dei est infirmissimum. Neq; nunc disputatio est de dei potentia. Non enim dubitamus, deum posse mutare panem in carnẽ Christi. Nodus autẽ controuersiæ in eo est, an deus id uelit facere. Quod ait, ista supra naturam contingere, recipimus. Non enim naturale opus est, ut ex communi pane fiat sacramentum: sicut nec ex aqua naturaliter cõficitur lauacrũ regenerationis.

GARDINERVS.

NON *arguit Damascenus, à potentia factum fuisse: sed quia uoluit Christus, probat à potentia factum esse.*

MARTYR.

CAuillatur, argumentum Damasceni, non à potentia dei ductum esse, sed ab eius uoluntate. Voluntatem autem Christi Damascenum putasse, satis constare ex eo, quod dixit, Hoc est corpus meum. Non ineptè respondetur in Solutione, argumentum Damasceni ductum esse à potentia dei. Non aliunde enim concluditur, quàm ex eo, quòd uerbum dei sit potens, & efficax, & omnia, quæcunq; uelit, faciat: & potuerit nasci sine uirili semine: quodq; eius iussu ab initio terra herbas, & alia humi nascentia produxerit. Ista omnia, quantum quidem ego uideo, non aliud concludunt, quàm potentiam dei. Quod autem ille adspergit etiam aliquid de uoluntate, id nec probatur, nec confirmatur, sed tantùm sumitur, ut hypothesis.

Atqui, inquit, dominus dixit, Hoc est corpus meum. Hoc Christum dixisse, omnes probè sciunt. Quo autem id sensu dixerit, non satis liquet omnibus. Videat uerò iste noster ex illis uerbis quàm rectè colligatur, panem, & uinum transubstantiari, accidentia manere sine subiecto, naturam panis & uini aboleri. Ista cum Damascenus non probet necessario sequi ex illis uerbis, Hoc est corpus meum, neq; illud, quod iste comminiscitur de uoluntate cõfirmauerit, superest, illum concludere uoluisse tantùm à dei potentia. Quod autẽ ad similitudinem illam attinet, quam nos adferimus de Baptismo, iste sic respondet: In Baptismo miramur effectum: in Eucharistia præter effectum miramur ipsam sacramenti constitutionem, quomodo ex panè fiat caro, quod est suprà naturam: quod non intelligit, nisi sola fides. At uerò panem significare corpus, ipsa facilè ratio comprehendit. Vana est ista distinctio de effectu, & constitutione. Nostra enim responsio in eo uertitur, quòd, quemadmodum panis fit sacramentum cor-

poris & sanguinis Christi, ita aqua Baptismi fit lauacrũ regenerationis. Vtrinq; de constitutione agitur, nihil autem de effectis. Et quamuis naturalis significatio possit ratione comprehendi, sacramentalis tamen, quoniam ea diuina quædam res est, & ut sæpè diximus, non potest.

ARGVMENTVM GARDINERI ex Damasceno.

NON *est figura panis & uinum corporis & sanguinis Christi: sed est ipsum corpus domini deificatum: ipso Domino dicente, Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis.*

SOLVTIO.

AD hoc argumentum suprà respondimus. Quòd si iste cum negat sacramentum esse figuram corporis, id intelligat simpliciter, habet contra se omnes patres. Illi enim hic agnoscunt figuram. At si figuram intelligat cassum, & uanum signum, nos quoq; id libenter damus.

GARDINERVS.

ET *illam huius Sectarij responsionem, quàm inepta esset, anteà excussimus.*

MARTYR.

„ HIc tantùm antedicta repetuntur: nihil adfertur noui. Ait, se concedere fi-
„ guram cum Theophylacto, Damasceno, & alijs patribus, quæ sit uelamen-
„ tum rei præsentis, quæq; deliteſcat abdita sub accidentibus. At patres cum in Eucharistia toties signum, & figuram constituerent, nullam unquam fecerunt mentionem huiusmodi præsentiæ, aut accidentium, quæ manerent sine subiecto. Nos ergo ex illorum potius, quàm ex Inconstantij sententia prædicamus huiusmodi figuram, quæ sit rerum, non præsentium, sed significatarum uelamentum. E diuerso autem iste addit, se cum ijsdem istis patribus negare figuram,
„ quæ opponatur ueritati. Si ita est, nihil ille opugnat figuram nostram. Ea enim ut ostendimus, ueritati non opponitur: imò cum ea maximè congruit, & consonat. Quoniam autem omnia nostra ait esse crassa, utrum nostráne, an illorum doctrina sit hebetior, & crassior, tuum id erit prudens Lector iudicare.

GARDINERVS EX Damasceno.

PROINDE *omni cum timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omninò fiat nobis, quemadmodum credimus non dubitantes: & ueneremur ipsum omni puritate animæ & corporis: atq; accedamus ei desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes crucifixi corpus suscipiamus.*

SOLVTIO.

NON dicit Damascenus, sacramentum ipsum esse ueneran dum, aut adorandum, ut Papistæ loquuntur. Ea enim plané mera

nè mera est idololatria. Sed hoc dicit, debere nos uenerari Christum deum, & hominem, qui tamen non est adorandus in pane, & uino, sed sedens in cœlo cum patre, & intra nos existens spiritualiter.

GARDINERVS.

OMISSA *inuidiosa collatione, quam facit Sectarius, nónne inuitat Damascenus, ut cum fide accedant ei? Quæro, cui ei, nisi corpori præsenti, id est, Christo præsenti in Eucharistia?*

MARTYR.

COllationem istam, qua uidebat se uehementer premi, satis prudenter missam facit: uidelicet, ne fateatur, se idololatram esse, cum adoret sacramentum. Inuitat, inquit, Damascenus, ut accedant ei: & cui, inquit, ei? Quasi nihil hic aliud respõderi possit, quàm accedendum esse ad Christum uelatum accidentibus. Sed ille mihi uicissim respondeat: cum accedimus ad Baptismum, ad quem accedimus? Nónne ad Christum, qui nobis sit induendus, & quo cum oporteat commori? An tu statim ex eo concludes, Christum ipsum realiter in illis aquis delitescere? Vide ergo, quid ista tua tã subtili interrogatione effeceris.

At, inquit, cum manus in modum crucifixi formari iubet, an non gestum exhibet confessionem crucifixi prę se ferentem, dum præsentis crucifixi corpus suscipit in Eucharistia? Nos quidem semper docuimus, eos, qui cum uera fide communicant, accipere corpus ipsum Christi crucifixi. Id autem dicimus, non ore corporis, sed spiritu, ac mente fieri. Quòd si pij accedentes ad sacra symbola habitu ipso, & forma corporis, & decussatione brachiorum, quæ crucẽ ostendat, testari uelint, quid de Christo credant, quid prohibet? Sequatur in hac re quisq; ritus, & instituta Ecclesiæ suæ. Extant etiam apud patres multæ ceremoniæ, quæ obseruatæ fuerint ab illis, qui accederent ad Baptismum, ad repræsentandam memoriam crucis, & sepulturæ domini. Nec tamen ea causa rectè concludi potest, Christum realiter, & substantialiter esse in aqua.

Deinde Inconstantius testimonijs aliquot patrum docet, ueteres in perceptio, ne Eucharistiæ adorasse. At illorum omnium nullus est, qui dicat, Veteres in perceptione adorasse sacramentum. Id autem maximè inculcat, quod Ambrosius, & Augustinus scripserunt de adorando scabello pedum dei: qua de re suprà abundè respondimus. Hoc tantùm nunc repetam, Christum etiam antequam institueret sacramentum Eucharistiæ, habuisse carnem adorabilem: quæ aliquo modo terra dici posset, & scabellum pedum dei. Quæ caro, etsi & tum fuerit, & nunc etiam perpetuò sit adoranda, quoniam tamen in sacra cœna mentio eius passionis & mortis maximè celebratur, ibi singulariter ad eam adorandam excitamur. Eoq; patres, cum scribunt de Adoratione, quæ debeatur carni Christi, orationẽ suam confirmant ex eo, quod sit uulgò in mysterijs. Sed illa, Adoratio, inquit iste, quæ exhibetur Christo in sacramento, pertinet ad eũdem Christum, qui est in cœlo. Respondeo, cultum illum Papistarum duplici nomine esse detestabilem: Primùm, quòd nitatur falsa fide, qua sibi isti persuadent, corpus Christi, quòd ad rem ipsam, & substantiam attinet, simul & sedere in cœlis, & latitare sub accidentibus: quod & fabulosum est, & pugnat cũ ueritate humanæ naturæ. Deinde etiam, quod adorationem suam affigant symbolis, putentq; illis accidentibus operiri, & contegi corpus Christi.

GARDINERI ARGVMENTVM
ex Damasceno.

 ARBONEM *uidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed unitus igni: sic panis Communionis non simplex panis est, sed unitus diuinitati: & corpus unitũ diuinitati, non una ac eadem illi natura est, sed una corporis, unitæ diuinitatis altera. Quare amborum simul non una natura est, sed duæ.*

SOLVTIO.

HAEC nos quoq; libenter recipimus. Non enim dicimus, hic esse panem communem, aut simplicem, sed iam sanctificatum, conuersumq; in naturam sacramenti. Diuinitas autem idcircò dici potest cum eo coniuncta, quòd spiritus sanctus ad nostram salutem illo utatur tanquam instrumento.

GARDINERVS.

IT A *sese aperit Damascenus, ut per panem communionis intelligat ipsam Christi carnem: quæ non simplex est caro, sed unita diuinitati.*

MARTYR.

SAtagit Sophista, & multum sudat, ut ostendat, panem hoc loco apud Damascenum positum esse pro ipsa carne Christi: non autem pro symbolo, quæ pars est altera Eucharistiæ. Qua de re ego nihil pugno. Deinde cum in Solutione agatur de symbolo externo, & ostendatur, uerba illa Damasceni satis cum nostra sententia conuenire, ego quoq; idem respondeo, quod ad ipsam attinet carnem Christi, eam apud Iohannem per metaphoram appellari panem, meq; in eo cum Damasceno duas ueras, atq; integras naturas agnoscere, illamq; similitudinem de Carbone huc satis appositè accommodari. Ne hoc quidem negauero, ipsum Christi corpus appellari posse panem communionis: maximè, cum illud esse sciam alteram, & præcipuam partem Eucharistiæ. Hoc tamen addo, non idcircò excludi uerum panem. Et quamuis caro Christi nobis offeratur re ipsa percipienda per fidem, non tamen necesse est eam præsentem adesse realiter, & substantialiter. Neq; certè uerba ista Damasceni secus docent. Præterea multa garrit homo otiosus contra priorem Solutionem. Verùm, uti dixi, mea nihil refert: ex duabus dissolutionibus, quas proposui, utram lector malit, sibi deligat.

GARDINERVS EX
Damasceno.

 EQVE *& hoc etiam dictu promptum, quomodò naturaliter per comestionem panis, & uinum, & aqua per potionem in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis transmutatur, & non fit aliud corpus, præter quod prius erat ipsius. Sic & propositionis panis, uinumq;, & aqua per inuocationem, & aduentũ spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus, & sanguinem Christi: & non sunt duo, sed unum, & idem.*

SOLVTIO.

VT dixi supra, cum de Theophylacto responderem, si accipias hoc simile generaliter, & applices ad mutationem sacramentalem, satis est. At si uelis collationem fieri specialiter

cialiter de tali mutatione, qualis est alimenti in nostro corpore, tum non tantùm substantia panis abolenda est, sed etiam accidentia. Quod posteà subijcit, Non sunt duo, sed unum: si referas illud, Vnum, ad panem, & calicem, quasi dicat, illa esse unum sacramentum, non multum laboramus: quamuis Ecclesia, cum utatur utraq; parte, non uereatur ea appellare sacramenta. Sic enim loquitur in Collectis, Sacramẽta, quæ sumpsimus. Sed si ita dixeris, Vnum sunt, quasi post Consecrationem panis et corpus sint unum, non autem duo propter Transubstantiationem, obijciemus sententiam Irenæi. Is enim scribit, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, & cœlesti: sentẽtiam etiam Papæ Gelasij. Is enim à cõiunctione panis cum corpore Christi, manente utraq; natura integra, probat unionem naturæ diuinæ & humanæ in Christo, utraq; manente inuiolata, atq; integra.

GARDINERVS.

VERBA *Damasceni uno tantùm modo accipi possunt, ut non sit locus distinctioni, quam proponit Sectarius de generali, & speciali acceptione.*

MARTYR.

NE hic quidem iste noster quicquam adfert noui. Repetit eadem propemodum omnia, quæ suprà dixerat in Theophylacto. Et certè nisi huiusmodi anatomis, & sectionibus sese nimiùm oblectasset, plusq; numero argumẽtorum suorum, quàm ponderi tribuisset, hæc omnia in unum locum conferre, & chartæ, uerbisq; parcere potuisset. Verùm ut ad rem ipsam accedamus, similitudinem istam Damasceni omninò accipi uult specialiter: ut quemadmodũ in alendis nostris corporibus panis & uinum mutantur in carnem & sanguinem nostrum, idq; ita, ut ea iam non sint duo, sed unum, & idem, ut substantia panis non maneat coniuncta cum corpore nostro, ut sint duo corpora, alterum panis, alterum carnis nostræ, sed unum tantùm corpus carnis, in quam panis mutatus: ita dicamus, panem Eucharistiæ mutari in corpus Christi, ut in ea maneat una tantùm substantia corporis Christi, in quam panis mutatus sit. At si illa similitudo specialiter accipiatur, duo secum adferet uehementer dissimilia. Nam in Eucharistia accidentia prioris naturæ ut uultis retinẽtur, in alimento autem & substantia mutatur, & accidentia. Iste autem respondet, se quod ad hoc attinet, rationem diuersitatis ex Theophylacto adduxisse. Ea autem quàm ad rem nihil faciat, suo loco declarauimus. Alterum dissimile est, quòd certum sit, materiam priorem alimenti in eo, qui alitur, aliqua ex parte reseruari: nam alioqui non posset nutriri, si materia abiret in nihilum: in Eucharistia uerò isti panem cum tota sua forma substantiali, & materia prorsus eijciunt, atq; extrudunt. Quare, cum Inconstantius in isto simili nolit ista recipere, sequitur, ut illud potius recipiat generaliter, hoc est, quod ad quædam attinet, quàm specialiter. Sed, cum sibi permittat, ut pro suo arbitrio quædam excludat, quædam retineat, non debet nobis eandem libertatem inuidere. Dicimus ergo, per inuocationem, & aduentum spiritus sancti panem & uinum suo quodam modo mutari in corpus & sanguinem Christi:

nimirùm, ut fiant illorum sacramenta. Ad hæc, quod dicũt, unum quiddam fieri ex pane & corpore Christi, id nulla ratione concedi potest. Nam si panis prorsus abit, & aboletur, uti uolunt, quomodò potest fieri unum cum altero? Necesse enim est, ut maneat, quod unitur alteri. Ridiculum autem est, quod mihi Gardinerus obstrepit, de alimento, & aqua mixta uino. In alimento enim, uti diximus, melior, & utilior pars materiæ manet: & aqua ita miscetur cum uino, ut de sua materia nihil amittat. Cum ergo & materia, & substãtialis forma panis, ut isti somniant, faceßat, non potest ullo modo fieri unum cum corpore Christi. Quid ergo est, quod unitur Christi corpori, & unum cum eo efficitur? Accidentia fortasse. At ea fieri corpus domini, ne Inconstantius quidem unquam dixerit. Atqui mirabilis, inquiunt, est ista mutatio. At sacra scriptura nunquam nos docuit ista mirabilia. Et Irenæus, qui scripsit Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, & cœlesti, nusquam scripsit rem illam terrenam esse accidentia, sed panem.

De Gelasio ait se iam anteà respondisse. Meminit, uidelicet, hunc esse scopulum, ad quem non semel naufragium fecerit. Itaq; locum periculosum, & importunum prudenter declinat, & cauet. Damascenus uerò iste, quem Inconstantius tanti facit, quàm corrupto, seu potius multis in rebus puerili iudicio fuerit, quid me attinet dicere? Quis enim nescit, quàm ille ineptè scribat de reliquijs, & imaginibus? quamq; ridiculè de procreatione hominum, si Adamus non peccasset, fabuletur? De ætate autem ea, in quam ille incidit, quid sentiendum sit, Lectori relinquo cogitandum.

GARDINERI ARGVMENTVM EX Concilio Ephesino.

NECESSARIO igitur & hoc adijcimus: annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti filij dei, id est, Iesu Christi, & Resurrectionem eius, & in cœlum ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij ueritatem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut uiri sanctificati, et uerbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed uerè uiuificatricem, & ipsius uerbi propriam factam.

SOLVTIO.

NON contendũt illi Patres, in pane latitare carnem Christi. Hoc tantùm dicunt, nos eam comedere in sacramẽto, & quidem uerè: ac talem comedere, quæ nobis uitam æternam adferat. Hæc nos non negamus: modò illa comestio intelligatur ad animum, & ad fidem pertinere. Etsi enim dicamus, carnem Christi comedi in sacramento spiritualiter, non tamen negamus, eam uerè comedi. Neq; fingimus talem carnem, quæ diuisa, & seiuncta sit à diuina persona uerbi.

GARDINERVS.

ILLVD est huic Sectario proprium, & perpetuum, ut quoties arctè prematur, loquatur aliena, & uerba quædam ea arte concinnet, quæ imitationem quandam ueritatis habeant.

MAR-

MARTYR.

CVm propriè, & clarè, ac perſpicuè dicamus, carnem Chriſti, quam fide percipimus, non eſſe ſanctificati hominis carnem, non eſſe cõmunem, non eſſe coniunctam ſecundum dignitatis unionem, aut tanquam hominis poſsidentis diuinam habitationem, ſed uerè uiuificatricem, & ipſius uerbi propriam factam, quemadmodum Patres illi Epheſini loquuti ſunt, uidemur Inconſtãtio inſidias facere, & uerba artificioſè concinnare, quæ ueritatis non ſenſum, ſed imitationẽ tantùm quandam habeant. Sed cur iſte nobis hæc ita acerbè exprobrat? aut de nobis cur ita malè ſuſpicatur? Non alia ſanè de cauſa, quàm quòd ipſe ſtatuat carnem Chriſti præſentem eſſe, & latere ſub accidentibus, atq; ita ore, ac dentibus manducari: nos autem eam fide, ac mente ſpiritualiter comedi doceamus. Hæc, ſcilicet, una tanti inter nos eſt cauſa diſsidij. Alioquí nos Incruentum ſacrificiũ, quod Patres interdum dicunt, modò rectè intelligatur, non reijcimus.

At illi ſanctificari nos dicunt participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Quid ni? At de pane, inquit, nulla eſt mẽtio: ſed ueræ præſentiæ corporis Chriſti certa expreſsio. Ego quidem non dixi, illos facere mentionem panis. Sed, cum uiderem, eos nec de pane, nec de accidentibus quicquam dicere, hoc auſus ſum affirmare, illos non tuliſſe decretum, quo mandarent, ut quiſquam crederet carnem Chriſti latitare ſub accidentibus: nec realem, & ſubſtantialem præſentiã carnis Chriſti ex illis uerbis Concilij Epheſini poſſe perſpicuè colligi: tantũ autem excluſum eſſe errorem Neſtorianum, qui de unione duarum naturarũ in Chriſto malè ſentiret. Neq; negamus Concilium loqui de manducatione ſacramentali, modò ea ſit eiuſmodi, quæ cum ſpirituali manducatione, quæ fide perficitur, ſit coniuncta. Quo autem modo id, quod fide creditur, ore percipiatur, ſuprà ſatis declarauí. Neq; id, cum illa uerba in Concilio non legantur, hoc loco infarciendum erat ab Inconſtantio.

Deinde addit, me hominem aſtutum & mendacem eſſe, & uerba inſtruere ad fallaciam, cum comedere in ſacramento nihil aliud ſentiã eſſe, quàm credere, idq; eſſe comedere carnem domini, quæ donet nobis æternam uitam. Hæc iſte ita obijcit, quaſi nos non fateamur, eos, qui piè communicent, participes eſſe corporis & ſanguinis domini. At nos in Cõmunione piorum hominum ſemper poſuimus utranq; manducationem, & ſymbolorum, uidelicet, & ipſarum rerum: alteram, quæ intus peragatur: alteram, quæ foris: alterã, quæ ad os corporis externum pertineat: alteram, quæ ad ſpiritum & fidem. Huc aſpergit luculentum mendacium, Concilium illud Epheſinum dicere, Sacrificium Eccleſiæ conſtare corpore & ſanguine Chriſti. Si ita eſt, ut ſanguine cõſtet, quomodò ſacrificium eſt Incruentum? Nos quidem ueriſsimè dicimus, Incruentum illud eſſe ſacrificium, quo ad ſacram Menſam publicè ab Eccleſia gratiæ agantur deo & Chriſto, de ſanguine, quem ſcimus pro nobis effuſum eſſe. Atq; hoc pacto participes effecti corporis Chriſti, eo ſanctificamur, & habemus uitam.

At Patres, inquit, dicunt, carnem Chriſti à nobis percipi. Quid tum poſteà? Quaſi nos non idem affirmemus. Quomodò ergò hic Figuratores proſternuntur? An quòd Concilium dicat, nos aſſequi iſtam participationẽ, per benedictionem & per ſacramentum? Verùm nos id quoq; & docemus, & dicimus: etſi longè aliter, quàm pecus iſtud inſipidum Antichriſti, qui cum nos contumelioſè appellant Figuratores, nihil ipſi aliud ſunt, quàm mera hypocriſis, & figura. Iſte præclarus, ſcilicet, & inconcuſſus Antiſtes ueritatis toto libro ſuo nihil aliud crepat, quàm Sectarios, oblitus interim, ſe ipſum bis, térue fuiſſe apoſtatam, & ſchiſmaticum, & quíduis potius, quàm Epiſcopum. Sed nolo de hac re plura. Nos unà cum Synodo Epheſina execramur Neſtoriũ cum ſuo dogmate. Quare quíc

quid hic de participatione, & sanctificatione carnis dicitur à Concilio, iste inculcat extra oleas. Nos enim ista omnia prędicamus. Omnis controuersia est de modo, quo corpus Christi recipiatur. Probet nobis suam carnalem, corporalem, naturalem manducationem: tum demùm dixerit aliquid. Quandiu autem uagetur in communibus, & ea dicat, quæ non minus nobiscum, quàm cum ipso faciant, sciat se actum agere, & uerba tantùm profundere.

In extremo autem actu, ne parum Græcus uideretur, longam rixam mouet Iohanni Oecolampadio de lana caprina. Nam, quod Græcè habetur, τῷ ἀναίμακτον ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις πλεῖμεν λατρείαν, Oecolampadius uertit Latinè, Incruentum in Ecclesijs perficimus cultum. Inconstantius clamat, dicendum fuisse, Incruentam sacrificij ueritatem celebramus. Si quis ex illo quærat, Cur λατρεία non possit significare cultum: aut cur, πλεῖν, non possit reddi Latinè, perficere, quid respondebit? Scio equidem, πλεῖν, interdum esse, rem sacram facere. Sed si quis dicat, Perficere, atque addat λατρείαν, mihi uidetur idem dicere. Sed Inconstantius ipse tam seuerus Censor, unde tandem habuit Sacrificij ueritatem? Certè in Græco non habetur. Falsum etiam est, quod ait Oecolampadium profanare Græcum uerbum λατρεία. Addit enim cultum: & certè intelligit cultum diuinum. Profectò qui sic loquentem agere putat de re profana, aut ualdè ipse profanus est, aut malitiosus.

Defensio Oecolampadij.

„ Ita, inquit, fecit callidè, quo suis probaret Ecclesiæ cultum perfici sola annun-
„ tiatione Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis domini; siue meditatione men-
„ tis accipias, siue professione oris. Ista portenta nunquam nec sanctissimo uiro Iohanni Oecolampadio, nec cuiquam nostrum uenerũt in mentem, dei cultum perfici illis tantùm rebus, quas iste commemorat. Vbi enim sunt gratiarũ actiones? ubi sacri conuentus? ubi preces publicæ? ubi uerbi dei, & Sacramentorum administratio? Longè melius, & purius Iohannes Oecolampadius Basilienſem Ecclesiam sibi commissam administrauit, quàm centum Gardineri. Nec tamen inficior, magnam partem diuini cultus sitam esse in eo, ut credamus & Mortem, & Resurrectionem, & Ascensionem Christi in cœlum. Imò hoc affirmo, illum qui corpus Christi datum in crucem & sanguinem eius effusum uera, & uiua fide apprehendat, spiritualiter edere ac bibere corpus Christi & sanguinem. Ad illam autem internam manducationem ex instituto Christi adiunctus est externus usus Sacramentorum: isq; in nostris Ecclesijs piè ac religiosè obseruatur. Filium autem dei, quomodò uos fingitis, quotidiè sacrificari, nefas esse dicimus. Et mirum est, quomodò dicere possitis sacrificium illud uestrum ἀναμακτὶ fieri, cum toties, & tam importunè contendatis, ibi esse uerè, & substantialiter sanguinem domini. Quod si Oecolampadius prudẽter, & piè cauere uoluisset, ne Concilium tale quippiam sensisse uideretur, & ob eã causam uersionem suam temperasset, nec tamen ab usitata uerborũ significatione discessisset, iure accusari ea causa non debuit. Verùm illum ego non dubito, ut erat uir candidissimi pectoris, egisse simpliciter. Iste autem noster ex suo pede, atque ingenio metitur alios.

Sequitur alia rixa, eaq; ualde inanis & superuacanea, in qua nõnihil uereor, ne Inconstantius ipse, quid sibi uelit, nõ intelligat. Græcè legitur, προσμένειν τε οὕτως: quæ uerba Oecolampadius uertit, Accedimusq; sic ad mysticas benedictiones. Inconstantio autem ista uersio magis probatur: Sic etiam ad mysticas benedi-
„ ctiones accedimus. Quid hic tanti est discriminis? οὕτω, inquit, non est aduer-
„ bium ordinis. Per nos ne sit: néue significet deinde: sed, hoc pacto, isto modo, scilicet annuntiantes mortem unigeniti Filij dei secundum carnem. Id enim dicere uolebat Oecolampadius, nisi cum tali sensu neminem posse rectè accedere ad sacram communionem. Aliud autem sacrificiũ corporis domini præter commemo-

memorationem, gratiarum actionem, confessionem rectæ fidei, ac preces in Sacra mensa non agnoscimus. Sed singulari, nescio qua, fraude ait usum Oecolampadium, cum illa uerba, ἁγιαζόμεθα μέτοχοι γιγόμενοι τοῦ ἁγίας σαρκὸς, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, ita Latina faceret: Et sanctificamur, efficimurq; participes sanctæ carnis, & pretiosi sanguinis. Quomodò ergo dicendum erat? Sic scilicet: Et sanctificamur participes effecti sancti corporis, & pretiosi sanguinis: ut habet uulgata editio. At ea uariat nonnihil à Græco codice. Nam pro ἁγίας σαρκὸς, transtulit, sancti corporis. Sed hoc leue est, inquiet. At nónne æquè leue est, duobus membris idem dicere, quod uno dici potuisset? Minimè, inquit Inconstantius: quia Oecolampadius membra diuisit: ne uideremur ipsa Christi carne sanctificari. Atqui & Oecolampadius, & nos omnes fatemur, eos, qui cum uera fide communicent, sanctificari à carne Christi, effectos uidelicet eius participes: quod quamuis maximè, atque unicè perficiatur fide, tamen ea excitatur & augetur & uerbis externis, & symbolis. Atq; ita usu ipso Sacramentorum res ipsas significatas, hoc est, corpus & sanguinem Christi magis, magisq; apprehendimus, & ex illis fructum uberiorem, & ampliorem sanctitatem consequimur. Perinde ergo est, siue unum illud membrum sit, siue duo: ut iste prorsus mihi uideatur cum laruis luctari uoluisse. Quis enim potest dubitare, si sanctificandi sumus per carnem Christi, oportere nos eius esse participes? Sed iste sanctificationem illam putat fieri, cum corpus Christi uelatum accidentibus attingitur ore, ac dentibus, & ingredi tur in corpus nostrum. Nos autem ita dicimus nos sanctificari corpore Christi, quatenùs illud oblatum olim in crucem, nunc autem sedens ad dextram dei patris apprehenditur à nobis per fidem. Hic est status, & cardo controuersiæ. Hic Inconstantio consistendum erat: nam in aliis satis consentimus. Quare Iohannis Oecolampadij boni, & simplicis uiri sermones non erant ita rapiendi ad calumniam. Ille enim uerè sensit, omnem sanctitatem in nos deriuari à solo pretio carnis Christi nobis per fidem & spiritum coniunctæ.

Quod nam habeamus corporis domini sacrificium in cœna.

At cuperet, inquit, Oecolampadius intelligi, ut à sanctificatione, quæ spiritu fiat, consequatur effectus participationis carnis. Itaq; inuertit sacri Concilij sensum mutatione participij in uerbum, & addita coniunctione: ut, quod Cõcilium habuerat pro causa, nos intelligeremus effectum esse: & quod Concilum efficí diceret, nos interpretemur causam. Carnem Christi causam esse, qua nos sanctificemur, & Oecolampadius, & nos confitemur. Ad eius autem participationem quin sanctificatio spiritus, quod ad nos attinet, requiraf, nullo modo negari potest. Sine enim illo fides in nobis, qua percipiamus carnem Christi, non potest excitari. Itaque caro Christi est organum dei, quo ab illo sanctificamur: Fides uerò, qua præparamur, quæq; est motus in nobis spiritus sancti, est instrumentum, quo efficimur participes sanctæ carnis. Rectè ergo Inconstantius obiecit sibi: An non probabile est, sanctificari nos spiritu, antequam percipiamus corpus Christi? Est sanè: nam alioqui non sanctis, & impuris Sacramenta officerent. Sed illud est profectò: Qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Verum illud est, quod iste sibi obijcit: &, quòd ad me quidem attinet, facilè dabo, augeri fidem nostram usu Sacramentorum. Spiritus enim sanctus non minus Sacramentis utiť, quàm uerbis sacris ad excitandam in nobis fidem. Illud etiam fateor, Maiori fidei dari maiorem sanctificationem: ut, qui sanctus est, tamen adhuc sanctificetur. Quid ergo est, quòd hic tãtoperè altercatur? Iam potest, opinor, intelligi, illa duo membra, quæ iste tantoperè exagitat, non huc spectasse, ut negetur, sanctificationem deriuari in nos à deo per uiuificam carnem Christi. Hoc Inconstantium probare oportuit ex Concilio, Carnem Christi latitare abditam sub accidentibus, & ore, dentibus, faucibus, palato percipi.

Exonerat deinde in uirum innocentissimum plaustra tota conuitiorum: illum fraudibus, & fallacijs homines in errorem pertraxisse, corrupisse Græca, malè reddidisse Latina, modò addidisse, modò detraxisse uerba, modò ea mouisse loco, ex patre illum diabolo profectum esse, Nestorij, & aliorum Hæreticorũ imitatorem in corrumpendis, & diuinis literis, & humanis. Bone deus, quis Oecolampadio pro tot utilissimis laboribus ista præmia reponere potuisset, nisi Inconstantius? Iste unus repertus est, qui doctissimum & sanctissimum uirum ore impuro, & lingua uenenata flagellaret. Sed bene habet: deus iustissimus iudex, & uindex innocentium, de utroque exercebit iudicium apud tribunal suum.

In calce laborum suorum Inconstãtius canere nobis uoluit encomium, si deo placet, Concilij Lateranensis, idq; maximè à numero Episcoporum & Metropolitanorum: quasi non & Arrianorum Concilium Ariminense fuerit numerosissimum: aut quasi Christus ipse cum suis discipulis multò inferior fuerit numero Scribis & Pharisæis: aut quasi Christus non dixerit, gregem suum pusillum esse. Et tamen si tantoperè urges numeros, multò plures erant patres, & Episcopi ante Concilium Lateranense, qui uel apertè repudiauerint, uel certè non agnouerint uestram istam Transubstantiationem. Deinde non est ita attentè spectandũ, qui, aut quot, quo in loco fuerint, qui aliquid statuerint, sed quibus, & quàm certis diuinarum literarum testimonijs decreta sua confirmauerint. Nam alioqui, ut ait Hieronymus, eadem facilitate contemni possunt, qua probantur.

Lateranense Concilium.

Verba autem ipsa patrum suorum Lateranensium Sophista singillatim proponit ad hunc modum: Vna est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omninò saluatur. In qua ipse dominus est & sacerdos, & sacrificiũ Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & uini ueraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem potestate diuina, ut ad perficiendum mysterium unitatis excipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Nihil, inquit Inconstantius, isti dicunt, quod nõ dicerint à maioribus, & traditione acceperint: ut nulla sit causa, cur fides hęc ab illis inuenta & excogitata dicatur: qui quomodò acceperunt, & didicerunt uerbis compendiosis, & significantibus nobis posteris tradiderunt. Mirificæ meherculè sunt istæ laudes, & quæ non possint, nisi ab Inconstantio proficisci. Sed hoc ego primùm ab isto quæro, cum illi statuant ab initio unam esse uniuersalem Ecclesiam omnium fidelium, extra quam nemo possit esse saluus, quam præcipuam uelint esse, & ante alias Ecclesias numerari: Constantinopolitanam ne an Hierosolymitanam, an Antiochenam, an Alexandrinam? Minimè: sed Romanam. Id enim tot Paparum Decretalia, & Conciliabula satis indicant. Cur ergo Gardinerus noster ab illa Ecclesia ita temerè discessit, extra quam sciret spem salutis nullam esse? Cur concionibus, & libris editis testatus est publicè, non Ecclesiam illam esse, sed tyrannidem? Aut quomodò ille potuit ista literis cõsignare, cum eo tempore, quo hæc scribebat, nondum esset illi Ecclesiæ reconciliatus? Sed iste, Lector, ne nescias, aliquid saltem uoluit uideri dicere: quid autem, aut quanta cum ratione diceret, nihil pensi habuit. Debebat enim cogitare, si uerè & ex animo ista scribere uoluisset, se iam planè esse damnatum & perditum, qui Ecclesiæ Romanæ obedientiam abiurasset.

Christus, inquit Concilium Lateranense, & Sacerdos est & sacrificiũ. Id quidem est uerissimum. Christus enim in cruce se ipsum obtulit deo patri. Verùm, si ita est, quid uos quotidiè idem illud Sacrificium iteratis? Cur uos dicitis deo patri offerre Filium dei? An quod Christus semel fecit, & una oblatione cõsummauit, non erat satis? Et si Christus ipse est noster Sacerdos, quid uos oportet quotidie creare, & ungere infinitos, nescio quos, alios sacerdotes? Dicunt, inquis, illi cor-

illi corpus Christi uerè contineri in Sacramento: quodq; isti ueraciter dicunt, alij
patres in ueritate dixerunt. Quid tum posteà? Hoc enim si rectè ac uerè intelli-
gatur, possumus recipere. Symbolis continetur uerè corpus Christi: quoniam il
lis uerè significatur: quemadmodum in diuinis literis dicimus uerè contineri æ-
ternam uitam: deinde etiam, quoniam corpus Christi, quod significatur, uerè
humanum corpus est, non autem simulatum, aut phantasticum. At si, Verè con-
tineri, intelligant realiter & substantialiter adesse sub speciebus panis & uini, il-
lud primum falsum & commentitium est, deinde à sanctis & ueteribus patribus
nunquam simpliciter pronuntiatum.

Sensum autem, inquit Inconstantius, Transubstantiationis ex Chrysostomo
celeberrimo authore collegerunt: qui dixit absumi mysteria substãtia corporis:
quod dictũ nemo ueterum in eo improbauit. Et potuissent tamen extare alij plu
rimi, qui in eam scriberent sententiam, quorum scripta interciderint. Et sanè qui
extant plærique omnes elementorum mutationem fieri dicunt, uel conuersio-
nem, transelementationem, transitionem: qui omnes ueram corporis Christi sub
stantiam fatentur præsentem. Si illi Chrysostomum legissent cum iudicio, ui-
dissent eum, cum scripsisset, mysteria absumi substantia corporis, posteà subiecis-
se eadem mysteria in mensa proponi. Ex quo perspicuum uel cæco esse potest,
priorem illam loquutionem fuisse tropicam: deinde etiam uidissent, eundẽ Chry
sostomum alijs in locis docere in mysterijs supereſſe substantiam panis. Illos
autem paterculos Latronenses Transubstantiationem suã non habuisse ex Chry
sostomo, uel id satis magno argumento esse potest, quòd posteà in Concilio Flo *Concilium Flo-*
rentino Constantinopolitana Ecclesia, cui Chrysostomus præfuerat, cum cõces- *rentinum.*
sisset Ecclesiæ Romanæ de processione spiritus sancti, de Transubstantiatione
noluerit ullo pacto concedere. Adhæc ad instituenda dogmata non requiri-
mus suffragia patrum: sed testimonia diuinarum literarum.

Præterea, quod iste asseuerat, omnes ueteres confiteri, substantiam corporis
Christi præsentem esse in Eucharistia, falsum est. Itaq; ipse sibi conscius insignis
mendacij statim subiecit, Quòd si qui aliter loqui uideantur, qui sunt pauciſſi-
mi, si omninò sint aliqui, æquius est, ita eos candidè interpretari, ut cum alijs con
sentiant, quàm ut ab illis dissentiant: quando diuersæ loquendi causæ, diuersas pa
riant loquendi formulas. Non ita pauci sunt ueteres patres Inconstanti, qui de
Transubstantiatione & reali præsentia longè aliter, quàm uos & loquanr̃, & sen-
tiant. Permulti sunt, & penè omnes, præsertim antiquissimi: & ea causa uestra
ista testimonia, maximè ita perperàm intellecta, ad illos æquius est accom-
modari.

Posteà queritur de illis, qui unius uoculæ, Transubstantiationis, nouitate ita
offendantur, quasi res ipsa simul cum uerbo nata fuerit. Et magno, inquit, con-
silio uidentur usi patres in hoc uerbo Transubstantiationis: uerbo, inquam, ad
extinguendas contentiones illis temporibus ortas necessario, & eodem ad expri
mendam ueritatem idoneo, & simplici: ut unam nimirùm substantiam signifi-
carent esse in Sacramento, atque illam corporis Christi, in quã desinit panis sub-
stantia: atque etiam de uino illas sententias, quas apud patres legerent, uno uer-
bo exprimentes: uidelicet, Fuit panis, nunc est corpus: Fuit uinum, nunc est
sanguis. Has sententias unum illud uerbum, Transubstãtiatio, simpliciter, aptè,
dilucidè exprimit. Recens ista uox, eiusq; recens, & apud ueteres inaudita
significatio, quam ut propriã, idoneam, conuenientem iste tantùm nõ in cœlum *Vox Transub-*
tollit, cui rei maximè conueniat, cuiq; maximè occasionem dederit, uno uerbo *stantiatio re-*
dicam, Idololatriæ. Illa enim ab hoc inuẽto incredibiles habuit accessiones. Ne- *cens.*
que animaduertunt huius authores, & defensores fictionis, quàm sit à natura

huius Sacramenti alienum, quod somniant auferri ex ea substãtiam panis, quam & sacræ literæ, & patres fatentur ibi remanere. Hoc autem, prudens Lector, tu debes in patribus annotare, quo quisque illorum posteriori, & ea causa impuriori ætate uixerit, ita eum minus syncerè, & candidè de Eucharistia loquutum esse, eoq; rem prolapsam esse, ut istis nostris ultimis temporibus nihil sani relictum fuerit: omnia autem mendacijs, portentis & impostur is redundauerint. Quare orandum, Deus Opt. Maximus, rebus afflictis, & perditis aliquando succurrat, & horribilem istam ἀρχολατρείαν ex toto orbe Christiano penitus exterminet.

» Verùm Sophista addit, nos cum audiamus ex Paulo, omnia ueteribus con-
» tigisse in figura, tamen affirmare nostra Sacramenta eadem esse cum Sacramen-
» tis illorum: & in hoc Sacramento pessimè odisse nomen Substantię. Hæc ille de nobis: sui, ac suorum interim oblitus. Ipse enim cum suis in hoc Sacramento cane peius, & angue horret, & fugit nomen Panis: quem cur extrudant ex Eucharistia, rationem nullam probabilem adferre possunt. Cur autem nos nolimus corpus Christi constituere sub pane, aut sub accidentibus realiter contineri, iustissimæ causæ sunt: nimirũ, ut ueritas humanæ naturæ in Christo conseruetur: cuius certè non est simul esse in multis locis, aut diffundi in immensum, aut sua magnitudine, suisq; lineamentis expoliari, aut creatarum rerum conditionem relinquere, aut inter homines in mundo uersari: præsertim cum iuxta fidei nostræ articulos ascenderit in cœlum, & sedeat iam ad dextram patris, & inde expectandus sit ad extremum iudicium. Si uos unam saltem ex istis omnibus causis possetis obtendere, cur panem & uinum excludere uelitis ex mysterijs, uideri fortasse possetis aliquid dicere. Sed nihil habetis aliud quàm potentiam dei, & Concilium uestrum Lateranense, & aliquot patrum sententiolas, easq; aut non intellectas, aut pro corruptela temporum malè conscriptas. Figuram uerò esse in Eucharistia, etsi eam miris modis coloretis, ne uos quidem ipsi potestis denegare.

At Paulus ait, Omnia ueteribus in figura contigisse. Quis nostrum id negat? Sed quænam illa figura fuit? Hæc, scilicet Inconstanti: quòd illi, cum haberent eadem Sacramenta, quæ nos, tamen simulachra coluerint, sederint ad edendum, & bibendum, surrexerint ad ludendum, sese stupris, & libidinibus inquinauerint, tentauerint Christum, ijsq; de causis in deserto perierint. Hæc, inquã, omnia illis in figuram contigerunt: & admonitionis nostræ causa scripta sunt: ut, uidelicet intelligamus nos multandos esse ijsdem malis, si contumelioſè abutamur Sacramentis. Idq; Paulus proximo capite 11. docet euenisse, in illis, qui abusi fuissent cœna domini. Hæc ea figura est, de qua Paulus loquitur. Neque enim eò spectat, ut ueteres patres rebus ipsis frustretur, & in umbris, ac tenebris & solis significationibus destituat, idq; quod multo miserius est, etiam absque salute. Nam eam sine uera Christi perceptione habere nullam potuerunt. Neque Apostolus negat, imò uel Augustino teste constanter affirmat, eadem fuisse ueterum Sacramenta & nostra. Nos ergo non sumus authores huius dogmatis: habemus enim illud & ex diuinis literis, & ex patribus.

Addit iste, nos omnem mouere lapidem, ut ueritati substituamus men-
» dacium, sed frustrà. Veritatem enim in sæculum staturam: impiorum au-
» tem malitiam ruituram: idq; perspicuum esse exemplis quotidianis: quibus
» nos tamen nihil deterreamur. Paulum enim dixisse, Oportere esse hæreses:
» non ut rei necessitatem, sed ut hominum uitium indicaret. Eorum autem im-
» probitatem deum conuertere in gloriam suam. Desine communibus locis, In-
» constanti: hæc enim multò uerius in te, & uniuersum Papistarum gregem con-
ueniunt.

ueniunt. Veritas enim dogmatis noſtri quotidiè dei Opti. Max. beneficio magis magisq; illuſtratur, & haud dubiè æternum ſtabit. Papiſtarum autem nequitia, ut quotidiana exempla nos commonent, & in multis prouincijs apertè, & ubiq; in hominum conſcientijs labefactatur in dies magis magisq;, & corruit. Quod adfers de neceſsitate hæreſum, ad nos, qui nullas aut inducimus, aut ſectamur nouas ſuperſtitiones, nihil pertinet. Vos potius, Inconſtanti, cum realibus præſentijs, & Tranſubſtãtiationibus, & alijs infinitis rerum, uerborumq; prodigijs perſtringit, & iugulat. Cæterùm id nobis utinam tandem uidere liceat, ut uos aut ab aperta iſta, atq; horribili impietate deſiſtatis, aut ad impediendam ueritatem minus uirium habeatis: utq; Eccleſia Chriſti aliquando ab omni idololatria, & ſuperſtitioſo cultu repurgetur.

Nunc uerò poſtquam deo bene iuuante, ad calcem laboris mei peruentum eſt, quo ego in Opere, non ſanè de aſini umbra, ſed de aſſerendo ſincero dei cultu, & Orthodoxa fide cum aduerſario impotentiſsimo, cum Sophiſta uaferrimo, cum hoſte ueritatis acerbiſsimo dimicaui, quoniam ſcio nec argumenta, nec rationes, nec teſtimonia, nec diſputationes quantumuis doctas quicquam profuturas eſſe, niſi deus adſpiret, uiſum mihi eſt pro Colophone, ſummi Numinis, & Patris noſtri opem implorare.

ADSIS, quæſo, aliquando tandẽ Cœleſtis pater, & ſpiritu Ieſu Chriſti filij tui mentes atq; animos Chriſtianorum tuorum illuſtra: ut illi relictis idolis & ſuperſtitionibus, ad te unum purè, & ſincerè colendum, adorandum, & inuocandum conuertãtur: néue ulterius patiaris, honorem tibi uni debitum impiè, & ſceleratè tribui pani, uino, picturis, ſtatuis, atq; oſsibus mortuorum. Satis iam diu ſanctum nomen tuum contumelijs affectum eſt: ſatis iam diu Euangelij tui puritas contaminata iacet: ſatis ſuperq; Inſtitutione Cœnę filij tui homines ad impuriſsimam idololatriam abuſi ſunt. Siſte aliquando furores iſtos inſanientium hominum, & ſeſe miſerè præcipitantium, ne amplius in omni colle, ſub qualibet arbore, in omnibus compitis, plateis, templis, ſacellis, cum pane ac uino ſub nomine ſacramenti filij tui tam impudenter, & perditè ſcortentur, & ſacrum tuum cultum tam impiè & flagitioſè polluant. Niſi tu, deus Optime, Max. iſtam ἀρτολατρείαν potenti tua manu auferas, atq; euertas, de ſalute humana, & Eccleſiæ tuæ repurgatione prorſus actum eſt. Subueni, deus, ſubueni populo, quem ſanguine filij tui redemiſti. Tuq; Ieſu Chriſte, uere atq; æterne deus, confirma hoc opus quod cœpiſti, illudq; ad finem optabilem perducito: uel ſi deſperata eſt plaga, neq; ueritati tuæ in tua Eccleſia amplius futurus eſt publicus & apertus locus, ad exercendum iudicium quàm primùm uenito: & pro nominis tui gloria à ſacra Cœna, quam tu incredibili miſericordia, & ſingulari bonitate inſtituiſti, tam inſignem contumeliam auertito: qui cum Patre, & Spiritu ſancto uiuis & regnas in ſæcula ſæculorum.

Amen.

Τὸ ἀληθὲς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον.

FINIS.

75822-C

iusticia eius manet in eternū.
cornu eius exaltabitur in gl̄a.
Impius uidebit & irascetur.
dentibus suis frendet et tabescet.
desideriū impiorū peribit.

CXII. ALLELVIA.

LAVDATE SERVI DN̄M.
laudate nomen dn̄i.
Sit nomen dn̄i benedictum
a modo & usq; in eternum.
Ab ortu solis usq; ad occasū eius.
laudabile nomen dn̄i.
Excelsus sup̄ om̄s gentes dn̄s.
sup̄ celos gloria eius.
Quis sicut dn̄s ds̄ noster in
excelsis habitans. humilia
respicit in celo & in terra.
Suscitans de terra inopem. et
de stercore eleuat pauperē.
Vt eū sedere faciat cū p̄ncipibus.
cū principibus populi sui.
Qui collocat sterilē in domo.
matrem filioꝝ letantem.

CXIII. ALLELVIA.

CVM EGREDERETVR ISRAHEL
de egypto. domus iacob de
populo barbaro.
Factus est iudas in sc̄ificatione

eius manet in sc̄lm seculi. cornu
eius exaltabitur in gloria.
Peccator uidebit & irascetur.
dentibus suis fremet & tabescet.
desideriū peccatorū peribit.

CXII. ALLELVIA.

LAVDATE PVERI DN̄M.
laudate nomen dn̄i.
Sit nomen dn̄i benedictū. ex hoc
nunc & usq; in seculum.
A solis ortu usq; ad occasum.
laudabile nomen dn̄i.
Excelsus sup̄ om̄s gentes dn̄s.
sup̄ celos gloria eius.
Quis sicut dn̄s ds̄ noster qui in
altis habitat. ÷ &: humilia
respicit in celo et in terra.
Suscitans a terra inopem. et
de stercore erigens pauperem.
Vt collocet eū cū principibus.
cū principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilē in domo.
matrē filiorum letantem.

CXIII. ALLELVIA.

IN EXITV ISRAHEL
de aegypto. domus iacob de
populo barbaro.
Facta est iudea sc̄ificatio eius.

eius manet in sc̄lm seculi. cornu
eius exaltabitur in gloria.
Peccator uidebit et irascetur.
dentibus suis fremebit & tabescet.
desideriū peccatorū peribit.

CXII. ALLELVIA.

LAVDATE PVERI DN̄M.
laudate nomen dn̄i.
Sit nomen dn̄i benedictū. ex hoc
nunc & usq; in seculum.
A solis ortu usq; ad occasum.
laudate nomen dn̄i.
Excelsus sup̄ om̄s gentes dn̄s.
super celos gloria eius.
Quis sicut dn̄s ds̄ noster qui in
altis habitat. & humilia
respicit in celo & in terra.
Suscitans a terra inopem. et
de stercore erigens pauperē.
Vt collocet eum cū principibus.
cū principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilē in do
mo. matrē filiorū letantem.

CXIII. ALLELVIA

IN EXITV ISRAHEL
de aegypto. domus iacob
de populo barbaro.
Facta est iudea sc̄ificatio eius.

1781.